PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM

ALMA COLLEGE
208.1
LIBRARY
71588
Alma, Calif.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR

PATROLOGIÆ TOMUS CXXIX.

ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS, ABBAS; STEPHANUS V, FORMOSUS, STEPHANUS VI, ROMANUS, PONTIF. ROM.; ERCHEMBERTUS, MONACH.; ANGILBERTUS, ABBAS; S. TUTILO, MONACH.; GRIMLAICUS, WOLFARDUS, PRESBYTERI; ANAMODUS SUBDIACONUS.

ANASTASII TOMUS TERTIUS, CÆTERORUM TOMUS UNICUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1853

7969

SÆCULUM IX.

ANASTASII

ABBATIS,

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTERI ET BIBLIOTHECARII,

OPERA OMNIA.

EDITIO PRÆ ALIIS OMNIBUS INSIGNIS,
AD FIDEM MANUSCRIPTORUM CODICUM ET JUXTA PROBATISSIMAS EDITIONES EXPRESSA,
BLANCHINI NEMPE ROMANO-VATICANAM, QUOAD LIBRUM PONTIFICALEM,
MABILLONII, CARDINALIS MAII, ETC., ETC.

ACCEDUNT

STEPHANI V, FORMOSI, STEPHANI VI, ROMANI, PONTIFICUM ROMANORUM;
ERCHEMBERTI CASSINENSIS MONACHI, ANGILBERTI CORBEIENSIS ABBATIS,
S. TUTILONIS SANGALLENSIS MONACHI, GRIMLAICI PRESBYTERI,
WOLFARDI PRESBYTERI HASENRIETANI, ANAMODI
RATISPONENSIS SUBDIACONI,

Scripta vel scriptorum fragmenta quæ exstant.

TOMUM CLAUDIT

APPENDIX AD SÆCULUM IX,

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS TERTIUS.

ALMA COLLEGE
208.1
LIBRARY
M588
Alma, California

VENEUNT 3 VOLUMINA 21 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE.

1853

7969

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXXIX CONTINENTUR.

ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS.

(OPERUM CONTINUATIO.)

Interpretatio Synodi VIII generalis. *Col.* 9
— Synodi VII — 195
— Chronologiæ S. Nicephori. 511
Collectanea. 553
Historia acephala SS. Cyri et Joannis. 705
Vita Joannis Eleemosynarii. 713
Passio S. Demetrii martyris. 715
Acta S. Crispinæ virginis et martyris. 727
Translatio sermonis S. Theodori Studitæ de S. Bartholomæo apostolo. 729
Anastasii Epistolæ. 737
Prologus in passionem 1480 martyrum. 743

ERCHEMBERTUS CASSINENSIS MONACHUS.

Historia Longobardorum. 745

ANGILBERTUS CORBEIENSIS ABBAS.

Versus ad Ludovicum regem Francorum. 784

BERENGAUDUS.

Expositio super visiones Apocalypsis. 785

STEPHANUS PAPA V.

Epistolæ et privilegia. 786

FORMOSUS PAPA.

Epistolæ et privilegia. 837

STEPHANUS PAPA VI.

Epistolæ et privilegia. 855

ROMANUS PAPA.

Epistola ad Riculfum. 859

S. TUTILO SANGALLENSIS MONACHUS.

Carmina. 863

GRIMLAICUS PRESBYTER.

Regula solitariorum. *Ibid.*

WOLFARDUS PRESBYTER HASENRIETANUS.

Vita sanctæ Walpurgis. 865
Præfationes in libros suos XII de Actis Sanctorum. 894

ANAMODUS ECCLESIÆ RATISPONENSIS SUBDIACONUS.

Traditiones Emmerammenses. 899

APPENDIX AD SÆCULUM IX 968

1.804
M2M

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

ANASTASII OPERUM CONTINUATIO.

SANCTA

Synodus octava generalis,

CONSTANTINOPOLITANA QUARTA,

Anastasio interprete,

(Apud Labbeum, Conciliorum Collect. tom. VIII, pag. 962.

PRÆFATIO ANASTASII IN SYNODUM OCTAVAM.

Domino sancto et coangelico Patri Patrum ADRIANO summo pontifici et universali papæ, ego famulus vester ANASTASIUS peccator abbas, et summæ vestræ apostolicæ sedis bibliothecarius.

Quia superna providentia, quæ singula singulis ita distinguit temporibus, ut sanctos suos veluti splendentia quædam astra non pariter, sed vicibus discretis ad illuminationem Ecclesiæ suæ proferat, apostolatum vestrum nostris temporibus quasi quoddam fulgidum sidus produxit, cujus tempore atque auctoritate sancta universalis et magna synodus octava celebraretur, et sacra doctrina cœlum sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, tenebris errorum depulsis, jubar veri luminis illustratum perciperet : operæ pretium duxi, tam ad laudem auctoris quam ad æternam apostolatus vestri memoriam, scripturæ tradere, vestræque dominationi breviter intimare, quæ fuerit ejusdem sanctæ synodi materia celebrandæ, vel quod apostolicæ sedis super hæc disponendi studium vel auctoritas; quid etiam ab illa vel tractatum vel fuerit definitum. Quamobrem quoque vel octava, vel dicatur universalis, quis etiam interpretatus illam exstiterit, et ne ipsi synodo præsumptio cujusque quæ in ea definita non sunt, processu temporis addat, sollicitos reddere ac intentos lectores. Quæ videlicet notans, non quasi inscio apostolatu vestro scribendo refero, sed tanquam horum conscio et teste, historica expositione ad memoriam vestram reduco.

Tempore itaque Michaelis et Theodoræ matris ejus imperatorum, abdicato Iconomacho Joanne, electus et consecratus est patriarcha Constantinopoleos Ignatius, qui Michaele quondam imperatore, cujus filius erat, imperium sponte religionis amore dimittente, eunuchus invidia factus est; deinde monastica vita electa, in cœnobio a primæva ætate miris eluxit morum et virtutum splendoribus, ac per id diuturnis exercitiis eruditus, et in omni scientia et opere bono probatus jam senex, cunctorum unanimitate ad summi sacerdotii petitus et promotus est apicem. Sane restiterunt hujus provectioni quidam perpauci episcopi, inter quos erat Syracusanus Gregorius, eo quod eos propter diffamata et publicata nonnulla crimina in sacerdotio vitæ, ante refricationem in eos illati judicii se non posse recipere, canonica sit ac miti ratione profatus; propter quæ, quia illa satisfactione non abluerunt, merito postmodum ab eo et synodo abdicati sunt. Favebat autem his quidam senator sæcularis administrationis fungens officio, a secretis, nomine Photius, qui ad patriarchale conscendere fastigium affectans, cum eis seorsum colligebat, et fideles quosque a sanctæ communionis participatione avertens, divinis interesse mysteriis, dum a patriarcha Ignatio celebrarentur, penitus recusabat : nihil habens in causa pietatis, unde pontificem proprium reprehenderet, nisi quod suspicabatur eum vitam decessoris sui, id est sanctæ memoriæ patriarchæ accusare Methodii, cum ille non solum hunc in nullo penitus accusaret, verum etiam miris laudibus semper efferret, quin potius memoriam illius inter sanctos patriarchas, dum divina mysteria gererentur, faceret, et diem anniversarium solemniter et imprætermisse super ejus nomine celebraret. Quamvis hoc ipsum idem Photius sicut cætera illius gesta sinistre interpretans, callide facere suis auditoribus prædicaret, alia inquiens eum in corde tenere, alia in opere demonstrare.

Cum igitur Photius sociatus schismaticis, quorum auctor præfatus erat Syracusanus Gregorius, persuaderet cunctis, qui quasi pio circa Methodium

(habentes quidem zelum justitiæ, sed non secundum scientiam) affectu flagrabant, quod patriarcha Ignatius derogator esset ejusdem sanctæ memoriæ Methodii, et ideirco quasi parricida foret habendus, fama crebrescit : Bardam scholarem domesticum, et Theodoræ imperatricis germanum, incesto nurum propriam usu fœdare, quem patriarcha criminis redarguit, interminatus excommunicandum, nisi a tanto flagitio cessavisset; cujus redargutionis modum ille non ferens, prænotatis schismaticis ac depositis jungitur, et versutum in patriarcham sarcinat argumentum. Persuasit enim imperatori Michaeli, ut matrem et Theclam sororem suam, quæ et ipsa cum matre ac fratre imperii fuerat sceptra sortita, tondere patriarchæ præciperet, et in monasterio collocaret. Quod cum patriarcha renueret, pro eo quod utraque imperatrix hanc interim non eligeret sponte professionem, maxime quia his secundum morem sicut cæteris imperatoribus et imperatricibus juraverat non se ullo in tempore insidiaturum, Bardas protinus ad imperatorem juvenem : Heus, inquit, imperator, saltem nunc non advertis Ignatium tuæ spirare neci, et matrem imperii alii gestire, futuro scilicet imperatori, sociare marito. Hæc miserrimus egit, nec propriæ germanæ, imperatrici videlicet parcens, ut et in patriarcham ulciscerctur, et utraque imperatrice, id est matre ac filia, imperio pulsa, ipse vel vivi fieret imperatoris socius, vel eo a se facilius interempto, jam subrogaretur successor. Tunc imperator, aure tanti præstigii credulus et iratus, matrem cum sororibus tonsam palatio pepulit, et Ignatium schismaticorum ac Bardæ suggestione, a regimine patriarchatus abegit, subrogatusque est pro eo præfati Bardæ favore Photius, de quo supra relatum est, prohibentibus sacris canonibus et venerandis legibus neminem ex laicali militia subito ad sacerdotium promoveri. Ignatius vero dum pelleretur, ecclesiam ligavit, ne quisquam absque se in ea sacra celebrare tentaret officia. Quo audito, Bardas adeo eum in insula, in qua erat relegatus, diversis tormentis affecit, ut dentes illius fregerit, et continuis lacerarit colaphis, usquequo se refutare regimen suæ profiteretur Ecclesiæ, qua videlicet jam præjudicialiter fuerat exspoliatus, et ante omnem discussionem penitus denudatus.

His ergo compertis, cœperunt nonnulli metropolitani antistites, ac inferioris sacerdotii vel laici, pontificis sui tormentis compatientes, dejectionemque dolentes, rectorem sibi proprium reddi magnopere clamitare : quod Photius sentiens, persuaso imperatore, subministrante Barda, congregavit concilium quorumdam episcoporum, adulatione sibi vel timore faventium, et eumdem Ignatium deposuit et anathemate perculit, populum ab eo per hoc tanquam a damnato scindere sperans, cui tamen usque ad hoc veluti presbytero divina sacrificia conficiendi præstabat assensum. Quo gesto magis ac magis pietas fidelium accenditur, et eo constantius ab universis ovibus proprius pastor exquiritur, quo versutius lupi crudelitas furit. Præterea Photius in hac parte se frustratum intuens, ad sedem apostolicam mittit, cui magnus tunc decessor vester præsidebat papa Nicolaus; quatenus illa, sicut ipse sperabat, approbante vel decernente, mox omnium ora resistentium obstructa silerent, et aditus sibi progrediendi qua vellet omnes omnino patescerent; ignorans stolidus, quod apud beatum Job de Deo legitur : *Qui si inclauserit hominem, nemo est qui aperiat* (*Job* xii). Cujus legationem præfatus summus pontifex suscipiens et pertractans, licet hucusque versutiarum ejus atque gestorum ignarus, pene cuncta quæ ab eo acta fuerant, sagaci deprehendit acumine : et non Ignatium, ut Photius postulaverat, sed potius ipsum Photium repulit, verum tramitem justitiæ sequens, misit Constantinopolim missos, Radoaldum scilicet Portuensem et Zachariam Anagninum episcopos, atque litteras, quarum tenorem qui legerit, facilius nosse poterit : in quibus, quia et de venerandis iconibus quæstio erat, nonnulla etiam super his conscripta reperiuntur. Pervenientibus igitur missis apostolicæ sedis Constantinopolim, et concilio congregato, Græci epistolas suscipientes, quidquid in eis erat pro Ignatio vel contra Photium inverterunt, subtraxerunt, et in consilio legi minime pertulerunt : missis Romanis quid legerent, quidve non legerent, nullatenus intelligentibus, vel etiam advertentibus, quin potius præ vi ac timore jam jamque deficientibus. Quid plura? Ignatius in medium trahitur, coram missis apostolicæ sedis jam senio fessus statuitur, et denuo damnationi submittitur, quin et sacerdotalibus infulis exspoliatur, quasi validior fieret depositio, ubi sedis apostolicæ per vicarios suos auctoritas adfuisset, cum in his nec illius interfuerit auctoritas, nec missi illi vicariorum more, ut epistolæ dant intelligi, fuerint destinati. Quod sedes apostolica dicens, tantam injustitiam impune deseri minime passa est, sed scribit a tali præsumptione cessandum, suoque decreto Photium non obedientem cum complicibus sacra dignitate nudat, et cum omnibus fautoribus anathema fore decernit, jam dictis missis suis primitus sententiam secundum exempla reverendæ memoriæ Felicis papæ in Vitalem et Misenum episcopos similiter excedentes synodaliter inferens, et quam sibi fratris dejectio esset gravis, etiam filiis suis non parcens, palam cunctis dedit intelligi. Cujus censuræ Photio minime parente, sacratus fidelium catalogus magis inflammatur, et ab ejus se communione catervatim sequestrat, horrescens quod nec a tanta sede perculsus corrigi consenserit, quippe cum durior silice, etiam verbera dura impudenti fronte contempserit, quod Photius molestissime ferens acriter indignatur : et licet Bardas, Cæsar postmodum factus, cujus auxilio fulciebatur, digna retributione ab imperatore Michaele fuerit interfectus, nihil tamen sævitiæ suæ minuit; sed alios quidem privatione honorum ac dignitatum, alios vero proscriptione facultatum damnat, hos exsilio longo et

carceribus relegat, illos tormentis diversis affi-
cit; atque ut breviter omnia comprehendantur,
nulla professio, sexus vel ætas ab eo impu-
nita deseritur, nisi consors suæ communionis
inventa : adeo ut communionem ejus declinantium
nonnullos, quibusdam exceptis, qui contempla-
tioni operam dantes, clausi habebantur, abstraxe-
rit; alios vero in monte Olympo eremiticam vitam
ducentes fugaverit, eorumque tuguria seu speluncas
igni perdiderit; quemdam autem sibi communicare
renuentem etiam vivum ex inferiori parte usque ad
dimidium corporis sepelierit : et (quod horribilius
est) conciliabulum, præsidente Michaele imperatore,
colligit, falsos homines quasi vicarios Orientalium
sedium format, accusatores muneribus armat et
mendaciis construit, testes eos asciscit, quos et
accusatores opponit. Judices nonnunquam et in ac-
cusati personam admittit, excessus quosdam quasi
præfati summi pontificis fingit, impingit, et sicut
putabat, damnatione simul et anathemate punit :
cunctis qui aderant, exceptis perpancis, et his fau-
toribus impietatis, clamantibus non esse justum, in
summum et primum pontificem, et præcipue ab in-
feriori quomodolibet sententiam proferendi; cum id
nec canon quisquam admittat, nec aliqua Ecclesiæ
consuetudo fieri doceat. Verum iste falsarius falso-
rum excessuum adversus insontem absentem et in-
victum, mendacem codicem compilat, mille circiter
antistitum subscriptiones falsas interserit, sibi ne-
mine prorsus consentiente vel conscribente ex illa
numerosa episcoporum multitudine, nisi uno et vi-
ginti præsulibus. Unde jam profusius sancti habitus
viri eum fugiunt, et quasi squalorem quemdam de-
clinant, alterum Dioscorum hunc appellantes, et
præcursorem Antichristi, imo ipsum Antichristum
existimantes, quem scilicet hominem peccati filiumque
perditionis Apostolus appellasset, qui profecto
extolleretur supra omne quod dicitur Deus aut quod
colitur (*II Thess.* II). Cæterum construit et aliam
technam hic perversorum dogmatum cultor, et per-
suadet imperatori præcipere neminem testamentum
facere, vel per alterius, nisi per Photii manus suas
eleemosynas erogare : quod non ob aliud adinvenit
inventor malorum, nisi ut cum acciperet et erogaret
substantias divitum, proprias a minus curiosis ero-
gasse putaretur, ac per hoc a cunctis quasi dapsilis
et munificus amaretur; simul etiam ut saltem per
hoc omnes ei coacti communicarent, quandoquidem
conspicerent, nec ipsa se animarum suarum reme-
dia posse, nisi per manus ejus saltem in ipso mortis
articulo positos operari. Præterea et aliud iniquitatis
suæ retiaculum, quo mentes simplicium caperet,
texens, quotquot ad exteriorem ab eo disciplinam
instruendi veniebant, proprio scripto spondere coge-
bat se secundum fidem Photii de cætero credituros;
quasi duæ fides essent, una scilicet Christi, et altera
Photii : et hoc nihilominus callide molitus, ut com-
munionis suæ quoscunque vel quomodocunque la-
queis irretiret; et esset impossibile se unquam evelli,
quem nimirum constaret tot fixis hærere radicibus,
dum his nec aliam fidem, nisi quam ipse teneret,
habere quoquo modo licuisset : quod maximum
scandalum mortalibus excitavit, dicentibus : Itane,
si Photius hæresiarcha fuerit, debent filii nostri aut
fidei catholicæ desertores esse, aut juramenti vel sui
chirographi transgressores? erant enim inter eos non-
nulli clarissimis natalibus oriundi : nam et ante annos
aliquot idem Photius duarum unumquemque hominem
animarum consistere prædicabat. Qui cum a Constan-
tino philosopho magnæ sanctitatis viro, fortissimo
ejus amico, increpatus fuisset dicente : Cur tantum
errorem in populum spargens, tot animas interfecisti?
respondit : Non studio quemquam lædendi, talia,
inquit, dicta proposui, sed probandi quid patriarcha
Ignatius ageret, si suo tempore quælibet hæresis
per syllogismos philosophorum exorta patesceret,
qui scilicet viros exterioris sapientiæ repulisset :
verum ignoravi me sub hujus fomite propositionis
tot animas fore læsurum. Ad quod ille : O sapientia
mundi quæ infatuatur et destruitur! Jactasti sagit-
tas in multitudinem copiosæ turbæ, et ignorasti
quemlibet ex his omnibus vulnerandum. Certe om-
nibus liquet, quia sicut oculi, quantumlibet sint ma-
gni et aperti, si fumus palearum interjacuerit, vide-
re ultra non possunt; ita oculi sapientiæ tuæ, quan-
tumlibet sint magni et patuli, avaritiæ tamen et
invidiæ fumo penitus obcæcati, tramitem justitiæ
videre non possunt; ac per id verum est quod dicis,
neminem ictu tuo potasse esse lædendum, cum sic
obcæcatum sensum prædictis adversum partriar-
cham passionibus habens, nec quid emiseris præ-
vidisti.

Interea occiditur Michael, remanet singularis in
imperio Basilius. Unde et nuncupatur ab omnibus
monocrator. Incipit inquirere et investigare quod-
nam fuerit sedis apostolicæ judicium vel decretum
tam super Iconomachis, qui sensim contra sacras
imagines garrire rediviva præsumptione videbantur,
quam super Ignatio vel Photio promulgatum. Qui
cum ei responsum esset apostolicam sedem ab un-
decima indictione, sicut ab olim in throno Con-
stantinopolitano Ignatium stabiliisse, Photium vero
nullius clericalis ordinis dignum aliquo modo
censuisse, atque super his innotescendis diversa
scripta Constantinopolim, ac per omnes orbis terra-
rum terminos direxisse; protinus eadem scripta
curioso satis intentu requirit, et inventa ubi a Photio
profundius obruta consistebant, præ oculis veluti
specula ponit, et horum lectione magistra, quæ ab
eadem summa sede decreta fuerant, celeri consum-
mat effectu : id est, et Photio sacro ministerio post
depositionem irregulariter abutenti, throno Con-
stantinopolitano cedere persuadet, et Ignatium
hunc recipere adhortatur. Verum quia et Ignatius
thronum quo præjudicialiter fuerat expulsus, abs-
que iterata potioris sedis, id est, primæ auctoritate
non recipere proposuerat, et imperator tantum
(proh nefas!) et ubique dispersum a Christi Eccle-

sia generali satagebat eradicare sententia, visum est utrique, Romam, et ad tria patriarchia fore mittendum Orientis, et a Roma quidem decreta dispensatoria, et sicut erant culparum causarumque discretiones, ita et pœnarum qualitates judicandarum, necnon et personas vice fungentes apostolica postulandum; a thronis autem Orientalibus consensus nihilominus et personas ducendum. Sane notandum, quod cæteri throni nil, inter Agarenos positi, super hoc negotio sumpsere laboris; sed post Constantinopolim venientes, quod a sede apostolica fuerat elaboratum atque decretum, reverenter admittunt, et præconiis miris attollunt, atque huic addendum minuendumve nil omnino decernunt. Mittitur itaque Romam a parte quidem Ignatii, Joannes metropolita Silei., qui et Perges Pamphyliæ præerat Ecclesiæ; a parte vero Photii Petrus metropolita Sardensis, qui contra Ignatium cum jam memorato Gregorio auctor factus fuerat ecclesiasticæ scissionis: porro a principe destinatur regius spatharius, Basilius nomine, qui inter utramque partem coram sede apostolica medius haberetur, et fidelis eorum quæ sedes eadem decrevisset auditor et nuntius: sed Petrus quidem, licet nova navi, et quam ipse sibi elegerat, veheretur, naufragium simul et mortis periculum pertulit; et qui navim Christi, hoc est, Ecclesiam sciderat, navis suæ scissionem non inconvenienter incurrit. Cæteri sane legati Romam pervenientes, epistolas et profanum codicem, in quo continebantur gesta conciliabuli, quæ Photius adversus apostolicæ memoriæ papam Nicolaum falso fuerat commentatus; atque omnia quæ crebro memorato eximio præsuli destinata fuerant, quia ille ad meliorem vitam migraverat, tibi præclaro successori ejus, domine junior Adriane, præsul eximie sedis apostolicæ, gubernacula egregie moderanti præsentant. Qui accingens sicut vir lumbos tuos, et Danielis pueri spiritum [*al.*, et decessoris pii, zeli spiritum, etc.] sumens, et nec ad dexteram, nec ad sinistram a via regia declinans, quæ ille decreverat decrevisti, et quæ statuerat statuisti, atque omne providi patris edictum pius hæres exsecutus, injurias propriæ sedis protinus vindicasti. Nam synodo mox apud beatum Petrum collecta, profanum codicem illum cremari censuisti, et ita fieri apud Constantinopolim, si quæ exemplaria ejus ibidem invenirentur, jure mandasti; quod et factum est, et auctorem ejus pro tanta temeritate denuo damnans, hujus paria occultantes censura simili sequestrasti. Missisque cum auctoritate apostolica vicariis et epistolis decretalibus, jussisti fieri Constantinopoli synodum, pro multis quidem necessitatibus Ecclesiæ, sed pro his præcipue quæ hucusque breviter adnotata sunt, quæque in hujus synodi gestis inveniuntur, in qua scilicet Photius ob id etiam specialiter condemnatur, quoniam depositionem vel anathema præsumpsit in sanctæ memoriæ papam Nicolaum nominare. Facta est igitur hæc sacrosancta synodus anno imperii Basilii pii principis tertio, quæ universos patriarchales thronos, sicut aliarum ulla in eorum loci servantibus præsules habens, universalis non inconvenienter ab omnibus appellatur. Universalis est enim: primo quia catholica fides in ea et sanctæ leges, quæ non solum a sacerdotibus, sed et ab universis Christianis coli debent et venerari, contra hostes earum consona voce defenditur; deinde, quia cum Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, tot patriarchales sedes, quot in cujusque mortali corpore sensus locaverit, profecto nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ sedes unius fuerint voluntatis, sicut nihil deest mortui corporis, si omnes quinque sensus integræ communisque fuerint sanitatis. Inter quas videlicet sedes quia Romana præcellit, non immerito visui comparatur: qui profecto cunctis sensibus præeminet, acutior illis existens, et communionem, sicut nullus eorum, cum omnibus habens. Tertio, quia cum Photius tot excessuum suorum morbo universam Ecclesiam maculaverit, universalis curatio adhibita est, ut totum curaretur quod totum fuerat maculatum. Nam tantum hujus ambitionis pullulavit longe lateque temeritas, ut mox Hierosolymis quidam laicus nomine Salomon, extemplo clericus factus, sit ordinatus antistes; quod nunquam factum est etiam ab ipso Jacobo, qui primus illic episcopus exstitit nisi postquam Photius noviter in clero plantatus, et confestim præsul factus auditus est. Apud Constantinopolim autem nonnulli ex tunc laici etiam virtutibus operam tribuebant, tantum ut ad hanc sacram possent pertingere dignitatem: at ubi compotes fieri nequiverint, mox continentiæ frenis laxatis, in suis voluptatibus [*al.*, voluntatibus.] ire cœperunt, et quod non sanctitatis, sed avaritiæ cultores existerent, protinus ostenderunt; adeo ut diversis modis a Romanis missis horum quidam obtinere tentaverint, ne regula promulgaretur, quæ tunc de non repente sæcularibus in sacerdotium provehendis in hac eadem synodo promulgata est. Præterea penes Alexandriam et Antiochiam in tantum radix hujus pestis excrevit, ut a tempore promotionis crebro dicti Photii hactenus evelli non possit. Nec fatendum creditur, quod tunc universalis jure diceretur, si pro fide celebrata consisteret, cum et in hac nonnulla quæ ad fidem pertinent, sint definita, et in cæteris universalibus conciliis multa disposita inveniantur quæ ad fidei doctrinam non pertinent, quod non minus in fide quam in legis prævaricatione peccent ex concilio Constantinopolitano acta[a]; quamvis non minus in sanctas regulas quam in catholicam fidem delinquatur, et diabolus non pro fidei pravitate, sed ob perversitatem operum perpetuo maneat condemnatus. Nam sicut unicuique sine fide impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI), ita et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa (*Jac.* II); ac per hoc hujusmodi fidei cultores,

[a] Aliquid videtur deesse.

sicut scriptum est, confitentur quidem se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* 1); et ideo sicut rectæ fidei sinceritatem maculantes, ita sanctæ regulam justitiæ violantes, ab omnium sunt unanimitatis æquo libramine corrigendi, vel certe justa sententia puniendi : sicut e contrà non solum rectæ fidei, verum etiam sancti operis strenui custodes ab omnibus sunt laudandi, et digna præmiorum cœlestium sorte ditandi.

Porro proprium nomen hujus rite quærimus synodi. Nam si hydræ ac hippocentaurorum, qui non sunt, utique nomina dicuntur, quanto congruentius hujus synodi nomen sciri debet, quæ utique est, ne videlicet nomine carens, comparetur rebus in maris profundo positis, quæ quidem sunt; sed quia ad notitiam hominum non pervenerunt, hactenus nomine carent. Itaque si synodus tantum dicatur, non proprie dicitur : habet enim hoc nomen commune cum aliis numerosis conciliis, si synodus universalis appelletur. Nec sic de hac quod singulariter possidet prædicabitur, nam hoc nomine cum generalibus septem synodis utitur. Porro si synodus Constantinopolitana dicatur, non dicetur proprie; sunt enim et aliæ Constantinopolitanæ synodi. Jam vero si synodus universalis Constantinopolitana et octava vocetur, nec sic definitive nomen ejus prædicabitur; non enim est octava, sed quarta synodus earum quæ Constantinopoli universaliter celebratæ sunt. Nuncupanda est ergo sine omni contradictione synodus universalis octava, ut et appellatio quam cum septem aliis conciliis sortita est, non celetur, et nomen proprium, quod singulariter possidet, designetur.

Igitur cum hæc celebraretur venerabilis synodus, accidit me famulum vestrum missum a Ludovico piissimo imperatore cum duobus aliis viris insignibus interesse, ferentem etiam legationem ab apostolicis meritis, decorato præsulatu vestro, causa nuptialis commercii, quod efficiendum ex filio imperatoris Basilii, et genita præfati Dei cultoris Augusti, ab utraque parte sperabatur simul et parabatur. In tam enim pio negotio, et quod ad utriusque imperii unitatem, imo totius Christi Ecclesiæ libertatem pertinere procul dubio credebatur, præcipue summi pontificii vestri quærebatur assensus. Dei ergo nutu actum est ut tanti negotii cum loci servatoribus apostolicæ sedis et ipse fine gauderem, et veniens fructuum in exsultatione portarem manipulos, qui per septennium ferme pro eo indefesse laboraveram, et per totum orbem verborum semina sedulo scribendo disperseram.

Nam pene omnia quæ ad præsens negotium pertinent, quæque a sede apostolica Latino sermone prolata sunt, sive quæ in hujus synodi codice, sive quæ in aliis voluminibus continentur, ego summis pontificibus obsecundans, decessori scilicet vestro ac vobis exposui, et postmodum Constantinopoli pro prædicta causa repertus, non pauca in his vestris loci servatoribus, ut ipsi quoque testantur, solatia præstiti, qui etiam diversos hominum eventus considerans, gesta hujus synodi, quæ apostolicæ sedis loci servatores in uno volumine secum portaturi conscripserant, in altero codice transcripta Romam usque deferre proposui. Unde factum est ut eisdem loci servatoribus in prædones incidentibus, et codicem ipsum cum omnibus supellectilibus suis amittentibus, ego codicem quem detuleram Romam, vexisse dignoscerer, quem sanctitas vestra grato suscipiens animo, mihi ad transferendum in Latinam tradidit dictionem ad quod opus ego idoneum esse me denegavi, licet in interpretandis ex archivo in Romanum sermonem scripturis præsenti tempore quoddam conamen arripere nitar, et nonnulla jam ad ædificationem plurimorum, et præcipue vestri decessoris hortatu interpretatus edidisse dignoscar. Verum vicit jussio tanti pontificis, dum non deest obedientia prompti ministri. Interpretans igitur hanc sanctam synodum, verbum e verbo, quantum idioma Latinum permisit, excerpsi; nonnunquam vero manente sensu, constructionem Græcam in Latinam necessario commutavi. Rara præterea interpreti doctiori enucleanda servavi; quædam etiam sicut mihi nota erant, nimirum qui tam Romæ quam Byzantii positus, in cunctis his sollicite laboravi, scholiis in marginibus codicis exaratis adnotavi, vel etiam, sicut mihi visum est, explanavi. Sane et hoc notandum quia quædam scripturarum, quæ super his a sede apostolica Constantinopolim missæ sunt, deficientibus urbis ejusdem interpretibus, non ex toto recte translata in Græcitatem inveni; quorum ipse nonnulla, et quantum angustia illic morandi permisit temporis, emendavi; partim vero ut reperi hactenus incorrecta reliqui.

Ad extremum plane monendum est, et pro futurorum cautela temporum arctius memoriæ commendandum, ne forte procedente tempore in Græcis codicibus reperiatur huic sanctæ synodo quidquam a Constantinopolitana suatim additum vel mutatum, nihil minus vel amplius in eadem synodo definitum fuisse, nisi quæ in Græco ejusdem synodi actionum codice in Romana Ecclesia scripta reperiuntur, et in Latinitatem fideli satis stylo translata, in archivo ejusdem Ecclesiæ recondita comprobantur, quæque omnium patriarchalium sedium loci servatorum, et ipsorum quoque imperatorum atque cunctorum antistitum subscriptionibus roborata, et nunc usque signata consistunt. Sane epistolæ tam synodi quam patriarchæ et imperatorum ad Romanum pontificem missæ, quæ in codicis actionum ipsius synodi calce habentur insertæ, reverenti sunt cultu recipiendæ. Nam a totius synodi consensu, dum adhuc ageretur, decretæ sunt et expositæ. Cur autem ista præmiserim, breviter adnotabo. Siquidem cum rex Vulgarorum cum propria gente Christi fidem suscepisset per hominem Romanum, id est, quemdam presbyterum Paulum nomine, documentum atque mysterium propositum habuit a sede apostolica, non modo fidei regulam, sed et sanctæ legis sumere disciplinam : quod et fecit, non solum a præfato pre-

sbytero, verum etiam per divinam revelationem instructus; quæ sic temporum qualitatem discrevit, ut postrema in priorem reformaret statum et ordinem. Nam tota Dardania, Thessalia, Dacia, et utraque Epirus, atque cæteræ regiones juxta Istrum fluvium sitæ, apostolicæ sedis vestræ moderamine antiquitus præcipue regebantur et disponebantur. Sed postquam imperatores Romanorum, qui nunc Græcorum appellantur, variorum fautores vel incentores effecti errorum, sanctam Christi Ecclesiam diversis hæresibus scindere minime formidaverunt, scidit Deus imperium eorum, et in Occiduis partibus paulatim regnare, superno decernente judicio, cessaverunt, donec Romanos pontifices suis pravitatibus incurvare conantes, nec valentes, ac per hoc multiplicibus pœnis afficientes, Hesperiæ potestatem jam prorsus amitterent, Occidentis etiam amisso imperio, nihilominus Romanis pontificibus, quia jam jubere nequeunt, suadere nituntur; suis læsis favorem sensibus accommodandum. Sed quia isti cum Petro super petram veræ confessionis stantes, pestiferam suggestionem audire possunt, obaudire non possunt, mox illi quoniam aliter eos lædere nequeunt, patrios et antiquos terminos transferunt, privilegia sedis apostolicæ corrumpunt, et pene omnia jura disponendarum diœceseon auferunt, atque suis hæc fautoribus consentaneis et sectatoribus conferunt; cum quibus etiam jus, quod sedes apostolica super prædictas regiones habuit, quia juxta se sitæ videbantur, usurpant, et Constantinopolitanæ diœcesi nequiter applicant; cum beatus papa videatur dicere Innocentius ad Alexandrum Antiochenum inter alia scribens: Non ergo visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum, Dei Ecclesiam commutari, honores aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit imperator; sed his nec ipsi diu fruuntur, siquidem jam memorata Vulgarorum gens protinus irruit, et universa circa Danubium occupat: sicque Græci principes, quod sedi subripiunt apostolicæ, in duplum quodammodo et secundum legem resarcinant: nam cum jure diœceseos usurpatæ etiam sua, id est imperii proprii partem potestatis amittunt. Verum tandem aliquando volens omnipotens Deus, qui olim filios Israel etiam post triginta et quadringentos annos ab affligentium pressuris eripuit, salubremque doctrinam edocuit, has etiam regiones cum populo suo ad rectum fidei tramitem æquamque justitiæ normam perducere, inspiravit jam memorato principi Vulgarorum, per merita Petri, cujus in arcto situs interventionem sibi apud Deum adesse precatus est, sicque de numerosis cuneis hostium triumphavit, mittere Romam, et a sede apostolica fidei et sanæ traditionis postulare doctrinas; quod pius princeps non segnis exsecutor effecit, et mittens ad apostolicam sedem cui decessor vester tunc papa egregiæ sanctitatis præsidebat Nicolaus, et non solum dogmata orthodoxæ fidei, verum etiam sanctæ vitæ disciplinam ab ea, quin et ad utrumque idoneos institutores expetiit, et accepit, Paulum scilicet Populoniensem et Formosum Portuensem, sanctæ conversationis antistites. Qui ad principem pervenientes, totamque jam memoratorum Vulgarorum patriam, cujus supra partes commemoravimus, peragrantes, terram cordium linguæ vomere præscindendo, et Christum, exstirpatis errorum vepribus, in hominum mente plantando, fluentisque sacri baptismi rigando, atque impositione manuum suarum super capita fidelium, et Deo dicata templa vel altaria incrementum perfectionis per sanctum Spiritum invocando, dum apostolicus ille pontifex, et ut ita dicatur, cœlestis homo et terrestris angelus superstes habitus est, minime cessaverunt. Ad cujus imitationem eadem agi strenue, tu successor ejus almæ ac summæ magnitudinis præsul, medullitus anhelasti, et in his consummandis satagere non cessasti. In tantum autem pietas creverat principis, et abundabat circa beatum Petrum venerationis affectu, ut quadam die manu propria capillos suos apprehenderet, et contemplantibus cunctis, se Romanis missis tradiderit dicens: Omnes primates et cuncti populi Vulgarorum terræ cognoscant, ab hodierno die me servum fore post Deum beati Petri et ejus vicarii.

Quæ Græci de die in diem audientes invident, et tantæ gloriæ avidi, ut eum possit a Romana sede avertere, diversa requirunt ingenia, munera post munera numerosa mittentes, et sophistica ei argumenta creberrime proponentes. At ille ut columna mansit immobilis, donec eorumdem Græcorum fraude deciperetur, scribentium ei, atque dicentium: quod de patria illa utrum Romano an Constantinopolitano pontifici subdi debeat, inter vicarios Romanos, patriarchamque Ignatium Constantinopoli disceptatio fuisset canonice ventilata; et conjunctis Romanis Orientis sedium loci servatores judicaverint Vulgarorum diœcesim urbi fore subjiciendam, cui ante Vulgarorum adventum subdebatur: cum alia sit in mundanis negotiis, alia in ecclesiasticis dispositio juris; et quamvis regio illa Græcis fuerit antea subdita, nullum tamen in ea sibi jus vindicare legitime potuerunt, quam armis olim amissam per tot tempora bellando recipere non valuerant: quamvis et priusquam Græcis fuerit subdita, Romani hanc possedisse patescant, nec illam Græci, ut supra monstratum est, tenuisse memorentur, nisi dum sceptris Romanicis potirentur. Quanquam etsi huic Græci principes regioni, quantum ad rempublicam attinet, dominati sint, non tamen præjudicare possunt Dei Ecclesiæ juri, quæ quantumlibet illi cum diversis nationibus conflictantes, sive victi, sive victores exstiterint, non novit nisi charitatem et pacem. Unde quidam magistrorum ejus exclamat: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei* (*I Cor.* XI); licet hoc ipsum an loci servatores Orientis decreverint, nullis certis probetur indiciis. Quamvis enim Romani loci servatores et Vulgarorum missi cum imperatore, seu patriarcha, necnon et Orientis loci servatoribus con-

venissent, his tamen omnibus in uno conclavi A positis, nulli deforis venienti patebat aditus, nisi cui vel imperator vel patriarcha forsitan permisisset. Unde factum est ut quidquid Romani assererent, nec Orientis loci servatores, nec Vulgares missi intelligerent : et rursus quidquid Orientales dicerent, nec Romani loci servatores, nec Vulgarorum missi cognoscerent. Dum videlicet nullus adesset, nisi unus imperatoris interpres, qui nec Romanorum, nec Orientalium loci servatorum voces aliter audebat edere, nisi ut jam imperator ad subversionem Vulgarorum imperarat; excepto quod datum est missis Vulgarorum quoddam scriptum Græcis verbis et litteris exaratum, continens quasi loci servatores Orientis inter loci servatores Romanos et patriarcham Ignatium arbitros [*f.* arbitri] existentes, judi- B caverint, Vulgarorum patriam quæ in Illyrico constituta est, diœcesi Constantinopolitanæ subjiciendam, cum ab olim in utraque Epiro, Dardania, Dacia, Thessalia et cæteris in Illyrico sitis provinciis semper sedis apostolicæ dispositio facta clareat, sicut diversæ pontificum Romanorum a Damaso papa per easdem provincias missæ testantur epistolæ, et has Græcorum principes sola vi, faventibus sibi Constantinopolitanis præsulibus, causa duntaxat quam superius adnotavimus, exhortans, ab apostolica sede subegerunt. Super quibus recipiendis ideo apostolica sedes nullam reperitur fecisse querelam, quoniam mox has, ut prædictum est, sæpe memorata Vulgarorum natio adit, et sibi jure potestatis omnia vindicat. At ubi religio redit, confestim C et diœceseos fas sedi propriæ reformatur. Hæc cum Romani, et his similia, loci servatores summatim Græcorum locutiones advertentes, assererent, etiam hoc persecuti sunt, dicentes : Omnibus liquet, neque nos, neque loci servatores Orientalium sedium causa vindicandarum quarumlibet diœceseon veniendi Constantinopolim invitatos, sed controversiam, pro qua disponenda et definienda, vel a piis imperatoribus expetiti, vel a præsulibus nostris destinati sumus, Deo auctore, sane dissolvimus, et propria singuli subscriptione signavimus : super diœcesi autem Illyrici, quam sedes apostolica jure prisco et impræsentiarum sibi a possessoribus ejus reddito nunc quieta retentione possidet et regulariter utitur, eadem principalis sedes neque pulsata D est, neque ut pro ea mitteret, altercandum ullo modo provocata; sed neque nos personas advocatorum vel assertorum ejus assumimus, neque quid illa si adesset, responderet objectis, agnoscimus; quippe qui nihil hinc ab ea in mandatis accepimus, ac per hoc disceptare non jussi quidquam non possumus; verum nec loci servatores Orientis judicium se personas assumpturos in controversiis, in quibus ab utraque non sunt parte judices appellati vel electi, conjicimus, præsertim cum Apostolus perhibeat : Mediator, inquiens, unius non est; et sacri canones non quorumcunque, sed electorum judicum sententiam minime spernendam edoceant, et quidam probabilium Patrum dicat : Justus mediator non est, qui sic unam partem audit, ut alteri parti nihil reservet. Hæc itaque diximus, intentos reddere studiosos curantes, ne forte processu temporis quidquam de subjicienda Constantinopolitanæ diœcesi Vulgarorum terra statutum vel definitum ab universali et octava putetur synodo, vel actionum illius codici a Græcis hinc aliquid adjici præsumatur. Nam familiaris est illis ista præsumptio, et singularis quodammodo ambitionis indicium : siquidem in secunda synodo contra statuta magnæ Nicænæ synodi, et sanctiorum decreta præsulum Romanorum, Alexandrinæ privilegia sedis Constantinopolitano contulere pontifici; et quædam penes illos reperiuntur capitula regularum, quæ illi quidem tertiæ dicunt existere synodi, cum apud Latinos nec in vetustissimis inveniantur editionibus. In quartæ quoque synodi quibusdam codicibus quoddam de privilegiis Constantinopoleos ostendunt capitulum, quod inter canones ejusdem synodi ab universa Ecclesia veneratos, nec Latinitas, nec alia lingua sub sole recipere comprobatur. Quodque licet ab Anatolio, et imperatore, vel fautoribus eorum, post omnia gesta synodi et prolatos canones in absentia Romanorum loci servatorum clam depromptum exstiterit, mox tamen ibi ipsum ab eisdem loci servatoribus est repulsum, et a sede apostolica, quæ ut eadem synodus fieret sola decrevit, solaque jus habuit eos recipiendi quos synodica decreta protulerant, non solum non admisit, verum etiam continuo respuit; quodque Anatolius vel imperator, quia ut firmaretur a sede apostolica, cui tunc magnus præsidebat Leo, impetrare non potuit, in ejus positum potestate confessus est. Nihilominus et alia ostendunt regularum numerosa et præsumptuosa satis capitula, priscæ traditioni penes omnia valde contraria, quæ a sexta falso perhibent synodo promulgata; cum sexta synodus nullam protulerit præter fidei regulam : sed quas ejus asseverant regulas, longe post sextam synodum ab ipsis constat esse penes se privatimque depromptas. Porro in septimæ synodi codice, quia sæpe contra canones Constantinopoli ex neophytis antistites provehuntur, et eo tempore Tarasius ex laicis patriarcha fuerat ordinatus, ita epistolam beatæ recordationis papæ Adriani existimant transcribendam, ut nihil in ea ex his quæ ad prædictum præsulem vel contra neophytos idem pontifex sanctissimus scripserat, vel scriptum, vel translatum Græce reperiatur. Sic igitur Græci, accepta occasione celebratorum universalium conciliorum, frequenter egisse clarescunt, et nunc minuendo, nunc addendo vel mutando, nunc in absentia sociorum, nunc in abscondito angulorum, nunc extra synodum, nunc post synodum, astutia sua, imo fraude communibus sanctionibus abutuntur, et ad suos libitus cuncta quæ sibi visa fuerint, etiam violenter inflectunt. Itaque quidquid in Latino actionum octavæ synodi codice reperitur, ab omni est

fuco falsitatis extraneum; quidquid vero amplius sive de diœcesi Vulgarica, sive aliunde in Græco ejusdem synodi codice forsitan invenietur, totum est mendacii venenis infectum. Denique disceptatio, quam coram imperatore, vicariis et Vulgaribus, tantum super Vulgarum terra supra fuisse significavimus actam, post synodum consummatam, canonesque in viginti prolatos et septem tantum capitulis atque terminum fidei depromptum, et omnia hæc in quinque codicibus scripta sive compacta, et omnium subscriptionibus roborata, sed et ipsos codices plumbea bulla munitos, atque sigillatim loci servatoribus traditos, A patriarchalibus sedibus deferendos, effecta est. Ne ergo Græcorum suatim astutia, quin potius dolositas etiam circa præsentem synodum agat : hæc me admonendi causa dixisse sufficiat. Cæterum bene novi quod juxta Proverbiatorem, *Frustra jactatur rete ante oculos pennatorum* (*Prov.* 1). Unde quisquis sapientiæ ac prudentiæ pennis ad alta sustollitur, omnes insidiarum muscipulas, quæ a Græcis in infimis tendi poterunt, alto contemptionis saltu transcendet. Divinitas apostolatum vestrum per multos annos servare dignetur, domine beatissime papa.

---

[a] BREVIS COMPENDIOSUS

MONUMENTORUM

A sancta et universali synodo* VIII *per singulas ejus sacratissimas actiones facta pro catholico Ecclesia, id est, pro apostolicis et orthodoxis dogmatibus, et ipsius saluberrimo statu.

Prima quidem actio continet præfationem et B sessiones, synodi præceptionem, patriarchalium personarum ingressionem, male tractatorum episcoporum, hortatum Romanorum vicariorum, eos ad sedendum jubentem : epanagnosticum ab imperatore missum, assertionem vicariorum et principum, interrogationes Bahanis patricii et præpositi, et responsiones Romanorum vicariorum, epistolam Adriani papæ ad Basilium imperatorem, gratiarum actiones synodi post lectam epistolam, Theodosii patriarchæ Hierosolymorum epistolam ad Ignatium patriarcham, approbationes commendatitiarum epistolarum, libellum Romanum, interlocutionem præfati Bahanis, laudes libelli, definitionem Thomæ Antiocheni et Eliæ Hierosolymitani vicariorum capitulatim, secundum sta- C tuta papæ Nicolai factam approbationem definitionis, interrogationes senatus pro Photio, et responsiones vicariorum : harum approbationem, gratiarum actiones et laudes.

Secunda vero continentur actione sessio synodi, ingressio episcoporum qui ceciderant, libellus eorum, interlocutio vicariorum Romanorum pro libello Romano scribendo, lectio et scriptio ejusdem libelli, receptio episcoporum, ingressio presbyterorum, diaconorum, et subdiaconorum, cum libello pœnitentiæ, et horum scripti ab eis Romani libelli receptio : epitoma, eorum qui ceciderunt laus cum interpretationibus versuum.

Tertia autem actione habetur sessio synodi, suggestio Metrophanis et quorumdam coepiscoporum D ejus pro legendis epistolis imperatoris Basilii, et Ignatii patriarchæ, Romam missis, exactio vicariorum pro efficiendo Romano libello, aliqui episcopi, qui interim hoc agere renuerunt, sed postea perege runt : epistolæ imperatoris prædicti et Ignatii patriarchæ ad Nicolaum papam, epistola Adriani papæ ad Ignatium patriarcham per Donatum et Stephanum episcopos, et Marinum diaconum; gratiarum actiones et laudes et versus.

Quarta præterea refertur actione sessio synodi, relatio de Theophilo et Zacharia dudum episcopis : interlocutio senatus, Metrophanis metropolitæ ac Romanorum vicariorum : ingressio Zachariæ ac Theophili in sanctam synodum, et altercatio ipsorum et Romanorum vicariorum : epistola Nicolai papæ ad Michaelem imperatorem per Radualdum et Zachariam tunc episcopos destinata : interlocutio judicum, et epistola ejusdem pontificis præfato imperatori per Leonem a secretis transmissa ; interlocutio Theophili dudum episcopi, et Theodori metropolitæ Cariæ; epistola papæ Nicolai ad Photium per Leonem a secretis : exhibitio non recepti Photii a patriarchiis : memoria libellorum a Zacharia et Theophilo Romæ factorum : preces cum laudibus.

Porro quinta continetur actione sessio synodi copiosior, annuntiatio Pauli chartophylacis, Zachariam sive Photium adesse nuntiantis : missio hominum vicariorum cum imperiali homine ad eum, et ipsius cum ipsis sermocinatio; lectio sermonum Photii, et dictatus ad eum synodi per Eliam syncellum; lectio voeis Photii; acclamatio synodi ad Photium : ingressio Photii, et quis esset, et si reciperet constituta Patrum. Vicariorum percunctatio Romanorum, silentium, et tandem locutio Photii ac Orientalium : vicariorum responsio, hortatio Romanorum vicariorum : sed rursus Photius tacet; lectio epistolarum Nicolai papæ, quæ lectæ sunt in quarta actione : sed Photius iterum silet, ante quem et altera Nicolai papæ legitur epistola sibi per Radualdum et Zacha-

[a] Id est, breve compendium.

riam missa : allocutio Eliæ vicarii Hierosolymitani; allocutio Romanorum vicariorum; quæ lecta sunt approbantur; hortatio Romanorum vicariorum et Bahanis patricii ad Photium, et ejus responsio. Item Bahanes admonet, et Photius tacet, et sibi datis induciis, egreditur, et sæpe dictus Stephanus laudat.

Jam vero sexta scribitur actione sessio synodi, pronuntiatio Metrophanis metropolitæ Smyrnæ, epanagnosticum Romanorum vicariorum; intromissio episcoporum Photii, ante quos lectæ sunt epistolæ papæ Nicolai ad Michaelem imperatorem et Photium per Leonem a secretis missæ, quasque quarta continet actio : acclamatio Eliæ syncelli, disputatio imperatoris Basilii et Euchemonis ac reliquorum Photii episcoporum : assertio Zachariæ Photii episcopi, et disputatio imperatoris cum episcopis partis Photii : locutio Eulampii, et indignatio Romanorum vicariorum; imperatoris verbum, et requisitio episcoporum ab Ignatio consecratorum, a Romanis vicariis cum eis loquentibus : contradictio Metrophanis metropolitæ Smyrnæ adversus præscriptum Zachariam, sermo Romanorum vicariorum et admonitio imperatoris ad schismaticos : similiter Romanorum vicariorum et cæterorum ad eosdem iterata imperatoris admonitio, simul et laudes.

Septima sane actio indicatur convenientium sessio, ingressio Photii baculo innixi, quem ab eo Marinus Romanus vicarius jubet auferri; vicariis Romanis Photium ad faciendum libellum hortantibus, et cum omni synodo ad pœnitentiam provocantibus, ille hos e contra cum suis ad pœnitentiam magis impellit; cui contradicit Orientalium vicariorum sermo. Bahanis interrogatio, Photii responsio, et ejus episcoporum ingressio, synodi et Photii episcoporum intentio, allocutio ad eos imperatoris per Bahanem præpositum, et hujus cum illis altercatio, et imperatoris assertio : Photii rursus episcoporum et Bahanis dissensio, vicariorum Romanorum pro legenda epistola papæ Nicolai clero missa Constantinopoleos, exhortatio; quod et factum est : item epistola papæ Adriani ad Basilium imperatorem per Theognostum exarchum, et altera ad Ignatium missa : lectio epistolarum Adriani papæ ad imperatorem et patriarcham per Donatum, Stephanum et Marinum vicarios destinatarum; quæ in tertia scripta sunt actione : et concilii ab eodem papa in ecclesia beati Petri collecti gestorum subscriptio papæ, episcoporum, presbyterorum et diaconorum : commonitorium Romanorum vicariorum ad Photium, acclamatio Ignatii ad synodum, anathematismus Photii et partis ejus, seu præconia et imprecationes imperatoris et synodi : ac super Photio versus.

Octava quoque memoratur actione synodi sessio, imperatoris allocutio per Bahanem, et Romanorum vicariorum pro abolendis chirographis injustis, et horum cum actis conciliabulorum, a Photio contra papam Nicolaum et patriarcham Ignatium patratorum combustio : libellus Petri monachi, et examinatio falsorum vicariorum, et de hujusmodi beati papæ Martini capitulum : allocutio Metrophanis, Theodori Crithini Iconomachi accersio, et super ipsis discussio : capitulum papæ Nicolai de imaginibus, conversio quorumdam Iconomachorum, imperatoris et synodi monitis : anathematismus in Iconomachos et in Photium et partem ejus prolatus, preces et laudes.

Cæterum nona nihilominus actione continetur, post sessionem synodi, suggestio senatus annuntiantis venisse vicarium Alexandrinæ sedis, cujus hortante synodo, epistola commendatitia legitur et ipse receptus; quæ acta sunt approbat, et ita sensus ejus : recitatur in scriptis examinatio falsorum testium, qui contra patriarcham juraverunt Ignatium, et horum pœnitentia : inde intromissio et discussio vestimenta sacerdotalia induentium, cum essent sæculares, divina quasi celebrant mysteria : sermo Romanorum vicariorum et alter Orientalium : iterata falsorum vicariorum discussio, gratiarum actio; imprecationes et laudes, atque super Photio versus.

Porro decima continet actio synodicam sessionem, considentibus imperatoris Occidui, et principis Bulgarici missis; regulas et terminum fidei ab eadem expositum synodo : interrogatio imperatoris, et totius synodi responsio approbans regulas lectas et terminum, imprecationes quoque ac laudes; gratifica vox imperatoris ad synodum : sermo ejusdem imperatoris, in quo episcopis bona promittit, et hortatur, ut si quis aliquid contra synodum dicere velit, sine timore fateatur; licet non esse laicis super ecclesiasticis negotiis disponendi jus, magistra ratione demonstret : monet ut schismata vitent, ut contra hæreses vigilent, ut contentiones declinent ut forma sint subditis; interrogatio imperatoris, utrum synodo placeat, quod lectum est : quæ omnia approbat et subscriptione firmare pollicetur : imperator post omnes episcopos se velle subscribere dicit; ordo subscriptionis, vox senatus, synodo recipere profitentis : laudes, subscriptiones vicariorum, imperatorum et episcoporum : epistola synodi encyclica, et ad Adrianum sanctissimum papam, epistola imperatorum ad patriarchas; item epistola patriarchæ Ignatii ad Adrianum sanctissimum papam, consulentis eum super tribus Capitulis : mox post synodum ejusdem sancti concilii consultu transmissa epistola imperatoris Basilii ad eumdem, epistola ejusdem beatissimi papæ rescribentis ad eumdem principem.

Expliciunt capitula, quid unaquæque synodi actio contineat, breviter indicantia.

GESTA

SANCTÆ AC UNIVERSALIS OCTAVÆ SYNODI,

QUÆ

CONSTANTINOPOLI CONGREGATA EST.

ACTIO PRIMA

Dei principale Verbum, quod ipsa Veritas est, Christus videlicet omnium nostrum Salvator et Dominus, habens nimirum universorum sæculorum in se notionem et circumplexionem, et omnia sciens antequam essent, consulens sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ suæ, male operantium versutias præostendit, ita dicens in Evangeliis : *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces : a fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII); per quos videlicet manifeste notavit formam malignitatis et pravitatis, quæ absconsa est in interiori homine : qui [a] speciem quidem et formam pietatis demonstrant, actiones vero similes pessimis affectionibus, quæ circa animam sunt, operantur. Propterea mox intulit : *Nunquid colligunt de spinis uvam, aut de tribulis ficus? Ita omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit* (*Matth.* VII). Et ostendens quod impossibile sit ea quæ alterius sunt generis in alterius transmutari naturam, continuo intulit : *Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere : omnis arbor non fructum bonum faciens excidetur, et in ignem mittetur. Itaque a fructibus eorum cognoscetis eos* (*Ibid.*). Photius igitur est etiam temporibus nostris vir malignitate ac nequam opere plenum interiorem hominem habens, qui propter ambitum et amorem gloriæ, et ut vocaretur Rabbi, bonum se esse fingebat, et habitum et formam pietatis habere simulabat. In quibus et tunc imperantes traduxit atque seduxit; et per humanam machinationem, et regiam potestatem atque potentiam, Ecclesiam nostram obtinuit, legitimo et beatissimo summo pastore illius et sanctissimo patriarcha Ignatio inique dejecto atque expulso : sed post paululum, et mox figurata persona sublata, et hypocrisi in abolitionem conversa, declarata est rursus ex fructibus arbor etiam eisdem ipsis qui propemodum imperium retinebant, et inconsulte hunc promovere proposuerunt, ac inutiliter et infructuose postea pœnituerunt [b] : sed et fugiendus et odiendus omnibus; quibus, qui in orbe nostro sunt, piis et industriis etiam magis effectus est, maxime autem et præcipue misericordissima principali et Dei providentia sanctæ Romanorum Ecclesiæ et patriarchalibus thronis qui in Oriente sunt, manifestum eum faciente per pessimos pravosque fructus, quos germinavit. Hinc ergo zelator Deus et ultionum Dominus, qui adversarios suos et contemptores auferri divinæ justitiæ, veluti alterum Eliam Zeloten reperiens, beatissimum papam Nicolaum excitavit in auxilium veritatis : qui in Spiritu sancto et lupi pellem per ea quæ scripsit, crebro dirupit, et interiorem insaniam et rabiem publicavit, et palam exhibuit, Deique sermonem, qui est discretor cogitationum, et gladium spiritus opponens, confestim ac statim arborem radicitus amputavit; quippe quæ neque bene plantata fuerat, neque fructus bonos emiserat : atque raptorem, et lupum, et grassatorem animarum, tanquam latronem et furem interfecit, et confusionis sacerdotes, qui cum eo erant, pariter interemit; magis autem quemadmodum alter Petrus, alterum Ananiam furtim auferentem aliena, et Spiritui sancto mentientem, suorum sententia verborum occidit (*Act.* X), ministrante videlicet et obsequente divinæ voluntati atque decreto, Christi amico et divinitus gubernato, ac secum ferente nomen [c], Basilio Deo amicissimo imperatore nostro, qui universalem synodum congregans, quæ visa sunt Spiritui sancto, pie peregit, reprobato quidem et omnimodis dejecto atque abrogato eo, qui secundum antiphraseos tropum nominatus est Photius [d], abdicatis autem et his qui ab eo promoti sunt, et in quocunque gradu ecclesiastico consecrati : quibusdam quidem horum omni tantummodo sacerdotali catalogo privatis, eo quod redarguerint et reprobaverint etiam multum ante consecratorem suum, super his quæ hunc inique ac irregulariter gerere conspiciebant :

[a] Id est, pseudoprophetæ.

[b] Bardam Cæsarem fautorem Photii dicit.

[c] *Secum ferente nomen.* Cujus nomen cum dignitate concordat. Denique eisdem pene litteris, Basilius, quibus *basileus*, id est *imperator*, scribi dignoscitur.

[d] Photius namque *illuminatus* interpretatur.

quibusdam autem una cum ipso abdicatis simul et anathematizatis, eo quod sectatores ejus et consonantes in omnibus ipsius nequam operibus deprehensi sint : insuper et Iconomachi, qui contra sanctas et venerabiles imagines impios et læsos sensus habent ; id est quod et illi existimationis et damnationis acceperunt decretum atque sententiam, corroborato videlicet et incardinato regulariter atque synodice in propria sede Ignatio, sanctissimo patriarcha Constantinopolitano, ita ut nunc divinæ Scripturæ compleatur eloquium, quod dicit : *Perfectio rectorum deducet eos, et supplantatio reprobantium captivabit eos* (*Prov.* 1).

INCIPIT ACTIO.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Anno tertio consulatus amicorum Christi et piissimorum imperatorum nostrorum Basilii et Constantini perpetuorum Augustorum, indictione tertia, mense Octobris, die quinta, feria quarta, propositis pretiosis et vivificis lignis et intemeratis salutis nostræ Evangeliis in dextris partibus catechumeniorum [a] nominatissimi templi sanctæ ac magni nominis Sophiæ : convenientibus autem Donato et Stephano, Deo amabilissimis episcopis, et Marino venerabili diacono, locum tenentibus Adriani, sanctissimi ac beatissimi archiepiscopi senioris Romæ, et Ignatio honorabilissimo archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ, et sanctissimis vicariis Orientis, Thoma videlicet sanctissimo metropolita Tyri, locum tenente sedis Antiochiæ, eo quod eadem viduata esset Ecclesia ; et Elia Dei cultore presbytero et syncello, locum tenente Theodosii sanctissimi archiepiscopi sedis Hierosolymorum. Deinde secundum jussionem amicorum Christi et piissimorum magnorum imperatorum nostrorum Basilii et Constantini, præsentibus et audientibus laudabilissimis patriciis, videlicet Theodoro laudabilissimo patricio et præposito, Hemerio laudabilissimo proconsule ac patricio, Theophilo laudabilissimo proconsule ac patricio, Leone laudabilissimo proconsule ac patricio, Joanne laudabilissimo patricio ac logotheta excosdromi [b], Leone laudabilissimo patricio et domestico excubitorum, Paulo laudabilissimo patricio et eparcho prætoriorum, Manuele laudabilissimo patricio, Theophylacto laudabilissimo patricio, Petronace laudabilissimo patricio, et Oreste protospathario et domestico ycanatorum [parentum]. His ergo congregatis, sanctissimi vicarii senioris Romæ, et Ignatius sanctissimus archiepiscopus Constantinopoleos, et honoratissimi vicarii Orientis dixerunt : Ingrediantur episcopi omnes, quotquot laboraverunt et certaverunt pro verbo veritatis, utpote consentanei Ignatii sanctissimi archiepiscopi Constantinopoleos. Et ingredientibus illis, Nicephoro videlicet Deo amantissimo metropolita Amasiæ, Joanne Deo amantissimo metropolita Silei, Niceta Deo amantissimo metropolita Athenarum, Metrophane Deo amantissimo metropolita Smyrnæ, Michaele Deo amantissimo metropolita Rhodi, Georgio Deo amantissimo episcopo Iliopoleos, Petro Deo amantissimo episcopo Troadis, Niceta Deo amantissimo episcopo Cephaludii, Anastasio, [*al.* Athanasio] Deo amantissimo episcopo Magnesiæ, Nicephoro Deo amantissimo episcopo Crotonæ, Antonio Deo amantissimo episcopo Alisi, et Michaele Deo amantissimo episcopo Cercyrorum : sanctissimi vicarii senioris Romæ et Orientis dixerunt : Sedeant secundum ordinem suum, quia digni sunt, et beatos et ter beatos hos æstimamus. Et sedentibus eis, stans in medio Babanes famosissimus patricius et præpositus, ad sanctam synodum dixit : Imperator noster sanctus epanagnosticum [c] transmisit, et si jubetis, et placet vobis, recitetur coram sancta synodo. Sanctissimi vicarii senioris Romæ ac Orientis dixerunt : Placuit nobis sermo. Et accipiens Theodorus vir devotus a secretis legit : Cum divina et benignissima providentia nobis gubernacula universalis navis commisisset, omne studium arripuimus, et ante publicas curas, ecclesiasticas contentiones dissolvendi, et procellas, quæ per multos annos ex invidia odientis bonum satanæ expansæ sunt, in stabilem tranquillitatem per meliorem quamdam provisionem transferendi : hic quidem, munito divinitus imperio nostro semper hoc desiderium gerente, et ita opportunum esse optime perpendente, ac ab aliis patriarchalibus sedibus vicarios adducere, propter jam dictam causam, judicante, cooperatus est intentioni gubernati divinitus imperii nostri solus infinitæ potentiæ rex et princeps pacis, et, ut aspicitis, consilium nostrum complevit, et in idipsum convenire atque concurrere fecit, a seniori quidem Roma episcopos duos, et diaconum unum de definitis septem, prudentia et intellectu ac vita venerabili decoratos [d] ; ab Oriente vero protothronum Antiochiæ, id est, sanctissimum metropolitam Tyri, omni reverentia plenum : a Hierosolymitana autem sancta Dei Ecclesia, sancta videlicet Sion, de qua exiit qui prophetatus est, et nova lex, et discretor omnium gentium Domini sermo, sanctissimum syncellum virum apostolicum, et omni sapientia divina et humana refertum. Igitur cooperatione et gratia Christi universorum regis, et Dei cuncta tenentis, his, quæ prava omnibus vobis esse videbantur, in directa, et aspera in vias planas, imperatoria diligentia et studio nostro translatis, commonemus et cohortamur omnes vos, fratres, ut cum multo pudore ac reverentia conveniatis ad sanctam hanc et universalem synodum, tanquam et communem, et universis ap-

[a] Catechumenia dicuntur loca in quibus catechumeni instruuntur.

[b] Prodomi celeris cursus.

[c] Epanagnosticum dicitur scriptum quod palam legitur ; *ἐπὶ* enim Græce non solum *super*, sed *coram* interpretatur.

[d] Definitum est enim ut septem tantummodo sint in Ecclesia diaconi, id est, primæ sedis Antiochiæ diœceseos.

tam, atque sine livore medelam, nullam vitiosam motionem vel affectum ferentes, nec ad contentiosam voluntatem respicientes, sed potius vinci bene, quam vincere culpabiliter ac injuste scientes. Sic enim unusquisque, qui vitiatum interiorem patitur hominem, sanitatem et æternam salutem recipiet. At vero et ad vos ipsos acclamationem imperii nostri proponimus; quippe qui potestatem synodici judicii divinitus accepistis. Etenim vos veritatis esse ac divinæ justitiæ, secundum quod est possibile, dilectores et imitatores nequaquam quidem ambigimus: sed ut et Deo munitum imperium nostrum, secundum datam sibi potestatis mensuram, in ecclesiasticis negotiis nihil tacuisse patescat eorum quæ debentur atque conveniunt; deposcimus et religionem vestram, ut omnis gratiæ ac odii nunc maxime superatrix efficiatur; quin potius et impassibili beatæque naturæ ad personam non accipiendam, omni robore, quantum fieri potest, assimiletur; et neque personam potentis per gradum vel per amicitiam accipiat, neque pauperis misereatur in judicio: sic enim secundum consilium utique ac voluntatem Dei, atque tranquillissimi imperii nostri, pacatissima subsequetur ecclesiarum ordinatio. Et post lectionem, vicarii senioris Romæ dixerunt: Ista res universalis est, et pertinens ad utilitatem Ecclesiæ; et hoc recitari sanctæ synodo placet, et nobis omnibus. Thomas et Elias sanctissimi vicarii Orientis dixerunt: Placuit et nobis similiter; et sacer senatus dixit: Et nobis omnibus placuit. Et surgens iterum Bahanes famosissimus patricius et præpositus dixit: Episcopi petunt una cum senatu, ut certificentur hora ista, unde sitis, et quam potestatem, vel quales litteras habeatis. Donatus et Stephanus sanctissimi episcopi, Marinus Deo amantissimus diaconus, vicarii senioris Romæ, dixerunt: Hoc nos usque nunc non invenimus in universali synodo factum, ut vicarii senioris Romæ a quolibet perpendantur, utrum talem existimationem habeant. Bahanes famosissimus patricius et præpositus dixit: Et nos propter inhonorantiam apostolici throni non dicimus hoc, sed quia anteriores vestri accedentes missi, Radoaldus scilicet et Zacharias, deceperunt nos, alia in mandatis habentes et alia facientes. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt: Ergo ut omnem dubitationem emittamus e cordibus vestris, et verbis et operibus certificemus vos, quia secundum ea quæ mandata et jussa sunt nobis, ita disponemus: ecce et epistolas habemus ad imperatorem et patriarcham, et si jubetis, legentur; et rursus iidem ipsi dixerunt: Piissimus et amicus Christi imperator, et sanctissimus Ignatius patriarcha Constantinopoleos, miserunt apocrisiarios suos nobilissimos viros et fidelissimos sancti imperii sui et Ecclesiæ Dei; Joannem metropolitam Silei, et Basilium spatharium amplissimum virum, ad beatissimum papam Nicolaum. Sed quoniam ille ad Dominum profectus est, suscepit epistolam Adrianus ejus successor sanctissimus papa senioris Romæ, rogantes eum, ut mitteret apocrisiarios suos Constantinopolim, quatenus error et zizania exstirparentur de ecclesia Constantinopoleos: et ecce gratia Dei venimus in conspectu sanctorum imperatorum, et reperimus in eadem sancta Constantinopolitanorum Ecclesia sanctissimum patriarcham Ignatium, et præ manibus habemus epistolam, quam transmisit imperatori sanctissimus papa Hadrianus, qui etiam potestatem nobis dedit, ut, secundum quod beatissimus papa Nicolaus disposuit de sancta Constantinopolitanorum Ecclesia, ita ordinemus, ut moderemur atque firmemus, ut nullus adversus eam pugnare possit; et ut quæ ipse sanctissimus Hadrianus edidit confirmemus. Cujus enim suscepit honorem, suscepit etiam et laborem; quia propter hoc Deus posuit eum in Ecclesia sua. Ecce epistola sanctissimi papæ Hadriani, et si vultis, secundum quod prædiximus, legatur. Sancta synodus dixit: Legatur. Et accipiens Marinus Deo amantissimus diaconus sanctæ Romanorum Ecclesiæ, epistolam Latine legit magna voce in audientiam omnium, in Græcum eam eloquium transferente Damiano venerabilissimo regio clerico et interprete.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, Deo amabili ac piissimo imperatori Basilio Augusto *Christianissimo et desiderabilissimo filio.*

Legationis excellentiæ tuæ, etc. *Reliqua vide inter epistolas Adriani papæ* II, *Patrologiæ tomo* CXXII.

Et post lectionem epistolæ sanctissimus archiepiscopus Constantinopoleos, Ignatius et omnes Deo amabilissimi episcopi cum magnificentissimis principibus clamaverunt: Benedictus Deus, qui dignatus est, nos satisfactionem recipere perfectam de sanctitate vestra. Et post hoc sanctissimi vicarii senioris Romæ et tota sancta synodus expetierunt ut legerentur Orientalium vicariorum commendatitiæ litteræ, ad cognoscendum unde et ipsi venerint, et quam potestatem acceperint a propriis sedibus. Et his taliter factis, stans Helias Deo colendissimus presbyter et syncellus et vicarius Hierosolymitanus in auditionem omnium dixit: Non ignorat Christi amica dilectio vestra, fratres, nec ignoravit, tam a nobis ipsis quam a dictatoribus nostris imperatoribus discens, qui sumus, unde, et quales: verumtamen ad pleniorem satisfactionem dicimus et nunc rursus ad vos. Nam sanctissimus quidem Thomas metropolita Tyri, sicut et vobis notum est, primæ sedis existens sedis Antiochiæ: qua patriarcha privata, ipsum locum tenet sedis illius, usquedum fiat patriarcha in eadem sede: ob hoc non oportuit eum deferre litteras missas ab alio aliquo, cum ipse auctoritatem et potestatem haberet in eadem sede: pro eo vero quod Græce difficile loquatur, ab eo exhortatus hæc nunc dixi. Ego autem, quia syncellus sum sedis Hierosolymitanæ, sequens jussiones Theodosii summi sacerdotis nostri, litteras ejus præ manibus habens huc veni, quas et vos audistis. Si vero antea quidam non audierunt, et maxime propter vicarios senioris Romæ, ecce præsto sunt, et legantur, quatenus singuli cum diligentia cognoscentes veritatem, certificamini.

Nos autem et aliud quid volumus ostendere Deo amicissimæ charitati vestræ, quia multo tempore hic demorantes, et diutius anxiati, accepimus per supplicationem ad piissimum et sanctum imperatorem nostrum, petentes celerem absolutionem ad propria; qui cum sit compatiens et miserator, atque misericors, annuit lacrymis nostris; et volebat mox satis nobis facere, nosque celerius dimittere hinc, jussit nos denudare sibi scripto nostras super positis negotiis voluntates, et quo modo futuri eramus, venientibus fratribus vicariis senioris Romæ, dicere ac judicare de ecclesiasticis causis. Nos autem Deo testimonio [a], qui novit abscondita hominum, et interrogat corda et renes, nihil per gratiam neque acceptationem personæ probantes vel judicantes, per scripta sensus nostros et de præpositis rebus exposuimus, quæ et a nobis lecta, nunc ostendent lucidius et planius eosdem sensus nostros, atque judicia. Legantur igitur primo quæ scripta sunt a patriarcha nostro, atque demum cum Dei adjutorio sensus nostros per expositas a nobis definitiones disceris. Deo amicissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Placuit nobis. Legantur. Similiter et sancta synodus dixit : Legantur. Et accipiens Stephanus Deo amicissimus diaconus sanctæ Constantinorum Ecclesiæ et devotus notarius legit :

« *Per omnia sanctissimo fratri, et comministro domino Ignatio, gubernacula moderanti nominatissimæ Constantinopoleos, universali patriarchæ, Theodosius servus Jesu Christi Hierosolymorum.*

« Honorabilissimis et cultu dignissimis litteris vestræ sanctitatis susceptis, a Deo glorificate, vestris quidem divinitus datis valetudinibus et incolumitatibus magnopere congratulati sumus, prospere conservandos vos ab omni malitia exoptantes : sed dolere nos fecit, et multo mœrore replevit ecclesiæ vestræ negotiorum dissonantia, per membrorum videlicet alternam communionem et consonantiam : quoniam secundum vetustissimum sermonem confluentia una, conspiratio una, et compassio una est in omnibus, quæ sunt orthodoxarum ecclesiarum : sed sicut in membris quædam quidem ad vivendum, quædam autem ad bene vivendum naturaliter effecta sunt conditoria virtute, et stella a stella differt in claritate, ita et circa ecclesias sentiendum est. Id enim, quo inordinate posita est illa, quæ stabilita excellenter et prælata consistit, consequenter contristabit sequentes atque minores, quoniam et majus hinc discrimen efficit : operatrice namque causa aliquantisper a naturali motu commutata, et a plenissimis et multum capacibus locis defluente, ac emanante, plus erit fluxus accedens, quod molestiam inferat. Sic itaque ex [ea] præcipue nobis mœstibilia et tristiora constituerunt, quæ gesta sunt vestræ confusionis causa; sed qui posuit resinam in Galaad, et medicum præparavit illic, ipse enim ad puram serenitatem et pacificam ordinationem reduxit vestra, et reducet in universalem lætitiam, et tranquillam quietem communis Domini divinitas, longæva mansuetudine ac sospitate concessa, ut per ejus curam, quam de omnibus gerit, atque solertem providentiam, cum proprio etiam commune prospere gerat, superno nutu consuete conspirante atque coaccedente; per singula vestris quoque divinitus præmium consecute contumeliis, et distractionibus, quas perpessi estis ab his, qui violentius in vobis, et crudelius usi sunt potestate; tristem pariter et gratum affectum accommodavimus, tam videlicet intactam ab omni dolore ac molestia super impositione fore nobilissimam, et honorabilem sanctitatem vestram cupientes; quanquam oppido manifeste scientes, quia fulgentius aurum et lucidius erit, si igni coaptetur, vel si abundantiori conflatione quodam modo extensum ab ea quæ inest sibi commistione pejoris materiæ, expurgetur. Est enim et quando propter insolentem desidiam mentium nostrarum ab integritate animorum partim aversi, et bene disponere, ac agere opinati, a vero utique commisso procul efficimur, semitam, quæ ad rectitudinem ducit, negligentius declinantes, atque perplexione deterioris improvide, quod melius est, turbulentum statuimus.

« Hinc animarum nostrarum sapientissimus medicus apte nobis in tribulatione dilatat appositam caliginem intellectui animarum nostrarum sensive emundans, ad resplendendam illuminationem regni sui, atque justitiæ in cordibus nostris. Ne igitur crucieris neque anxieris, præcedentes tentationes per mentem accipiens. Inexpediens enim et incongruum perfectioni virtutis et mundissimo mundo divinæ ac honorandæ conversationis et disciplinæ tuæ consistit hujusmodi, sed honorabilem et decentem morem, bene ab infantia usque ad senectutem directum respiciens, omnia longanimiter ac modeste et prompte pati procura. Non autem docendo aut admonendo hæc dicere præsumpsi ad virum verbi et operis perfectione coruscantem, sed charitatis copia detentus suaviter consolatoriis verbis uti proposui. Neque enim fluvius totus semper fluens, fonte quolibet opus habet; honorabilitatem tuam, aio, divina sapientia plenam. Nosti autem utique, sanctissime, causam, ob quam neque scribere neque mittere potuimus ad vos, ne forte fieremus penes potestatem, quæ nos tenet existimationi malæ vel suspicioni. Etenim multam benevolentiam et compassionem ostendunt in nos, licentiam nobis præbentes ædificandi ecclesias nostras, et tenendi sine prohibitione mores nostros; juste agentes, et in nullo nobis injuriam vel violentiam inferentes.

« Quoniam vero tam ab hamera [b], qui apud nos est, quam abhominatoriis [c] litteris jussi sumus, transmisimus, sicuti postulavit, oculum nostrum et

[a] Hoc est Deo teste.

[b] *Hamiram* Græci vocant principem Saracenorum; interpretatur autem, lingua eorum, *præpositus*.

[c] Forte *a dominatoris*.

syncellum apostolici throni nostri ornatissimum et bonum cultorem Heliam, locum, et personam nostram obtinentem, qui distinguere potest et discernere quæ quæruntur secundum rationem. Cum quo et sanctissimum Thomam princeps Saracenorum destinavit, præsulatu fungentem urbis Tyri, qui sedis est Antiochiæ, secundum quod hunc quæsistis mitti per honorabiles litteras vestras. Nostis autem utique, sanctissimi, quia multa temeritate ac ausu hos transmisimus, præcipitanter ac audacter ad ereptionem, quasi quorumdam Saracenorum, apud vos in custodia consistentium. Precamur igitur et rogamus, ut loquaris ad aures a Deo coronati et piissimi domini nostri, quo donet nobis quotquot voluerit magnifica ejus dominatio Saracenos, ad satisfactionem nostrorum, et in suspectam repræsentationem meorum, quinimo ad salutem nostram, et regmen omnium nostrum. Si enim tam ab imperiali, quam vestra providentia non fuerit hoc taliter ordinatum, pavor non modicus erit in omnimodam perditionem nostram, cum opportunitatem invenerint. Præterea sperans penes sacratissimam et solertissimam affectionem tuam impetrare quæ cordi sunt, poderem et superhumerale cum mitra, pontificalem stolam sancti Jacobi apostoli et fratris Domini et primi archiepiscoporum, quam antecessores mei patriarchæ circumamicti, semper in Sancta sanctorum ingrediebantur, sacerdotio fungentes, videlicet sanctam memoriam vitæ, et sanctum calciare : quæ et ipse ego indutus sum, eadem gerens tuo desiderabili et honorando mihi capiti, ex amore et dilectionis copia transmisi; quatenus sanctifica suavitate, ac tactu sanctorum locorum, utpote dignus, perfruaris : simul autem et sacrum vas [a] cimiliorum sanctæ resurrectionis, craterem argenteum cum imaginibus in terra Sylem transmisi, cum devoto præceptore, ac syncello Helia apostolici [b] throni nostri ad sanctificationem nostræ sanctissimæ ecclesiæ, et memoriam nostræ humilitatis. » Et post lectionem sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Bona expositio placuit nobis. Et post hoc surrexit Bahanes famosissimus patricius et præpositus, ut ex persona totius synodi, et dixit : Per formatas quæ lectæ sunt credidimus esse per omnia in perfecta certitudine eos, qui missi sunt a seniori Roma ad nos veraces, similiter et Orientis duarum sedium, Antiochiæ scilicet et Hierosolymæ, Donatus et Stephanus sanctissimi episcopi, et Martinus honorabilis diaconus locum tenentes sanctissimi papæ Adriani dixerunt : Legatur libellus quem sancta Romanorum Ecclesia exposuit. Sancta synodus dixit : Audiamus eum. Et accipiens eum Damianus reverendissimus imperialis clericus et interpres, prædictum libellum legit Latine magna voce in audientiam omnium. Et post lectionem libelli ascendens Stephanus Deo amabilis diaconus devotus notarius legit eumdem libellum Græce.

A *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Imperantibus dominis piissimis et perpetuis Augustis Basilio et Constantino ejus filio, a Deo coronatis pacificis magnis imperatoribus, anno tertio, mense Octobris, indictione tertia.*

Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, deinde a constitutis Dei et Patrum nullatenus deviare. Unum quippe horum ad fidem pertinet, alterum ad opus bonum; sicut enim scriptum est : *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Heb.* XI); sic rursus legitur : *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II). Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia, dicentis : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI); hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus : quia in B sede apostolica immaculata est semper catholica reservata religio et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide atque doctrina separari minime cupientes, et Patrum, et præcipue sanctorum sedis apostolicæ præsulum, sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreses, simul cum Iconomachis. Anathematizamus etiam Photium, qui contra sacras regulas, et sanctorum pontificum Romanorum veneranda decreta, repente de curiali administratione sæcularique militia sublatus, superstite Ignatio patriarcha, in Constantinopolitanam est pervasorie, imo tyrannice, a quibusdam schismaticis vel anathematizatis atque depositis institutus Ecclesiam, donec sedis apostolicæ sanctionibus inobediens perseverans, ejus sententiam, tam de se quam de C patriarcha nostro Ignatio, spreverit, et conciliabuli acta, quod se auctore contra sedis apostolicæ reverentiam congregatum est, anathematizare distulerit. Sequimur autem sanctam synodum, et amplectimur, quam beatæ recordationis papa Nicolaus, cui et ipse dominice coangelice, summe pontifex Adriane, subscripsisti, ante sacratissimum Petri et Pauli [c] apostolorum eximii corpus celebravit : simul et quam tu ibi ipse nuper egisti, et omnia, quæ in his statuta sunt, secundum decreti vestri moderationem venerabiliter conservabimus, recipientes quos recipiunt, et damnantes omnes qui in illis damnati sunt, et præcipue jam dictum Photium, et Gregorium Syracusanum, patricidas videlicet, qui contra spiritalem patrem suum linguam D eximere minime formidarunt; atque perseverantes in schismate sequaces eorum, necnon et qui in illorum communionis societate permanserunt, communionis omnis gratia eos cum ipsis indignos, si tamen vobiscum non obedierint, judicantes. Etenim quorum se quis communioni miscuerit, ipsorum similem meruit in justificatione vel damnatione sententiam. Synagogas vero malignantium, imo speluncam latronum, et conventicula sanguinum, et fabricatorum mendacii, atque inventorum perversorum dogmatum, quas sub Michaele imperatore his contra beatissimum patriarcham Ignatium, et semel

[a] Reconditarum pecuniarum.
[b] Propter Petrum apostolum dicit.
[c] Forte abundat *Pauli*.

adversus apostolicæ sedis principatum factiose conspiraverunt, insolubilibus anathematis nexibus innodamus, et defendentes ea, vel impia gesta ipsorum celantes, et non potius, si hæc invenerint, concremantes, et anathematizantes usque ad satisfactionem et obedientiam, dignos eadem anathematis sententia judicamus. Porro de venerabilissimo Ignatio patriarcha nostro, et de iis qui ex parte hujus sunt, quod auctoritas apostolicæ sedis vestræ decrevit, tota mente sequimur, et religiosa devotione veneramur, atque pro nosse et posse nostro pia intentione ac spiritali conflictu defendimus. Quoniam, sicut prædiximus, sequentes in omnibus apostolicam sedem, et observantes ejus omnia constituta, speramus ut in una communione quam sedes apostolica prædicat esse mereamur, in qua est integra et vera Christianæ religionis soliditas; promittentes etiam, sequestratos a communione Ecclesiæ catholicæ, id est non consentientes sedi apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Hanc autem professionem meam ego ille [a] episcopus [b] manu propria scripsi, et tibi sanctissimo, ac ter beato, et coangelico nostro summo pontifici [c], et universali papæ Adriano per legatos tuos, Donatum videlicet et Stephanum sanctissimos episcopos, atque Marinum sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ diaconum obtuli, mense illo [d], die illo, indictione quota.

Subscriptio [e].

Ego ille [f] episcopus sanctæ illius huic professionis meæ libello, facto a me in beatissimo Adriano summo pontifice et universali papa, subscripsi, et testes qui subscriberent rogavi.

Subscriptio testium.

Ego ille basilicos [g] hic, huic libello facto ab illo in Adriano beatissimo summo pontifice et universali papa, rogatus ab eo testis subscripsi.

ANASTASII NOTA IN PRÆCEDENTEM LIBELLUM.

Ex editione Romana.

Notandum est, et memoriæ commendandum, quoniam libelli hujus tenorem beatæ recordationis Nicolaus papa exposuit : sed quia tunc a prævaricatoribus non est admissus, rursus ab Adriano sanctissimo papa, mutato nomine pontificis Constantinopolim est transmissus, secundum cujus firmationes archiepiscopi metropolitani, et cæteri episcopi Constantinopolitanæ diœcesos, necnon et omnes omnino clerici, qui vel in honore vel in communione essent, syngraphum sedi apostolicæ Græce scriptum, et tam propriæ manus scripto, quam testium a se rogatorum testimonio et subscriptione roboravere, nomina et tempus signantes, quo singuli chirographum suum scribebant, et sedis apostolicæ vicariis porrigebant, ita ut nullus vel antistitum vel reliquorum clericorum in synodalem fuerit conventum receptus, qui non secundum exemplar hujus codicilli chirographum scripsit, et missis sedis apostolicæ ecclesiæ Romanæ minime deferendum porrexit. Verum postquam omnes chirographa sua fecerunt, et testibus roborata tradiderunt, surrexerunt quidam eorum, et ad sanctissimum patriarcham Ignatium atque ad Basilium pium imperatorem accedentes, secreto dixerunt, non bene factum fuisse, quod Ecclesiam Constantinopolitanam tanta subjectione Romanæ subdi Ecclesiæ permiserint, ita ut hanc ei tanquam dominæ ancillam tradiderint. Quibus verbis imperator commotus, jussit primoribus, qui vicariorum apostolicæ sedis obsequio deputaverint unum, illi ad aliquam ecclesiam cum suis pergerent, ipsi mansionem eorum ingressi chirographa illa latenter auferrent : nam eos palam scandalizare penitus recusabat. Cum ergo vicarii, Donatus scilicet et Stephanus episcopi, atque Marinus diaconus ad collocutionem patriarchæ perrexissent, custodes fures facti, penetrantes domum, quamdam partem clanculo ex numerosis illis chirographis abstulere. Quo vicarii reversi comperto, taliter inter alia imperatori dicentes direxere : Nos quidem Romam ob amissa chirographa redire non audebimus, tu tamen inchoatæ pro Ecclesiæ statu pietatis nihil omnino mercedis lucraberis. Nos autem, qui pro causa nuptialis contractus inter utrumque imperatorem efficiendi aderamus, his ei verbis dicta transmisimus : Non decet imperatoriam potestatem antea facere quæ destruenda sunt, vel destruere quæ non destruenda consistunt. Cum ergo consensu tuo chirographa facta fuerint, si male consensisti, palam pœnitentiam age, et quod fecisti, non clam, sed palam destrue. Jam vero si bene fecisti consentiendo, ut sedi apostolicæ pro futura cautela fierent ab episcopis chirographa, quamobrem ea, pœnitens de bono, sublata tegi consentis? Jam vero si fateris quod non voto tuo factum fuerit ut auferrentur chirographa, respondemus : Tum liquido patebit voto tuo non fuisse tantum piaculum commissum, cum hos distringens, quos vicariis pro custodia dedisti, quæ ablata sunt eos reddere jure interpretatus, quamvis pro ignorantia Latinarum litterarum jam nunc Latine hunc scribere Græci paulatim omittant. Sed notandum est quia si hujus libelli aliqua in Græca interpretatione videntur haberi aliter quam in Latina editione, non voluntate, sed necessitate factum est. Interpres enim in quibusdam quidem proprietates Græcæ dictionis minus consequens, in quibusdam vero Latinitatis eloquia liquide nesciens, parum quid ex eodem libello mutasse dignoscitur. EDIT. EAD.

[a] *Ille.* Ex Græco pronomine ὁ ὅδε, *talis.* EDIT. ROM.

[b] *Episcopus* Sanctæ illius Ecclesiæ. EDIT. EAD.

[c] *Summo pontifici.* Quamvis Græce summus *acrotatus* appelletur, quia hoc nomen inusitatum apud illos, et valde absonum idiomati, Græcorum apparet, pro summo, Græcus interpres magnum vel maximum posuit. Verumtamen quos illi archiereas dicunt, summos pontifices, vel summos sacerdotes, interpretes nostri, sive principes sacerdotum transtulisse inveniuntur. EDIT. EAD.

[d] *Mense illo.* Cætera ideo hic tempora posita non sunt, quia non pariter omnes hujus professionis chirographa conscripserunt, sed unusquisque qui se in dignitate sua, vel in ecclesiastica communione, vel in synodali cœtu recipi postulabat, illud tempus chirographo suo inserebat quo veniens id scribebat, et testium a se rogatorum subscriptione roboratum vicariis tradebat. EDIT. EAD.

[e] *Subscriptio.* Hic in codice authentico Græco post Latinum libellum positus est idem ipse libellus Græce

[f] *Ille.* Non solum diversæ dignitatis episcopi, sed et reliqui sacerdotes, et clerici, ac monachi, sicut chirographum, ita et subscriptionem hujusmodi patraverunt EDIT. EAD.

[g] *Basilicos.* Hic nomen hominis proprium ponitur, sed hoc nomen dignitatis habetur. *Basilicos* Græce dicitur imperialis natura, aut exspatharii imperialis, aut prospatharii, aut alterius dignitatis. Imperiales homines fuerunt, qui rogati testimonii sui scripto et astipulatione chirographa sigillatim roboraverunt. EDIT. EAD.

coegeris : neque enim alii debent restituere, vel corrigere, si quid vicarii perdiderunt, vel si quid sinistri perpessi sunt, nisi illi qui nos cum suis omnibus ad custodiendum reverenter, et salvandum integriter imperatoria pietate receperunt. At vero imperator, his auditis, accersivit vicarios, et eis omnia chirographa reddidit, ita ut nec unum saltem deficere pateretur, dicens : Ego quidem ut magistram ecclesiasticorum negotiorum sedem apostolicam per meos legatos adii, et ideo vestram præsentiam præstolatus sum, ut vestro decreto et solertia Ecclesia nostra remedia sanitatis reciperet, et nos non nostris motibus, sed vestræ sententiæ pareremus. Ergo chirographa, quæ a nostris sacerdotibus, ac cunctis clericis salubriter exegistis, recipite, et spirituali patri nostro sanctissimo papæ repræsentate ; ita ut si quis eorum per abrupta vitiorum, vel devia pravitatum solito incedere more tentaverit, his quodammodo habenis, ab eo refrenetur, et talibus loris ad rectum justitiæ tramitem revocetur. Quo facto vicarii gavisi, libellos acceptos nobis caute deferendos tradiderunt : qui videlicet antequam remeandi ad patriam iter arripuissent, separati sumus, quia a Dyrrachio navigio venimus Sipontum, deinde terreno itinere Beneventum, posthæc Romam, eosdem libellos portantes : missi vero sedis apostolicæ, a Dyrrachio simili modo navim ingressi, Anconam petebant : sed Exdavenorum piratas incurrentes, omnia quæ possidere videbantur penitus amiserunt, et simul codicem actionum præsentis synodi. Verum ego qui Romanæ bibliothecæ curam gerebam, studium habui a Constantinopoli mecum ipsius synodi codicem deferendi, delatumque summo pontifici præsentavi, ac per hæc factum est, ut sèdes apostolica, Deo auctore, codicem synodi per nos susciperet, et libellos missis quidem a nobis redditos, sed per nos salvatos haberet, quos nimirum, si missi penes se, ut codicem synodi, et cætera scripta haberent, hos procul dubio perderent.

Et post completionem libelli silentio facto, surgens Bahanes famosissimus patricius et præpositus dixit : Imperatores nostri sancti quod justum est quærunt, et canonem adimpleturi sunt, non ad voluntatem suam, sed ad profectum multorum, et sicut Deus reficitur. Vos autem ad hæc convenistis, ut sicut conspicitis, justitiam et veritatem faciatis. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Placet omnibus vobis libellus iste, qui plenus fide, et canonizatus, atque perfectus omni sapientia existat ? est orthodoxus gratia divina a Romanorum Ecclesia missus. Tota sancta synodus exclamavit : Juste et convenienter lectus nobis libellus expositus est a sancta Romanorum Ecclesia, et propterea omnibus placet. Bahanes famosissimus patricius et præpositus ex persona sacri senatus ad Orientis vicarios dicit : Dicite et ipsi manifestius quid videatur vobis super lecto libello ? putas concordatis Romanis, an non ? Sanctissimi vicarii Orientis dixerunt : Concordamus. Legatur autem et definitio quæ hic a nobis exposita est, cujus et superius mentionem fecimus, ut cognoscatis concordiam nostram. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Legatur. Et accipiens Stephanus Deo amicissimus diaconus et devotus notarius legit [a] :

Definitio Thomæ metropolitæ Tyri primi sessoris [b], *et primatis sedis Theupoleos Antiochiæ, et Heliæ presbyteri et syncelli throni Hierosolymorum, sanctæ Christi Dei civitatis locum, et personam tenentis Theodosii sanctissimi patriarchæ Hierosolymorum habita Constantinopoli, priusquam vicarii pervenissent senioris Romæ.*

Vestris ecclesiaticis negotiis confusionem patientibus ex instigatione odientis bonum dæmonis, et zizaniorum satoris, omnium procurator atque provisor erexit Romano principatui rectorem Deo amicissimum et veritatis ferventissimum amatorem, piissimum videlicet Basilium magnum imperatorem, per quem ecclesiastica scandala, et offendicula modis omnibus interimere, et omnem Christianum orbem d meliorem et nitidiorem ordinem adducere voluit : qui secundum intentionem divini consilii omnia et dicere et facere anhelans, convocavit et humilitatem nostram de orientalibus sedibus ac diœcesibus, ut cum his qui putabantur advenire atque concurrere a seniori Roma, sanctissimis vicariis, circumspecte ecclesiastica dissolveremus certamina, propter quod et nunc usque perseverantes, illorum præstolamur adventum. Quoniam vero multa facta est tarditas, et suspicamur ex Agarenorum tyrannica potestate propter tantam moram multas nobis superventuras calamitates atque necessitates, imo vero et nostrum totum genus Christianorum propter talem causam summittendum variis tentationibus, nequaquam eos, qui a Roma venire putabantur, exspectare [c] justum putavimus, sed et superfluum et supervacuum arbitramur esse : præsertim cum ea, quæ Romæ regulariter ac synodice gesta sunt, præ manibus habeamus, ita ut hinc constet una nobiscum esse beatissimum papam Nicolaum per litterarum suarum voces, adhuc etiam et successorem ejus beatissimum Adrianum papam per proprias epistolas. Nam et Christum Dominum nostrum per Evangelium, tanquam per vivam vocem, loqui convenienter arbitramur, et credimus ; necnon et apostolum Paulum, et reliquos omnes apostolos, prophetas, atque doctores. Ipsi ergo habentes nobiscum beatissimum papam Adrianum, ineptum et incongruum omnino putamus despicere fluctuantem Christi et Salvatoris nostri Ecclesiam per dilationem dispositionis, quæ illi debetur. Hinc ergo velut ex necessitate, nunc vobis denuntiamus justificationem Dei, et divinæ misericordissimæque providentiæ consilium atque judicium, quantum ad capacitatem nostram attinet. Est igitur a nobis editum et sanctum eorum scilicet episcoporum qui ad Theopolitanam, hoc est Antiochenam pertineant Ecclesiam. EDIT. ROM.

[a] Legerant jam isti decreta Nicolai papæ, et quia non putabant vicarios Romam mittendos, idcirco definitionem hanc ante ipsorum adventum exposuerunt, nihil tamen aliud nisi quod præfatus apostolicæ memoriæ papa multo ante decreverat, se sequi penitus demonstrantes.

[b] *Primi sessoris.* Primum sessorem, id est protothronum, sive primum sessorem dicunt episcopum,

[c] *Exspectare.* Quando hæc isti dicebant, annum integrum Constantinopoli morantes habebant ; verum nota quia sine sedis apostolicæ præmissis decretis nil agunt. EDIT. RAD.

de negotiis quæ nunc mota sunt, ut omnimodis obsequantur et obediant definitionibus et decretis beatissimi papæ Nicolai omnes homines; quibus et nos favemus et concordamus, nimirum qui multum ante ipsorum lectionem, et cognitionem, eadem et excogitavimus ac [a] judicavimus, et prædicavimus.

Cap. I. Ergo sanctissimus quidem patriarcha Ignatius sit beneplacito Dei Patris, et gratia Domini nostri Jesu Christi, et operatione sanctissimi Spiritus, ratus et stabilis in throno suo, a nemine molestiam sustinens, vel coercitus a propria archierarchica dignitate, atque honore, dirigens verbum veritatis.

Cap. II. Episcopi autem, et presbyteri, ac diaconi, seu cujuscunque ordinis clerici, quotquot post iniquam depositionem sanctissimi et comministri Ignatii discesserunt a Photio, et idcirco a suis sedibus sunt remoti, ac depositioni submissi, isti suas recipiant sedes ad fungendum incunctanter sacerdotio, nullatenus aliunde prohibiti: qui enim pro veritate privati sunt iis quæ possederant, non solum illorum, unde ceciderunt, digni sunt esse participes, verum etiam aliorum, quorum quæque possint recompensare digna prioribus afflictionibus.

Cap. III. Qui vero beati Methodii et sanctissimi Ignatii manus impositionem habent episcopi, vel presbyteri, vel diaconi, aut cujuscunque ordinis clerici, et usque in finem cum Photio sacerdotio fungi passi sunt, in repulsione autem ejusdem Photii ad Dei sanctam et catholicam atque apostolicam Ecclesiam concurrerunt, et nunc usque ad terminationem sanctæ synodi concurrere festinaverunt, nec hos communis omnium Christianorum amatrix filiorum Ecclesia mater avertit, sed sinibus recipiet, materno more circa natos benignitate succensa, et votum incessabile (*alias*, miserabiliter) monstrans, [b] epitimiis, ut par est, sanctissimi patriarchæ Ignatii, quæ ipse voluerit, hos adoptans et placate suscipiens. Nam beati termini papa Nicolaus in Photio, et in manus impositione ejus sola, et in Syracusano Gregorio dedit definitivam damnationem. In reliquis autem prænominatis duabus consecrationibus potestatem sanctissimo patriarchæ Ignatio credidit: oportebat enim eum, qui multis difficultatibus pro credita sibi divinitus Ecclesia tentatus fuerat, A portionem aliquam liberalitatis in admissione sacerdotum percipere.

Cap. IV. Photium autem, quemadmodum beatus Nicolaus de illo decrevit, alienum modis omnibus existimamus ab omni sacerdotali dignitate, operatione ac nomine usquam per nullum [c] modum vel tempus accepturum locum satisfactionis: sed et anathemati transmittimus, nisi forte obedierit synodicæ judicationi papæ Nicolai, et sententiam nostram susceperit.

Cap. V. Gregorius præterea Syracusanus, ut ante depositus et ante damnatus a nobis, etiam ita deputatur depositus et condemnatus: non enim ut contrarii justi decreti venimus, sed ut æquorum et a Patribus traditorum canonum et sanctionum confirmatores pariter et fautores. Qui vero seducti sunt, et a Photio manus impositionem susceperint, tanquam malis operationibus ejus cooperantes et faventes, atque condecernentes effecti, omni sacerdotio judicantur indigni, sicuti et papa Nicolaus adversus eos synodice promulgavit.

Cap. VI. Hæc itaque a nobis ita et edita sunt, et decreta, et Dei nutu dicimus [d], fideliter et præscripta sunt; hæc et dicimus et prædicamus, atque vobis scripto commendamus; et hæc omnes conservare deliberamus quotquot Christi vocatione censentur; et nobiscum affatur, et monet Jacobus frater Domini, primusque summus sacerdos et præsul Jerusalem civitatis sanctæ; ex magna quoque Antiochia, ubi Christi hæreditas celebratissimum cognomen explevit, Petrusque ibidem [e] primus sacerdotio functus est, deinde [f] Ignatius Deifer, et hujus successor, hæc conservare debere, ac nullam prævaricationem prædictorum præsumere [g], ne omne jus Ecclesiæ reprobare inveniamini, neque enim modicum est quod pene modicum est. *Nam et qui omnem servaverit legem, in uno autem offendat, factus est omnium reus* (*Jac.* II). Quisquis ergo a notitia præceptorum beatissimi papæ Nicolai, et hoc se [h] judicio nostro ausus fuerit reprobare aliquid eorum quæ hic proferuntur, vel molestiam inferre auditibus potentum ad alicujus reprobationem, vel receperit hujusmodi, iste, quisquis sit, sive sacerdos, sive laicus, sive quicunque monachus, sive cujusvis ordinis clericatus, anathema sit a Patre, et Filio, et Spiritu sancto, et privatus gloria Dei, et hæres æterni tormenti et cohæres diaboli, atque

[a] *Judicavimus.* Judicavimus eo sensu dicunt, quo Apostolus dicit: *Non judicavi me scire nisi Christum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II); judicavimus tamen dicunt, non promulgavimus. Hoc enim post Romanorum adventum et definitionem egere: nam antea privatim tantum quod sic esset judicandum quibusdam significabant. Edit. ead.

[b] *Epitimiis.* Multi quidem increpationes interpretantur, sed isto et multis in locis pro pœnis ponuntur quas Ecclesia unicuique pro qualitate culparum præcipit observandas, ut puta jejunia, fletum, abstinentiam ciborum, genuflexiones, et his similia. Edit. ead.

[c] Forte *nusquam per ullum.*

[d] Forte redundat verbum *dicimus.*

[e] *Primus sacerdotio.* Nota quia non dicitur primum, sed *primus*; nam primum a Christo pontificatum suscepit, qui postea primus episcopus Antiochiæ præsedit. Edit. ead.

[f] *Ignatius Deifer.* Tradunt Græci quod parvulus quem Dominus advocatum statuit in medio, dicens: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut his parvulus* (*Matth.* XVIII), etc., iste Ignatius fuit, et idcirco hunc Deiferum nuncupent: unde nec apostoli ausi fuerint ei, cum ad Ecclesiæ præsulatum promoveretur, amplius manus imponere, nimirum quem ore Dei laudatum et ipsius tactu sanctificatum cognoverint. Edit. ead.

[g] Subauditur *affatur et monet.*

[h] Forte *se* redundat.

alienatus a Christianorum gratia, tanquam qui irridet Christi veri Dei nostri munificentiam, [a] quam dedit sacerdotibus, dicens : *Quæcunque ligaveritis super terram, erit ligatus et in cœlis : et quæcunque solveritis super terram, erit solutus et in cœlis* (*Matth.* XVI). Qui enim verax esse Christi verbum existimat, et annuntiat, creditque quod ea, quæ super terram ligata sunt, ligentur et in cœlis, et quæ super terram soluta sunt, solvantur et in cœlis ; quæ a sacerdotibus ligata sunt, quomodo putas, audebit solvere, et [*forte* soluta] solutum ligare ? Manifestum est ergo, quod Deum contemnens, hujusmodi et divinum magisterium irridens, et honoranda præcepta reprobans, justam non effugiat pœnam. Cum his autem subsequetur et alia quædam valde difficilis et cita commotio : at vero si reprobaverit saltem unum ex his quæ hic scripta sunt, et a beato papa Nicolao ante judicata, fiet æstus in ecclesia vestra continuus, et simultas ecclesiasticorum negotiorum, ita ut nunquam videri possit in ecclesia quilibet ordo. Ubi enim est utique concursus omnis patriarchalis throni, et ut idipsum dicatur omnis sacrati catalogi ; si diabolico consilio ambigultatem quis habeat, difficile profecto erit, ut aliquando firmitatem vel pacem possideat ecclesiasticus ordo. Anathema ergo illi qui secundum aliquid præsumpserit reprobare quidquam ex iis quæ hic inscribuntur a Patre, sicut jam dictum est, et Filio, et Spiritu sancto. Amen. Ad confirmationem autem præsentis definitionis, subscripsit unusquisque nostrum manu propria, quemadmodum subinfertur.

Et post lectionem definitionis tota synodus dixit : Ecce audivimus et sententiam Orientalium, sequentem, ac faventem judicio sanctissimi papæ Nicolai, et convenimus in eam. Sanctissimi et honorabilissimi vicarii senioris Romæ dixerunt ad Orientis vicarios : Vos, fratres nostri, dicite : Vestra est definitio ? et scriptum hoc, quod lectum est, vos dedistis ? Thomas honorabilissimus metropolita Tyri et Helias Deo colendissimus presbyter et syncellus, Orientis vicarii, dixerunt : Etiam nostrum est, et nos id scripsimus, cum hic essemus. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Vere tenetis sicut audivimus ? Thomas et Helias sanctissimi vicarii orientis dixerunt : Ita tenemus placita hæc, quemadmodum audistis. Honorabilissimi vicarii Romæ dixerunt ad sanctam synodum : Placet vobis ? Sancta synodus exclamavit : Placet omnibus. Et post hoc sacer senatus per Bahanem famosissimum patricium et præpositum ad honorabilissimos Romanorum vicarios dixit : Rogamus vos, sanate constitutionem nostram. Nos quidem acquiescimus iis quæ jussit judicium vestrum, sed convenit ut jubeatis ipsi alia, quæ si audierimus, juvent nos, Photium aliquando non videntes, quomodo eum condemnastis ? Cum quo repertus est [*al.*, Cum repertus est ; *al.*, coram vobis quomodo repertus est ?] coram vobis, quomodo protulistis adversus eum anathema ? dicite nobis. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Beato Petro apostolo donavit potestatem Christus, et Deus noster, dicens ei : *Petre, ecce Satanas expetivit cribrare te, sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Non ergo poterat ter beatissimus et sanctissimus papa Nicolaus in sede illa tantum tendere tempus, ut non confortaret fratres suos, et sanctissimum patriarcham Ignatium. Nam sanctissimus papa Nicolaus, videns litteras et epistolas Photii pervasoris, et absentem, [b] tanquam præsentem, per epistolas ejus et apocrisiarios judicavit eum. Magnificentissimi principes dixerunt : Et quem misit ? Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Si jubeatis audire secundum consequentiam, dicemus. Magnificentissimi principes dixerunt : Volumus. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Primitus missus est Arsabir legatus Michaelis imperatoris, et cum eo missi sunt quatuor episcopi : ([c] nomina eorum ignoramus) deferens secum et epistolam regiam, significantem in se causam hæreseos imaginum, et in fine litterarum illarum ostendentem etiam emissionem [d] sanctissimi patriarchæ Ignatii. Petebat autem ut mitteret apocrisiarios suos Constantinopolim, et misit Radoaldum et Zachariam quondam episcopos, et venerunt huc, et fecerunt latrocinale concilium, et synagogam malignantium contra sanctissimum virum Ignatium patriarcham, et quasi deposuerunt eum. Tunc reversi sunt Romam cum apocrisiario Leone a secretis, ferente et ipso iterum epistolam regiam, et invasoris et adulteri Photii, et libellum manifestantem synagogam malignantium factam adversus Ignatium sanctissimum patriarcham. Tunc cognoscens diviferus papa Nicolaus scrutatus omnia, fecit synodum, et convocavit

[a] *Quam dedit sacerdotibus.* Nota quod apostoli sacerdotes prædicentur a sancta synodo etiam ex tum quando his dictum est : *Quæcunque ligaveritis, vel solveritis super terram, erit ligatus, vel solutus et in cœlis* (*Matth.* XVI). Ergo Petrus, qui hoc specialiter ante omnes audire meruit, primum sacerdos effectus est ; cessit itaque sermo opinantium Jacobum fratrem Domini primum sacerdotem fuisse : verum primus sacerdos fuit eorum, qui non a Domino, sed ab apostolis ordinati sunt. Primus episcopus fuit, sed eorum qui Hierosolymis episcopatum sortiti sunt. EDIT. EAD.

[b] *Tanquam præsentem.* Quamvis totus mundus nosset Photium ex laico subito factum episcopum et viventis sedem præsulis invasisset ; quia tamen absens erat, non eum antea judicavit, quam bis per missos et epistolas ipsius illum noxium comperisset, et rursus hunc per missos suos et epistolas bis ut corrigeretur admonuisset. EDIT. ROM.

[c] *Nomina eorum ignoramus.* Urgente illos propositæ locutionis prosecutione, nomina episcoporum eis ad memoriam recurrere tam concite minime potuerunt : quibus tamen nomina erant Methodius metropolita Gangrensium, Samuel Chonorum episcopi, atque Theophilus Iconii, et Zacharias Tauromeniæ pseudoepiscopi, qui legationem et epistolas a Photio sedi apostolicæ detulerunt. EDIT. EAD.

[d] *Id est*, expulsionem.

omnes occidentales episcopos, [a] archiepiscopos, metropolitas, et omnem clerum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac totum senatum principum Romanorum, et damnaverunt libellum, et concilium malignantium, quod factum erat adversus sanctissimum virum Ignatium, et deposuit apocrisiarios qui venerant huc, Radoaldum scilicet, et Zachariam, et ab omni honore sacerdotali et communione pepulit eos; quoniam communicaverunt, et consenserunt, et constituerunt invasorem ac adulterum Photium; et abdicavit concilium malignantium. Propter hoc ergo opus damnavit et anathematizavit Photium. His tacentibus, surgens Bahanes famosissimus patricius et præpositus, ut ex persona sacri senatus, interrogavit Orientis vicarios: Et vos tempus multum fecistis, hic exspectantes a Roma vicarios, quomodo prope habentes Photium, non quæsistis, et vidistis, et ita condemnastis eum? Et surgens Helias Deo colendissimus presbyter et syncellus, locum retinens Theodosii sanctissimi archiepiscopi Hierosolymorum dixit: Nostis omnes, amici Christi, fratres, quia Spiritus sanctus, qui locutus est in prophetis, ipse et in apostolis est affatus, et omnia quæcunque gesta sunt a patribus nostris olim, et in lege posita sunt, et gratia spirituali acta consistunt; et ideo patriarchalia capita in mundo posuit Spiritus sanctus, ut in Ecclesia Dei pullulantia scandala per ea exterminentur, et pacifica constitutio in ipsa interveniat, et concedatur. Igitur cum præsidens et præcedens senes senioris Romæ nequaquam receperit Photium, nec etiam Orientis tres throni, videlicet Alexandriæ, et Antiochiæ, ac Hierosolymorum, non erat opus vocare illum ad examinationem vel rejudicationem. Hujusmodi enim actiones de iis qui recepti sunt in ecclesiis Dei, et cunctis sedibus, solitæ sunt fieri. De iis autem qui nunquam in seniori Roma et reliquis sedibus recepti sunt, nullum omnino debet iteratum haberi judicium. Hujusmodi enim in semetipsis evidentem habent propriam damnationem, ita ut et nos bene fecerimus eum, qui nunquam a seniori Roma et Orientalibus thronis receptus est, nullatenus adducentes ad retractationem examinis: habebat enim hanc secum ferens manifestissimam sui damnationem. Alium itaque nos patriarcham Constantinopoleos neque cognovimus neque recipimus temporibus istis, præter hunc sanctum virum, patriarcham videlicet Ignatium, ex quo thronum Constantinopoleos gratia Dei et electione ecclesiastica tenuit, hunc habuimus receptum in sedibus nostris: et si advenientes huc non invenissemus eum in patriarchio suo, sed in insula exsilii sui, alium non susciperemus, sed hunc eumdem appellaremus patriarcham Constantinopoleos. Quoniam vero gratia Dei hunc invenimus in throno suo, communicavimus, et comministravimus, et simul manducavimus, et bibimus cum eo, tanquam qui communicator et comminister noster ab olim usque in hodiernum diem exstiterit. Hæc enim etiam a primordiis venientes excelsa voce prædicavimus, ut non existimaremur ab aliquo maligna gerere velle, quasi furtim abstracti adhæserimus sancto viro huic, sed secundum antiquam opinionem, quam habuimus de illo, eamdem haberemus usque in præsens. Quamvis autem non collocuti cum Photio fuerimus facie ad faciem, tamen diversimode et frequenter cum iis, qui unanimes et consentanei ac protectores ejus sunt, convenientes, didicimus ea quæ pro sui defensione videntur esse inutilia et vana consistere. Quod enim dicunt patriarcham Ignatium post injustam depositionem suam, cum in exsilio esset in insula, fecisse refutationem, talem refutationem neque senior Roma neque nos recipimus, eo quod præter canonem sit ecclesiasticum facta. Si autem dixerint aliqui, quia ii qui manus impositionem Photii fecerunt, et qui simul inventi sunt, digni eadem cum ipso pœna et damnatione sint, hoc non veraciter dixerint: etenim cum simus infirmæ naturæ, non semper ferimus mortem imminentem nobis, et ideo formidantes, nonnunquam etiam ea quæ nolumus agere inviti compellimur. Denique et isti, qui ex consecratione beati Methodii et sanctissimi Ignatii timoribus subacti, et pavore regio, et potestativa tyrannide incurvati sunt, et concurrerunt propter violentiam; deinde confestim et post pauxillum reprobaverunt quæ ab illo præsumpta sunt contra Ignatium sanctissimum patriarcham, et recesserunt ab eo, venia sunt digni: et maxime ii qui mala passi sunt, et diversas ab eo tribulationes, et depositiones, et custodias, et exsilia pertulerunt; quos beatos esse et nos quoque judicamus, quemadmodum et ante nos definierunt Nicolaus et Adrianus sanctissimi patriarchæ Romani. Hæc ergo nos et his similia in posterum cognoscentes, verum et a primordiis comperientes, neque Photium recepimus, neque manus impositiones ejus admisimus; nihil enim incertum factum est nobis tanto hic tempore demorantibus. Hæc quidem velut in compendio diximus, causam demonstrantes qua vocati sumus, et adhæsimus sanctissimo patriarchæ Ignatio, et nequaquam provocavimus Photium ad examen vel iteratum judicium. Etenim et ipse Photius misit per quemdam imperialis dignitatis ad sanctissimum metropolitam Tyri, si forte aliquando receperit se in throno Antiochiæ: et confessus est, et non negavit, et confessus est quia nunquam suscepimus Photium in throno Antiochiæ. Itaque neque in seniori Roma, neque in throno Hierosolymorum, neque in throno Antiochiæ susceptus Photius, quomodo putas esset apud nos

[a] *Archiepiscopos.* Licet vocaverit archiepiscopos, nullus tamen excepto Ravennate ob temporis incommoditatem occurrit. Verum ille cum aliquantis et Photium repulit, et Ignatium patriarcham admisit privilegio scilicet sedis apostolicæ fretus, quæ sola jus habet quorumlibet ligamenta vel solutiones pontificum solvendi vel ligandi; cum utique de omni ecclesia fas habeat judicandi. EDIT. EAD.

retractione [a] judicii dignus? Hæc nunc dicimus, sufficienter valentia exhibere voluntatem et responsionem nostram super quibus interrogati sumus. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Ecce contritionem nostram sanastis atque curastis, et omnes confitemur a Deo judicium sanctum sanctarum trium sedium : *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo*, Christus ait, *ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Ita moris est sanctæ Romanæ ecclesiæ canonicam diligentiam possidendi, et propter ecclesiasticum ordinem eum, qui per fenestram ingressus est in caulas ovium, ut lupum persequendi; et gaudet sancta hæc synodus de vestra honorabili responsione. Etiam hodie auribus nostris induxistis et ostendistis veram fidem; quod enim ore dicitis, opere desideratis finire. Bahanes famosissimus patricius et præpositus dixit : Habet aliquid vestra sanctitas hodie, ut disponat? Deo amicissimi vicarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ dixerunt : Vellemus ordinare de libello, quantum possemus, sed quia A transacta est hora, hujus rei gratia, in alio conventu, Deo favente, faciemus quod debemus. Et surgens sacer senatus dixit : Benedictus Deus, quia meruimus videre sanctam diem istam, et honorabilem cœtum nostrum : ecce hæc omnia secundum rationem veritatis terminata sunt. Deinde stans in medio Stephanus Deo amicissimus diaconus sanctæ Constantinopolitanorum Ecclesiæ et devotus notarius laudem hujuscemodi : Multos annos imperatorum! Basilii et Constantini magnorum principum et imperatorum multos annos! Orthodoxorum imperatorum multos annos! Depositorum injustitiæ multos annos! Pacificorum imperatorum multos annos! Hostium mendacii multos annos! Amatorum et fautorum veritatis et justitiæ multos annos! Eudoxiæ piissimæ Augustæ multos annos! Nicolai beatissimi papæ Romaniæ terna memoria! Adriani orthodoxi papæ Romani multos annos! Ignatii orthodoxi patriarchæ Constantinopoleos multos annos! Orthodoxorum patriarcharum Orientis multos annos! Orthodoxi senatus multos annos! sanctæ et universalis synodi æterna memoria! B

[a] Forte *retractatione*.

ACTIO SECUNDA.

In nomine Domini et dominatoris omnium Jesu Christi vere Dei et Salvatoris nostri. Consulatus protectorum et tranquillissimorum imperatorum nostrorum dominorum, Basilii quidem anno tertio, Constantini autem filii ejus anno secundo, perpetuorum Augustorum, indictione tertia, Nonis Octobris, præpositis pretiosis et vivificis lignis ac intemeratis et sanctis Evangeliis, conveniente autem sancta et universali synodo, Donato Deo amantissimo episcopo Ostiensi, et Stephano Deo amicissimo episcopo Nepesino, atque Marino reverendissimo diacono sanctæ Romanæ Ecclesiæ, locum obtinentibus sanctissimi Adriani papæ Romani, et Ignatio sanctissimo patriarcha Constantinopoleos, et Thoma sanctissimo metropolita Tyri, locum obtinente sedis Antiochiæ, ac Helia Deo colendissimo presbytero et syncello locum obtinente throni Hierosolymorum : præsente quoque sacro senatu, videlicet Theodoro magnificentissimo proconsule ac magistro, Bahane magnificentissimo patricio et præposito, Hemerio magnificentissimo proconsule ac patricio, Theophilo magnificentissimo proconsule ac patricio, Leone magnificentissimo proconsule ac patricio, Joanne magnificentissimo patricio et logotheta okeos dromi, Leone magnificentissimo patricio et domestico excubitorum, Paulo magnificentissimo patricio et præfecto prætoriorum, Manuele magnificentissimo patricio, Theophylacto magnificentissimo patricio, Petronate magnificentissimo patricio, Horeste laudabilissimo protosphatario et domestico ycanatorum : atque sanctissimis episcopis, videlicet Nicephoro Deo amicissimo metropolita Amasiæ, Joanne Deo amicissimo metropolita Sylæi, Niceta Deo amicissimo metropolita Athenarum, Metrophane Deo amicissimo metropolita Smyrnæ, Michaele Deo amicissimo metropolita Rhodi, Georgio Deo amicissimo episcopo Heliopoleos, Petro Deo amicissimo episcopo Troadis, Niceta Deo amicissimo episcopo Cephaludii, Athanasio Deo amicissimo episcopo Magnesio, Nicephoro Deo amicissimo episcopo Cotronæ, Antonio Deo amicissimo episcopo Alisii, Michaele Deo amicissimo episcopo Cercirorum : his ita convenientibus, stetit in medio, [a] Paulus Deo amicissimus [b] chartophylax, et dixit : Ipsi qui ceciderunt sub Photio venerunt C D

[a] *Paulus Deo amicissimus.* Paulus iste archiepiscopus quondam fuit a Photio consecratus, sed quia cum cæteris, qui a Photio manus impositionem susceperе, secundum sententiam papæ Nicolai condemnatus est, et quoniam is erat utilis pro consolatione damnationis ab Ignatio patriarcha chartophylax effectus est : scripserat enim et papa Romanus ut alia illum, excepto sacerdotio, quantacunque vellet, dignitate ditaret. EDIT. ROM.

[b] *Chartophylax.* Interpretatur chartarum custos. Fungitur autem officio chartophylax apud ecclesiam Constantinopolitanam, quo bibliothecarius apud Romanos, indutus videlicet infulis ecclesiasticorum ministrorum, et agens ecclesiastica cuncta prorsus obsequia, exceptis illis solis quæ ad sacerdotale specialiter ac proprie pertinere probantur officium. Sine illo præterea nullus præsulum aut clericorum a foris veniens in conspectum patriarchæ intromittitur, nullus ecclesiastico conventui præsentatur, nullius epistola patriarchæ missa recipitur, nisi forte a cæteris patriarchis mittatur, nullus ad præsulatum vel alterius ordinis clericatum, sive ad præposituram monasteriorum provehitur, nisi iste hunc approbet et commendet, atque de illo ipsi patriarchæ suggerat, et ipse præsentet.

cum libello quid videtur vobis? expetunt enim ingredi sanctam hanc et universalem synodum. Sanctissimi vicarii senioris Romæ et Orientis, et omnis sancta synodus dixit: Ingrediantur. Et ingressi sunt prædicti episcopi præferentes libellum in manibus suis, et adorantes proposita intemerata judicia prociderunt sanctæ synodo. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt: Qui estis vos qui intrastis huc episcopi, et a quo consecrati estis? Theodorus metropolita Cariæ dixit: A domino nostro sanctissimo patriarcha Ignatio et beatissimo Methodio. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt: Et quot estis? Theodorus reverendissimus metropolita Cariæ dixit: Numerum nescimus. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt: Quid dicitis? quid habetis? quid vultis? Episcopi dixerunt: Procidimus sanctæ et universali huic synodo, pœnitentiam expetentes. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt: Quid est hoc quod fertis? Episcopi dixerunt: Libellus confessionis, super quibus peccavimus in dominum nostrum sanctissimum patriarcham Ignatium. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt: Confitemini vos peccasse in hac causa? Episcopi dixerunt: Confitemur. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt: In libello ita habet ut ore vestro dicitis? Episcopi dixerunt: Legatur libellus, et tum ea quæ de nobis sunt certissime comperietis. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt ad Dei cultores vicarios Orientis: Aptum apparet vobis, ac omni sanctæ synodo, ut suscipiatur libellus confitentium se peccasse? Sanctissimi vicarii Orientis et tota sancta synodus dixerunt: Si placet sanctitati vestræ, ac honorabilissimo patriarchæ Ignatio, et nobis bonum videtur, ut suscipiatur et in conspectu synodi legatur. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt: Ergo quoniam omnibus placet, suscipiatur et legatur. Et accipiens Stephanus Deo amicissimus diaconus et notarius sanctæ Constantinopolitanorum Ecclesiæ de manibus jam denuntiatorum episcoporum, legit magna voce in audientiam omnium.

LIBELLUS.

Si quidem essent ignota in seniori Roma, quæ dira contigerunt a Photii mente [a], impugnatoris Ecclesiæ, oporteret humilitatem nostram multum texere sermonem, roborantem quæ circa nos perpetrata sunt, et quibus et quot ab ipso atrocitatibus submissi sumus: quia erat vir alia quidem loquens, et alia cogitans, et operam dans mendacio: ex arte gentilium semper proponebat bona, deveniebat autem in mala, et erat potens ad superandum et decipiendum, ut non est factus, nec fiet ullus hominum. Unde cum talis esset, supplantavit nos, sed sermonem prolixum supra modum facere nolumus, habentes vos eorum quæ dicuntur testes. Nam scitis utique vos, qui meruistis obsecundare sanctissimo papæ Nicolao, lucernæ ecclesiæ, ac luminari totius orbis, et ipsius comministri estis effecti, quia incomparabilis erat in sacerdotibus, vita et sermone resplendens, quem pene nec macula tetigit: sed hic in talem et tantum virum non segnis exstitit fingere mente infelicissima detentus (quem non vidit, nec cognovit) maculam plurimam, innumeram et coacervatam: et post multitudinem etiam, magnitudine prævaluit in vanitate sua: etsi mendaces, attamen de Oriente ex omnibus patriarchis apocrisiarios quasi concordantes, et certissime quæ a se dicebantur noscentes, multo studio duxit, ut hujusmodi virum depositioni submitteret: et habens consentaneos testes falsos, transmisit commenta, mendacia, et viros deceptos, et veniabant ad complendum quæ sibi visa exstiterant. Et nisi Deus omnes operibus manuum suarum compeditos ligasset, nos utique cum hujusmodi caderemus; nimirum qui pro pastore lupus esse videbatur. Diximus de Nicolao parum. Non solum autem huic talia operatus est, sed et ipsum sanctissimum sacerdotem ac pastorem nostrum, qui nos impositione sanctarum manuum suarum, cum esset summus antistes, sanctificavit, multis prius studiis, cum sæcularis esset, impugnans, et in nos inspirans postea hypocrisim, cuncta negavit, et omnibus consentaneis suis, vel qui sub ipso eramus, suasit ut se chirographis terribilibus profiterentur eum se habituros patriarcham patriarcharum, et summum sacerdotem summorum sacerdotum; et tunc quidem in nobis ita faciebat. Postera vero die fraudes consuebat adversus eum, et mendaciorum infinitam multitudinem, quasi criminum materiam habentium, quemadmodum et adversus beatissimum Nicolaum gessit: quæ et volebat in omnia patriarchia transmittere; ut sicut ipse post modicum depositionem ac anathematismum in eum fecit, ut olim voluit, ita et cæteri patriarchæ facerent. Sed hujus fraudem non celavit Deus, sed omnibus patefecit; et hi qui dolum manifestum fecerunt, exsiliis et proscriptionibus, ac flagris, atque multis tædiis submissi sunt: sed nec sic valuit se reprimere, sed quemadmodum impetum habuit miseri voti sui, depositionem et anathematismum fecit, et in eum, his factis, quid malorum in ipsum ex tunc non egit? Nonne dentes ejus radicitus evulsit, faciens eum in facie perculi? Nonne pedes ejus ferreis vinculis munivit? Nonne cum fuga lapsis, et fugacibus servis, in fœtoribus et sordibus damnavit eum, ut moraretur tempore non pauco? Nonne denudans eum vestimentis, quæ indiebat absque prima parvula tunica, hujus crura scidit, et in sepulcro, quod in modum rogi factum est, delusum locari fecit, candelas fundens quæ ibidem elucebant, ne, aquam eis habentibus, cum siti uteretur, ad refocillationem potaretur ex illis? Nonne hunc erectum stare facientes, tulerunt virgam, quam tenens in manibus fulciebatur, senectutis imbecillitatem consolans? Nonne sine cibo ac potu multis eum diebus transigere fecerunt? Nonne exsulem illum fecit, ubi

[a] Vox illius libelli solum ad Romanos vicarios in finem usque dirigitur.

dunt frequenter incursus barbarorum, et rapiuntur homines, qui locis illis inhabitant, et gladii efficiuntur impendium? Sed quæ ab eo sustinuit tantæ multitudinis sunt, ut dinumerare in vanum laborare sit: neque enim sermo valebit hæc enarrare. Et tunc, quem? imperatorum filium, et imperatorum nepotem [a], qui angelicam vitam subiens, habitu monasticæ conversationis indutus est, qui Deo placabilis, et angelis reverendus, atque dæmonibus metuendus apparuit. Ex his, quot exiguitatem nostram severitatibus subniserit, etsi dicere non possumus, vos colligere ac nosse valeiis: si enim talibus summis sacerdotibus, scilicet papæ Nicolao, et sanctissimo patriarchæ Ignatio, talia operatus est, nobis utique humilibus mentis munditia qualia fecerit non ignoratis. Multi enim ex nobis cum infidelibus gentibus in prætorio mulctati sunt, fameque ac siti, seu cæteris miseriis afflicti, ad secandum marmora pro lignis damnati sunt: alii autem pro eo, ut cum lignis ferirentur, spatha percutiebantur, iis qui feriebant, non ut sacerdotes, neque ut homines carnem ferentes, sed ut inanimata corpora percutientibus. Illud vero, quod calcibus submittebant, et huic pœnæ subjectis viscera evellebant, ut leve tormentum habebant. Id prætercea, quo monilibus ferreis afficiebat, et catenis vinciebat, fenum post multos dies in escam præbens, humanitatem multam esse putabat. Quot autem in tenebrosis et umbra mortis, in fœtoribus mortiferis includebant, nec tegebant, cum facerent? sed gloriantes, et cachinnantes magna voce, nescientibus cum feritate atque jactantia loquebantur, ludentes. Et rogati ut talibus misericordiam præberent, magis insaniebant, ac deterius causabantur. Alios etiam in extremitates orbis, et in alienigenarum loca fecit exsiliari. His atrocitatibus submissi nos, et in summum sacerdotem nostrum, et in eos qui cum illo perseverabant, pejora his et sæviora committi videntes, afflicti et fatigati sumus, videlicet tam in aliis fieri hæc aspicientes, quam ipsi talia patientes; ideoque deterriti incidimus seductionem et errorem atque vim sævissimam; et non sponte fecimus quæ dicere confitentes confundimur. Sed omnia hæc facta sunt in nos, necessitate ab eo et vi non cessante, voluntateque nostra se nullo modo flecti consentiente: lacrymis enim et gemitibus pepitus replebamur et facientes, et postquam faciebamus. Sed est nobis spes salutis non ex operibus nostris, neque ex justitia quam fecimus, neque enim fecimus: licet enim restiterimus, et multam vim perpessi, multisque tormentis subacti simus, in finem tamen in miseriis non substitimus. Est ergo spes ex eo, quo vos estis imitatores Dei, et qui vos miserunt, atque dominus et summus sacerdos noster simili modo. Etenim et Deus luxuriosum filium propterea in paradigma posuit, qui, omni vita sua male consumpta, veniens ad patrem suum, susceptus est, et non utcunque, sed cum symphonia, et epulis, et vestitus a proprio patre, pristinum indumentum et primam stolam recepit (*Luc* xviii): ut daret formam temperantiæ ac moderationis faciendæ super nos, qui recidimus; et publicanum humiliatum justificavit (*Luc* vii), et meretricis lacrymas suscepit (*Luc* xxiii), atque latronis confessionem admittens, hunc ipso die in paradisum introduxit (*Matth.* xx). Hos vero qui in vinea pondus totius diei sustinuerunt, et qui una hora tantummodo perseveraverunt, ut media prætereamus, pari fecit dignos mercede (*Luc* vii); ac ei cui multum debebat, et cui pauca, ex æquo donavit, ut ad majorem dignitatem attraheret, quibus multum dimisit. Cum hujusmodi spe in humilitate animæ, et contritione cordis, ad sanctitatem vestram accedentes, hunc vobis libellum dedimus, non in labiis dolosis, neque in dolo mentis. Ipse Deus testis est, qui etiam vades est noster: sed ex sinceritate ac munditia sperantes in miseratione Dei nostri, qui hominem amat, et intercessiones sanctæ ac intemeratæ Dei genitricis Mariæ, et sanctorum apostolorum, et beatissimi ac sanctissimi papæ Nicolai [b], atque sancti patris nostri et summi sacerdotis Ignatii, vestræque beatitudinis orationes, nec non et sanctissimorum vicariorum Orientis, jam non taliter nos expavescere, sed manum accipientes a vobis, quæ nos confortet, et in rectitudine statuat; et quantum ex proposito usque ad sanguinem decertare in ecclesiasticis causis, ut et culparum quas fecimus, ex hac correctione, in satisfactione cordis (*al.*, et satisfactione cordis) indulgentiam percipiamus: et non ulterius Photio, vana sapienti vel consentaneis ejus, dum permanserint in exsecratione sua, et sanctæ Dei catholicæ Ecclesiæ dissonaverint, concordabimus, nec erroris ejus et seductionis turbulenta fluenta gustabimus. Ecce enim ea, quæ ab ipso bibimus, et amarum et dolosum, ac exitiale poculum exspuentes, nosmet in hanc sanctam synodum projicimus, profitentes etiam accepturos nos esse libenter a sanctissimo summo sacerdote nostro epitimium definitum. Si autem post hanc erectionem, quæ in nos sine calliditate atque conturbatione facta est, nos callide agere contra Ecclesiam Dei in aliquo volverimus; sit nobis depositio a Patre, et Filio, et Spiritu sancto, et nulla ad erectionem ulterius revocatio. Donatus sanctissimus episcopus Ostiæ, et Stephanus sanctissimus episcopus Nepæ, et Marinus Deo amicissimus diaconus sanctæ Romanorum Ecclesiæ vicarii Romani interrogaverunt episcopos: Cujus estis consecratio? Episcopi dixerunt: Diximus quia beati Methodii et sanctissimi Ignatii. Sanctissimi vicarii Romani dixerunt: Suscipimus vos secundum præceptionem sanctissimi papæ nostri Adriani propter confessionem libelli pœnitentiæ vestræ. Reverendissimi episcopi dixerunt: Et nos adoramus vos, et suscipimus vos judices, et judicium vestrum tanquam apostolorum, verum etiam sanctissimi quondam papæ Nicolai se sperare fatcantur.

[a] Ignatius enim filius imperatoris Michaelis, et nepos imperatoris Nicephori fuit.

[b] Nota quod non solum intercessiones Dei Genitricis

quam ex persona Filii Dei habemus. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : quot estis numero ? Illi autem dixerunt : Et antea diximus quia nescimus. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Ecce sancta Romana Ecclesia non claudit viscera sua omnibus vobis, si offertis libellum ex toto corde vestro. Et iterum iidem ipsi sanctissimi vicarii senioris Romæ ad episcopos dixerunt : Detulimus libellum a sancta Romana Ecclesia, a sanctissimo papa Adriano, mandatum ab eo accipientes, exigere a vobis fieri ipsum libellum, et sic vos suscipere : vultis ergo facere quod jussum est a sanctissimo papa Adriano ? Episcopi dixerunt : Volumus, et placet nobis, et subscribimus. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Volumus et jubemus relegi eum in conspectu omnium. Et accipiens Stephanus Deo amicissimus diaconus et notarius legit libellum Græce, qui a Romano fuerat transmissus, qui etiam in prima lectus est actione. Et post lectionem sanctissimi vicarii senioris Romæ ad episcopos dixerunt : Libellum hunc audistis ? Placet vobis ? Scribite illum. Suscipitis omnia quæ edita sunt a sancta Romana Ecclesia ? Reverendissimi episcopi dixerunt : Placet, scribimus, et suscipimus omnia. Donatus reverendissimus episcopus Ostiensis, et Stephanus sanctissimus episcopus Nepesinus, et Marinus reverendissimus diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, dixerunt : Et scribite eum. Et suscipiens Theodorus Cariæ, scripit illum. Deinde similiter Euthymius Catanæ, Photius Nacoliæ, Stephanus Cypriorum, alter Stephanus Cyliræ, Theodorus Sinopes, Eustachius Acmoniæ, Xenophon Milassi, Leo Daphnusiæ, Paulus Meles; omnes isti scripserunt Romanum libellum, et dederunt hunc sanctissimis vicariis Romanis, etiam cum subscriptione testium. Et post hoc Thomas et Helias sanctissimi vicarii orientis ad sanctissimos vicarios Romanos dixerunt : Omne quod disposuistis placet nobis. Sanctissimi vicarii Romani dixerunt : Quoniam bonum diligitis, ideo, fratres nostri venerandi, placet nobis et vestra dispositio. Et rursus iidem episcopi ad Orientales vicarios dixerunt : Si videtur vobis bonum esse, detur decidentium episcoporum pœnitentiæ libellus. Patriarchæ sanctissimi vicarii Orientis dixerunt : Videtur nobis esse bonum. Ignatius sanctissimus patriarcha Constantinopoleos dixit : Ponatur libellus super preciosa ligna, et sancta Evangelia, et sic eum accipiant, et dent mihi. Sanctissimi vicarii senioris Romæ una cum orientalibus dixerunt : Ponatur. Et ponentes episcopi libellum super sancta Evangelia et preciosa ligna, et rursus sumentes eum, dederunt Ignatio sanctissimo patriarchæ Constantinopoleos : et sumens patriarcha superhumeralia, tradidit eis. Primo autem omnium dedit Theodoro metropolitæ Cariæ, et dixit ei : *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid fiat* (*Joan.* v). Theodorus reverendissimus metropolita Cariæ dixit : Confugimus ad sanctitatem tuam tota anima, et mente munda, tradentes propria manu libellum confessionis nostræ, ac profitentes usque ad totam vitam nostram conservare quæ illic scripta sunt inconvulsa. Ignatius sanctissimus patriarcha Constantinopoleos dixit : Bene ac decenter fecistis, filii dilectissimi nostri. Ecce suscipio vos sicut misericors et benevolus pater prodigum filium suum reversum ad pœnitentiam ; propterea quia et sancta Romanorum Ecclesia benigniori affectu mota est erga reverentiam vestram, quibus et concordaverunt etiam Orientales sedes. Et post hoc Theodorus reverendissimus episcopus Sinopæ dixit : Non solum epitimiis sumus digni, sed et pœnis ; sed misericordia tua magna est, domine. Xenophon reverendissimus episcopus Milassi dixit : Cum sim multis pœnis dignus, superhumerale accipio. Et postquam acceperunt superhumeralia sua, sederunt singuli in ordine suo. Et iterum Paulus Deo amicissimus chartophylax stans in medio dixit : Postquam ingressi sunt in hanc sanctam synodum episcopi, qui ceciderunt, ecce præsto sunt et presbyteri, habentes eumdem libellum, et rogantes sanctitatem vestram, ut intrent in hanc sanctam synodum : quid ergo placet sanctitati vestræ ? Sancta synodus dixit : Cujus consecrationem habent ? Paulus Deo amicissimus chartophylax dixit : Beatissimi Methodii, et sanctissimi Ignatii. Sanctissimi vicarii dixerunt : Intrent. Et intraverunt, Thomas primus presbyterorum, Cosmas secundus atque defensor, Pantaleo presbyter, Joachim presbyter et defensor, Megistus presbyter, Nicephorus presbyter, Theodosius presbyter, Epiphanius presbyter, Theophylactus presbyter, Sisinnius presbyter, Gregorius presbyter, et paria episcopis facientes, tradiderunt libellum pœnitentiæ : deinde scribentes et ipsi Romanum libellum, susceperunt a patriarcha oraria sua, dicente ad eos : Cognoscite quia verax homo sum, et sermo meus finem habet. Ecce enim magnam meruistis compassionem et veniam a sancta Romanorum Ecclesia, et omnibus nobis. Postquam ergo ingressi sunt episcopi ac presbyteri, rursus stans Paulus Deo amicissimus chartophylax in medio dixit : Similiter et diaconi, qui ceciderunt, habentes præ manibus libellum pœnitentiæ, deprecantur sanctam synodum ut introeant. Sancta synodus dixit : Cujus consecratio sunt ? Paulus Deo amicissimus chartophylax dixit : Beatissimi Methodii et sanctissimi Ignatii. Sanctissimi vicarii senioris Romæ et Orientis, ac sancta et universalis synodus, dixerunt : Introeant. Et introierunt, Constantinus diaconus, Joannes diaconus, Stephanus diaconus, Michael diaconus, Christophorus diaconus, Leo diaconus, Theodosius diaconus, Nicolaus diaconus, Sophronius diaconus. Et ait Ignatius sanctissimus patriarcha ad eos : Utique ex proposito fecistis libellum quem fertis ? Reverendissimi diaconi dixerunt : Deus scit, domine, quia ex multa alacritate illum fecimus ; ipse enim novit conscientias nostras quo modo erant circa sanctitatem tuam, cum tyrannidem patereris. Quæ vero Photio fecimus, coacte ac inviti fecimus : sed gratias agimus Deo et sanctitati tuæ, o domine, quia non retribuisti nobis secundum pec-

cata nostra et culpas nostras; sed compassus nobis, miseratus et misertus es nostri, et dimisisti nobis peccata nostra. Et facientibus eis similia episcopis et presbyteris. Et accipiens patriarcha oraria ipsorum, reddidit eis. Et post hoc, iterum stans in medio Paulus Deo amicissimus chartophylax dixit : Venerunt et subdiaconi qui ceciderunt in sanctam hanc synodum, eumdem libellum præ manibus habentes, ingredi postulantes. Sanctissimi vicarii senioris Romæ et Orientis dixerunt : Ingrediantur, placet enim nobis. Et ingressi sunt. Thomas domesticus [a] subdiaconorum, Eustachius, Stephanus, Photinus, Joannes, Paulus, Thomas : et facientibus similia pari modo, dedit et ipsis proprii honoris insignia. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Secundum formam hanc, secundum quam hodierna die suscepimus episcopos, et presbyteros, et diaconos, et subdiaconos qui ceciderunt, suscipi deinceps decernimus omnes qui similiter peccaverunt, et pœnitentiam agunt. Et post hæc sanctissimus patriarcha Ignatius dixit : Epitimia quæ indicta sunt iis qui ceciderunt episcopis, et presbyteris, et diaconis, et subdiaconis, ab hac sancta et universali synodo, in audientiam omnium legantur; quatenus fiant omnibus manifesta. Et accipiens Stephanus diaconus et notarius legit : Sit remedium et salutem animæ ferens, ac valde discretum epitimium sacerdotum qui per multam consuetudinem ceciderunt et negaverunt propria chirographa, quæ bene ac regulariter edita sunt ad spiritalem conflictum et unitatem sanctæ catholicæ Ecclesiæ. Si quidem carnibus vescuntur, abstinere se a carne, caseo et ovo : ii vero qui carnes non comedunt, abstinere a caseo et ovo, et piscibus quarta feria et parasceve [edere] legumina et olera cum oleo et pauco vino, facereque genuflexiones quinquaginta per singulos dies, et dicere Kyrie eleison, centies, et Domine peccavi, centies, et Domine ignosce mihi peccatori, centies; recensereque sextum psalmum, et trigesimum septimum, et quinquagesimum : hæc mando tibi custodire usque ad Christi Nativitatem, non autem habeas potestatem ministrandi, nec agendi quoquo modo quæ sacerdotum sunt, et tunc in natalitiis magni Dei et salvatoris nostri Jesu Christi recipies sacerdotium tuum, et mecum eris sacerdotio fungens, et ministrans immortali æterno Deo. Et post lectionis epitimiorum completionem, rursus ipse Stephanus collaudavit : Multos annos imperatorum Basilii et Constantini! magnorum dictatorum et imperatorum multos annos! Orthodoxorum imperatorum multos annos! Pacificorum imperatorum multos annos! Depositorum injustitiæ multos annos! Hostium mendacii multos annos! Amatorum et fautorum veritatis et justitiæ multos annos! Nicolai beatissimi papæ Romani æterna memoria! Adriani orthodoxi papæ Romani multos annos! Ignatii orthodoxi patriarchæ Constantinopoleos multos annos! Orthodoxi senatus multos annos! Sanctæ et universalis synodi æterna memoria [b]. Deus deposuit molimina Photii, quæ incipiunt in divino loco, et simul deposuit eum, ut mendacii amicum et conculcatorem venerandæ figuræ.

[a] Primum subdiaconorum Græci domesticum vocant, quem Romani oblationarium.

[b] Iambici versus hi sunt apud Græcos.

ACTIO TERTIA.

In nomine Domini et dominatoris Jesu Christi veri Dei et Salvatoris nostri. Consulatus Deo coronatorum dominorum nostrorum, Basilii quidem anno tertio, Constantini autem filii ejus anno secundo, imperatorum perpetuorum Augustorum, indictione tertia, quinto Idus Octobris. Propositis et vivificis lignis, et intemeratis salutis nostræ Evangeliis in dextris partibus catechumenorum opinatissimi templi sanctæ ac magni nominis Sophiæ, convenientibus autem Donato Deo amicissimo episcopo Ostiensi, et Stephano Deo amicissimo episcopo Nepesino, ac Marino reverendissimo diacono sanctæ Romanæ Ecclesiæ : locum habentibus? Adriani sanctissimi et beatissimi archiepiscopi senioris Romæ et Ignatio honorabilissimo archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ ac sanctissimis vicariis Orientis, Thoma scilicet sanctissimo metropolita Tyri, locum habente sedis Antiochiæ, eo quod viduata esset eadem Ecclesia, et Helia Deo colendissimo presbytero et syncello, locum possidente Theodosii sanctissimi archiepiscopi sedis Hierosolymorum : Deinde per jussionem amicorum Christi et Dei cultorum magnorum imperatorum Basilii et Constantini; præsentibus et audientibus etiam magnificentissimis principibus, videlicet Christophoro magnificentissimo magistro, Bahane magnificentissimo patricio et præposito, Paulo magnificentissimo patricio et præfecto, Leone magnificentissimo patricio et domestico excubitorum, Joanne magnificentissimo patricio et logotheta acuti [*lege* velocis] cursus, Manuele magnificentissimo patricio, Theophylacto magnificentissimo patricio, Petrona magnificentissimo patricio, Oreste famosissimo protospathario et domestico icanatorum : considentibus autem et Deo amicissimis episcopis, id est, Nicephoro Deo amicissimo metropolita Amasiæ, Niceta Deo amicissimo metropolita Athenarum, Metrophane Deo amicissimo Smyrnæ, Theodoro [a] Deo amicissimo metropolita Cariæ, Euthymio Deo amicissimo metropolita Catanæ, Mi-

[a] Quamvis ipse Theodorus post scriptum Romanum libellum, inducta culpa, quam contra patriar-

chaele Deo amicissimo metropolita Rhodi, Photio Deo amicissimo Nacoliæ archiepiscopo, Athanasio Deo amicissimo episcopo Anilii Magnesiæ, Georgio Deo amicissimo episcopo Heliopoleos, Stephano Deo amicissimo episcopo Cibyræ, Niceta Deo amicissimo episcopo Cephaludis, Stephano Deo amicissimo archiepiscopo Cypsallorum, Theodoro Deo amicissimo episcopo Sinopæ, Basilio Deo amicissimo episcopo Pyrgii, Gregorio Deo amicissimo episcopo Mesinæ, Eustathio Deo amicissimo Æmoniæ, Xenophonte Deo amicissimo episcopo Milassi, Leone Deo amicissimo episcopo Daphnusiæ, Petro Deo amicissimo episcopo Troadis, Samuele amicissimo episcopo Antri, Antonio Deo amicissimo episcopo Aliseos, Nicephoro Deo amicissimo episcopo Crotonæ, Michaele Deo amicissimo episcopo Cercyrorum. His ita convenientibus, surgens Metrophanes Deo amicissimus metropolita Smyrnæ, una cum Nicephoro Deo amicissimo metropolita Amasiæ, et Niceta metropolita Athenarum, dixit : Omnia honeste, et secundum ordinem facere Paulus magnus apostolus jubet et sancit. Videtur autem omnibus nobis honestum esse, ac perfecto ordini proximum, ut deinceps hæc sancta et universalis synodus audiat epistolas amici Christi imperatoris nostri, quas misit ad sanctissimum papam Romanum, et Orientis præsules; et rursus sanctissimi patriarchæ nostri, deinde beatissimi papæ Adriani ad sanctissimum dominum nostrum; ut et sancta synodus satisfactionem adhuc majorem accipiens, glorificet Deum, qui cooperatus est plissimo imperatori nostro in conciliis et optimis studiis, gratiasque agat et sanctissimo patriarchæ nostro, et vobis sanctissimis vicariis. Donatus et Stephanus sanctissimi episcopi, et Marinus reverendissimus diaconus, vicarii senioris Romæ dixerunt : Audivimus quia sunt quidam errantes ex consecratione beatissimi Methodii et sanctissimi Ignatii, et nesciunt quid sit pietas et misericordia sanctæ Dei Ecclesiæ atque judicium; et ideo renuunt scribere Romanum libellum, quem misit sanctissimus papa Adrianus. Ante omnia ergo mandamus bono cultui vestro, ut eatis ad eos, et secundum canonicam auctoritatem accersatis eos, ita dicentes : Sancta synodus advocat vos, ut faciatis quod decretum et censitum est auctoritate, et suscipiamini a sancta synodo; neque enim vult claudere viscera sua; invitat ergo vos venire : ac secundum libelli satisfactionem facite, quemadmodum et cæteri fratres vestri fecerunt; et suscipit vos sancta et universalis synodus. Thomas et Helias sanctissimi vicarii Orientalium sedium dixerunt : Secundum solitas et canonicas præceptiones apostolorum ac sanctarum synodorum et nos providemus, nutu misericordiæ ducti, ut adsciscantur ad hanc viam salutis, ad quam et

A fratres eorum succurrerunt [*al.*, cucurreruut]. Congruum ergo est, ut eatis ad eos, et provocetis illos ad salutem animarum suarum. Dicite itaque eis cum benevolentia et convenienti fraterno affectu : Advocamus vos : si ergo feceritis quæ videntur sanctæ synodo, introite in ea, et suscipiet vos. Et abeuntes Metrophanes Deo amicissimus metropolita Smyrnæ, et Nicephorus Deo amicissimus metropolita Amasiæ, ac Niceta Deo amicissimus metropolita Athenarum, dixerunt quæ sibi fuerant impetrata ad Theodulum reverendissimum metropolitam Ancyræ, et Nicephorum reverendissimum metropolitam Nicææ, qui responderunt ita : De proposita subscriptione rationem reddimus sanctitati vestræ, quia propter rationabiles et irrationabiles subscriptiones, quæ ante
B factæ sunt, gravati definivimus nos, et vinculum imposuimus non ulterius subscribere, præter id quod subscripsimus, et professi sumus fidei nostræ symbolum, quod jacet in chartophylacio venerabilis patriarchæ, tempore consecrationis nostræ. Propter quod dicimus vobis, et rogamus sanctam synodum, si possibile est, indulgeat nobis quod deliberavimus conservare usquedum vixerimus. Deo amicissimis metropolitis deferentibus hujusmodi responsionem, sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Legatur responsio eorum in audientiam omnium. Et accipiens Thomas venerabilis subdiaconus ac devotus vicarius in auditionem sanctæ synodi legit. Et iterum vicarii senioris Romæ dixerunt : Legatur epistola a Deo muniti imperatoris nostri, quam misit ad san-
C ctissimum papam Nicolaum [a]. Et accipiens Theodorus devotus a secretis legit.

« *In nomine Patris, et Filii, et sancti Spiritus unius, et solius, et veri Dei, Basilius fidelis imperator Romanorum Nicolao sanctissimo papæ Romano, et spirituali quoque Patri nostro.*

« Qualiter se habet mentis nostræ voluntas super ecclesiasticis negotiis nostris, o divinum et sacrum atque instar Aaron reverendum caput, in priori epistola innotuimus. Nescientes autem, si sanctis vestris, et secundum Moysen Deo gratissimis, sit posita palmis (multæ namque in longinquo itinere impedientes accidunt causæ), necessarium conspeximus primum quæ in eadem continebantur epistola in brevi commemorare, et nunc quæ defuerunt sup-
D plere. Habebat itaque in quibus malis Ecclesiam nostram, quando imperii divinis orationibus vestris gubernacula suscepimus, invenerimus male jacentem, insanabiliter langnentem, legitimo rectore denudatam, tyrannide detentam, alieni pastoris servituti subjectam, omnia instar ancillæ patientem magis, quam more reginæ quidquam gerentem. Hæc sunt quæ illa significabat epistola. Et quædam a nobis agenda fore visa sunt, quædam vero paternæ

cham Ignatum, ab illo recedendo, et contra subscriptionem suam agendo commiserat, per libellum pœnitentiæ acceptus sit; postea tamen deprehensus, quod in depositione ac anathemate papæ Nicolai scripserit, ab universa synodo sola pro hac causa dejectus est, duntaxat beati Petri judicio reservatus.

[a] Ad Adrianum missam dicunt, quoniam hanc Adrianus suscepit, quæ tamen ad Nicolaum fuerit scripta.

sanctitati vestræ penitus relinquenda. Verum nobis nihil amplius debere fieri visum est, nisi, ut Photius quidem a sede removeretur, et secum quiescere hortaremur : quippe qui multa contra veritatem et contra sacrum pontificium vestrum commovit ; in tantum enim rabies illius profecit. At vero Ignatius sanctissimus et spiritalis pater noster, qui clare injurias et tyrannidem pertulit secundum judicium et justificationem, quæ in diversis epistolis vestris inventa est (quanquam per easdem litteras vix nunc omnibus manifestum constituimus : sic enim ipsæ litteræ obrutæ, et nullatenus quibusdam ostensæ fuerint ab iis qui ante nos principatum tenuerunt) per æquam et justam veritatem ad proprium thronum revocaretur : reliquis autem finem imponendum, imo vero et hæc eadem approbandum, atque horum sequentia terminandum, spirituali sanctitati vestræ dimisimus. Videlicet de his sacerdotibus qui ex utraque parte peccaverunt, et ante a sanctissimo patriarcha Ignatio consecrati secundum scripturæ suæ confessionem, in veritate minime permanserunt, quam qui a Photio viro impudenti manus impositionem susceperunt : nec non et de his summis sacerdotibus, et sacerdotibus, atque abbatibus, qui diversimode scripserunt : quorum quidem alii vi vel tyrannide, alii vero simplicitate aut levitate, quidam vero seductione ac versutiis, quidam vero muneribus et honoribus diversimode decepti sunt. Pauci enim superiores [a] laqueo illius prorsus effecti sunt ; imo vero dicendum est, quia pene omnes sacrati, tam priores, quam posteriores, qui sub nobis sunt, male, et ut non oportebat tractati sunt. De quibus decretum et judicium mittere paternam sanctitatem vestram præscribentes [b] poposcimus, et nunc expetimus : addentes huic epistolæ pro his, qui ecciderunt benignissimam postulationem, et maxime de iis qui pœnitentiæ locum requirunt, et ad legitimum summum sacerdotem recurrunt : quatenus non Ecclesiæ nostræ summis sacerdotibus, et sacerdotibus qui sub omni regimine nostro consistunt, commune occurrat naufragium, propemodum universis illis de falsis et impotabilibus gustantibus iniquitatis rheumatibus. Super his itaque postulamus compatientissimum sacerdotium tuum, ut manum porrigat humanitatis, et eorum dispenset salutem, qui proprium duntaxat peccatum pronuntiant, et veniam accipere de eo [ut veniam accipiant ab eo] qui male ac nequiter ab ipsis molestatus est summo sanctissimo sacerdote deposcunt : eos enim qui permanent in malitia, et nolunt ad veritatis semitam repedare, nullus modus vel ratio a condemnatione liberabit. Ut autem manifesta etiam iis qui ex sorte sunt Photii vestra divina et apostolica fiat sententia, tam de sanctissimo patre nostro et patriarcha Ignatio, quam de miserrimo Photio, destinati sunt ab amabili Christo imperio nostro ad paternam sanctitatem vestram ab utraque parte apocrisiarii ; a sanctissimo quidem patriarcha Ignatio Joannes metropolita Silæi, a Photio vero Petrus metropolita Sardis, cum quibus et a divinitus munito imperio nostro missus est Basilius spatharius ; quos volumus ut paterna sanctitas vestra suscipiat, et in conspectu episcoporum, qui ex utraque parte directi sunt, quæ videbuntur sanctitati tuæ ecclesiasticis legibus atque canonibus de summis sacerdotibus et sacerdotibus sanciat : cum hisque mittat nobis reverendissimos apocrisiarios, ut certificetur expressius et purius sanctissima ecclesia nostra, cujus voluntatis sanctitas tua super utrisque consistat. Ita pater spiritalis, et divinitus honorande summe pontifex, accelera pro Ecclesiæ nostræ correctione et conflictu contra injustitiam atque ad veritatis satisfactionem multam nobis congeriem bonorum donare, id est unitatem mundam, compagem spiritalem ab omni contentione ac schismate liberam, Ecclesiam in Christo unam, et ovile uni obsecundans pastori, cujus tu minister ac immolator existis verissimus. Saluto sanctum et desiderabile mihi caput quasi labiis per litteras. Vale. Missa est mense Decembris, die undecimo. »

Et post lectionem prædictæ epistolæ accipiens Stephanus Deo amabilis diaconus et devotus notarius epistolam sanctissimi patriarchæ Ignatii, quam ad sanctissimum papam Adrianum miserat, legit :

[c] *Deo honorabili, dilecto fratri et comministro Nicolao sanctissimo papæ senioris Romæ Ignatius misericordia Dei archiepiscopus Constantinopolitanus.*

Eorum vulnerum atque livorum qui in membris hominis consistunt multos medicos protulit ars ; hanc quidem passionem alio accipiente et alteram altero, ex per experientiam amputante et medente ; eorum vero quæ in membris sunt Christi et Dei salvatoris, omnium nostrum capitis, et sponsæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, unum et singularem præcellentem atque catholicissimum medicum ipse princeps summus, et fortissimus sermo, et ordinator, et curator, et solus ex toto magister Deus omnium produxit, videlicet tuam fraternam sanctitatem et paternam almitatem : propter quæ dixit Petro magno et summo apostolorum : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Et iterum : *Tibi dabo claves regni cælorum : et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Ibid.*). Tales enim beatas voces non secundum quamdam

[a] Id est fortiores, vel potentiores, nam fortior fit et potentior laqueo, qui ab illo prævalet exsilire, vel ita superior laqueo factus, qui in illo non est retentus, sed ut aves desuper quodammodo transvolantes, evaserunt secundum illud Salomonis : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.*

[b] *Hoc est*, antea scribentes.

[c] Ista epistola missa quidem est Nicolao, sed, eo defuncto, suscepit Adrianus.

utique sortem apostolorum principi solum circumscripsit et deflnivit, sed per eum ad omnes qui post illum secundum ipsum efficiendi erant summi pastores, et divinissimi sacrique pontifices senioris Romæ, transmisit : et ideo ab olim et prisco tempore in exortis hæresibus et prævaricationibus eradicatores et interemptores malorum zizaniorum, et tabefactorum, et penitus insanabiliter ægrotantium membrorum, multi multoties facti sunt eorum, qui sanctitatem et summam paternitatem tuam illic præcesserunt ; successores scilicet principis apostolorum, et illius zelum in fide, quæ secundum Christum est, imitantes : et nunc nostris temporibus beatitudo tua digne tractavit datam sibi a Christo potestatem. Et quemadmodum quis peritus belli, et optimus prætor, sanctissime et amantissime frater noster, omnibus potentiorem et omnia vincentem veritatem, tanquam quædam valde fortia et inexpugnabilia proponens arma, hujus æmulos dejecisti, et cum Christo et per Christum mundum vicisti, et eum qui divina furatus est, et dispoliavit aliena, et per fenestram in atrium ovium more latronum intravit, et prædatus est animas multorum, deinde etiam se arroganter extulit, et cervices erexit contra Deum omnipotentem, et in tantum jactanter elatus est, ut conventum sine subsistentia et sine persona fingeret contra irreprehensibile et divinissimum et sacrum pontificium tuum, quemadmodum fabula hippocentauros et tragelaphos ; quod etiam latenter ad principem misit. Hujusmodi ergo non sanctum operatorem, atque omni opere malo repletum, videlicet eum qui secundum antiphraseos tropum Photius nominatur, opere manus pontificalis, et apostolicæ potestatis tuæ a communi Ecclesiæ resecasti corpore, et summo te Petro æquiparans, tanquam novum Ananiam, sententia potentium verborum tuorum occidisti (*Act.* v), et privatione spiritalis vitæ, ut alterum Simonem, per anathema morti transmisisti ; et nos qui injuriam passi sumus, sicut justissimus et fratrum amicissimus, et juste justificasti, et Ecclesiæ, quæ apud nos est, et proprio throno, propter quæ sategisti atque scripsisti, utpote apostolicæ et summæ potestatis susceptor, digne ac rationabiliter restituisti, et fluctum qui hic inerat dissipasti, et tranquillitatem Ecclesiis contulisti. A Deo quippe provectus et a Christo dilectissimus et mansuetissimus et justissimus noster imperator, voto et consilio et decreto et judicio tuæ sanctitatis, favens olim, etiam nunc alacriter obediens, ut filius vester proprius, et fidelissimus utrique, quæ digna sunt exhibuit, et multa tribulatione fessam nostram senectutem, adhuc etiam omnes qui pro justitia Dei multas et varias tribulationes sustinuerunt, imperialissima prudentia usus, animavit et consolatus est. Pro quibus omnibus gratificas laudes atque voces referentes super omnia Deo et vestræ beatitudini, misimus debite Joannem beatissimum et sanctissimum metropolitam Sylæi, virum Dei cultorem, et divino intellectu repletum,

Innuit imperatorem Ludovicum.

A qui etiam per totos novem annos pro verbo veritatis cum nobis ipsis persecutionem et mala cætera passus est, et Petrum Dei amantissimum episcopum Troadis, qui eadem et ipse passus est [a], et pariter decertavit cum regali homine, rationem simul vobis posituros pro nobis, et quæ epistolæ desunt viva voce adimpleturos et manifestaturos qualem et quantam et quam magnam dilectionem habeat et affectum humilitas nostra circa fraternam sanctitatem vestram : simul autem et de cæteris ecclesiasticis ordinibus accepturos, quæ Deo placeant, et vestro intellectui et sapientiæ et potestati distinctiones atque dispositiones. Duplex est enim sacerdotalis catalogi consecratio : nam quidam a nobis hanc susceperunt, et propria manu pro nobis sua sponte scripserunt ; quidam B vero ab iniquo et interfectore Photio. Multi quidem de nostra consecratione, gratia Dei confortati, restiterunt ei fortissime, per nullum modum in inhonorantiam et contumeliam nostram, et in eam quam putant depositionem communicantes ; sed et multas et varias tribulationes, et angustias, ac dira exsilia, et custodias perpetientes ; quos præcipue suscipiens et tua beatitudo, bene scio quod supremis extollat honoribus, ut certatores veraciter pietatis. Plures autem propria chirographa transgressi sunt, et ceciderunt, et pro temporis et utilitatis suæ causa in omnibus Photii temeritatibus et malignis actibus ab initio usque ad finem sectatores et communicatores et cooperatores effecti sunt, frequenter contra nos subscribentes, licet non voluntarie, sed vim et tyC rannidem passi. Sunt autem apud eos, qui contra veritatem postea in rabiem versi, et quemadmodum quadam Satanæ operatione furentes, validissimam etiam contra nos ostenderunt insaniam. Primum igitur de hujusmodi imploramus dari dispositionem ; deinde de his qui ab illo manus impositionem susceperunt et secundum ea etiam ipsi similiter per omnia frustra nequiter egerunt ; insuper de presbyteris, qui ex nostra consecratione consistentes, semel ei communicaverunt, vel fortassis bis et ter ex arcta angustia, non tamen subscripserunt injustitiæ chirographo, et rursus recesserunt, et usque in præsens voluntarie vacant ; adhuc etiam de iis qui cum communione etiam subscriptionem gesserunt, mox autem otium complexi sunt ; et super hos etiam de his D qui manus quidem impositionem a Photio et voluntarie, et non voluntarie susceperunt, reveriti tamen, sacerdotio prorsus nullo modo functi sunt. Porro manus impositionem ab eo accepit Cæsareæ Cappadociæ archiepiscopus reverentissimus et perseverantissimus Paulus post concilium vanitatis, quod contra humilitatem nostram tenuit prius : in secunda vero synodo reproborum, ut dicit propheta, viriliter valde propugnans ob veritatem et triumphans, et divulgans eorum interfectricem mentem, et nullo tempore vel modo contra humilitatem nostram subscribens, sed ob idipsum multa passus, et multimodas necessitates sustinens, alio quodam melior

scilicet affectu dignus habebitur a fraternitate vestra. Hæc igitur sunt capitula, pro quibus exposcimus solutionem et ordinationem in scriptis mitti humilitati nostræ. Super autem et vicarios vestræ beatitudinis episcopos dignos et rationabiles, ut cum eis bene et convenienter disponamus ecclesiam, quæ apud nos est, quam providentia Dei per intercessionem summi Petri, et instantiam atque interventionem vestram recepimus : et accipiant negotia finem utilem et congruentissimum in gloria Dei, et vestræ fraternæ sanctitatis, Christique imitatricis beatissimæ paternitatis.

Et post lectionem hujus epistolæ, accipiens Marinus reverendissimus diaconus et vicarius senioris Romæ epistolam, quæ missa est a sanctissimo Adriano papa ad sanctissimum patriarcham Ignatium, legit Latine, voce grandi in audientiam omnium, in Græcum sermonem eam vertente ac interpretante Damiano reverendissimo regio clerico ac interprete.

« *Adrianus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo confratri et comministro nostro Ignatio patriarchæ Constantinopolitano.*

« Nec scriptura pandere... » *Reliqua vide inter epistolas Adriani II, Patrologiæ tom.* CXXII.

Et post lectionem epistolæ sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Est canonice ac synodice acta epistola hæc. Sancta et universalis synodus dixit : Canonica, et ordinata, et plena justitiæ est epistola, quæ lecta est sanctissimi papæ Adriani. Et post hoc surgens Metrophanes Deo amicissimus metropolita Smyrnæ dixit : Ex epistolis quæ nobis lectæ sunt modo, liquidius cognovimus amici Christi, imperatoris nostri diligentiam, et studium quod habet ad pacificandam Ecclesiam Dei, et sanctissimi domini nostri et patriarchæ Ignatii humilitatem, et quomodo impleat eloquium Scripturæ quod perhibet : *Omnia cum consilio fac* ; nec non et sanctissimi papæ Romani solertem locutionem et pudorem, quem in divinis, circa divinorum canonum custodiam et observantiam habet, et ejusdem imitantem, quantum fieri potest, misericordiam et benignitatem ; quos et magnifice suscipientes, omnes gratias egimus Deo, qui dignos nos fecit hujusmodi sanctissimos vicarios contueri.

Et post hoc stans in medio Stephanus Deo amicissimus diaconus et devotus notarius laudavit ita : Multos annos imperatorum Basilii et Constantini ! Magnorum imperatorum et dictatorum multos annos ! Orthodoxorum imperatorum multos annos ! Pacificorum imperatorum multos annos ! Depositorum injustitiæ multos annos ! Hostium mendacii multos annos ! Amatorum et fautorum veritatis et justitiæ multos annos ! Eudoxiæ piissimæ Augustæ multos annos ! Nicolai beatissimi papæ Romanæ æterna memoria ! Adriani orthodoxi papæ Romani multos annos ! Ignatii orthodoxi patriarchæ Constantinopoleos multos annos ! Orthodoxorum patriarcharum Orientis multos annos ! Orthodoxi senatus multos annos ! Sanctæ ac universalis synodi æterna memoria.

VERSUS IAMBICI.

Chorus patriarcharum honorabilis et magnus
Pessimum inimicum prosequitur, ut lupum,
A thalamo casto, et venerabilibus locis ;
Photium aio ...arissimum apostatam.

ACTIO QUARTA.

In nomine Domini et dominatoris omnium Jesu Christi veri Dei et Salvatoris nostri. Consulatus a Deo coronatorum et tranquillissimorum dominorum nostrorum, Basilii quidem anno tertio, Constantini vero filii ejus anno secundo, perpetuorum Augustorum indictione tertia, tertio Iduum Octobris, propositis preciosis et vivificis lignis, et intemeratis salutis nostræ Evangeliis in dextris partibus catechumeniorum opinatissimi templi sanctæ ac magni nominis Sophiæ : convenientibus autem Donato Deo amicissimo episcopo Ostiensi, et Stephano Deo amicissimo episcopo Nepesino, et Marino Deo amicissimo diacono sanctæ Romanæ Ecclesiæ, locum retinentibus Adriani sanctissimi et beatissimi archiepiscopi senioris Romæ, et Ignatio sanctissimo archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ, ac sanctissimis vicariis Orientis, videlicet Thoma sanctissimo metropolita Tyri, locum retinente sedis Antiochiæ, eo quod vidua existeret eadem Ecclesia, et Helia Dei cultore presbytero et syncello, locum retinente Theodosii sanctissimi archiepiscopi sedis Hierosolymorum : deinde secundum jussionem amicorum Christi et piissimorum magnorum imperatorum nostrorum Basilii et Constantini : præsentibus et audientibus etiam magnificentissimis principibus, videlicet Christophoro magnificentissimo patricio et magistro, Bahane magnificentissimo patricio et præposito, Leone magnificentissimo patricio et proconsule, Leone magnificentissimo patricio et domestico excubitorum, Joanne magnificentissimo patricio et logotheta oxeos cursus, Manuele magnificentissimo patricio, Theophylacto magnificentissimo patricio, Petronate magnificentissimo patricio, Oreste magnificentissimo protospathario et domestico icanatorum, Sisinnio magnificentissimo spathario : confidentibus Deo amicissimis episcopis, id est Nicephoro Deo amicissimo metropolita Amasiæ, Niceta Deo amicissimo metropolita Athenarum, Metrophane Deo amicissimo metropolita Smyrnæ, Theodoro Deo amicissimo metropolita Cariæ, Euthymio Deo amicissimo

metropolita Catanæ, Michaele Deo amicissimo metropolita Rhodi, Photio Deo amicissimo archiepiscopo Nacoliæ, Stephano Deo amicissimo archiepiscopo Cypsallorum, Athanasio Deo amicissimo episcopo Anilii Magnesiæ, Georgio Deo amicissimo episcopo Helii, Stephano Deo amicissimo episcopo Cibyræ, Niceta Deo amicissimo episcopo Cephaludii, Theodoro Deo amicissimo episcopo Sinopæ, Basilio Deo amicissimo Pyrgii episcopo, Gregorio Deo amicissimo episcopo Mesinæ, Eustathio Deo amicissimo Æmoniæ, Xenophonte Deo amicissimo episcopo Milassi, Leone Deo amicissimo episcopo Daphnusiæ, Petro Deo amicissimo episcopo Troadis, Samuele Deo amicissimo episcopo Antri, Niceta Deo amicissimo episcopo Photiæ, Nicephoro Deo amicissimo episcopo Cercyrorum. His itaque taliter convenientibus, stans in medio Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Sunt episcopi duo, consecrationem habentes beatissimi Methodii, Theophilus et Zacharias vocati, qui Photium recipientes diffamant, quod recepisset Romanorum Ecclesia Photium. Si ergo placet sanctitati vestræ, ingrediantur in sanctam et universalem synodum, et rejudicentur. Donatus Deo amicissimus episcopus Ostiensis, et Stephanus Deo amicissimus Nepesinus, et Marinus Deo amicissimus diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, locum retinentes Adriani sanctissimi papæ Romani, dixerunt ad sanctissimos vicarios sedium Orientis, et ad universam sanctam synodum : Si consideretis aptum esse, mittantur aliqui ad prædictos viros, ut interrogent illos, cujus consecrationis sunt, et cui communicant. Sancta et universalis synodus dixit : Aptum est et conveniens. Et missi a vicariis senioris Romæ, Pancratius religiosus clericus, ab Orientis vero vicariis, Ananias religiosus clericus, a senatu autem Gregorius inclytus spatharii cubicularius, dixerunt illis : Sancta et universalis synodus misit nos, ut interrogemus vos, cujus consecrationis sitis et cui communicetis. Theophilus et Zacharias quondam episcopi dixerunt : Nos domini Methodii sumus consecrationis ; communicavimus autem domino Photio patriarchæ. Et reversis his qui missi sunt lecta est vox Theophili et Zachariæ dudum episcoporum per Theodorum virum devotum a secretis in medio sanctæ et universalis synodi in audientiam omnium, et sancta synodus exclamavit : Sit portio Theophili et Zachariæ cum Photio. Post hæc magnificentissimi et gloriosissimi principes per Bahanem magnificentissimum patricium et præpositum dixerunt : Imperatores nostri sancti miserunt servos suos, qui senatus vocatur, qui voluntate Dei hic honoratus est secundum omnia, ut simus districti eorum quæ geruntur auditores, Si vultis ergo a nobis, sicut se habet ordo synodicus, in fine sanctæ ac universalis hujus synodi exigere proprias subscriptiones per me indignum servum sanctorum imperatorum nostrorum, cuncti fratres mei et compatricii dicunt sanctissimo domino nostro patriarchæ, et sanctissimis vicariis, tam senioris Romæ, quam Orientalium sedium : Nisi audierimus et ab ipso Photio in conspectu nostro stante, et ab episcopis ejus, et iis qui habentes consecrationem beatissimi Methodii et sanctissimi Ignatii apostatæ facti sunt, ut in conspectu nostro obstruantur ora ipsorum ex canonicis et synodicis præceptionibus, non scribet manus nostra unam litteram in synodo ista : audiant quæ judicata sunt a seniori Roma in conspectu nostro, et si nihil contradicere potuerint, sanabitur mundus ex consensu ipsorum. Si hoc autem factum non fuerit, scimus quia nostri non egetis ad scribendum in fine a vobis gestorum. Quomodo enim subscribemus in hujusmodi judicio, illis clamantibus atque dicentibus : Audiamus depositionem nostram, damnemur, audientibus nobis ut postulat justitiæ ratio, et nullus sermo ipsorum fit? Hoc non est justum, uti nos arbitramur : quid ergo videtur vobis, facite : nos enim, et antequam veniret sanctitas vestra a Deo conservandam in civitatem sanctorum imperatorum nostrorum, eamdem opinionem habuimus, tam de judicio beatissimi papæ Nicolai, quam de receptione sanctissimi papæ Adriani, ac certificatione et confirmatione honorabilis sacerdotis sanctissimi domini patriarchæ nostri. Post vicarios autem Orientis vidimus et vos, et suscepimus tanquam sanctos apostolos. Rogamus ergo ut hi qui languent sanentur, et corrigamus qui non habent certitudinem veritatis, et erigamus qui deorsum jacent. Nisi enim ita hæc omnia discutiantur, conscientiæ hominum non curabuntur. Metrophanes Deo amicissimus metropolita Smyrnæ surgens dixit : Divinus apostolus ita inquit : *Prophetias nolite spernere ; omnia autem probantes, quod bonum est retinete* (*I Thess.* v). Sanctissimos itaque vicarios senioris Romæ ut prophetas suscipientes, nequaquam spernimus. Probantes autem verba magnificentissimorum principum, invenimus ea justa et congruentia ; et propterea etiam episcopi omnes, et sancta hæc synodus, favemus postulationi magnificentissimorum principum, ut examinentur illi et interrogentur, si recipiant eos judices : et accepto loco satisfactionis, si quidem justificati fuerint, ut cuncti libenter suscipiamus : si vero damnati exstiterint, ut omnes acquiescant. Nunc ergo exigantur in scriptis fateri, si hanc sanctam et universalem synodum, et quæ ab ea judicantur admittunt, et jure ingrediantur. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Et quos dicitis introduci ignorant quid judicavit sancta Romana Ecclesia? Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Ignorant : cum enim non essent ibidem, nec audissent opus vestrum in faciem, qualem certitudinem habere illos ex auditu vultis ad suam ipsius [a] condemnationem? Donatus et Stephanus Dei amicissimi episcopi, et Marinus reverendissimus diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Nobis non licet rescindere

[a] Forte *ipsorum*.

judicium sacrorum Romanorum pontificum; hoc enim contrarium est canonicis institutis : quoniam præsentes illic per proprios missos, et Romæ demorantes contra se sententiam et prolatam damnationem in Photium, et in manus impositionem ejus, et audierunt, et liquido didicerunt. Verumtamen ut manifestiorem eis justam judicationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ faciamus, ingrediantur, et exaudiant legi synodicas definitiones, et judicia beatissimi papæ Nicolai, et certificentur magis ac magis. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Hoc bonum est et optimum : audiant illi judicium beatissimi papæ Nicolai in conspectu nostro, et si habuerint quod ad contradictionem, dicent [a], aut persuasi acquiescent; quod si habent, contradicendi [b] suscipiant propriam damnationem; si vero non susceperint, tunc fiet quod fuerit visum canonibus. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Excusationem quærunt, totus mundus, Oriens, Occidens, et sancta Constantinopolitana Ecclesia, novit quia judicium datum est adversus eos. Ab undecima enim indictione damnavit eos synodice sanctissimus papa Nicolaus, et per tot spatia temporum non cognoverunt sententiam quæ in eos prolata est : non est hoc excusatio; fugere volunt judicium. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Imo non fugiunt judicium, si enim voluisseut fugere, non oporteret eos clamare magna voce : Quia judicemur, sed potius oporteret eos seorsum recedere et fugam arripere; sed quod per multum temporis per voces et sermones absolutos creatura omnis audivit, volunt per opus et ipsa gesta certificari. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Ingrediantur et stent illic deorsum in ultimo loco, et audiant epistolam quam misit ad imperatorem Michaelem sanctissimus papa Nicolaus per Radoaldum et Zachariam. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Ut jubetis : rogamus autem sanctitatem vestram, ut et convocentur, et ex iis qui Photii sunt saltem tres vel quatuor, ut audiant, vel ut isti sæculares qui stant post nos : bonum habet fieri multum. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Si fateantur tres illi, quod ex omnibus illis veniant, qui sunt ex parte sua, patiemur ingredi eos huc. Bahanes magnificentissimus præpositus et patricius dixit : Rogamus ut fiant vel quinque. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Ingrediantur, sed nos non propter contentionem advocamus eos, sed ut tantum beatissimi papæ Nicolai epistolam audiant. Et missi quidam assistentium ad convocandum eos, non invenerunt illos. Magnificentissimi et gloriosissimi principes ad vicarios senioris Romæ ac Orientalium sedium dixerunt : Nescientes quod quærerentur a sancta et universali synodo, discesserunt, et non sunt inventi : duo autem illi, qui paulo ante interrogati sunt a vestra sanctitate, Theophilus scilicet et Zacharias, præsto sunt, et sicut jubetis. Idcirco enim A et illi, ut apparet, discesserunt, eo quod dimiserunt hos duos, et se, opinati quia nobis opus non habent hodie; cæterum, si jubet sanctitas vestra, negotium duorum quæratur. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Duæ personæ illæ habent libellum quem porrigant, an sermonem tantum habent ad sanctam synodum? Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Non; sed isti sunt illi duo, qui omnimodis kedunt multitudinem illam, eo quod certificent eos hujusmodi, quia comministravit nobis papa Nicolaus. Et in hoc habet satisfactionem multitudo; quoniam si recepit hos duos, et communicavit eis, recepit utique et Photium, et communicavit ei : si autem illum recepit et communicavit, utique una die vocatus est patriarcha; et si B vocatus est una die patriarcha, habemus quod dicamus multum. Istis autem duobus convictis, quia ea quæ dicunt ad multitudinem suam et mendacia, et inania, seu invalida sunt, ex modico isto fiet utilitas multis. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Absit, quod beatissimus Nicolaus in sancta Romana Ecclesia recepisset aliquando Photium patriarcham Constantipolitanum uno die vel una hora in collegio sacerdotali. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Benedictus Deus : certificentur et isti, ut accedant ad veritatem. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Quoniam dicunt se communicasse cum sanctissimo papa Nicolao, ingrediantur, et stent in uno loco, et audiant quod definitum est de illis. Magnificentissimi et gloC riosissimi principes dixerunt : Imo interrogentur et discutiantur, quomodo dicant : Quia communicavimus beatissimo papæ Nicolao; cum omni enim certitudine hoc perhibent. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Intrent. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Ut quis eos afferat? ipsi consecratio sunt Methodii : et omnino expositio libelli vestri sancit eos qui consecrationem habent beatissimi Methodii et sanctissimi patriarchæ Ignatii, quæcunque, et quantacunque deliquissent et in eum, volentes pœnitere, veniam et justificationem mereri; ac ideo hujuscemodi etiam vos advocantes, nihil peccatis. Donatus et Stephanus Deo amicissimi episcopi, et Marinus venerabilissimus diaconus, sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Quo D niam pridem commissi sunt ad eos, qui a nobis abierunt, dixerunt illi : Quia cum Photio communicamus, ideo non vocamus illos. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Et multi eorum qui hic sedent episcoporum, Photio communicabant usque in finem. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Attamen isti per libelli satisfactionem recepti sunt. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Sed illi libellum non audierunt; non est malum litigare verbis utiliter. Duodecim discipulos habuit Dominus noster Jesus Christus, Thomas vero, qui dubitavit, et incredulus et infidelis damnatur? non. Ad multorum enim certitudi-

[a] Hoc est, quid dicant.

[b] Id est, contradicere.

nem facta est incredulitas ejus : veniant et isti, si forte magis per infidelitatem impiorum, et verborum impugnationem, lucrum multum per duos multis efficiatur. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Ingrediantur. Et intrantibus Zacharia et Theophilo dudum episcopis, dixerunt sanctissimi vicarii senioris Romæ ad sacram synodum et inclytum senatum : Isti sunt, qui desideraverunt [*al.* petierunt] intrare in sanctam synodum : quid desiderant audire ? quid dicunt ? Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Interrogentur ipsi, et dicent desiderium suum. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Nomina ipsorum qui vocantur? Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Zacharias et Theophilus. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Hi qui petierunt introire in sanctam synodum, faciunt libellum hunc quem exposuit sanctissimus papa Adrianus, et implent omnia quæ præcepit ? Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Interrogentur. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Interrogate illos. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Ut obsecundantes verbo vestro, ex præceptione vestra interrogamus eos, non per potestatem nostram ; potestas enim hæc vestra est. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Interrogate illos, si volunt facere libellum qui missus est a sancta Romana Ecclesia. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit ad jam dictos dudum episcopos : Desideratis audire libellum ? Zacharias et Theophilus dudum episcopi dixerunt : Nec libellum desideramus audire, nec volebamus huc venire : jussit imperator ut inveniremur in palatio, et coram præsentia ejus reperti sumus illic hoc modo, non propter libellum. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Dixistis in palatio : Quia ostendere habemus per omnia, quia ut sacerdotes sanctissimo papæ Nicolao comministravimus? Zacharias et Theophilus quondam episcopi dixerunt : Diximus, et iterum dicimus, quia ut summi sacerdotes suscepti sumus a papa Nicolao, et comministravimus ei, et recepti sumus ab illo. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Absit; mendaces sunt, et non dicunt veritatem. Zacharias et Theophilus dudum episcopi dixerunt : Et si mendaces sumus ne interrogetis nos. Marinus Deo amicissimus diaconus et vicarius Romanus dixit : Et quid vobis videtur, nunquid omnis qui interrogatur, ut profecto verax interrogatur ? Theophilus dudum episcopus ad sacram synodum ait, ostendens Marinum reverendissimum diaconum vicarium senioris Romæ : Ipsum qui loquitur mihi interrogate ; Romæ erat, cum hæc agerentur, annon? Marinus honorabilissimus diaconus et vicarius senioris Romæ dixit : Ego subdiaconus Romanæ Ecclesiæ eram in diebus illis, consecratus a Leone sanctissimo papa Romano, et in Ecclesia Romana ministrabam a duodecimo anno temporis nativitatis meæ ; et quando isti venerunt Romam cum Arsabir, ego ministrabam in ecclesia Romana sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ dicitur Præsepis. Illic eos suscepit sanctissimus papa Nicolaus per satisfactionem libelli, et juramenti, et non contulit eis communionem in loco episcoporum. Si vero contradixerint, ostendant quod susceperit eos in communionem ut episcopos. Theophilus dudum episcopus dixit : Nunquid ignotus eram ego? Ab imperatore ac a synodo missus sum. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Detulistis litteras, quando ascendebatis cum vicariis Radoaldo et Zacharia? Theophilus et Zacharias dudum episcopi dixerunt : Nescimus. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : In hoc cognoscat omnis sancta et sacra synodus, quia mendaces sunt, dicentes : Apocrisiarii missi sumus cum epistolis ; et epistolam si detulerimus, ignoramus. Theophilus dudum episcopus dixit : Ego non scrutabar de litteris, sed ad accipiendum apocrisiarios perrexi, non ad epistolam. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt Theophilo : Quid habebat epistola, quam Romam portastis ? Et Theophilus : Nescio. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Credit sancta hæc et universalis synodus, quia Romana Ecclesia nunquam aliquando suscepit patriarcham Photium, nec eos qui manus impositionem habent ab illo. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Et quomodo dicunt quia suscepti sunt? Donatus et Stephanus Dei amicissimi episcopi, et Marinus venerabilissimus diaconus sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Quia mentiuntur adversus sanctam Romanam Ecclesiam. Ut autem certificemini quia veritatem dicimus, legantur epistolæ beatissimi papæ Nicolai, tam quæ ad Michaelem imperatorem et ad ipsum Photium, quam quæ diverso tempore per nonnullos apocrisiarios huc missæ sunt. Et accipiens Stephanus Deo amicissimus diaconus sanctæ Constantinopolitanorum Ecclesiæ ac devotus notarius legit :

« *Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Michaeli glorioso imperatori Græcorum.*

« Principatum divinæ potestatis... » *Reliqua vide inter epistolas Nicolai papæ, Patrologiæ tomo CXXVI, col.* 000.

Et post lectionem magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Ex his quæ nunc audivimus satisfacti sumus, quia veritatem dixistis. Epistola enim repellit illos, et innotuit nobis, quia Photium et manus impositionem ejus sanctissimus papa Nicolaus non recepit : sed legatur et altera epistola, quæ ad Michaelem imperatorem a sanctissimo papa Nicolao missa est per Leonem a secretis. Et accipiens idem Stephanus diaconus sanctæ Constantinopolitanorum Ecclesiæ ac notarius legit.

« *Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, piissimo et glorioso ac dilecto filio Michaeli magno imperatori.*

« Serenissimi imperii vestri gloria... » *Reliqua*

vide inter epistolas Nicolai papæ, Patrologiæ tomo CXXVI, col. 000.

Cumque adhuc epistola legeretur, respondit Theophilus dudum episcopus, et dixit : Si damnatur Photius, damnentur et introducentes et consecrantes eum. Sancta et universalis synodus dixit ad eum : Ergo et tu damnatus es, tanquam qui susceperis et communicaveris ei. Theophilus dudum episcopus dixit : Ego non damnor, eo quod non adfuerim quando consecratus est, sed inveni eum patriarcham et ita recepi eum. Post completionem vero epistolarum, surgens Theodorus Deo amicissimus metropolita Cariæ dixit : Usque in præsentem horam ego humilis certitudinem habebam in mente mea, et ideo rejiciebam beatissimum papam Nicolaum, et causabar eum, quia credens hominibus istis, putabam quod prius receperit Photium, et novissime hunc interimere tentaverit. Sancta et universalis synodus dixit ad Theophilum dudum episcopum : Hæ litteræ inde venerunt, an non? Theophilus dudum episcopus dixit : Ego nescio utrum hæ sint, an aliæ. Theodorus Deo amabilis metropolita Cariæ dixit : Unde habes ostendere quia comministrasti papæ Nicolao? et Theophilus : Det mihi verbum imperator in scriptis, hinc huic demonstro (in conspectu Dei dico) quia communicavi ei et comministravi ; etenim iterum dico, et comministravimus ei, et communicavimus ei. Et post hæc sancta synodus hortata est Stephanum Deo amabilem diaconum sanctæ Constantinopolitanorum Ecclesiæ et devotum notarium, ut legeret epistolam quæ per Leonem a secretis missa est ad Photium, et accedens legit.

« *Nicolaus episcopus servus servorum Dei prudentissimo viro Photio.*

« Postquam beato Petro principi apostolorum... » *Reliqua vide ubi supra, col. LLL.*

Cumque adhuc epistola legeretur, et de Ambrosii et Nectarii receptione ratio redderetur, respondit Theophilus dudum episcopus : Ego hæc et a Romanis audivi, Romæ attamen dominum Photium receperunt. Theodorus Deo amabilis metropolita Cariæ dixit : Quomodo dicis quia receptus est a papa, cum scribat eum mœchum? Et Theophilus : Et tu quomodo illum recepisti? Theodorus Deo amabilis metropolita Cariæ dixit : Usque ad hesternum diem tecum sapiebam ; sed quoniam sanctissimus Nicolaus fiduciali voce promulgat, quia neque Ignatium rejecimus, neque Photium recepimus, ideo adhæsi reverendissimo patriarchæ Ignatio. Theophilus dudum episcopus dixit : Ex hoc discite qualis sit Nicolaus. Et Theodorus : Quomodo habes ostendere quod susceperit vos sanctissimus papa Nicolaus? Et Theophilus : Dixi tibi, quia hodie det mihi verbum impunitatis imperator, ut quos attulero testes nil patiantur, et ostendo. Sanctissimi loci servatores senioris Romæ dixerunt : In hoc potest tota sancta synodus nosse, quia per nullam occasionem rationabilem demonstrare Photius valet, quod receptus aliquando fuerit a Romana sede, sed semper inter laicos eum computabat, et mœchum et invasorem hunc appellabat : et quoniam non audivit verbum apostolici Romanæ Ecclesiæ præsulis, obligatus et repulsus ac reprobatus est, sicuti continetur in epistolis quas audistis. Magnificentissimi et gloriosissimi principes ad Orientis vicarios dixerunt : Habemus nos quod dicamus etiam ad vos : interrogamus etiam sanctitatem vestram : Utique audistis sententiam Romanorum Ecclesiæ, quomodo habet Antiochiensium Ecclesia de prædicto Photio? suscepistis eum? misistis ad eum litteras receptionis? Et respondens Thomas Deo amabilis metropolita Tyri, et locum retinens sedis Antiochiæ dixit : Non suscepimus aliquando Photium in Antiochiensium Ecclesia, neque misimus ei litteram receptionis, neque ab illo recepimus. Helias sanctissimus syncellus et locum retinens Theodosii sanctissimi patriarchæ Hierosolymorum dixit : Si quidem credulus est tam apud Photium, quam apud communicatores ejus piissimus et a Deo coronatus noster imperator, ipse certificabit per proprios et apocrisiarios, Isaiam scilicet et Spyridonem Cyprios cum litteris suis, quas ad patriarcham nostrum misit, quia de manu Theodosii sanctissimi patriarchæ Hierosolymorum extorsit me, cum essem syncellus apostolici throni sancti Jacobi Hierosolymorum. Dico igitur, ac si coram Deo et electis angelis ejus, quia nequaquam recepimus Photium in episcopatu, neque litteras ab eo suscepimus, neque ad eum transmisimus. Si vero incredulus est apud eos Dei cultor imperator noster, quod visum fuerit piissimo et justissimo imperio ejus, in eos faciat. Nos enim, quod novimus certissime, hoc et testamur. Metrophanes Deo amabilis metropolita Smyrnæ dixit : Divinam Scripturam scimus liquido dicentem : *Omnia manifesta iis qui intelligunt, et recta iis qui inveniunt scientiam* (*Prov.* VIII). Et nos itaque intelligentes et scientiam habentes divinarum et humanarum rerum per Christi gratiam, intelleximus et cognovimus ex iis quæ hodie gesta sunt, quia nunquam aliquando admissus est Photius in sancta Romana Ecclesia, ut episcopus, neque in aliis patriarchalibus thronis, sed abjectus erat, et reprobatus, atque damnatus ab initio usque in finem. Et dixit ad reliquos episcopos : Quid ergo dicitis, fratres, et vos? Theodorus metropolita Cariæ dixit : Gratias ago Deo, quia per sacram hanc et universalem synodum solutus sum a cogitationibus illis, quæ inquietabant per singulos dies animam meam, utrum receptus Photius in patriarchiis fuerit, necne fuerit? Per apocrisiarios enim ejus, qui primum de his mihi satisfaciebant, et per litteras quas misit, et quas recepit, satisfactus sum, quod non fuerit Photius apud ea receptus unquam in episcopatus dignitatem. Ideo confiteor delictum meum, quod errabundus eum secutus sim, et nunc huic sanctæ connumerari synodo merui. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Habetis

quid hodie aliud dicere : si jubeatis, interrogemus vos. Mos est in Romana Ecclesia ab omni homine hospite libellum fidei exigendi, et ita permitti hunc in sanctum Petrum intrare : fecerunt isti secundum hanc formam, an non? Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Ita fecerunt. Zacharias et Theophilus dudum episcopi dixerunt : Unum, an duos fecimus? Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Duos libellos fecistis [a]. Zacharias et Theophilus dudum episcopi dixerunt : Ergo non erant ibi. Magnificentissimi et gloriosissimi principes interrogaverunt sanctos vicarios, quid circumferebat libellus? Sanctissimi vicarii Romæ dixerunt : Ut secundum catholicam Ecclesiam teneant et defendant veritatem, et per omnia sequantur judicium sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Ita confessi sunt et heri in secretariis, ut per omnia consentiant Romanorum Ecclesiæ. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Interrogate ergo prævaricatores ipsos, utrum faciant Romanum libellum, necne. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt ad Zachariam et Theophilum dudum episcopos : Facitis libellum, an non? Zacharias et Theophilus dudum episcopi dixerunt : Nec audire illum volumus. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Emittite illos foras. Et postquam exierunt, Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Causam Zachariæ non quæsivimus : heri enim confessus est, quia obligatus est a Benedicto papa, ut non haberet potestatem pontificium peragere, donec veniret, et descenderet iterum cum iis qui se abscideraverant a sanctissimo patriarcha Ignatio, et sumerent judicium, et hoc non custodivit, neque descendit illuc. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Partem habet cum iis qui non concordant cum Ecclesia, et comparticeps eorum est qui fecerunt contra Ecclesiam Constantinopoleos, et contra sanctissimum patriarcham Ignatium. Sed quoniam hora tarda est, non possumus hodie hoc requirere; in alia vero examinatione id faciemus. Deinde stans in medio Stephanus Deo amabilis diaconus et notarius laudem dixit ita : Multos annos imperatorum Basilii et Constantini! Magnorum imperatorum et dictatorum multos annos! Orthodoxorum imperatorum multos annos! Pacificorum imperatorum multos annos! Depositorum injustitiæ multos annos! Hostium mendacii multos annos! Amatorum et fautorum veritatis et justitiæ multos annos! Eudoxiæ piissimæ Augustæ multos annos! Nicolai beatissimi papæ Romæ æterna memoria! Adriani orthodoxi papæ Romani multos annos! Ignatii orthodoxi patriarchæ Constantinopoleos multos annos! Orthodoxorum patriarcharum Orientis multos annos! Orthodoxi senatus multos annos! Sanctæ ac universalis synodi æterna memoria!

[a] Et revera duos libellos fecerunt, unum scilicet fidei, antequam Urbem ingrederentur, et alterum pro sequendis decretis apostolicæ sedis, antequam in communionem reciperentur.

ACTIO QUINTA.

In nomine Domini et dominatoris omnium Jesu Christi veri Dei nostri et Salvatoris. Consulatus a Deo redimitorum et tranquillissimorum dominorum nostrorum, Basilii quidem anno tertio, Constantini vero filii ejus anno secundo, perpetuorum Augustorum, indictione tertia, XIII Kalendas Novembris : propositis pretiosis ac vivificis lignis, et intemeratis ac sanctis Evangeliis : conveniente autem sancta et universali synodo, Donato Deo amicissimo episcopo Ostiensi, et Stephano Deo amicissimo episcopo Nepesino, et Marino venerabilissimo diacono sanctæ Romanæ Ecclesiæ, locum retinentibus Adriani sanctissimi papæ Romani, et Ignatio sanctissimo patriarcha Constantinopoleos, et Thoma sanctissimo metropolita Tyri, locum retinente sedis Antiochiæ, et Helia Deo colendissimo presbytero et syncello, locum retinente sedis Hierosolymorum : præsente quoque sacro senatu, dicimus autem, Theodoro magnificentissimo patricio et præposito, magistro Bahane magnificentissimo patricio et præposito, Leone magnificentissimo patricio proconsule, ac Leone magnificentissimo patricio et domestico excubitorum, Joanne magnificentissimo patricio et logotheta okeos dromi, Petronate magnificentissimo patricio, Manuele magnificentissimo patricio, altero Manuele magnificentissimo patricio, Oreste magnificentissimo protospathario et domestico icanatorum : insuper etiam considentibus et Deo amicissimis metropolitis, videlicet [a] Basilio Deo amicissimo archiepiscopo Ephesi, Barnaba Deo amicissimo metropolita Cyzici, Nicephoro Deo amicissimo metropolita Amasiæ, Niceta Deo amicissimo metropolita Athenarum, Theodoro Deo amicissimo metropolita Cariæ, Metrophane Deo amicissimo metropolita Smyrnæ, Michaele Deo amicissimo metropolita Rhodi, Photio Deo amicissimo archiepiscopo Nacoliæ, Euthymio Deo amicissimo archiepiscopo Catanæ, Stephano Deo amicissimo archiepiscopo Cypsallorum, Athanasio Deo

[a] Nota quod per singulas actiones paulatim multiplicetur numerus episcoporum, quoniam cum in principio synodi non omnes sint in urbe reperti, tunc solum recipiebantur in synodali conventu, cum singuli a suis Ecclesiis venientes Romanum libellum manu propria scripsisse patesceret.

amicissimo episcopo Magnesiæ, Theodoro Deo amicissimo episcopo Sinopæ, Eustathio Deo amicissimo episcopo Æmoniæ, Theodoro Deo amicissimo episcopo Lacedæmoniæ, Nicephoro Deo amicissimo episcopo Zacynthi, Euthymio Deo amicissimo episcopo Mosynorum, Basilio Deo amicissimo episcopo Pyrgii, Georgio Deo amicissimo episcopo Helii, Petro Deo amicissimo episcopo Troadis, Leone Deo amicissimo episcopo Daphnusiæ, Niceta Deo amicissimo episcopo Photiæ.

His ita convenientibus, stans in medio Paulus Deo amicissimus chartophylax, dixit : Secundum præcedentem actionem, ut jussit sanctitas vestra, præsens est hic iterum Zacharias solus, sed et Christianissimus imperator noster misit ad synodum Photium. Donatus Deo amicissimus episcopus Ostiæ, et Stephanus Deo amicissimus Nepæ, ac Marinus reverendissimus diaconus sanctæ Romanorum Ecclesiæ, locum retinentes Adriani sanctissimi papæ Romani, dixerunt : Desiderat venire in conspectum nostrum et sanctæ synodi Photius? Paulus Deo amicissimus chartophylax dixit : Nescimus utrum desideret, an non; sed, si jubetis, discamus. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Interrogetur, si desideret venire in sanctam et universalem synodum hanc. Paulus Deo amicissimus chartophylax dixit : Quem jubet sanctitas vestra ire et interrogare eum? Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Laici vadant. Et misit senatus ad Photium Sisinnium gloriosissimum protospatharium, Eutychianum primum mandatorum excubitorum, Georgium primum mandatorum icanatorum, Leonem mundanum hominem vicariorum senioris Romæ, Cyriacum et Joseph mundanos homines vicariorum Orientis; et præceperunt eis ita dicere : Sancta et universalis synodus denuntiat tibi : Vis venire in sanctam synodum, an non? si dixerit quia nolo, interrogate eum quare? Euntibus ergo qui missi fuerant, et facientibus quemadmodum fuerant imperati, respondit Photius ad eos : Me in synodo nunquam aliquando advocastis, et modo miror quia hoc fecistis, et advocastis me. Verumtamen sponte non venio, nunquam enim interrogantes me de synodo hac quam dicitis, quomodo in eam me trahitis? *Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in via mea. Posui ori meo custodiam* (*Psal.* xxxviii), et reliquum vos legite. Cumque reversi fuissent præfati viri, jussus est Gregorius devotus notarius divinorum secretariorum, et ascendens legit Photii voces in audientiam omnium. Et post lectionem, sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Quid dicit ad hæc sancta synodus? Non nos convocamus eum, ut discamus aliquid ab eo, sed ut laborem, quem habuit sancta Romana Ecclesia, simul et Orientales Ecclesiæ propter eum [a], nunc terminemus, eodem ipso præsente. Deo amicissimi episcopi dixerunt : Veniat. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Et placet vobis? Deo amicissimi episcopi dixerunt : Placet. Sanctissimi vicarii senionis Romæ dixerunt : Veniat. Dictata vero sunt ad Photium a sancta synodo per Heliam syncellum hæc : Quoniam conclusione tacita peccatores hanc a Deo electam pronuntiasti synodum, non solum sanctissimorum thronorum vicarios, et summos sacerdotes, verum etiam et honorabilem senatum sanctorum Patrum nostrorum, habentem extra tempus, et non apte propheticum dictum inducens, justum est ad hæc dicere, quia opera tenebrarum habens in temetipso formidasti sanctam et universalem synodum, quæ in lumine veritatis est congregata, ne manifestareris divulgatus per eam, quemadnodum sanctum perhibet Evangelium, quia : *Omnis, qui prava agit, odit lucem, et non venit in lucem, ut non arguantur opera ejus* (*Joan.* III). Sed scriptum est : *In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te* (*Psal.* xxxi). De cætero ergo synodica auctoritas imperiali consensu opportune ac apte illud terminabit propheticum. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt ad sanctam synodum : Placet vobis? Sancta synodus dixit : Placet. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Veniat. Euntibus illis qui missi sunt, eique prædicta acclamatione lecta, Photius ait : Quemadmodum usque modo etiam invitos nos traxistis? hoc si vultis adhuc facere, non debuistis nos ad conveniendum interrogare? Sed etiam placuit vobis ab initio imperative ac potestative perficere. Itaque etiam hac voce in synodo lecta, iterum sancta et universalis synodus acclamavit ad Photium ita : Ecclesiasticum ordinem sequentes ultroneam præsentiam tuam per primum sermonem exspectavimus; sed cum vere peccator sis et manifestus, injustius in concilium justum sponte ingredi recusasti, ne acciperes evidentiorem damnationem : ejus rei gratia et nolentem te per secundum sermonem, ut præfati sumus, adducimus. Lecta præterea Photio et hac allocutione, introductus est Photius, et stetit in medio. Et dicunt ad magnificentissimos principes sanctissimi vicarii senioris Romæ : Quis est ille qui in novissimo loco sanctæ hujus synodi astat? Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Photius. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Ille est Photius propter quem sancta Romana Ecclesia per septem annos et amplius sustinuit labores multos? qui etiam sanctam Constantinopolitanam Ecclesiam funditus subvertit, et non modo has Ecclesias conturbavit, verum etiam et Orientalium sanctas Ecclesias, quæ ab ipso usque in præsens labores perpetiuntur? Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Iste est. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Recipit constituta sanctorum Patrum? Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Interrogetur. Et hortatus a principibus Georgius gloriosissimus custos palatii, et Papias ostiarius, interrogavit Photium : Suscipis constituta

[a] Causa hoc honoris dicunt; nam ante hanc synodum nil Orientales sedes in omni controversia laboris assumpsisse videntur : sola namque prima sedes tam per se quam per scripta et missos suos in eum laborasse deprehenditur.

sanctorum Patrum? Et non respondit. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Recipis constituta sanctorum pontificum Romanorum? recipis expositionem quam fecit beatissimus Nicolaus sanctissimus papa Romanorum? Et non respondit. Recipis quæ denuo fecit sanctissimus Adrianus successor ejus Romanorum sedis papa? dicat, dicat. Photius vero nihil respondebat. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Audivimus quia homo est rationabilis [a], et scimus quia est prævaricator et adulter : dicat, dicat. Photius dixit : Vocem meam, etiam me tacente, Deus audit. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Per silentium non effugies manifestiorem damnationem. Photius dixit : Nec Jesus tacendo evasit damnationem. Sanctissimi vicarii apostolicarum sedium dixerunt : Non dignum est nos responsum tibi reddere de hujusmodi locutione, quoniam iis quæ Domini nostri Jesu Christi sunt assimilasti quæ tua sunt. Nulla autem communicatio lucis ad tenebras, neque participatio justitiæ ad iniquitatem, nec conventio Christi ad Belial, neque consensus templo Dei cum idolis (*II Cor.* VI). De his autem unde interrogatus es a fratribus et comministris nostris sanctissimis vicariis senioris Romæ, responde utrum suscipias judicia sanctorum pontificum Romanorum, an non? Et non respondit Photius. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Inclinet cervicem suam, verbo et scripto enuntiet peccatum suum, anathematizet quæ injuriose scripta et acta sunt, quæ contra sanctissimum patriarcham Ignatium bis abrupte gessit; profiteatur se nullam contra eum machinationem aut commotionem deinceps acturum, sed hunc sicuti verum pontificem suum magno pudore suscepturum, et apostolicæ cathedræ judicia, tam de se, quam de Ignatio patriarcha promulgata, honorabiliter amplectatur. Et Photio tacente, sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Ecce homo qui obturavit aures suas, sicut aspidis surdæ (*Psal.* LVII), et non audit vocem quam ei sancta synodus objicit, sed vult per silentium hanc effugere condemnationem, quam sancta Romana Ecclesia ante multos annos promulgavit adversus eum. Verum legantur epistolæ quæ de eo missæ sunt a sancta Romana Ecclesia. Placet ergo omnibus ut legantur? Sancta synodus dixit : Placet. Et accipiens Stephanus Deo amicissimus diaconus sanctæ Constantinopolitanorum Ecclesiæ et notarius, legit epistolam quæ ad Michaelem imperatorem transmissa est per Rhadoaldum et Zachariam [b].

Et post completionem primæ epistolæ, sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Ad hæc quid dicit sancta synodus? est canonica expositione plena epistola hæc, an non? Sancta et universalis synodus dixit : Canonicam legem complet, et synodicam præceptionem et legislationem. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Legatur et alia epistola quæ ad ipsum Photium missa est. Deo amabiles metropolitæ dixerunt : Legatur. Et accipiens prædictus Stephanus legit [c].

Et post completionem epistolæ, sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Propter quod obturavit aures suas, et non respondit ad ea quæ leguntur? Sanctissimi metropolitæ dixerunt ad Photium : Quamobrem non respondes ad hæc? Et non respondit. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Legatur et epistola quæ per Leonem a secretis missa est. Et accipiens Stephanus, Deo amicissimus diaconus sanctæ Constantinopolitanorum Ecclesiæ ac notarius, epistolam quæ missa fuerat ad Michaelem imperatorem, legit [d].

Et post completionem ejusdem epistolæ, iterum sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Sequens et altera, quæ ad Photium est, legatur. Et accipiens idem Stephanus, legit.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei Photio Constantinopoleos.

« Omnis utilitas et profectus animarum catholica fide munitur. » ... *Reliqua vide inter epistolas Nicolai papæ I, Patrologiæ tomo CXXVI, col.* 785.

Et post completionem epistolæ, Thomas et Helias sanctissimi vicarii Orientalium sedium ad magnificentissimos principes dixerunt : Volumus aliquid loqui ad sanctam synodum; placet hoc vobis? Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Hoc in vestra potestate est. Et ascendens Helias, Deo colendissimus presbyter et syncellus throni Hierosolymorum, in auditionem omnium affatus est ita : In præcedenti die, nobis hic congregatis, amici Christi patres et fratres, paucissima quædam elocuti sumus ad reverentiam vestram : nunc vero et eadem dicimus. Scitis quia in præteritis temporibus imperatores erant qui congregabant synodos [e], et ex toto terrarum orbe vicarios ad dispositionem hujusmodi causarum colligebant : quorum more et Dei cultor imperator noster universalem hanc synodum fecit, non in abstruso, neque in clandestino, sed evidenter ac manifeste fecit, videlicet sanctissimorum vicariorum senioris Romæ nostrorumque collegium. Cum enim multa sint et alia quæ nos probent verissimos esse vicarios Orientalium sedium, major tamen ac promptissima, evidentissima et paratissima species est hæc, qua piissimus et Christi amicus imperator noster per multam diligentiam et studium convocavit, et accepit nos ab Ecclesiis nostris, quanquam dena millia essent impedimenta prohibitionum. Ipse ergo testificetur, unde et a quo missi pervenerimus

[a] Id est, eloquens.
[b] Epistola hæc quæ hic lecta est est in quarta actione.
[c] Et hæc itidem epistola prælecta est in quarta actione.
[d] Et hæc similiter præscripta est in quarta actione.
[e] Universales videlicet, nam locales aut vix aut nunquam imperatores synodos collegisse noscuntur.

ad vos, et satisfactionem pro nobis idoneam faciat. Nobis autem pervenientibus, et degentibus hic per duos circiter annos, anticipantibus sanctissimos vicarios senioris Romæ, imposuit super colla nostra encolpium [a] suum, et dixit: Ecce judicium Ecclesiæ exigat Deus a cervicibus vestris in die judicii, ut nihil faciatis per favorem, neque per gratiam, vel odium. Congruum enim vobis est, ad tantam senectutem pertingentibus, nil facere secundum acceptionem personarum, vel præter justitiam. Scriptum est enim: *Ne miserearis pauperis in judicio, nec accipias personam potentis* (*Prov.* XXIV). Et nos igitur ab amico Christi imperatore suscipientes judicium [b], ita disposuimus ex tunc usque nunc, ut expetit justitiæ ratio. Neque enim, quoniam sanctissimus patriarcha Ignatius præsidet in hoc throno, et potens est, in tali positus principatu ideo accipiemus faciem ejus: neque, quia vir iste Photius astat, et idcirco pauper esse putatur, propterea condemnabimus eum, aut miserebimur irrationabiliter. Itaque profundum silentii ejus aspicitis, pene nil patientis loqui ad sanctam synodum, eo quod abjiciat utique illam, nullo modoque recipiat, sicut etiam per propria verba significavit. Ego autem quoniam Dei gratia per omnes septem annos syncellus sum Hierosolymitanorum Ecclesiæ, scio plane quia neque litteras suscepimus, neque remisimus penitus ei, sed et iste sanctissimus Thomas metropolita Tyri quid locutus fuerit frequenter audistis; similiter et nunc affirmans dicit quod sedes Antiochena neque susceperit litteras a Photio, neque remiserit unquam: et multo ante sanctæ Romanorum Ecclesiæ super ipso decretum didicistis, et agnovistis quod beatissimus papa Nicolaus promulgavit: et consequenter successor ejus Adrianus. Hoc autem in præcedentibus nostris et prædiximus et demonstravimus, et ob hoc etiam nunc dico coram eo, et in facie ipsius, videntibus oculis ejus et audientibus auribus ipsius. Est condemnatus quippe qui non est receptus apud aliquam patriarchalium sedium, et male ac injuste studuit hodie silentio, ut hinc videatur per taciturnitatem habere quasdam rationes: neque enim habet quod opponat ad sui justificationem. Universi enim scimus, et qualiter vi ac tyrannide thronum Constantinopolitanum insilierit, et quales operatus sit, obtinens adhuc eumdem thronum, inquietudines atque tyrannides. Nunc ergo consilium damus ei, et admonemus, quo cognoscat peccatum suum, et si quidem pœnitentiam egerit manifeste ac sincerite- super injustitiis suis, et omnibus malis quibus orbem replevit, suscipiatur in Christi Salvatoris nostri Eccles'æ, quemadmodum unusquisque fidelium, tanquam habens spem vitæ perennis, et non suscipiat a Deo certitudinem æternæ ruinæ atque damnationis per anathema, quod multo ante datum est ei.

Et post hujusmodi allocutionem, magnificentissimus patricius et præpositus Bahanes dixit: Et nos hoc commonemus eum et consiliamur. Deinde accipiens Theodorus devotus a secretis, legit quæ a sanctissimis vicariis senioris Romæ breviter edita sunt, habentia ita: Vidistis, fratres, vidistis et audistis quæ ex multo tempore dicta et gesta sunt de hujusmodi causa: et apparuit omnibus vobis, quia irreceptibilis erat promotio hujus viri, et depositio sanctissimi patriarchæ Ignatii de sede sua sine justitia et sine legibus fuerat acta. Nos ergo non novum aliquod vel recens judicium judicabimus, aut introducemus, sed vetus ex multo tempore judicatum quidem a sanctissimo et beatissimo papa Nicolao, firmatum autem a sanctissimo papa Adriano; et non possumus transferri vel commoveri a paternis definitionibus et legibus, neque declinare ad dexteram vel ad sinistram; scriptum est enim: *Audi, fili mi, leges patris tui, et ne repellas jura matris tuæ* (*Prov.* I). Sed etiam ex fratribus nostris vicariis Orientis audistis, quia nunquam aliquando receperunt eum in summum sacerdotem. Quem ergo neque sedes nostra apostolica, neque sedes receperunt Orientalium, quis de cætero ulterius, Christianus esse volens, suscipiet. Sed talem conatum abjicimus et anathematizamus, ne ulterius contra Ecclesiam talis quælibet alia forte in omne sæculum maligna introducatur actio, neque temere ac facile a mundana potestate ejiciatur legitimus pontifex, et pro eo subrogetur alter inique ac illegaliter. Quid ergo? placet vobis sensus iste, an non? Et si quidem placet, talia sunt nostra, et nostræ sedis; quod si apud vos non fuerint acceptabilia, nos tamen super montem excelsum synodi ascendemus, et exaltabimus in fortitudine vocem nostram, evangelizantes vobis et consequentiam, quæ facta est, et ore promulgata est sanctorum Patrum nostrorum a gratia Spiritus sancti. Et post lectionem, sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt: Ad hæc quid dicit sancta synodus? Sunt hæc quæ a nobis per lectionem dicta sunt et apud vos accepta? Sancta et universalis synodus exclamavit: Recipimus omnia; valde quippe sunt discreta, et congrua, et consona ecclesiasticis regulis atque legibus. Donatus Deo amicissimus episcopus Ostiæ, et Stephanus Deo amicissimus episcopus Nepæ, ac Marinus reverendissimus diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ dixerunt: Ergo admonemus eum, uti procidat sanctæ huic synodo, et inclinet cervicem suam sanctissimo patriarchæ Ignatio suo ad pœnitendum super iis quæ gessit, et efficiendum membrum sanctæ Ecclesiæ, ac se sociandum Christianorum sanctæ communioni, uti mos [*al.*, ut unus] fidelium laicorum, uti fiat in lucrum suæ ipsius animæ atque suorum; licet sint quidam enim sequi proponentes. Bahanes famosissimus patricius et præ-

[a] Encolpium est quod in sinu portatur; *colpos* enim Græce, *sinus* Latine dicitur: moris enim Græcorum est crucem cum pretioso ligno vel cum reliquiis sanctorum ante pectus portare suspensam ad collum, et hoc est quod vocant encolpium.

[b] Id est damnationem imprecantes, si a recto quid deviaremus.

positus dixit : Loquere, domine Photi, quodcunque habes justitiæ opus : totus mundus hic est, ne claudat viscera sua sancta et universalis synodus : quo namque vis ex hoc confugere? Romam? Ecce a Roma : In Orientem? En ab Oriente hic adsunt : vide, ne claudatur janua : si isti clauserint, nemo est qui aperiat. Dic, homo Dei, quam habes justificationem? Photius dixit : Meæ justificationes non sunt in hoc mundo ; si in mundo hoc essent, inde videretis. Bahanes laudabilissimus patricius et præpositus dixit : Nos tenemus quia confusione et metu depressus desipis, nesciens quid dicas : propter quod concedit tibi sancta et universalis synodus spatium ad meditandum salutem tuam. Vade, et rursus jubet tibi venire huc. Photius dixit : Spatium quidem non deprecor ; ut autem emittar a vobis, vestræ potestatis est. Bahanes laudabilissimus patricius et præpositus dixit : Bonum est tractare tecum, et considerare quod expediat, et procidere huic sanctæ synodo. Judicium enim non accipiens personam, ac divinitus inspiratum, et sancta universalis synodus non ex uno est tantum, sed, ut prædiximus, ex mundi finibus est ; et ideo monemus ut pœnitearis, et solvatur anathematis sententia quæ in te prolata est. Post discessum enim sanctorum vicariorum cuncta inutilia et invalida erunt quæ a te dicta et acta constiterint. Scimus quia nihil potes ; quod si habes aliquam justificationem, loquere ; sine personarum acceptione constat esse concilium. Photius autem crebro compulsus ut rationem daret, manebat nihil omnino respondens. Deinde dixit sancta et universalis synodus : Vadat, et perpendat quod sibi conveniens sit. Et exivit Photius.

Deinde stans in medio Stephanus Deo amicissimus diaconus sanctæ Constantinopolitanorum Ecclesiæ et devotus notarius laudavit ita : Multos annos imperatorum Basilii et Constantini ! Magnorum principum et imperatorum multos annos ! Orthodoxorum imperatorum multos annos ! Pacificorum imperatorum multos annos ! Depositorum injustitiæ multos annos ! Hostium mendacii multos annos ! Amatorum et fautorum veritatis multos annos ! Eudoxiæ piissimæ Augustæ multos annos ! Nicolai beatissimi papæ Romani æterna memoria ! Adriani orthodoxi papæ Romani multos annos ! Ignatii orthodoxi patriarchæ Constantinopoleos multos annos ! Orthodoxorum patriarcharum Orientis multos annos ! Orthodoxi senatus multos annos ! Sanctæ et universalis synodi æterna memoria !

ACTIO SEXTA.

In nomine Domini et dominatoris omnium Jesu Christi veri Dei et Salvatoris nostri. Imperii a Deo coronatorum et tranquillissimorum dominorum nostrorum, Basilii quidem anno tertio, Constantini vero filii ejus anno secundo, perpetuorum Augustorum, octavo Kalendas Octobrias, indictione tertia ; propositis pretiosis ac vivificis lignis, et intemeratis salutis nostræ Evangeliis ; præsidente eodem piissimo et amico Christi imperatore, in dextera parte magni nominis templi magnæ ecclesiæ : conveniente sancta ac universali synodo, id est Donato Deo amicissimo episcopo Ostiensi, et Stephano Deo amicissimo episcopo Nepesino, et Marino reverendissimo diacono sanctæ Romanorum Ecclesiæ locum obtinentibus Adriani sanctissimi papæ Romani, et Ignatio sanctissimo patriarcha Constantinopoleos ; et Thoma sanctissimo metropolita Tyri, locum obtinente sedis Antiochiæ, et Helia Deo colendissimo presbytero et syncello, locum obtinente Hierosolymorum : præsente autem et sacro senatu, videlicet Theodoro magnificentissimo patricio et magistro, Christophoro magnificentissimo patricio et magistro, Leone magnificentissimo proconsule ac patricio, Hemerio magnificentissimo proconsule ac patricio, Stephano magnificentissimo patricio et sacellario, Leone magnificentissimo proconsule ac patricio, Marino magnificentissimo proconsule, patricio et protoscriniario, Theophilo magnificentissimo proconsule et patricio, Tarasio magnificentissimo proconsule ac patricio, Paulo magnificentissimo patricio et eparcho [a], Barbatio magnificentissimo patricio, Leone magnificentissimo patricio et domestico excubitorum, Manuele magnificentissimo patricio, Theophylacto magnificentissimo patricio, Petronate magnificentissimo patricio, Manuele magnificentissimo patricio nec non et considentibus Deo amicissimis metropolitis, scilicet Basilio Deo amicissimo archiepisc. Ephesi, Theophilo Deo amicissimo metropolita Ancyræ, Barnaba Deo amicissimo metropolita Cyzici, Nicephoro Deo amicissimo metropolita Nicææ, Nicephoro Deo amicissimo metropolita Amasiæ, Niceta Deo amicissimo metropolita Athenarum, Theodoro Deo amicissimo metropolita Cariæ, Metrophane Deo amicissimo metropolita Smyrnæ, Basilio Deo amicissimo metropolita Gangrensium, Cypriano Deo amicissimo metropolita Claudiopoleos, Hilarione Deo amicissimo metropolita Corinthi, Nicolao Deo amicissimo metropolita Synnadorum, Michaele Deo amicissimo metropolita Rhodi, Euthymio Deo amicissimo metropolita Catanæ, Photio Deo amicissimo archiepiscopo Nacoliæ, Stephano Deo amicissimo archiepiscopo Cypsalorum, Basilio Deo amicissimo archi-

[a] Id est, præfecto.

episcopo Misthiæ, Theophane Deo amicissimo archiepiscopo Selges, Paulo Deo amicissimo archiepiscopo Apamiæ, Joanne Deo amicissimo episcopo Cii, Athanasio Deo amicissimo episcopo Anhelii Magnesiæ, Theodoro Deo amicissimo episcopo Sinopæ, Eustachio Deo amicissimo episcopo Æmoniæ, Theodoro Deo amicissimo episcopo Lacedæmoniæ, Nicephoro Deo amicissimo episcopo Zacynthi, Euthymio episcopo Mosynorum, Basilio Deo amicissimo episcopo Pyrgii, Georgio Deo amicissimo episcopo Helii, Petro Deo amicissimo episcopo Troadis, Leone Deo amicissimo episcopo Daphnusiæ, Niceta Deo amicissimo episcopo Photiæ, Basilio Deo amicissimo episcopo Gratiæ, Damiano Deo amicissimo episcopo Miletopoleos, Theophane Deo amicissimo episcopo Trallæ, Leontio Deo amicissimo episcopo Neopoleos, Joseph Deo amicissimo episcopo Palæorum et Georgio Deo amicissimo episcopo Adraniæ : his ita convenientibus, surgens Metrophanes Deo amicissimus metropolita Smyrnæ, et in medio sanctæ universalis synodi stans, pronuntiavit magna voce in audientiam omnium ita : Justitiæ sol, qui est magnum et verum ac divinum principaleque lumen, quique solus est infinitæ potentiæ Dominus et Deus noster, qui dixit : *Fiant luminaria in firmamento cœli ad illuminationem terræ ; fecit duo magna luminaria, luminare quidem majus in principio* [a] *diei, minus autem in principio noctis, et posuit ea in firmamento cœli, ut præsint diei ac nocti* (*Gen.* I) ; et tanquam quædam magna luminaria, videlicet quinque patriarchalia capita in illuminationem totius terræ, quo præsint diei ac nocti, et separent inter lumen et tenebras, id est, inter eos qui agunt opera lucis, hoc est divinæ justitiæ, et inter eos qui agunt opera tenebrarum, id est injustitiæ; ut quorumdam quidem illuminent magis ac magis gressus, qui secundum Deum sunt; quorumdam vero redarguant, et ostendant atque divulgent absconditos actus tenebrarum, id est, injustitiæ, ac filios Dei ac lucis exhibeant atque demonstrent. Ad tales dicit Christus Deus noster : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V) ; tales nominavit et Paulus magnus apostolus luminaria in mundo, verbum vitæ continentia (*Philip.* II). Tales ergo, magna luminaria, piissime et Christo dilectissime, ac divinitus gubernate domine, quemadmodum in magna domo multas lampades, in civitate tua per multam diligentiam et studium ac prudentiam collegisti et congregasti, et splendidiorem temet ostendisti, et jucundiorem conversationem tuam, et Christi Ecclesiam nitidiorem exhibuisti. Imo vero, piissime domine, per temet, hoc est præsentiam tuam, quasi quoddam maximum Orientis luminare sanctæ huic et universali synodo ètiam prædicta, et nunc visa luminaria, lucidiora monstrasti. Verum per alia divina eloquia compendiose valde præsentem sanctam synodum figuremus. Hæc enim est olim paradisus, quem plantavit Deus ad orientem, in cujus medio est lignum vitæ; in quem ingreditur, ex intelligibili Eden [b], fluvius ad irrigandum eum, sicut scriptum est : *Quia fluvius egreditur de Eden irrigans paradisum* (*Gen.* II). Liquet autem nunc nobis talis fluvius, divinus videlicet ac principalis, et sanctissimus Spiritus, de quo dicit divinum et principale Verbum Christus Salvator noster : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum* sicut, dixit sanctus Joannes evangelista (*Joan.* VII). Hic est enim Spiritus de quo dixit propheta David : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Psal.* XLVII), videlicet sanctam Ecclesiam. Iste fluvius segregat impetus suos nunc in quatuor initia, in sanctissimos scilicet vicarios senioris Romæ, et in Constantinopolitanum imitatorem Dei patriarcham Ignatium, atque in eos qui ex ambabus sedibus Orientis advenerunt, sanctissimos vicarios. Hæc itaque sancta et universalis synodus arca salutis est, ad quam confugiunt et introibunt omnes qui præordinati sunt in vitam æternam. Et tu es, amice Christi domine, Noe, justus inventus in conspectu Dei in generatione tua ; quia talem arcam fabricasti, benedixitque tibi Deus, et proli ventris tui, et timor tuus et tremor tuus erit secundum veterem Noe super omnes bestias agri, et super omnia volatilia cœli, hoc est super omnia quæ bella amant, et infidelia, quæ scilicet sub universo cœlo consistunt. Hæc sancta et universalis synodus est benignus et bonus puteus, quem fodisti tu, Deo amantissime, Abraham servus et amicus Dei excelsi : cui et invident quidem Philistiim, non autem penitus obruent ; sed superabuntur operibus et studiis tuis, quemadmodum illi olim amici et beatissimi patriarchæ Abrahæ et sub operibus et studiis. Propter quod etiam sicut ad illum, ita et ad te Deo amicissimum imperatorem nostrum dicit omnium consultor et princeps, per vocem sanctissimi patris tui, et summi pastoris nostri, ac Deo amicissimorum vicariorum : Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris, et hæreditate possidebit semen tuum et populus tuus civitates adversariorum (*Gen.* XXII) : ipse enim est Deus noster, qui benedicit benedicentes se, qui solus est benedictus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Et post pronuntiationem hanc, per jussionem amici Christi imperatoris nostri, legit devotus a secretis Leo epanagnosticum sanctissimorum Romanorum vicariorum, cujus initium est hoc :

Credimus nequaquam latere sanctam et magnam hanc synodum, qualiter hic piissimus et Christianissimus et a Deo protectus imperator initio imperii sui, cui monarchiam suam magis præstitit imperator, confestim de statu ac recuperatione sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quæ diutius possessa erat ab invasore ac tyranno Photio, cogitare cœperit, quomodo ex eadem illum pelleret Ecclesia ; sed et divinitus inspiratus, et sanctorum et Patrum præcepta in omnibus adimplere desiderans, projecit

[a] Hoc est, in principatum.

[b] Id est, spirituali Eden.

de Ecclesia Dei jam dictum adulterum Photium, et A restituit ei sanctum virum senem et bonum cultorem Ignatium beatissimum patriarcham. Post hæc nil moratus, prælecessorum suorum Christianissimorum imperatorum secutus exempla, transmisit legatos suos nobilissimos viros Romam, Joannem scilicet honorabilissimum metropolitam Sylæi, ac Basilium fidelissimum spatharium suum, deposcens sanctam Romanam Ecclesiam sacris etiam litteris suis : qui venientes invenerunt in ea præsulatum gerentem sanctissimum et honorabilissimum Adrianum, a Deo destinatum pontificem summum, dantes ei litteras ipsius magni imperatoris, et exponentes per ordinem etiam verbis, quanta turbatio et vexatio apud hanc Deo conservandam provinciam a Photio tyranno ac invasore peractæ sunt. Tunc beatissimus Adrianus papa Romanus, hoc comperto, advocans quosdam episcopos Occidentalium partium, collegit synodum in ecclesia sancti apostoli Petri, non ad destructionem judicii ac decretorum quæ decessor ejus beatæ memoriæ papa Nicolaus de jam dicti Photii invasoris expulsione, ac de sanctissimi Ignatii patriarchæ peregit restitutione, sed ad roborandum atque firmandum cuncta decessoris sui mandata ; qua pro causa nos famulos suos et sanctæ Romanæ Ecclesiæ misit huc cum epistolis suis ad piissimum et Christianissimum imperatorem, et ad sanctissimum virum Ignatium patriarcham hujus sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ, significans in eisdem epistolis quatenus locum et vicem ejus tenere ac defendere in hac sancta synodo debeamus : C qui etiam, duce Deo, salvi et sani in hanc pervenimus regiam provinciam. Etiam patefecimus in præcedentibus actionibus quid definitum sit de Photio, et de Ecclesia Constantinopolitana a sanctissimis et laudabilissimis viris Nicolao beatæ recordationis papa Romano, et ab Adriano divina gratia successore ipsius ; et credimus quia superfluum est frequenter eadem dicere vel repetere. Idcirco petimus a piissimo et Christianissimo imperatore ut expositio illa quæ delata est sub prævaricatoribus ac protectoribus calumniarum, ne amplius retardetur. Verumtamen quemadmodum ad Romanam Ecclesiam quod nunquam Photius fuerit admissus in patriarchali dignitate manifestum est, ita et ab Orientalibus sedibus per honorabilissimos viros litteris et verbis D jam edocti sumus, Photium mœchum et pervasorem aliquando in patriarchico throno nullatenus fuisse receptum. Ecce, scientes unitatem sanctarum Dei Ecclesiarum, utquid propter injustitiam et verorum conflictum, ab iniquis et non intelligentibus viris exaudiri exspectamus?

Et post completionem epanagnostici jussus Theophilus laudabilissimus protospatharius et præpositus ab amico Christi et magno imperatore nostro, introduxit in sanctam synodum eos qui episcopi Photii dicebantur ; quibus in medio stantibus, confestim jussus Stephanus Deo amicissimus diaconus sanctæ Constantinopolitanorum Ecclesiæ ac devotus notarius legit epistolam quam misit sanctissimus papa Nicolaus per Leonem a secretis ad Michaelem imperatorem, et quam ad Photium, quæ præscriptæ sunt in quarta actione. Et post harum lectionem, surgens Elias Deo colendissimus presbyter et syncellus, locum obtinens Theodosii patriarchæ Hierosolymorum, dixit : Dei circa nos bonitatis divitias necessarium est annuntiare et prædicare : non solum enim pretiosis muneribus vilitatem nostram dignam exhibet, sed et facinorum multifarios compescit et reprimit impetus. Prænoscens enim turbationem quæ inerat huic amicæ Christi civitati, quemadmodum in præsentibus videmus negotiis, piissimum et Christi amicum imperatorem nostrum suscitavit ad stabilitatem et erectionem ecclesiasticarum rerum : cujus cornu exaltet Deus in sempiternum, et perficiat in beneplacito suo, subjiciens ei omnes barbaras nationes. Itaque demorantibus nobis hic, evidenter apparuit, quia Ignatius sanctissimus patriarcha pastoralibus officiis evellere ac recidere injustitiam properans, projectus a throno suo ad novissimum est exsilium traditus : pro ipso vero alius quidam Photius, qui apud nos noscebatur, subrogatus est in hoc throno. Piissimus autem imperator noster, ut per se inspector et cognitor causarum existens, et sciens certissime qualiter facta sint talia, sciens etiam prolatum pro sanctissimo Ignatio et contra Photium judicium a seniori Roma, eum, qui inique ac sine lege a proprio throno dejectus est per legitimam et justam sententiam rursus ad proprium thronum reduxit, et locum suum pervasori Photio secundum ordinem impertitus est. Quoniam vero cum esset justus et piissimus, volens perfectius ac manifestius veritatem confirmari, bene judicavit et ab omnibus patriarchiis vicarios huc colligere. Perfecit Dominus Deus bonum consilium ejus ad id quod melius et ecclesiasticæ ordinationi aptius existat, convenientibus videlicet hic senioris Romæ sanctissimis vicariis ac humilitate nostra. Cuncta namque emergentia perquirentes, didicimus certius, quod, cum esset Ignatius sanctissimus patriarcha in exsilio, quod pertulit violentius et iniquius ac injustius, diffamatum fuerit, quia thronum Constantinopoleos refutavit ; sed ad hoc nos dicimus (quod et nobis sancta Romanorum Ecclesia multum ante prædicavit) quia non credimus factam fuisse refutationem : si vero et facta est, irreceptibilis est apud nos, eo quod tyrannice facta fuerit, et coacte, atque invite ; siquidem hoc facile perspicit. Itaque incertum non est : neque enim quis, cum sit in exsiliis et extremis pœnis, etiam refutans existimabitur secundum verum refutandi modum. Nam omnimodis vivere desperabat, per singulos dies mortem præstolans, et suæ ipsius vitæ quotidie pati detrimentum exspectans : sed propitia Dei misericordia salvavit eum, quatenus benignitas Dei manifestetur, et cognoscatur ab omnibus lucidius, quia qui pro veritate, ac propter Dei justitiam sustinet tribulationes, non oblivioni tradetur in finem. Igitur, ideo huic sanctæ synodo magna voce

denuntians, quia nunquam aliquando depositionem sanctissimi patriarchæ Ignatii admisimus, neque litteras a Photio recepimus, neque ad eum transmisimus; neque enim a communione sanctissimi patriarchæ Ignatii aliquando scissi fuimus. Et idcirco, etiamsi veraciter dicant, qui dicunt: Coactam violentiam refutationem non existimamus; si vero et ad rationabilem excusationem sui hi qui Photio hærent dixerint, quod undique metropolitæ ac episcopi collecti Photium ad promotionem pertulerint, et idcirco si ille dejectione dignus erat, et illi multo magis, talia dicimus ad eos, quia in secunda sancta et universali synodo, quæ collecta est in hac amica Christi urbe sub Dei cultore Theodosio magno imperatore, Maximus quidam Cynicus, et omnis ejus manus impositio repulsa est, qui autem promovit eum ad præsulatum dejectus non est a sorte sua, Timotheus videlicet Alexandrinorum provinciæ episcopus. Non solum autem ipse minime est repulsus, sed nec quisquam episcoporum Timothei, qui pariter inventi, et in Maximi ordinationem et provectionem cooperati sunt, damnatus est, quin potius honores et præmia meruerunt: quoniam Timotheus primus factus est prædictæ sanctæ synodi præsidens, utpote Alexandriæ patriarcha, et una cum episcopis qui secum erant provexit Nectarium Constantinopoleos patriarcham. Itaque non damnandi apud nos sunt episcopi qui inventi sunt, et consecrationem Photii fecerunt, eo quod maxime coacti ab imperatoria potestate ac potentia ad talem impulsi sunt actionem; maxime cum in prædicto Timotheo Alexandrino patriarcha justiores monstrentur: nihil enim habebat ille quod sibi tyrannidem inferret, et impelleret ad Maximi consecrationem. Verum ille solus, qui ante depositus et anathematizatus est, tam a patriarcha Ignatio, quam ab apostolica Romanorum Ecclesia, Gregorius Syracusanus damnatus et depositus est. Neque enim beatissimum et deiferum patriarcham Ignatium alienum a propria cathedra judicavimus aliquando vel judicamus, neque Photium unquam in summo sacerdotio recepimus. Sanctus enim Spiritus, qui locutus est in sancta Romanorum Ecclesia, credimus quod et in Ecclesiis nostris locutus exstiterit. Hæc enim plurimi eorum, qui Photii factionis erant, scientes, confugerunt salubriter ac reverenter atque sensate ad sanctam synodum, et convenientem veniam meruerunt: qui autem contentiosius et favorabilius hunc amplectendum putaverunt, fortassis hoc habent in animo, quia propria scripta, et juramenta, et cruces quas fixerunt, reprobare nolunt. Sanctissimi autem vicarii senioris Romæ, et nos, qui reliquarum sedium vicarii sumus, hæc omnia dissolvimus hodie, gratia Jesu Christi, qui dedit nobis summi sacerdotii potestatem juste ac congrue ligandi atque solvendi, quoniam violenter et coacte omnia facta sunt. Ille enim Photius prænoscens oppido quod non per ostium intraverit ovium, sed aliunde ascenderit, multitudinem episcoporum ad se per varias machinationes attraxit, opinatus per hoc inconcussum se ac immobilem habiturum proprium præsulatum, se videlicet chirographis et juramentis, quæ ipse confecit, foliis ficulneæ obumbrans, simul et in aera verberans, et frustra pugnans, et aranearum filis semetipsum operiens. Neque enim folia ficulneæ dedecus velare potius quam revelare videntur, cum sint undique scissa sive pertusa. Sententiam ergo, et judicium nostrum coram amico Christi imperatore, ac sancta synodo manifesta fecimus. Pacis autem principem Deum flagitamus, quo tranquillissimum imperium dominationis piissimi imperatoris nostri in sæcula conservet. Amen.

Deinde dicit Basilius amicus Christi et magnus imperator post hujusmodi acclamationem ad episcopos Photii: Ecce audistis sensum patriarchiorum tam Romani quam Hierosolymitani et Antiocheni. Quid vobis videtur ad hæc? Photii episcopi dixerunt: Respondemus ad hæc. Et dixit Euthymius qui fuerat factus a Photio Cæsareæ Cappadociæ episcopus: Domine imperator, novimus ex Deo imperium tuum justum, longanime, ac personas non sumens, et poscimus illud, ut et erga nos humiles, et indignos servos suos hæc agantur, et accipiamus verbum in scriptis ex Deo imperii tui, ut quamcunque habeamus justificationem, sine prohibitione loquamur, et quotquot voluerint nobiscum dicere, non prohibeantur: et speramus in Deum, et in imperium tuum, quod ex Deo est; quia et chartas has et disputationes istas ostendere habemus in vanam fuisse locutas, sed tumultuatas. Basilius piissimus et amicus Christi imperator dixit: Vane locuti estis, ut qui ausi estis dicere vana quæ lecta sunt, eo quod ex talibus et tam magnis patriarchalibus capitibus dicta sint; quemadmodum omnes certissime norunt. Vos principali manu synodos inordinatas soli, ac singulariter, sine patriarchiis thronis facientes, sanctas vocare ausi estis, et huic præsenti, quæ ab omnibus patriarchalibus thronis celebrata est, Dei cooperatione ac gratia, qui imperium nobis commisit, detrahere non erubescitis. Utique nostis et vos et universitas, quæ sub sole est, quia protectioni veri Dei nostri quinque patriarchia orbis terrarum recta sentiunt, et non est læsio fidei: et ideo quidquid judicant, necessario debetis recipere. Ut autem appareat, non creditis quod ea quæ dicta sunt illinc existunt: si enim credidissetis, non utique judicium eorum reprobare penitus auderetis. Interrogo ergo vos: Diffiditis, an creditis, quod inde sint? Photii episcopi dixerunt: Non diffidimus. Basilius piissimus et Christianissimus imperator dixit: Ergo si creditis, suscipite prolatum ab eis judicium. Si vero non creditis, ego et necessariorum opus præbeo; et ite ad patriarchia, et certificamini, atque denudentur illic negotia. Photii episcopi dixerunt: Hic denudentur negotia. Zacharias a Photio Chalcedonensis episcopus dixit: Et papæ Nicolai et cæterorum patriarcharum canon princeps est, et secundum illum agentes, nil faciunt extra id quod docent. Cum vero extra hunc faciunt,

sive papa Nicolaus, sive alius quis, non acquiescemus. Etenim Marcellum Ancyranum Julius Romanus suscepit, et Sardicensis synodus trecentos episcopos habens, justificavit eum; sed usque in præsens ut hæreticus anathemati submittitur : et lugendum Apiarium justificatum a Romanis præsulibus, Africana synodus non justificavit, sed repulit, mittens, ut propria curaret, et extra fines suos non excederet; et alia dena millia paradigmata habemus hujusmodi. Et nunc, siquidem facta sunt hæc a Nicolao cum canone, sequimur, et convenimus et roboramus, et contraria illis non sapimus : si vero facta sunt extra canonem, non nos illa vituperamus, aut projicimus, sed canon : etenim duobus conatibus, quibus utitur contra patriarcham qui consecravit nos, reor neminem duntaxat promotum posse damnari. Nam in eo quod dicit non debuisse hunc ex laicis provehi, consecrantes quidem cautos reddit, consecratum autem non damnat : et consuetudo canonem illum exsuperavit. Etenim Tarasius ita consecratus est, et Nicephorus, et Nectarius, et Thalassius Cæsareæ, ac Eusebius, et Ambrosius Mediolani, atque alii mille. Si ergo sunt illi obnoxii, est et hic; quod si illi innoxii, et iste utique.

Quod autem dicitur, quia a depositis est promotus, primum non opinamur hoc verum esse, neque enim pro criminibus isti depositi fuerunt, sed pro eo quod restiterunt Ecclesiæ : uniti autem rursus et apostasiam illam reprobantes, suscipiendi consistunt. At vero etsi Gregorius depositus est qui eum consecravit, non est Photius obnoxius, sed ii qui eum promoverunt obnoxii comprobantur. Verumtamen, licet sit Gregorius depositus, possunt et promoventes eum nullas pœnas hic perpeti. Etenim Flavianus deposuit Eutychem, et Anatolius suscepit eum. Et episcopi, qui quartam fecerunt synodum, comministrum eum habuerunt : sed nequaquam damnati sunt. Sed et Petrus Moggus [a] depositus est a Proterio, quod esset hæreticus, et quartam non susciperet synodum. Deinde cooperatus est in mortem ejusdem Proterii, et postea post Timotheum factus est patriarcha, sed nullus eorum qui ab eo consecrati sunt condemnatus est; sed et Acacius Constantinopolitanus damnatus est a papa Romano, eo quod cum hæreticis haberet communionem, et ille quidem damnationis sermonem nullum fecit. At vero post eum patriarchæ, Phaetas [Flavitas] et Euthymius, et Macedonius, recipientes eum, suscepti ab Ecclesia et sunt et putantur. Et nunc hoc dicimus : Si sit canon qui deponat nos, depositionem recipimus; si vero non est, nequaquam. Etenim Flavianum Antiochiæ patriarcham Romani non receperunt, sed eum canon nullatenus condemnavit. Basilius piissimus et Christi amicus imperator dixit : Omnes casus, quod dicitis, quod facti fuerint per diversa tempora et loca, in Ecclesiis ab aliis patriarchis restituti et erecti sunt, et ideo digni receptione judicati sunt, tanquam sanati ab iis qui potuerunt mederi vulneribus Ecclesiæ. Vestrum autem casum et vulnera nullus ecclesiasticorum medicorum sanavit: neque aliquis patriarchalium capitum erigere vos ex ruina vestra passus est, aut voluit, sed usque in præsens in peccato vestro estis, et in sepulcro nequitiæ vestræ jacetis mortui, unde omnes summi pastores patriarchæ concorditer vos condemnant. A Deo vero munitum imperium nostrum placidum, et benignum est, et vestri curam gerit, et consulit, ut percipiatis misericordias, quas deliberaverit sancta et universalis synodus. Nam omnes novimus quia laici estis, et non adduximus vos latrare, et sine ordine facere verba; omnia enim vestra mendacia sunt et seductio. Photii episcopi dixerunt : Hoc nec diabolus ausus est dicere. Basilius piissimus, et Christi amicus imperator dixit : Si velletis dicere, quia temporibus, quibus permisit Deus episcopatu vos fungi, et aliud miserabilius permisit fieri propter peccata vestra, quod et videbitis assidue oculis vestris : et hic testimonium perhibet, de Eulampio dicens perfectius et manifestius : Habemus ergo et alios episcopos, et alii quidem patricii sunt, alii autem protospathariorum dignitatem habent, quidam vero et spathariorum, alii vero et stabularii sunt; et si hoc vultis, exhibebo coram vobis, quia Theophilus protospatharius ferens superhumerale ut patriarcha, incensum offerebat summo sacerdoti vestro Photio coram isto; ad quem et dixit : Non videbas eum? Eulampius dixit : Si vidi eum aliquando, domine, destruat me servum tuum Dominus Deus de libro vitæ. Verumtamen, domine bone, refutavit dominus Ignatius. Imperator dixit : Quis eum deposuit de throno? Eulampius dixit : Imperator eum deposuit. Basilius piissimus et amicus Christi imperator dixit : Et ubi erat, quando fecit refutationem? Eulampius dixit : Foris erat in insula sua, et eum [b] propter senectutem suam, vel etiam propter languorem. Basilius piissimus et Christi amicus imperator dixit : Utique misit aliquem nuntians imperatori, quia volo refutare. Et rogavit eum : Da nobis personam per quam nuntiavit imperatori. Marinus reverendissimus diaconus et vicarius senioris Romæ dixit : Quis est iste, qui ante conspectum sancti imperii tui astat et loquitur? Basilius piissimus et Christi amicus imperator dixit : Eulampius est. Donatus, et Stephanus, et Marinus sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Iste est qui depositus et anathematizatus est a sancta Romana Ecclesia; et quomodo talia loqui præsumpsit in conspectu imperii tui? nos cum deposito et anathematizato loqui non patimur. Etenim pater noster spiritalis, Adrianus papa Romanus sancto et a Deo protecto imperio tuo demonstravit legem et judicium, quod sancta Romana Ecclesia de nefandis et prævaricatoribus definivit; et nos cum eis colloqui te non patimur, eo quod scriptum sit : *Contradictiones excitat omnis malus* (*Prov.* VI). Volumus autem ut legatur in auribus eorum libellus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et si desiderant converti et pœnitere, ut vel communio-

[a] Blesus sive Balbus.

[b] forte deest *devosuit*.

nem tanquam Christiani accipere mereantur. Non enim claudit miserationes suas in hujusmodi contentionibus sancta catholica et apostolica Ecclesia ad eos qui sincere pœnitentiam agunt. Persistentibus autem iis et obturantibus aures suas et corda, et nolentibus audire quæ exposita sunt a sanctis patriarchis, nos nihil aliud facimus, neque subvertimus, neque rejudicamus judicium sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub undecima indictione factum contra Photium mœchum et tyrannum ac pervasorem, atque sequaces ejus: si voluerint audire nos, quotquot sunt digni, per libelli satisfactionem recipimus eos, et convenientem eis scribimus locum; si vero noluerint, anathematizamus, et maledicimus eis, et ab omni sorte Christianorum separamus, quia non habemus alium sermonem ad eos, sed et ethnicis et publicanis transmittimus eos. Basilius piissimus et amicus Christi et magnus imperator ad sanctissimos vicarios senioris Romæ dixit: Ego crebro et multum rogavi ne perirent, et ideo eos dimisi huc; si nolunt concurrere ad Ecclesiam, quidquid judicaverunt patriarchæ, etiamsi noluerint, confirmamus. Nemo enim potest datam eis potestatem a Christo Deo et Salvatore nostro reprobare. Sanctissimi vicarii senioris Romæ ad episcopos Photii dixerunt: Qui ex vobis ordinati estis a sanctissimo patriarcha Ignatio? Et steterunt in medio Heracliensis, Cretensis, et Celenderensis, et dixerunt: Nos sumus ejus consecrationis; et dicunt eis sanctissimi vicarii senioris Romæ: Subjacetis justo judicio catholicæ synodi, et juxta libellum qui expositus est a sancta Romana Ecclesia facitis et scribitis, an non? Qui dixerunt: Ne fiat, Deus. Sed si jusserit imperator noster sanctus audire omnia quæ acta sunt, dicemus. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt: Si non vultis obaudire sanctam synodum, ite ad patres vestros. Et his se ad alios conferentibus, dixit Metrophanes Deo amicissimus metropolita Smyrnæ ad Zachariam Chalcedonensem Photii episcopum: Ad ea quæ dixisti respondemus tibi: Leges sanciunt, tam ecclesiasticæ quam civiles, omnem, qui elegerit aliquem judicem, modis omnibus sequi ac obedire præceptis ejus, et nequaquam refutare penitus ac repellere prolatas ab eo et depromptas definitiones et leges: cum itaque pars vestra petierit et proposuerit judicem beatissimum papam Nicolaum, quomodo vos, extra positas Ecclesiæ ac reipublicæ leges ac regulas, eum redarguere ac judicare præsumpsistis, asserentes non secundum canonem egisse, neque secundum justitiæ ac veritatis rationem decrevisse, quæ sibi visa sunt definiendo? Invenimini ergo in parte hac et ecclesiasticas et civiles reprobare leges, pro eo quod quem elegistis et prætulistis judicem nunc abjiciatis. Nemo enim electum a se judicem ex propria optione vice versa judicare vel condemnare penitus debet. Nam nunquam aliquando quis judicatus, dum condemnatus fuerit, firmavit prolatam damnationem: et ideo per nullum tempus vel modum firmum

A erit judicium. Quoniam vero veluti nullatenus audientes solutiones quæ lectæ sunt litteris beatissimi papæ Nicolai de promotione Nectarii et Ambrosii ac Nicephori, memorabilium hierarcharum, iterum illas in paradigma producitis ad justificationes præsulis vestri, dicimus ad vos quia sapiens quidam dicit: Etenim eorum, qui multum inter se distant, manifestæ prorsus diversitates consistunt, porro similitudo valde perspicienda est. Perspiciamus ergo et nos valde compendiose, si secundum similitudinem aliquam jam nominatorum summorum sacerdotum præsul vester promotus est sic, quemadmodum unusquisque illorum receptus. Itaque beatum Nectarium synodus universalis, et sancti patriarchæ diversi, et
B elegerunt et promoverunt archiepiscopum Constantinopoleos, nullo modo imperatore cogente illos, neque ulla principali manu in causa penitus mediante; sed neque quempiam viventem ab hujusmodi cathedra manus imperialis tyrannice pepulit, et tunc provectus est Nectarius. Similiter etiam et Ambrosius memorandus, Auxentio defuncto Ariano, a synodo, quæ tunc a Mediolanensibus est de orthodoxis dogmatibus congregata, promotus est in episcopum prædictæ civitatis, nullo modo principali manu impellente episcopos in electionem ejus vel promotionem: pari quoque modo et beatus Tarasius ab illo ipso novo confessore Paulo, qui propter orthodoxam fidem sequestratus a cathedra Constantinopoleos, et testimonio approbatus est et promotus; eo illum dignum esse tali throno asseverante, ac omnibus
C propugnatoribus pietatis, qui tunc aderant, orthodoxæ fidei propter zelum ac irreprehensibilem vitam ejus, sed non tyrannice vel coacte ad receptionem ejus conducti sunt: similiter etiam et post dormitionem beatissimi Tarasii beatissimus Nicephorus patriarcha synodice electus et consecratus est archiepiscopus Constantinopoleos, sponte ac voluntarie collectis episcopis, qui decretum illius et consecrationem fecerunt: in Photio vero nihil omnino tale invenitur, eo quod et ille, vivente legitimo Ecclesiæ viro, subrogatus sit, et provehentes eum et consecrantes violenter, et coacti, ac inviti, atque sine proposito ac voluntate in illius et promotionem et consecrationem ex imperatoris necessitate ac tyrannide impulsi sunt et secuti, et nulla patriarchalium
D sedium in sacerdotio eum recipere passa fuit. Cum ergo diversitas hic omnimoda reperiatur, quomodo in dissimilibus introducis similitudinem? In quibus enim est causæ diversitas, existimationis quoque et opinionis diversitas debet accidere. Quoniam vero ratione morsus, dixisti de beatissimo papa Nicolao: Quod si secundum canonem judicium protulit, et admittimus et amplectimur damnationem nostram; sin autem, nequaquam: et post pusillum dixisti, quia, quod dixit: Non oportuit Photium ex laicis promoveri, eos qui consecraverunt cautos reddit, non consecratum condemnat, et consuetudo regulam illam vicit, in contrariam disparationem cecidisti; eo quod confessus quidem sis, et ostenderis papam

Nicolaum canonice restitisse, ac secundum regulam Photium reprobasse, non autem acquieveris canonico judicio Nicolai, quemadmodum pollicitus es, consuetudinem in subversionem canonis objiciens; quanquam liquido sciens, quia ea quæ raro fiunt, positas leges non subvertunt, neque particularia universalibus et generalibus principantur vel dominantur: et maxime cum plurima esse differentia reperiatur in Photio, et præcedentibus, qui ex laico provecti sunt, sicut et multifarie demonstravimus. Verum et quod dixisti: Multos, Romanorum Ecclesia justificante, damnatos arbitramur, et rursus damnante justificatos habemus, falsum est et procul a veritate.

Denique Marcellum quidem anathematizantem omnem hæresim, et eam maxime quam habere dicebatur, juste ac regulariter Julius papa Romanus, et Sardicensis synodus recepit. Similiter enim eum facientem et Athanasius magnus et Paulus confessor, turres et columnæ orthodoxæ fidei, et acceptaverunt et comministrum habuerunt. Novissime autem ad proprium vomitum reversum et deprehensum hæreticum, hi, qui circa Silvanum erant, anathematizaverunt, quibus et Liberius per litteras suas, qui post Julium fuit, concordat dicens: Marcellum denuo impie dogmatizantem. Hoc autem non est utique reprobatio judicii Julii, vel Sardicensis synodi, ob factam Marcello mentis mutationem. Similiter etiam Apiarium, cum esset presbyter Ecclesiæ Synicensis [Siccensis] Africanæ provinciæ, propter aliquam causam segregavit proprius episcopus Urbanus: postea vero deposuit omnimodis synodus quæ ibidem collecta est: Zosimus autem papa Romanus recurrentem ad se, et semet insontem exhibentem, justificavit, et ad Africanam synodum mittens cum litteris, ut iterum susciperetur, egit rationem reddente synodo per scripta Bonifacio post Zosimum papæ Romano de depositione quæ facta est in Apiarium, et de iterata justificatione: et quia nunc justificatum eum arbitramur, judicavimus autem non operari eum quæ sunt presbyteri in Ecclesia Synicensi propter scandala quæ subsecuta sunt: porro accipientem litteras commendatitias a nobis, in omnibus aliis Ecclesiis sacerdotio fungi. Invenitur igitur Africana synodus paruisse potius judicio Zosimi papæ Romani, ac per hoc propriam reprobasse sententiam, et justificasse Apiarium, non, ut fassus es, restitisse voto Romanorum pontificum. Porro patriarcham Antiochiæ Flavianum recusabat quidem Romanorum Ecclesia suscipere: interim propter magni Eustachii dilectionem Paulinum stabilientes, qui princeps erat eorum qui propter Eustachium resistebant et disjungebantur, ac seorsum colligebantur, non tamen et usque in finem hanc habuerunt mentem. Piissimo enim imperatore Theodosio mediante, acceptum reddiderunt eum et patriarcham habuerunt eum Antiochiæ; ita ut et in hoc mendaciter loquens apparueris. Si enim usque in finem abjecissent eum, bene utique inveniereris fuisse locutus. Si vero, lite cum Paulino detenta, restiterunt quidem propter causam, quam dixi, deposuerunt autem hujusmodi contentionem, et receperunt eum, frustra dixisti receptum fuisse Flavianum contra Romanam Ecclesiam. Dicere autem Petrum Moggum Alexandriæ depositum esse, quin etiam et Acacium Constantinopolitanum, nequaquam vero depositos eos qui ab utroque manus impositionem acceperunt, nihil confert ad vestram vel Photii justificationem, eo quod aliter ecclesiasticæ leges eos qui ex hæresibus redeunt episcopos judicant, et aliter eos qui a mœchis et qui sine canone promoventur: eos enim qui libellum dant, et propriam hæresim anathematizant, recipi sanciunt, quemadmodum et tunc Orientis episcopi synodum celebrantes, et Felix post Simplicium papa Romanus synodice Petrum quidem Moggum damnavit, et omnimodis abdicavit: similiter etiam Felix et Acacium abrogavit. Nullatenus autem qui adversus eos ab utroque consecrati sunt, promulgaverunt sententiam, propter evidentes leges, ut dixi, Ecclesiæ; et certe Petrus parum, magis autem et Acacius, alterantes circa fidem apparuerunt. Consecratos autem, quemadmodum Photius et vos, nullo modo recipiunt, sicuti sancta et universalis synodus secunda de Maximo Cynico, et iis qui ab eo manus impositionem habuerunt, et egit et censuit. Gregorium autem, qui consecravit Photium, ut dixisti, non tanquam desertorem Ecclesiæ deposuit sanctissimus patriarcha Ignatius, sed propter criminales causas. Et bene dixisti, quia: Sive sit depositus Syracusanus Gregorius, innoxii sunt qui Photium provexerunt. Isti enim revera justificantur propter necessitatem et tyrannidem, atque vim receptionis utriusque, Photii scilicet et Gregorii; secundum paradigma quod tibi datum est depositi et impii Eutychetis, et susceptionis ac sacerdotii functionis Anatolij patriarchæ Constantinopoleos, et eorum episcoporum qui sub ipso erant, quippe recepti et justificati per quartam synodum habiti sunt: non vero per id et Photius innoxius dicitur, et quod schismaticus fuerit antea, multorum scandalorum auctor effectus sit, et multos ab ecclesiastica communione recedere fecerit, et ultroneus ac volens consecrari a Gregorio proposuerit, nulla in hoc necessitate impulsus; sed et protestationem a quibusdam electorum hic consistentium episcoporum accipiens. Et Zacharia dicere etiam denuo tentante, sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt ad amicum Christi imperatorem: Ecce multoties audivimus contradictiones, et verborum pugnas eorum, quæ nihil illis prosunt, eo quod dissonantes sint a recta ratione ac synodicis et regularibus dispositionibus. Nunc ergo dicimus etiam rursus ad eos: Sinite excusare excusationes in peccatis, et in verba malitiæ declinare, atque in vanum laborare (*Psal.* CXL), et procidite sanctæ huic synodo, et salvamini ab anathematis condemnatione: sin autem, ite ad lumen ignis vestri, et flammam quam accendistis. Novit enim omnis sancta et universalis synodus, quæ gratia Dei in ecclesia hac

congregata est, quia sancta Romana Ecclesia ab undecima indictione, collectis Occidentalibus episcopis in ecclesia beati Petri, ubi virtutibus floret, et requiescit, obligavit, et anathematizavit ac projecit Photium pervasorem, una cum omnibus sequacibus ejus, præsulatum adhuc gerente beatissimo papa Nicolao. Iterum autem successor ejus Adrianus, divinitus constitutus pontifex Romanorum, sicut ille definivit atque præcepit, ita et iste successor ejus definivit et promulgavit, nosque indignos famulos suos direxit ad hanc Deo conservandam urbem, ad manifestationem et certitudinem veri et justi judicii ipsorum in conspectu justi imperii vestri, et hujus sanctæ ac magnæ universalis synodi; ita ut non habeant vocem repedationis, vel appellationis; sed quemadmodum jam judicati sunt et dejecti, in sæculum maneant. Et Ecclesiæ Orientalium, gratia Dei, nobiscum sentiunt, stabiliunt, damnant et anathematizant similiter usque in consummationem sæculi.

Et post hæc ascendens Constantinus a secretis, legit exhortatorium sermonem imperatoris, in audientiam omnium :

Multæ quidem communes passiones sunt, quas præcedentibus diebus audiens et intuens a Deo provectum imperium nostrum, lugere ac contristari operæ pretium duxit. Majus autem malum, et calamitatum arx, est Ecclesiæ tempestas, malignus aspirans adversus eam diaboli turbo, pacis expulsio, et veteris ordinis dissolutio, ausus irruendi junioris in seniorem, et inhonorati adversus honorabilem, ac omnimoda subversio status ecclesiastici, et, apud exteriores quidem in consiliis justitia conversante, apud Ecclesiam injustitia fiducialiter agens, amor principatus, ac amor privatus, atque nullius severitatis propter hæc reputatio; nec non et contra spiritalem patrem rabies et insania. Hæc sunt quæ meam obtinebant et turbabant animam, et tanquam nubes crassa obtenebrabant animum, ac oculos cogebant fontes mihi largiri lacrymarum : et divinitatem in auxilium et solutionem existentis mœroris invocabam, et opus erat mihi hæc cogitatio, si forte possem in primis de ecclesiastica curam gerere unitate : quod et factum est, et in effectum devenit quemadmodum et vos omnes nostis, quotquot ad sacrum hoc convenistis collegium. Alia enim imperii, quod sub me est, dimittens, ad id solum in exordiis accelleravi, et secundum utriusque dissidentium partis petitionem, et priscam ecclesiasticam traditionem perspiciendi causa, etiam judices eorum, quæ in Ecclesia nostra gesta sunt, ex reliquis patriarchalibus thronis collegi, rem perficiens cooperatione sancti Spiritus : quam multi quidem ante nos imperantium videre desideraverunt, ex æquo autem omnes minime consecuti sunt : et quotquot pertinent ad ecclesiasticam unitatem ac ordinationem, omnia solerter a me peracta sunt, cum nulla penitus imperiali manu et potentia, ut quidam, parvum vel magnum effecerim. Neque enim, ut sacratissimus patriarcha ad proprium regrederetur thronum, imperii mei opus vel excogitatio facta est. Sed multum ante sanctissimus et beatissimus papa Nicolaus, quæ circa illum erant certissime discens, synodice decrevit reddi ei jus proprii throni, et anathema cum tota Romanorum Ecclesia pronuntiavit contra resistentes hujuscemodi decreto atque sententiæ. Hic autem nos olim scientes et paventes judicium anathematis promulgati, obsecundare synodico judicio Romanæ Ecclesiæ necessarium duximus, et hujus rei gratia reddidimus ei proprium thronum. Verum non modo Romanæ, sed et ad orientem solem sitarum sedium, providentia melioris, vicarii pervenerunt, nihil deinceps vel impedire, vel adversari, aut favere utique parati justissimo imperio nostro consensuro. Cujus rei gratia in nullo synodico judicio inveniri voluit multorum garrulitates recidens, ne quis dixerit quod imperialis manus, et gladii, et protectores, ac mundanus potentatus concilium subadulteraverit. Unum solum nobis desiderium, et ad præfatos judices, postquam illos vidimus, supplicatio fuit, ne quemquam permitterent deperire, vel ab Ecclesia Dei quemquam, si fieri posset, projici. Hoc solum est nostrum [a], si voluerit qnis nominare crimen : alia vero omnia canonibus, et iis, quibus imperium synodi creditum est, tradidimus, multum pro præsenti judicio conjurantes et condemnantes [b], nil ad gratiam, vel per odium decernendum, humane autem magis circa eos qui ceciderant affectandum; quos non proprie tantum, sed et communiter hodie, omnibus videntibus, deprecamur, manum iis qui compassione opus habent porrigere, et unam Ecclesiam celebrantium festivitatem perficere. Ita Patres spiritales et veritatis defensores, qui figuratis secundum chrisma, Aaron, et secundum zelum, Phinees, ac secundum judicium, Salomonem; requirite ovem quæ perierat, convertite quæ erraverat, super humerum tollite solitariam, et confractam compassionis vinculis alligate; quæ ulcerata est, emplastro condescensionis sanate; quæ extranea et abjecta est a spiritali mandra, nonaginta novem ovibus dispensationis more conjungite : relinquite memoriam sempiternam posterioribus generationibus compassionis vestræ ad imitationem Christi. Et vos quoque, qui curatione indigetis, ac medela opus habetis, pretiosa membra Christi, etsi nescio quomodo a malo dæmone detenti, a capite separati estis : *Vitis vera*, quæ propter contentionem importunam, imo vero injustam, *in amaritudinem conversa es* (*Jer.* II), amici et proximi nostri, etsi propter odium irrationabile ex adverso appropiantes et stantes, ac vanitates respicientes, suscipite admonitionis sermonem; non autem confundor dicere, etiam deprecationis; in id enim nos adduxit misericordia, quam circa vos habemus. Scrutamini intima conscientiæ vestræ, et invenietis vos male ab

[a] Ac si diceret : Nullum in me super his crimen invenietur, nisi forte quis hoc pietatis opus crimen appellare voluerit.

[b] Id est, condemnationem imprecantes.

Ecclesia esse disjunctos. Novissima hora est, et judex præ foribus est, fratres; ne præoccupemur ab ejus Ecclesia sequestrati, et longe ab illius gloria projiciamur. Nihil turpe ducamus passionem manifestare, et vulnus ostendere, ac locum pœnitentiæ ac medicinæ requirere, atque intra atrium salvantium fieri, ne confusionem obedientiam arbitrando, confusionis æternæ sumamus experimentum. Qualis autem et est confusio, fratres, procidere Deo, et veniam expetere : Deo enim procidunt, qui Ecclesiæ et spiritalibus istis patribus procidunt. Confusio quidem revera est, et maximus pudor, imo vero in Deum dimicatio, nolle unumquemque proprium confiteri peccatum, et humiliari propter Christum, et lucrari et se et multos. Si autem omnino hoc confusionem arbitramini, ego, cui imperii superposita est corona, forma vobis efficiar hujus optimæ humilitatis : ego, qui imperitus, et insipiens sum, bonum initium ero vestrum, qui sapientes estis et clari scientia : qui in peccatis volutatus sum, primus vobis typus fiam, qui mundi estis, et virtuti operam datis : ego primus memet super pavimentum projicio, purpuram et diadema parvipendens. Ascendite ad genas meas, et per oculos meos incedite, nec reputetis magnum imperatoris calcare scapulas, neque vereamini pedibus tangere verticem, qui superimponitur a Deo donata corona. Omnia pati promptum habeo, et promptius agere quæ vobis quidem confusionem, mihi autem gloriam et maximam claritatem conferre videantur. Neque enim in hoc curam gero gloriæ meæ; tantum, ut videam communionem, unitatem et unam Ecclesiæ festivitatem; tantum, ne animæ detrimentum patiar, et gaudeat super me ille omnium inimicus diabolus captivum sumens. Quod mihi desiderandum est, tantum spei meæ lampas insperate non exstinguatur, per quam festinabam omnium illustrari lætitia simul et gaudio. Nescio quod erat satagendum et efficiendum, et non feci : vel quos proponendos admonitionis et deprecationis sermones non proposui; vos de cætero videbitis : innocens enim sum a perditione vestra. Si vero ad magnum et horrendum illud judicium futuræ diei vos remittitis, quasi pro vobis rationem daturos, noscite quia bene novi quod nullus vobis justitiæ sermo sive hic adest, sive illic aderit, nisi quantum in hac controversia inventum exstiterit. Verum si vultis et ante illud judicium conscientiæ vestræ interrogare judicium, discetis amplius nihil, quam quod ab imperio nostro dicitur. Deponite igitur contentionem, fratres, et resumite amorem fraternitatis : fugite dissensionem, et unitatem amplectimini; odium avertite, et dilectionem in sinu recipite : state cum probabilibus, et capiti conjungimini; recipite per patientiam divinæ communionis gratiam, et nihil ob sæcularia sitis solliciti. Sunt enim apud compatientissimum imperium nostrum susceptionum modi diversi, per quos consolabimur, et incessanter, quæ secundum sæculum vobis opportuna fuerint, faciemus, rursusque multimode decertabimus, A obsecrantes, rogantes, et omne ingenium commoventes ad spiritales patres nostros, et patriarchas, ut dispensent quid eorum quæ insunt animo vestro : tantum ne temere contra salutem vestram agatis, neque perditionem vestram amplectamini; non enim est tempus ad pœnitentiam et receptionem præsenti acceptius : qui namque hodie ligare ac solvere Ecclesiæ negotia possunt, præsto sunt. Dimittite importune tempus explorare, et rerum immutationem exspectare, quæ et si fiat aliquando, nihil vobis conferet. Etenim, etsi alia tempus immutaverit, hoc commovere non poterit; nam si actio unius viri vestri nil rationabile habens, cum tota erronea esset, tantum æstum operata est, ut hunc vix ac difficile dissolvere quiverimus; actionem, dic mihi, et judi- B cium quatuor patriarchalium sedium quis dissolvere poterit? Ad quem enim effugietis, solutionem obligamenti petentes? Ad Romanum præsulem? sed finetenus vos condemnavit. Ad Antiochenum? sed consentaneus Romano et consonus factus est. Ad Hierosolymitanum, vel Alexandrinum? sed et illi vestræ damnationi consenserunt. At etsi thronum aliquando Constantinopolitanum cuncta destruens tempus vobis commiserit, et per vosmetipsos convenire volueritis; quis vos sequetur? vel quomodo aperire oculos, et aspicere quempiam poteritis, impugnati ab omnibus sacerdotibus ac patriarchalibus sedibus? Ne ergo, fratres, ipsi vos decipientes, tempus salutis vestræ perdatis : neque enim tale invenietis aliquando; sed importunas contentiones et obstinationes C deserentes, communi medelæ occurrite, et medicinæ remedium sumite, ac adhærete spiritali capiti vestro, et Ecclesiæ Dei communicatores estote; ut et crimine exuamini, et Deum propitium habeatis, ac Ecclesiam lætificetis, imperiumque nostrum exsultare ac spiritaliter festivitatem celebrare faciatis, atque rempublicam universam gaudio maximo ac tripudio repleatis; nec non et in communi omnes benedicamus pariter Domino gloriæ nostræ, et principi pacis, et auctori dispersa congreganti, et bene coaptanti, intercessionibus sanctæ Dominæ Dei genitricis, Deum videntium angelorum, et omnium sanctorum. Amen.

Et post lectionem ascendens Theodorus a secretis vicariorum senioris Romæ, legit : Ecce quomodo D sanctissimus et Christi amicus imperator, divinitus sibi concesso imperio, non vult perire unam ovem a Christo sibi in custodiam creditam, transferens omne exsilium, omnem tribulationem et omnem angustiam in admonitionem et precem; quas sanctissimi vicarii et fideles Ecclesiæ Dei propter Photium invasorem et tyrannum, non suscipientes eum, perpessi sunt : sed invitat vos ut verus pastor ad mandram rationabilium ovium, quatenus ante tribunal Christi digne valeat dicere : *Ecce, Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam* (*Joan.* XVIII). Videte quantam benignitatem, quantam misericordiam, quantam compassionem vobis dat; desiderat enim vos ad sinum sanctæ communionis suscipere.

Thomas Deo amicissimus metropolita Tyri, et Helias Deo colendissimus presbyter et syncellus, vicarii Orientalium sedium dixerunt : Dignæ imperatorio et justissimo sensu sunt admonitiones, quas facit bonus imperator noster ad illos, deinde vero et ad omnes qui post nos futuri sunt. Nos autem ad hoc dicimus : *Hominibus quidem suademus, Deo autem manifesti sumus* (*II Cor.* v). Porro revereamur cœlum et terram, et caniciem nostram, si quid præter divinas leges judicamus vel definimus, quod et piissimus imperator noster denuo commonuit. Et nos quidem si irrationabilia animantia pasceremus, fortasse coacte, ac violenter tractaremus ea, ducentes etiam quo nollent : quoniam vero rationabile animal est homo, potius admonitionibus ducendum, sufficienter ab imperatoriis admonitionibus instruimini. Si ergo vultis viam nostram, et Christi, arripite; sin autem viam vestram, abite. Basilius piissimus et amicus Christi et magnus imperator dixit : Ecce qualiter et quoties admonuerimus vos, et audistis, et certificati estis, et non est vobis rationis sermo. Si enim vultis subjici admonitionibus omnium nostrum, ecce portus et medicina : quod si non, imperium nostrum præbet vobis inducias septem dierum, ut si quidem curam gesseritis salutis vestræ, bene et optime : si vero minime, ventura sexta feria, in sancta et universali synodo state omnes, et quidquid definierit sancta et universalis synodus in vos, fiet.

Et post hæc ascendens Stephanus Deo amicissimus diaconus Constantinopolitanorum Ecclesiæ et notarius dixit : Multos annos imperatorum Basilii et Constantini! Magnorum imperatorum et dictatorum multos annos! Orthodoxorum imperatorum multos annos! Depositorum injustitiæ multos annos! Hostium mendacii multos annos! Amatorum et fautorum veritatis et justitiæ multos annos! Eudoxiæ piissimæ Augustæ multos annos! Nicolai beatissimi papæ Romani æterna memoria! Adriani orthodoxi papæ Romani multos annos! Ignatii orthodoxi patriarchæ Constantinopoleos multos annos! Orthodoxorum patriarcharum Orientis multos annos! Orthodoxi senatus multos annos! Sanctæ et universalis synodi æterna memoria!

ACTIO SEPTIMA.

In nomine Domini et dominatoris omnium Jesu Christi veri Dei et Salvatoris nostri, consulatus a Deo coronatorum et tranquillissimorum dominorum nostrorum, Basilii quidem anno tertio, Constantini vero filii ejus anno secundo, perpetuorum Augustorum, indictione tertia, quarto Kalendarum Novembrium : propositis pretiosis et vivificis lignis, et intemeratis salutis nostræ Evangeliis : præsidente autem eodem piissimo imperatore, in dextera parte magni nominis templi magnæ ecclesiæ : conveniente vero sancta et universali synodo, hoc est Donato Deo amicissimo episcopo Ostiæ, et Stephano Deo amicissimo episcopo Nepæ, et Marino reverendissimo diacono sanctæ Romanorum Ecclesiæ, locum tenentibus Adriani sanctissimi papæ Romani, et Ignatio sanctissimo patriarcha Constantinopoleos, et Thoma sanctissimo metropolita Tyri, locum tenente sedis Antiochiæ, et Helia Deo colendissimo presbytero et syncello, locum tenente sedis Hierosolymorum : præsto autem simul existente sacro senatu, videlicet Theodoro magnificentissimo patricio ac magistro, Christophoro magnificentissimo patricio ac magistro, Leone magnificentissimo proconsule ac patricio, Hemerio magnificentissimo proconsule ac patricio, Stephano magnificentissimo proconsule et sacellario, Leone magnificentissimo proconsule ac patricio, Marino magnificentissimo proconsule ac patricio, Theophilo magnificentissimo proconsule ac patricio, Tarasio magnificentissimo proconsule ac patricio, Paulo magnificentissimo proconsule et præfecto, Barbatio magnificentissimo patricio, Leone magnificentissimo patricio et domestico excubitorum, Manuele magnificentissimo patricio, Theophylacto magnificentissimo patricio, Petronate magnificentissimo patricio, Manuele magnificentissimo patricio : considentibus quoque et Deo amicissimis metropolitis, id est Basilio Deo amicissimo archiepiscopo Ephesi, Theodulo Deo amicissimo archiepiscopo Ancyræ, Barnaba Deo amicissimo metropolita Cyzici, Nicephoro Deo amicissimo metropolita Nicææ, Nicephoro Deo amicissimo metropolita Amasiæ, Niceta Deo amicissimo metropolita Athenarum, Theodoro Deo amicissimo metropolita Cariæ, Metrophane Deo amicissimo metropolita Smyrnæ, Basilio amicissimo metropolita Gangrarum, Cypriano Deo amicissimo metropolita Claudiopoleos, Hilarione Deo amicissimo metropolita Corinthi, Nicolao Deo amicissimo metropolita Synnadorum, Michaele Deo amicissimo metropolita Rhodi, Euthymio Deo amicissimo metropolita Catanæ, Photio Deo amicissimo archiepiscopo Nacoliæ, Stephano Deo amicissimo archiepiscopo Cypsallorum, Basilio Deo amicissimo archiepiscopo Misthiæ, Theophane Deo amicissimo archiepiscopo Selges, Paulo Deo amicissimo archiepiscopo Apamiæ, Joanne Deo amicissimo archiepiscopo Cii, Athanasio Deo amicissimo episcopo Magnesiæ, Theodoro Deo amicissimo episcopo Sinopæ, Eustachio Deo amicissimo episcopo Æmoniæ, Theocleto Deo amicissimo episcopo Lacedæmoniæ, Nicephoro Deo amicissimo episcopo Zacynthi, Euthymio Deo amicissimo episcopo Mosynorum, Basilio Deo amicissimo episcopo Pyrgii, Georgio Deo amicissimo episcopo Helii, Petro Deo amicissimo episcopo Troadis, Leone Deo amicissimo episcopo Daphnusiæ. Niceta Deo amicissimo episcopo Photiæ

Basilio Deo amicissimo episcopo Cratiæ, Damiano Deo amicissimo episcopo Miletopoleos, Theophane Deo amicissimo episcopo Trallæ, Leone Deo amicissimo episcopo Neapoleos, Joseph Deo amicissimo episcopo Palæorum, et Georgio Deo amicissimo episcopo Adrianæ : his ita convenientibus, jubente Basilio piissimo et amico Christi magno imperatore, stetit in medio Bahanes magnificentissimus patricius, et præpositus dixit ad sanctissimos vicarios senioris Romæ et Orientalium sedium : Induciis Photio datis jam completis, duximus eum rursus ad sanctam hanc et universalem synodum. Si jul.et ergo sanctitas vestra, introducatur. Sanctissimi vicarii senioris Romæ ac Orientalium sedium dixerunt : Introducatur. Et introductus est Photius baculo innixus, et cum eo Gregorius dudum Syracusanus. Marinus Deo amicissimus diaconus sanctæ Romanorum Ecclesiæ et vicarius dixit : Tollite baculum de manu ejus, signum est enim dignitatis pastoralis, quod hic habere nullatenus debet, quia lupus est, et non pastor. Et, eo ablato, Donatus Deo amicissimus episcopus Ostiæ, et Stephanus Deo amicissimus episcopus Nepæ, et Marinus reverendissimus diaconus sanctæ Romanorum Ecclesiæ, vicarii senioris Romæ, dixerunt : In præcedenti actione venit ad nos vir iste forensis et curialis Photius, et admonuimus illum per apostolicam auctoritatem ad revertendum in Ecclesiam per libelli expositionem, ut recipiamus eum in communionem sæcularis. Interrogate illum, si forte intellexit bonum, et conveniens sibi, et vult facere libellum. Et pergens Bahanes famosissimus patricius et præpositus ad Photium, dixit ei : Sanctissimi vicarii senioris Romæ ac Orientalium sedium mandant tibi : Facis libellum sanctæ ac universalis synodi, quemadmodum exigit? Photius dixit : Dominus imperatorem nostrum sanctum custodiat in multos annos, et Gregorius, et nos similiter oramus. Imperatori nostro sancto, vicariis autem rationem non præbemus. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit ad Photium : Aliud aliquid ad hoc non dicis? Photius dixit : Si audissent quæ diximus nudius tertius, non utique hanc interrogationem prætenderent; si vero definitionem suam posuerunt in pœnitentia sua, hanc per opera demonstrent. Bahanes magnificentissimus patricius dixit : Quam? Gregorius dixit : Ut ipsi pœnitentiam agant, super quibus deliquerunt. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit ad sanctissimos vicarios senioris Romæ ac Orientalium sedium : Jubetis fieri responsum ad sermonem ejus, an non? etiam vere justum est ut respondeatis. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Quomodo? Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Pro eo quod dixerunt : Quia ipsi magis vana operamini, et ad pœnitentiam vos hortantur. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt, in Græcum Damiano venerabilissimo regio clerico interpretante : Nos non convenimus ut accipiamus ab eis increpationem vel pœnitentiam, sed ipsi a nobis hæc debent accipere. Hoc ad confusionem Ecclesiæ dicunt; nos nihil aliud interrogamus eos, nisi voluerint facere libelli satisfactionem; propter hoc enim interrogavimus eos; nihil aliud petimus [a] nos ex illis. Et sancta hæc et universalis synodus ita dicit nobiscum : Nos scimus quia a pedibus usque ad caput vulnerati sunt propriis injustitiis, et non est super illos integritas, et non respondemus eis. Et post hoc legit Theodorus devotus a secretis, ut ex persona Orientalium sedium : Ita primo quidem ingressu tuo, non solum nos, et hos qui nobiscum inventi sunt, sed et sanctum senatum imperatoris peccatorem pronuntiasti, non intelligens neque quæ loquaris, neque de quibus affirmes; nunc autem conclusionem pravæ mentis tuæ evomuisti, admonitiones imperatorias, et sanctæ ac universalis synodi, quæ vociferatæ sunt ad pœnitentiam tuam, in sanctum imperatorem nostrum et sanctam ac universalem synodum transferens, uti nosmetipsos admonentes ad pœnitentiam veniamus; sed non quia vertiginosis terra moveri videtur, propter hoc et movetur : ergo tu quidem ipse exorsus es etiam antea, nunc vero conclusisti. Ad ea itaque quæ interrogata sunt a sancta et universali synodo acute [b] responde. Si ergo accesseris sano sensu in quibus vocatus es, quod commodum est tibi ipsi, et iis qui tecum sunt, facies : si vero in hujusmodi pertinacia et contumacia permanseris, audies : *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, et fiet pax super Israel* (*Psal.* CXXIV). Et Photius dixit cum aliis : Et hæc accusatio abundavit. Deinde interrogatus est Photius a Bahane magnificentissimo patricio et præposito : Habes quid dicendum ad hæc? Et Photius dixit : Quæ diximus, bene transivimus; addamus et alia : in calumnias nos circumposuerunt, nil tale sentientes. Et post hoc ingressi sunt episcopi Photii. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : In præcedenti actione admonuimus eos, ut faciant libelli satisfactionem, et recipiamus eos in communionem, tanquam sæculares, et non declinent in contrariam viam, sicut magister ipsorum. Interrogate ergo illos sigillatim, utrum faciat quis ex ipsis libellum : aliud nolumus ab ipsis audire; etenim et sanctissimi Orientis vicarii, atque nos, eadem dicimus. Pergens itaque Bahanes famosissimus patricius et præpositus dixit ad partem Photii : Facit aliquis vestrum libellum? Episcopi Photii dixerunt : Absit. Amphilochius et Zacharias Photii episcopi dixerunt : Qualem libellum facere exigimur? fidei nostræ? Et pergens Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit sanctissimis vicariis senioris Romæ : Cujusmodi libellum expetitis ab illis? Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Quem a sancta Romana Ecclesia detulimus, ut reprobent Photium, et omnia acta ejus, et anathematizent Gregorium Syracusanum, et recipiant Ignatium sanctissimum patriar-

[a] Hoc est, quærimus.

[b] Id est, velociter.

cham, et subjiciantur sub pedibus ejus, et quod sancta Romana Ecclesia exposuit per omnia faciant. Sanctissimi vicarii Orientalium sedium dixerunt : Et nos ita sapimus et ita volumus. Et pergens iterum Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus ad episcopos Photii, dixit eis, ore proprio, sanctissimorum vicariorum vocem. Et respondit Joannes quondam episcopus Heracliæ : Qui anathematizat summum sacerdotem istum, sit anathema ! Zacharias, qui fuit a Photio Chalcedonensis episcopus, dixit : Nos iis quæ contra [*al.*, extra] rationem facta vel acta aut agenda sunt, parere neque disposuimus, neque volumus : et super quibus nos exigitis, quoniam novimus ea quæ facta sunt, secundum nullum modum suscipimus. Euschemo, qui fuit apud Photium Cæsareæ Cappadociæ episcopus, dixit : Ego iis quæ per rationem non sunt acta, et qui non sectantur canones sanctorum apostolorum, et sanctarum ac universalium synodorum, non tantum si Romanus vel Hierosolymitanus sit, sed et si angelus de cœlo veniat, et non conveniat sano verbo, neque pareo, neque sequor. Sanctissimi vicarii Orientalium sedium dixerunt : Quoniam nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant (*Psal.* LXXXI). Bahanes magnificentissimus patricius ac præpositus dixit ad sanctissimos vicarios senioris Romæ : Sanctus imperator noster vult facere allocutionem ad illos per me indignum servum suum. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Sicut jubet imperium ipsius. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit ad Photium, et ad episcopos ejus : Hortatorie vos alloquitur imperator : Homines, dicite, unde estis? de cœlo estis? de abysso estis, an de terra, in qua nos degimus? et ostendite hac hora, quia sive hæresis mota est, sive schisma emersit in qualibet parte, et sensit aliquis extra quatuor patriarchia, et salvatus est? et audio vos. Hodie quatuor patriarchia, imo vero quinque, condemnatione condemnant vos; quid vobis videtur ad hæc? est qui adjuvet vos? dicite. Episcopi Photii dixerunt : Canones sanctorum apostolorum et sanctorum conciliorum. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit, jussus a Basilio amico Christi et magno imperatore, ad episcopos Photii : Dicite qui canon vos adjuvet, et ubi posuerit Dominus canones; in Ecclesiis suis, an in aliquo alio loco; et ubi Ecclesiæ sint hodie, et ubi prædicetur Evangelium : est alius locus præter quem tenent sanctissimi isti vicarii? dicite. Photii episcopi dixerunt : Deus custodiat sanctissimum imperium vestrum ; verbum petivimus impunitatis, ut diceremus negotia nostra cum fiducia, et non accepimus. Qualiter ergo habemus loqui? Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Sanctus imperator noster admonentis affectu ad vos dicit : Utique Deus ideo audivit deprecationem meam, et adduxit hos sanctos viros ex omnibus partibus mundi, ne quid secundum faciem fiat, sed ex æquo ponatur judicium justissimum : dicitis, Ut accipiatis verbum securitatis : et quando quis a me tristatus vel læsus fuerit, volo ut dicatis. Idcirco sunt hic sanctissimi vicarii omnium sedium, ut quidquid habetis in justificationem vestram loquamini. Photii episcopi dixerunt : Scimus imperium sanctissimum ejus, quia neminem vult contristari; quid volumus dicere? si dixerimus justitias nostras, non fient. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Propter imperatorem nostrum sanctum, nihil prohibemini; jubet enim et vult, et acquiescit ut loquamini; sed videntes judices convicia vestra, nec audire vos volunt. Photii episcopi dixerunt : Et nos judices eos non suscipimus. Bahanes famosissimus patricius et præpositus dixit : Et rejicit regula patriarchia, et irrationabiliter judicant? Amphilochius a Photio Cyzici episcopus dixit : Irrationabilissime. Bahanes famosissimus patricius et præpositus dixit : Et extra sensum regulæ ac patriarcharum suorum judicant? Photii episcopi dixerunt : Extra. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Et ite ad patriarchia, et certificamini. Basilius piissimus et amicus Christi dixit : Quotquot dicitis per omnia, quod a patriarchiis venerint homines isti cum commendatitiis litteris, et non habetis aliquam ambiguitatem; suscipite illos, et quæ judicantur ab ipsis : quotquot autem dubitatis ad hoc, et non habetis eos justos, neque secundum verbum patriarcharum suorum agentes; ite ad eos, et discite ab illis, et adducite etiam ad nos : imo vero, quo plus certum existat, et disponemus ita. Photii episcopi dixerunt : Nos judicium non videmus, neque factum audivimus : et quomodo habemus sequi quod nos non vidimus? Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus jussus ab imperatore dixit : Sanctus imperator noster dicit : Ne dicatis, fratres, quod velim vos mittere illuc, ut pereat quis vestrum : testis est Deus quoniam quem misero illo, in conspectu totius senatus et sanctæ synodi dico, iterum reducam eum huc. Photii episcopi dixerunt : Hic examinentur negotia. Donatus et Stephanus et Marinus sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Ecce audivit tota sancta et universalis synodus quæ ab undecima indictione beatissimus papa Nicolaus judicavit cum omnibus Occidentalibus præsulibus de Photio tyranno, et mœcho, ac invasore Constantinopolitanæ Ecclesiæ, et de omnibus sequacibus ejus, secundum apostolicam et canonicam auctoritatem et sententiam, quam protulit tam contra eumdem Photium, quam eos qui ex parte ipsius erant, hunc videlicet damnans, eo quod invaserit Constantinopolitanam Ecclesiam, et rejecerit ac deponere ausus fuerit atque anathematizaverit Ignatium sanctissimum patriarcham. Volumus ergo interrogare et de hoc, utquid ipse repulsus, et vinctus, ac anathematizatus, atque sæcularis existens, præsumpserit etiam contra magnæ ac primæ sedis summum pontificem depositionem facere, et anathema dicere, ac adversus eum figmenta et præstigia componere? Quem et vindicans sanctissimus successor eius Adrianus, misit tam ad piissimum

imperatorem, quam ad sanctissimum patriarcham Ignatium. Imploramus ut legantur primum quidem beatissimi papæ Nicolai gesta et acta, sicque demum, quæ a sanctissimo papa Adriano synodice celebrata sunt tam de hujuscemodi infando conciliabulo, quod ab eo factum est, quam de iterata sententia, quæ data est contra eum a sanctissimo papa Adriano et sancta synodo quæ ab ipso est convocata. Et post hoc jussus est Stephanus Deo amicissimus diaconus et notarius; et ascendens legit epistolam quam misit sanctissimus papa Nicolaus ad clerum Constantinopolitanum.

« *Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimis fratribus nostris archiepiscopis, metropolitis, et episcopis Constantinopolitanæ sedi subjacentibus, atque universo venerabili clero Constantinopolitanorum Ecclesiæ.*

« Ea quæ nuper apud Constantinopolim gesta sunt.... » *Reliqua vide inter epistolas Nicolai papæ I, Patrologiæ tomo CXXVI, col.* 1067.

Et post completionem prænominatæ epistolæ, ascendens Theodorus devotus a secretis legit epistolam, quæ delata est per Theognostum reverendissimum exarchum ad Basilium piissimum imperatorem, quæ et missa fuerat ab Adriano sanctissimo papa Romano.

« *Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo filio et Christianissimo imperatori Basilio, a Deo protecto, semper Augusto.*

« Quoniam, tranquillissime imperator... » *Reliqua vide inter epistolas Adriani II, Patrologiæ tomo CXXII.*

Deinde post hanc legit Nicephorus devotus notarius epistolam, quam misit idem sanctissimus Adrianus per jam dictum reverendissimum exarchum ad Ignatium sanctissimum patriarcham.

« *Adrianus episcopus, servus servorum Dei, honorabilissimo fratri et consacerdoti nostro Ignatio sanctissimo patriarchæ Constantinopolitano.*

« Convenerat sanctitatem tuam,.. » *Reliqua vide ubi supra.*

Sicque lecta est epistola a Leone gloriosissimo protospathario et a secretis, quæ missa est ad Basilium piissimum et amicum Christi imperatorem ab Adriano papa Romano per Donatum et Stephanum et Marinum honorabilissimos vicarios. (*Hæc scripta est in prima actione.*) Deinde ascendens Damianus reverendissimus regius clericus et interpres legit epistolam quæ ad sanctissimum patriarcham Ignatium ab Adriano sanctissimo papa missa est, quæque allata est per jam dictos reverendissimos vicarios. (*Et hæc præscripta est in tertia actione.*) Et post legit Thomas reverendissimus subdiaconus gesta synodi quæ facta est ab Adriano sanctissimo Romanorum papa.

Allocutio papæ Adriani ad concilium quod convenit contra Photium, lecta per Joannem archidiaconum sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Cum debeamus, o fratres et filii dilectissimi, Do-

A minici agri strenui et solertes esse cultores, et spiritualibus ad purgationem ipsius cœlestium præceptorum, uti ligonibus, oportet ut si quas in eo spinas, si qua germinare venenosa conspicimus, pari labore unanimique zelo hæc radicitus exstirpare studentes, arripiamus examinis rastrum, et falcem judicii concordi certamine proferamus, ne, quæso, in nos exprobrantis affectu dicatur : *Messis quidem multa ; operarii autem pauci* (*Matth.* IX). Consonanter autem, charissimi, laboremus, et in agro Dominico jugiter quidem, sed nunc potissimum operemus, quando videlicet in Ecclesia, quæ apertissime Dominicus ager appellatur, auctore Photio nova præsumptio et inaudita est orta temeritas. Siquidem hic Photius, cum adhuc mundanus minister esset, genuinam quodam-
B modo semper invidiam adversus fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium Constantinopolitanum patriarcham in pectore gestans; et ad præsulatus culmen non gradatim, vel sensim conscendere, sed præcipitibus eo superstite passibus transilire gestiens, semetipsum ab ejusdem beatissimi præsulis communione fecit extraneum : et per hoc ab universali Ecclesia, quæ ipsi beatissimo patriarchæ communicabat, se reddidit prorsus extorrem, atque inter schismaticos procul dubio constitutus, contra sacros apostolicos canones sæcularibus usus potestatibus, ecclesiam Constantinopolitanam tyrannica et adulterina temeritate pervasit tandem, videlicet indebita usurpando, foras ostendens, quod intus, prohibita concupiscendo, cordis antro gerebat, et simula-
C tionis velamine contegebat, nil esse profecto intelligi dans causam scissionis a patriarcha suo, vel desertæ communionis a tota Ecclesiæ, nisi pessimos anhelitus ambiendi pontificatus infulas, et sublimioris obtinendi dignitatis et potestatis habenas; quibus nimirum deinceps abusus, et repente non mente sed habitu mutatus, exsilia et diversa discrimina, sed et mortes in Christi sacerdotes et cæteros fideles, tot ac tantas intulit, ut Diocletiani sævitiam imitari per omnia videretur. Propter quæ vel his similia sanctæ memoriæ decessor meus Nicolaus hujus apostolicæ sedis antistes, fraterna victus charitate, primo quidem non solum per missos, sed et per litteras illum merito reprehendens, competenter admonuit, et nullo se pacto in ejus posse promo-
D tione præbere consensum, scriptis idoneis patefecit. Deinde vero intuens nihil se proficere, sed magis ac magis ad ulteriora ejus extendi tyrannidem, auctoritate simul divina et apostolica fretus, sedis apostolicæ, cui præsidebat, pontificum morem secutus, *in promptu habens* secundum Apostolum, *omnem ulcisci prorsus inobedientiam* (*II Cor.* X); hunc ad erectionem ab eo elisorum, et innumerabilium refrigerium afflictorum, regulari sententia, quia, sicut ipsi nostis, corrigere non potuit, deponendo prostravit, et anathematizando ab ordine, quem latronis more sortitus fuerat, sequestravit. Cujus rei gratia idem Photius inflammatus, non solum non est reversus ad percutientem se, nimirum qui durior

silice nec dura verbera sensit, et imitatus diabolum, nec postquam e cœlo cecidit, superbire cessavit, verum etiam conventicula malignorum sæpe congregans, synagogam sanguinum, cui ut princeps latronum ipse præsedit, collegit : et ante quidem, ut sævissimus patricida, patrem suum Ignatium reverendissimum patriarcham proprium perculit, et ad lucem pervenire, nisi exstinctione parentis, posse desperans, hunc instar atrocis viperæ perimere crudeli morsu non metuit. Post hæc vero posuit in cœlum os suum, et lingua ejus transiit super terram, dum videlicet contra divinam ordinationem, cœlitus in beati Petri principis apostolorum primatu dispositam, putridi gurgitis guttur aperuit, et adversus ejusdem regni cœlestis clavigeri apostolicam sedem, et præcipuam ac summam dignitatem et potestatem, linguam suam more serpentis exacuit ; vitam scilicet decessoris mei beatæ recordationis papæ Nicolai lacessere nullo modo metuens, nec nobis, qui ejus vix digni famuli, ut non dicam sequaces, exstitimus, parcere utcunque consentiens, sed utrosque maledictis impetere, quantum in se fuit, et blasphemis inficere verbis existimans, falsitatis præstigia fingere conatus, et nescio quæ Phytonica est somnia vel argumenta, compilando procul dubio, commentatus. Et certe quis ille Pater noster, vel quantus aut qualis exstiterit, omnes qui morum ejus insignia, vel virtutum tropæa recolitis, plenius agnovistis ; quomodo scilicet in hujus tetri caliginoso sæculi cursu sero tandem sicut novum sidus apparuerit, quinimo quasi Phœbus in æthere præ cunctis astris effulserit ; quomodo hunc nec blanda quæque frangere potuerint, nec aspera perturbare ; quomodo etiam nec mundi principibus, Michaeli scilicet et Bardæ contra justitiam faverit ; quos nimirum, se murum opponens pro domo Domini, sæpe redarguit, et his inique agentibus frequenter intrepide restitit. Ergo, dilectissimi fratres et filii, considerate quid super hujusmodi temeritate sit nobis agendum, vel quid de conciliabulo illo, vel profanis ipsius actis per ministerium nostrum existat fore deliberandum, quid etiam de iis qui interfuerunt, vel manu propria subscripserunt, sic ab unanimitate omnium nostrum definiendum, intente tractate, et libere singuli quæ sentitis edicite. Ego tamen pro lege Dei, pro paternis conservandis canonibus, pro veneratione apostolorum, pro privilegiis defendendis sedis ipsorum, proque sanctæ mentionis decessoris mei papæ Nicolai prædicanda memoria, et sequentibus actibus, atque celebrandis definitionibus, non solum varia incommoda perpeti, verum etiam more sanctorum prædecessorum meorum pontificum in promptu habeo, si necesse sit mortis sustinere discrimen.

Responsio concilii prima, quæ lecta est a Gauderico honorabilissimo episcopo Veliternensium Ecclesiæ.

Quia cor apostolatus vestri gratia sancti Spiritus conspicimus illustratum, repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exsultatione; ideoque innumeras laudes et cantica spiritalia Domino decantamus, et pontificium vestrum divinæ majestati perpetuo conservandum quotidie commendamus; quia paternarum traditionum strenuus exsecutor, et sedis apostolicæ privilegiorum diligens conservator, atque apostolicæ memoriæ decessoris vestri constitutorum ferventissimus, ut cernimus, zelator existis, et ejus quodque salutiferum et apostolicum decretum, tanquam patrum testamentum, utpote pius hæres, exsequeris. Debes enim ipsius in omnibus flagrare zelo pietatis, cujus nimirum locum possides dignitatis. Ille vero Photius, qui pro eo quod forensis et curialis reipublicæ minister existens, exemplo in ecclesiæ septa transcendit, et ut lupus rapax gregi non parcens, non solum in alienorum stipendia meritorum quasi prædo sævus irruplt, verum etiam deinde in cathedra pestilentiarum [a] sedens, tam præsulibus quam filiis Ecclesiarum longa exsilia, dira flagella, et, ut breviter omnia comprehendamus, extrema pericula, latronis instar, callide præparavit, depositus et anathematizatus existit, concilium convocare non potuit, et damnatus alios damnare nequivit. Sicut etiam, cum sit ipse depositionis ruinæ subactus, quemquam deponendi jura non possidet, et multiplicis obligationis retibus involutus, neminem quibuslibet innodandi nexibus uti facultate, patenti ratione convincitur. Ergo quia super hoc videmus impletum quod per Psalmistam canitur : *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso : non est timor Dei ante oculos ejus. Quoniam dolose egit in conspectu ejus : ut inveniret iniquitatem suam et odium. Verba oris ejus iniquitas et dolus : noluit intelligere, ut bene ageret. Iniquitatem meditatus est in cubili suo : astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit* (*Psal.* xxxv). *Succendatur sicut ignis zelus tuus*, o domine beatissime papa, *et accinge sicut vir lumbos tuos*, et injuriam sedis apostolicæ ut justus judex ulciscere. Ecce enim angelus Domini tua, ut quondam Petri (*Act.* xii), latera tundens, ut desidiæ soporem deponas, admonet ut ad salutem gentium cum Petro surgas hortatur. Ecce alias Ananias fallax (*Act.* v), videlicet Photius, imo damnabilior Anania Photius comprobatur. Quapropter considera, quia si ille de proprio semel mentitus mortis pœnam incurrit ; quot Photius mortium reus est qui de eo super quod jus nullum habuit, non semel, sed crebro, non unum, sed plurima falsitatis figmenta composuit? Quapropter oramus te, domine coangelice papa, ut eumdem habens spiritum fidei, eumdemque zelum pietatis, quem et patres tui ferventissimi præsules, conciliabulum cum gestis suis, quod Constantinopoli nuper adversus sedis apostolicæ gremium, imo contra veritatem sub tyrannice imperante Michaele congregatum est, ita sententiæ vestræ falce recidatur, ut nullum de eo monumentum, nullum remaneat omnino vestigium, sed ad sui damnationem vel exsecrationem Ariminensi synodo vel Ephesino latrocinio sit modis omni-

[a] λοιμῶν pestilentium hominum.

bus comparandum. Ii vero qui vel interfuisse vel subscripsisse in eo noscuntur, nec non et ii qui vel ipsius conscripta profani conciliabuli gesta defendunt, vel quoquo modo celare conantur, iterato vinculis anathematis innodentur : et nisi propria voce ac subscriptione illa, quæ in eodem latrocinio fetidis e faucibus eructata sunt, anathematizarint, nullatenus saltem inter laicos in communione catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ recipici mereantur. Recte namque latrocinio comparari potest, cui Photius fautor, et hujus Michael fautor, videlicet dictus Augustus, auctores et præsides ad hoc intererant ut consentientes quidem secundum animam, non consentientes secundum corpus perdere studuissent : quod plane sacerdotes Judæorum in templo vendentes et ementes olim fecisse feruntur, dum scilicet isto bifario genere mortis plebem Domini dissiparent; unde Dominus, domum suam speluncam latronum per hujusmodi machinamentum factam causatus, hos e templo perplexo flagello pepulit, innuens profecto non ministros suos, sed esse latrones qui non ad hoc plebibus præsunt, ut has omni studio salvent, sed ut aut spiritali aut corporali prorsus interitu perdant.

Allocutio secunda pontificis, quæ lecta est per Marinum diaconum.

Quod suggessit dilectio vestra valde placet, et quod ita gerendum sit ipse quoque perpendo. Verum quia codex in quo exsecrationes illius nefandi conciliabuli scriptæ sunt, qnem nobis per apocrisiarios suos, qui adsunt, tam et frater et coepiscopus noster Ignatius, quam etiam piissimus imperator Basilius destinavit, apud nos hactenus retinetur, prævidendum ducimus, quid de illo faciendum ratio dictet, vel quid agendum exempla diversa demonstrent; ego tamen illud interim recolo quod Apostolus dixit : *Corrumpunt bonos mores colloquia mala* (*I Cor.* xv); et alia Scriptura : *Qui tangit*, inquit, *picem coinquinabitur ab ea* (*Eccli.* xiii). Ergo quia nihil ab hæreticorum vel schismaticorum pravitatum commentis codex iste actu non dissentit, nimirum qui et ab schismatico, Dioscorum in hoc imitante, Photio fictus, et totus mendaciis et perversis dogmatibus fabricatus existit; hunc æque ut illa, perpetuo anathemati duco subdendum, et contemplantibus cunctis, et præcipue Græcorum legatis, igni traditum, in cineres quoque conjicio redigendum; quatenus nec simpliciorum puritas illius contagione polluatur, nec fidelium mentes hujusmodi colluvione quoquo modo saucientur : a planta quippe pedis, ut ita dixerim, usque ad verticem ejus nulla est in eo sanitas. Honorandum concilium per Formosum episcopum sanctæ Portuensis Ecclesiæ exclamavit in hæc verba : Pia consideratio summi pontificis; justa sententia universalis Ecclesiæ præsulis omnibus placet : omnes ita dicimus, omnes ita volumus, omnes hoc rogamus, omnes hoc totis præcordiis consentimus.

[a] Aliquid deesse videtur.
[b] Syn. Rom. IV sub Symmacho.

Allocutio tertia præfati pontificis, quæ lecta est per Petrum diaconum et scriniarium.

Intolerabilis est ista præsumptio, dilectissimi, et hanc aures præcordiorum, fateor, sustinere non possunt; quis unquam vestrum tale quid, precor, audivit, vel quis hujusmodi temeritatis, saltem lectione, immensitatem invenit? Siquidem Romanum pontificem de omnium Ecclesiarum præsulibus judicasse legimus; de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus majorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus libere respuendi : quamvis et ibi nec patriarcharum nec cæterorum antistitum cuipiam de eo quemlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primæ sedis pontificis consensus præcessisset auctoritas. Meminimus interea scriptum quod rege quondam Italiæ Theodorico papam Symmachum usque ad damnationem impetere volente, et ideo quotquot potuit ex Liguria, Æmilia, Valeria, et ex diversis regionibus, et ex Sicilia insula hujus rei gratia episcopos Romam accurrere præcipiente, et his ad se venientibus dicente, plura ad se de papæ Symmachi actibus horrenda fuisse perlata, et in synodi, si vera esset inimicorum ejus objectio, judicatione constare; venerabiles antistites, ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse synodum convocare perhibuissent, scientes quia ejus sedi primum Petri apostoli meritum, vel principatus, deinde secuta jussionem Domini conciliorum venerandorum auctoritas, ei singularem in ecclesiis tradidit potestatem, nec ante dictæ sedis antistites minorum subjacuisse judicio, in propositione simili, facile formali [a] qua testaretur. Ad postremum vero isti ipsi venerabiles præsules, cum vidissent quod non sine sui discrimine potuissent contra caput manus suas erigere, quidquid de sæpe fati Symmachi papæ actibus delatum fuerat, totum Dei judicio reservarunt, ita ut singuli quique in subscriptione sua hoc patenter judicent, perhibentes [b] : Laurentius episcopus Ecclesiæ Mediolanensis huic statuto nostro, in quo totam causam Dei judicio commisimus, subscripsi; similiter Petro episcopo Ecclesiæ Ravennatis, et cæteris episcopis subscribentibus. Verum si hæc Photius non legit, quia Græce forte non reperit, saltem Joannem Antiochenum episcopum in Ephesina synodo recolere voluisset, idcirco damnatum, quia Cyrillum anterioris, id est Alexandrinæ sedis antistitem damnare non metuit : unde præfata universalis synodus ad Cœlestinum summæ sedis nostræ pontificem scribens, inter cætera dicit [c] : Indigneturergo tua religiositas competenter pro his quæ facta sunt; si enim data fuerit volentibus licentia, et majores injuriis sedes afficere, et contra eas, in quibus non habent potestatem, contra leges, sic et contra canones proferre sententias, ibunt ad ultimam confusionem Ecclesiæ res.

[c] In epistola concilii Ephes. ad Cœlestinum. Habetur in actione 5 ejusdem concilii.

His ergo ita se habentibus, exempla majorum quærantur, et secundum hæc temeratores sententiæ proferantur.

Suggestio concilii ad summum pontificem, quæ lecta est per Benedictum notarium et scriniarium.

Qui hanc temeritatem non extrema damnatione dignam existimat, nec Evangelium legit, nec Apostolum prorsus audivit, in quorum quidem uno, dicente Domino, legitur : *Non est discipulus supra magistrum* (*Luc.* VI); in altero autem sane præcipitur, ut omnia secundum ordinem fiant (*I Cor.* XIV). Quomodo ergo temeratores isti non sunt facti super magistrum, quando adversus apostolicam sedem, quæ cæterarum quoque sedium magistra est, etiam os injurias evomens aperuisse probantur? Quomodo secundum ordinem omnia, juxta Pauli monita, facta sunt, quando quidem ordine præpostero, primo de secundis [a], et de antelato posteriores quique convicia potius quam judicia composuisse narrantur? Et præterea sententia regularis, quæ ita sensit per Africanum concilium, dicens [b] : Unusquisque nostrum ordinem sibi decretum a Deo agnoscat, et posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant.

Quam profecto regulam sancta tertia generalis synodus sequens Antiochenum damnavit Joannem [c]; quod jampridem sapientia vestra meminit; quoniam adversus potioris sedis, id est Alexandrinæ, pontificem, prima sede non consentiente, ausus est proferre sententiam. Quarta deinde magna et universalis synodus [d] adeo hanc temeritatem exsecrata est, ut Dioscorum Alexandrinum sine restitutione damnaverit. Præsumpserat enim et ipse contra primæ sedis privilegium, contraque jam memoratam regulam agens, cum esset posterior, se anteriori præferre; et ordinem sibi a Deo decretum non recognoscens, de sedis prælatæ pontifice magno, videlicet papa Leone, temere judicare : cum videlicet nec personam synodum convocandi habuerit, ut apostolicæ sedis vicarii in eadem synodo protestantur : quippe qui secundum prælatum canonem, cum esset posterior, inconsulto anteriori agere aliquid præsumere non debuerit; quanto minus generalem sine ipso synodum convocare, aut, quod detestabilius est, adversus eumdem sententiam quamlibet promulgare? Secundum hanc regulam, et ista probabilium Patrum exempla, omnes qui vel os aperire, vel manus extendere in illo nefando conventu adversus sedis apostolicæ dignitatem temere præsumpserint, nulla profecto ratione poterunt exsilire condignæ pœnæ vindictam, nisi eis divinitus inspirata vestra supernæ clementiæ sequax occurrat apostolica moderatio : nemo quippe fidelium in injuriam beati Petri principatus impune prorupit, in cujus videlicet contumeliam, ut sanctus Bonifacius papa scribit, quisquis insurgit, habitator cœlestium non poterit esse regnorum. *Tibi*, inquit, *dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI); in quod nullus absque gratia janitoris intrabit; et rursus : Nemo unquam apostolico culmini, de cujus, inquit, judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit; nemo in hoc rebellis exstitit, nisi [qui] quasi de se voluit judicari. Verumtamen nos, domine beatissime papa et apostolice summe præsul et pontifex, omnes pro his rogamus, omnes unanimiter obsecramus, subveni miseris, erige lapsos, et resipiscentibus concede veniam et miserationem; quam non merentur, adhibe medicinam, quatenus erroris auctore, Photio videlicet amputato, cæteri sedis apostolicæ circa se patula reperiant more solito viscera pietatis; ita ut si qua recte mota sit apostolicæ sedis auctoritas, vel se recognoverint, vel si ad satisfactionis plenitudinem concurrentes, omnia quæ ab his male sunt gesta viva voce et præsenti subscriptione damnaverint, non sit erga eos inflexibilis miseratio, sed sit humana tantæ sedis per omnia moderatio. Denique quamvis Joannes Antiochenus atque Dioscorus labia contra potioris sedis præsules aperuerint, ac per hoc ambo sententiam damnationis subierint, uno tamen horum, Joanne scilicet humane recepto, alter damnationem, quam semel meruit, non evasit; cur hoc, nisi quia ille sane resipuit, iste insane desipuit? ille post aliquantum temporis corrigi consulte delegit, iste incorrectus in finem obstinate permansit? Et certe, ut Leo egregius apostolicæ sedis pontifex meminit [e], Dominus noster verus et bonus pastor, qui animam suam posuit pro ovibus suis, et qui venit animas hominum salvare, non perdere, imitatores nos vult esse pietatis, ut peccantes quidem justitia coerceat, conversos autem misericordia non repellat; tunc enim demum fructuosissime fides vera defenditur, quando etiam a sectatoribus suis opinio falsa damnatur.

Hujus igitur almi beatique pontificis doctrinam beata vestra paternitas hoc circa hos poterit justum piumque tenere libramen, ut scilicet pertinaces et obstinatos justitia comprimat, resipiscentes vero atque obedientes misericordia non repellat. Verum quia quotidianis Ecclesiæ negotiis apostolatus vester impeditus, requiei ferias nullas habet, de his omnibus quod sibi fuerit divinitus inspiratum, idem, si placet, statuat, et Constantinopolitanis legatis præsentibus, manifesta promulgatione decernat, nobis subsequenter voti nostri consensum vocis et subscriptionis indicio patenter, ut convenit, ostensuris. Quibus gestis, hæc summus pontifex aperiens os suum dulci est prosecutus alloquio, dicens :

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unius et veri Dei.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei.

CAP. I. *De profano Constantinopoli conciliabulo*

[a] Forte legendum, *secundi de primo.*
[b] Concil. African., can. 53.
[c] Concil. Ephes. loco supra citato.
[d] Concil. Chalced., act. 3.
[e] Epist. 12 circa finem.

congregato penitus abolendo.— Conciliabulum vanitatis a Photio, et hujus fautore, Michaele videlicet, tyrannice imperante, Constantinopoli nuper adversus apostolicæ sedis reverentiam et privilegium congregatum, utpote veritatis inimicum, et omni falsitate repletum, quin et sibi consentientium animas interficiens, Ephesino latrocinio comparandum fore statuimus, et ipsius exsecranda gesta, quibuscunque habeantur monumentis inserta, summi judicis Domini nostri Jesu Christi sanctorumque apostolorum principum Petri et Pauli, nostræque mediocritatis auctoritate, penitus abolenda decernimus; ita ut igni voranda tradantur, et anathemate perpetuo percellantur. Similiter de cæteris scripturis, quæ, viris jam nominatis auctoribus, contra eamdem sedem tempore diverso sunt editæ, gerendum modis omnibus definimus.

Cap. II. *De conventiculis contra Ignatium patriarcham collectis similiter abolendis.*— Pari etiam modo de conventiculis ab eisdem viris, Michaele scilicet imperante, seu Photio Constantinopolitano invasore, bis adversus fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium factiose collectis, deliberamus, hæc videlicet tanquam parricidalia medullitus exsecrantes.

Cap. III. *De Photio invasore iterato damnato.* — Photium, qui, licet sit a decessore meo et a nobis pro criminibus ante patratis jure damnatus et anathematizatus, nunc tamen quia recentioribus excessibus priores iniquitates valde transcendit, et ponens in cœlo os suum adversus veneranda sedis apostolicæ privilegia nova temeritate prorupit, dum scilicet ordinationi supernæ, in beati Petri apostoli principatu dispositæ, resistere minime formidavit, et in cathedra non sanitatis, sed pestilentiæ sedens, congregavit conventicula de sanguinibus, cum videlicet sibi faventium simpliciorum animas interfecit, et utpote inventor mendacii, et fabricator perversorum dogmatum, non nisi falsitatis præstigia, et omnis mendacii figmenta solito more congessit, atque tam contra decessorem meum sanctæ recordationis papam Nicolaum, quam etiam contra nos, ac per illum, in apostolicum culmen nec iniqua garrire fauce trepidavit, nec manus obvias, quod nemo unquam præsumpsit, audacter extendere formidavit, apostolicæ auctoritatis censura iterato damnamus, et pro his specialiter anathematis nexibus innodamus, hunc scilicet cum Dioscoro, cujus in hoc imitator exstitit, merito sociantes, et sanctæ magnæ Chalcedonensi synodo, in tam pernicioso puniendo præsumptore, per omnia concordantes. Sane si viva voce, ac proprio scripto, nobis in omnibus, quæ tam per nos quam per decessorem meum statuta sunt obedire spoponderit, et prædicti profani conciliabuli, ad satisfactionem pœnitentiæ motus, gesta damnaverit, laicæ communionis ei gratiam non negamus.

Cap. IV. *De consentientibus prædicto conciliabulo, et de imperatoris Basilii mirandis præconiis.* — De iis vero qui eidem impio conciliabulo consenserunt vel subscripserunt, si decreta decessoris mei secuti fuerint, et ad reverendi patriarchæ Ignatii communionem repedaverint, atque idem conciliabulum anathematizaverint, atque monumenta illius vel exemplaria inventa cremaverint, ecclesiæ communione fruantur; alias autem ne hac digni reperiantur. Sane filium nostrum Basilium, clementissimum et orthodoxissimum imperatorem, quia et illius nomen in ejusdem profani conciliabuli gestis, ut ipsius et sanctissimi Ignatii patriarchæ legatorum relatione didicimus, falso ascriptum est, et in omnibus eum apostolicæ sedis constitutionum diligentissimum conservatorem esse cognovimus; non solum ab omni sinistra sententia extraneum reddimus, verum etiam inter catholicorum et piorum Augustorum numerum et nunc recipimus, et, si sic perseveraverit in finem, recipiendum statuimus.

Cap. V. *De iis qui gestorum illius conciliabuli scripta non produnt sed defendunt.* — Ergo quandiu post notitiam hujus apostolicæ sanctionis sibi perlata monumenta vel exemplaria gestorum ipsius exsecrandi conciliabuli penes se quisquam retinens celaverit vel defenderit, et non potius propalaverit, vel igni tradiderit, tandiu anathemate constrictus communionis Christi munere careat; quinimo, si clericus est, qui postmodum hæc vel celare vel defendere convictus fuerit, gradum quo potiebatur amittat: similiter et de illo statuimus qui hæc occultare putatur, et ipse hinc impetitus nec respondere, nec decretis apostolicæ sedis in hac parte parere consenserit, quæ non solum de Constantinopolitanis, sed et Alexandrinis, Antiochenis, Hierosolymitanis, atque de omnibus omnino fidelibus apostolica sanctione decernimus.

Subscriptio papæ Adriani.

Adrianus episcopus, servus, etc., catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, his sententiis nostris a nobis promulgatis, sicut superius legitur, manu propria subscripsi.

Joannes archiepiscopus Pergæ Pamphyliæ, apocrisiarius sanctissimi Ignatii patriarchæ Constantinopoleos, locum et personam ejus retinens, et totius sanctæ synodi quæ sub ipso est, propositis sententiis conscripsi, et subscripsi manu propria.

Joannes sanctæ Fanensis Ecclesiæ episcopus, sententiis his quæ a nobis promulgatæ sunt, sicut superius legitur, consensi, et manu propria subscripsi.

Joannes episcopus sanctæ Forosempronensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Dominicus episcopus sanctæ Eugubiensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Gerardus episcopus sanctæ Lucarum Ecclesiæ similiter subscripsi.

Petrus episcopus sanctæ Gavensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Joannes episcopus sanctæ Falaritanæ Ecclesiæ similiter subscripsi.

Sergius episcopus sanctæ Sabinensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Bonifacius episcopus sanctæ Bleranensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Hildericus episcopus sanctæ Tudertinensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Joannes episcopus sanctæ Ferentinensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Stephanus episcopus sanctæ Nepesinæ Ecclesiæ similiter subscripsi.

Hildeprandus episcopus sanctæ Berolanensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Florus episcopus sanctæ Manturianensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Donatus episcopus sanctæ Ostiensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Gandericus episcopus sanctæ Belliternensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Formosus episcopus sanctæ Portuensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Crescentinus episcopus sanctæ Cerensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Petrus episcopus sanctæ Ternensis [*al.*, Perusinæ] Ecclesiæ similiter subscripsi.

Abinus episcopus sanctæ Anianensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Adoaldus episcopus sanctæ Balneoregiensis Ecclesiæ manu propria subscripsi.

Joannes episcopus sanctæ Triumtabernensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Leo episcopus sanctæ Alatrinensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Stephanus episcopus sanctæ Gallisanæ Ecclesiæ similiter subscripsi.

Paulus episcopus sanctæ Albanensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Martinus episcopus sanctæ Narniensis Ecclesiæ manu propria subscripsi.

Joannes diaconus locum retinens episcopatus Urbinensium Ecclesiæ similiter subscripsi.

Petrus episcopus sanctæ Senogalliensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Joannes episcopus sanctæ Signiensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Josephus episcopus sanctæ Pensauriensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Stephanus episcopus sanctæ Suanensis Ecclesiæ similiter subscripsi.

Georgius archipresbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Laurentii, qui appellatur Lucinæ, his sententiis a nobis promulgatis, sicut superius legitur, consensi et manu propria subscripsi.

Romanus presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sanctorum Joannis et Pauli similiter subscripsi.

Maio presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Cyriaci similiter subscripsi.

Petrus presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Chrysogoni similiter subscripsi.

Ursus presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sanctæ Pudentianæ similiter subscripsi.

Romanus presbyter sanctæ Ecclesiæ Romanæ tituli sancti Sixti similiter subscripsi.

Joannes presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sanctæ Priscæ similiter subscripsi.

Joannes presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Eusebii similiter subscripsi.

Leoninus presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli quatuor Coronatorum similiter subscripsi.

Joannes archidiaconus sanctæ apostolicæ sedis his sententiis a nobis promulgatis sicut superius legitur, consensi, et propria manu subscripsi.

Leontius diaconus sanctæ apostolicæ sedis similiter subscripsi.

Leo diaconus sanctæ apostolicæ sedis similiter subscripsi.

Marinus diaconus sanctæ apostolicæ sedis similiter subscripsi.

Petrus diaconus sanctæ apostolicæ sedis similiter subscripsi.

Et post hæc ascendens Niceta Deo amicissimus archidiaconus et notarius legit commonitorium sermonem ad Photium et partem ejus a voce sanctissimorum vicariorum senioris Romæ : Jam manifestum est, o dilectissimi fratres et consacerdotes, in præcedenti actione hujus sanctæ ac magnæ synodi, quomodo admonitus sit Photius forensis et curialis, et pervasor Constantinopolitanæ Ecclesiæ, ut poneret cervicem suam, et verbo et scripto pronuntiaret peccatum suum, et anathematizaret quæ inique acta et scripta sunt ab eo bis contra Ignatium patriarcham suum, et profiteretur nullam machinationem in eum vel commotionem se ultra facturum, sed hunc ut verum pontificem suum cum magna reverentia susceperum, apostolicæque sedis decreta, tam de se quam de Ignatio patriarcha prolata, honorabiliter amplexurum. Et quoniam in his omnibus videmus eum non obedire, sed obturare aures suas ut aspidis surdæ, idcirco non patimur taceri sententiam a beatissimo papa Romano Nicolao ab indictione undecima contra eum prolatam, et nunc iterum pronuntiatam per successorem ejus Adrianum sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsulem, cujus nunc nos famuli ejus locum tenemus in hac honoranda synodo, quæ per jussionem sanctorum et a Deo protectorum imperatorum, Basilii scilicet et Constantini, in hac a Deo conservanda regia urbe congregata est, non in subversionem judicii quod de eo factum est in Romana Ecclesia, sed propter elationem sensus ejus, quam in pectore suo obstrusam conspicimus ; et quia neque in communionem cum orthodoxis in Ecclesia Dei esse desiderat, propterea proferendam esse iterum super eum anathematis sententiam duximus.

Et post hæc ascendens Stephanus Deo amabilissimus diaconus et notarius, legit acclamatorium Ignatii sanctissimi patriarchæ sermonem.

Acclamatio Ignatii sanctissimi patriarchæ ad sanctam synodum.

Fratres sancti et filii dilecti, rogo vos ergo hu-

milis pontifex vester considerare et conspicere completum esse maxime nunc eloquium Scripturarum, quod perhibet : *Aspicite ad antiquas generationes, et videte, quis credidit Domino, et confusus est ; vel quis permansit in timore illius, sed is despexit eum* (*Psal.* xxxiii). arbitror enim quod nequaquam ignoretis vos qui nobis præsentes estis, et propter Dominum hic congregati consistitis, sed nec totus quadratus orbis, quæ in me acta sunt et patrata. Omnes namque norunt quæ et quanta perpessus fuerim ab imperatore injusto, et revera juveni, et per illud tempus prævalente Barda, scholarium domestico, et pravissimo viro, una cum tunc quasi altero principe sacerdotum Caipha et Anna ; nam et illorum isti habebant propositum, cujus non mos gradui, sed gradus mori creditus est, quemadmodum alicubi fatur ille qui a theologia sortitus est nomen : finxerunt enim recentem sanctum, et reverendissimum nominaverunt, nihil scientem, neque verentem, neque gradus dignum aliquid afferentem, præter solummodo velle ; sed pariter cum potentia maligni desiderii etiam sapientiorem semet omnibus existimans, per fenestram intravit in caulam ovium, et rapuit aliena, male sciens et sentire, a tyrannica mente sublatus ; propterea dictum est ei illud David sacrati psalmographi melos : *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua.* (*Psal.* LI.) Et ideo destruxit eum Deus in sæculum, et in sæculum sæculi. Misericors enim et omnipotens Deus, erecto alio principe, Dei cultore, recte sapiente, recte sciente, justitiam desiderante, divina exquirente et meditante in lege Dei sui die ac nocte, eum quidem, qui recedens erat, utpote alium quemdam recens formatum secundum fabulas [a] gigantem, Photium videlicet, inconsideratum et inordinatum virum, qui a sancta Romanorum Ecclesia tabellarius nuncupatur, per pietatem justissimi imperatoris expulit, et a pontificali sede removit, humilitatem nostram, multas et diras tribulationes et pœnas et exsilia perpessam, assumpsit, et revocavit ad proprium thronum et utrique quæ digna fuerunt distribuit. Hæc vero facit sapientissimus et a Deo munitus imperator noster, definitiones et regulas sequens beatissimi papæ Nicolai senioris Romæ, quas ille synodice promulgavit, et per proprias epistolas Constantinopolim destinavit. Quoniam vero, universali paci consulens, piissimus et prudentissimus imperator noster multam habuit curam et sollicitudinem colligendi sanctissimos vicarios et cunctis aliis patriarchalibus sedibus, et synodum universalem celebrandi, ad exhibitionem et satisfactionem perfectam, veritate sibi cooperante, Omnipotentis providentia, in finem prosperum adduxit consilium suum : et nunc videtis hos præsentes sanctæ huic universali synodo et sapientia et gratia Dei plenos, atque opere et sermone decoratos et refulgentes. Ergo quoniam quæ desideraverunt audire et videre multi reges et principes, et non viderunt, vos nunc videtis et auditis, atque ante oculos vestros habetis propositos, hos videlicet sanctissimos et sapientissimos vicarios, qui ex finibus orbis terræ profecti sunt, glorificate benignum et misericordem Deum, qui prospere direxit imperatorem nostrum piissimum ad hujusmodi bonorum impletionem. Et nemo illi molestus quoquo modo sit in ecclesiasticis negotiis, dicens male ac inconvenienter : *Ego quidem sum Pauli, ego autem Cephæ, ego vero Apollo* (*I Cor.* I), et audeat dividere Christum, et dividatur a Christo, et decidat a regno ejus, atque privetur æterna vita. Sed venite omnes simul, state nobiscum, et utpote unius existentes pastoris et unius ovilis, unum Deum et trium personarum Dominum collaudemus concorditer et magnificemus, quia eum decet gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Continuo vero post hæc idem Stephanus diaconus et notarius fecit anathematismum Photii, et sequacium, et cooperatorum ejus, ita se habentem [b] ; Photio curiali et invasori anathema ! Photio sæculari et forensi anathema ! Photio neophyto et tyranno anathema ! Photio schismatico et damnato anathema ! Photio mœcho et parricidæ anathema ! Fabricatori mendaciorum anathema ! Inventori perversorum dogmatum anathema ! Photio novo Maximo Cynico anathema ! Novo Dioscoro anathema ! Novo Judæ anathema ! Omnibus sequentibus et fautoribus ejus anathema ! Gregorio dudum episcopo Syracusano anathema ! Eulampio deposito et schismatico anathema !

Et post hæc omnia, laudes dixit Stephanus diaconus sanctæ Constantinopoleos Ecclesiæ et notarius, egresso Photio : Multos annos imperatorum Basilii et Constantini ac Leonis ! Magnorum principum et imperatorum multos annos ! Orthodoxorum imperatorum multos annos ! Erectorum ecclesiarum multos annos ! Liberatorum Christianorum multos annos ! Quia stupratores perfodit, quia seniores libidinosos et mentientes occidit, quia synodice patriarchas falsos abjecit, novo Constantino multos annos ! Novo Theodosio multos annos ! Eudoxiæ piissimæ Augustæ multos annos ! Novæ Judith multos annos ! Novæ Helenæ multos annos ! Novæ Pulcheriæ multos annos ! Nicolai beatissimi papæ Romani æterna memoria ! Novi Phinees æterna memoria ! Novi Danielis æterna memoria ! Novi Martini æterna memoria ! Adriani sanctissimi papæ Romani multos annos ! Interemptoris novi Simonis multos annos ! Percutientis novum mendacem Ananiam multos annos ! Novi Cœlestini multos annos ! Ignatii sanctissimi patriarchæ Constantinopoleos multos annos !

[a] Sicut enim fabulæ gentilium ferunt dentes draconis subito sparsos, et gigantes continuo natos, ita reprehenduntur, qui, nullis laboribus prævenientibus, repente locum et gradum sanctitatis conantur arripere.

[b] Ad exemplum, quo factum fuerat ante synodice in Ecclesia Romana sub Adriano sanctissimo papa.

Novi Athanasii multos annos! Novi confessoris Pauli multos annos! Novi Flaviani multos annos! Novi Anatolii multos annos! Sanctissimorum et orthodoxorum patriarcharum Orientis æterna memoria! Donati et Stephani et Marini sanctissimorum vicariorum senioris Romæ multos annos! Thomæ sanctissimi metropolitæ Tyri et vicarii Antiochiæ multos annos! Heliæ sanctissimi syncelli et vicarii Hierosolymorum multos annos! Sacri Senatus multos annos! Sanctæ ac universalis synodi æterna memoria! Multos annos imperatorum, multos annos!

Versus iambici apud Græcos pro acclamatione concilii.

Photius qui pridem insuperabilem petram
Fraudibus malignis conturbavit insipienter,
Pellitur nunc ut atrocissima fera
A thalamo casto, et venerabilibus templis,
Satanæ pessimo, miserrimisque tenebris
Bene præmissus, et passus digne
A judicibus recte sentientibus atque sanctis,
Beatissimo videlicet Nicolao,
Adrianoque divino papa Romano,
Et Ignatio martyrium passo,
Et tribus reliquis sedibus orientis
Orthodoxis et sapientibus valde.

ACTIO OCTAVA.

In nomine Domini et Dominatoris omnium Jesu Christi veri Dei et Salvatoris nostri, imperii a Deo coronatorum et tranquillissimorum dominorum nostrorum, Basilii quidem anno tertio, Constantini vero filii ejus anno secundo, perpetuorum Augustorum, indictione tertia, Nonis Novembribus : propositis pretiosis et vivificis lignis, et intemeratis salutis nostræ Evangeliis; præsidente autem eodem piissimo et amico Christi Basilio in dextera parte magni nominis templi magnæ ecclesiæ, et sancta et universali synodo, id est, Donato Deo amabili episcopo Ostiensi, et Stephano Deo amabili episcopo Nepesino, atque Marino reverendissimo diacono sanctæ Romanæ Ecclesiæ, locum tenentibus Adriani sanctissimi papæ Romani, et Ignatio sanctissimo patriarcha Constantinopoleos, et Thoma sanctissimo metropolita Tyri, locum tenente throni Antiochiæ, et Helia Deo amicissimo presbytero et syncello, locum tenente throni Hierosolymorum : præsente quoque simul et sacro senatu, hoc est Theodoro magnificentissimo patricio et magistro, Christophoro magnificentissimo patricio et magistro, Leone magnificentissimo proconsule ac patricio, Hemerio magnificentissimo proconsule ac patricio, Stephano magnificentissimo patricio ac sacellario, Leone magnificentissimo proconsule et patricio, Marino magnificentissimo proconsule et patricio, Theophilo magnificentissimo proconsule et patricio, Tarasio magnificentissimo proconsule et patricio, Paulo magnificentissimo patricio et eparcho, Barbatio magnificentissimo patricio, Leone magnificentissimo patricio et domestico excubitorum, Manuele magnificentissimo patricio, Theophilacto magnificentissimo patricio, Petronate magnificentissimo patricio, Manuele magnificentissimo patricio : sed et considentibus Deo amabilissimis metropolitis; aio autem, Basilio Deo amabilissimo metropolita Ephesi, Theodulo Deo amicissimo metropolita Ancyræ, Barnaba Deo amicissimo metropolita Cyzici, Nicephoro Deo amicissimo metropolita Nicææ, Nicephoro Deo amicissimo metropolita Amasiæ, Niceta Deo amicissimo metropolita Athenarum, Theodoro Deo amicissimo metropolita Cariæ, Metrophane Deo amicissimo metropolita Smyrnadensium, Basilio Deo amicissimo metropolita Antiochiæ, Theophylacto Deo amicissimo metropolita Iconii, Theodoro Deo amicissimo archiepiscopo Thessalonicensium, Ignatio Deo amicissimo metropolita Hierapoleos, Hilarione Deo amicissimo metropolita Corinthi, Euthymio Deo amicissimo archiepiscopo Catanæ, Gregorio Deo amicissimo metropolita Iperii, Photio Deo amicissimo archiepiscopo Nacoliæ, Stephano Deo amicissimo archiepiscopo Cypsallorum, Basilio Deo amicissimo archiepiscopo Misthiæ, Theophane Deo amicissimo archiepiscopo Selgæ, Paulo Deo amicissimo archiepiscopo Apamiæ, Joanne Deo amicissimo archiepiscopo Potii, Athanasio Deo amicissimo archiepiscopo Magnesiæ, Theodoro Deo amicissimo episcopo Sinopæ, Eustachio Deo amicissimo episcopo Æmoniæ, Theocleto Deo amicissimo episcopo Lacedæmoniæ, Nicephoro Deo amicissimo episcopo Iliacynthi, Euthymio Deo amicissimo episcopo Mosbynorum, Basilio Deo amicissimo episcopo Pyrgii, Georgio Deo amicissimo episcopo Hylii, Petro Deo amicissimo episcopo Troadis, Leone Deo amicissimo episcopo Daphnusiæ, Niceta Deo amicissimo episcopo Photiæ, Basilio Deo amicissimo episcopo Cratiæ, Damiano Deo amicissimo episcopo Melitopoleos, Theophane Deo amicissimo episcopo Trallæ, Leone Deo amicissimo episcopo Neapoleos, Joseph Deo amicissimo episcopo Palæorum et Georgio Deo amicissimo episcopo Adraniæ. His ita convenientibus, jubente Basilio Christi amico et magno imperatore, stans in medio Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Propter multam versutiam et malitiam, præcedentibus temporibus subscripsit sacerdotium et senatus et tota civitas in causis injustis, quas noluerunt : hodie autem vult divinitus gubernatum imperium nostrum, intuens in misericordiam Dei benignissimi et compatientissimi, manibus ve-

stris eas incendi, et sperat in miserationem ejus, et in sanctas orationes vestras, quod ignoscatur omni homini ignorantia hæc, tam a sancta catholica Ecclesia, quam a sacro senatu, et tota civitate nostra, simul et cæteris regionibus.

Quid ergo videtur sanctitati vestræ? placet hoc Deo, et vobis? Donatus sanctissimus episcopus Ostiensis, et Stephanus sanctissimus episcopus Nepesinus, et Marinus Deo amicissimus diaconus, sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt: Deus conservet Christi amicissimum imperatorem per multos annos, qui gubernat Ecclesiam ejus; dedit enim ei Deus gubernationem totius mundi, et exaudivit vocem et deprecationem spiritalis patris sui papæ Adriani per epistolam quam misit ille, et hodie adimplet desiderium Ecclesiæ, sicut nuntiavit ei. Custodiat Deus imperium ejus multis annis ad mundanam gubernationem; quia dirupit vincula chirographorum quæ ab inimicis Dei exquisita sunt contra omnem Ecclesiam. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit: Sanctus imperator noster Deo amicabiliter jubet dicere adversos episcopos qui fecistis injusta chirographa: *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* (*II Cor.* 1.) Languor et dolor vester meus est; et ideo consilium do ut quæ male a vobis et vi acta sunt, incendantur et exterminentur, non solum sensibiliter, sed providentia Dei, etiam intelligibiliter. Deo amicissimi episcopi dixerunt: Hodie completur sub a Deo muniendo imperatore nostro divinæ scripturæ sermo, qui dicit: *Dissolve omnem colligationem iniquitatis, et obligationes violentorum contractuum, et evelle omnem scripturam injustam* (*Isa.* LV). Pro quibus det Deus mercedem animarum nostrarum et corporum Christi amico imperatori, et conservet imperium ejus per multa annorum curricula, donans ei etiam cœleste imperium. Et jubente Basilio Christi amico et magno imperatore, positum est in medio synodi vas æneum ad id aptum, plenum igne, et delati sunt in marsupio a Theophylacto reverendissimo diacono et referendario [a] omnes tomi chirographorum qui exacti sunt a Photio, ab omni sacrato catalogo, et ordine clericorum, tam magnæ Ecclesiæ, quam earum quæ foris sunt: quamque etiam a magnis, et parvis, et omnibus senatoriæ dignitatis, et cunctis aliis, tam illustribus quam ignobilibus, atque iis qui in omni arte ac disciplina et diverso studio esse videbantur, usque ad pellarios, et pisces vendentes, et lignarios, et acus facientes: insuper et libri qui ficte conscripti sunt contra beatissimum Nicolaum papam, et gestorum relationes ac synodos quæ contra sanctissimum patriarcham Ignatium factæ sunt a Photio. Et accipiens Georgius reverendissimus orphanotrophus singulos libellos et tomos tribuit hominibus utrorumque sanctissimorum vicariorum, qui miserunt omnia in ignem, et cremata sunt, et redacta in nihilum. Basilius amicus Christi et magnus imperator dixit ad sanctissimos vicarios senioris Romæ: Imperio nostro jubente, adduxerunt falsos vicarios, quos Photius protulit contra beatissimum papam Nicolaum; quid ergo videtur sanctitati vestræ de illis? Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt: Ingrediantur sanctam et universalem synodum. Et intrantibus eis, interrogavit Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus Petrum monachum: Hæc jubet sanctus imperator noster, et tota sancta synodus, interrogari te, Qui es et unde venis? et quid dicis? et quod est opus tuum quod egisti? inventus es in concilio quod fecit Photius contra beatissimum papam Nicolaum, aut dedisti libellum contra eum? Petrus dixit: Neque præsens illic inventus sum, neque hanc conscriptionem novi; etenim nunquid ego solus Petrus sum in hanc urbem a Roma ascendens? Alii dena millia ascenderunt Petri; verumtamen legatur iste libellus meus quem defero, et hic manifesta faciet quæ mea sunt. Et accipiens Gregorius devotus notarius divinorum secretorum legit:

Libellus apologeticus Petri monachi.

Quoniam exiguitatem nostram quidam vestrum opinati sunt adversus sanctam Romanam Ecclesiam libellum dedisse, propterea quia mentio nostra in divulgata conscriptione continebatur, hujus rei gratia imperatoribus rationem redditurus veni, sed et in conspectu vestræ reverentiæ sæpe innocentem exhibens, rursus et nunc de eadem interrogatus causa, eamdem ipsam quam tunc immutabiliter profero vocem: quod neque libellum dedi, neque imperialibus auditibus molestiam intuli, sed neque synodo congregatæ, si tamen congregata est, præsto repertus sum; et profecto confitebuntur ii qui nomen meum inseruerunt hujusmodi scriptis. Hæc est fiducialis satisfactio mea ad eos qui me dijudicant, et hanc dabo multa confidentia cum munda conscientia, quotiescunque interrogatus exstitero; sed vestræ virtutis claritatem obsecro ut saltem amodo dimittatis me multum fatigatum, precibus vobis oblatis, remeare ad apostolorum vestigia; etenim jam usque, reor, placet sapientibus proceribus matris vestræ deprecationibus inclinare auditum, ut per occasionem redeundi, attrahar in ea [b] cooperentur animæ meæ salutem.

Et post lectionem, sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt: Ecce per libellum audivimus quid dixerit iste; alii vero qui illic stant quid dicunt? Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit ad Basilium falsum vicarium: Imperator noster sanctus, cum sanctissimis vicariis, et sacro senatu, et sancta synodo, jubet interrogare te. In falso libro jacet nomen tuum, dic ergo tu; dedisti

[a] Patriarcha Constantinopolitanus referendarium quempiam semper habet, qui ejus imperatori omnem denuntiat voluntatem, qui aditum in palatio semper habet ad referendum imperatori quæcunque sunt patriarchæ ac Ecclesiæ necessaria, per quem etiam imperator quod placet patriarchæ transmittit.

[b] Forte *ea quæ*.

libellum contra Romanam Ecclesiam? sic se veritas habet? Basilius dixit. Absit. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Et anathematiza et eum qui dedit, et qui scripsit. Basilius dixit : Is qui dedit libellum contra Romanam Ecclesiam anathema sit. Deinde iterum interrogatus est Basilius : Unde es? Basilius dixit : A sancta civitate veni. Basilius amicus Christi et magnus imperator dixit ad Heliam sanctissimum vicarium Hierosolymorum : Cognoscis eum? Helias sanctissimus syncellus et vicarius Hierosolymorum dicit : Etiam, cognosco eum. Jubente vero Basilio piissimo et magno imperatore, Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit ad Basilium falsum vicarium : Dic, quamobrem ingressus es Constantinopolim? pro qua causa? et quis te misit illic? Basilius dixit : A Tripoli intravi Romam causa orationis, et infirmatus sum in via, et intravi in Venetiam ut transirem : et veni huc sub papa Benedicto, et feci menses viginti ; et non habui quomodo dispensarer ; et anno quando exivit patriarcha de throno suo descendi iterum sub domino Nicolao ; habeo octo annos, et iterum reversus sum huc. Interrogatus est iterum : Non dedisti libellum? Basilius dixit : Ne faciat Deus ; nunquid enim familiaris fui Nicolai? Deinde, jubente Basilio amico Christi et magno imperatore, interrogatus est Leontius falsus vicarius Alexandriæ per Bahanem magnificentissimum patricium et præpositum : Quomodo inventus es in loco vicarii in ficte composito libro a Photio contra beatissimum papam Nicolaum? Leontius dixit : Dedit mihi auctor et senior antistes meus litteras ad imperatores nostros sanctos, neque vicarius sum, neque habeo aliquid in rebus istis. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Jubente Basilio amico Christi imperatore ad sanctam synodum : Quid vobis videtur de his? quemadmodum is, qui primum locutus est, omnem ignorantiam insinuavit, et ita et hic ; homines sunt negotiatores, et aliquid nesciunt, nec vicarii facti sunt ; sed Photius finxit ut voluit et sermones et personas. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt ad falsos vicarios : Facite libellos, et anathematizate eos qui fecerunt libros illos, ut suscipiamini in communionem. Leontius dixit : Neque scripsi in libro hoc, neque cognosco eum. Sancta synodus dixit : Anathematizate qui fecit eum, et conscripsit eum. Falsi vicarii dixerunt : Habet [a] anathema qui cooperatus est in libro isto. Senatus dixit : Quoniam non vultis anathematizare, apparet quia compartícipes ejus estis, ut aut anathematizemini et ipsi, aut tradamini legibus. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Quoniam non patiuntur anathematizare qui fecit malum hoc, quemadmodum scripsit sanctissimus Adrianus papa ad piissimum imperatorem, tradantur nobis, et descendant nobiscum Romam, Leontius dixit : Anathema et illi, et ei qui scripsit eum. Basilius dixit : Anathema ei qui dedit libellum contra papam Nicolaum. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Imperator noster sanctus admonens, et consilium dans, dicit ad sedentes in hac synodo, et stantes, et ad universum communem populum : Videte, qualiter apparet veritas, et lux in tenebris lucet, et non comprehenditur ab eis ; mendacia et seductio quomodo apparent? et quomodo crevit veritas hodie? quisquis habet scandalum in anima sua, accedat ad sanctam Ecclesiam Dei ; neque enim habet occasionem qualemcunque. Sic operatur sanctum imperium nostrum, ut excludat omnem occasionem, ut non habeatis cras excusationem. Sancta synodus : Deus conservet piissimum imperatorem. Interrogati sunt metropolitæ qui subscripti erant in libro illo, de propriis scriptionibus quæ erant in libro : Vestræ sunt hæ subscriptiones? Et dixerunt omnes : Absit. Sanctissimi vicarii senioris Romæ flagitaverunt Basilium Christi amicum et magnum imperatorem, ut legeretur canon sancti Martini papæ Romani, quem deprompsit de omni falso vicario. Et accipiens Stephanus Deo amicissimus diaconus et notarius, legit hunc canonem in audientiam omnium.

[a] Forte *habeat*.

Caput XX concilii Lateranensis.

Si quis, secundum sceleratos hæreticos, quomodocunque, aut verbo, aut tempore, aut loco terminos transmittens illicite, quos posuerunt firmius sancti catholicæ Ecclesiæ Patres, et sanctæ et universales quinque synodi, novitates temere adinvenire, et fidei alterius expositiones, aut typos, aut leges, aut definitiones, aut libellos, aut relationes, aut epistolas, aut subscriptiones, aut testimonia falsa, aut synodos, aut actus monumentorum, aut ordinationes vacuas et ecclesiasticæ regulæ incognitas, aut loci servatores, id est vicarios incongruos et sine regula et compendiose dicere, si quid aliud impiissimis hæreticis consuetum est agere per diabolicam operationem, tortuose et callide agit contra pias orthodoxorum catholicæ Ecclesiæ, id est paternas ejus et synodales prædicationes ad peremptionem [*al.*, eversionem] sincerissimæ in Dominum nostrum et Deum Jesum Christum confessionis, et usque in finem sine pœnitentia permanet ; hæc impie agens hujusmodi, in sæcula sæculorum sit condemnatus, et dicat omnis populus : Fiat, fiat.

Et post completionem canonis, surgens Metrophanes Deo amabilis metropolita Smyrnæ, allocutus est voce grandi in audientiam synodi ita : Veritas est pecunia [Græce χρῆμα] cunctis aliis rebus validior et fortior atque robustior : veritas est pecunia intractabilis, et omnibus hominibus ineluctabilis : veritas est omnia vincere, et valde competenter ; est enim, exstat veritas, et rursus veritas exstat, est ; hujusmodi namque verissimam opinionem approbat etiam Christus omnium nostrum Salvator et Dominus, atque principale et Verbum Dei ac Patris utro-

que se vocabulo nominans. Denique cum olim Deus loquens Moysi salutis exponeret leges et jura, sciscitanti ei, et diligenter interroganti, quod esset nomen ejus, dicit ad eum : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III). In novissimis autem temporibus incarnatus propter ineffabilem misericordiam, et factus secundum nos, propter nos homo, ita dicit : *Ego sum vita et veritas* (*Joan.* XIV). Igitur veritas est cunctis aliis justior pecunia, et omnibus ineluctabilis, et sola quæ vincat omnia. Cujus et ipse amator factus, amice Christi domine, triumphator et victor contra mendacium hodierno die apparuisti, et ab ipsa veritate ductus, et ope fretus, a Christo Deo nostro demonstrasti annihilatam injustitiam, et præstruxisti, ut divina eloquia prophetarum vera manifestius et liquidius ostenderentur etiam nunc omnibus hominibus, de quibus Scriptura fatur : *Si justificabitur in statera injustus, et in marsupio pondus doli* (*Prov.* II). Ex quibus divitias suas impietate repleverunt : et qui habitant eam loquebantur falsa et lingua eorum exaltata est in ore ipsorum, quemadmodum et alius propheta, Oseas videlicet, evidentius clamat : *Hic est Achab, in manu ejus statera injustitiæ, vim inferre dilexit. Et dixit Ephraim : Verumtamen ditatus sum, inveni refrigerium mihimetipsi : omnes dolores non invenientur ei propter injustitias quas peccavit* (*Ose.* XII). Et iterum idem propheta, figurans mores hominum qui vana et inania loquuntur et scribunt, ita dicit : *Corrupta seminaverunt, et eversio eorum excipit ea : manipulus non habens fortitudinem ad faciendam farinam; si vero et fecerit, alieni comedent eam* (*Osee* III); adimplevisti autem hodie, Domine, sermonem beati prophetæ, qui dicit : *Reliquiæ impiorum exterminabuntur* (*Psal.* XXXVI); pro quibus te piissimum imperatorem interemptorem injustitiæ, eradicatorem mendacii, plantatorem pietatis, innovatorem veracium dogmatum, omnia imperator et omnitenens Deus noster roboret, et secundum spiritum, et secundum carnem, et confirmet imperium tuum, et confirmet te prospere semper, et in omnibus per sanctas orationes coangelici et in cœlo etiam conversantis patris, Ignatii videlicet sanctissimi patriarchæ, et cæterorum sanctissimorum vicariorum senioris Romæ, ac Orientalium sedium, et subjiciat tibi omnes barbaras nationes, et dignum te faciat cœlesti regno suo cum omnibus qui pie regnaverunt, ut glorifices eum indesinenter, quia ipsum decet gloria nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

Et post completionem hujus declamationis, Basilius Christi amicus et magnus imperator ad sanctissimos vicarios senioris Romæ et Orientis sedium dixit : Theodorus, qui dicitur Crithinus, cum sit auctor iconomachicæ hæreseos, per præceptionem pietatis vestræ, adductus est ad sanctam et universalem synodum : quid ergo videtur vobis de eo? Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Mittantur, piissime domine, ad eum quidam magnificentissimorum principum, et dicant tanquam ex nobis ita : Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Per diversas litteras, et nobilissimos et fidelissimos viros, qui missi sunt a sancto et Christi amico imperatore ac principe Basilio ad spiritalem patrem suum sanctissimum papam Adrianum, rogante per prædictas epistolas suas, quatenus mitteret apocrisiarios suos ad hanc sanctam et a Deo conservandam, et regiam urbem ; et exortam in ecclesia Dei temporibus suis seductionem, et errorem exterminaret. Et ecce per gubernationem sancti ejus imperii in hac sancta synodo congregati sumus una cum orientalibus vicariis, qui una nobiscum sentiunt. Audivimus autem vos errare et declinare ab orthodoxa fide, et nolle nobiscum honorare et colere pretiosas iconas Domini nostri Jesu Christi, et sanctissimæ matris ejus, et omnium sanctorum ejus, et propter hanc causam admonemus vos, quia nunc ecce adjacet vobis portus salutis, vobis apertus, et suscipit vos sancta Ecclesia in ulnis suis per hanc sanctam, honorabilem, et universalem synodum, per satisfactionem et scriptionem libelli, et suscipiemus vos in communionem catholicæ Ecclesiæ. Quod si nolueritis exaudire nos, et sanctam et universalem synodum hanc, habebitis tam a nobis, quam a tota sancta Dei Ecclesia, et hac universali synodo, sententiam anathematis. Sanctissimi vicarii orientalium sedium dixerunt : Et nos de sacris et sanctis Christi locis, quæ glorificavit Dominus apparitione gloriæ suæ, transmissi sumus ab eo ad communem salutem, tam vestram, quam omnium. Rogamus ergo, ut obediatis, et vosipsos a sancta catholica Ecclesia minime projiciatis ; neque vobismet indeficiens detrimentum in posterum inferatis. Ecce nunc commonemus vos in hanc horam, ne forte obstruatur vobis ostium, et sine pœnitentiæ lucro vos pœniteamini. Bahane itaque magnificentissimo patricio et præposito, et Leone magnificentissimo proconsule ac patricio, per jussionem Basilii amici Christi imperatoris, missis ad prædictum virum Theodorum, qui appellatur Crithinus [a], lectæ sunt voces sanctissimorum vicariorum senioris Romæ, et orientalium sedium. At vero Crithino nihil respondente, dedit ei Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus numisma, characterem ferens Basilii Christi amici et magni imperatoris, et dixit ad eum : Imperator noster sanctus mandat ad te, monens : Suscipis numisma characteris mei? Theodorus, qui nuncupatur Crithinus dixit : Ego indignus sum, sed suscipio illud super millia auri et argenti. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Imperator noster sanctus admonens dicit ad te : Honoras numisma exarationis meæ? Theodorus dixit : Secundum quod oportet honorari numisma regium, honoro. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Jubet imperator? Inhonoras illud? Theodorus dixit : Utquid? non inhonoro illud. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Jubet imperator noster sanctus dicere tibi : Et si imaginem meam, id est mortalis regis,

[a] Quod interpretatur hordeaceus, qui videlicet est cibus irrationabilium.

non vis inhonorare, sed honorabiliter suscepisti a manu mea qui sum præpositus; quomodo Dei virilem imaginem Domini nostri Jesu Christi, et sanctissimæ matris ejus, quæ proprie ac veraciter est Dei Genitrix, et omnium sanctorum, dicis inhonorare? Dic nobis: Inhonoras has, an honoras? Theodorus dixit: Omnes quidem homines Christianos subdi oportet sub sancto et justo imperio tuo, plus autem omnibus me indignum; quia et ex morte liberasti me, et ab exsiliis injustis eripuisti me, et a captivitate et fame et exitio adjuvisti; et quia multum debeo pro sancto imperio tuo super omnes Christianos orare: sed et capilli capitis mei et barbæ omnes si fuerint ora, et exoraverint pro sancto imperio tuo, non sufficient: talis est in me benignitas tua, imperator juste et amice Christi. Numisma mihi misisti imperii tui, et suscepi illud, sciens quod tuum fuerit: exigis ut et Christi suscipiam notam et formam, si est hoc Christi præceptum, et Christo placabile, deprecabile sit imperium tuum sanctum, et det dilationes, et det tempus induciarum, et det infirmitati nostræ spatium: et post hæc quando jusserit a Deo decretum imperium tuum, si ostensum fuerit quod sit hoc Christi præceptum, faciam quidquid jusseris. Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit: Imperator noster sanctus non vos adduxit ad hanc sanctam et universalem synodum ad disputandum, sed ad commonendum.

Nam utique nostis, quia Paulus Christi os liquido monet omnem hæreticum ab una et secunda admonitione devitare (*I Tim.* III): tu autem senescens in malitia tua, et sciens cum omni certitudine tenebras in quibus es, in lumine ignis tui ambulabis, audiens ex quadrifido terrarum orbe, justo decreto sacrorum canonum, anathematis damnationem: quo enim fugies? vel quo ibis? Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque patriarchiis, et definivit in Evangeliis suis, ut nunquam aliquando penitus decidant, eo quod capita Ecclesiæ sint. etenim illud quod dicitur: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI); hoc denuntiat, quando duo ceciderint, currunt ad tria; cum tria ceciderint, currunt ad duo; cum vero quatuor forte ceciderint, unum, quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus Ecclesiæ: nunc autem toto terrarum orbe concordante, non habes excusationis modum quemadmodum olim factum est. Reversis vero magnificentissimis judicibus, lectæ sunt voces Theodori, qui dicitur Crithinus, in audientia synodi, voce majori; et dixerunt sanctissimi vicarii senioris Romæ, et orientalium sedium: Legatur sanctissimi Nicolai papæ capitulum de imaginibus. Et accipiens Stephanus Deo amabilis diaconus et notarius, legit:

Caput VI Nicolai papæ.

Quoniam oportet majorum nostrorum statuta immoto mentis intuitu conservare, et in omnibus sanctorum Patrum semper dogmata venerari, definimus A de sacris et reverendis imaginibus Domini nostri Jesu Christi, ejusque semper Virginis Mariæ genitricis, omniumque sanctorum, qui Deo ab Abel justo placuisse creduntur, quæ Ecclesia sancta in universo orbe diffusa antiquitus accepit, quæque sedis apostolicæ præsules pro eis decreverunt, ac statuerunt illibata persistere, atque intemerata manere. Quapropter Joannem quondam Constantinopolitanum antistitem, et sequaces ipsius, qui eas frangendas atque calcandas esse ore polluto asseverant, quandiu de his nobiscum non senserint, et juxta sanctorum pontificum Romanorum decreta, et aliorum catholicorum Patrum instituta non sapuerint; sancimus eos a Christo et ab Ecclesia catholica atque apostolica esse anathema.

B Et post completionem lectionis hujus, Basilius piissimus et magnus imperator dixit ad sanctissimos vicarios senioris Romæ, et occidentalium sedium: Sunt hic et alii quidam Crithino concordantes; intrent, si videtur sanctitati vestræ in medium synodi, et interrogentur, si forte velint pœnitere, ac profiteri orthodoxam fidem. Helias Deo amicissimus presbyter et syncellus et vicarius sedis Hierosolymorum dixit: Qui diuturnæ sectæ deserviunt, difficile habent evelli a mala qua tenentur opinione; etenim ac si quibusdam ferreis compedibus, diabolicis circumventionibus capti, obcæcatam habent propriam mentem, et suspicere ad lucem veritatis non possunt. Hujus rei gratia et hæreticus iste Theodorus, qui vocatur Crithinus, quæcunque audierit ad sui profectum atque salutem, non suscipit, terram infructuosam imitans et spinosam. Ut autem jussit a Deo munita potestas imperii tui, si sint alii aliqui, ingrediantur. Et ingressis Niceta clerico, et Theophilo sæculari, et Theophane tabellione, sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt ad eos: Anathematizatis Iconomachicam hæresim? profitemini sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ orthodoxam fidem, quæ tradita est in orbis terrarum finibus a Christo et apostolis et omnibus sanctissimis doctoribus Ecclesiæ? Nicetas clericus, et Theophilus sæcularis, et Theophanes tabellio dixerunt: Decepti fuimus antea malitiosis sermonibus impiorum hominum, et male sapiebamus: nunc autem sanctæ et universalis hujus synodi concordiam et conspirationem videntes, parvipendimus Iconomachorum hæresim, et anathematizamus omnem qui non adorat sanctas et venerabiles imagines. Et surgens unusquisque sigillatim super tribunal excelsum, anathematizavit hæresim Iconomachorum, et primores ejus, et patriarchas, Theodotum videlicet, Antonium, Joannem, et Theodorum nominatum Crithinum. Deinde advocans Basilius piissimus et magnus imperator unumquemque ipsorum, osculatus est eos, et dixit: Nunc erepti estis a diabolica possessione, et facti estis Christiani verissimi, et salvandi estis cum omnibus orthodoxis a Christo Deo nostro, et vita æterna efficimini digni. Nam nisi hæresim Iconomachorum anathematizassetis, nil vobis Christus prodesset. Helias Deo ami-

cissimus presbyter et syncellus orientis throni Hierosolymorum dixit : Magno beneficio dignos eos fecit interventio sancti imperii tui hodie, Christi amice domine, et plurimum lætificasti nos, imo Christum, qui tibi donavit imperium, qui et conservet te in zelo pietatis nunc et in sæcula. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Sapientia ineffabilis Christus Deus noster ordinat mundum revera, quia et te piissimum et dominum imperatorem provexit ad correctionem omnium qui erraverunt, et custodiam et conservationem eorum qui recta sapiunt; et gaudet in te sancta Romana Ecclesia, hujusmodi zelum tuum pro pietate conspiciens : nunc ergo eum qui noluit intelligere, ut bene ageret, neque pœnitere, et discedere ab impietate propria Theodorum videlicet, qui nominatur Crithinus, anathematizet sancta hæc et universalis synodus, et omnes consentaneos ejus, tam qui nunc adhuc supersunt, quam qui in eodem sensu et opinione vita excesserunt. Et ascendens Stephanus Deo amicissimus diaconus et notarius, anathematizavit ita : Omnibus hæreticis anathema! Concilio, quod adhuc fremit contra venerabiles imagines, anathema! Et qui recipit impias hæreseos ipsorum ratiunculas, anathema! Iis qui sumunt divinæ Scripturæ dicta, quæ sunt adversus idola contra venerandas imagines, anathema! Iis qui non amplectuntur sanctas et venerandas imagines, anathema! Iis qui vocant sacras iconas idola, anathema! Iis qui dicunt quia ut ad Deos Christiani ad imagines accesserunt, anathema! Iis qui communicant scienter, anathema! Iis qui conviciantur et inhonorant venerabiles iconas, anathema! Iis qui dicunt, quod præter Christum Dominum nostrum alius quispiam nos liberavit ab idolis, anathema! Iis qui audent dicere catholicam Ecclesiam idola aliquando suscepisse, anathema! Anastasio, Constantino, et Nicetæ, qui sub Isauricis præfuerunt hæresibus, ut inepiscopis insacratis, anathema! Theodoro, Antonio, et Joanni, qui sibi invicem malorum omnium exstiterunt conciliatores, et alter alterius sibi impietati successerunt, anathema! Paulo qui in Saulum conversus est, et Theodoro qui dicebatur Gastæ et Stephano Molatæ, et his similibus, anathema! Theodoro, qui cum sine ratione consistat, loqui se rationabiliter fingit, qui et vocatur Crithinus, anathema! Iis qui adhuc dubio quidem sunt sensu : insensati vero sunt ambiguitate, et obsessi quidem a tenebris impietatis suæ, suspicantur a quibusdam consequi reversionem, anathema! Laudio, Leoni, et quisquis hinc similiter sapit, tam in episcopis, et presbyteris, ac monachis quam in iis qui quomodocunque attonsi consistunt, anathema! Photio curiali et invasori anathema! Photio sæculari et forensi anathema! Photio neophyto et tyranno anathema! Photio schismatico et damnato anathema! Photio mœcho et parricidæ anathema! Fabricatori mendaciorum anathema! Inventori perversorum dogmatum anathema! Photio novo Maximo Cynico anathema! Novo Dioscoro anathema! Gregorio dudem episcopo Syracusano anathema! Eulampio deposito anathema! Omnibus sequacibus et fautoribus ejus anathema! Multos annos imperatorum Basilii, Constantini, et Leonis [a] Magnorum principum et imperatorum multos annos! Orthodoxorum imperatorum multos annos! Erigentium ecclesias multos annos! Liberatorum Christianorum multos annos! Novo Constantino multos annos! Novo Theodosio multos annos! Novo Marciano multos annos! Eudoxiæ piissimæ Augustæ multos annos! Novæ Judith multos annos! Novæ Helenæ multos annos! Novæ Pulcheriæ multos annos! Nicolai beatissimi papæ Romani æterna memoria! Novi Phinees æterna memoria! Novi Daniel multos annos! Intereptoris novi Simonis multos annos! Percutientis novum fallacem Ananiam multos annos! Novi Cœlestini multos annos! Novi Martini æterna memoria! Adriani sanctissimi papæ Romani multos annos! Ignatii sanctissimi patriarchæ Constantinopoleos multos annos! Novi Athanasii multos annos! Novi confessoris Pauli multos annos! Novi Flaviani multos annos! Novi Anatolii multos annos! Sanctissimorum et orthodoxorum patriarcharum orientis multos annos! Donati et Stephani, et Marini sanctissimorum vicariorum senioris Romæ, Thomæ sanctissimi metropolitæ Tyri et vicarii Antiochiæ multos annos! Heliæ sanctissimi syncelli et vicarii Hierosolymorum multos annos! Sacri senatus multos annos! Sanctæ ac universalis synodi æterna memoria! Multos annos imperatorum nostrorum, multos annos!

[a] Nam cum hæc ageretur actio, in ipsis Theophaniis coronatus est in imperatorem iste Leo filius a vicariis et patriarcha Ignatio.

ACTIO NONA.

In nomine Domini et dominatoris omnium Jesu Christi veri Dei et Salvatoris nostri, imperii a Deo coronatorum et tranquillissimorum dominorum nostrorum, Basilii quidem ac Constantini anno tertio, Leonis vero anno primo, perpetuorum Augustorum, indictione tertia, pridie Idus Februarii : propositis pretiosis et vivificis lignis, et intemeratis salutis nostræ Evangeliis : in dextris partibus famosissimi templi sanctæ ac magni nominis Sophiæ : convenientibus autem Donato Deo amicissimo episcopo Ostiæ, et Stephano Deo amicissimo episcopo Nepæ, ac Marino Deo amicissimo diacono sanctæ Romanæ Ecclesiæ, locum obtinentibus Adriani sanctissimi papæ Romani, et Ignatio sanctissimo archiepiscopo

dentes, qui per occasionem quamdam dispensanter exiguitatem nostram dignatus est adjuvare, quo meum dominum ac dominatorem orthodoxum imperatorem alloqui et exorare meruissem. Etenim mihi magnæ deliciæ hoc apparuit, sanitas, et profectus, et magna gratia divinitus orta: arbiter enim Palæstinorum regionis, et Tiberiadem ac Tyrum obtinens, et horum præsidatum creditum habens, his diebus mittens ad nos, nuntiavit dominicorum et nobilissimorum apicum ad se destinatorum adventum, jubentium, quo sibi quempiam a sede Alexandrina ad imperia dirigeremus, una cum pausillis litteris nostris super dissensione, quæ facta est duorum patriarcharum causa penes regiam urbem; et quod a Deo provectus et opinatissimus imperator anhelet ab exterorum ore audire, qualiter veritas exigat, et quæ sit de his certa et firma cognitio, quæ sic nos movit ad id quod antea desiderabamus, et pro eo quod fieri citius speramus propter viri justitiam, et amore dilectionis pavente potestatem, quæ in nobis potentatum gerit, quempiam eorum, qui apud nos sedulo permanent, mittere; misimus ei contra pro nobis, requirentes hominem olim nostrum, et a multis annis in sua voluntate habitantem, venerabilem existentem, et monasticam conversationem ex mollibus ungulis excolentem monachum, Joseph homine; quod et fecit: cum quo etiam hunc vilem codicillum transmisimus indignum existentem, et imperatoriæ allocutioni inconvenientem: hoc autem volenter fecimus, quinimo confidenter præsumpsimus, non tanquam nosipsos odientes, absit, sed nosmet dejicientes, exiguitatem nostram ad eminentem et principantem, ac omnibus dignitatibus sublimiorem dignitatem veraciter comparantes. Neque enim hoc animo agere poteramus, nisi manifeste cognovissemus in te, Deo gratissime imperator, habitare imitatorem Christi et condescendibilem affectum, qui quondam viduæ duo minuta recepit, et hæc pluribus muneribus prætulit. Etenim ait quidam poetarum: Abest ille [a] qui compedibus constrictus salit ad terminos, equitis more, summumque diligens, vix rejicit, audacter exsiliens. De duobus autem patriarchis, domine princeps, et imperator a Deo dirigende, in una sede, uno tempore, bene novit a Deo provecta pietas tua, quod impossibile sit mittere, et corporalibus terminis remotum, discernere tantum ac tale negotium, cum invisum sit et tanquam clanculo gestum, idque nequaquam sciatur a nobis, sed nec pri-

A mordia ejus, vel media, aut novissima, vel finalia cognoscantur: etenim quidam sapientum iambo loquentium prædixit: Quis enim judex peregrinus quemquam solum usquam audivit, minime accusato præsente, vel judicavit protinus, hoc audito? Si enim ex uno sibi adversantium audire, pravum et nefas veritas æstimat, et hoc ut abominabile non admittit, quanto magis ab horum nemine? qui enim judicant quæ nesciunt, paratam redargutionem in carminibus beatissimi Gregorii reperiunt, et aperte dicitur eis, quod caligo sit quæ loquuntur. Bene autem novimus, quod apud vos sint, dictator et a Deo salvande imperator, summi pastores, præsules, ac abbates, clerici quoque, et azyges [b], qui omni sapientia ac scientia, intellectu etiam et discretione atque prudentia decorati consistunt, quorum princeps ac præses et summus doctor tu constitutus es, sancte ac orthodoxe imperator, qui omnes propius existentes, quod opportunum est, scitis, et quod Deo sit acceptum, bene cognoscitis. Vos enim estis radix, ex qua [*fort.* rami.] jam et immortalitatis intelligibilis oceanus, ex quo cuncti fontes, omneque mare, universi lacus, et fluenta procul emanant, ut exterior poeta Homerus affatur. Ita, domine imperator justissime, inveniemus in quibusdam veterum historiis, quod duo patriarchæ quondam in Christi Dei nostri sancta civitate facti fuerunt, sed hoc modo. Dicit igitur Alexander monachus in historiis suis, quia trigesimus patriarcha Hierosolymis post gloriosam et celebrandam Domini nostri Jesu Christi ad cœlos ascensionem, Narcissus vocabatur, apostolica gratia splendens, et quieti studens, sacrorum præsulatu relicto, anno duodecimo sui patriarchatus ad loca confugit incognita: sed quæsito a populo, et potestate, ac episcopis provinciæ, nec tamen invento, pro ipso provehitur alius patriarcha, qui vocabatur Dius, qui octo annis vivens, in Christo defunctus est. Post hunc Germanus annis tribus; huic vero Gordius succedit quatuor annis, tum ecce tanquam ex abditis Narcissus rursus apparet, et erat cum consecrato Gordio in in uno sensu et consonantia. Gordio vero, qui cum eo erat, defuncto, et Narcisso supra modum senescente (siquidem erat quasi sexdecim et centum annorum) Alexandrum quemdam episcopum, ab alia regione adorationis gratia profectum ad venerabilia loca, per divinam revelationem præsulem Hierosolymorum constituunt, sene Narcisso multum eum rogante, qui et martyrio postea consummatur. Hoc

[a] *Abest, ille.* Hi versus sunt apud Græcos quorum quantum ex circumstantia superiori datur intelligi, iste est sensus eorum, ex persona patriarchæ Alexandrini inter Saracenos constituti prolatus, dicit, ut, inquit, ille, qui compedibus constrictus utcunque, vel undecunque salit, et supra vires repit, eques efficitur, ita et tu imperator, humilitatis ac scientiolæ nostræ scripta ut duo viduæ minuta suscipe, licet compedibus nationum, inter quas habitamus, impediti vix hæc ipsa scripserimus. Vel ita: Sicut, inquit, qui vincula in pedibus habet, et servatur a potente, si cum aptum repererit tempus, potest quoquo modo equo impositus fugere, secundum poetæ paradigma, Evadit irati principis potentatum; ita et nos licet ligati vi gentium simus, attamen verbum Dei, quod non est alligatum, saltem vix super equum epistolæ nostræ imponentes direximus, quod ita suscipe, tanquam si soluti essemus, ac per hoc majora vobis offerre potuissemus quæ tamen ideo, ut autumo, scribit obscure, ne, si utcunque deperirent, facile ab hostibus intelligerentur. Edit. Rom.

[b] Id est, sine jugo, uxorum scilicet: intelliguntur autem monachi, quia expediti a conjugibus.

almæ Constantinopoleos novæ Romæ : et sanctissimis loci servatoribus orientis, videlicet Joseph Deo amicissimo archidiacono Alexandrinorum magnæ civitatis, locum tenente Michaelis sanctissimi patriarchæ Alexandriæ, et Thoma sanctissimo metropolita Tyri, locum tenente sedis Antiochiæ, eo quod viduata esset eadem Ecclesia, et Helia Deo colendissimo presbytero et syncello, locum obtinente Theodosii throni Hierosolymorum archiepiscopi : præsente quoque sacro senatu, dicimus autem Theodoro magnificentissimo patricio et magistro, Christophoro magnificentissimo patricio et magistro, Bahane magnificentissimo patricio ac præposito, Hemerio magnificentissimo proconsule ac patricio, Paulo magnificentissimo patricio et præfecto, Theodoro magnificentissimo patricio, Barbatio magnificentissimo patricio, Manuele magnificentissimo patricio, Theophylacto magnificentissimo patricio, Petronate magnificentissimo patricio, Manuele magnificentissimo patricio : quin etiam et considentibus Deo amicissimis metropolitis, Basilio scilicet Deo amabilissimo archiepiscopo Ephesi, Theodulo Deo amicissimo metropolita Ancyræ, Nicephoro Deo amicissimo metropolita Nicææ, Basilio Deo amicissimo metropolita Chalcedonis, Basilio Deo amicissimo metropolita Gangrensium, Theodoro Deo amicissimo metropolita Thessalonicæ, Nicolao Deo amicissimo metropolita Synnadensium, Theophylacto Deo amicissimo metropolita Iconii, Ignatio Deo amicissimo metropolita Hierapoleos, Michaele Deo amicissimo metropolita Hod [*fort.* Hadramiti], Hilarione Deo amicissimo metropolita Corinthi, Metrophane Deo amicissimo metropolita Smyrnæ, Michaele Deo amicissimo metropolita Byziæ, Euthymiano Deo amicissimo metropolita Euchartensium, Joanne Deo amicissimo archiepiscopo Pompeiopoleos, Theophane Deo amicissimo archiepiscopo Selgæ, Stephano Deo amicissimo archiepiscopo Cypsallorum, Joanne Deo amicissimo archiepiscopo Cii, Photio Deo amicissimo archiepiscopo Nicoliæ, Icoo Deo amicissimo archiepiscopo Methymnæ, Basilio Deo amicissimo archiepiscopo Russii, Gregorio Deo amicissimo archiepiscopo Parii, Paulo Deo amicissimo archiepiscopo Apamiæ, Basilio Deo amicissimo archiepiscopo Pyrgii, Arsenio Deo amicissimo archiepiscopo Aureliopoleos, Georgio Deo amicissimo episcopo sanctæ Cyriacæ, Eustachio Deo amicissimo episcopo Æmoniæ, Constantino Deo amicissimo episcopo Trallæ, Germano Deo amicissimo episcopo Citri, Constantino Deo amicissimo episcopo Augustopoleos, Nicolao Deo amicissimo episcopo Documii, Petro Deo amicissimo episcopo Mellitopoleos, Joseph Deo amicissimo episcopo Leriæ, Tarasio Deo amicissimo episcopo Cineæ, Stephano Deo amicissimo episcopo Gordoserbensium, Philippo Deo amicissimo episcopo Tabiæ, Ignatio Deo amicissimo episcopo Juliopoleos, Constantino Deo amicissimo episcopo Tii, Sisinnio Deo amicissimo episcopo Bitinopoleos, Xenophonte Deo amicissimo episcopo Mylassi, Leone Deo amicissimo episcopo Neapoleos, Marciano Deo amicissimo episcopo Nicopoleos, Marciano Deo amicissimo episcopo Thebarum, Gregorio Deo amicissimo episcopo Mesinæ, Joanne Deo amicissimo episcopo Poleosnomii, Theodoro Deo amicissimo episcopo Eurippi [*al.*, Eusippi], Nicephoro Deo amicissimo episcopo Crotonæ, Nicolao Deo amicissimo episcopo Nusæ, Constantino Deo amicissimo episcopo Synai, Gregorio Deo amicissimo episcopo Tripoleos, Leone Deo amicissimo episcopo Daphnusiæ, Constantino Deo amicissimo episcopo Onumericensium [*al.*, Enumericensium], Basilio Deo amicissimo episcopo Adranii [*al.*, Eldrianii], Theophane Deo amicissimo episcopo Axanæ, Joanne Deo amicissimo episcopo Tampsi, Nicephoro Deo amicissimo episcopo Asponæ, Macario Deo amicissimo episcopo Elizomenentium [*al.*, Elysomane], Michaele Deo amicissimo episcopo Cercyrensium, Nicephoro Deo amicissimo episcopo Zacynthi, Joseph Deo amicissimo episcopo Aventium, Theagnosco [*al.*, Theognosto] Deo amicissimo episcopo Parnassi, Meletio Deo amicissimo episcopo Heracliæ, Asaphio Deo amicissimo episcopo Erythiæ, Constantino Deo amicissimo episcopo Prusiadis, Cosma Deo amicissimo episcopo Adrianopoleos, et Ignatio Deo amicissimo episcopo Timonis : his ita convenientibus, Bahanes famosissimus patricius et præpositus ex persona sacri senatus ad vicarios senioris Romæ et orientalium sedium dixit : Nostis, patres mei sanctissimi, quia in præcedentibus actionibus ecclesiastica dispositio facta est a vobis sanctissimis loci servatoribus senioris Romæ, ac orientalium sedium, secundum congruentiam et ordinem synodicum : nunc vero patriarchæ Alexandriæ venit vicarius, et hoc procul dubio Dei cooperatione et voluntate factum est. Quid ergo de cætero videtur sanctitati vestræ? Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Et nos quidem vidimus eum, et locuti sumus ei, et per sermonem ejus satisfactionem accepimus. Verumtamen juxta canonica præcepta legatur commendatitia ejus epistola in audientiam omnium, in hac sancta et universali synodo, et ita connumeretur omnibus nobis vicariis patriarchalium sedium. Deo amicissimi episcopi, et tota sancta synodus dixit : Bonum et justum est, et ideo cunctis placet : et hoc manifeste habetis a consequentia ecclesiastica et synodica. Et post hoc accipiens Gregorius devotus notarius divinorum secretariorum, legit epistolam patriarchæ Alexandriæ ad piissimum imperatorem missam.

Piissimo et magnificentissimo imperatori victori Basilio, Augusto, triumphatori, et Christi Deo placabili famulo, Michael inutilis servus puerorum Domini mei Alexandrinus.

Ab olim quidem scribere ad divinitus actam et maximi decoris dictaturam tuam, optime imperator, gestientes, ab alterius tribus formidine inhibiti extitisse dignoscimur. Nunc vero jussi, et quod desiderabamus, et quod metuebamus, impigre peregimus, immortali et supercœlesti regi copiosas grates repen

vero solum historice novimus, et de his nobis humilibus tuis famulis sufficiat. Supplicamus autem, ut inutiles servi, et obsecramus te, benignissime imperator, ut eos, qui ad divinitus gubernandam sublimitatem tuam ex nostratibus destinati sunt, beneficiis cumules, non solum autem illos, sed et omnes omnino qui Christi nomine censentur, et cum eis pro eadem redemptione legatione funguntur, ad eripiendum videlicet a suspicione hos qui missi sunt, et nos qui misimus, ut cuncti penes omnes qui apud nos sunt bonam faciem, et temporis redemptionis fructum capessere valeamus : quatenus divinæ bonitatis et Christi amator mundi principatus tuus pro suo voto ac libito jubeat et agat, omnitenentis Dei auxilio ductus, ac continuis et indeficientibus bonis accumulandus, et post vitam plurimam et copiosorum annorum curricula immortali imperio fruiturus, deprecationibus immaculatæ Dei genitricis Mariæ, Marcique mirabilis apostoli, evangelistæ ac martyris, simul et præceptoris nostri, et omnium sanctorum mandata Dei perficientium. Amen.

Commendatitia ergo epistola lecta, Donatus Deo amicissimus episcopus Ostiæ, et Stephanus Deo amicissimus episcopus Nepæ, ac Marinus reverendissimus diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, dixerunt : Ecce defert hic honorabilissimus vir commendatitias litteras, quas a patriarcha suo Michaele accepit : didicimus quis sit, et unde venerit, et suscipimus eum ut veraciter loci servatorem Alexandrinæ sedis. Dicant ergo ad hoc et sanctissimi loci servatores orientalium sedium, et sacra synodus, et Deo amabiles episcopi, quid sibi videatur super hoc, et quomodo certificentur in epistola. Sancta et universalis synodus dixit : Perfecte creduli facti sumus, et certificati sumus omnes ex epistola quæ modo lecta est coram nobis, quia non fictus, sed verissimus vicarius est throni Alexandriæ; propter quod et recipimus eum, et glorificamus Deum universorum, qui quod deerat universali synodo supplevit, et eam nunc perfectissimam demonstravit. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt ad Joseph reverendissimum diaconum et loci servatorem Alexandriæ : Habemus, Pater, sermonem ad sanctitatem tuam loquendi. Priusquam huc perveniret sanctitas tua, factæ sunt actiones octo; tam de sanctissimo patriarcha, quam de Photio prævaricatore atque tyranno, seu de impositione manus ejus, et aliis quibusdam capitulis. Audisti ex eis quidquam, quomodo judicata sint, vel qualiter deposita fuerint? Didicisti enim de duobus his necessariis capitulis, de receptione scilicet sanctissimi patriarchæ Ignatii, quomodo stabilitus et confirmatus sit, et de objectione Photii, qualiter dejectus et projectus existat, cum tota promotione, ac manus impositione sua. Joseph reverendissimus archidiaconus et loci servator Alexandriæ dixit : Audivi, et didici cum multo scrutinio et diligentia cuncta quæ acta sunt. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Ergone placent ea quæ judicaverunt sanctissimi vicarii senioris Romæ ac orientalium sedium? Joseph reverendissimus archidiaconus et vicarius Alexandriæ dixit : Complacet mihi in omni ecclesiastica actione et dispositione sanctissimorum loci servatorum senioris Romæ, ac orientalium sedium, et quod sancte ac juste disposuerint : et ecce præ manibus in scriptis sensum meum, et si jubetis legatur coram hac sacra synodo; in residuis vero, prout cognovero per gratiam Christi, quod justum et sanctum fuerit, et dicam et agam. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Ecce audivimus ea quæ dixisti, et placent nobis omnia, et ideo volumus ut in medio istius sanctæ universalis synodi legatur opinio quam habes. Et post hoc surgens Joseph reverendissimus archidiaconus et loci servator Alexandriæ, posuit sensum suum scriptum inter pretiosa ligna, et intemerata Evangelia : sicque demum jussus Thomas reverendissimus diaconus et devotus notarius, in medio synodi stans, legit :

Joseph monachus et archidiaconus ac vicarius Michaelis sanctissimi patriarchæ Alexandriæ hæc dicit ad sanctam et universalem synodum :

Nunc dignum est dicere cum propheta David : *Voluntatem timentium se faciet Dominus, et orationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos* (*Psal.* CXLIV). Nam quia per omnia mansuetissimus et piissimus imperator noster Basilius fundamentum et crepidinem in anima sua timorem Dei posuit, cuncta vero studia sua secundum hunc modum produxit; idcirco oculi Domini consequenter super eum respiciunt, secundum illum qui dixit : *Ecce oculi Domini super timentes eum, et in eos qui sperant in misericordia ejus* (*Psal.* XXXII) : hinc etiam voluntatem suam piissimam et justissimam ad stabilitatem suæ fidei, et catholicæ Ecclesiæ ornamentum dirigere deliberavit, et perfecte in completionem prosperam destinavit : ea enim quæ videbantur hominibus esse impossibilia et facilia hic constituta sunt, Scriptura dicente : *Ex ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*I Tim.* V). Per quatuor testes irreprehensibiles et sine mendacio exhiberi illi Dominus voluit veram instantium negotiorum examinationem; ita ut semper satisfactio perfecta iis qui volunt intelligere præbeatur : quia per Deum et apud Deum prosperatur a Deo redimitus imperator noster : et de Hesperiis quidem partibus vicarios sanctæ Romanorum Ecclesiæ abduxit; de locis autem quæ tenentur a contrariis nationibus, quæ inimico animo Christianæ tribui adversantur, cooperatores et suffragatores veritatis ostendere diebus imperii sui, et coexcitare dignatus est. Almo enim fratre nostro, Thoma scilicet sanctissimo præsule Tyri primæ metropoleos Antiochensium throni, qui etiam ecclesiasticas res ejus, eo quod non sit ibidem patriarcha disponit, huc accedente, una cum Helia sanctissimo presbytero et syncello apostolici Hierosolymorum throni, putavit, ne forte perfecta non esset universalis synodus, quæ hic congregata erat,

Hanc ergo consummare ac opere pleno perfectam exhibere volens Deus, qui super omnia et præ omnibus est perfectus, etiam nos ex meridianis locis attraxit, vicem supplentes apostolici throni magnæ Alexandrinorum Ecclesiæ, qui divina gratia et regia inspiratione piissimi imperatoris huc pervenientes, omnia diligenter investigavimus; ita ut nihil lateat nos eorum quæ gesta sunt a fratribus nostris ante perventionem nostram : insuper et causas quæ prius motæ sunt hic inter sanctissimum patriarcham Ignatium et Photium, qui more latronis et mœchi in thronum insiliit Constantinopoleos; quin etiam et de venerabilium et sanctarum imaginum sensu ac opinione, non perfunctorie neque transitorie has examinantes, sed oppido sufficienter, ut decuit, discurrentes, admirati sumus, certius comperientes de hujusmodi rebus, quam manifesta sit vox Salvatoris, quæ dicit : *Nihil absconditum quod non sciatur, et in manifestationem veniat* (*Luc.* XII). Et rursus : *Spiritus, ubi vult, spirat* (*Joan.* III). Etenim veraciter et inextricabiliter a Deo inspirati, et a divina gratia ejus, isti per Deum in hac collecta synodo sanctissimi vicarii senioris Romæ et Orientalium sedium omnia lege justitiæ et judicio veritatis disposuerunt, nequaquam reverentes quid legitimorum ecclesiasticæ consequentiæ negotiorum loqui, quemadmodum decet sanctos et sacerdotio decoratos, verbum veritatis amplexos. Non enim in vacuum cucurrerunt, neque in vanum laboraverunt, neque prætulerunt quippiam aliud congruentis sibi reverentiæ atque clementiæ, quominus investigatores essent justi Dei judicii. Unde et nos, hoc liquido ac manifeste agnito, consentimus et convenimus in iis quæ ab ipsis judicata et jure deprompta sunt, scientes diligenter conservare sententiam Domini nostri Jesu Christi, quæ dicit : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Neque enim in nomine alterius cujusquam, neque propter aliud quid eorum quæ sunt convenerunt Deo amabilia patriarchia tria, sed propter nomen Domini nostri Jesu Christi, a quo videlicet mercedem et retributionem percipient. *Vivo enim, dicit Dominus, sed glorificantes me, glorificabo. Et qui abjicit me, inhonorabitur* (*Prov.* VIII). Cum quibus efficiamur et nos cooperatores eorumdem laborum, participes a Deo tribuendæ mercedum recompensationis in eodem Deo, qui dat salutem imperatoribus nostris, Basilio, et Constantino, et Leoni, et per eos instaurat regionem et patriam parochiæ nostræ, quæ pridem per desidiam eorum qui prius imperaverunt ablatæ sunt, orationibus et intercessionibus dominæ nostræ Dei genitricis, et omnium sanctorum. Amen.

Et post lectionem sancta universalis synodus dixit : Littera, quæ lecta est, certificavit nos super omnia, quod consonet judicio sanctæ Romanorum Ecclesiæ, ac Orientalium sedium. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Juste abiit vir iste Deo amabilis, pro eo quod secutus sit, et concordaverit actis quæ prius a nobis disposita sunt : et modo habemus omnes eum, veluti si a prima actione usque in hodiernum diem nobis cooperator exstiterit, nobiscumque consonaverit : propter quod et recipimus eum, ut verum et justissimum loci servatorem sedis Alexandrinæ. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt ad sanctissimos loci servatores senioris Romæ, ac Orientalium sedium : Modo itaque hoc capitulum terminum accepit, et non est sermo de hoc alius, sed intuemur eum ut nos ipsos. Terminato ergo hoc capitulo, quid consiliamini, vel quid vultis ut ordinetur hodie? Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Per nuntios quorumdam nobilium virorum, et per quædam diffamata verba cognovimus, quia quidem viri mendaciter locuti et testificati sunt contra Ignatium sanctissimum patriarcham Constantinopoleos, et si sunt aliqui præsentes hic de viris prædictis, jubemus ut introeant ad hanc sanctam synodum, et cognoscamus quid dixerint, et quid testati sint. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Hoc audistis? Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Et audivimus, et scripto vidimus Romæ per librum qui descendit per Rhadoaldum et Zachariam qui missi sunt huc illo tempore episcopi : et postquam ingressi sumus huc, amplius certificati sumus. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt ad sanctissimos vicarios Orientalium sedium : Vos sancti Patres nostri audistis de capitulo hoc, de quo locuti sunt sanctissimi loci servatores senioris Romæ : vultis et ipsi quærere capitulum hoc, an non? Joseph Dei cultor, diaconus et vicarius Alexandriæ, et Thomas Deo amabilis metropolita Tyri, et primas throni Antiochiæ, et Helias honorabilissimus presbyter et syncellus throni Hierosolymorum dixerunt : Radice instantium pravarum rerum, una cum malitia quæ inest illi opportune purgata, congruum est iniquas etiam propagines quæ hic pullularint emundari, et in convenientem bonamque culturam restitui. Cupimus igitur et nos hoc intimari. Et hortatus Stephanus reverendissimus diaconus et notarius a sanctissimo patriarcha Ignatio, stans in medio, ad sanctam synodum dixit : Placet omnibus vobis ut examinetur capitulum hoc? Tota sancta synodus exclamavit : Placet omnibus. Et post hoc per jussionem sanctæ synodi intromissi sunt testes, qui fallaciter juraverunt contra Ignatium patriarcham, coram Rhadoaldo et Zacharia quondam episcopis : et stantibus eis in medio, magnificentissimi et gloriosissimi principes ad sanctissimos loci servatores dixerunt : Quomodo vobis videtur de illis? omnes habetis interrogare communiter, an unumquemque? Sanctissimi vicarii dixerunt : Unusquisque eorum interrogetur. Et ante omnes interrogatus est Theodorus a sanctissimis vicariis senioris Romæ : Qui vocaris? Qui dixit : Theodorus. Sanctissimi vicarii dixerunt : Et quam dignitatem habes? Theodorus dixit : Protospatharius sum in vita imperatorum. Sanctissimi vicarii dixerunt : Voluntarie venisti ad hanc synodum, an vi? Theodorus dixit :

Voluntarie veni. Sanctissimi vicarii dixerunt : Et quare venisti? Theodorus dixit : Propter jusjurandum quod juravimus in sanctis apostolis. Sanctissimi vicarii dixerunt : Et de quo fecisti jusjurandum? Theodorus dixit : De Ignatio patriarcha. Sanctissimi vicarii dixerunt : Sponte jurasti, an violenter? Theodorus dixit : Invitus juravi ; imperator enim dixit mihi : Quia tum obsequium eras illa die quando factus est patriarcha dominus, et electionem illius non vidisti, intra, et jura. Et intravi, et juravi : Non enim vidi electionem ejus. Sanctissimi vicarii dixerunt : Et utique didicisti quia patriarcha erat duodecim annis, et ex illo communicabas? Theodorus protospatharius dixit : Sciebam quidem, sed dixit mihi imperator : Quia metropolita non es, episcopus non es ; et intravi, et juravi. Sanctissimi vicarii dixerunt : Et quomodo jurasti? Theodorus dixit : Juravi quia non vidi ejus electionem. Sanctissimi vicarii dixerunt : Et nosti quia peccatum faciebas in juramento illo? Theodorus dixit : Sciebam, sed non habebam quod facerem. Sanctissimi vicarii dixerunt : Fecisti confessionem, et accepisti pœnas de peccato illo repœnitens? Theodorus dixit : Etiam. Sanctissimi vicarii dixerunt : Cui confessus es, et a quo accepisti epitimium? Theodorus dixit : Qui dedit mihi epitimium defunctus est. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Quis vocabatur? Theodorus dixit : Nescio ; id tantum scio quia chartularius erat, et tonsus est, et fecit in columna quadraginta annos. Sanctissimi vicarii dixerunt : Sacerdos erat? Theodorus dixit : Nescio ; abbas erat, et habebam fidem in hominem, et nuntiavi ei. Sanctissimi vicarii dixerunt : Et custodisti epitimia? Theodorus dixit : Si vult Deus, custodivi ea, quia Christianus sum. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Complesti ea, an non? Theodorus dixit : Ecce homo, compleo illa. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Juste revocatus est in sedem suam dominus Ignatius? Theodorus dixit : Juste ; si enim noluisset Deus ut revocetur, non haberet ei vitam dare. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Ergo recipis sanctam hanc synodum, et omnia quæ judicata sunt ab ea? Theodorus protospatharius dixit : Imperator noster sanctus recipit eam, et omnes Christiani, et ego quomodo non suscipio? etiam, suscipio illam, quia orthodoxus sum. Deinde interrogatus est et Leo consul, qui et factus est scriba, a sanctissimis vicariis : Quomodo ingressus es in hanc sanctam synodum? Leo dixit : Nuntiaverunt nobis, et venimus. Sanctissimi vicarii dixerunt : Propter quam causam? Leo dixit : Dixerunt nobis : Quia venite et accipiatis indulgentiam. Sanctissimi vicarii dixerunt : De quo peccato? Leo dixit : De hoc quod juravi ad sanctos apostolos. Sanctissimi vicarii dixerunt : Quis te duxit illuc? Leo dixit : Imperator illius temporis et Cæsar. Sanctissimi vicarii dixerunt : Per potentiam et vim, an sponte? Leo dixit : Interrogaverunt me, Quia vidisti electionem patriarchæ Ignatii? Et dixi : Non. Sanctissimi vicarii dixerunt : Sponte fecisti juramentum, an violenter? Leo dixit : Hoc interrogaverunt, Quia fortasse non eras tunc in hac urbe, quando electus est patriarcha, et intra, et jura ; et intravi, et juravi. Sanctissimi vicarii dixerunt : Quot anni sunt ex quo consecratus est patriarcha Ignatius? Leo consul dixit : Dico, sunt anni viginti quatuor. Sanctissimi vicarii dixerunt : Antequam juraris, communicabas cum patriarcha Ignatio? Leo dixit : Etiam. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Et quare, frater, novissime factus es contra eum? in hoc apparet quia tu cucurristi ut occideres patrem tuum et pastorem tuum. Scis quia peccatum fecisti, et pœnitentiam egisti, et accepisti epitimia? Leo dixit : Epitimia non accepi. Sanctissimi vicarii dixerunt : Neglexisti accipere epitimia? communicasti post hæc, an non? Leo dixit : Non. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Recipis patriarcham Ignatium modo? Leo dixit : Quidquid recipit mundus et vos, recipio et ego. Sanctissimi vicarii dixerunt : Vis accipere epitimia? Leo dixit : Si mihi dederitis, accipio. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Recipis sanctam hanc synodum? Leo dixit : Recipio eam. Sanctissimi vicarii dixerunt : Anathematizas Photium et omnes quos synodus anathematizavit? Leo dixit : Quis sum ego, ut anathematizem? Anathematismus in causa fidei fit ; at vero Photius orthodoxus est, et utquid anathematizabo eum? Sanctissimi vicarii dixerunt : Opera ejus pejora sunt omni hæresi, quia diaboli operarius est. Leo consul dixit : Cum vos judicetis fieri et excepta hæresi anathematismum, anathematizo et ego cunctos quos anathematizavit sancta hæc et universalis synodus. Et post horum duorum examinationem virorum interrogatus est Eustachius regius spatharius candidatus (spatharo-candidatus), Constantinus regius spatharius, Basilius regius mandator, Photius spatharius et factus chartularius militaris logothesii, Paulus regius scriba, Christophorus regius spatharius, et secundus vulgi Prasinorum, Anastasius dudum diaconus, Marinus [*al.*, Marianus] vestitor et factus epoptes, Constantinus chartularius, Arsabir regius candidatus, et Constantinus regius protospatharius. Et interrogati admodum et discussi omnes, objiciebant violentiam et timorem regium, et privationem pecuniarum, et exsilium, et una voce, quod non sponte ad hujusmodi actum compulsi fuerint, asseveraverunt. Quidam quidem ex eis se fassi sunt statim fuisse confessos, et accepisse convenientia epitimia : quidam vero etiam usque in præsens sine pœnitentia permansisse, qui apta epitimia a sancta et universali synodo susceperunt, quemadmodum posthac manifestabitur, cum videlicet omnes hi susceperint sanctam et universalem synodum, et anathematizaverint omnia quæcunque hæc anathematizavit, et susceperint similiter animo libenti quæcunque suscepit. Bahanes, magnificentissimus patricius et præpositus, dixit, sicut ex persona senatus ad sanctissimos vicarios senioris

Romæ : Omnes viri qui falso juraverunt contra sanctissimum patriarcham, non sunt hic præsentes : quidam enim et mortui sunt, alii propter infirmitatem vel alias causas huic præsentiæ desunt : audistis veritatem. Sanctissimi vicarii dixerunt : Volumus audire et ab absentibus quemadmodum ex præsentibus. Bahanes, magnificentissimus patricius et præpositus, dixit ad sanctam synodum : Quid desiderat sancta hæc synodus? judicentur isti sine illis, an non? Sanctissimi vicarii dixerunt : Exspectemus eos. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Non potest alia synodus fieri causa illorum : verumtamen, licet alii præsto non sint, epitimium audire habent quod habetis dare; et si quidem cucurrerunt ad pedes vestros, et sanctissimi patriarchæ Ignatii, accipient epitimium definitum a sanctitate vestra : si vero non venerint, sed permanserint in malitia sua, crescet epitimium ipsorum, sicut sanctitati vestræ placuerit. Ignatius sanctissimus patriarcha dixit : Impossibile est ut non discutiantur homines illi, et appareant quales et qui sint : multi enim ex eis actuarii, et stabularii, ac equorum medici sunt; propter quod justum est ut veniant in conspectum hujus sanctæ synodi, et arguantur, et confiteantur veritatem, quemadmodum et isti. Magnificentissimi principes dixerunt : Sicuti prædiximus, domine, non potest propter eos qui reperti non sunt alia synodus fieri, sed, si jubeas, coram sanctitate tua et omnium metropolitarum venient. Ignatius sanctissimus patriarcha dixit : Placet. Et post hoc ascendens Stephanus Deo amabilis diaconus et notarius, legit epitimium quod definierunt sanctissimi vicarii, et tota sancta synodus, habens ita :

Considerante pariter hac sancta et universali synodo virorum istorum qui ultro ingressi sunt ad eam, quique contra Ignatium sanctissimum patriarcham mendaciter juraverunt olim sub Michaele imperatore, et Barda domestico, compulsi in ecclesia Sanctorum Apostolorum in conspectu nefandi concilii, definimus et promulgamus eos qui non pœnituerunt, neque annuntiaverunt, neque epitimium acceperunt, sed permanserunt in duritia cordis sui, et non cognoverunt peccatum quod egerunt; non solum contra sanctissimum patriarcham Ignatium, sed et contra sanctissimam Dei Ecclesiam, per septem annos epitimium habere; propter manifestatum peccatum tale, esse illos in duobus annis extra Ecclesiam, et in aliis duobus annis intra Ecclesiam audire divinas Scripturas usque ad catechumenos, non tamen ullo modo communicare, sed abstinere a carnibus et vino quatuor annis præter Dominicos dies, et præter Dominicas festivitates, et in aliis tribus annis stare cum fidelibus, et mereri divinam communionem in solis Dominicis solemnitatibus cum eleemosynis, et orationibus atque jejuniis; ita ut tribus diebus hebdomadis, secunda videlicet, quarta et sexta feria, abstineant a carnibus et vino. Peccamen enim ipsorum non fuit modicum, sed, ut jam dictum est, contra Deum magnum, et primum pastorum principem, et per pontificem qui unctus est ab ipso : et quicunque sunt, qui non venerunt hodie in hanc sanctam et universalem synodum, et se occultant, nolentes annuntiare peccatum quod egerunt, et effugere volunt sententiam epitimii, sint omnino ab Ecclesia segregati, et anathematis ligamento constricti, donec conversi per pœnitentiam salvi fiant : qui vero accipiunt epitimia prius, et custodiunt, post completum epitimium, digni fiant sanctis et divinis mysteriis.

Et post lectionem, magnificentissimi et gloriosissimi principes ad sanctissimos vicarios dixerunt : Justam constat esse damnationem super iis qui perjuraverunt, et fallaciter juraverunt, et recipiunt epitimium quod datum est a sancta synodo : sed petimus, et rogamus vos, ut veniam ostendatis et compassionem in eos; quia multum tempus positum est epitimii, et quia peccatum propter quod peccaverunt in pastorem et pontificem nostrum patratum est; detur et potestas sanctitati ejus, ut quisquis erit ad illum contrito corde, quærens misericordiam, sicut Deus deduxerit eum, epitimium minoret. Etenim imitator est illius qui pro eis qui se crucifixerunt oravit : hoc petimus, hoc rogamus sanctitatem vestram, hoc deprecamur vos. Sanctissimi vicarii dixerunt : Nos non solum propter præsentem rem, vel causam, hanc posuimus definitionem, sed et propter futuram cautelam : verumtamen in pastorem in quem peccaverunt committimus hodiernam dispensationem eorum qui in hac causa præsentes existunt. Et prædixerunt ad sanctissimum patriarcham Ignatium : Sancta quidem synodus consonanter dedit eis epitimium eorum, peccato suo condignum, imo vero multæ compassioni propinquum, verumtamen potestatem habet sanctitas tua secundum contritionem cordis uniuscujusque, et fervorem ac studium, pœnitentiæ allevandæ, vel etiam augendi epitimium quod datum est : quoniam in te peccaverunt, et per te in Deum. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Benedictus Deus qui et in hac parte ostendit vos imitatores pietatis suæ. Honorabilissimi episcopi dixerunt : Placet omnibus judicium istud. Bahanes, magnificentissimus patricius et præpositus ad sanctissimos vicarios, dixit : Capitulum hoc jam finem accepit. Habetis aliud quid ad disponendum, an non? nam hora præteriit : quod si non habetis, dicite. Donatus Deo amicissimus episcopus Ostiæ, et Stephanus Deo amicissimus episcopus Nepæ, et Marinus reverendissimus diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, dixerunt : Habemus et aliud quid ad requirendum hodie. Postquam enim ingressi sumus in hanc a Deo conservandam urbem, auditum est a nobis quia malos homines et contemptores inveniens diabolus organa malitiæ suæ, operatus est novam rem et plenam impietate; ita ut laici homines, et senatores vestirentur superhumeralibus, et facerent, quantum putatur, ea quæ sunt sacerdotum. Magnificentissimi et gloriosissimi prin-

cipes dixerunt : Voluntas vestra fiat; conspicimus enim et nos hoc justum fore. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Ingrediantur tales. Et ingressi sunt, et steterunt in medio, Marinus spatharius candidatus, et Basilius spatharius, et Georgius spatharius, et interrogati sunt a sanctissimis loci servatoribus : Quamobrem introistis in hanc sanctam synodum, et ut quam causam nuntietis? Marinus et ii qui cum ipso erant, dixerunt : Ludum faciebat Michael imperator, mittens nobis pontificalem stolam, verum non solum nobis, sed et aliis pluribus spathariis. Sanctissimi vicarii dixerunt : Veraciter mittebatis sacerdotalem stolam? Marinus et cæteri dixerunt : Veraciter mittebamus eam. Sanctissimi vicarii dixerunt : Et posuerunt super vestra capita sancta Evangelia? Marinus et qui cum ipso erant dixerunt : Veraciter posuerunt ea. Sanctissimi vicarii dixerunt : Et faciebat quis aliquam orationem in vos? Marinus et qui cum ipso erant dixerunt : Etiam. Sanctissimi vicarii dixerunt : Quis? Marinus et reliqui dixerunt : Theophilus protospatharius. Sanctissimi vicarii dixerunt : Vivit, an mortuus est? Marinus et Gregorius dixerunt : Mortuus est, Deo volente. Sanctissimi vicarii dixerunt : Utique vere mortuus est, et abiit in infernum. Vos sciebatis quod malum esset : ut quid hoc fecistis? Marinus et qui cum ipso erant dixerunt : Et quid poteramus adversus imperatorem dicere, feminas et pueros et sæculum habentes? Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Et si obtulisset vobis idolum, adorare illud habuissetis? Marinus et cæteri dixerunt : Absit. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : A cunabulis et ab ætate infantiæ ecquis vos induxit in Ecclesiam Dei? vel quis vos illuminavit; sacerdotes, an sæculares? Marinus et cæteri dixerunt : Sacerdotes. Sanctissimi vicarii dixerunt : Et cur, si sacerdotes induxerunt vos in Ecclesiam et in communionem, vos depravastis divina et terribilia mysteria, illusistis et fecistis ridiculum sacerdotium? Marinus et Basilius et Gregorius responderunt : Diximus, et iterum dicimus : Per diem illam quidquid faciebat imperator, et præcipiebat, nos faciebamus; si enim loqueremur, et resisteremus, moreremur; et tamen quidam ex nostris resistentes cæsi sunt. Sanctissimi vicarii dixerunt : Bonum esset, quoniam inchoastis bonum, etsi cæsi essetis, et permansissetis usque in finem, et servassetis veritatem. Marinus et qui cum eo erant dixerunt : Homines sumus infirmi, et non tolerassemus mortem. Verumtamen epitimium accipimus, confitentes sanctissimo domino Ignatio patriarchæ; et interrogetur. Sanctissimi vicarii dixerunt : Et custoditis epitimia? Marinus et cæteri dixerunt : Etiam, Deus scit quia custodivimus ea. Sanctissimi vicarii dixerunt : Quis vobis dedit ea? Marinus et qui cum ipso erant dixerunt : Patriarchæ diximus, et dixit nobis : Ite singuli, ubi habetis satisfactionem, et accipite. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Quando hanc pompam, et injuriam, et ridiculum faciebatis in sacerdotium, videbat vos Photius? Marinus et qui cum ipso dixerunt : Nescimus si videbat, an si non videbat; testis autem est Deus, quia totus mundus illud sciebat. Sanctissimi vicarii dixerunt : Quot eratis? Marinus et cæteri dixerunt : Multi eramus. Sanctissimi vicarii dixerunt : Vere multi fuistis in inhonorantiam et confusionem unius et solius veri Dei nostri : ideo et vos præsentes, et illi absentes epitimium habetis accipere a sancta hac et universali synodo ad indulgentiam impietatis vestræ. Et post hæc ascendens Thomas reverendissimus subdiaconus et devotus notarius, ut ex persona sanctissimorum vicariorum senioris Romæ legit ita :

In novissimis temporibus nova pravitas, et valde reprehensibilis apparuit adinventio. Homines enim laici ad dedecus et confusionem Christi Dei nostri, et Ecclesiæ ipsius, ac sacerdotalis dignitatis, amicti sacerdotalibus stolis, et episcopalibus superhumeralibus, et accipientes orationem sacerdotalem ab aliquo laico, quasi patriarchalem formam habente, præsumpserunt sacerdotio fungi, et agere putativa, veluti digni summi sacerdotes, divinæ administrationis mysteria in derisionem et vituperationem dati a Deo principibus sacerdotum honoris, et detractionem immaculatæ Christianorum fidei : quos coram sancta synodo introducentes, et discutientes, didicimus perfectius adhuc de eisdem ipsis auditam ab aliis impietatem : et ideo justum duximus et hos aptis et convenientibus epitimiis submittere, ut nequaquam amodo hujusmodi nefas in Ecclesia Dei, et Christianissimo populo, et in plenitudine fiat. Volumus ergo componere capitulum de illicito hoc conamine, quod in alio conventu, Deo favente, legetur.

Et post lectionem hanc ascendens Stephanus Deo amabilis diaconus et notarius, ut ex persona Orientalium sedium, ita legit : Quoniam sub imperiali timore, et periculo consistebant : quod potius ipse imperator faciens apparebat, et subsequenter illos agere cogebat, non autem talem animum vel sensum gerebant, ut persisterent ad capitalem animadversionem suscipiendam, secundum infirmitatem eorum definietur epitimium in alio conventu.

Et post lectionem, magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Ecce capitulum hoc convenientem accipit terminum : quid ergo vult sanctitas vestra? Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt, ac duarum Orientalium sedium : Volumus falsos vicarios, quos Photius adduxit contra beatissimum papam Nicolaum, quasi ab aliis patriarchalibus sedibus, ingredi huc, ut cognoscat Photii versutias et fraudes etiam reverendissimus frater noster et comminister Joseph, vicarius patriarchæ Alexandriæ. Introierunt Leontius, Gregorius, et Sergius. Stantibus autem illis in medio, Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Quis ex vobis est qui a Photio diffamatus est esse vicarius Alexandriæ? Et factus est propius Leontius et dixit : Ego sum. Joseph Deo amicissimus archidiaconus et vicarius Alexandriæ ad Leontium dixit : Unde, et quis es? Leontius dixit :

Græcus fui genere, captivus vero perrexi Alexandriam. Joseph vicarius Alexandriæ dixit : Et a quo emptus es? Leontius dixit : A Michaele patriarcha. Joseph vicarius Alexandriæ dixit : Ubi est episcopium patriarchæ? Leontius dixit : Intus ad ecclesiam sanctæ Dei Genitricis, apud ea quæ sunt Eulogii. Joseph vicarius Alexandriæ dixit : Et quomodo intrasti huc? Leontius dixit : Homo eram captivus, et liberum me fecit, et veni huc propter benedictionem. Joseph reverendissimus archidiaconus et vicarius Alexandriæ dixit : Misit te sanctissimus Michael sicut vicarium? Leontius dixit : Sæpe dixi quia non misit me, sed propter benedictionem ego ipse veni usque huc. Photius autem misit me Romam, ut quidquid dicerent metropolitæ facerem. Deus autem novit quia sicut pecus descendebam, nihil sciens. Sanctissimi vicarii, et tota sancta synodus dixit : Hic peccatum suum confitetur, et non jam egemus testibus. Pluribus ergo interrogatus et discussus, nihil aliud dixit, nisi quæ in octava actione in conspectu sanctæ et universalis synodi. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Nos vero hæc quæ nunc a te dicta sunt et antea multoties audivimus, modo vero ideo intromissus es huc, ut videat te verus vicarius patriarchæ Alexandriæ, quia mendax et seductor eras, sicut etiam tu ipse confessus es. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Quæ sunt duæ personæ illæ quas videmus? Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt : Falsi vicarii. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Nos adhuc non vidimus eos : et veniant ad nos, ut interrogemus illos. Et appropinquantibus, interrogaverunt sanctissimi vicarii : Qui estis? et unde venistis? ut vicarii venistis, an ut litterarum delatores? pro qua occasione venistis? dicite. Georgius dixit : Ut litterarum delator veni tantummodo. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : A quo missus es? Georgius dixit : A Constantino œconomo Antiochensium Ecclesiæ ; ab eo enim missus sum ad Photium et Michaelem imperatorem, causa benedictionis. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Subscripsistis in libro contra sanctissimum papam Nicolaum, qui a Photio factus est? Georgius dixit : Absit. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Et quomodo descendebatis ad urbem Romam? ad quod opus faciendum? Georgius dixit : Credite mihi, quia utquid descendebam illuc nescio. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Quomodo tenetis? Georgius et qui cum ipso dixerunt : Sicut tenet sancta Dei Ecclesia, et Christiani. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Recipitis hanc sanctam synodum? Georgius et qui cum ipso erant dixerunt : Sicut eam recipiunt omnes Christiani, recipimus illam et nos. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Dicite tantum vos, quomodo eam recipitis? Georgius et qui cum ipso erant dixerunt : Diximus quia recipimus eam. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Anathematizatis quos anathematizavit sancta synodus? Georgius et qui cum ipso erant dixerunt : Qui sumus nos ut anathematizemus? Sanctissimi vicarii dixerunt : Et quomodo descendebatis Romam cum libro nefandi concilii? Georgius et qui cum ipso erant dixerunt : Coacti et inviti ; dixit enim nobis Photius : Quia apparuerunt Romæ capitula contra papam Nicolaum, ite, et certificamini si sunt veracia. Nos vero diximus ei : Homines rustici sumus ; si pervenerimus Romam, quam dabimus rationem? Et ille dixit nobis : Quia docent vos episcopi quæ debeatis dicere. Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Vos homines peregrinos et advenas, sicut dicitis, litterarum gerulos, oportebat accipere litteras, et iterum reverti ad propria, verumtamen anathematizatis concilium quod Romam ferebatis? Georgius et qui cum ipso erant dixerunt? Anathema ei qui fecit, et qui consensit, et qui defendit illud! Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Recipitis beatissimum papam Nicolaum, et sanctissimum patriarcham Ignatium? Georgius et qui cum ipso erant dixerunt : Ut recipit eos sancta hæc universalis synodus, recipimus et nos : qui enim sumus nos ut contradicamus tantæ synodo, in qua omnes patriarchæ præsto sunt per loci servatores suos? Donatus Deo amabilis episcopus Ostiæ, et Stephanus Deo amabilis episcopus Nepæ, et Marinus reverendissimus diaconus sanctæ Romanorum Ecclesiæ dixerunt ad Joseph archidiaconum et vicarium throni Alexandrini : Ecce et ipse, charissime frater noster, cognovisti per hæc quæ nunc audisti Photii maligna opera et versutias : et quia dolosus erat et mendax, et veritas non erat in eo. Hos autem homines, cum sint pauperes et peregrini, judicamus venia dignos propter violentiam quam se pertulisse confessi sunt ; sed gloria Christo Deo propter omnia, qui dixit : *Quid occultum, quod non manifestabitur* (*Matth.* x)? Qui etiam sanctam hanc et universalem synodum congregare dignatus est in gloriam benignitatis suæ, et sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ pacificam ordinationem. Helias Dei cultor presbyter et syncellus sedis Hierosolymorum dixit : Magna beneficia consecuti in completione sanctæ hujus et universalis synodi a vero Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, magnas illi quoque gratiarum actiones, et gloriæ laudes referre debemus ; quia dignatus est post tot tempora patriarchalia capita invicem adunare ad gloriam benignitatis suæ, et salutem Ecclesiæ. Et post hoc ascendens Stephanus diaconus et devotus notarius, laudes dixit ita : Multos annos imperatorum Basilii, Constantini et Leonis ! Magnorum principum et imperatorum multos annos ! Eudoxiæ piissimæ imperatricis multos annos ! Nicolai beatissimi papæ Romani æterna memoria ! Adriani sanctissimi papæ Romani multos annos ! Ignatii sanctissimi patriarchæ Constantinopoleos multos annos ! orthodoxorum patriarcharum Orientis multos annos ! sacri senatus multos annos ! sanctæ et universalis synodi æterna memoria !

VERSUS.

Scissionibus mundum replentem,
Duas vero fides impie habentem,
Animas autem duas mortalium dicentem,
Et imperium multipliciter incidentem,
Et patriarcham omnem deponentem,
Alienumque thronum invadentem,
Mœchum rursus omnibus exprimentem,
Ignobilemque populum advocantem,
Subscribere invitos minitantem

A Compatriarchæ mimi existentem,
Pauperum clerum orphanorumque insontes pu-
[nientem,
Fideliumque fidem in maledictionem ponentem,
Et Nicolai fidem projicientem,
Et Sacacium in vicis invenientem,
Hujus vero socios ex semitis congregantem,
Et scandalum omnibus excitantem,
Inimicum Dei dixerimus, impie agentem.

ACTIO DECIMA.

In nomine Domini et dominatoris omnium Jesu Christi veri Dei et Salvatoris nostri, consulatus a Deo coronatorum et tranquillissimorum dominorum nostrorum, Basilii et Constantini anno tertio, Leonis vero anno primo, perpetuorum Augustorum, indictione tertia, pridie Kalendarum Martiarum, feria tertia : propositis pretiosis et vivificis lignis, et intemeratis salutis nostræ Evangeliis, in dextris partibus famosissimi templi sanctæ ac magni nominis Sophiæ : insuperque præsidentibus amicis Christi imperatoribus nostris Basilio et Constantino, et convenientibus Donato Deo amabili episcopo Ostiæ, et Stephano Deo amabili episcopo Nepæ, et Marino, Deo honorabilissimo diacono locum retinentibus sanctissimi papæ Adriani senioris Romæ et Ignatio sanctissimo archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ C Romæ : et sanctissimis loci servatoribus Orientis, videlicet Joseph Deo amabili archidiacono Alexandrinorum magnæ civitatis, locum retinente Michaelis sanctissimi patriarchæ Alexandriæ, et Thoma sanctissimo metropolita Tyri, et loci servatore sedis Antiochiæ, et Helia Dei cultore presbytero et syncello, locum retinente Theodosii patriarchæ Hierosolymorum : præsentibus quoque sacro senatu, scilicet Theodoro magnificentissimo patricio et magistro, Christophoro magnificentissimo patricio et magistro, Bahane magnificentissimo patricio ac præposito, Joanne magnificentissimo patricio et protospathario, Stephano magnificentissimo patricio et sacellario, Marino magnificentissimo patricio et logotheta militari, Hemerio magnificentissimo proconsule ac pa- D tricio, Theophilo magnificentissimo proconsule ac patricio, Michaele magnificentissimo proconsule ac patricio, Leone magnificentissimo proconsule ac patricio, Palatino magnificentissimo patricio et domestico excubitorum, Paulo magnificentissimo patricio et præfecto, Constantino magnificentissimo patricio, Theodoro magnificentissimo patricio, Barbatio magnificentissimo patricio, Manuele magnificentissimo patricio, Michaele magnificentissimo patricio, Theophylacto magnificentissimo patricio, Manuele magnificentissimo patricio, et Fetronate magnificentissimo patricio. Similiter consederunt in dextera B parte gloriosissimi principes et apocrisiarii perspicui Ludovici imperatoris Italorum atque Francorum, videlicet Anastasius Deo amabilis bibliothecarius Romæ, suppoprimus concofanariorum, et consobrinus uxoris ejus, et Eurardus præpositus mensæ ipsius; similiter et gloriosissimi judices Michaelis sublimissimi principis Bulgariæ Stasiszerco borlas nesundicus vagantur il vestrannatabare præstit zisunas campsis, et Alexius Sampsi Hunno : necnon et considentibus Deo amabilissimis metropolitis, id est Basilio Deo amabili archiepiscopo Ephesi, Theodulo Deo amabili metropolita Ancyræ, Barnaba Deo amabili metropolita Cyzici, Nicephoro Deo amabilissimo metropolita Amasiæ, Basilio Deo amabili metropolita Chalcedonis, Nicephoro Deo amabili metropolita Amasiæ, Basilio Deo amabili metropolita Gangrensium, Cypriano Deo amabili metropolita Claudiopoleos, Styliano Deo amabili metropolita Neocæsareæ, Niceta Deo amabili metropolita Athenarum, Theodoro Deo amabili archiepiscopo Thessalonicensium, Theophylacto Deo amabili metropolita Iconii, Nicolao Deo amabili metropolita Synnadorum, Nicolao Deo amabili metropolita Myrorum, Sisinnio Deo amabili metropolita Laodiceæ, Metrophane Deo amabili metropolita Smyrnæ, Euthymio Deo amabili metropolita Catanæ, Michaele Deo amabili metropolita Rhodi, Hilarione Deo amabili metropolita Corinthi, Basilio Deo amabili metropolita Antiochiæ, Ignatio Deo amabili metropolita Hierapoleos, Michaele Deo amabili metropolita Bisiæ, Joanne Deo amabili archiepiscopo Pompeiopoleos, Stephano Deo amabili archiepiscopo Amestriadis, Stephano Deo amabili metropolita Cypsallorum, Photio Deo amabili archiepiscopo Nacoliæ, Joanne Deo amabili archiepiscopo Cii, Jacobo Deo amabili archiepiscopo Methymnæ, Hypatio Deo amabili archiepiscopo Garibelæ, Leone Deo amabili archiepiscopo Neapoleos, Euthymio Deo amabili archiepiscopo Euchaitorum, Basilio Deo amabili archiepiscopo Mistiæ, Theophane Deo amabili metropolita Selgæ, Marciano Deo amabili archiepiscopo Thebarum, Paulo Deo amabili metropolita Apamiæ, Gregorio Deo amabili archiepiscopo Parii, Joanne Deo amabili archiepiscopo Nisæ, Joanne Deo ama-

bili archiepiscopo Polemani, Paulo Deo amabili episcopo Hyberorum, Anthe Deo amabili episcopo Hiunopoleos [*al.*, Himyopoleos], Theodoro Deo amabili episcopo Rurreppi [*al.*, Rurippi], Xenophonte Deo amabili episcopo Mylassi, Basilio Deo amabili episcopo Cratiæ, Arsenio Deo amabili episcopo Aureliopoleos, Gregorio Deo amabili episcopo Iripoleos, Basilio Deo amabili episcopo Adranii, Michaele Deo amabili episcopo Hadramiti, Eustachio Deo amabili episcopo Æmoniæ, Leone Deo amabili episcopo Daphnusiæ, Basilio Deo amabili episcopo Pirgii, Gregorio Deo amabili episcopo Messinæ, Paulo Deo amabili episcopo Baris, Nicephoro Deo amabili metropolita [*al.*, episcopo] Crotonæ, Melesio Deo amabili episcopo Heracliæ, Photio Deo amabili episcopo Ypsi, Stephano Deo amabili episcopo Gordoservorum, Euthymio Deo amabili episcopo Sebastæ, Joanne Deo amicissimo episcopo Tampsii, Nicephoro Deo amabili episcopo Aspinæ, Theognasto Deo amabili episcopo Parnasii, Sisinnio Deo amabili episcopo Berinopoleos, Teophane Deo amabili episcopo Azani, Philito Deo amabili episcopo Tabiæ, Leone Deo amabili episcopo Agrorum, Basilio Deo amabili episcopo Adadorum, Constantino Deo amabili episcopo Tii, Michaele Deo amabili episcopo Cercyrorum, Nicephoro Deo amabili episcopo Zacynthi, Athanasio Deo amabili episcopo Magnesiæ, Ignatio Deo amabili episcopo Simmei, Petro Deo amabili episcopo Troadis, Niceta Deo amabili episcopo Cephaludii, Georgio Deo amabili episcopo Diascilii, Ignatio Deo amicissimo episcopo Dorylæi, Stephano Deo amicissimo episcopo Pirgi, Constantino Deo amicissimo episcopo Augustopoleos; Georgio Deo amabili episcopo Cyriacæ, Nicolao Deo amabili episcopo Docimii, Niceta Deo amabili episcopo Photiæ, Paulo Deo amicissimo episcopo Melæ, Tarasio Deo amabili episcopo Cynii, Germano Deo amabili episcopo Cytri, Theophane Deo amabili episcopo Trallæ, Nicolao Deo amabili episcopo Adramiæ, Constantino Deo amabili episcopo Numericorum, Michaele Deo amabili episcopo Leontopoleos, Joseph Deo amabili episcopo Berræ, Petro Deo amabili episcopo Palæorum, Basilio Deo amabili episcopo Zuruli, Michaele Deo amabili episcopo Metelupoleos, Phoca Deo amabili episcopo Sororum, Constantino Deo amabili episcopo Synai, Ignatio Deo amabili episcopo Basilii, Damiano Deo amabili episcopo Melitopoleos, Theoclito Deo amabili episcopo Lacedæmoniæ, Cosma Deo amicissimo episcopo Adrianopoleos, Constantino Deo amabili episcopo Plusiadis, Macario Deo amabili episcopo Chyzomenæ, Arsapio Deo amabili episcopo Erithreæ, Luca Deo amabili episcopo Magnesiæ, Nicephoro Deo amabili episcopo Neapoleos, Joseph Deo amabili episcopo Aneorum, et Georgio Deo amabili episcopo Turitunii: his ita convenientibus, jussu Basilii et Constantini magnorum et amicorum Christi imperatorum, stans in medio Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus dixit ad santissimos vicarios senioris Romæ, et Orientalium sedium: Quid videtur sanctitati vestræ? quid agemus hodie? Sanctissimi vicarii dixerunt: Præ omnibus necessarium arbitramur, ut primum legantur canones, quos debet hæc sancta synodus firmare: si ergo placet ei, dicat. Sancta synodus exclamavit. Placet. Et ascendens Stephanus Deo amicissimus diaconus, et notarius, legit canones in superiori parte synodi, magna voce, in audientiam omnium. Similiter et Thomas reverendissimus diaconus et notarius, et in inferiori parte synodi easdem regulas legit.

REGULÆ

SANCTÆ AC UNIVERSALIS OCTAVÆ SYNODI QUÆ CONSTANTINOPOLI CELEBRATA EST.

I. ***De custodiendis et conservandis omnino expositis antea et traditis Ecclesiæ canonibus.***

Per æquam et regiam divinæ justitiæ viam inoffense incedere volentes, veluti quasdam lampades semper lucentes et illuminantes gressus nostros, qui secundum Deum sunt, sanctorum Patrum definitiones et sensus retinere debemus. Quapropter et has ut secunda eloquia [a], secundum magnum et sapientissimum Dionysium, arbitrantes et existimantes, etiam de eis cum divino David promptissime canamus: *Mandatum Domini lucidum illuminans oculos* (*Psal.* XVIII); et: *Lucerna pedibus meis lux tua, et lumen semitis meis* (*Psal.* CXVIII): et cum Proverbiatore dicimus: *Mandatum tuum lucidum, et lex tua lux* (*Prov.* VI): et cum magna voce cum Isaia clamamus ad Dominum Deum, quia *Lux præcepta tua sunt super terram* (*Isa.* LX). Luci enim veraciter assimilatæ sunt divinorum canonum hortationes et dehortationes, secundum quod discernitur melius a pejori, et expediens atque proficuum ab eo quod non expedire, sed et obesse dignoscitur. Igitur regulas, quæ sanctæ catholicæ ac apostolicæ Ecclesiæ tam a sanctis famosissimis apostolis, quam ab orthodoxorum universalibus, necnon et localibus conciliis, vel etiam a quolibet deiloquo Patre ac magistro Ecclesiæ traditæ sunt, servare ac custodire profitemur; his et propriam vitam, et mores regentes, et omnem sacerdotii catalogum, sed et omnes qui Christiano censentur vocabulo, pœnis et damnationibus, et e diverso receptionibus, ac justificationibus quæ per illas prolatæ sunt et definitæ, subjici canonice decernentes; tenere quippe traditiones, quas accepimus, sive per sermonem, sive per epistolam sanctorum qui antea fulserunt, Paulus admonet aperte magnus apostolus (*II Thess.* II).

II. ***De conservandis etiam definitionibus synodice a beatissimo papa Nicolao et sanctissimo papa Adriano Romanis patriarchis pro defensione Constantinopolitanorum Ecclesiæ ac restitutione Ignatii sanctissimi patriarchæ, atque neophyti expulsione ac condemnatione Photii expositis.***

Obedite præpositis vestris, et subjacete illis; ipsi enim pervigilant pro animabus vestris tanquam rationem reddituri (*Hebr.* XIII), Paulus magnus apostolus præcipit. Itaque beatissimum papam Nicolaum tanquam organum sancti Spiritus habentes, necnon et sanctissimum Adrianum papam successorem ejus, definimus atque sancimus etiam omnia quæ ab eis synodice per diversa tempora exposita sunt et promulgata, tam pro defensione ac statu Constantinopolitanorum Ecclesiæ, et summi sacerdotis ejus, Ignatii videlicet, sanctissimi patriarchæ, quam etiam pro Photii neophyti et invasoris expulsione

[a] Secunda eloquia Patrum dicit, quia divina prima sunt.

ac condemnatione, servari semper et custodiri cum exposita capitulis immutilata pariter et illæsa, et nullum episcoporum, aut presbyterorum, vel diaconorum, aut quempiam de catalogo clericorum, aut quempiam de catalogo clericorum evertere, vel reprobare aliquid horum audere. Quisquis autem post hanc definitionem nostram comprehensus fuerit spernens quidquam capitulorum et decretorum quæ ab illis exposita sunt, siquidem sacerdos fuerit, aut clericus, a proprio decidat honore simul et ordine : monachus autem, vel laicus, cujuscunque sit dignitatis, segregetur, donec pœnitens profiteatur se conservaturum prædictorum editionem.

III. *Ut honoretur et adoretur imago Domini nostri Jesu Christi, æque ut sanctorum libri Evangeliorum, et figura prætiosæ crucis, similiter et intemeratæ matris ejus et Dei genitricis Mariæ, et omnium sanctorum, necnon cælestium ministrorum.*

Sacram imaginem Domini nostri Jesu Christi et omnium liberatoris et salvatoris æquo honore cum libro sanctorum Evangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per syllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, salutem consequemur omnes, ita per colorum imaginariam operationem, et sapientes et idiotæ cuncti, ex eo quod in promptu est, perfruuntur utilitate ; quæ enim in syllabis sermo, hæc et scriptura [*al.*, pictura], quæ in coloribus est, prædicat, et commendat ; et dignum est, ut secundum congruentiam rationis, et antiquissimam traditionem propter honorem, quia ad principalia ipsa referuntur, etiam derivative iconæ honorentur, et adorentur æque ut sanctorum sacer Evangeliorum liber, atque typus pretiosæ crucis. Si quis ergo non adorat iconam Salvatoris Christi, non videat formam ejus, quando veniet in gloria paterna glorificari et glorificare sanctos suos [a] ; sed alienus sit a communione ipsius et claritate : similiter autem et imaginem intemeratæ matris ejus et Dei genitricis Mariæ ; insuper et iconas sanctorum angelorum depingimus, quemadmodum eos figurat verbis divina Scriptura ; sed et laudabilissimorum apostolorum, prophetarum, martyrum, et sanctorum virorum, simul et omnium sanctorum, et honoramus et adoramus. Et qui sic se non habent, anathema sint a Patre, et Filio, et Spiritu sancto.

IV. *De eo quod neophytus Photius nunquam fuisse videatur episcopus, neque illi qui in quolibet sacerdotali gradu consecrati sunt, putentur tales esse quales eos ille nominavit, neque dimittendi sunt eis honores, qui ab eo collati sunt, sed subvertenda esse omnia quæcunque ille ad dandum aliis gradum sacerdotii operatus est.*

Amorem principatus, utpote quamdam malam radicem exortorum in Ecclesia scandalorum, radicibus excidentes, eum qui temere et prævaricatorie ac irregulariter, veluti quidam gravis lupus, in Christi ovile insiliit, Photium scilicet, qui mille tumultibus et turbationibus orbem terræ replevit, justo decreto damnamus, promulgantes nunquam fuisse prius aut nunc esse episcopum, nec eos qui in aliquo sacerdotali gradu ab eo consecrati vel promoti sunt manere in eo ad quod provecti sunt : insuper et eos qui ab illo consuetas orationes ad præposituræ promotionem susceperunt, ab hujusmodi patrocinio coercemus. Sed et ecclesias quas, ut putatur, tam Photius quam ii qui ab ipso consecrati sunt, dedicaverunt, vel si commotas mensas stabilierunt, rursus dedicari et intronizari atque stabiliri decernimus ; omnibus maxime quæ in ipso, et ab ipso ad sacerdotalis gradus acceptionem vel damnationem acta sunt in irritum deniis. Dicit enim universorum Deus per prophetam : *Quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi ; et oblita es legum Dei tui, et ego obliviscar filiorum tuorum. Si secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi, gloriam ipsorum in inhonorantiam ponam : peccata populi mei comedent, et in injustitiis suis accipient animas suas* (*Ose.* IV). Et iterum dicit : *Quia multiplicavit Ephrem altaria in peccatum, facta sunt ei altaria delicta : scribam in ea multitudinem* (*Ose.* VIII) [b].

V. *Quod non oporteat de senatoria dignitate, vel de aliquo laicorum ordine, nuper tonsum eligi vel suscipi patriarcham, nisi secundum definitionem, quæ prolata est ab hac sancta et magna synodo, inveniatur.*

Omnem canonicam stabilitatem in Ecclesiis semper manere in Christo providere cupientes, renovamus et confirmamus terminos et vacationes [*al.*, variationes], quæ olim a sanctis apostolis et beatis Patribus nostris editæ, legem in Ecclesia posuerunt, non oportere antistitem promovere quemquam, qui est vel secundum fidem, vel secundum sacerdotalem sortem neophytus, *ne inflatus in judicium incidat, et laqueum diaboli*, sicut dicit Apostolus (*I Tim.* III). Prioribus ergo canonibus concordantes, definimus : neminem de senatoria dignitate, vel mundana conversatione nuper tonsum super intentione vel exspectatione pontificatus, vel patriarchatus honoris, clericum, aut monachum factum, ad hujusmodi scandere gradum ; licet per singulos ordines divini sacerdotii plurimum temporis fecisse probetur : neque enim propter religionem vel amorem Dei, aut propter exspectationem transeundi viam virtutum, sed ob amorem gloriæ, ac principatus tonsus hujusmodi reperitur : magis autem coercemus hujusmodi, si ab imperatoria dignitate ad hoc compellatur. Si vero quis per nullam suspicionem prædictæ concupiscentiæ exspectationis, sed propter ipsum bonum humilitatis, quæ est circa Christum Jesum, abrenuntians mundo, fiat clericus, aut monachus, et omnem gradum ecclesiasticum transigens, per definita nunc tempora irreprehensibilis inventus exstiterit, et probatus, ita ut in gradu lectoris annum compleat, in subdiaconi vero duos, sitque diaconus tribus, et presbyter quatuor annis, bene placuit huic sanctæ et universali synodo elegi hunc et admitti. Circa hos autem qui religiose morati sunt ordine clericorum, et monachorum, digni judicati sunt pontificatus dignitate pariter et honore ; prædictum tempus abbreviamus, nimirum secundum quod episcoporum prælati probaverint qui per tempora fuerint. Si vero præter hanc definitionem nostram quisquam ad jam fatum supremum honorem provectus exstiterit, reprobetur, et ab omni sacerdotali operatione prorsus abjiciatur, utpote qui extra sacros canones sit promotus.

VI. *De prolato anathemate contra Photium, etiam propter falsorum vicariorum contra beatissimum papam Nicolaum inventionem, et contra eum ficte ac falso scriptorum libellorum, et quod oporteat omnes qui simile quid egerint abjicere et anathematizare.*

Quoniam quidem apparuit Photius post prolatam contra se justissimam sententiam, et damnationem a sanctissimo papa Nicolao propter nequissimam invasionem Constantinopolitanorum Ecclesiæ cum aliis malis operibus suis, etiam quosdam nequam et adulatores de plateis et vicis invenisse, et vicarios hos sanctissimarum trium patriarchalium sedium Orientis nominasse ac proposuisse, atque cum his ecclesiam malignantium, et concilium vanitatis colligens,

[a] Hoc dictum cum Apostolo compara, qui ad Thessalonicenses scribit : *Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in sanctis suis.*

[b] Multitudinem vilitatem dicit, sæpe namque multitudo pro vilitate ponitur.

depositorias accusationes et crimina contra beatissimum papam Nicolaum commovisse; et anathema procaciter et audacter contra eum, et cunctos communicantes ei, sæpe promulgasse, quorum quasi monumentorum libros nos quoque vidimus, ab ipso maligno opere ac fallaci dictatione consutos, qui etiam synodice ab igne consumpti sunt : hujus rei gratia pro cautela ecclesiastici ordinis anathematizamus quidem primitus prædictum Photium etiam propter hujuscemodi causam : deinde vero et omnem qui amodo in calliditate fraudulenter egerit, et verbum veritatis adulteraverit, et falsos vicarios simulaverit, vel libros dictatus mendacis finxerit, et ad propriorum favorem votorum commentatus fuerit, quemadmodum et fortissimus pietatis athleta Martinus, sanctissimus papa Romanus, tales synodice pepulit.

VII. *Quod non oporteat anathematizatos a sancta et universali synodo honorandas et sanctas imagines pingere, vel docere disciplinas divinæ ac humanæ sapientiæ.*

Quod justum est, et juste exsequendum, deiloquus Moyses evidenter lege promulgat (*Deut.* xvi). Cum bonum non sit bonum, nisi secundum rationem efficiatur; bonum ergo profecto et valde proficuum est, sanctas et venerabiles iconas pingere, sed et proximos disciplinas divinæ ac humanæ sapientiæ docere : non autem bonum est, nec omnino proficuum, ab indignis horum aliquid fieri. Hujus rei gratia nequaquam iconas operari in sacris templis, sed neque in quovis loco docere anathematizatos ab hac sancta et universali synodo definimus et promulgamus, usquequo a propria seductione ac malitia convertantur. Quisquis ergo post hanc definitionem nostram ad picturæ sanctarum imaginum in ecclesiis aut doctrinæ actionem quoquo modo eos admiserit, si quidem clericus fuerit, proprio gradu periclitetur, si vero laicus, separetur, et divinorum mysteriorum communione privetur.

VIII. *Quod non oporteat quemcunque patriarcham sanctæ et Constantinopolitanorum Ecclesiæ exigere chirographa a sacerdotali catalogo ad propriam quasi stabilitatem atque securitatem.*

Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt; omnia mihi licent, sed non omnia ædificant, dicit alicubi Paulus magnus apostolus (*I Cor.* vi). Igitur quoniam omnia ad utilitatem et perfectionem sanctæ Dei Ecclesiæ, et nihil omnino per contentionem vel inanem gloriam facere debemus; et quoniam auditibus nostris fama sonuit, quod non solum hæretici, et ii qui sanctæ Constantinopolitanorum Ecclesiæ sacerdotium sortiti, sed et orthodoxi ac legitimi patriarchæ a sacerdotali catalogo propriæ manus scripta facere ad propriam tutelam, favoremque suum, et quasi stabilitatem exigant et compellant; visum est sanctæ huic et universali synodo, nequaquam id ex hoc a quopiam fieri, excepto eo quod secundum formam et consuetudinem pro sincera fide nostra tempore consecrationis episcoporum exigitur; quod enim aliter fit, omnino non expedit, sed neque ad ædificationem Ecclesiæ pertinet. Quisquis ergo ausus fuerit solvere hanc definitionem nostram, aut expetierit, aut paruerit expetentibus, honore proprio decidat.

IX. *De subvertendo et solvendo vinculo proprii scripti, quod Photio excogitatum et exactum est ab omnibus volentibus exteriorem discere sapientiam.*

Variam et diversam malitiam antiquitus in Ecclesia Constantinopolitana infelix operatus est Photius. Didicimus enim quod et multo ante tyrannicum præsidiatum propriæ manus subscriptionibus muniebat adhærentes sibi clientes, ad discendam sapientiam, quæ a Deo stulta facta est, cum manifeste nova esset inventio, et sanctis Patribus nostris et magistris Ecclesiæ penitus aliena. Igitur quoniam omnem colligationem iniquitatis solvere, et chirographa violentorum contractuum dirumpere præcipimus, definivit sancta et universalis synodus, neminem ex his omnibus a nunc tale tenere vel servare chirographum, sed absque quolibet offendiculo indubitanter et intrepide tam docere, quam discere omnes, qui ad utrumque consistunt idonei, præter eos qui erroris inveniuntur et hæreticæ impietatis servituti redacti; hujusmodi enim certissime et docere et discernere interdicimus. Si quis autem deprehensus fuerit hanc definitionem nostram spernens atque prævaricans, si quidem clericus est, a proprio gradu decidat; laicus vero sequestretur, utpote qui non credit Dominico verbo perhibenti : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* xvi).

X. *Ut ante distinctam examinationem, et synodicam judicationem nullus clericus a proprio episcopo, aut episcopus a proprio metropolita, vel a proprio patriarcha se ullo modo segreget.*

Divina manifesto clamante Scriptura : *Ante examinationem ne vituperes : et intellige primum, et tunc increpa* (*Eccli.* xi); et nunquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab eo, et cognoverit quid faciat? juste et congruenter et hæc sancta et universalis synodus definit et statuit, quod nullus laicorum, vel monachorum, aut aliquis ex catalogo clericorum, ante diligentem examinationem et synodicam sententiam a communione se separet proprii patriarchæ, licet criminalem quamlibet causam ejus se nosse prætendat, sed neque recuset nomen ipsius referre inter divina mysteria, vel officia. Similiter autem episcopos et presbyteros, qui in exterioribus civitatibus et regionibus sunt, erga proprios metropolitas affectare mandamus : quod etiam circa patriarcham suum facere metropolitas oportet. Si vero quis adversus hanc sanctam synodum deprehensus fuerit agere, si quidem episcopus aut clericus est, ab omni sacerdotali operatione decidat et honore; monachus autem aut laicus segregetur ab omni ecclesiastica communione atque collegio, quousque conversus per pœnitentiam recipiatur.

XI. *Quod oportet anathematizare omnem qui impie ac læsis sensibus habere hominem duas animas opinatur.*

Veteri et Novo Testamento unam animam rationabilem et intellectualem habere hominem docente, et omnibus deiloquis Patribus et magistris Ecclesiæ eamdem opinionem asseverantibus, in tantum impietatis quidam, malorum inventionibus dantes operam, devenerunt, ut duas eum habere animas impudente dogmatizare, et quibusdam irrationabilibus conatibus per sapientiam, quæ stulta facta est (*I Cor.* i), propriam hæresim confirmare pertentent. Itaque sancta hæc et universalis synodus, veluti quoddam pessimum zizanium, nunc germinantem nequam opinionem, evellere festinans : imo vero ventilabrum in manu veritatis portans, et igni inexstinguibili transmittere omnem paleam, et aream Christi mundam exhibere volens, talis impietatis inventores et patratores, et his similia sentientes, magna voce anathematizat, et definit, atque promulgat, neminem prorsus habere, vel servare quoquo modo statuta hujus impietatis auctorum. Si autem quis contraria gerere præsumpserit huic sanctæ et magnæ synodo, anathema sit, et a fide atque cultura Christianorum alienus.

XII. *De non recipiendis ullo modo electionibus episcoporum per principale suffragium et potentiam factis.*

Apostolicis et synodicis canonibus, promotiones

et consecrationes episcoporum et potentia [*al.*, potentata] et præceptione principum factas penitus interdicentibus, concordantes definimus, et sententiam nos quoque proferimus, ut si quis episcopus per versutiam vel tyrannidem principum hujusmodi dignitatis consecrationem susceperit, deponatur omnimodis, utpote qui non ex voluntate Dei, et ritu ac decreto ecclesiastico, sed ex voluntate carnalis sensus ex hominibus et per homines Dei domum [*al.*, donum] possidere voluit, vel consensit.

XIII. *Quod oporteat in magna ecclesia, in minori gradu constitutos ad majores honores opportune contendere; sed non eos qui foris sunt inter illos admitti, sed nec eos in eadem ecclesia connumerari, aut constitui, qui procurant, seu tuentur proastia, vel sæcularium domos.*

Quoniam quidem dicit alicubi divinum eloquium : *Dignus est operarius mercede sua* (*Luc.* XI), hujus rei gratia et nos decernimus, et promulgamus, ut magnæ ecclesiæ clerici, qui in subjectis ordinibus morati sunt, ad majores gradus ascendant, et si digni claruerint, melioribus perfrui mereantur honoribus; cum aliqui eorum, qui in ipsis sunt, aut per incrementum ad superiora ministeria advocati fuerint, aut per communem naturæ terminum dormientes defuerint; sed non ex illis, qui foris sunt, aliqui se his innectentes, debitas eis, qui multo tempore laboraverunt, dignitates vel honores recipiant; ac per hoc inveniantur ecclesiæ clerici nullo modo proficere. Nullatenus autem habeant potestatem, qui principum domorum, seu suburbanarum rerum curam gesserint, inter clerum magnæ ecclesiæ colligi, vel constitui : [a] *Nemo quippe Deo militans sæculi negotiis implicatur* (*II Tim.* II). Si vero quis præter definitionem quam nunc protulimus promotus fuerit in quocunque magnæ ecclesiæ gradu, reprobetur omnimodis ab omni ecclesiastico gradu, tanquam qui contra magnam synodum provectus exstiterit.

XIV. *Quod oporteat eos, qui per divinam gratiam ad episcopale officium convocantur, omnem reverentiam et honorem mereri ab iis qui per tempora aut strategatus ministerium sortiuntur, aut aliter principari videntur.*

Eos qui a divina gratia ad episcopale advocantur officium, tanquam imaginem et figuram ferentes sanctorum cœlestium hierarcharum, id est angelorum, secundum hierarchicum plane gradum et morem, omni honore dignos ab omnibus principibus et subditis sancimus haberi. Et nequaquam strategis, vel quibuslibet aliis principibus obvios procul ab ecclesiis suis occurrere, sed neque semet a multo spatio de equis vel mulis ejicere, aut cum timore ac tremore procidere ac adorare; sed nec cum sæcularibus principibus ad mensam intrare hora prandii, eosdem quos illi honores strategis exhibentes, sed secundum congruentiam spiritalis dignitatis, ac honoris sui, reddere quidem omnibus debita, cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem : præferri autem et multam a principibus amicorum Christi imperatorum venerationem, et reverentiam promereri consessores eorum, et honoris similis existentes; ita ut fiduciam habeant episcopi arguere strategos multoties, et alios principes, atque omnem sæculi dignitatem, cum injustum et irrationabile agere quid illos invenerint, et per hoc corrigere et reddere meliores. Si vero aliquis episcopus, post definitionem sanctam synodi, debitum et canonice collatum sibi contempserit honorem, et quid secundum veterem et inhumanam ac inordinatam consuetudinem, præter quæ nunc definita sunt, fieri permiserit, sequestretur anno uno, et princeps ille duobus annis non mereatur percipere mysteriorum nec sanctificationum communionem.

XV. *Quod non oporteat alienare cimelia, vel per emphyteusim salaria ecclesiarum tribuere.*

Apostolicos et paternos canones renovans sancta hæc universalis synodus, definivit neminem prorsus episcopum vendere vel utcunque alienare cimelia et vasa sacrata, excepta causa olim ab antiquis canonibus ordinata, videlicet quæ accipiuntur in redemptionem captivorum; sed nec tradere salaria ecclesiarum in emphyteutica pacta, nec alias rusticas possessiones venundare, ac per hoc ecclesiasticos redditus lædere, quos ad propriam utilitatem, et ob escam pauperum et peregrinorum sustentationem esse decernimus : omnem vero ecclesiasticarum rerum potestatem habentem et has meliorare, ac dilatare prout oportuerit ecclesiastica loca, per quæ redditus fiunt; et insuper propriarum rerum dispositionem distribuere, ac committere seu conferre quibuscunque voluerit et judicaverit juxta propriam potestatem ac dominatum. Quisquis autem apparuerit post hanc definitionem nostram contrarium quid huic sanctæ et universali synodo agere, deponatur ut prævaricator divinarum legum et præceptorum, cassata videlicet omnino quæ facta est in scriptis vel sine scriptis ab episcopo venditione, vel emphyteutica traditione, vel alia quavis alienatione, cimeliorum scilicet et salariorum locorum. Qui vero emerit aut perceperit aliquid ex prædictis cimeliis vel salariis, et non restituerit ecclesiæ, iterum, quæ ecclesiæ sunt vel non reddiderit ad incidendam chartam venditionis vel emphyteuseos, sit anathema usquedum fecerit quod ab hac sancta et universali synodo confirmatum est. Si autem episcopus convictus fuerit construxisse monasterium de redditibus ecclesiasticis, tradat ipsum eidem ecclesiæ monasterium; si vero de propriis rebus, aut de aliis quibusdam conventionibus, habeat id secundum propriam potestatem et voluntatem omni vita sua; et post finem vitæ dimittat et conferat hoc quibuscunque voluerit, non tamen sæculare diversorium fiat.

XVI. *De non utendis penitus adinventionibus ad exhonorantiam sancti sacerdotii. Imperator vero vel princeps, si talia fecerit, redarguatur, et separetur : si autem non pœnituerit, etiam anathematizetur.*

Magnis nlulatibus et multis lacrymis dignum opus a multis fidelibus ad nostros pervenit auditus : aiunt enim fuisse quosdam laicos sub eo qui nuper imperavit in ordine senatorio, qui secundum diversam imperatoriam dignitatem videbantur capillorum comam circumplexam involvere atque reponere [b], et gradum quasi sacerdotalem per quædam inducia et vestimenta sacerdotalia sumere, et, ut putabatur, episcopos constituere, superhumeralibus, id est palliis, circumamictos, et omnem aliam pontificalem indutos stolam; qui etiam proprium patriarcham ascribentes eum qui in adinventionibus risum moventibus prælatus et princeps erat, et insultabant, et illudebant quibusque divinis, modo quidem electiones, promotiones et consecrationes, modo autem acute calumnias, damnationes et depositiones episcoporum quasi ab invicem, et per invicem miserabiliter et prævaricatorie agentes et patientes. Talis autem actio nec apud gentes a sæculo unquam audita est, ita ut pejores et miserabiliores infidelibus nationibus

[a] Ita in exemplaribus Græcis invenitur : Et revera nemo militans Deo apud illos impune cæteris mundi negotiis implicatur.

[b] Ita namque a cervice usque ad capita contorquebant, ut clericali more in rotundum tonsi viderentur.

exhibeat et demonstret hos quos nunc manifestos effecimus : qua de re sancta et universalis synodus definivit et promulgavit, illos quidem malitiæ nixus omnino ut scelestos abominari, neminem autem fidelium qui Christiana censentur appellatione deinceps conari tale quid faciendi, vel admittendi aut silentio tegendi quemquam eorum qui hujusmodi operantur impietatem. Si vero quispiam imperator, vel potentum, aut magnatum, taliter illudere divinis, et talem ac tantam injuriam impie in divinum sacerdotium facere vel admittere tentaverit, primo quidem arguatur a patriarcha illius temporis, et episcopis qui cum ipso fuerint, et segregetur, et indignus divinis mysteriis judicetur ; deinde vero accipiat quosdam alios in duram observantiam labores, et pœnas quæ visæ fuerint : et nisi celeriter se pœniteat, etiam anathema sit ab hac sancta et universali synodo, tanquam qui sinceræ et immaculatæ fidei mysterium dehonestaverit. Si vero, præsumentibus quibusdam hujusmodi nefas operari, patriarcha Constantinopolitanus, et suffraganei ejus episcopi, quod factum fuerit cognoscentes, neglexerint debitum adversus eos ostendere zelum, deponantur et a proprio sacerdotio ac honore pellantur : qui autem quoquo modo hujusmodi ministraverunt vel ministraturi sunt impiissimæ actioni, et minime confessi acceperint conveniens epitimium [a] definivimus per triennium sequestratos esse, anno quidem uno extra ecclesiam flentes, alio vero anno intra ecclesiam stare usque ad catechumenos ; porro tertio, consistere cum fidelibus et ita dignos fieri mysteriorum sanctificationibus.

XVII. *De potestate patriarcharum, et metropolitanorum ad eos adventu.*

Sancta et universalis Nicæna prima synodus antiquam consuetudinem jubet servari per Ægyptum, et provincias quæ sub ipsa sunt, ita ut horum omnium Alexandrinus episcopus habeat potestatem, dicens : Quia et in Romanorum civitate hujusmodi mos prævaluit : qua pro causa et hæc magna et sancta synodus tam in seniori et nova Roma, quam in sede Antiochiæ ac Hierosolymorum, priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari, ita ut earum præsules universorum metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, et sive per manus impositionem, sive per pallii dationem, episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet ad convocandum eos, urgente necessitate, ad synodalem conventum, vel etiam ad coercendum illos et corrigendum, cum fama eos super quibusdam delictis forsitan accusaverit. Sed quoniam sunt quidam metropolitanorum, qui ne secundum vocationem apostolici præsulis occurrant a mundi principibus se detineri sine ratione causantur, placuit talem excusationem omnimodis esse invalidam. Cum enim princeps pro suis causis conventus frequenter agat, impium est ut summos præsules ad synodos pro ecclesiasticis negotiis celebrandum impediant, vel quosdam a conciliis eorum prohibeant, licet tale impedimentum, et fictam prohibitionem metropolitanorum suggestione diversis modis fieri didicerimus. Consueverunt autem metropolitani bis in anno synodos facere, ideoque, sicut dicunt, ad patriarchale penitus non posse concurrere caput. Sed sancta hæc et universalis synodus, nec concilia quæ a metropolitanis fiunt interdicens, multo magis illa novit rationabiliora esse ac utiliora metropolitanorum conciliis quæ a patriarchali sede congregantur ; et idcirco hæc fieri exigit : a metropolita quippe unius quidem provinciæ dispositio efficitur, a patriarcha vero sæpe totius causa diœceseos dispensatur. Ac per hoc communis utilitas providetur, propter quod et speciale lucrum propter generale bonum postponi convenit, cum a majoribus super hæc facta fuerit advocatio : quamvis apud quosdam metropolitanorum antiqua consuetudo, et canonica traditio per contemptum ipsorum postposita videantur, non currentibus eis ad communem profectum, quos leges Ecclesiæ severe condemnantes, omni excusatione remota, subjacere vocationibus proprii patriarchæ, sive cum communiter, sive cum sigillatim factæ fuerint, exigunt. Illud autem tanquam perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quod a quibusdam imperitis dicitur, non posse synodum absque principali præsentia celebrari : cum nusquam sacri canones convenire sæculares principes in conciliis sanxerint, sed solos antistites. Unde nec interfuisse illos synodis, exceptis conciliis universalibus, invenimus : neque enim fas est sæculares principes spectatores fieri rerum quæ sacerdotibus Dei nonnumquam eveniunt. Quisquis ergo metropolitanorum proprium patriarcham contempserit, et vocationem ejus, quæ sive ad unum solum, sive ad plures, sive ad omnes sit absque validissima ægrotatione, vel paganorum incursu, non obedierit, et per totos duos menses post notitiam vocationis, ad proprium venire patriarcham minime festinaverit, vel si quocunque modo latitare, aut non cognoscere nuntium ab illo missum tentaverit, segregetur : si vero intra unum annum eamdem contumaciam et inobedientiam demonstraverit, deponatur omnibus modis, et ab omni sacerdotali operatione decidat, atque a dignitate et honore, qui metropolitanis convenit, propellatur. Is autem, qui huic definitioni non obedierit, etiam et anathema sit.

XVIII. *Quod non oporteat ecclesiarum res ac privilegia violare seu decidere.*

Placuit huic sanctæ et magnæ synodo, ut res vel privilegia, quæ Dei ecclesiis ex longa consuetudine pertinent, et sive a divæ recordationis imperatoribus, sive ab aliis Dei cultoribus in scriptis vel sine scriptis donata, et ab eis per annos triginta possessa sunt, nequaquam a potestate præsulis earum quæcunque persona sæcularis per potestatem subtrahat, aut per argumenta quælibet auferat, sed sint omnia in potestate ac usu præsulis ecclesiæ, quæcunque intra triginta spatium annorum ab ecclesiis possessa fuisse noscuntur. Quisquis ergo sæcularium contra præsentem definitionem egerit, tanquam sacrilegus judicetur, et donec se correxerit, et ecclesiæ propria privilegia, seu res restituerit, et reservaverit, anathema sit.

XIX. *Quod non oporteat archiepiscopos aut metropolitas sub obtentu quasi visitationis profectioni ad alias ecclesias, et subjectos sibi episcopos per avaritiam damnis afficere vel gravare.*

Avaritiam utpote secundam idololatriam Paulus magnus exsecratur apostolus, cunctos videlicet qui Christiano vocabulo censentur ab omni turpi lucro abstinere volens ; multo magis ergo iis qui sacerdotio funguntur nefas est coepiscopos et suffraganeos suos per quemcunque modum gravare. Hujus rei gratia definivit sancta hæc et universalis synodus, nullum archiepiscoporum, aut metropolitanorum, relinquere propriam ecclesiam, et sub occasione quasi visitationis ad alias accedere, et potestate propria in inferiores abuti, et consumere reditus qui apud illos inveniuntur ad ecclesiasticam dispositionem, et alimenta pauperum, ac per hoc aggravare avaritiæ modo conscientias fratrum et comministrorum nostrorum ; excepta hospitalitate, quæ aliquando ex necessario transitu fortassis accesserit ; sed et tunc non alia, nisi ex iis quæ ad præsens de compendio præparata inveniuntur, cum reverentia et cum timore Dei dignantur accipiat, et maturius propositum iter perambulet, nihil omnino eorum quæ sunt ecclesiæ illius vel suffraganei episcopi pe-

[a] Increpationem, vel inductam pœnam pro culpis.

tens et exigens; si enim unumquemque episcoporum ecclesiæ propriæ rebus cum multa parcitate uti, et nullatenus in proprias utilitates importune ac sine ratione dispendere vel consumere redditus ecclesiasticos sacri canones decernunt; qua, putas, impietate judicabitur dignus, qui aliis episcopis commissas ecclesias gravare vel ambire, et per hoc sacrilegii crimen incidere non formidat? Quisquis ergo post hanc definitionem nostram tale quid facere tentaverit, pœnam subeat a patriarcha qui per tempus fuerit, secundum congruentiam injustitiæ ac avaritiæ suæ, et deponatur et sequestretur ut sacrilegus, et aliter ut idololatra factus, juxta magnum Apostolum.

XX. *Quod non oporteat quemquam episcoporum apud se vel per se collata loca recipere sine illius judicio qui urbi aut regioni illi præesse dignoscitur.*

Et hoc sancta nunc synodus didicit, quod in quibusdam locis quidam propria usi auctoritate, ac sine volontate illorum quibus hujusmodi dispositiones commissæ sunt, audacter et tyrannice pellunt eos qui per emphyteusim perceperint aliquid ex iis locis quæ possederunt, occasione quasi ruptæ fidei circa pensionis pactum. Non autem licet omnimodis hoc fieri, nisi prius accipiat protestationem per quosdam idoneos et fideles homines is qui emphyteusim contraxit : quod nisi dederit, usque ad tres annos destinatum tributum census, propellatur a locis a se detentis. Oportet enim post trium annorum census retentionem accedere ad præpositos urbis vel regionis illius, et arguere in conspectu eorum eum qui emphyteusim consecutus est, et exhibere contemptum ejus, et tunc sententia et judicio prædictorum recipiat ecclesia propria in possessionem. Sed nequaquam quisquam apud se vel per se faciat prædictorum ablationem locorum ; suspectivum quippe tale, quin et multi turpis lucri et avaritiæ consistit indicium. Si quis ergo episcopus aut metropolita præter hanc definitionem nostram abstulerit aliquem locum a quoquam, putans quod ecclesiam propriam defendat, sequestretur a proprio patriarcha per aliquod tempus, dans primo quod per potestatem suam abstulit vel subripuit. Si vero contentiosus quis perstiterit, non obediens his quæ sanctæ ac universali synodo visa sunt, deponatur omnimodis.

XXI. *Quod non oporteat papam Romanum, vel quempiam aliorum patriarcharum, a quolibet inhonorari.*

Dominicum sermonem, quem Christus sanctis apostolis et discipulis suis dixit, quia : *Qui vos recipit, me recipit ; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x), ad omnes etiam qui post eos secundum ipsos facti sunt summi pontifices et pastorum principes in Ecclesia catholica dictum esse credentes, definimus, neminem prorsus mundi potentum, quemquam eorum qui patriarchalibus sedibus præsunt inhonorare, aut movere a proprio throno tentare, sed omni reverentia et honore dignos judicare ; præcipue quidem sanctissimum papam senioris Romæ, deinceps autem Constantinopoleos patriarcham, deinde vero Alexandriæ, ac Antiochiæ, atque Hierosolymorum ; sed nec alium quemcunque conscriptiones contra sanctissimum papam senioris Romæ, ac verba complicare, et componere, sub occasione quasi diffamatorum quorumdam criminum ; quod et nuper Photius fecit, et multo ante Dioscorus. Quisquis autem tanta jactantia et audacia usus fuerit, ut secundum Photium, vel Dioscorum, in scriptis, vel sine scriptis injurias quasdam contra sedem Petri apostolorum principis moveat, æqualem et eamdem quam illi condemnationem recipiat. Si vero quis aliqua sæculi potestate fruens vel potens pellere tentaverit præfatum apostolicæ cathedræ papam, aut aliorum patriarcharum quemquam, anathema sit. Porro si synodus univer alis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas et controversia, oportet venerabiliter, et cum convenienti reverentia de proposita quæstione scisitari, et solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ pontifices.

XXII. *De summorum sacerdotum electione atque decreto.*

Promotiones atque consecrationes episcoporum, concordans prioribus conciliis, electione ac decreto episcoporum collegii fieri sancta hæc et universalis synodus definit et statuit; atque jure promulgat, neminem laicorum principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni patriarchæ, vel metropolitæ, aut cujuslibet episcopi, ne videlicet inordinata hinc et incongrua fiat confusio, vel contentio, præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum vel cæterorum laicorum habere conveniat, sed potius silere, ac attendere sibi, usquequo regulariter a collegio ecclesiæ suscipiat finem electio futuri pontificis : si vero quis laicorum ad concertandum et cooperandum ab Ecclesia invitatur, licet hujusmodi cum reverentia, si forte voluerit, obtemperare se asciscentibus; taliter enim sibi dignum pastorem regulariter ad Ecclesiæ suæ salutem promoveat. Quisquis autem sæcularium principum et potentum, vel alterius dignitatis laicus, adversus communem ac consonantem atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat et consentiat in hoc quod Ecclesia de electione ac ordinatione proprii præsulis se velle monstraverit.

XXIII. *Quod non oporteat quemquam episcoporum alienarum locare possessiones ecclesiarum, sed nec clericum quemlibet in aliena ecclesia sacra celebrare mysteria.*

Venit et hoc nunc ad aures nostras, quod quidam episcoporum a quibusdam rogati, possessiones, quæ ad alias ecclesias pertinent, irrationabiliter conferant; et per hoc, quantum possunt, ad propriam voluntatem in aliorum potestatem episcoporum usurpent. Hoc autem et propheticam illis manifeste maledictionem acquiret, quæ dixit : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum ad agrum, ut proximo auferatis aliquid* (*Isa.* v); et criminis eos sacrilegii reos constituit. Hujus rei gratia placuit magnæ huic et universali synodo, quod nullus fratrum et coepiscoporum nostrorum, vel quisquam, talem sibi facere nequissimam locationem roget, vel ab aliquo ipse rogatus quamlibet alienarum et extranearum conferat ecclesiarum possessionem, nec etiam constituat presbyteros aut quemlibet alium clericum in ecclesiis quæ sibi subjectæ non sunt, præter voluntatem episcopi cui ecclesia illa commissa est; sed neque quisquam presbyterorum vel diaconorum, qui sacris officiis dediti sunt, ultro ac per se ecclesias ingrediens, sacrum aliquid operetur, in quibus ab initio sortem minime consecutus est ; illicitum enim est hoc et omnimodis a canonicis præceptionibus alienum. Quisquis ergo post hanc definitionem nostram visus fuerit faciens aliquid horum quæ nunc interdicta sunt, separetur aliquo indicto tempore, discisso videlicet et dirupto modis omnibus locatorio pacto, quod sive scripto, sive sine scripto præter canonem factum est. Similiter et presbyter ille vel diaconus segregatus sit, donec ab aliena recedat ecclesia. Quod si et segregationem contempserit, omnimodis deponatur, et ab omni honore sacrato dejiciatur.

XXIV. *Quod non oporteat metropolitas suffraganeis suis episcopis ecclesiastica suæ metropoleos committere ministeria.*

Divina Scriptura dicente : *Maledictus omnis homo*

qui facit opus Domini negligenter (*Jer.* XLVIII), quidam metropolitanorum in extremam negligentiam et desidiam delapsi, præceptionibus suis subjectos ad se adducunt episcopos, et committunt eis ecclesiæ propriæ divina officia, et litanias, et cuncta omnino sacra quæ ad se pertinent ministeria; ita ut per illos celebrent omnia quæ per semet alacriter agere debuerint, ac per id eos, qui episcopalem dignitatem meruerunt; quodammodo clericos sibi subjectos exhibeant. Vacant autem iidem præter ecclesiasticas leges sæcularibus curis atque dispositionibus, dimittentes perseverare in orationibus et obsecrationibus pro suis delictis ac populi ignorantiis; quod nusquam apud aliquos penitus invenitur, cum sit canonicis nimirum contrarium omnino præceptis : et, quod sævius est, quia suis stipendiis per distinctas mensium vices præcipi dicuntur prædicta perficere ministeria; quod ab apostolico munimine modis omnibus ostenditur alienum. Hæc autem omnia magnis et multis ac vehementissimis damnationibus dignos hujusmodi statuunt; probantur enim tales per hæc quæ faciunt, etiam satanica jactantia et superbia languere. Quisquis ergo metropolitanorum post hanc sanctæ ac universalis synodi definitionem eadem audacia vel superbia et contemptu abusus, non per se cum timore et alacritate, seu conscientia bona, debita ministeria in propria civitate, sed per suffraganeos episcopos suos efficere tentaverit, pœnas exsolvat coram proprio patriarcha, et aut corrigatur aut deponatur.

XXV. *Quid semper depositi teneantur qui consecrationem in quocunque gradu Methodii et Ignatii sanctissimorum patriarcharum habuerunt, et Photio invasori etiam post sententiam quæ synodice facta est Constantinopoli, consenserunt.*

Et hoc debite sancta synodus definivit, quatenus episcopi, presbyteri, diaconi et subdiaconi magnæ ecclesiæ, qui consecrationem Methodii et Ignatii sanctissimorum patriarcharum habuerunt, et secundum insolens illud et durissimum cor Pharaonis obdurati sunt, et usque nunc minime cum hac sancta et universali synodo convenerunt, sed nec nobis consonare in verbo veritatis voluerunt, quinimo invasori Photio concorditer consenserunt, depositi sint, et omnino sacerdotali operatione privati, quemadmodum nec multum ante beatissimus papa Nicolaus judicavit, et nequaquam tales in sacerdotii catalogo recipiantur, etiamsi ex hoc converti voluerint; nisi in perceptione sanctificationum [*al.* mysteriorum], qua dignos nullatenus eos, nisi per multam misericordiam, judicamus; non enim sunt digni ad priorem honorem restitutionis locum per pœnitentiam invenire, secundum exosum illum Esau, licet cum lacrymis expetisset eam.

XXVI. *Quod clericus depositus, vel injuriam passus ab episcopo suo, potestatem habeat recurrere ad majores Ecclesiæ catholicæ principes, id est, ad summos pontifices.*

Placuit et hoc sanctæ synodo, ut quicunque presbyter aut diaconus a proprio episcopo depositus fuerit, propter aliquod crimen, vel si quamlibet in justitiam se pati dixerit, et non acquieverit judicio proprii episcopi, dicens eum suspectum se habere, et vel propter inimicitiam quam erga se tenuerit, vel propter gratiam quam aliis quibuslam præstare voluerit, idcirco in se fuisse tale quid operatum, potestatem habeat ad metropolitam ipsius provinciæ concurrere, et eam quam putat in justam depositionem, vel aliam lesionem denuntiare : metropolita vero ille libenter suscipiat hujuscemodi, et advocet episcopum qui deposuit, vel alio modo clericum læsit, et apud se cum aliis etiam episcopis negotii faciat examen, ad confirmandum scilicet sine omni suspicione, vel destruendum per generalem [*al.*, ampliorem] synodum et multorum sententia clerici depositionem. Similiter etiam episcopos concurrere ad patriarchale caput decernimus, qui a metropolitis suis talia se pertulisse fatentur, ut apud patriarcham et metropolitas qui sub ipso sunt, justam et sine suspicione sententiam quod movetur negotium accipiat. Insuper etiam nullo modo quisquam metropolitanorum vel episcoporum a vicinis metropolitis vel episcopis provinciæ suæ judicetur, licet quædam incurrisse crimina perhibeatur, sed a solo patriarcha proprio judicetur : cujus sententiam rationabilem, et judicium justum, ac sine suspicione fore decernimus; eo quod apud eum honorabiliores quique colligantur, ac per hoc ratum et firmum penitus sit quod ab ipso fuerit judicatum. Si quis autem non acquieverit iis quæ a nobis edita sunt, excommunicatus existat.

XXVII. *De eo quod non oporteat palliis præter tempora et loca definita vestiri, et de eo quod nequaquam eos, qui ex ordine monachico facti sunt, conveniat schemate ac stola monachicæ conversationis exuere.*

Secundum traditas formas per singulas provincias, ac regiones et urbes, in ecclesiasticis promotionibus et consecrationibus illa quæ indicia et signa sunt ordinis qui unicuique inesse videtur, retineri decernimus, ita ut episcopi, quibus concessum est palliis uti, certis temporibus, in eisdem temporibus et locis, iis induantur, et tanto et tali non abutantur amictu propter typhum, et inanem gloriam, et humanum placorem, atque sui amorem; omni videlicet tempore divini sacrificii, et omnis alius ecclesiastici mysterii, hunc inepte portantes : illos autem qui reverenter monasticam vitam sectati sunt, et episcopalem meruerunt honorem, conservare schema, et amictum monachicorum indumentorum, et ipsam beatam vitam decernimus : et nullus omnino habeat potestatem deponere jam dictum schema, propter typhum et arrogantem voluntatem, ne per hoc inveniatur proprio transgressor pastorum : sicut enim ibi continuus palliorum amictus fastigiosum et suæ gloriæ deditum demonstrat episcopum, ita et hic depositio ac denudatio monachici habitus nihilo minus eisdem submittit criminibus eum qui hoc fecisse captus exstiterit. Quisquis ergo episcopus præter definita sibi scripto tempora se pallio induerit, aut monasticarum vestium schema deposuerit, aut corrigatur, aut a patriarcha proprio deponatur.

Et post lectionem canonum, iterum stans in medio Bahanes magnificentissimus patricius et præpositus per jussionem Christi amicorum imperatorum dixit ad sanctissimos loci servatores : Post lectionem divinorum et sacrorum canonum quid deliberat sanctitas vestra adhuc fieri ? Sanctissimi vicarii senioris Romæ ac orientalium sedium dixerunt : Subsequatur expositus terminus, in quo cursim omnia continentur quæ acta sunt in hac sancta synodo, et legatur in audientiam omnium, si placet hæc sanctæ synodo. Sancta synodus dixit : Placet, justum enim et bonum est. Et post hoc ascendens Metrophanes Deo amicissimus metropolita Smyrnæ in superiori parte synodi, legit terminum. Similiter et Cyprianus Deo amicissimus metropolita Claudiopoleos in inferiori parte synodi eumdem terminum legit in audientiam omnium.

Terminus sanctæ ac universalis octavæ synodi, quæ facta est Constantinopoli.

Sancta, magna, et universalis synodus, quæ per divinam voluntatem et gratiam et sanctionem amicorum Christi ac Deo confirmatorum imperatorum nostrorum Basilii et Constantini congregata est in

hac a Deo conservanda regia urbe, in famosissimo templo sanctæ ac magni nominis Sophiæ, definivit subter annexa :

Connaturale omnipotentis Dei et Patris Verbum, quod firmavit cœlum sicut cameram, et construxit fines terræ ac cæterorum universorum statum, ut insubstantialiter esset, effecit, et regit, et continet, et salvat, qui dicit per Isaiæ prophetæ vocem : *Aspice in cœlum, quia cœlum, ut fumus, solidatum est; terra autem, ut vestimentum, veterascet : qui autem habitant eam, sicut hæc, morientur; salutare autem meum in æternum erit, et justitia mea non deficiet* (*Isa.* LI) : qui propter nos secundum nos factus est, et cœlestem justitiam super terram plantavit, et dixit : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Luc.* XI) : qui dixit ad omnes qui in eum credituri sunt : *Si vos manseritis in verbo meo, veri discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII). Iste solus infinitæ potentiæ Dominus et Deus noster multos quidem alios ab olim, et longe ante, homines mancipatos mendacio, et veritatis inimicos, in agro suo, id est in Ecclesia, mala zizania secundum evangelicam significationem seminantes (*Matth.* XIII), et mundum frumentum divinæ justitiæ operire tentantes, veluti quidem sapientissimus et omnipotentissimus agricola, evulsit atque disperdidit, et ad id quod omnino non est jure convertit : salutare autem suum semper ad monendum præparavit, et justitiam suam firmavit, et manifestiorem exhibuit. Sed nihil minus, et in instantibus temporibus zizaniorum satore, per quosdam pravissimos et impiissimos homines, ecclesiasticum agrum inutilem reddere tentante, æquali eademque providentia et hunc sollicitudine dignum exhibuit, et a sordibus iniquitatis eripuit, atque ad puritatem revocavit antiquam ; piissimum enim et tranquillissimum imperatorem nostrum, qui divinæ justitiæ amator, et injustitiæ hostis, et in mandatis ejus manentem discipulum ipsius demonstratum incorruptum et scientem, et conservantem veritatem, excitavit ad injustitiæ confirmationem : qui per supernum auxilium, et gratiam ecclesiastici tabernaculi, architectos a finibus orbis terrarum in hanc a Deo construendam et regiam urbem convocavit, et universalem synodum congregavit, quæ evangelicarum sanctionum, et Mosaicarum, et propheticarum legum, atque apostolicorum ac paternorum, necnon et synodicorum mandatorum munimina custodiens, pietatis terminos renovavit, et veritatem et justitiam in ecclesiasticis atriis prædicavit. Hinc ergo et Christianorum sinceram et immaculatam fidem, et dogma orthodoxæ religionis omnes ; qui apud eam convenimus sacrati, roborantes, credimus in unum Deum in tribus consubstantialibus et divinis ac principalibus personis, utputa quemadmodum in tribus solibus [a] invicem indissimilibus, vel in totidem splendoribus, unam luminis intuemur naturam : unum quidem et singularem Deum secundum rationem substantiæ, trinum autem, vel tria, si eum secundum rationem personarum prædicamus : et neque a se, ut esset factus, neque ab alio quomodolibet hoc accepisse fatemur : sed sine initio et æternum et solum semper existentem, et secundum eadem, et similiter habentem, et nullam commutationem vel conversionem admittentem, factorem et conditorem omnium intelligibilium et sensibilium existentem : sic enim et sancta et magna Nicæna synodus exponens fidei symbolum ait : Lumen de lumine, Deum verum Filium de Deo vero Patre manifeste prædicans, et reliqua, ut catholica Ecclesia accepit, quam et nos suscipientes uno sensu, vesanum et veritatis inimicum Arium anathematizamus, et omnes qui cum ipso vel secundum ipsum de thearchica et beata Trinitate τὸ ἑτεροούσιον, id est alteritatem substantiæ, et dissimilitudinem læsis sensibus opinantur ; nihilominus autem et secundam sanctam et universalem synodum suscipientes similiter pneumatomachum [*id est*, Spiritum impugnantem], quinimo theomachum [*id est*, Deum impugnantem] anathematizamus Macedonium, neque in personarum discretione differentiam substantiæ Patris, et Filii, et divini et principalis Spiritus juxta prædictos hæresiarchas recipientes, neque in una eademque substantia personas secundum amentissimum Sabellium confundentes. Insuper et confitemur unicum Dei Verbum incarnatum, et factum fuisse propter nos, secundum nos. Non enim angelus, non legatus, sed ipse Dominus venit, et salvavit nos, et nobiscum factus est Emmanuel : et iste erat Deus verus, Deus Israel, et omnium salvator, secundum divinas et propheticas voces. Unde et sanctissimam et nuptiarum ignaram Mariam, quæ illum peperit, proprie ac veraciter Dei genitricem fatemur, quemadmodum universalis tertia synodus quæ prius apud Ephesum congregata est prædicavit ; cum qua et nos hominis cultorem et jactantissimum atque Judaicum sensum habentem Nestorium anathematizamus, duplicem docentes unum eumdemque Christum et Dominum, Deum scilicet perfectum et hominem perfectum in una persona, utriusque naturæ differentia ; sed proprietates inconvertibiles et inconfusas perpetuo conservantem, quemadmodum et sancta universalis quarta synodus dogmatizavit : quam cum jam numeratis tribus conciliis, tanquam sanctorum evangeliorum quaternitatem suscipientes, anathematizamus delirum Eutychetem, et vecordem Dioscorum : quin et duas naturas in uno Christo secundum manifestiorem expositionem sanctæ quintæ et universalis synodi prædicantes, anathematizamus Severum, et Petrum, et Zoaram Syrum ; Origenem etiam qui vana sapuit, et Theodorum Mopsuestiæ ; Didymum quoque pariter, et Evagrium, qui etiam secundum easdem et diversas opiniones eodem perditionis irretiti sunt barathro, et cum prædictis synodis consonantem et eadem sentientem sanctam et universalem sextam synodum suscipientes, quæ in unius

[a] Soles dixi, quia in Græco sic reperi, causa necessitatis.

Christi duabus naturis consequenter etiam duas operationes ac totidem voluntates sapienter asseveravit. Anathematizamus autem Theodorum, qui fuit episcopus Pharan, et Sergium, et Pyrrhum, et Paulum, ac Petrum, impios præsules Constantinopolitanorum Ecclesiæ, atque cum eis Honorium [a] Romæ, una cum Cyro Alexandriæ, necnon et Macarium Antiochiæ, ac discipulum ejus Stephanum, qui male opinionis Apollinarii, et Eutychetis, ac Severi, impiorum hæresiarcharum dogmata sectantes, sine operatione ac sine voluntate animatam anima rationabili et intellectuabili Dei carnem, sensibus læsis, et revera sine ratione, prædicaverunt. Si enim Deus perfectus et homo perfectus unus idem Christus et Deus exstitit, certissimum est, quod nulla secundum partem naturarum, quæ sunt ei, sine voluntate vel sine operatione consistat, sed secundum utramque substantiam volens et operans consummaverit magnum dispensationis mysterium, quemadmodum et omnium deiloquorum chorus, ab apostolis usque ad nos, hoc certissime sciens, etiam imaginem humanæ illius formæ depingens, erexit; impendens utrique parti unius Christi distinctas invicem naturales proprietates: per quas procul dubio significationes, et notiones divinæ ipsius et humanæ naturæ inconfuse permanere creduntur; sicut etiam septimam sanctam et universalem, in Nicæa secundo celebratam, synodum orthodoxe dogmatizasse novimus, unum et eumdem Christum et Dominum invisibilem et visibilem professam, et incomprehensibilem et comprehensibilem, et incircumscriptum et circumscriptum, impassibilem etiam et passibilem, atque inscriptibilem [b] et scriptibilem. Cui concordans et sancta hæc et universalis synodus magna voce anathematizat Anastasium, Constantinum, et Nicetam, irrationalem stercoralis [c] nominis præsulatum, vel quod est magis dicendum putredinem, necnon et Theodosium Ephesium, et Sisinnium Pastillam, et Basilium Tricacabum, quin potius et Theodoretum, et Antonium, atque Joannem quondam præsules novæ Romæ, regiæ civitatis Christianorum, imo Christi calumniatores: quem videlicet nequaquam valuisse idolorum exterminare statuas, ut de eo pronuntiavit prophetarum catalogus, operibus et verbis prædicaverunt: adhuc etiam et Theodorum, qui dictus est Crithinus, quem et hæc sancta et magna synodus convocans, et redarguens, magna voce anathema ipsius auribus intulit: simili quoque modo anathematizamus et omnes consentaneos et fautores eorum, a quibus dicebatur quod sermo divinæ incarnationis per phantasiam et putative factus exstiterit, per abolitionem scilicet imaginis Christi et Salvatoris nostri, simul etiam sublatæ formæ cum ea, verissimæ illius et deiferæ carnis: bifarie quippe intelligitur omne quod nequaquam imagine comprehenditur, aut velut nos existens, aut velut existens quidem, sed minime comprehensibile, utpote invisibile et obstrusum. Si quis igitur horum aliquid forte super Christo omnium nostrum Deo et Salvatore perhibuerit, impius liquido declarabitur, quandoquidem unum horum non fuisse factum secundum veritatem hominem Emmanuel ostendit, alterum vero factum quidem fuisse, sed humanis proprietatibus caruisse, et assumptam carnem deposuisse, ad divinam atque incomprehensibilitatem per omnia recursum fecisse demonstrat: quod alienum est ab omnibus divinitus inspiratis Scripturis: quæ etiam iterum eum venturum judicem omnium prorsus affirmant, similiterque videndum, quemadmodum visus est discipulis et apostolis suis ad cœlos assumptus. Illud autem Manichæica opinione ac impietate plenum est, quò insensate dicitur, de eo divini David eloquium pronuntiatum fuisse, et quod perhibet: *In sole posuit tabernaculum suum* (*Psal.* xviii); cum videlicet hæc impietas abjectionem ac depositionem significari per id Dominici ac Deifici corporis opinetur: sed Verbum veritatis et de pheronymo Manete [d] et de singulis qui eum eo sapiunt, et Iconomachicæ sunt auctores hæreseos, atque de aliis omnibus hæresiarchis ac impiis fiducialiter ait: Non cognoverunt neque intellexerunt, sed in tenebris ambulaverunt. Etenim, o qui derelinquitis vias rectas, et ambulatis in viis tenebrarum: o qui lætamini in malis, et exsultatis in eversione mala: quorum semitæ pravæ sunt, et curvi gressus eorum, ut longe faciant a via recta, et alienos a justa sententia. Et rursus: Qui a vento corrupta seminaverunt, et eversio eorum excepit eam (*Osee.* viii). Et iterum: Qui innititur mendaciis, hic pascet ventos (*Prov.* x). Idem autem ipse persequetur aves volantes; derelinquit enim vias vineæ suæ, in axiis autem agri sui errat: deambulat enim per inaquosum desertum, et terram extensam in siti, congregat autem in manibus suis sterilitatem: propter quod hos omnes transmittit anathemati, et enumeratas nobis sanctas et universales septem synodos recipiens, et hanc octavam universalem synodum congregavit per gratiam omnipotentis Christi et Dei nostri, et pietatem ac studium tranquillissimi et divinitus roborati imperatoris nostri, ad excidendum et disperdendum

[a] Maximus egregie Honorium papam defendit in dialogo cum Pyrrho, ut dictum est sup. in VI synodo, act. 13.

[b] *Inscriptibilem.* Omne incircumspectum et inscriptibile est; Deus enim incircumscriptus existens nec scribitur: non autem omne inscriptibile etiam incircumscriptum; nam anima hominis inscriptibilis existens, non est incircumscripta: et contra, omne scriptibile etiam circumscriptum est; quidquid enim per colores scribitur, et loco multum ante circumscriptum est: non ergo circumscriptum hoc est quod scriptibile, sicut de anima hominis et similibus sentiendum est. Edit. Rom.

[c] *Stercoralis.* Stercoralis nominis præsulatum ideo appellat hos quos nominavit, quia cum essent Constantini imperatoris, qui dicebatur Caballinus, tempore Constantinopoleos præsules, hæresi ejus favorem pessime commodabant. Edit. Rom.

[d] Manes furia, quo Manichæi appellati sunt, qui recte pheronymus Græce dicitur, quia secum fernomen insaniæ: manes enim insanus intelligitur.

per eas exortas propagines injustitiæ, ac iniquos nisus seu promotiones, ad efficiendum pacificum Ecclesiæ ordinem et orbis stabilitatem. Non enim sola verorum dogmatum privatio novit perdere male opinantes, et tumultuari ac turbare Ecclesiam, sed et divinorum mandatorum prævaricationes nihilominus eamdem perditionem non vigilantibus excitant, et æstu ac fluctibus implent orbem qui Christi appellatione censentur : quod etiam et per Photii miseri insipientiam et astutiam et malignam operationem per instantia tempora factum est, qui non per ostium, sed per fenestram in caulam ingressus ovium, quasi fur et latro, animarum grassator, quemadmodum Dominicus sermo designat, omni tempore ac omni fortitudine furari et mactare ac perdere rationabiles pecudes Christi tentavit, multasque persecutiones operans, plures custodias, et carceres, ac rerum publicationes, atque longissimos exsulatus, et super hæc insimulationes, sed accusationes et falsiloquia et scriptiones fictas, contra omnes zelatores pietatis, et propugnatores veritatis, commentando, non destitit justissimum videlicet et legitimum atque canonicum summum sacerdotem Constantinopolitanorum Ecclesiæ, sanctissimum scilicet patriarcham Ignatium, ut alter quidam Severus seu Dioscorus, expellere machinans, et instar latronis adulteri sedem illius invadens, et mille depositoriis sententiis ac totidem anathematibus affatim eum submittens, atque multifarie multisque modis incessantem turbationem et æstum cunctis Christi et Salvatoris nostri ecclesiis excitans. Verumtamen non est infatuatum sal terræ, neque oculus Ecclesiæ penitus extenebratus, neque luminare, malitiæ spiritibus, pietatis exstinctum est; neque ignis divinæ charitatis consumptoriam et incendentem operationem peccabilis et levis materiæ perdidit, neque sermo Domini, qui est acutior gladio ancipiti, et cogitationum discretor, ineffícax inventus est, neque solidæ petræ fundamentum collusionibus vel inundationibus fluminum et pluviarum demersum concidit; sed lapis angularis et pretiosus, qui in Sion, id est in Ecclesia positus, super quem fundamentum apostolorum et prophetarum in ædificationem Ecclesiæ positum est, multos quidem alios in generatione nostra emisit volubiles lapides super terram, ut propheta dicit [a], ab omni ordine catalogi ecclesiastici etiam in regnante urbe, ac Roma nova, confringentes scilicet et conterentes machinamenta eorum qui devastare veritatem et divinam justitiam voluerunt et tentaverunt : potius autem atque præcipue veluti quemdam alterum angularem lapidem illius quodammodo conservantem, quantum fieri potest, imaginalem similitudinem contra Photii propugnacula, tanquam a quodam excelso et perspicuo loco, Nicolaum beatissimum et pheronymum [b] papam senioris Romæ desursum misit, qui jaculis epistolarum suarum atque verborum et Photii fautores principes ac potentes perculit, et versa vice veteris historiæ, quemadmodum alterum quemdam Madianitam Photium cum Israelitide ecclesia mœchantem, secundum zelatorem, Phinees, veritatis mucrone pupugit, et acquiescentem remedia medicinalis disciplinæ suscipere ad adulterii vulneris sanitatem, et cicatricem consequendam, etiam penitus interfecit : atque cum conjuncta ei quasi sacerdotali dignitate per anathema, ut alter Petrus Ananiam et Sapphiram, qui divina furati sunt, morti transmisit (*Act.* v). Hujus autem definitionibus ac decretis innixus piissimus et Christi amicus imperator noster, quem cœlestis imperator et dominus majestatis in salutem orbis terrarum erexit, Photio quidem convenientem impartitus est locum; sanctissimum vero patriarcham Ignatium ad thronum proprium revocavit; porro ad perfectam discretionem et distinctionem ejus quod bonum esse constat, et expedit. Vicarios etiam ex omnibus patriarchalibus thronis, necnon et omnem episcoporum catalogum, qui sub potestate sua degit, in idipsum collegit : qui videlicet convenientes magnam hanc et universalem celebravimus synodum, et cum multo scrutinio, et probatione, atque tractatu, delimate ac convenienter scandalorum et zizaniorum radices, una cum germinibus, gladio spiritus excidimus, insontem scilicet et sanctissimum patriarcham Ignatium in proprii throni cardine stabilientes, et Photium pervasorem atque adulterum cum omnibus sequacibus suis et nequitiæ fautoribus condemnantes. Dicit enim quodam loco per prophetæ vocem universorum Deus : *Propter malitias adinventionum suarum de domo mea ejiciam eos; et ultra non addam, ut diligam eos. Doluit Ephraim, radices suas aruit, fructum ultra non afferet* (*Ose.* IX). Et iterum : *Chanaan in manu ejus statera injustitiæ, vim inferre dilexit : et dixit Ephraim : Verumtamen dives factus sum, inveni refrigerium mihi. Omnes labores ejus non invenient et propter injustitias, quas peccavit* (*Ose.* XII). Et iterum : *Et hæreditabunt domus Jacob eos qui hæreditate recuperant eos : et erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma : domus autem Esau in stipulam, et exardescent in eos et comedent eos, et non erit qui ignem ferat domui Esau, quia Dominus locutus est* (*Abd.* I, 18). Miser namque Photius erat veraciter ut homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine versutiarum suarum, et prævaluit in vanitatem malitiarum suarum, secundum veterem illum Ephraim, discedens a divinis justificationibus : quem irridens et subsannans propheticus sermo, ita dicit : *Ephraim factus est subci-*

[a] Prophetam hic Zachariam designat, qui mystice inter alia secundum veterem editionem dicit : *Quoniam lapides sancti volvuntur super terram ipsius.*

[b] *Pheronymus.* Pheronymus dicitur, qui verum et congruum sibi fert nomen. Ergo Nicolaus, qui verum et idoneum actui suo nomen ferre visus est, apte pheronymus dictus est. Nicolaus quippe *vincens populos* interpretatur : vicit enim quippe recte non sententes, sed inique agentes. EDIT. ROM.

neritius panis, qui non reversatur, et manducaverunt alieni fortitudinem ejus. Ipse autem non agnovit, et cani efloruerunt ei, et ipse non cognovit, et humiliabitur injuria Israel in faciem ipsius, et in omnibus his non est conversus ad Dominum Deum suum. Ephraim columba, a mensa Ægyptum invocabat, et in Assyrios ibat: cum profecti fuerint, immittam super eos rete meum, sicut volatilia cœli, et attraham et corripiam eos in auditionem tribulationis eorum (*Ose.* VII) : in supremam quippe arrogantiam elatus est contra beatissimum papam Nicolaum senioris Romæ, malitiæ suæ venenum evomuit : et falsos vicarios trium quasi Orientalium sedium congregans, et concilium synodale, ut putabatur, constituens, et accusatorum ac testium componens nomina, et personas ac verba formans, quæ singulis eorum quasi aptari viderentur, qui in synodica judicatione inveniuntur, et quasi monumenta horum libros falsidicos fingens, et scribens, atque componens, anathematizare præsumpsit prædictum beatissimum papam Nicolaum, et omnes communicatores ejus; ita ut ex hoc etiam universos qui sub cœlo erant pontifices et sacerdotes, id est et cæteras patriarchales sedes, et omnem sacrum catalogum qui sub ipsis degit, sub eodem comprehenderet anathemate. Erant enim omnes certissime communicatores prælati pontificis, in quibus eum et qui cum ipso sunt propheticus sermo redarguens et diffamans, ita dicit : *Multiplicaverunt, ut impie agerent, et legerunt foris legea, et invocaverunt confessionem* (*Isa.* LIX). Et rursus : *Et meditati sunt in corde suo sermones injustos, et posuerunt retrorsum judicium, et justitia longe recessit ab eis : quia consumpta est in viis eorum veritas : et per vias rectas non potuerunt transire, et veritas sublata est : et transtulit mentem suam, ut non intelligeret. Et qui declinat a malo, impugnatur : et vidit Dominus, et non placuit ei, quia non erat judicium* (*Ibid.*). Et rursus : *Hæc dicit Dominus : Super tribus impietatibus Juda, et super quatuor non convertam eum, pro eo quod repulerunt legem Domini, et præcepta ejus non custodierunt* (*Amos* II). Hunc itaque qui sic affectavit, et talibus ac tot conatibus et temeritatibus turbavit et concussit totam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, et nullatenus converti ac pœnitere voluit, neque subdi decreto et judicio sanctarum patriarchalium sedium consensit, ut eum et multum ante anathematizavit beatissimus papa Nicolaus, ac deinde successor ejus sanctissimus Adrianus papa, ita et sancta hæc et universalis synodus reprobavit, et anathema magis ac magis mandavit, dicens ad eum ex persona cunctorum Dei per Isaiæ prophetæ vocem : *Quomodo vestimentum in sanguine coinquinatum non erit mundum* (*Isa.* IX), ita nec tu eris mundus, quia Ecclesiam Christi adulterasti, et populum Domini multis partibus et multis modis scandalizasti et perdidisti eos autem qui se sic non habent, sed illi faventes adhærent, si quidem episcopi vel clerici sunt, in perpetuum depositos fore præcipimus; monachos autem seu laicos anathematizamus, quousque a sua seductione atque malitia convertantur.

Basilius piissimus et Christi amantissimus imperator ad sanctam synodum dixit :

Dicat nunc sancta et universalis synodus, si omnibus sanctissimis episcopis concordantibus atque consentientibus præsens terminus sit depromptus. Oportet enim divina quæque cum universorum consensu et consonantia in ecclesiasticis prædicari et confirmari collegiis. Sancta synodus exclamavit : Omnes ita sapimus! Omnes ita prædicamus! Omnes concinentes et consentientes prompte subscribimus! Hoc est veritatis judicium! Hoc est justitiæ decretum! Hæc est canonum expositio! Hæc est ecclesiasticæ ordinationis defensio! Hanc synodum zelator Deus congregavit! Sanctissimos vicarios senioris Romæ et aliarum trium patriarchalium sedium ultionum Dominus in idipsum convocavit! Piissimum imperatorem nostrum, et divinitus gubernandum dominum Deus direxit! Nos hæc synodica ligamenta et apostolica sine ulla evacuatione custodimus! Non jam locum habebit tyrannis eorum qui Ecclesiæ injuriam inferunt! Non jam timore potentatum tenentium mundi violenter et coacte ad illicita labemur! Hæc sancta et universalis synodus sine scandalo de cætero conservabit Ecclesiam per gratiam omnipotentis Dei nostri Jesu Christi! Multos annos imperatorum Basilii, Constantini, ac Leonis; multos annos! Basilii orthodoxi imperatoris multos annos! Amatorem veritatis, Domine, conserva! Renovatorem ac custodem divinæ justitiæ, Domine, muni! Basilio novo Constantino æterna memoria! Novo Theodoro æterna memoria! Novo Marciano æterna memoria! Novo Justiniano æterna memoria! Eudoxiæ piissimæ Augustæ multos annos! Eudoxia novæ Judith æterna memoria! Novæ Helenæ æterna memoria! Novæ Pulcheriæ æterna memoria! Deus conservet imperium vestrum! per vos universalis Ecclesia pacem obtinuit! Princeps pacis Deus pacificet imperium vestrum! Cœlestis rex terrestres conservet! Photio invasori et adultero Constantinopolitanorum Ecclesiæ anathema! Gregorio Syracusæ, et Eusampio Apamiæ depositis, et veritatis apostatis et hostibus, anathema! Repulerunt divinarum justificationum agnitionem, repulit illos Dominus! Adriani beatissimi papæ Romani et sanctæ ac universalis synodi septimæ Nicææ secundo celebratæ constitutoris æterna memoria! Germani, Tarasii, Nicephori, et Methodii venerabilium patriarcharum æterna memoria. Nicolai beatissimi papæ senioris Romæ æterna memoria! Propugnatoris veritatis æterna memoria! Adriani beatissimi papæ Romani multos annos! Ignatii sanctissimi patriarchæ Constantinopoleos multos annos! Theodosii sanctissimi patriarchæ Hierosolymorum multos annos! Michaelis sanctissimi patriarchæ Alexandriæ multos annos! Sanctissimorum vicariorum senioris Romæ et aliorum patriarchalium sedium multos! Sanctæ et magnæ ac

universalis octavæ synodi æterna memoria! Photio et Gregorio ac Eulampio triplici funiculo nequitiæ anathema! Vivifica Trinitas trium typhum deposuit. Omnibus consentaneis et sequacibus eorum anathema! Multos annos imperatorum Basilii, et Constantini, et Leonis! Magnorum imperatorum et dictatorum multos annos! Endoxiæ piissimæ Augustæ multos annos! Orthodoxorum imperatorum multos annos! Deus conservet imperium ipsorum! Quisquis eis tyrannis obsistere tentaverit, vel obsistentes nequam consilium contra eos moventes comperiens minime propalaverit, anathema sit a Patre, et Filio, et Spiritu sancto, et Ecclesia primogenitorum, qui scripti sunt in cœlis, et a sanctis et universalibus octo consiliis.

Basilius piissimus imperator ad sanctam et universalem synodum dixit :

Licet manifeste laboraverit sanctitas vestra, tam loci intercapedine, quam temporis mora in munienda divinitus urbe nostra conservata; sed magnis muneribus ac divitiis Christus Deus noster recompensabit vobis condignas vicissitudines, et tranquillissimum et a Deo muniendum imperium nostrum præstabit vobis, quidquid ab eo expetieritis ad Ecclesiarum vestrarum commoditatem, et venerationis vestræ consolationem; ut et deinceps orationes et preces semper faciatis ad Dominum Deum pro universali statu et continua pace ac salute tranquillissimi et mitissimi imperii nostri. Et post lectionem termini, Basilius piissimus, et Christo amabilis imperator ad sanctam synodum dixit : Utique audistis quæ lecta sunt; quid ergo videtur reverentiæ vestræ? Bene expositus est terminus iste? Placuit vobis canonum expositio? an est aliquid in mente vestra ad ambiguam opinionem pertrahens? veram fecit allocutionem ad sanctam hanc synodum imperium nostrum, et si conspicitis bonum esse, legatur. Sancta et universalis synodus dixit : Quæ pertinent ad utilitatem Ecclesiæ Dei legantur. Et ascendens Leo famosissimus regius protospatharius et a secretis, legit :

Basilius piissimus et Christo amabilis imperator dixit :

Multam quidem vexationem et laborem vestra divinitus collecta pertulit sanctitas, singulis vobis hinc inde confluentibus ad felicissimam urbem nostram, causa ecclesiasticæ ordinationis et constitutionis; pro qua etiam diuturnam in eo moram sustinuistis, et propter quam multi et senectutem contempsistis, et corporalem infirmitatem parvipendistis, et exortes facti eorum [*al.*, fortes facti ea quæ, etc.], quæ requiei congruunt, tolerastis, et diuturnam separationem spiritualium filiorum vestrorum magnanimiter pertulistis. Sed ecce dolorum et laborum vestrorum videtis quam sit finis suavis, et Ecclesiæ Dei valde proficuus. Nam communis concursus, et in Spiritu sancto magnæ hujus et universalis synodi consensus, omne scandalum et offendiculum

A e medio removit Ecclesiæ, hujusque multi temporis procellas compescuit, et ad limpidam tranquillitatem traduxit. Gratias ergo agimus Domino, Patres venerabiles, de omnibus bonis quæ nobis a Deo concessa sunt, et admittimus etiam zelum vestrum, qui secundum Deum est; et optamus a munificentia magni Dei et regis universitatis opulentam retribui vobis mercedem, dolores vestros et labores recompensantem : pro quibus et tranquillitas nostra festinabit reficere et animare vos, et omne desiderium vestrum implere. Justum autem duximus in omnium audientiam expresse fateri, pro communi omnium nostrum munimine, et sanctæ Dei Ecclesiæ perseveranti tranquillitate, propter eos qui communi invident felicitati; et vulnerantur quidem sagitta

B serpentis super ecclesiastica ordinatione, congratulantur autem ejus commotioni et æstui, atque delicias existimant, si viderint eam in tempestate fluctuantem. Talibus ergo expresse hodie dicimus : Quisquis habet aliquid adversus hanc sanctam et universalem synodum dicendum, vel contra hujus canones, aut terminum, stet in medio, et quæ sibi videntur, dicat, sive episcopus sit, sive quisquam de ecclesiastico clero, sive laicis, aut ex iis qui civilibus officiis mancipantur, existat; quanquam non datum sit istis secundum canonem dicendi quidquam penitus de ecclesiasticis causis (opus enim hoc pontificum et sacerdotum est) : sed ex abundanti, omne os iniquum obstruere volentes, licentiam præstamus omnibus, ut qui in mente habet quid ambiguum de

C his quæ decreta sunt ab hac sancta synodo, hoc in medium exhibeat et suscipiat satisfactionis salubre remedium. Non modicum certamen certavimus, neque labori cuilibet cessimus, ut et ipsi nobiscum nostis, ad congregandum eos qui a Romana et ab Orientalibus patriarchalibus sedibus convenerunt : quos conducere multi quidem et ante nos conati sunt, sed nullo modo valuerunt. Non modicam vexationem et contritionem etiam Deo amantissimi summi sacerdotes sustinuerunt, a longe concurrentes ad sanctæ hujus synodi tractatum : qui ergo habet quid dicendum, dicat, dum hæc celebratur. Nam, soluta sancta et universali synodo, qui apparuerit Ecclesiæ Dei contradicens, aut non communicans ei,

D sive episcopus sit, sive absolute sacerdos, sive dignitate aliqua præditus, vel aliter conversatus, veniam ab imperio nostro minime consequetur; sed juste condemnabitur et a civitate nostra pelletur ut corruptor et pestilens, et membrum putridum et inutile, et commune corpus Ecclesiæ violans. Vos autem amatores virtutum, et Deo amicissimi summi sacerdotes, qui episcopali decoramini dono, singuli commonere proprium gregem, et ad salutem ducere ne pigritemini, demonstrantes quantum malum sit, eos, Ecclesia Dei manente in tranquillitate, ab illa desilire, et contra eos qui præsunt animabus suis insanire, et divinis mysteriis propter irrationabiles seu viles occasiones sese coercere. Et quidem subjectum vobis gregem per unumquemque Dominicum diem ver-

bis doctrinæ confirmantes, ad divinarum voluntatum dirigite perfectionem : eos vero qui errore hæreseos cujusquam detinentur, tanquam pastores boni convertite. Noverit enim virtutibus plena perfectio vestra, quia si notum fuerit nobis quod hæresis quæcunque in provincia cujusquam vestrum latitans, non per assiduam doctrinam vestram radicitus evellatur, et omnes ad orthodoxam fidem manu ducantur (*al.*, reducantur), canonice hujusmodi episcopus a proprio patriarcha condemnabitur : et sacris quidem doctrinis atque admonitionibus taliter sacratissimus grex vester per pascua salutaria pascatur. Ipsi autem in alterutrum pacifici estote, et Ecclesiæ vinculum indisruptum conservate, in quo laborastis et concordastis, quodque verbo et manu in præsenti sancta et universali synodo confirmastis, ne per contentionem, et pertinaciam mutuam, disruptionem rursus communis Ecclesiæ corporis faciatis, et non habeatis veniam in die justissimæ retributionis ; sed amicitia vestra et consensus sit ad ordinationem totius ovilis districtissima norma : in vos contemplentur subditi, quemadmodum pictores : ad principalia, et ad vitam vestram et mores, seu conversationem moderari probantur. Sed et qui in clero deputati estis Ecclesiæ Dei, eamdem conservate constitutionem, et alternam concordiam, in nullo declinantes, vel præter quæ sancita sunt Spiritu sancto, ab hac magna et universali et synodo prædicantes. Nam et ipsi in omnibus convenistis, et sole clarius veritatem resplendere vidistis, in quam et consensistis, et concordantes apparuistis. De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, et universali synodo adversari. Hoc enim investigare et quærere patriarcharum, pontificum, et sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi et solvendi potestatem habent : qui ecclesiasticas et cœlestes adepti sunt claves : non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus. Quantæcunque enim religionis et sapientiæ laicus existat, vel etiam si universa virtute interius polleat, donec laicus est, ovis vocari non desinet : rursusque quantacunque episcopus sit irreverentia et irreligiositate plenus, et nudus omni virtute, donec antistes est, et veritatis verbum recte prædicaverit, pastoris mentionis et dignitatis damna non patietur : quæ ergo nobis ratio est in ordine ovium constitutis pastores verborum subtilitate discutiendi, et ea quæ super nos sunt quærendi et ambiendi? Oportet nos cum timore et fide sincera hos adire, et a facie eorum vereri, cum sint ministri Domini omnipotentis, et hujusmodi formam possideant : et nihil amplius quam ea quæ sunt nostri ordinis requirere. Nunc autem videmus adeo multos malitia in insaniam accendi, ut obliviscentes proprii ordinis, et quod pedes sint minime cogitantes, legem ponere velint oculis, non ut natura se habet, sed ut ipsi cupiunt, et singuli ad accusandum quidem majores existunt semper promptissimi, ad corrigendum autem quidquam eorum in quibus accusantur et criminantur pigerrimi. Sed moneo et exhortor omnes qui tales sunt, ut maledictum et alternum odium avertentes, et judicare judices desinentes, attendant sibi, et secundum divinam voluntatem conversari contendant. Nam non quiescit supernum judicium, sed contra dissidentes divinus furor stillabit, et ultionem justam opere cunctis ostendet. Oramus autem super omnia sanctum Deum omnes melioratos, et secundum beneplacentem sibi voluntatem clarescentes : non solum a divina ira intentatos mansuros, sed æterna bona consecuturos orationibus et intercessionibus sanctissimæ dominæ nostræ Dei Genitricis, et omnium sanctorum, et precibus ac obsecrationibus sanctæ hujus et universalis synodi. Amen.

Et post lectionem Basilius amicus Christi et magnus imperator dixit : Dicat nunc, quicunque voluerit ex sedentibus in hac sancta et universali synodo, in quo istorum hæsitet vel ambigat quæ nunc lecta sunt. Sancta synodus exclamavit : Omnibus placent quæ lecta sunt! Omnes eisdem ipsis concordamus? Omnes libenter subscribimus? Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt : Quoniam providentia Dei in prosperum finem omnia Ecclesiæ devenerunt negotia, oportet nos et in scriptis manu propria hæc roborare, secundum synodicam consequentiam. Unde volumus ut subscribant primitus Christi amatores imperatores, et deinde secundum ordinem sancta hæc synodus. Basilius piissimus et Christi amicus imperator dixit : Tranquillissimum imperium nostrum securum præcedentes et justissimos imperatores, Constantinum videlicet magnum, et Theodosium, et Marcianum, ac cæteros, vult subscribere post subscriptionem omnium Deo amabilium episcoporum. Sed quoniam postulat præferri nos sanctitas vestra, subscribam post subscriptionem omnium sanctissimorum vicariorum : edocti enim sumus a Christo vero Deo nostro habere exaltantem humilitatem. Et post hoc accipiens Donatus sanctissimus episcopus Ostiæ, subscripsit in quinque libris, et deinde Stephanus episcopus Nepæ, et Marinus diaconus reverendissimus, et honorabilissimi vicarii senioris Romæ : deinde Ignatius sanctissimus patriarcha Constantinopoleos, deinde Joseph reverendissimus archidiaconus et vicarius sedis Alexandriæ, deinde Thomas reverendissimus metropolita Tyri, et locum retinens sedis Antiochiæ : et deinceps Helias Dei cultor monachus et presbyter ac syncellus atque vicarius sedis Hierosolymorum. Et post hos pie-

simi et amatores Christi imperatores Basilius et Constantinus, figentes quidem propria manu in quinque voluminibus pretiosæ crucis figuram: Basilio magno imperatore, similiter etiam et Constantino figente crucem pro se et pro fratre suo Leone, subscribente quoque nomina trium imperatorum propria manu, et subscriptionis residuum subscribente Christophoro protoasecretis, et præposito caniculi [a] : deinde subscripserunt universi episcopi secundum proprium ordinem in quinque voluminibus. Post hæc interrogati, magistri et omnes patricii, quid de sancta et universali synodo existimarent, vel quomodo eam subscriberent, Theodorus magnificentissimus proconsul et magister dixit ita : Omnia quæ facta sunt a Photio contra sanctissimum patriarcham nostrum Ignatium, et contra beatissimum papam Nicolaum, anathematizans, et hanc sanctam et universalem synodum suscipiens, recipio quos recipit et anathematizo quos anathematizat. Si vero recepero aliquando quos synodus abjicit, anathema sim a Christo. Similiter Christophorus magnificentissimus patricius et præpositus dixit : Omnia quæ facta sunt a Photio contra sanctissimum patriarcham Ignatium, et contra sanctissimum papam Nicolaum, anathematizans, et hanc sanctam et universalem synodum suscipiens, suscipio quos recipit, et anathematizo quos anathematizat. Si vero recepero aliquando quem synodus abjicit, anathema sim a Christo. Et deinceps unusquisque prænominatorum in sessione patriciorum secundum hæc edidit, ore proprio per vivam vocem, sensum suum, velocibus scriptoribus excipientibus quæ dicebantur ab unoquoque ipsorum, quæ etiam lecta sunt in audientiam omnium per Leonem a secretis, coram sancta et universali synodo voce grandi. Et post hoc stans in medio Stephanus Deo amabilis diaconus et notarius superlaudavit ita : Multos annos imperatorum Basilii, Constantini ac Leonis ! Magnorum principum et imperatorum multos annos ! Eudoxiæ piissimæ Augustæ multos annos ! Multos annos imperatorum !

SUBSCRIPTIONES.

Ego Donatus gratia Dei episcopus sanctæ Ostiensis Ecclesiæ, locum obtinens domini mei Adriani summi pontificis et universalis papæ, omnia quæ superiùs leguntur huic sanctæ et universali synodo præsidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii præsulis promulgavi, et manu propria subscrips'.

Ego Stephanus gratia Dei episcopus sanctæ Nepesinæ Ecclesiæ, locum obtinens domini mei Adriani summi pontificis et universalis papæ, omnia quæ superius leguntur huic sanctæ et universali synodo præsidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii præsulis promulgavi, et manu propria subscripsi.

Ego Marinus sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ diaconus, locum obtinens domini mei Adriani summi pontificis et universalis papæ, omnia quæ superius leguntur, huic sanctæ et universali synodo præsidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii præsulis promulgavi, et manu propria subscripsi.

Ignatius, misericordia Dei episcopus Constantinopoleos novæ Romæ, sanctam hanc et universalem synodum suscipiens, et omnibus quæ ab ea judicata et scripta sunt concordans, et definiens, subscripsi manu propria.

Joseph, misericordia Dei diaconus, et vices agens Michaelis sanctissimi patriarchæ Alexandriæ sanctam hanc et universalem synodum suscipiens, et omnibus quæ ab ea judicata et scripta sunt concordans, et definiens, subscripsi manu propria.

Ego Thomas, misericordia Dei metropolita Tyri, et vices gerens sedis Antiochiæ, sanctam hanc et universalem synodum suscipiens, et omnibus quæ ab ea judicata et scripta sunt concordans, et definiens subscripsi manu propria.

Ego Helias, misericordia Dei presbyter et synccllus, locum complens apostolici throni, ubi patriarcha est Theodosius Hierosolymorum, sanctæ Christi Dei nostri civitatis, instar cæterorum vicariorum, omnibus quæ in sancta hac et universali synodo gesta sunt concordans, et definiens, manu propria subscripsi.

Basilius, Constantinus, et Leo, perpetui Augusti, in Christo Dei fideles principes Romanorum, et magni imperatores, sanctam hanc et universalem synodum suscipientes, et omnibus quæ ab ipsa definita et scripta concordantes, subscripsi manu propria.

Basilius, misericordia Dei archiepiscopus Ephesi, omnia quæ in sancta et in universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Theodulfus, misericordia Dei archiepiscopus Ancyrorum, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Barnabas, misericordia Dei episcopus Cyzici, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Basilius, misericordia Dei metropolita Chalcedonis, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicephorus, misericordia Dei metropolita Amasiæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Basilius, misericordia Dei metropolita Gangrensium, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

[a] Præpositus caniculi apud Græcos est, qui curam et custodiam gerit caniculi, id est atramentarii ex quo imperator phœniceas litteras scribit in chartis.

dicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicephorus, misericordia Dei metropolita Niceæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Cyprianus, misericordia Dei metropolita Claudiopoleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Joannes, misericordia Dei metropolita Pergæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Stylianus, misericordia Dei metropolita Neocæsareæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Theodorus, misericordia Dei archiepiscopus Thessalonicæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicolaus, misericordia Dei metropolita Myrorum, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Sisinnius, misericordia Dei metropolita Laodiceæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Niceta, misericordia Dei metropolita Athenarum, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicolaus, misericordia Dei metropolita Synadorum, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Stylianus [*al.*, Theophylactus], misericordia Dei metropolita Iconii, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Hilarius, misericordia Dei metropolita Corinthi, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Michael, misericordia Dei metropolita Rhodi [*al.*, Corinthi], omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter, etc.

Ignatius, misericordia Dei metropolita Hierapoleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Euthymius, misericordia Dei metropolita Larissæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Metrophanes misericordia Dei metropolita Smyrnæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Michael, misericordia Dei archiepiscopus Biziæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Joannes, misericordia Dei archiepiscopus Pompeiopoleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Paulus, misericordia Dei archiepiscopus Apamiæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Gregorius, misericordia Dei archiepiscopus Parii, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Jacobus, misericordia Dei archiepiscopus Methymnæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Stephanus, misericordia Dei archiepiscopus Amastridis, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Joannes misericordia Dei archiepiscopus Cii, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Joannes, misericordia Dei archiepiscopus Russii, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Stephanus, misericordia Dei archiepiscopus Cypsallorum, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Euphemianus, misericordia Dei archiepiscopus Euchaitorum, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Basilius misericordia Dei archiepiscopus Misthiæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Photius, misericordia Dei archiepiscopus Nacoliæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Theophanes, misericordia Dei archiepiscopus Selgæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Marcianus, misericordia Dei archiepiscopus Thebarum, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Hypatius, misericordia Dei archiepiscopus Garibelæ, omnia quæ in sancta, etc.

Leontius, misericordia Dei archiepiscopus Neapoleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Theophanes, misericordia Dei episcopus Tralleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Michael, misericordia Dei episcopus Adramiti, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Stephanus, misericordia Dei episcopus Pyrgi, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Niceta, misericordia Dei episcopus Photiæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicolaus, misericordia Dei episcopus Nysæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Joseph, misericordia Dei episcopus Anchorum [Ancorum], omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Athanasius, misericordia Dei episcopus Magnesiæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Ignatius, misericordia Dei episcopus Timonis, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Arsapius, misericordia Dei episcopus Erythreæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Macarius, misericordia Dei episcopus Ehzomenæ [Chysomenæ], omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Philetus, misericordia Dei episcopus Tabiæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Ignatius, misericordia Dei episcopus Juliopoleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicephorus, misericordia Dei episcopus Asponis, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Sisinnius, misericordia Dei episcopus Berinopoleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Tarasius, misericordia Dei episcopus Nicopoleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicolaus, misericordia Dei episcopus Adramiæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Petrus, misericordia Dei episcopus Palæorum, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Damianus, misericordia Dei episcopus Miletopoleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Gregorius, misericordia Dei episcopus Tripoleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Theodorus, misericordia Dei episcopus Rurippi [*al.*, Rurreppi], omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Arsenius, misericordia Dei episcopus Aureliopoleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Xenophon, misericordia Dei episcopus Milassi, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Leo, misericordia Dei episcopus Daphnusiæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Basilius, misericordia Dei, episcopus Hadrani, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Constantinus, misericordia Dei episcopus Numericorum, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Stephanus, misericordia Dei episcopus Gordoservorum, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Georgius, misericordia Dei episcopus Dascillii, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Paulus, misericordia Dei episcopus Hyberorum, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Michael, misericordia Dei episcopus Leontopoleos,

omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Anthes, misericordia Dei episcopus Hiunopoleos [*al.*, Himiopoleos], omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Paulus, misericordia Dei episcopus Melæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Germanus, misericordia Dei episcopus Ectri [Hectorei; *al.*, Cytri], omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Joseph, misericordia Dei episcopus Berræ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Basilius, misericordia Dei episcopus Zuruli, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Meletius, misericordia Dei episcopus Heracliæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens, etc.

Constantinus, misericordia Dei episcopus Tii, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Cosmas, misericordia Dei episcopus Hadrianopoleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Basilius, misericordia Dei episcopus Cratiæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Eustachius, misericordia Dei episcopus Æmoniæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Euthymius, misericordia Dei episcopus Sebastæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Constantinus, misericordia Dei episcopus Synai, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Joannes, misericordia Dei episcopus Tampsi, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Joannes, misericordia Dei episcopus Polemonii, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicephorus, misericordia Dei episcopus Neapoleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Michael, misericordia Dei episcopus Melitopoleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Theophanes, misericordia Dei episcopus Azaneorum, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Ignatius, misericordia Dei episcopus Dorylæi, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Constantinus, misericordia Dei episcopus Augustopoleos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Cericus, misericordia Dei episcopus Gordoriniæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Paulus, misericordia Dei episcopus Bareos, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Leo, misericordia Dei episcopus Seleuciæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Basilius, misericordia Dei episcopus Adadorum, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicolaus, misericordia Dei episcopus Docimii, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter, etc.

Theognostus, misericordia Dei episcopus Parnassi, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Georgius, misericordia Dei episcopus Zetunii, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Theoclitus, misericordia Dei episcopus Lacedemoniæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicephorus, misericordia Dei episcopus Crotonæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Nicephorus, misericordia Dei episcopus Zacynthi, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Georgius, misericordia Dei episcopus sanctæ Cyriacæ, omnia quæ in sancta et universali synodo ju-

dicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Gregorius, misericordia Dei episcopus Mesinæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Demetrius, misericordia Dei episcopus Scyllatii, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Michael, misericordia Dei episcopus Cercyri omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Leo, misericordia Dei episcopus Agalassi, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Leontius, misericordia Dei episcopus Rhegii, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria.

Paulus, misericordia Dei episcopus Taurianæ, omnia quæ in sancta et universali synodo judicata sunt et definita libenter suscipiens subscripsi manu propria [a].

Epistola encyclica sanctæ ac universalis octavæ synodi.

Exsultate Domino adjutori nostro, jubilate Deo Jacob : et laudationes Dei in portis filiæ Sion annuntiate alacrius et sufficientius (*Psal.* LXXX). Debitum est, charissimi fratres, ad reverentiam vestram dicere cum propheta David, et rursus cum propheta Nahum affari : *Quia ecce veloces pedes evangelizantis et annuntiantis pacem : Celebra, Juda, festivitates tuas ; redde Deo vota tua, pro eo quod non adjiciet ultra, ut transeant in vetustatem. Consummatum est, sublatum est, ascendit insufflans in faciem tuam, eximens de tribulatione : eo quod verterit Dominus contumeliam Jacob, quemadmodum contumeliam Israel* (*Nahum.* I). Quid enim aliud gratius, vel quæ specialis exsultationis ac dilectionis materia, seu conciliatio est, quam videre libere agentem ultionum Dominum, et superbis retributionem justam et convenientem, et zelotem Dominum vindicantem inimicos suos? Propter hoc enim dicit et Psalmista : *Lætabitur justus, cum viderit vindictam* (*Psal.* LVII) ; lætabitur autem, non profecto quia fidei adversantium caterva perit, et in peccato suo moritur impius ; sed quia contritam videt peccatorum virgam, ne et justi manus suas ad iniquitates extendant, tranquillam injustitiam magis, quam divinam justitiam intuentes, et mendacium adversus veritatem continuo prævalere videntes. Ac per hoc veniant ad mentem illam, et cogitationes suas propheta Malachias insinuat dicens : *Quia invaluerunt super me, dicit Dominus, verba vestra. Et dixistis : Quid locuti sumus contra te? Et dixistis : Vanus est, qui servit Domino : et quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arroganter ; siquidem ædificati sunt facientes impietatem, et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt. Tunc locuti sunt timentes Deum, unusquisque proximo suo : Et audivit Dominus, et attendit, et scriptus est liber monumenti coram eo, timentibus Deum et cogitantibus nomen ejus. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium : parcam eis, sicut parcet vir filio suo servienti sibi : et convertimini, et videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Domino et non servientem ei* (*Malach.* III). Jubilet enim universa Christi et Salvatoris nostri Ecclesia, et gratificans ei glorificationes decantet, iterum clamans cum propheta David : *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis* (*Psal.* CXLIV). Qui enim dixit ad sanctos discipulos et apostolos suos : *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXXVIII) ; et ait ad Petrum apostolorum principalissimam summitatem : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI) : multoties alias inferi portas, apertas contra Ecclesiam, et devorare eam tentantes, obstruxit, contrivit, atque destruxit, hæreticas videlicet opiniones, et iniqua conamina, quæ in præteritis generationibus per sua tempora sunt exorta, sed nihilominus et in instantibus temporibus inferno proprium os contra Ecclesiam Christi aperiente et dilatante, simili parique modo protector ejus factus est Christus Deus noster, qui desponsavit eam, et ora loquentium iniqua multifarie multisque modis obstruxit, et hanc ab eorum læsione et pestilentia liberavit. Is enim qui formam quidem pietatis habere simulabat, virtutem autem ejus abnegabat, et secundum antiphraseos tropum Photius appellabatur, multa et varia quidem ab ætate impubi contra eam adinvenit molimina, stolidis et nequam schismaticis concordans, atque concinnans, et persuasoriis verbis multos ab ea sequestrans, et in laqueum perditionis attrahens : vocari autem Rabbi præter ætatem tota virtute tentans, quibusdam propriis scriptis et chirographis, sicut se, simpliciores quoque, quin potius leviores sub prætextu quasi discendæ disciplinæ dialecticæ vinciebat : esset profecto ipse insipiens et omni privatus intelligentia, quemadmodum divina Scriptura testatur, evidenter asseverans : *Dixit Dominus homini, ecce pietas et sapientia, abscedere autem a malis disciplina* (*Psal.* CX). Et iterum : *Initium sapientiæ timor Do-*

[a] Non te scandalizet subscribentium paucitas, quia dum Photius diu tyrannidem exercuisset, et pene omnes a piis decessoribus suis sacratos deposuisset, et in loca eorum fautores suos tantummodo provexisset, quorum nullus in hac synodo est receptus, isti soli ex priorum patriarcharum consecratione superstites inventi. Verum quotquot sub Nicolao et Adriano summis pontificibus episcopi fuerunt, hujus synodi sensui consenserunt ; licet hæc paucitas gregi illi pro sui justitia comparetur, cui Dominus dicit : *Nolite timere, pusillus grex*, etc.

mini : intellectus autem bonus omnibus facientibus eum (*Psal.* CX). Non enim tantum ipse non abscessit a malis, vel præter canonicas sanctiones pepercit, cum esset laicus, didascalicum sibi nomen imponere, et separari a Christi Ecclesia, sed et Deum colere volentes, omni machinamento usus, alienos constituere a justo vôto festinavit; ut in illo impleretur aperte Dominicum eloquium, quod asserit : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, quia vos non intratis in regnum Dei, sed intrantes prohibetis* (*Luc.* XI) : insuper et peccatum super peccatum copulans, perstruxit ut expelleretur ab Ecclesia legitimus et canonicus illius pontifex, et summus pontifex, pastor sanctissimus patriarcha Ignatius : et latronis more, atque adulter, in illius sedem ingressus, multam quidem tempestatem adversus eum commovit : plures autem procellas et æstus contra resistentes sibi, et propugnatores veritatis, et valentiorem turbationem, et tumultum sævissimum, in omnem locum qui sub cœlo est dispersit : præ omnibus in pastorem quidem magnum, deinde vero contra minoresque pastores, secundum propheticum affatum, extendens propriam manum, percutientem eos et flagellantem, et varie ac diverse affligentem, et coarctantem, et modo quidem potentes deponens de sedibus, modo vero carceri et custodiæ mancipans, et per diuturnam famem morti transmittens, nonnunquam etiam longissimis et sævis exsiliis relegans, et ad ipsas abigens orbis extremitates : nonnunquam vero cœnosis et fetidis ac tenebrosis locis, quæ mortis umbram convenit dici, concludens, possessiones diversas auferens, casas in montibus virtuti operam dantium et philosophantium comburens, et, ut absolute dicatur, omnem afflictionem et tribulationem faciens corpori Christi et Dei, qui est caput omnium nostrum : non enim habens ex aliqua beneficentia qualemcunque reverentiam vel ad sui receptionem de hujusmodi conatibus et temeritatibus, stabiliri se præter rationem oportere putabat, cum esset bonorum inexpers, et veraciter imperitus. Nam qui convertit prudentes retrorsum, et consilium eorum infatuat, ut ait propheta (*Isa.* XLIV), convertit eum, et omnia studia, quæ quasi ad propriam commoditatem paraverat, ad confusionem et opprobrium, et eversionem, atque ruinam : quanto enim ille persuadebat sibi quæ ad propriam securitatem pertinere videbantur, tanto magis omnia prospiciens oculus, ea in contrariam opinionem vertebat, ostendens eum de die in diem, ut terebinthum abjectis foliis, et sicut hortum aquam penitus non habentem. Sed quoniam ad beatissimum papam Nicolaum senioris Romæ epistolas et legatos sæpe mittens, et hunc judicem suum eligens, et proponens, et omnia quæ pertinebant ad justificationem sui, et ad sanctissimi patriarchæ condemnationem, sicut voluit ipse, sine impedimento dicens; quoties misit, toties ab eo reprobatus et condemnatus, et ut thronum Constantinopolitanum, utpote alienus, dimitteret, prorsus audivit, præsertim vivo adhuc legitimo ecclesiæ viro.

Ad extremum autem non obaudiens, a Christo et ab apostolis accepit anathema. Tunc ergo, tunc amplius furens, et a suis sensibus, et ab omni rationabili mente procul effectus, linguam exacuit etiam adversus eumdem, beatissimum videlicet papam, et quemadmodum fabulæ hippocentauros et tragelaphos fingunt et formant, ita quoque et ipse stercorales quosque et subulcos a plateis, et cujus [*fort.* vicis] conducens viros, et vicarios eos aliarum trium sedium appellans, atque proponens, præsumpsit synodale imaginari judicium personas accusantium et accusatorum et testium, et imperatorum, et magnatum, et metropolitanorum, quasi in suspectas fingens et simulans, et hujuscemodi, ut putabat, deposuit inverecunde, et anathemati submisit beatissimum papam Nicolaum, et omnes illi communicantes, neque summitati ejus, neque, quod magis est, Ecclesiæ quæ a finibus usque ad finem constat ullo modo parcens, quæ videlicet Deo accepto illi et Christi imitatori et magno pontifici procul dubio communicabat. Sed scientiarum Dominus, et manifestas ejus nequitias, et quæ latenter fecerat opera tenebrarum, id est libros vaniloquos, quos ficte contra beatissimum papam illum conscripserat intuens; unde dicit propheticus sermo : *Oculi Domini excelsi aperti in omnes vias hominum, ut det unicuique secundum viam suam, et secundum fructus adinventionum ejus* (*Psal.* LXV), commisit imperatorum regnum principatum Basilio pheronymo domino, de quo affari liquido universitatis Deum arbitramur : *Inveni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas* (*I Reg.* XVI), secundum beatum regem David. Hic enim meditationem ponens in corde suo ambulare secundum viam Dei, et custodire mandata ejus, maxime vero experimentum habens eorum quæ nuper injuste et inique acta sunt, clara quæque et certa sibi eorum quæ non apparebant fecit indicia. Et egregios quidem episcopos, et doctores monachici ordinis, disjunctos hinc et dispersos aspiciens, necnon et eos qui in solitaria vita positi angelicam et cœlestem sincere conversationem dirigebant, quinimo et illos qui potestate ac potentatu prædíti bonas opiniones ferebant, exsecrari pervasorem et adulterum, veluti aliam quamdam abominationem desolationis intuens, et, quod omni ratione dignius et præstantius est, videns quod senior Roma projiceret eum, et crebris redargutionis suæ verbis, tanquam quibusdam jaculis, sauciarit, transmisit ocius hunc ad debitum sibi ignominiæ locum, et throno Constantinopoleos proprium pontificem secundum synodicum judicium sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ restituit : ad manifestiorem autem veritatis satisfactionem, et certitudinem etiam, loci servatores ex omnibus patriarchicis sedibus convocavit, et omnem nihilominus episcoporum catalogum, qui sub throno Constantinopoleos degit, adduxit, qui gratia et cooperatione Domini Christi Dei nostri et sanctione ac sollicitudine ejusdem Christi amatoris imperato-

ris, hanc magnam et universalem celebrantes synodum, et cum multo scrutinio et probatione quæ acta sunt examinantes, reperimus et advertimus, quod injuste, et extra rationem, et præter divinas leges ac jura, sanctissimus patriarcha Ignatius a Constantinopolitanorum Ecclesia sit amotus, et injuste, et extra rationem, et præter divinas leges ac jura, in eam pro ipso introductus sit Photius, et e contra rationabiliter, et juste, ac discrete, seu canonice, atque synodice receperit proprium thronum sæpe memoratus sanctissimus patriarcha Ignatius : et rationabiliter, et juste, ac discrete, seu canonice, atque synodice projectus sit Photius; ita ut opportune audire valeat a Prophetæ voce dicente : *Quemadmodum fecisti, ita erit retributio tua* (*Psal.* xxx); retribuetur tibi in caput tuum. Igitur sancta hæc et universalis synodus, sæpe adducens pervasorem Photium, et permultas et diversas interrogationes deposcens, quo patenter confiteretur superationem [*fort.* supputationem] suam, et humiliaretur in conspectu gloriæ Dei, et magnitudinis patriarchalium sedium, aut, si hoc nollet, loqueretur aliud, et duceret excusationis verba ad propriam stabilitatem et justificationem; deprehendit eum inexcusabilem in modis omnibus, absque voce, ac per opera sua infirmantem sibi proverbiale dictum, quod perhibet : *Iniquitates suæ capiunt impium, vinculis autem peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* v). Et adhuc : *Viæ autem impiorum tenebrosæ : nesciunt quomodo offendant* (*Prov.* iv).

Propter hæc ergo cuncta nolentem intelligere, ut bene ageret, neque obedientiam præeligentem, neque confitentem peccatum suum, et iniquissimum præsulatum, sed inobedientem et resistentem sanctæ huic et universali synodo, repulimus, et anathematizavimus, atque a tota catholica et apostolica Ecclesia fecimus alienum, per datam nobis potestatem in Spiritu sancto a primo et magno pontifice nostro, et deliberatore ac salvatore cunctorum; quemadmodum scriptum est apud Deiloquum Moysen : *Et anima omnis quæ fecerit in manu superbias, ab indigenis vel a proselytis Domini, iste irritat : et exterminabitur anima illa de populo suo, quia verbum Domini depravavit, et mandata ejus dissipavit : contritione conteretur anima illa, peccatum suum in ea* (*Num.* xv) : quemadmodum et Dominicus innuit sermo, qui peccantem in proximum, et nequaquam correctum, sed et Ecclesiæ Dei non obedientem, monet deputari ac opinari sicut ethnicum et publicanum (*Matth.* xviii). Similiter quoque et eos qui ab ipso manus impositionem acceperunt, et arbore putrida fructus putridiores apparuerunt, et neque post stercus meliorari voluerunt, concidimus gladio spiritus : *Omnis enim arbor non faciens fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* iii), secundum sermonem Dominicum. Si enim radix sancta, et rami; et si fermentum sanctum, et massa (quemadmodum Paulus magnus apostolus aperte clamat [*Rom.* xi]), manifestum est quod e diverso, si radix polluta, et rami; si fermentum pollutum, et massa modicum namque fermentum totam massam fermentat. Porro coabjectus est ab hac sancta et universali synodo etiam Theodorus, Iconomachicæ hæreseos princeps, qui nuncupatus est Crithinus, et quidam alii consentaneorum illius; quosdam vero qui susceperunt verbum veritatis recepimus, et choro orthodoxorum connumeravimus : quosdam autem qui in eadem permansere mente, impios et pravos cum pheronymo Crithino, quemadmodum paleatos et stercorales ex mundissimo frumento Ecclesiæ peramplius sequestravimus, et vehementius anathematizavimus : exponentes et canones numero viginti septem pro Ecclesiæ commoditate, Christianorumque munimine, ac salute, necnon et universali ordinatione.

Hæc autem omnia cognoscentes vos, fratres charissimi, et filii sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, cujuscumque et qualiscumque dignitatis vel moris estis, laudabiliter Deum laudate, protectorem videlicet timentium se, et liberatorem omnium qui sperant in eum : et secundum decretum et judicium sanctæ ac universalis synodi, malos avertite eos qui sunt mali sensus, abominamini injustos, et iniquos odio habetote, libere singuli cum divino David psallentes : *Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi* (*Psal.* cxviii). Scriptum est enim, quia : *Qui dicit impium justum, est maledictus in populis, et odibilis inter gentes a Domino* (*Prov.* xxiv). Et iterum : *Qui justum dixerit injustum, injustum vero justum, immundus abominabilis a Deo* (*Prov.* xvii). Nullatenus ergo audeat quis eorum qui Christiano vocabulo digni sunt, quique regimen pastorale sortiti sunt : aut ab alio regi videntur, contrarium quidquam gerere sanctæ huic et universali synodo, ac per hoc inveniatur omnium Deo contradicens, et illius consilium et judicium spernens. Dicit enim alicubi Paulus magnus apostolus : *Igitur qui spernit nos, non hominem spernit, sed Deum vivum, qui dedit Spiritum sanctum suum in nos* (*II Thess.* iv). Dicit autem et quidam deiloquorum nostrorum : Si quis scissus a veritate fuerit, regnum Dei non possidebit, sed in gehennam condemnabitur. Et rursus : Si quis in aliena sententia ambulat, hic non est Christi : cum hujusmodi ne commisceamini, ut non cum eo pereatis. Quis enim nesciat quod in medio sanctæ hujus et universalis synodi fuerit incomprehensibilis et incircumscriptus Christus ac Dominus qui dixit : *Ubi sunt duo vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* xviii) : et voluntate ipsius omnia a Deo mota sancta hæc et universalis synodus et tractaverit et fecerit? Et quoniam dicit omnium Deus per Isaiæ prophetæ vocem : *Et dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet; et non erit qui claudat : et claudet, et non erit qui aperiat* (*Isa.* xxii). Et iterum Scriptura Job dicit : *Si destruxerit, quis ædificabit? si clauserit contra hominem, quis aperiet* (*Job* xii)? Certum est, quod quisquis voluerit aperire januam quam sancta hæc et universalis synodus clausit, vel claudere tentaverit quam aperuit, Dei

hostis et impugnator invenietur et ostendetur, et super terram et in cœlis. Sed fiat, ut omnes qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, charitateque illius freti timorem ejus præ oculis habeant in æquitate veritatis, et fructus justitiæ afferentes inveniantur; quatenus omnes custodiantur, et efficiantur digni, et in præsenti sæculo superna providentia perfrui, et in futuro sæculo percipiamus cœlestia et incorruptibilia bona, quæ nobis in promissionibus sunt reposita in eodem Christo Deo nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Domino sanctissimo et coangelico maximo summo sacerdoti et universali papæ Adriano, sancta et universalis synodus Constantinovoli congregata in Domino salutem.

Opportunum est cum sapientissimo Salomone nunc et nos clamare : *Sapientia in exitibus laudatur, in plateis autem fiduciam agit, in summis murorum prædicatur, in portis autem potentum assistit, in portis autem civitatis confidens dicit : Quanto tempore innocentes abundant justitia, non confundentur; insipientes autem, injuriæ existentes desideratores, impii facti scientiam oderunt* (*Prov.* I) : hic est proverbialis sermo. Donatus enim Deo amabilis episcopus Ostiæ, et Stephanus Deo amabilis episcopus Nepæ, et Marinus honorabilissimus diaconus sanctæ Romanorum Ecclesiæ, sanctissimi vicarii sanctitatis vestræ, cum essent divina sapientia repleti, et sapientiæ columnis propriæ animæ domum fundantes et stabilientes, et Deum omnium, qui in sapientia terram fundavit, præ oculis habentes, fiducialiter egerunt : in plateis profecto divinarum Scripturarum, et excelsis, et sublimibus, et fortissimis muris veritatis Dei concilium prædicaverunt, et portis non solum potentum, id est auditibus eorum qui sensus exercitatos ad discretionem melioris ac deterioris, necnon et interiorem hominem perfectum habent, sed et eorum qui imperfecti, et sensibus parvuli sunt in civitate viventis Dei luculenter æquitatem divinæ justitiæ annuntiaverunt; et superioribus quidem manifestati sunt, accusata divinis legibus et præceptis injustitia et malitia ; eos vero quos proverbiale dictum innocentes nominavit, per privationem videlicet malitiæ, inconfusos Dei boni cooperatione et gratia conservaverunt. Insipientiæ autem operarios, et æmulatores nequitiæ tanquam conviciorum avidos existentes, et impios factos, argumentis veritatis obnoxios ostenderunt, quemadmodum alios iterum proverbiale fatetur eloquium : Et examinatio perdit impios : operibus enim suis præpedierunt eos Deo amabiles vicarii paternæ sanctitatis vestræ, quod hymnidicus David ait : *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus; timentes autem Dominum glorificat* (*Psal.* XIV). Nam et quid aliud hos apparuisse opinandum est, quam derivatas imagines? imo vero characteres indissimiles quarumdam bonarum et principalium tabularum Nicolai beatissimi papæ revera fortissimi pietatis certatoris simul et sanctitatis tuæ? Sicut enim ille beatissimus et veraciter homo Dei primitus definivit et promulgavit, necnon et summa paternitas tua firmavit et synodice roboravit, ita et ipsi hæc annuntiaverunt, et egerunt amborum vestrum sanctissimorum, videlicet senioris Romæ pontificum, nomen et memoriale, instantibus temporibus et cunctis generationibus, quæ deinceps futuræ sunt, efficientes laudabile : ita et unicuique ipsorum apietur quod dicit in Evangeliis Christus omnium nostrum Salvator : *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit : qui autem quærit gloriam ejus qui misit illum, hic verax est, et injustitia in illo non est* (*Joan.* VII). Sed et benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus odientium nos, sed eripuit animam nostram sicut passerem de laqueo venantium eam (*Psal.* CXXIII), et orationes vestras et assiduas redargutiones et admonitiones, quas pheronymus ille et magnus Dei summusque pontifex beatissimus papa Nicolaus. Dilexi enim jugiter ferre labiis illius beati nomen, introducens videlicet per hoc, et ipsius quoque memoriam, qui per Christum et cum Christo mundum vicit : et ipse qui et gradus et dignitatis et moris ejus successor es, pro ecclesiastica pace alacriter exercuistis, ad expellendum lupum ab ovili Christi, tanquam veri pastores rationabilium ovium Christi, quinimo summi pastores, et principes omnium ecclesiarum. Sed de misero quidem Photio, et iis qui seducti sunt ab eo, et concordaverunt ei, propheticum illud dicendum est : *Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis; impii autem infirmabuntur* (*Ose.* XIV), vel etiam offendent in illis ; suis enim viis delectari utique pernecessarium erat eis, fructus et mala accidere justum erat eis secundum opera manuum suarum, ut quodam in loco dicit magnivocus Isaias. Quis autem amatoris Christi et tranquillissimi imperatoris nostri articularibus insinuare vocibus poterit, in omnibus quidem aliis, sed præcipue in ecclesiasticis rebus atque personis æquanimitatem et exercitium? qui pietatis definitionibus et virtutum proprietatibus omnes supergressus est qui ante se regnaverunt; ita ut magis directionem ejus moribus, quam nostris virtutibus fiduciam capiamus, quem omnipotens Deus et rex universorum, qui per solertiam vestram, interventionem, ac judicium, seu synodicam expositionem, tam magnam et universalem synodum congregare dignatus est, et tantum opus ad finem prosperum perducere maluit, custodiat incolumem utrumque per multos annorum circuitus, et det sanctitati quoque vestræ condignam laborum vicissitudinem, et cum Petro et Paulo principibus apostolorum judices vos demonstret, et jam in futuro sæculo multarum gentium et populorum propriis bonis operibus, impios et iniquos judicaturos, quemadmodum et nunc delite fecistis, a Christo gubernacula sumentes ecclesiasticæ navis.

Igitur libenter oppido et gratanter imitatrice Dei sanctitate vestra omnium nostrum conventuum et universalis hujus atque catholicæ synodi consensum et consonantiam recipiente, prædica eam magis, ac

veluti propriam, et sollicitius confirma evangelicis præceptionibus et admonitionibus vestris, ut per sapientissimum magisterium vestrum etiam aliis universis ecclesiis personet, et suscipiatur veritatis verbum et justitiæ decretum.

Hæc epistola missa est ad omnes patriarchales sedes.

Basilius, Constantinus et Leo, in Christo Jesu imperatores Augusti principes Romanorum.

Diligentibus Deum cooperari omnia in bonum divinitus clamat patenter Apostolus (*Rom.* VIII); quin et petentem accipere, et quærentem invenire, et pulsanti aperiri spei portas Dominica vox admonuit (*Apoc.* III); his ergo dictis et divinitus gubernatum imperium nostrum parens, ut possibile sibi fuit, coronæ datorem suum diligens, non destitit de inventione ecclesiasticæ ordinationis nostræ petendo, quærendo, et pulsando, quousque Deo acceptis orationibus vestris spei fructum adeptum est. Incorruptæ enim columnæ ecclesiarum, sanctissimi videlicet summi pontifices senioris Romæ, multum ante arripientes laborem pro ecclesiastica ordinatione, debitam facultatem nostris contulerunt negotiis, ita ut honoratissimi vicarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cum reverendissimo loci servatore sanctitatis tuæ, et aliarum patriarchalium sedium, Dei gratia et cooperatione facilius evellerent nequitiæ zizania, et rus exhiberent mundissimum. Nam condemnatione dignos, et turbationis auctores cum horum acephalo capite, regulariter atque synodice irreprehensibili judicio condemnaverunt et reprobaverunt : ei autem qui patenter injustitiam passus est, legitimo scilicet summo sacerdoti, et iis qui circa ipsum sunt, decreverunt et contulerunt triumphum, subtilitatem præterea eorum quæ acta sunt in superius declarata sancta et universali synodo sanctitati tuæ expressius exhibebit gestorum ejusdem synodi series. Gratias ergo agentes omnipotenti Deo pro ecclesiastica constitutione ac idonea synodi terminatione, beatificantesque et suscipientes sinceram nobis a Christo Deo collatam divinorum canonum custodiam et conservationem sanctitatis vestræ; quia salvat operibus circa nos benignitatis affectum, manifestum ei præsentamus laude dignum sanctæ hujus et universalis synodi finem, quatenus et ipsa gratiarum Deo una nobiscum offerat actiones largitori, scilicet pacis et totius saluberrimæ ordinationis auctori; orans et pro divinitus muniendo imperio nostro, bene valere sanctissimam paternitatem tuam, tranquillissimum imperium nostrum exoptat, apud Christum mirabilis ime. Data indictione tertia.

Postea sequitur altera epistola, cujus initium est :

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unus et solius veri Dei nostri, Basilius, Constantinus et Leo, fideles in Domino imperatores Romanorum, Adriano sanctissimo papæ Romano spirituali patri nostro.

Indeficientem habentes in mente nostra memoriam beatitudinis vestræ, divinamque legem, naturæ hominum conjunctam, honorantes pro viribus, quæ patribus spiritualibus vicissitudine, juxta cultum venerationis, exsolvere jubet filios, semper de incolumitate vestra cognoscere volumus, et divinum nobis ac sacrum caput, quoniam non possumus carnalibus, saltem spiritualibus labiis per affatum litterarum amplecti ; debemus autem hoc, et propter præpositas causas, et propter amorem ejus qui circa nos est ; qui zelo veritatis conspersus ostendit quidem quanta sit sua erga Deum pietas, quantaque circa justitiam diligentia, et quanta fraternam erga dilectionem flagrantia. Quoniam vero et litterarum gerulum expeditum ad peregrinam profectionem, et magnanimum ad malorum tolerantiam consecuti sumus, id ipsum optabile habentem, principi apostolorum ante promissum causa reddendi votum, eumdemque vestræ paternæ sanctitati commendamus, super hoc quoque multum tranquillitatem vestram rogantem. Idem autem est hic Theognostus, quem et vos bene nostis, Deo amabilis hegumenus superlaudabilis Dei matris Peges [a], et vasorum custos magnæ ecclesiæ. Per ipsum ergo quæ nostri desiderii sunt opportune adimplere conspeximus ; implorantes evangelicam sanctimoniam vestram, in primis quidem de habitu vestro, qui secundum Deum est, deinde etiam de Deo amabilium apocrisiariorum et vicariorum prospero itinere, litteris per eum significari nobis celerius. Jam enim tempus habemus non modicum exspectantes, et nescimus evidenter tarditatis causam. Sed et si hactenus deesse clamaverint, saltem sero hoc nobis agnitum fiat. Specialis autem pater noster et magnæ civitatis nostræ patriarcha postulavit a nobis scribere sanctitati tuæ de his lectoribus qui a Photio promoti sunt, multis et innumerabilibus existentibus eis in diversis provinciis : insuper autem et de Paulo reverendissimo bibliothecario verbo et vita præfulgido, ac Theodoro metropolita, qui et ipse nimis Ecclesiæ utilis est, quatenus dispensatio fiat a sanctitate vestra super ipsis, quibusdam quidem ad ascensus majores sacrorum graduum, quibusdam vero ad receptionem sedium suarum, ad hoc rogantibus Dei imitatricem virtutem suam ; horum quidem multitudinem, hujus vero labores, et pro veritate sudores, illius autem culpæ reprehensionem, et quod ex canonica sit manus impositione promotus considerantem : et pro his et imperium nostrum flagitat pietatem tuam dispensandum aliquid hinc humanius. Bene vale, mi amantissime Pater : bene vale, memor imperii nostri in Deo acceptis precibus tuis quæ sunt ad Dominum : legimus.

Transmisimus autem sanctitati vestræ gratia commemorationis imperii nostri, et dilectionis quam circa illam habemus, quæ per species deferuntur, vestimenta diaspra tria, esophorum dicitrinum cancellatum, id est chasdium crodium, habens ornaturam auream et vellus prasinum, id est vilarni pinninum pro casula facienda, id est usin rubeum ærem

[a] Peges, id est Fontis : monasterium est apud Constantinopolim sic vocatum.

habentem, id est usinallum, id est mulchumat, id est planetilia castanea duo.

Subsequens epistola pro tribus capitulis, quæ quidem nec omnes patriarchales sedes cum tota synodo ausæ sunt definire, sed horum dispositionem per patriarcham Ignatium a sede apostolica consueverunt humiliter postulari.

Per omnia sanctissimo et sacratissimo fratri et comministro Adriano beatissimo papæ senioris Romæ Ignatius a Deo misericordiam consecutus archiepiscopus Constantinovoleos novæ Romæ in Domino salutem.

Lapis qui de monte abscissus est sine manibus, et percussit imaginem illam magnam impiorum regnorum omnium super pedes testeos et ferreos, et ventilavit eam ut pulverem ab area æstiva, et factus est in montem magnum, et replevit universam terram propria magnitudine et gloria (*Dan.* II), Christus videlicet, qui est solus infinitæ potentiæ Dominus, et Deus noster; et olim quidem illustrem et perspicuam operatus est vestram magnam civitatem Romam per eos sanctos lapides qui ab oriente ad eam devoluti sunt, Petrum aio et Paulum, eximiam principalem apostolorum summitatem : sed nihilominus et in nostris temporibus, quin potius et illustriorem et clariorem demonstravit per eos quibus in generatione nostra pontificalia gubernacula ejus commissa sunt, sanctos et pretiosos revera lapides, Nicolaum videlicet beatissimum et fraternam sanctitatem tuam ; qui quemadmodum a quodam sublimi loco contra injustitiæ et mendacii machinamenta demissi et devoluti usque ad urbem nostram per sapientissimas epistolas vestras et sanctiones, sed et sanctissimos et Deo amicissimos loci servatores, contrivistis omnes machinas et munimina adversantium veritati, et nunc pacificam constitutionem agentes per miserationes et gratiam qui vere princeps pacis et pacificus est Christus Deus noster, et per diligentiam vestram ac excitationem, gratias agimus omnium bonorum auctori et misericordissimo Domino, et Salvatori ac Redemptori universorum, qui sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam desponsavit, et caput se hujus nominare dignatus est, et membra corporis ejus vos et nos in uno spiritu compaginata et convenientia per operationem sancti Spiritus, et alternam consonantiam et conspiramentum exhibuit. Quinimo et beatitudini sanctitatis vestræ gratificas voces debite commendamus, exorantes semper ad Deum, qui est super omnia Deus, quo sanctitatem vestram cœlestiis et propriis laboribus et certaminibus dignis et congruis recompenset vicissitudinibus; quippe qui solus est dator et largitor magnarum et vos decentium retributionum. Verumtamen et nostra humilitas memor charitatis vestræ ac amabilis quem circa nos habet affectus, et ad hoc ipsum voluntatem et meditationem habens, invenit procurantem, ut mitteretur in viam, quæ est ad magni nominis Romam, orationis causa, intimum filium nostrum reverendissimum abbatem Fontis, et scevophylaca magnæ ecclesiæ dominum Theognostum, et idcirco magis studuimus adimplere A desiderium vestrum, quem et misimus cum præsenti epistola nostra visitaturum, et salutaturum, ac adoraturum fraternam sanctitatem vestram : nuntiaturum etiam et a Christo nobis donatam incolumitatem in hac vita multis passionibus et tribulationibus plena, quemadmodum ipse voluit et judicavit qui omnia sapienter et congruenter dispensat, et ante in tua piissimorum, et Christo amicorum, ac a Deo gubernatorum, atque divinitus munitorum imperatorum nostrorum prosperitatem et tropæa, et in melius de die in diem rerum Romani imperii translationem, ut et vos gaudentibus nobis congratulemini per mutuam unius corporis membrorum coaffectionem et compassionem, et iterum Dei boni gratia et cooperatione ad mediocritatem nostram ma- B turius remeaturum, et bona nuntia amabilissima vitæ vestræ allaturum ad ecclesiam nostram, ut et in hac parte collætemur vobis, et eum, qui solus est investigabilis Dominus, et sapientissimus substantiarum factor, et continuus procurator universorum, glorificemus et magnificemus, qui magis ac magis roboret sanctitatem tuam, et conservet utrimque immaculatam atque illæsam ad ecclesiasticorum negotiorum personarumque profectum, et utilitatem et gloriam omnitenentis Dei principalis benignitatis ejus. Quod autem, sanctissimis vicariis paternæ sanctitatis vestræ adhuc præsentibus, penitus perfectum non est, neque finem accepit, rogamus nunc terminari, et disponi perfecte, ac integre scribi ad humilitatem nostram de his lectoribus qui tonsi sunt C a Photii manus impositione : qui cum sint pene innumerabilis multitudinis in universis regionibus et civitatibus Ecclesiæ, postulant ex necessitate aliorum fieri sacerdotalem provectum : ut cognoscamus etiam et super hac re vestram voluntatem atque decretum certissime et manifestissime, utrum sint digni promoveri ad majores sacerdotii gradus, an non sint : dubium enim hoc tantum dimiserunt : et adhuc postulamus etiam de intimo filio nostro et fortissimo veritatis agonista, Paulo videlicet chartophylace, ut, si est possibilis in eum dispensationis aliqua ratio, recipiat dignitatem episcopatus, quemadmodum et antea in litteris nostris efflagitavimus. Deinde quoque super Theodoro, qui a nobis quidem consecratus est metropolita Cariæ multum autem laboravit, D et afflictus est ab initio injustiæ ac iniquæ dejectionis nostræ, in novissimis vero cum misero Photio conveniens, propter ejus immensa tormenta quæ sibi resistentibus inferebat, consensit, et usque ad ultimum ipsius diem repœnitens, nihilominus rursus corde contrito et spiritu humilitatis veniam expetivit. Prohibuerunt enim eum sacerdotio fungi quoquo modo sanctissimi vicarii almitatis vestræ, et quod subscripserit, ut fatebantur in eam, quæ facta est ab infelicissimo Photio quasi depositio beatissimi et optimi Patris nostri Nicolai decessoris sanctitatis tuæ. Hæc sunt de quibus rogamus sanctitatem vestram, ut, si possibile sit, utatur verbo dispensationis et misericordiæ in his, cum alia omnia optimum

et commodum finem ac dispositionem susceperint. Cæterum dona nobis sanctas et cum Deo loquentes orationes tuas, sanctissime et imitator Dei frater noster : donet is nobis per multa annorum curricula utrumque incolumes. Indicia vero magnæ et caræ dilectionis nostræ misimus sanctitati tuæ ista, Græco-latinum evangelium diligentissime correctum, orarium deauratum, casulam optimam, theriacam probatissimam. Deus autem qui omnia condidit, et contrariarum qualitatum operationem in unam et eamdem coaptavit suostantiam, et continet, et salvat, per sanctas orationes tuas pacificet magis ac magis, et consonantem ac unius opinionis a finibus usque ad fines sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam habere dignetur.

« *Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis ac spiritualibus filiis Basilio, Constantino et Leoni, piissimis et tranquillissimis imperatoribus.*

« Lectis excellentis imperii vestri... » *Reliqua vide Patrologiæ tomo* CXXII, *inter epistolas Adriani papæ.*

SANCTA

Synodus septima generalis

NICÆNA SECUNDA

Anastasio Bibliothecario interprete.

(Apud Labbeum, Conc. tom. VIII, pag. 29.)

PRÆFATIO ANASTASII IN SEPTIMAM SYNODUM

AD JOANNEM VIII PONTIFICEM MAXIMUM.

Domino coangelico Joanni pontifici summo et universali papæ Anastasius exiguus.

Ex interpretata nuper decessori vestræ beatitudinis Adriano [a] reverendæ memoriæ papæ sancta octava et universali synodo, indecorum et inconveniens arbitratus sum septimam synodum [b], quæ præsidente in vicariis suis beatæ recordationis prædecessore vestro Adriano [c] apud Nicæam secundo conveniens sub Irene seu Constantino imperatoribus celebrata est, non habere Latinos. Nam nulla ratione octava dicitur vel teneri poterit, ubi septima non habetur : non quod ante nos minime fuerit interpretata, sed quod interpres pene per singula relicto utriusque linguæ idiomate, adeo fuerit verbum e verbo secutus, ut quid in eadem editione intelligatur, aut vix aut nunquam possit adverti, in fastidiumque versa legentium, pene ab omnibus hac pro causa contemnatur. Unde a quibusdam nec ipsa lectione, ut non dicam transcriptione, digna penitus judicatur : quod ipse intuens, nec proprio infirmo corpori parcens, auxiliante Domino hanc nisus sum interpretari Latinis, indecens et incongruum censens vestram maxime omnium Ecclesiarum magistram, Romanam videlicet Ecclesiam, eadem synodo defraudari, cum videam posteriori, id est octava, magnificentissime decorari. Præsertim cum sacræ bibliothecæ vestræ, cujus minister vestra dignatione consisto, ex hoc quod desuper mihi datum est, debitor sum ministrare : si tamen æmulatus Apostolum, ministerium meum studeam honorare. Sane notandum est, quædam in hac synodo ex apostolorum et sextæ universalis synodi canonibus et sententiis inveniri, quæ penes nos interpretata nec habentur nec admittuntur. Et certe de apostolorum canonibus liquido novimus, quoniam his quidam facile [facilem] non præbuere consensum. Sed et prædecessor vester beatissimus papa Stephanus non ex his plusquam quinquaginta recipiendos synodice promulgavit; licet quædam constituta pontificum ex ipsis canonibus assumpta esse videantur. Unde apostolatu vestro decernente non solum illos solos quinquaginta canones Ecclesia recipit, [d] sed et omnes eorum [e], utpote Spiritus sancti tubarum, quin et omnium omnino probabilium Patrum, et sanctorum conciliorum regulas et institutiones admittit, illas duntaxat quæ nec rectæ fidei, nec probis moribus obviant, sed nec sedis Romanæ decretis ad modicum quid resultant, qui potius adversarios, id est hæreticos, potenter

[a] Adrianus II hic erat.
[b] Universalem.
[c] De Adriano loquitur hujus nominis primo.
[d] Canones apostolorum.
[e] Id est pontificum Romanorum.

impugnant. Ergo regulas, quas Græci a sexta synodo perhibent editas, ita in hac synodo principalis sedes admittit, ut nullatenus ex his illæ recipiantur, quæ prioribus canonibus vel decretis sanctorum sedis hujus pontificum, aut certe bonis moribus inveniuntur adversæ: quamvis omnes hactenus ex toto maneant apud Latinos incognitæ, quia nec interpretatæ; sed nec in cæterarum patriarchalium sedium, licet Græca utantur lingua, reperiantur archivis: nimirum quia nulla earum cum ederentur, aut promulgans, aut consentiens, aut saltem præsens inventa est, quanquam eosdem Patres illas Græci promulgasse perhibeant, qui in sexta synodo sunt inventi: sed hoc nullis probare certis possunt indiciis. In eo sane, quo frequenter universalem œcumenicum in hac synodo Græci patriarcham suum inconvenienter appellant, apostolatus vester adulationi veniam det, sæpe prælatis suis non sine reprehensione placere studentium. Verum cum apud Constantinopolim positus frequenter Græcos super hoc vocabulo reprehenderem, et fastus vel arrogantiæ redarguerem; asserebant, quod non ideo œcumenicum, quem multi universalem interpretati sunt, dicerent patriarcham, quod universi orbis teneat præsulatum; sed quod cuidam parti præsit orbis, quæ a Christianis inhabitatur. Nam quod Græci œcumenem vocant, a Latinis non solum orbis, a cujus universitate universalis appellatur, verum etiam habitatio, vel locus habitabilis nuncupatur. Sed et illud notandum, quoniam ubicunque in hujus synodi textu subsistentiam posui, personam intelligi volui. Quod enim Græce hypostasis dicitur, hoc nonnulli personam, nonnulli vero subsistentiam interpretati sunt. Porro subsistentiam multi personam, multi vero substantiam etiam intellexerunt. At illos ego secutus, qui subsistentiam non substantiam, sed personam intelligi voluerunt (magni quippe sunt), ubicunque Græce in hoc codice hypostasim reperi, in subsistentiam transtuli, hanc personam, sicut et alii quamplurimi, volens intelligi. Tanta igitur auctoritate sancta Ecclesia prædita non potest dissimulare: non potest quisque semet rationabiliter ab imaginum sacrarum adoratione avertere. Alioquin vestra debet pia doctrina doceri, censuraque apostolica corrigi.

A Præsertim cum nulli sit fas a suo capite discidendi [discedendi], nec quod vestram viderit tenere sedem, quæ omnium est magistra, quoquomodo respuendi. Quæ enim super venerabilium imaginum adoratione præsens synodus docet, hæc et apostolica sedes vestra, sicut nonnulla conscripta innuunt, antiquitus tenuit, et universalis Ecclesia semper venerata est, et hactenus veneraretur: quibusdam duntaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondum est harum utilitas revelata. Aiunt namque quod non sit quodlibet opus manuum hominum adorandum; quasi non sit codex Evangeliorum opus manuum hominum, quem quotidie osculantes adorant; venerabilior cane, quem non esse opus manuum hominum proculdubio non negabunt. Similiter et forma sanctæ crucis, B quam se adorare omnes ubique Christiani fatentur: in quo videlicet considerare libet, quia si quamlibet crucem auream vel argenteam aut ligneam adoramus, quæ utique non eadem est ipsa crux, in qua salus nostra patrata est, sed figura et imago ejus; quare non adoremus figuram et imaginem ejus, qui eamdem salutem operatus est in medio terræ? Venerabilior namque est qui salutem operatus est, quam ea materia, in qua idem salutem operatus est. Ac per hoc magis adoratione digna imago Christi salutem operantis, quam imago crucis salutem tantummodo bajulantis. Quamobrem, beatissime papa, super montem excelsum ascende, sta in fortitudine, quasi tuba vocem exalta. Ecce enim Deo auctore, angelo tua, ut quondam Petri (*Act.* XII), percutiente latera surrexisti; lumbos accinxisti, lucernam accendisti, zelo Dei comederis. Superest tantum, ut fidem quam credis, doceas; vitam quam tenes, cunctis ostendas: quatenus Deo auctore, te filio excussorum, prophetarum scilicet et apostolorum, ductore, per invia nos omnes Christi oves solertiæ tuæ per Petrum et in petra commissæ, inoffensis gressibus incedamus, et ad amœna vitæ perennis pascua Christo aperiente, qui claves regni in ipso et per ipsum tibi tradidit, feliciter ingredi mereamur. Apostolatum vestrum ad exaltationem Ecclesiæ suæ, ac communem nostrum salutem, per multos annos gratia superna custodiat, domine sanctissime papa.

TITULI

designantes in brevi quæ in hoc codice continentur.

Prima actio continet testimonia diversarum probabilium Scripturarum, quibus ostenditur hæreticos ab hæresi ad orthodoxam fidem conversos posse suscipi. Similiter et eos, qui cum fuerint sintve orthodoxi, manus tamen impositionem ab hæreticis habuerunt.

Secunda vero continet actio lectionem epistolarum Adriani papæ Romani, et secundum tenorem D earum cunctorum sacerdotum qui interfuerunt synodo, professionem et promulgationem.

Tertia autem actio continet receptionem antistitum ab hæresi conversorum, et synodica Tarasii patriarchæ, et rescripta orientalium sacerdotum, nec non et subscriptiones episcoporum, Adriani papæ

ac Orientalium pontificum scripta approbantium, et ita se sapere profitentium.

Quarta dehinc actio circumfert testimonia sacræ Scripturæ ac diversorum sanctorum Patrum pro imaginibus.

Quinta præterea continet actio testimonia ostendentia, Iconomachos æqualia super imaginibus reprobis quibusque operari vel sapere hæreticis.

Sexta vero designat actio hæreticorum blasphemias, et harum validam destructionem.

Septima porro circumfert actio terminum sanctæ synodi hujus, subscriptiones episcoporum, epistolam synodi imperatoribus missam. Item aliam ad clerum Constantinopolitanum; sermonem laudatorium, et canones ab eadem synodo promulgatos. Item epistolam Tarasii sanctissimi patriarchæ ad Adrianum summum pontificem pro synodo. Item ejusdem ad eumdem de non ordinandis ecclesiasticis officiis per pecunias. Item ejusdem ad Joannem presbyterum, hegumenum et anachoretam, pro eadem re.

CONSTANTINI ET IRENES AUGG.

DIVALIS SACRA

Ad sanctissimum et beatissimum Adrianum papam senioris Romæ directa.

Qui a Domino nostro Jesu Christo vero Deo nostro suscipiunt sive imperii dignitatem, sive principalis sacerdotii honorem, debent quæ illi placita sunt, et cogitare et curare, et creditos sibi ab illo populos secundum ejus voluntatem regere et gubernare. Ergo debitum nobis et vobis, o sanctissimum caput, hoc est, ut irreprehensibiliter quæ ejus sunt sapiamus, et in suis versemur, utpote ab ipso nos quidem imperium, vos vero principalis sacerdotii dignitatem suscipientes. Incipimus ergo hinc sermonem. Scit vestra paterna beatitudo quæ pridem facta sunt in hac nostra regia civitate propter venerabiles imagines; qualiter qui ante nos regnaverunt, eas destruxerunt, et in dehonestatem atque injuriam posuerunt: (utinam illis non imputetur; melius enim fuerat non mittere manus suas in Ecclesiam:) et omnem populum qui hic est, imo orientalem eodem modo seduxerunt, et in propriam voluntatem retraxerunt; usquequo Deus suscitavit nos regnare in his, qui in veritate quærimus gloriam ejus, et tenere quæ tradita sunt ab apostolis suis et omnibus suis doctoribus. Unde nunc constanter cum mundo corde et vero cultu, quæ ad Deum pertinent, una cum omnibus subditis nostris et his sacerdotibus doctissimis, locuti sumus, et cum consilio decrevimus, ut fieret universale concilium. Et rogamus vestram paternam beatitudinem; imo vero Dominus Deus rogat, *qui vult omnes salvos fieri et in agnitionem veritatis venire* (*I Rom.* II); ut det se ipsam, et nullam tarditatem faciat, et ascendat huc in stabilitatem et firmitatem antiquæ traditionis super venerabilibus imaginibus: debitum enim illi est hoc facere; agnoscit vero quia scriptum est: *Consolamini, consolamini populum meum sacerdotes, dicit Dominus* (*Isa.* XL). Et: *Labia sacerdotum custodiunt scientiam, et de ore ejus egredietur lex, quoniam angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II). Et iterum divinus et veritatis prædicator Apostolus, qui ab Jerusalem et circuitu usque Illyricum prædicavit Evangelium, sic mandavit: *Pascite gregem Domini cum disciplina, quem acquisivit proprio sanguine* (*Rom.* XV). Et tanquam verus primus sacerdos, et is qui in loco et sede sancti et superlaudabilis apostoli Petri præsidet, sicut dictum est, ascendat, et simul cum omnibus sacerdotibus, qui hic sunt, inveniatur, et voluntas Domini fiat: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo*, sicut evangelice didicimus, *ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Certificetur enim et confirmetur a magno Deo et rege, omniumque Domino nostro Jesu Christo, et a nobis servis ejus, quod ascendentem vestram paternam et sacram beatitudinem huc cum omni honore et gloria habemus et suscipere, et quæ opportuna sunt impartiri. Et iterum expleto capitulo, quod beneplacito Dei Christi speramus fieri, cum honore et magnitudine præire illam habemus ad remeandum ad propria. Si enim non potuerit ascendere huc (quod putamus non fieri: scimus enim eum studiosum esse circa divina) eligat viros honorabiles, habentes scientiam, et dirigat una cum syllabis, ut inveniantur ex persona sacræ et paternæ vestræ beatitudinis hic. Verumtamen convenientibus ipsis cum omnibus sacerdotibus qui hic sunt, synodice confirmetur antiqua traditio sanctorum Patrum nostrorum, et confundatur omne zizanium male plantatum, et Domini nostri Salvatoris Jesu Christi verbum impleatur, quoniam *portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Et ex hoc non sit schisma et separatio in una sancta catholica et apostolica Ecclesia, cujus est caput ipse Christus verus Deus noster. Constantinum præterea sanctissimum episcopum Leontinum [Leontinæ] Christo amabilis Siciliæ nostræ insulæ, quem etiam noscit paterna vestra beatitudo, adduximus ad nos, et facie ad faciem loquentes direximus cum præsenti nostra venerabili jussione ad vos. Qui cum venerit ad vos, continuo absolve eum, ut remeet ad nos, scribens nobis per ipsum adventum tuum, quibus diebus habet moveri illinc et proficisci ad nos: porro sanctissimum episcopum Neapolitanum omnino tenere habet, ut cum ipso ascendat huc. Etenim

iter vestrum per Neapolim et Siciliam habet fieri ; et super hoc stratego Siciliæ jussimus, ut omnis requiei et honoris vestri curam habeat, quo veniat vestra paterna beatitudo ad nos. (Legimus.) Data IV Kalendas Septembris, indictione 7, a regia urbe.

APOLOGETICUS

Ad populum a TARASIO *a secretis compendiose dictus die qua intimaverunt imperantes Irene et Constantinus populis, ut fieret patriarcha : qui et promotus est indictione octava, anno a creatione mundi* 6293.

Immaculatæ fidei nostræ, id est Christianorum custodes, et eorum quæ in gloriam Dei fiunt æmulatores, fideles imperatores nostri, tanquam omnium in beneplacitum ejus, et in commodum nostrum, Christianorum videlicet curam facientes, et maxime nunc ecclesiastica negotia diligenter et sollicite considerantes, quo summus sacerdos in hac regia urbe sua constitueretur, in suæ pietatis animum me assumpserunt, et, ut manifestum mihi redderetur quod consiliati sunt, præceperunt. Cum ego hoc me indignum esse pronuntiarem, et nullam condescensionem facerem (utpote qui jugum hujus sarcinæ portare et sufferre non possem), jusserunt me adduci ante faciem vestram, pro eo quod et hujus consilii participes effecti sitis. Et nunc, viri Dominum timentes, et eum semper in cordibus vestris habentes, vos aio, qui Christi vocatione, veri videlicet Dei nostri, nominamini Christiani ; audite brevis sermonis ab exiguitate ac humilitate nostra rationem. Ego quidem quidquid piissimis imperatoribus nostris et per omnia orthodoxis responderim, etiam in conspectu vestro rationis meæ apologia respondeo. Timore deprimor ad consentiendum huic electioni, et revereor a facie Dei currere taliter et quomodolibet incircumspecte, ut non terribili damnationi succumbam. Si enim Paulus divinus apostolus, qui Dei voces audivit, cœlumque habuit correptorem [*Gr.* scholam ; *al.*, correptionem], et paradisi inspector effectus est, audivitque arcana verba, et portavit nomen Dei in conspectu nationum et regum, Corinthiis scribens dicebat : *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX) ; quomodo ego qui in mundo conversatus, et cum laicis connumeratus, imperatoriis ministrationibus militavi, sic absque dijudicatione atque circumspectione possum insilire ad sacerdotii magnitudinem ? Horrendum conamen ad exiguitatem meam, et temerarium studium ; causa vero timoris, et meæ refutationis, hæc est : Aspicio enim et video Ecclesiam, quæ super petram Christum Deum nostrum fundata est, scissam nunc et divisam, et nos alias atque aliter loquentes, et aliter eos Christianos qui in Oriente unius nobiscum sunt fidei ; sed et his concordantes Occidentales, et nos ab omnibus illis alienatos, et a se per singulos dies anathematizatos habere. Dira pœna est anathema, procul a Deo emittit, et e regno cœlorum persequitur, et ducit in tenebras exteriores. Nescit Ecclesiæ lex vel terminus sectam sive contentionem ; sed sicut novit confiteri unum baptisma, unam fidem, ita et concordiam unam in omni ecclesiastico negotio. Nihil enim est in conspectu Dei tam acceptum atque placabile, quam ut unum simus, et una efficiamur Ecclesia catholica, quemadmodum in sinceræ nostræ fidei symbolo confitemur. Et petimus nos, fratres, ut reor et vos, quoniam scio vos timorem Dei habere, a piissimis et orthodoxis imperatoribus nostris synodum universalem colligi : ut efficiamur nos, qui unius Dei sumus, unum ; et qui Trinitatis cultores existimus, uniti et unanimes et collegæ ; et qui capitis nostri Christi sumus, efficiamur corpus unum, compactum atque connexum : et qui sancti Spiritus sumus, efficiamur non contra invicem, sed pro invicem : et qui veritatis existimus, efficiamur idipsum sapientes atque dicentes, et non sit in nobis certamen sive dissensio : ut pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, muniat omnes nos : et si quidem jusserint orthodoxiæ propugnatores, imperatores videlicet nostri, postulationi meæ justæ annuere, consentio et ego, et jussionem eorum implebo : sin autem, impossibile mihi est hoc facere, ne subjiciar anathemati, et inveniar condemnatus in die Domini nostri et justi judicis ; ubi neque imperator [imperatores], neque sacerdos [sacerdotes], neque princeps [principes], neque hominum multitudo poterit eripere me ; et quidquid placuerit vobis, fratres, date apologiæ meæ, imo vero petitioni meæ responsum. Et libenter audierunt omnes quæ dicta sunt, consensum præbentes, ut fieret synodus. Quidam autem perpauci ex insipientibus differebant. At vero qui a secretis, rursum ad populum disputans respondebat, quia dominus Leo imperator subvertit imagines ; et quando synodus facta est, subversas illas invenit : et quod propter imperatoriam manum subversæ sunt, iterum quæstionem habet idem capitulum ; quoniam antiquam consuetudinem in Ecclesia traditam præsumpserunt, sicut eis libitum fuit, exterminare, sed veritas Dei non est alligata. Promotus autem scripsit synodicas litteras patriarchis, Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ, et sanctæ civitatis, quas invenies 2 et 3 actione cum rescriptis eorum.

CONSCRIPTIO BREVIS

Indicans quæ facta sunt ante synodum.

Venientibus itaque a Roma quidem Petro et Petro Deo amicissimis presbyteris, et deferentibus prælatas litteras : ab Oriente vero, Joanne et Thoma reverendissimis presbyteris et monachis atque syncellis patriarcharum ibidem existentium, et ipsis pari modo deferentibus prænotatas litteras, præceperunt instauratores [moderatores] imperii convenire episcopos. Qui cum pervenissent in conservatam a Deo et regiam urbem, apud Thraciam moras faciebant potentissimi principes. Plures autem ex ipsis [episcopis] in hæresi Christianos accusantium volutati conturbabant una cum quibusdam non pauco numero laicis, non admittendum ad efficiendam synodum, sed consentiendum depositioni et injuriæ venerabilium imaginum ; et factiones non paucas, et susurrationes contra patriarcham commovebant, ita ut conventicula facerent. Hæc ergo consiliantibus illis, aures non latuit patriarchæ, sed adhuc conciliabula sua facientibus, direxit eis, quia Constantinopolis episcopum habet, et præter notitiam ejus non est vobis licentia conventicula faciendi. Nam secundum canones depositioni subjicimini. Quo audito episcopi retraxerunt se timore quodam obsessi. Intrantibus itaque imperatoribus, et populi ordinibus, scholariis videlicet, excubitoribus, et cæteris militiis quæ militabant in regia urbe, definitur fieri synodus in venerabili templo sanctorum et laudabilium apostolorum. Igitur pridie quam status dies advenisset, per meridiem commoti sunt milites furore ferventes, insaniamque spirantes; et venientes ad luterem sanctæ catholicæ Ecclesiæ, aliud atque aliud clamabant. Sed vox omnium in unum terminabatur, quia videlicet non esset permissum fieri synodum. Porro patriarcha relata causa imperatoribus, nequaquam prohibitus est, quominus fieret episcoporum conventus in prædicto venerabili templo [*Gr. add.*, sed postridie facta est congregatio episcoporum in ipso]; factisque quibusdam allocutionibus tam a sanctissimo patriarcha, quam a Deo amabilibus antistitibus, et lectis quibusdam A synodicis conscriptis, quæ perhibent non oportere aliquando synodum universalem fieri præter consensum cæterorum sanctissimorum patriarcharum : cumque legerentur hæc, facta est turba militum, et ante januas venerandi templi simultatem et clamorem faciebant, qui ex submissione quorumdam episcoporum, qui in synodo male sentiebant, ad hoc moti, reperti sunt esse. Quibus peractis, imperium per cubicularium omni synodo jussit dicere : Interim abscedite, ut populi inordinatum impetum evadamus; et posthac voluntas Domini fiet : taliter quod antistitibus e templo egredientibus, quidam eorum veritati resistentes cum turba concinnaverunt, et impie declamationem faciebant pseudosyllogi (a *Sed catholicus scriptor hæreticorum conciliabulum, quod* B *ante hanc synodum factum est, quodque septimam synodum appellabant, pseudosyllogum, falsum collegium nuncupat*), ut septimam hanc synodum collaudantes atque nominantes. Cum ergo taliter malignum concilium clamorem emisisset, et hora esset quasi sexta, domum jam esurientes abibant, et ita commotio seditionis sopita est. Tunc imperatores jusserunt milites exire, quasi sub prætextu quidem hostilis aciei, dantes famam, quod gens Agarenorum hostiliter fuisset egressa. In veritate autem eos foras pellebant de regia civitate. Ergo cum fecissent isti viam usque ad Malagenam, per jussionem eorum omnes expellebant pariter et aspernabantur, ne horum cura fieret [et dimittebant, quod eorum opera non indigerent], jubentes singulos abire in C patriam suam. Quibus ita peractis, mansit Ecclesia anno uno quieta, tantummodo patriarcha verbum veritatis omnibus prædicante. Et mox anno transacto, denuo præcipiebant piissimi imperatores, ut fieret synodus in Nicænorum metropoli : et præceptum deveniebat in finem, episcopis quasi congregatis [episcopis s. cong.] in unum, similiter et patriarcha cum vicariis Orientis et Occidentis ad eamdem pervenit urbem : et facta est synodus beneplacito Dei secundum actiones quæ proferuntur.

a Verba Anastasii.

MONUMENTA
SYNODI APUD NICÆAM SECUNDO CELEBRATÆ.

ACTIO PRIMA.

In nomine Domini et dominatoris Jesu Christi veri Dei nostri, imperio piissimorum et amicorum Christi dominorum nostrorum Constantini et Irenes matris ejus, octavo anno consulatus eorum, octavo Kalendas Octobrias, indictione 11.

Conveniente sancta et universali synodo, quæ per divinam gratiam et piam sanctionem eorumdem Deo confirmatorum imperatorum congregata est in Nicæensium clara metropoli Bithiniensium provinciæ: id est, Petro reverendissimo archipresbytero sanctissimæ Romæ Ecclesiæ scilicet apostoli Petri, et Petro reverendissimo presbytero, monacho et abbate venerabilis monasterii sancti Sabbæ Romæ siti, retinentibus locum apostolicæ sedis almi et sanctissimi archiepiscopi senioris Romæ Adriani: Tarasio almo et sanctissimo archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ, Joanne ac Thoma reverendissimis presbyteris, monachis et vicariis apostolicarum sedium Orientalis diœceseos, Agapito [Agapio: *atque ita mss. codices*] episcopo Cæsareæ Cappadociæ, Joanne episcopo Ephesi, Constantino episcopo Constantiæ Cypriorum insulæ, Nicolao episcopo Cyzici, Euthymio episcopo Sardis, Petro episcopo Nicomediæ, Stauracio episcopo Chalcedonis, Elia episcopo Cretæ, Epiphanio diacono Ecclesiæ Catanensis et locum obtinente Thomæ archiepiscopi Sardiniæ; Joanne monacho et locum obtinente Nicephori episcopi Dyrrachii, Damete episcopo Amasiæ, Nicolao monacho et abbate monasterii quod cognominatur Apri, et vicario metropoleos Tyanensium; Constantino episcopo Gangrensium, Niceta episcopo Claudiopoleos, Theophylacto diacono et vicario Stauropolitanorum metropoleos, Eustathio episcopo Laodiceæ, Michaele episcopo Synadensi, Constantino episcopo Pergæ, Anastasio episcopo Nicopoleos veteris Epiri, Christophoro episcopo Phasidii, Theodoro episcopo Seleuciæ, Basilio episcopo Sylæi, Nicolao monacho et vicario metropoleos Mocissi, Manuel episcopo Hadrianopoleos Thraciæ, Constantino episcopo Regii, Cyrillo monacho et locum retinente Nicetæ episcopi Gothiæ, Theodoro episcopo Catanæ, Joanne episcopo Tauromeniæ, Gaudioso episcopo Messanæ, Theodoro episcopo Panormi, Stephano episcopo Bibonensium, Constantino episcopo Leontinæ, Theodoro episcopo Taurianæ, Christophoro episcopo sanctæ Cyriacæ, Theotimo [Theodoro] episcopo Crotonensium, Basilio episcopo Nessiorum, Constantino episcopo Cannæ [Carinæ], Joanne episcopo Iereopoleos [Trocaleos], Theophane episcopo Lilybæi, Theodoro episcopo Tropæorum, Sergio episcopo Nicoterensium, Galatone presbytero et locum retinente Stephani [Christophori] episcopi Syracusani, Theodoro episcopo Bizyæ, Mauriano episcopo Pompeiopoleos, Gregorio presbytero et vicario Smyrnæ. . . episcopo Leontopoleos, Sisinnio episcopo Parii, Eustratio episcopo Apamiæ [*al.*, Amasiæ], Petro episcopo Germiorum, Joanne episcopo Arcadiopoleos, Epiphanio episcopo Mileti, Gregorio presbytero et vicario episcopatus Nicopoleos, Niceta episcopo Protonesiorum [Proconnesi: Proconnesi], Eustratio episcopo Methymnæ, Leone episcopo Cii, Joanne episcopo Apri, Theophylacto episcopo Cypsallorum, Stephano [Theophane] episcopo Sugdaorum, Leone episcopo Mesembriæ, Joanne episcopo Nyssæ, Gregorio [Georgio] episcopo imperialium Thermarum, Gregorio [Georgio] episcopo Camulianensium, Sotherico episcopo Ciscisensium, Constantino episcopo Mastaurensium, Georgio episcopo Briulensium, Theodosio [Theodoro] episcopo Nyssæ, Theophylacto episcopo Trallæ, Basilio episcopo Magnesiæ Anelii, Ignatio episcopo Prunæ [Prinæ], Sabba episcopo Ancorum, Basilio episcopo Magnesiæ Mæandri, Gregorio episcopo Palæaspoleos, Theophane episcopo Caloæ, Leone [Leontio] episcopo Algizorum, Nicodemo episcopo Evazensium, Lycasio episcopo Baretensium, Theophylacto episcopo Hypæpensi, Eustathio episcopo Erythrensium, Theophane [Theophylacto] episcopo Lebedi, Stratonico episcopo Cymæ, Theophylo episcopo Cunnensium [Tymnorum: Tyranensium], Cosma episcopo Myrrhinæ, Olbiano episcopo Elææ, Pardo episcopo Pitanæ, Basilio episcopo Pergami, Basilio episcopo Adramytii, Marino episcopo Atandri, Joanne episcopo Assi, Leone episcopo Phociæ, Nicephoro diacono et vicario Gargarensium, Constantino diacono et vicario Agahæ, Theognide vicario Sion, Theophylacto vicario Tei, Joanne episcopo Rhædesti, Joanne episcopo Pravidos [Panii: Panidos] Melchisedech episcopo Calliopoleos [Callipoleos], Leone episcopo Madyti, Sisinnio episcopo Zuruli, Theophylacto episcopo Chariopoleos, Thoma episcopo Daonii, Gregorio episcopo Theodoropoleos, Sisinnio episcopo Chalcedonis [Chal-

cidis] Thraciæ, Joanne episcopo Bryseos, Benjamin episcopo Lizici, Constantino episcopo Juliopoleos, Petro episcopo Asponæ, Synesio episcopo Cinnæ, Theophilo episcopo Anastasiopoleos, Leone episcopo Minzi, Anthimo episcopo Berinopoleos, Spyridone episcopo Cyprensium [Cythrorum], Eustathio episcopo Solensium, Theodoro [episcopo] Citii, Georgio episcopo Trimithuntensium, Alexandro episcopo Amathuntos, Michaele episcopo Meletiopoleos, Theodoro episcopo Germæ, Basilio episcopo Adranuthyrensium, Leone episcopo Pœmanini [Pomanini], Symeone episcopo Ocæ, Strategio episcopo Dardanensium, Joanne episcopo Lampsaci, Theodoto episcopo Palæorum, Niceta episcopo Hilei, Leone episcopo Troadensium, Theodoro episcopo Abydi, Anastasio episcopo Tripoleos, Leone episcopo Traculorum, Stephano episcopo Salensium, Joanne episcopo Tabalensium, Stephano episcopo Silandi, Joanne episcopo Setensium, Theophane episcopo Myoniæ [Meoniæ], Lycasto episcopo Philadelphiæ, Michaele episcopo Trallæ, Georgio [Gregorio] episcopo Gordorum, Joanne episcopo Daldæ, Eustathio episcopo Orcanæ, Theopisto episcopo Hermocapeliæ, David episcopo Helenopoleos, Cyrione episcopo Loti [Lophi], Theophylacto episcopo Apolloniadis, Constantino episcopo Cæsareæ Bithyniæ, Georgio episcopo Basinopoleos, Leone episcopo Aristæ, Nicephoro episcopo Hadrani, Basilio presbytero et vicario Dascylii, Niceta episcopo Melæ, Neophyto episcopo Gordoservorum, Leontio episcopo Lineæ [Liboæ], Leone episcopo Aspendonensium, Joanne episcopo Hetenensium, Leone episcopo Amisi [Aminsi], Constantino episcopo Zelensium, Mariano vicario Zalichi, Gregorio episcopo Sinopæ, Georgio episcopo Nicopoleos [superioris], Constantino episcopo Asimensium [Sasimorum], Gregorio [Georgio] episcopo Amastræ, Heraclio episcopo Junopoleos, Theophane episcopo Sorensium, Niceta episcopo Dadybrensium, Theophilo episcopo Prusiadis, Constantino episcopo Cratiæ, Niceta episcopo Hadrianopoleos, Joanne episcopo Heracleæ Ponti, Theodoro episcopo Comanensium, Niceta episcopo Brizæi [Bryzei], Nicephoro episcopo Clanensium, Leone episcopo Trocnadensium, Leone episcopo Corydalensium, Anastasio episcopo Patarensium, Georgio episcopo Nissæ, Stephano episcopo Araxorum, Theodoro episcopo Pinnarorum, Nicodemo episcopo Sidymensium, Georgio episcopo Huniandi, Constantino episcopo Candibensium, Stauracio episcopo Zenonopoleos, Leone [Leontio] episcopo Limyrensium, Stephano episcopo Caunensium, Constantino episcopo Thensium [Tlensium], Constantino episcopo Combensium, Petro diacono et vicario Oricandensium, Joanne diacono et vicario Phaselidis, Theophylacto diacono et vicario Cariæ, Gregorio episcopo Cibyræ, Basilio episcopo Tabensium, Dorotheo episcopo Neapoleos, Constantino episcopo Alabandensium, Gregorio episcopo Heracliæ, David episcopo Jassi, Gregorio episcopo Mylassensium, Sergio episcopo Beligiensium [Begyliensium], Joanne episcopo Mindi, Stauracio episcopo Stadiæ, Gregorio episcopo Stratoniciæ, Anthimo episcopo Hylarimensium, Theophylacto vicario Amyzonis, Niceta vicario Halicarnassi, Mauriano vicario Ceramensium, Theodosio episcopo Chonensium, Michaele episcopo Chæretopensium, Pantaleone episcopo Velentiæ, Georgio episcopo Peltensium, Christophoro episcopo Atanasi, Leone episcopo Eumeniæ, Paulo episcopo Acmoniæ, Gregorio episcopo Timenutherensium, Leone episcopo Traianopoleos [Tranopoleos], Leone episcopo Aleus, Nicephoro episcopo Lundensium, Georgio episcopo Appiæ, Constantino episcopo Eucarpiæ, Michaele episcopo Hierapoleos, Niceta episcopo Nacoliæ, Christophoro episcopo Promissi [Probyssi], Nicolao episcopo Phytiæ, Theophylacto episcopo Cinnabori, Niceta episcopo Augustopoleos, Constantino episcopo Cottyaii [Cotyaei], Georgio episcopo Mediæi, Theophylacto œconomo et vicario Hypsi, Stephano electo Hotrensium, Joanne electo Hectorii, Constantino episcopo Ambladensium [Amaladensium], Epiphanio episcopo Pertensium, Sisinnio episcopo Philomelii, Michaele episcopo Pappensium, Theodosio episcopo Sagallai [Sagallassi], Sisinnio episcopo Apamiæ Ciboti, Constantino episcopo Conanæ, Nicephoro episcopo Adadensium, Petro episcopo Tyasi, Leone episcopo Baræ, Petro episcopo Seleuciæ Pisidiæ, Leone [Leontio] vicedomino et vicario Sozopoleos, Mariano episcopo Magydensium, Paulo episcopo Attaliæ, Nicephoro episcopo Floggensium, Leone [Leontio] episcopo Andidensium, Leone episcopo Sibyllensium, Manzone episcopo Pracanensium, Theodoro episcopo Germanicopoleos, Eustachio episcopo Cylindreos, Sisinnio episcopo Sycæ, Zacharia episcopo Cardabudensium, Sisinnio episcopo Musbadensium, Eustathio episcopo Lamensium, Theophylacto episcopo Zenupoleos, Constantino episcopo Dalisandi, Anastasio episcopo Lauzendensium, Macario episcopo Arcandorum.

Sedentibusque ante sacratissimum ambonem templi sanctissimæ magnæ ecclesiæ quæ cognominatur Sophia, præsentibus et audientibus gloriosissimis et magnificentissimis principibus, id est Petrona laudatissimo exconsule, patricio et comite Deo conservandi imperialis officii [Gr. obsequii], et Joanne imperiali ostiario et logotheta imperialis [militaris] logothesii, et reverendissimis archimandritis, hegumenis et monachis, propositis sanctis et intemeratis Dei Evangeliis.

Reverendissimi episcopi Siciliæ insulæ dixerunt : Dignum ducimus, et per omnia huic sanctæ et universali synodo conveniens esse perspicimus, ut ad exquirendorum inchoationem capitulorum sanctissimus et summus ac eximius pastor et præsul regiæ Constantinopoleos novæ Romæ proœmium faciat, et ostium verbo aperiat, et quæ congrua sunt, vociferando pronuntiet. Sancta synodus dixit : Fiat secundum postulationem sanctissimorum episcoporum.

Tarasius sanctissimus et beatissimus patriarcha

Constantinopoleos dixit : Opportunum est nunc dicere propheticam illam vocem, quam sæpe audivimus per Evangelium prædicari : *Erunt prava in directa, et aspera in vias planas* (*Luc.* III, *Isa.* XL). Quando enim Deus facit aliquid, omnis in his quæ aguntur facilitas sequitur, quoniam voluntati ejus resistit nullus. Nam etsi ex antiqui hostis immissione, qui vult concitare super [semper et conturbare] sanctam Ecclesiam catholicam, præterito anno Kalendis Augusti in Deo conservata regia urbe præsidentibus nobis in venerabili templo tubarum spiritus, sanctorum videlicet et laudabilissimorum apostolorum, commota est multorum turba virorum furore ac amaritudine plena, ut in nos manus injiceret; ex qua manu divina erepti sumus, habentes in auxilium quosdam episcopos, qui facile numerari possunt, quorum nomina voluntarie præterimus, quoniam omnibus nota sunt : et ad modicum visi sunt prohibuisse loqui, et confirmare pium veritatis sermonem. Sed mitissimi imperatores nostri divinitus acti, cum essent orthodoxiæ propugnatores, et sinistræ opinionis obluctatores, non dederunt somnum oculis suis, et palpebris suis dormitationem, donec tabernaculum Dei, id est, Ecclesiam ejus in unum restituerent, et pacificum hanc habitaculum redderent. Quapropter consilio et voluntate Dei rursus in idipsum congregaverunt nos. Verum pro his bonas recipient vicissitudines a Christo omnium nostrum imperatore, qui ad has multipliciter remetiendum potentissimus est. Nos ergo, sacrati viri, adjutorem illum invocantes, et in pectore nostro timorem ejus habentes, futurumque judicium in mente recipientes, accingamur lumbos mentis nostræ in veritate, et vigilantes in omnibus secundum Apostolum, æquilibraminis judicium judicemus; et omnem vocum novitatem, ambitum atque superfluitatem tanquam puro tritico superseminata zizania, sine omni dilatione radicitus evellamus, ut pote veritati obviantia, et Ecclesiæ repugnantia. Quæ enim in ea tradita sunt, non sunt *est* et *non*, sed *est* (*II Cor.* I) : existunt in veritate, et permanent incoarpta et immutilata in sempiterna sæcula. Sine mendacio quippe est qui repromisit dicens : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI); et si certificati fuerimus [sumus] quod placabile sit in conspectu Dei, conveniant qui præterito anno restitere veritati. Si quis est in illis sermo vel contradictionis vel etiam ratiocinationis, dicant. Ita namque omnis examinatio manifesta fiet.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Si videtur huic sanctæ et universali synodo, secundum quæ dicta sunt a sanctissimo et beatissimo patriarcha Tarasio, ingrediantur sanctissimi episcopi qui in hac criminati sunt parte, in conspectu hujus sanctæ et universalis synodi.

Sancta synodus dixit : Ingrediantur. Et ingressi sunt episcopi qui prædicti sunt. Cumque ingressi fuissent, gloriosissimi principes dixerunt : Domini nostri benigni honorabilem et adorandam sacram jusserunt mittere ad omnem sacratam synodum vestram. Et audite.

Sancta synodus dixit : Confirmet Deus imperium bonorum dominorum nostrorum ! Et delatam in manibus gloriosissimus a secretis Leontius eamdem piam sacram legit.

Sacra. Constantinus et Irene fideles imperatores Romanorum, sanctissimis episcopis, qui in voluntate et gratia Dei, et jussione pii imperii nostri convenerunt in Nicæna synodo.

Sapientia, quæ vere Dei et Patris est per naturam, Dominus videlicet Jesus Christus verus Deus noster per divinam suam et magnam carnis dispensationem removens nos ab errore idolorum, nostram assumpsit, et cooperatione connaturalis sui Spiritus renovavit naturam : et primus pontifex factus, hac vos appellatione dignos effecit, o sacri viri. Ipse igitur pastor bonus, qui ovem quæ erraverat super humeros portavit, hominem qui deciderat, proprio gregi, angelicis videlicet et administratoriis virtutibus suis consocians, reconciliavit nos in semetipso; medioque macerie sublato pariete, solvit inimicitiam in carne sua, pacificam nobis conversationem condonans. Propter quod evangelice omnibus prædicans edicebat : *Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). Ergo intra hanc beatitudinem, quæ nobis nobilitatem adoptionis filiorum donavit, inveniri pium imperium nostrum volens, ad pacem et concordiam omnem Romanam rempublicam nostram dirigere festinat. Præcipue autem sanctarum Dei Ecclesiarum boni ordinis sollicitudinem sumere cupit, atque sacerdotum mercari semper unitatem procurat, Orientis, Septentrionis, Occidentis et Meridiei : et præsules adsunt, Deo volente, per vicarios suos una cum reciprocis rescriptis ad synodicas litteras quæ missæ sunt a sanctissimo patriarcha. Ista enim antiquitus lex synodica catholicæ Ecclesiæ, quæ a finibus usque ad fines suscepit Evangelium. Igitur beneplacito et nutu ejus congregavimus vos sanctos sacerdotes ipsius, qui disponitis testamentum ejus super incruenta sacrificia, ut diffinitionibus synodorum quæ recte dogmatizaverunt, judicium vestrum simile fiat, et cunctis splendor spiritus illucescat : *Nemo enim accendens lucernam, ponit eam sub modio*, secundum Domini vocem, *sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Matth.* V). Sic enim et legislationes, quæ olim a patribus nostris pie traditæ sunt nobis, sequemini, et sanctæ Dei Ecclesiæ in pacifico ordine permanebunt. Adeo quippe confligimus pro veritate, et ad pietatem contendimus, et ecclesiastico ordini consulimus, antiquam legislationem confirmare volentes, ut et militaribus consiliis detenti, et reipublicæ curis vacantes, primum opus habeamus pacificam observantiam Ecclesiæ catholicæ, et in secundo hoc ponentes, ad sacratissimam vestram non fatigemur synodum congregandam; dantes unicuique licentiam, ut sine omni subtractione loquatur quæ sibi visa fuerint, ut distincta

[districta] examinatio fiat, et magis fiducialiter veritas agatur, quatenus et Ecclesiarum dissensio funditus abigatur, et pacis compago nobis omnibus coaptetur. Et quoniam Paulus sanctissimus patriarcha cum secundum divinam voluntatem a præsentibus vinculis absolvendus, et hanc peregrinationem dimissurus, atque ad habitationem, imo vero ad ipsum Dominum Christum profecturus esset, episcopatum refutavit, vitam eligens monachorum : nobis autem interrogantibus eum, quamobrem hoc fecerit, respondit : Quia si morte præoccupatus fuero in episcopatu Deo conservandæ regiæ urbis, anathema habebo a tota catholica Ecclesia, quod ducit in tenebras exteriores, quæ præparatæ sunt diabolo et angelis ejus : eo quod synodum quamdam dicant hic effectam, quæ subvertat imaginales picturas, quas Ecclesia catholica tenet, amplectitur, et ad commemorationem principalium suscipit. Hoc animam meam conturbat, hoc me in commonitionem adducit, quomodo effugiam judicium Dei, pro eo quod cum hujusmodi viris conversatus fuerim et computatus. Hæc vero etiam quibusdam gloriosissimorum principum nostrorum locutus est, et sic vita excessit. Hanc ergo terribilem sententiam considerante pio imperio nostro, quanquam et ante hoc ex multis audiverimus hujuscemodi jurgium, consilium nobiscum consiliati sumus, quidnam deberet fieri.

Et deliberavimus in consilio nostro, quod cum ordinatus foret patriarcha, quæ dicta fuerant, mox perciperent finem. Accersentes ergo viros ecclesiasticorum negotiorum expertos, et Christum Deum nostrum invocantes, et consilium cum eis facientes, quisnam dignus esset provehi ad sacerdotii cathedram hujus Deo conservandæ regiæ civitatis, et unius consilii animique omnibus factis, in Tarasium qui nunc in pontificali præsidet dignitate, dabatur decretum. Hunc itaque advocantes, ea quæ dicta sunt et decreta super eo, pronuntiavimus : qui nequaquam annuere voluit, neque consensum his quæ decreta fuerant, effici postulabat. Cumque nos eum, quamobrem obedire minime pateretur, percontati fuissemus : primo quidem respondit excusans se et super se jugum sacerdotii dicens. Nos autem intelligentes, quod excusationem quamdam faceret proponens non obediendum, nequaquam ab eo, sed permansimus persuadere illi conantes, quod susciperet summi sacerdotii dignitatem. Ipse itaque videns instantiam nostram, causam renuntiationis annuntiabat. Quoniam video, inquit, et conspicio Ecclesiam, quæ super petram, Christum scilicet Deum nostrum, fundata est, scissam nunc et diruptam, et nos aliud loquentes, et eos qui ex Oriente unius nobiscum fidei sunt, Christianos videlicet, aliter, et concordantes his qui ex Occidente consistunt, nosque alienatos ab illis universis, et per singulos dies ab omnibus anathematizatos, agnosco : et quia synodum universalem posco fieri, dum vicarii tam a papa Romano, quam ab Orientis principibus sacerdotum inveniuntur. Hæc nos innotescentes in præsentia sacerdotum et gloriosissimorum principum nostrorum, et totius Christo amabilis populi nostri, qui tunc hic aderant, virum eduximus, et in præsentia eorum quidquid nobis responderat, et ipsis affatus est : at vero universi illi hæc audientes libenter acceperunt, postulantes pacificum et pium imperium nostrum, ut fieret universalis synodus. Ergo huic petitioni annuimus, Deo vos, ut veritatem dicamus, congregare volente, et nos ad id dirigente. Igitur quoniam a toto terrarum orbe collegit vos Deus, consilium suum statuere volens; ecce propositis sanctis Evangeliis, et intelligibiliter clamantibus, *Juste judicate* (*Joan.* VII) : state stabiles pietatis propugnatores, et omnem novitatem vocum, et noviter apparentem seditionem recidere procurate, quemadmodum et Petrus primus princeps [principum] collegii apostolici, qui servilis deceptionis amentia percussa, Judaicæ auditionis sensum gladio abstulit (*Joan.* XVIII). Extendite securim spiritus, et omnem arborem germinantem fructum contentionis et dissensionis ac introductæ novitatis, aut magisterialibus vocibus transplantate, aut canonicis increpationibus concidite, et in ignem futuræ gehennæ transmittite : ut integrum Ecclesiæ corpus compactum et conveniens atque paterna traditione corroboratum pax spiritus custodiat, et totius Romanæ reipublicæ nostræ constitutio simul tranquilla cum fidei tranquillitate consistat. Litteras autem suscepimus missas ab Adriano sanctissimo papa senioris Romæ per vicarios ipsius, Petrum scilicet primum presbyterum, et Petrum Deo amabilem presbyterum et hegumenum, qui et vobiscum sedere videntur : et jubemus secundum jus synodicum in audientiam omnium recitari. Et cum debito silentio his auditis una cum apicibus in duobus quaternionibus a summis sacerdotibus, et sacerdotibus Orientalis diœceseos destinatis, per Joannem reverendissimum monachum et dudum syncellum patriarchalis Antiochiæ sedis, et Thom.. n presbyterum et hegumenum; qui et ipsi ecce vobiscum adsunt : per ipsos [ipsas] cognoscetis, qualis sit Ecclesiæ catholicæ sensus.

Sancta synodus dixit : Conservet Deus imperium ipsorum ! Longos faciat Deus annos eorum ! Peramplius gaudere concedat illos !

Et adductus est Basilius Ancyræ, et Theodorus Myrorum, et Theodosius Ammorii : et stantibus eis in medio sanctæ synodi, Basilius episcopus Ancyræ dixit : Quantum erat ad potentiam meam, domini, quæsivi causam, et omni satisfactione accepta, accessi ad catholicam Ecclesiam ego novissimus servus vester. Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Gloria Deo, qui vult omnes salvari, et ad agnitionem veritatis venire (*I Tim.* II).

Basilius episcopus Ancyræ ex libello ita legit. Legislatio est ecclesiastica canonice tradita desursum ab initio tam a sanctis apostolis, quam a successoribus eorum, sanctis videlicet Patribus nostris atque magistris; sed et sanctis et universalibus sex syno-

dis, seu localibus conciliis quæ orthodoxe collecta sunt, ut ab hæresi quacunque ad orthodoxam confessionem et traditionem catholicæ Ecclesiæ conversi, in scriptis suam abnegent hæresim, et fidem confiteantur orthodoxam. Unde et ego Basilius episcopus civitatis Ancyræ proponens uniri catholicæ Ecclesiæ, Adrianoque sanctissimo papæ, et Tarasio beatissimo patriarchæ, seu sanctissimis et apostolicis thronis Alexandriæ, sed et Antiochiæ, et sanctæ civitatis, necnon omnibus orthodoxis pontificibus et sacerdotibus, præsentem hanc confessionem [professionem] meam facio in scriptis, et offero vobis, qui ex apostolica auctoritate potestatem sumpsistis. In hoc ipso etiam veniam expeto a divinitus collecta beatitudine vestra, pro hac tarditate mea. Oportebat enim ut non orthodoxa confessione fraudarer; sed summæ indisciplinationis meæ, et segnis ac negligentis mentis est hoc. Unde magis postulo a beatitudine vestra, ut et pietatis [expetatis] a Deo indulgentiam mihi concedi.

Credo igitur et confiteor in unum Deum Patrem omnipotentem et in unum Dominum Jesum Christum Filium ejus unigenitum, et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem; Trinitatem consubstantialem et considentem, in una deitate, potentia et potestate adorandam et glorificandam. Confiteor etiam omnia quæ sunt dispensationis unius sanctæ Trinitatis, Domini videlicet et Dei nostri Jesu Christi, quemadmodum sanctæ et universales sex synodi tradiderunt; et universum hæreticum sine janua os abjiciens anathematizo, juxta quod anathematizaverunt et ipsæ : expetens etiam et intercessiones intemeratæ dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis Mariæ, sanctarumque et cœlestium virtutum, et omnium omnino sanctorum; atque sancta et pretiosa lipsana [*id est*, reliquias] eorum cum omni honore suscipiens saluto, et honorabiliter veneror, fidem habens illorum particeps fieri sanctimoniæ. Similiter et venerabiles imagines tam dispensationis Domini nostri Jesu Christi, secundum quod homo factus est propter salutem nostram, et intemeratæ dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis. [*Gr. add.* et deiformium angelorum], atque sanctorum apostolorum, prophetarum, martyrum, et omnium simul sanctorum, salutans pariter et amplectens, atque adorationem quæ pertinet ad honorem impendens; projiciens nihilominus et anathematizans ex tota anima et tota mente synodum, quæ ex stoliditate et dementia congregata, et septima synodus nominata est; ab his vero qui recte sapiunt, pseudosyllogos legaliter et regulariter appellatur, tanquam quæ totius veritatis et pietatis sit aliena, et contra divinitus traditam ecclesiasticam legislationem audacter et temere, quin potius et absque Deo latraverit, et sanctas ac venerabiles imagines conviciis appetierit : sed et has præceperit auferri a sanctis Dei ecclesiis, de qua exiit [*Gr.*, cui præfuit] Theodosius falsi nominis Ephesius, Sisinnius Pergensis cognominatus Pastillas, Basilius Pisidiæ cacemphatus [infausti nominis] tricaecabus [*al.*, tricacos, *id est*, ter malus]; quos evanuit sectatus miser Constantinus, qui fuerat patriarcha. Hæc ita confiteor, et his assentior, et idcirco in simplicitate cordis et recta mente, Deo mihi testimonium perhibente, subjectos anathematismos facio hic. Christianorum calumniatoribus, id est imaginum confractoribus anathema! His qui assumunt eloquia, quæ a divina Scriptura adversus idola proferuntur, in venerabiles iconas, anathema! His qui non salutant sanctas et venerabiles imagines, anathema! His qui appellant sacras iconas simulacra, anathema! His qui dicunt, quod sicuti ad deos Christiani ad imagines accedunt, anathema! His qui communicant scienter eis qui conviciantur et exhonorant venerabiles iconas, anathema! His qui dicunt, quod præter Christum Dominum nostrum alius nos ab idolis liberaverit, anathema! His qui spernunt magisteria sanctorum Patrum et traditionem catholicæ Ecclesiæ, prætendentes et assumentes voces Arii, Nestorii, Eutychetis et Dioscori, atque perhibentes, quod nisi de Veteri ac Novo Testamento evidenter fuerimus edocti, non sequemur doctrinas sanctorum Patrum, neque sanctarum [generalium] synodorum, atque traditionem catholicæ Ecclesiæ, anathema! His qui dicunt, quod diabolicæ argumentationis inventio sit factura imaginum, et non sanctorum Patrum nostrorum traditio, anathema! His qui præsumunt dicere, catholicam Ecclesiam idola aliquando suscepisse, anathema! Hæc quidem ita confiteor, et his assentior, et ex toto corde, anima et mente pronuntio. Si vero (quod absit) ex diabolica submissione aliquo tempore voluntarie vel non voluntarie aversus fuero ab istis quæ jam professus sum, anathema sim a Patre et Filio et Spiritu sancto, atque a catholica Ecclesia seu sacro ordine penitus alienus! Conservabo autem secundum divinos canones tam sanctorum apostolorum, quam probabilium Patrum nostrorum, memetipsum ab omni dati acceptione seu turpi lucro.

Tarasius sanctissimus et beatissimus patriarcha dixit : Omne hoc sacratum collegium Deo gloriam et gratiarum actiones rependit super hac confessione, quam catholicæ obtulisti Ecclesiæ.

Sancta synodus dixit : Gloria Deo, qui unit inter se dissidentia! Et adductus est Theodorus reverendissimus episcopus Myrorum, et dixit : Et ego peccator et indignus, multum pertractans et scrutans, et quod melius est eligens, deprecor Deum et vestram sanctitatem, ut cum omnibus et ego peccator uniar sanctæ catholicæ Ecclesiæ.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Grata est Domino Jesu Christo misericordia [*Gr.*, Gratum est Domino Jesu Christo et humanum recipere], et ideo recipit [idcireo recipite] pœnitentes.

Theodorus reverendissimus episcopus Myrorum exemplar primi libelli legit : Legislatio est, etc. Cum legisset ille, Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Et super reverendissimo Theodoro episcopo My

rorum grates referimus Deo nostro Christo. Euthymius sanctissimus episcopus Sardis dixit : Benedictus Deus qui univit eum catholicæ Ecclesiæ!

Et adductus est Theodosius episcopus Ammorii, et dixit :

Sacratissimi et Deo honorabiles domini, et omnis sacra synodus hæc, et ego peccator et miserabilis atque seductus, qui multa mala locutus sum contra venerabiles iconas, agnita veritate recognovi et reprehendi memetipsum ; et anathematizavi, et anathematizo quæ male docui et locutus sum in hoc mundo : et obsecro, et rogo sanctam synodum vestram, ut cum omnibus Christianis recipiatis et me indignum servum vestrum.

Tarasius sanctissimus et beatissimus patriarcha dixit : Multam contritionem cordis ostendit reverendissimus Theodosius, et dignus est receptione.

Sancta synodus dixit : Dignus est secundum sacros canones.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Si nihil aliud est canonicum, quod prohibeat eum, dignus est,

Theodosius reverendissimus episcopus proprium libellum legit ita.

Sanctæ et universali synodo Theodosius exiguus Christianus. Confiteor, et polliceor, et recipio, amplector atque adoro principaliter intemeratam iconam Domini nostri Jesu Christi veri Dei nostri, et iconam Dei genitricis, quæ illum sine semine peperit ; et auxilium et protectionem ejus, et intercessiones illius unaquaque die ac nocte invoco ut peccator in adjutorium meum, tanquam eam, quæ habeat confidentiam apud Christum Dominum nostrum, qui ex ea natus est. Pari modo sanctorum et laudabilissimorum apostolorum, prophetarum, et martyrum, et Patrum atque cultorum eremi iconas recipio et adoro, non tanquam deos (absit) sed affectum et amorem animæ meæ, quem habebam prius in eos, etiam nunc ostendens, rogo cunctos illos ex tota anima ut intercedant pro me ad Deum, quatenus det mihi per intercessiones eorum invenire misericordiam penes se in die judicii. Similiter et lipsana sanctorum adoro et honoro, et amplector, tanquam eorum qui decertaverint pro Christo, et acceperint gratiam ab ipso ad sanitates efficiendas, et languores curandos, et dæmones ejiciendos, quemadmodum Ecclesia Christianorum suscepit a sanctis apostolis et Patribus, et usque ad nos. Pingi autem consentio in ecclesiis sanctorum principaliter iconam Domini nostri Jesu Christi, et sanctæ Dei Genitricis, ex varia materia auri et argenti, et omni colore : ut carnea dispensatio ipsius omnibus innotescat. Similiter pingi conversationes sanctorum et famosissimorum apostolorum, prophetarum ac martyrum, quo innotescant certamina et agones eorum in brevi scriptura, ad excitationem et magisterium populorum, maximeque simplicium. Si enim regum lau-

A rata et iconas missas ad civitates vel regiones obvii adeunt populi cum cereis et incensis, non cera perfusam tabulam, sed imperatorem honorantes ; quanto magis oportet in ecclesiis Christi Domini nostri iconam depingi Salvatoris Dei nostri, et intemeratæ Matris ejus, omniumque sanctorum et beatorum Patrum, et studiosorum virorum? Quemadmodum et S. Basilius ait: Nam et opera magna bellorum scriptores et pictores designant ; illi quidem sermone ornantes, isti vero tabulis exarantes ; et multos ad fortitudinem erexerunt utrique. Et rursus ipse idem. Quantum laborasti [laborares] utique homo, ut invenires unum ex sanctis obsecrantem Dominum? Et Chrysostomus dicit : Sanctorum enim gratia non reciditur morte, non hebescit obitu ; sed postquam defuncti
B fuerint, vivis potentiores existunt ; et alia multa et immensa. Et ideo rogo vos, sancti, et clamo : Peccavi in cœlum et coram vobis ; suscipite me, sicut suscepit Deus luxuriosum, et meretricem et latronem. Quærite me, sicut quæsivit Christus ovem quæ periit, quamque super humeros suos sustulit (*Luc.* xv) ; ut fiat gaudium coram Deo et angelis ejus super salute et pœnitentia mea, per interventionem vestram, o sanctissimi domini. His qui non adorant venerabiles iconas, anathema ! His qui blasphemiam dicunt in pretiosas et venerabiles iconas, anathema ! His qui audent detrahere ac blasphemare venerabiles iconas, vel vocare illas idola, anathema ! His qui non docent diligenter cunctum Christi amatorem populum adorare venerabiles iconas sacras et ade-
C randas omnium sanctorum qui sæculo Deo placuerunt, anathema [a] ! Christianorum calumniatoribus, id est, imagines confringentibus, anathema !

Sabbas reverendissimus hegumenus [b] monasterii Studii dixit : Juxta apostolica præcepta et universales synodos, dignus est receptione.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Qui dudum erant rectæ fidei calumniatores, nunc facti sunt veritatis advocatores.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Multam a nobis lacrymam evocavit [*Cod. Jol.*, evacuavit] libellus reverendissimi episcopi Ammorii.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Videtur vobis, ut recipiant sedes suas?

D Reverendi monachi dixerunt : Quemadmodum susceperunt sanctæ et universales synodi ex hæresi conversos, et nos suscipimus.

Sancta synodus dixit : Placet omnibus nobis. Et jussi sunt reverendissimus Basilius episcopus Ancyræ, et Theodorus reverendissimus episcopus Ammorii, sedere in gradibus ac sedibus suis.

Euthymius reverendissimus episcopus Sardis dixit : Orthodoxum Deus bene adduxit.

Sancta synodus dixit : Orthodoxus Pater cum Patribus sanctæ synodo [Orthodoxus cum synodo : Pater cum Patribus]. Post hos autem adducti sunt

[a] Iis qui ambigui sunt, et non ex animo fatentur se sacras imagines venerari, anathema !

[b] Dux, abbas, sive præpositus exponitur in cod. Jol.

Hypatius reverendissimus episcopus Nicææ, Leo reverendissimus episcopus Rhodi, Gregorius reverendissimus episcopus Pessinuntis, Leo reverendissimus episcopus Iconii, Georgius reverendissimus episcopus Pisidiæ, Nicolaus reverendissimus episcopus Hierapoleos, et Leo reverendissimus episcopus Carpathi.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Nescio unde, ut ita dicam, impetum facientes, consilium altum consiliati estis, et non per Dominum; et fœdera fecistis, et non per Spiritum ejus; collecti videlicet apud vosipsos clam atque latenter præterito anno, volentes depellere veritatem. Et si quidem irrationabiliter hoc fecistis, date rationem ignorantiæ vestræ. Si vero cum falsa quasi ratione, producatur ipsa ratio vestra, et audita fiat coram omnibus nobis : et concinnationes et contradictiones vestras, auxiliatrice quæ non vincitur, habita veritate, sacer iste conventus disrumpens disrumpet, et dissolvens dissolvet ut colligationes falsitatis et injustitiæ, nullamque habentes veritatis substantiam.

Leo reverendissimus episcopus Rhodi dixit : Peccavimus in conspectu Dei, et in conspectu totius Ecclesiæ, et sanctæ synodi hujus : per insipientiam enim cecidimus, et non habemus defensionis nostræ rationem.

Gregorius reverendissimus episcopus Pisinuntensium dixit : Secundum traditam fidem ab apostolis et Patribus confitemur et tenemus.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Si est ratio aliqua in vobis, quemadmodum dictum est vobis, proferatur.

Hypatius, et qui cum ipso erant dixerunt : Non habemus, sacratissime domine, quod dicamus; per ignorantiam enim et insipientiam locuti sumus.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Quæ vos ratio convertit ad veritatem?

Hypatius, et qui cum eo erant, dixerunt : Sanctorum apostolorum et Patrum doctrina.

Gregorius reverendissimus episcopus Pisinuntensium dixit : In synodo sanctorum apostolorum, quæ apud Antiochiam congregata, dicitur : Et ne ultra errent hi qui salvi fiunt, circa idola, sed pro eis imaginentur deivirilem statuam Domini nostri Jesu Christi. Sed et beatus Isidorus Pelusiotes dicit : quia templi ratio nulla est, quod non coronat imago.

Leo reverendissimus episcopus Rhodi dixit : Omnia quæ pie ac vere didicimus, licet indigni et peccatores simus, pertractavimus : et ex legali, et ex prophetica, apostolicaque seu paterna voce certi sumus effecti, quia veritas et pietas sic se habet, ut scilicet sint sanctæ et venerabiles imagines in sancta Ecclesia secundum traditam a priscis temporibus consuetudinem a sanctis apostolis; et inde obedivimus.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Et quomodo annos usque ad octo et decem episcopatum gerens, usque in præsens minime obedisti?

Leo reverendissimus episcopus dixit : Quoniam prolixo tempore malum et nequam magisterium prolongatum est : et dum diutius moratum fuisset, pro peccatis nostris seducti sumus, et declinavimus a veritate; sed speramus in Deo salvari.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Diuturnitates passionum difficiliores sunt ad curandum. Sic et anima, quæ in obscuro est hæreseos, lumen orthodoxiæ difficile recognoscit.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Oportebat vos cum cæteris episcopis [essetis episcopi] discendi nullam necessitatem habere, sed magistros esse potius aliorum.

Leo reverendissimus episcopus Rhodi dixit : Nisi protenderent [protendissent] hi, qui in lege erant, peccatum, non esset necessitas gratiæ.

Stauracius sanctissimus episcopus Chalcedonis dixit : Sed nos, fratres, non sumus sub lege, sed sub gratia.

Hypatius, et qui cum eo erant reverendissimi episcopi dixerunt : A malis magistris malas doctrinas accepimus.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Quoniam quidem dixistis malorum magistrorum malas esse doctrinas, Ecclesia ex malis magistris sacerdotes admittere non consentit.

Hypatius episcopus Nicææ dixit : Sic obtinuit consuetudo.

Gregorius reverendissimus episcopus Pisinuntensium [Pessinunsium] dixit : Sanctus Joannes Chrysostomus dicit : Ego ex cera perfusam dilexi picturam pietate repletam.

Sabbas reverendissimus monachus et hegumenus monasterii Studii dixit : Benedictus Deus, qui direxit vos in veritatem!

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Rationem et defensionem eorum jam audivimus.

Sancta synodus dixit : Etiam, domine.

Joannes reverendissimus monachus et presbyter, et vicarius apostolici throni Antiochiæ dixit : Flagitatur, sanctissime Pater, a multis, quomodo oporteat eos qui ab hæresibus redeunt, suscipi : et obsecramus sanctam et sacram synodum, ut veniant libri sanctorum Patrum, et videamus et perscrutemur, atque inde sumamus veram certitudinem, quomodo illos suscipi oporteat; hæsitamus enim nos.

Constantinus reverendissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Expetimus a beatitudine tua, domine, ut veniant prædicti libri, quo certi facti, sic ordinem laudabilem faciamus.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Secundum petitionem Deo amabilium virorum et vicariorum, atque sanctissimorum episcoporum, oportet libros afferri.

Constantinus Deo amabilis notarius venerabilis patriarchii dixit : Secundum jussionem vestræ sanctitatis præsto sumus deferentes sacros libros, quos attulimus ex his qui rejacent in bibliotheca venera-

bilis patriarchii Constantinopoleos, tam canonum sanctorum apostolorum, quam sanctarum synodorum, et sancti Patris nostri Basilii, et aliorum Patrum sanctorum.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Legatur in primis liber canonicarum institutionum [constitutionum].

Sancta synodus dixit : Legatur.

Et accipiens idem Constantinus Deo amabilis diaconus et notarius venerabilis patriarchii, legit :

Canon sanctorum apostolorum quinquagesimus tertius : Si quis presbyter eum qui convertitur a peccato, non susceperit, sed abjecerit, deponatur, quoniam tristem effecit [efficit] Christum qui dicit; quia *gaudium fit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc* xv).

Sabbas, et qui cum eo erant, dixerunt : Hoc clarum et apud omnes acceptum est, quia unumquemque pœnitentium Ecclesia suscipit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Est et alius canon super hoc.

Idem hoc amabilis notarius legit sanctæ Nicænæ synodi canonem octavum : De his qui se cognominant Catharos, id est, mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam catholicam; placuit sancto et magno concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant. Hæc autem præ omnibus eos in scriptis convenit profiteri, quod catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant et sequantur, id est, et bigamis se communicare, et his qui in persecutione prolapsi sunt; erga quos et spatia constituta sunt, et tempora definita : ita ut Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ placita sequantur in omnibus; ubicunque vero sive in villis, sive in civitatibus ipsi soli reperti fuerint ordinati, qui inveniuntur in clero, in eodem habitu perseverent, etc.

Theodorus reverendissimus episcopus Catanæ Siculorum provinciæ dixit : Ad hæresim hanc nil habet canon qui lectus est.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Sed et de omni hæresi est.

Epiphanius diaconus sanctissimæ Ecclesiæ Catanæ Siculorum provinciæ, et vicarius episcopi Sardiniæ, dixit : Hic canon tunc de Catharis, id est, mundis est dictus.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Nunc ergo et nos in tempore hoc exortam hæresim quomodo debemus recipere?

Joannes Deo amabilis vicarius apostolici throni Orientis dixit : Hæresis separat ab Ecclesia omnem hominem.

Sancta synodus dixit : Hoc manifestum est.

Reverendissimi monachi dixerunt : Eos qui manus impositionem perceperant, dixit regula suscipi.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Et quomodo intelligitur manus impositio?

Reverendissimi monachi dixerunt : Deprecamur, domine, ut doceamur.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Forte in benedictione tantum hic manus impositionem dicit, et non consecrationem [in consecratione].

Gloriosissimi principes dixerunt : Si aliud non est quod prohibeat, propter hanc pœnitentiam eorum suscipientur secundum canones.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Scrutemur et alios canones de residuis hæresibus.

Sancta synodus dixit : Et hoc postulamus, ut veniant canones.

Idem Deo amabilis diaconus et notarius legit Ephesinæ sanctæ ac universalis synodi canonem tertium.

Si qui etiam clericorum, qui per singulas civitates sunt, a Nestorio, et his qui cum eo erant, inhibiti sunt sacerdotio, quod recta saperent, et hos proprium gradum recipere sancimus : [*Gr.*, in universum autem] eos videlicet clericos qui cum universali et orthodoxa synodo sentiunt vel sensuri sunt, sive nunc, sive post hæc in quocunque tempore, nec hos episcopis qui recesserunt vel recesserint, aut prævaricantur tam sanctos canones, quam orthodoxam fidem, jubemus quoquomodo subjici.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Evidentior canon est de capitulo quod quæritur.

Legantur autem et reliqui canones.

Stephanus reverendissimus monachus et bibliophylax [librorum custos] venerabilis patriarchii dixit : Adhuc præ manibus habemus epistolas sanctæ memoriæ Patris nostri Basilii de prædicta causa, si recipiendi sint in sacerdotium, qui ex hæresi convertuntur; et si jusseritis legi, legantur.

Sancta synodus dixit : Legantur

Stephanus monachus legit. Ex prima canonica epistola Patris nostri Basilii ad Amphilochium :

Encratitarum autem malignitatem intelligere nos oportet : quia ut indigni receptione judicarentur ab Ecclesia, conati sunt jam proprio præoccupare baptismate. Unde et consuetudinem suam adulteraverunt. Existimo ergo, quia cum nihil sit de illis manifestius promulgatum, nos conveniat eorum improbare baptisma. Et si quispiam fuerit ab illis receptus [*Gr.*, Et si quispiam ab illis receperit], hunc, cum adierit ecclesiam, baptizemus. Sane, si futurum est uti universali dispensationi fiat impedimentum, pristino more utamur, et Patres qui nostra quæque dispensavere, sequamur. Vereor enim, ne forte cum voluerimus pigros illos ad baptizandum facere, impedimento simus his qui salvandi essent, ob prolixæ percontationis mysterium [*Gr.*, ob sententiæ austeritatem] : quod si illi custodiunt baptisma nostrum, hoc a nobis non flagitetur [hoc nos nequaquam moveat]. Non enim illis ad præstandum gratiam debitores sumus, sed serviendi censuræ canonicæ.

Omni præterea ratione forma teneatur, ut eos qui ad illorum accessisse baptismum probantur, a fidelibus procul dubio primitus ungantur, et ita demum sanctis mysteriis digni efficiantur. Novi autem, quia fratres qui circa Izoem et Saturninum

erant, cum essent ex illa ordinatione, in cathedram episcoporum suscepimus. Itaque eos qui illorum sunt ordini sociati, jam non possumus ab Ecclesia sequestrare; ut pote qui regulam quamdam de communione nostra ad illos constituerimus per episcoporum receptionem.

Reverendissimi monachi dixerunt : Petimus, ut deferatur sancti Anathasii ad Rufinianum epistola.

Sancta synodus dixit : Fiat secundum petitionem reverendissimorum monachorum.

Interea Leontius gloriosissimus a secretis dixit : Interim legantur reliquæ sancti Basilii epistolæ.

Stephanus reverendissimus monachus et bibliothecarius legit. Sancti Patris nostri Basilii ex epistola ad Evaisenos missa : Hi autem quos priori anno de Galatia accersierunt, quo per eos possent fiduciam episcopatus accipere, tales sunt, quales noverunt illi, qui ad modicum quidem exstitere cum illis. Et post pauca : Si vero dicunt, quia pœnitentiam egerunt, ostendant in scriptis pœnitentiam suam, et anathematismum Constantinopolitanæ fidei, et separationem sui ab hæreticis : et non decipiant quosque simpliciores. Ejusdem ex epistola ad Occidentales directa : Est igitur unus eorum, qui multam nobis tristitiam fabricaverunt, Eustathius videlicet ex Sebastia minoris Armeniæ proditus, qui olim ab Ario doctus, quando proficiebat in Alexandria, malignas contra Unigenitum componens blasphemias, sequebatur illum, et iis, qui illi intima germanitate cohærebant, discipulis ejus connumeratus. Denique ad conscientiam rediens [*Gr.*, ad sua reversus], beatissimo episcopo Hermogeni Cæsariensi, a quo super maligna opinione sua judicabatur, professionem fecit sanæ fidei : et ita consecratione ab ipso suscepta, Eustathius post illius dormitionem mox ad Constantinopolitanum cucurrit Eusebium, nihilominus et ipsum impium dogma Arii prædicantem. Deinde illinc ob aliquam causam propulsus, cum venisset ad compatriotas suos, se interim excusavit; et impium quidem sensum occultans, verborum quorumdam rectitudinem ostentabat : et utcunque percepto episcopatu, protinus apparet, anathematismum Homousii in collegio quod ab eis apud Ancyram factum est, conscripsisse. Deinde cum Seleuciam pervenisset, scripsit una cum consentaneis suis, quæ cuncti norunt. Constantinopoli autem iterum his quæ prætenderant hæretici, consentit, et taliter ab episcopatu propulsus, pro eo quod Melitenæ antea depositus fuerat, sibi iter restitutionis excogitavit, quasi [a] ad vos proficiscens : et quæ sunt, quæ illi a beatissimo episcopo Liberio intenta [intentata] sunt, et quæ ea, quæ ipse spopondit, ignoramus; nisi quia epistolam detulit restituentem se : quam ostendens synodo apud Tyanam congregatæ, suo restitutus est loco.

Lecta est autem et ad Terentium comitem ejusdem Patris nostri epistola, in qua significavit idem Pater Eustathii communionem et receptionem ab hæresi conversi.

Stephanus reverendissimus diaconus et notarius venerabilis patriarchici secreti legit :

Ex definitione sanctæ ac universalis tertiæ synodi contra impios Massalianos, id est, Euchitas :

Placuit omnibus nobis, ac Deo amabilibus episcopis Valeriano et Amphilochio, et cunctis Pamphylensis et Lycaoniensis provinciarum reverendissimis episcopis, quo universa quæ in synodica chartula statuta sunt, teneantur, et prævaricari nullo modo præsumantur, firmis videlicet existentibus etiam his quæ gesta sunt Alexandriæ. Itaque qui sunt per omnem provinciam ex Massalianorum; id est furiosorum [enthusiastarum] hæresi, aut si suspecti habentur, quod hujusmodi languoris existant, sive clerici sint, sive laici, remeantes, et anathematizantes in scriptis secundum ea quæ in jam memorata synodica charta promulgata sunt, maneant clerici quidem in clero, laici vero in communione Ecclesiæ.

Petrus reverendissimus lector et notarius venerabilis patriarchici secreti legit :

Sancti Patris nostri Cyrilli archiepiscopi Alexandriæ Maximo diacono Antiocheno commonitorium.

Didici a diligendo mihi Paulo monacho, quia recusat pietas tua usque hodie communionem reverendissimi episcopi Joannis amplecti, pro eo quod quidam in Antiochena Ecclesia male adhuc cum Nestorio vel sentiant, vel jam senserint quidem, sed forsitan resipuerint. Probet igitur modestia tua, utrum (aliquando) hi qui dicuntur colligi, nude ac irreverenter cum Nestorio sentiant, et invicem colloquantur; vel aliquando cauteriatam habuerint conscientiam, colliguntur autem nunc acta pœnitentia super his, in quibus subrepti sunt, quamvis confiteri fortasse revereantur excessum. Accidunt enim quædam hujus modi fieri circa deceptos. Ac si eos videas nunc ad rectam concurrere fidem, ne succenseas eis super his quæ transierunt. Volumus enim eos magis illorum abnegatores videre, quam irreverenti mente advocatos nequitiarum esse Nestorii. Ut autem non æstimemur amare contentionem, amplectamur reverendissimi Joannis communionem, indulgentes ei et causa dispensationis, ut non subtilius vel districtius seu vehementius erga se recognoscentes agatur : dispensatione enim, sicut dixi, eget negotium multa.

Ejusdem Patris ad Gennadium presbyterum et archimandritam.

Intentionem quidem reverentiæ tuæ, quam circa divinum possides cultum, non nunc tantum agnovi, sed ab olim sciebam, et laudo vehementer eam cum tanta volentem districtionis diligentia vivere. Sed dispensationes rerum nonnunquam cogunt parum quid a debito quosdam foras exire, ut majus aliquid lucrifaciant. Sicut enim hi qui mare navigant, tempestate urgente, navique periclitante, anxiati quæ-

[a] Illud *quasi* redundat.

dam exonerant, ut cætera salva permaneant : ita et nos, cum non habemus salvandorum omnium negotiorum penitus certitudinem, despicimus ex his quædam, ne cunctorum patiamur dispendia. Et hæc scribo cognoscens, quod pietas tua tristetur in sanctissimum et Dei cultorem fratrem et comministrum nostrum Proclum episcopum, eo quod admiserit in communionem Æliensium hegumenum [episcopum], quem quidem Ecclesiæ leges Palæstinæ præpositum non noverunt. Suscitat autem ad infrunitum negotii desiderium amor gloriæ amarum terminum inaniter habens. Igitur ne refugiat pietas tua sanctissimi et Deo amantissimi Procli episcopi communionem : una enim fuit cura mihi et sanctitati ejus; et dispensationis modus nulli sapientium displicuit.

His lectis monachi dixerunt : Si jubet sancta synodus, afferatur ad Rufinianum destinata sancti Athanasii epistola, et legatur.

Sancta synodus dixit : Fiat petitio reverendissimorum monachorum.

Stephanus prædictus monachus, habens præ manibus librum, legit :

Sancti Athanasii epistola ad Rufinianum.

Domino dilecto et amantissimo comministro Rufiniano Athanasius in Domino salutem.

Et post alia :

Quoniam amore bonitatis et ecclesiasticæ institutionis (hoc enim revera decet reverentiam tuam) interrogasti de his, qui propter necessitatem abstracti non tam in fide mala corrupti sunt; et voluisti scribere me quæ visa sunt synodis et ubique de illis. Scito, domine mi amantissime, quia in primordio quidem cessante vi, quæ facta exstiterat, celebrata est synodus præsentibus etiam et episcopis, qui partium erant eorum [earum quæ] qui foris sunt. Facta est autem et penes comministros, qui Græciam habitant; porro nihilominus et ab his qui in Hispania et Gallia sunt; et quod hic placuit, et ubique : ita ut his qui cadunt et præsunt impietati, ignoscatur quidem cum pœnitentiam gesserint, non autem ulterius eis locus detur in clero : his autem qui auctores non fuerint impietatis, sed per necessitatem et vim abstrahuntur, placuit ut venia detur, et habeant cleri locum; maxime cum excusationem persuasoriam dederint : et placuit id dispensatorie fieri. Firmaverunt enim quod non migrassent ad impietatem : ne autem ordinati quidam impiissimi ecclesias corrumperent, elegerunt potius concurrere violentiæ, et portare pondus, quam perdere populos. Hoc autem prosequentes, visi sunt etiam nobis persuasorie fari, pro eo quod excusarentur dicentes, et Aaron Moysi fratrem in eremo concurrisse quidem prævaricationi plebis, habuisse tamen defensionem (*Exod.* XXXII) : ne videlicet populus in Ægyptum reversus, in idololatria permaneret. Nam et ratio evidens apparebat, quoniam manentes in eremo cessare ab idololatria possent : sin autem Ægyptum ingressi essent, moram facerent et incrementum impietatis. Propterea igitur dispensatio circa clerum effecta est, atque his qui decepti et vim perpessi fuerant, indulgentia tributa consistit. Hæc et Romæ scripta, et a Romanorum Ecclesia sunt recepta, hæc et reverentiæ tuæ significo fidens, quod ea quæ approbata sunt, pietas tua suscipiet.

Sabbas et qui cum ipso reverendissimi monachi dixerunt : Non est vox Athanasii tantum, sed et synodorum. Nam idem Pater dicit, quia et Romani et Græci receperunt : et definit, ut ex hæresi conversi recipiantur quidem ad pœnitentiam, non tamen ad sacerdotia admittantur.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Non de omni converso hæretico idem Pater minime suscipiendo denuntiat, sed de principibus hæreseos, et his qui vitiose atque affectuose verbis quidem simulant veritatem in præsentia orthodoxorum, in mente autem nequiter operantur. Verum legatur iterum eadem ad Rufinianum missa ejusdem Patris epistola. Cumque legeretur locus qui dicit : Ita ut his qui cadunt et præsunt impietati, ignoscatur quidem cum pœnitentiam gesserint, non autem ulterius locus eis detur in clero. Illis autem qui auctores non fuerunt impietatis, sed per necessitatem et vim abstrahuntur, placuit ut venia detur, et habeant cleri locum; maxime cum excusationem persuasoriam dederint.

Reverendissimi monachi dixerunt : Ecce sicut prædiximus, hic sanctus Pater non suscipit in sacerdotium eos qui ab hæresi convertuntur.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Non est ita, ut intelligitis : denique Pater eos qui auctores minime fuerint impietatis, quique tracti et vim passi sunt, recipit in sacerdotium : prælatos vel genitores hæreseos in sacerdotium non admisit; bene hoc et optime atque justissime proferens. Et certo quinquies victorem sanctum Athanasium novit Ecclesia, quoniam et Romam frequenter impulsus, et ignobili fuga [*id est*, turpi ejectione] a præpositis Arianæ hæreseos est abactus, et cum reversus ecclesias obtinuisset, hostes ei adhærebant, secundum tempora commutati. Quando autem accipiebant fiduciam illo abscedente, ad priorem hæresim redibant, et persecutionem contra pios commovebant. Et idcirco eumdem æstimo dicere Patrem, ne hujusmodi reciperentur in sacerdotium. Nam perceperat tam ipse, quam cæteri orthodoxi ab illis sævissima.

Sabbas reverendissimus monachus dixit : Injuriarum immemor est Pater.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Manifestum est hoc; neque enim malum pro malo reddebat alicui : propter zelum autem Dei et munitionem Ecclesiæ, benignitatem sine disciplina non poterat possidere; sed in his ea quæ ad vindictam Dei sunt, præferebat.

Joannes reverendissimus presbyter, monachus et vicarius Orientalis diœceseos dixit : Benedicta [*Gr.*, Bene lecta : *et in ms. Jol.*] est definitio illa ad cautelam audientium.

Monachi repetentes dixerunt : Sed tractos et

vim perpessos Pater admittit : dicant ergo, si tracti fuerint, et vim perpessi, et ideo recesserint a veritate.

Hypatius, et qui cum eo erant episcopi dixerunt : Quia nos neque vim sustinuimus, neque abstracti sumus, sed in hac nostra hæresi nati et educati sumus, et crevimus.

Theodorus Deo amabilis episcopus Catanæ, et qui cum eo sanctissimi episcopi Siciliæ, una cum Epiphanio diacono civitatis Catanæ, et locum retinente Thomæ episcopi Sardiniæ, dixerunt : Quia canones sanctorum Patrum qui lecti sunt, tam de Novatianis et Encratitis, quam de Arianis dicti sunt, hujus hæreseos censores cum quibus taxabimus?

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Invenimus et Manichæos non recipientes iconas, et Marcionistas, et eos qui confundunt Christi naturas; quorum primus [unus] est Petrus Gnapheus, et Xenaias Hierapolitanus, hæretici; sed et Severus.

Epiphanius diaconus sanctissimæ ac magnæ Ecclesiæ Catanæ, et locum retinens Thomæ sanctissimi archiepiscopi Sardiniæ, dixit : Minor est prioribus hæresibus novitas præsens, an major?

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Quod malum est, jam utique malum est, et maxime in negotiis ecclesiasticis. In dogmatum quippe causa, sive in parva, sive in magna peccare, idipsum est : ex utrisque enim lex Dei improbatur.

Joannes reverendissimus monachus et vicarius Orientalium sedium dixit : Hæresis hæc pejor omnibus hæresibus, et malarum pessima est, veluti quæ dispensationem Salvatoris subvertit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Docet nos dictum patriarchæ nostri Athanasii, ut reverendissimi episcopi recipiantur, nisi alia quælibet eorum culpa facta sit.

Sancta synodus dixit : Legantur autem cætera regularium testimoniorum.

Adhuc Constantinus diaconus et notarius venerabilis patriarchii legit : De gestis sanctæ et universalis synodi quartæ Chalcedone celebratæ.

Orientales et qui cum ipsis reverendissimi episcopi clamaverunt : Omnes peccavimus, omnes veniam postulamus.

Et rursus Thalassius, Eusebius et Eustathius reverendissimi episcopi dixerunt : Omnes peccavimus, omnes veniam postulamus. Et post alia :

Et surgens reverendissimus episcopus Juvenalis una cum eis contulit se ad alteram partem, et clamaverunt orientales, et qui cum ipsis reverendissimi episcopi : Deus bene adduxit te orthodoxe; bene venisti.

Et post alia plura, Illyriciani reverendissimi episcopi dixerunt : Omnes excessimus, omnes veniam postulamus [mereamur].

Sabbas reverendissimus monachus et hegumenus monasterii Studii dixit : Si placet sanctæ synodo, videamus, si ordinationes eorum qui recepti sunt, ab hæreticis fuerint, an non.

Sancta synodus dixit : Quærite deinceps etiam de ordinatione.

Antonius reverendissimus monachus legit.

De ecclesiastica Historia Rufini presbyteri Romani.

Pergit interea Eusebius Alexandriam, ibique confessorum concilio congregato (pauci numero, sed fide integri et meritis multi) aliis videbatur calore ferventibus fidei, nullum debere ultra in sacerdotium recipi, qui se utcunque hæreticæ communionis contagione maculasset. Sed qui imitantes Apostolum, quærebant non quod sibi ut le esset, sed quod pluribus; vel qui imitarentur Christum, qui cum esset omnium vita, pro salute cunctorum humilians se descendit in mortem, quo scilicet inveniretur et in mortuis vita; dicebant, melius esse humiliari se paululum propter dejectos, et inclinari propter elisos, ut eos rursum erigerent. Nec sibimet solis puritatis merito cœlorum regna defendere; sed esse gloriosius, si cum pluribus illuc mererentur intrare; et ideo rectum sibi videri, ut tantum perfidiæ auctoribus amputatis, reliquis sacerdotibus daretur optio, si forte velint abjurato errore perfidiæ ad fidem Patrum statutaque converti; nec negare aditum redeuntibus, quin potius de eorum confessione gaudere; quia et ille evangelicus junior filius paternæ depopulator substantiæ, in semetipsum reversus non solum suscipi meruit, sed et dignus paternis amplexibus deputatur, et annulum fidei recipit, et stola circumdatur (*Luc.* xv), per quam quid aliud quam sacerdotii declarantur insignia? Cum igitur hujuscemodi sententias ex evangelica auctoritate prolatas ordo ille sacerdotalis et apostolicus approbasset, ex concilii decreto Asterio cæterisque qui cum ipsis erant, Orientis injungitur procuratio, Occidentis vero Eusebio decernitur : additur sane in illo concilii decreto etiam de Spiritu sancto plenior disputatio, ut ejusdem substantiæ et divinitatis, cujus Pater et Filius, etiam Spiritus sanctus crederetur, eo quod pullularent denuo, qui eumdem Spiritum sanctum a glorificatione Patris et Filii separarent.

Constantinus reverendissimus diaconus et notarius legit.

De ecclesiastica Historia Socratis.

Photinus Sirmii quondam episcopus discipulus erat Marcelli Ancyrani; et ipse purum hominem dicebat Dominum, sicut et Marcellus.

Rursus ipse legit de ecclesiastica Historia Socratis : Qui autem in Sardice convenerant, primum quidem horum damnavere vesaniam [indicta causa illos damnavere]; et terminum fidei Nicænæ corroborantes, inæqualitatem respuunt et anathematizant. Rediderunt autem thronos Paulo et Athanasio, necnon et Marcello Ancyræ rationem reddenti ac dicenti, quod non fuerint intellecta quæcunque in libris exposuerit; præsertim cum ipse eos qui dicebant Dominum purum hominem, averterit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Jam plurimi canonici libri et synodici atque paterni relecti

sunt : et ex hæresi conversos docuerunt nos recipere, nisi forte maligna in eis fuerit noxa reperta.

Sancta synodus dixit : Bene fecisti, domine, tam per epistolas, quam per synodica conscripta docendo nos hæreticorum agnoscendam receptionem.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Sancti Athanasii denuo legatur quod lectum est.

Sancta synodus dixit : Legatur secundum jussionem sancti Patris nostri.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Ad petitum reverendissimorum monachorum legatur.

Stephanus reverendissimus monachus et librorum custos legit, sancti Athanasii ad Rufinianum, sicut scriptum est.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Quemadmodum prædiximus, ita est sensus Patris nostri.

Reverendissimi monachi dixerunt : Nos et prius diximus indigni servi sanctitatis vestræ, quia quidquid recipiunt sanctæ et universales synodi, recipimus ; nisi fuerit aliquid quod obsistat.

Petrus Deo amabilis presbyter et locum retinens apostolicæ cathedræ Adriani papæ Romæ dixit : Hoc perspicuum est ; etenim Romæ in exsilio erat Macarius hæreticus a sexta synodo missus ; et quadraginta dies dedit ei spatium sanctæ memoriæ Pater noster papa Benedictus, et per singulos dies mittebat ad eum Bonifacium consiliarium suum, et commonitoriis verbis docebat eum ex divina Scriptura ; et nunquam voluit corrigi : hoc autem faciebat, ut persuaderet et reciperet eum.

Sancta synodus dixit : Si toto animo consentiunt qui examinantur episcopi, gratias Deo et ipsis. Si vero dolositatem habent, judicet Deus super illos, quemadmodum super Arium et Nestorium.

Episcopi qui discutiebantur, anathematizaverunt se, dicentes : Quia non sumus sub dolo ; sed si non confessi fuerimus, sicut catholica Ecclesia, anathema habeamus a Patre et Filio et Spiritu sancto.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Proposita prosequamur.

Petrus Deo amabilis presbyter et locum retinens sanctissimi papæ Romani, dixit : Ut aiunt historiographi, sanctus Meletius ab Arianis est ordinatus, et ascendit super ambonem, et prædicavit homousion. Ordinatio autem ejus non est repudiata.

Theodorus sanctissimus episcopus Catanæ, et qui cum eo erant episcopi Siciliæ, dixerunt : Verum dicit archipresbyter apostolicæ cathedræ.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : In nullo sanctos Patres invenimus dissonare, sed ut ejusdem spiritus omnes existentes, idem ipsum docent et prædicant. Sed veluti quamdam dispensationem excogitans sanctus Pater Athanasius ita exposuit. Unde judicavit illos in clero suscipi, qui non essent magistri hæreseos.

Reverendissimi monachi dixerunt : Quidquid judicatum est in medio vestræ sanctæ synodi suscipimus.

Sancta synodus dixit : Speramus quia post synodum nemo pervertetur, juxta quod in condescensionibus [*Gr.*, depositionibus] suis semetipsi anathematizaverunt : quia si reversi fuerimus ad priorem hæresim, depositi simus.

Constantinus Deo amabilis episcopus Constantiæ Cypri dixit [a] : . . . . . .

. . . . . .

Habent libellos suos præ manibus [b], et parati sunt dare.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Interim reliqua de proposita sanctorum quæstione canonum legantur.

Cosmas reverendissimus diaconus et notarius et cubuclesius venerabilis patriarchii legit.

De Vita sancti Patris nostri Sabbæ.

Sanctæ venerabilis quintæ synodi, quæ Constantinopoli congregata est, communi et universali submissi sunt anathemati Origenes et Theodorus Mopsuestiæ, et ea quæ ab Evagrio et Didymo dicta sunt [dicta sunt de præexistentia et restitutione], de eo videlicet, quod ante substantiam fuisse perhibebant, et quod de restitutione in statum pristinum fatebantur, consentientibus et præsentibus quatuor patriarchis. Cum autem Deo conservandus imperator noster misisset Hierosolymam ea quæ in synodo gesta sunt, et omnes episcopi Palæstinæ manu et ore confirmassent et roborassent, præter Alexandrum Abillæum [Abillæ], qui ob hoc ab episcopatu projectus, et Byzantii a terræmotu obrutus est : novi quidam Laurenses [neolauritæ] a catholica se separaverunt communione. At vero patriarcha Eustochius diversis modis eos aggressus, et per octo menses admonitionem fecit circa illos, et precibus suis [usus] cum non valuisset eis persuadere, quo Ecclesiæ catholicæ communicarent, imperialibus jussionibus usus, per Anastasium ducem a nova illos Laura projecit, provinciamque totam ab eorum pestilentia liberavit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Videtis quia octo menses transegit archiepiscopus rogans et longanimiter agens super illos, quanquam nosset eos præanathematizatos in synodo. Igitur jam audivimus canonica præcepta et synodicas denuntiationes et sanctorum Patrum censuras, quia omnes uno sensu accedentes a qualibet hæresi receperunt.

Sancta synodus dixit : Sic se veritas habet, nisi alia canonica causa sit, quæ prohibeat.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Ita placet omnibus ? [*Gr. add.* ut recipiamus eos ? *atque ita ms. Jol.*]

Sancta synodus dixit : Placet omnibus.

[a] *Gr. add.* Sacratissime domine, si quidem deferunt libellos, dent : sin minus, faciant, atque ita judicabit sancta synodus de ipsis. At illi dixerunt : Habemus libellos paratos, et dabimus illos.

[b] Gloriosissimi principes dixerunt : Habent libellos suos præ manibus.

Reverendissimi monachi dixerunt : Et nobis placet.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Et iterum dicimus, si alia canonica causa quæ deponat accedentem non est, recipietur : sine dubio namque oportet canonica conservari præcepta.

Reverendissimi monachi dixerunt : Quia secundum sex sanctas et universales synodos suscipimus eos qui ex hæresi convertuntur, si non est in illis aliqua causa nefaria.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Et nos [*Gr. add.* omnes] ita definimus edocti a sanctis Patribus nostris.

Reverendissimi monachi dixerunt : Si aliqui monachi sanctæ synodo desunt, quid de illis fit?

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Persuadebimus eis ex canonibus qui prælecti sunt : attamen quamobrem non occurrerunt ad hanc sacram synodum?

Sabbas reverendissimus monachus dixit : Nescio; sed seorsum sunt.

Euthymius Deo amabilis episcopus Sardinorum : [Sardeorum; Sardium] dixit : Quemadmodum rogavimus, jam veniant libri, et legantur; et videamus, si oporteat suscipi eos qui ab hæreticis ordinati sunt.

Constantinus reverendissimus diaconus et notarius dixit : Quoniam dixistis de ordinatis ab hæreticis legi exempla, præ manibus habemus libros : et si jubetis, legantur.

Sancta synodus dixit : Legantur.

Stephanus reverendissimus monachus et librorum custos legit :

De ecclesiastica Historia Rufini.

Hanc quidem intestinam persecutionem, cum brevis esset, primum in episcopatum transiliens Macedonius crescere fecit. Acacius autem et Patrophilus Maximum Hierosolymitanum expellentes, Cyrillum pro eo constituerunt. Et posthac Cosmas reverendissimus diaconus et cubuclesius venerabilis patriarchii legit :

De ecclesiastica Historia Theodori lectoris, libro quinto.

Dioscorus enim contra id quod regulis placet, sibi ordinationem Constantinopolitani episcopatus indulgens, provehit in ejus præsulatum Anatolium quemdam Alexandrinorum Ecclesiæ responsa Constantinopoli facientem, habens præsto et Eutychem comministrantem. Ad quem Anatolius grato animo dixit [scite dixit], quod futurum erat ignorans : Quocunque ambulasti, sanctificasti. Agebantur autem hæc consulatu Protogenis et Asterii.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Quid dicitis de Anatolio? Nonne primas sanctæ * synodi fuit? Et ecce a Dioscoro impio ordinatus est [*Gr. add.* præsente quoque Eutyche]. Ergo et nos suscipiamus eos qui ab hæreticis ordinati sunt, quemadmodum et Anatolius est receptus. Et rursus, vere vox Dei est, quia non morientur filii pro patribus, sed unusquisque suo peccato morietur [*Ezech.* XVIII] : et quia ex Deo est consecratio. Quod si forte aliqui dubitant de Anatolio, legantur ea quæ de ipso sunt.

Cosmas diaconus et cubuclesius venerabilis patriarchii legit :

Proœmium Chalcedonensis sanctæ ac universalis synodi.

Conveniente autem etiam sancto et universali concilio secundum sacram præceptionem in Chalcedonensi urbe congregato : id est, Paschasino et Lucentio reverendissimis episcopis, et Bonifacio religiosissimo presbytero, tenentibus locum sanctissimi archiepiscopi senioris Romæ Leonis; et Anatolio sanctissimo episcopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ :

Reverendissimi monachi dixerunt : Et hoc suscipimus.

Adhuc Constantinus diaconus et notarius venerabilis patriarchii legit :

De Vita sancti Patris nostri Sabbæ.

Flaviano igitur et Elia patriarchis Sidone, ut dictum est, consistentibus, et litteris blandis et dispensatoriis ad imperatorem utentibus, atque apud Sidonem adversus rectam fidem congregatam synodum destruentibus, necnon ad thronos proprios redeuntibus, indignati hi qui circa Soterichum et Philoxenum erant, in iram immensam commoverunt imperatorem, quasi deceptum a patriarcharum astutia et simulatione. Et accepta potestate quam voluerunt, et auro sufficienti Antiochiæ vulgo dato, multis modis tribulaverunt Flavianum, et quodammodo suffocaverunt, cogentes Chalcedonensem synodum anathematizare : taliter eum ab episcopatu repellentes, exsilio damnaverunt. Quo comperto imperator gavisus est, et Severum Acephalorum principem Antiochenum episcopum misit. Qui Severus apprehenso patriarchatu, multa quidem atrocia sibi non communicantibus demonstravit. Mittit autem synodica sua Eliæ archiepiscopo : et non receptus, commovet in iram imperatorem; et rursus destinat sua ipsius synodica Hierosolymam Maio mense sextæ indictionis, cum quibusdam clericis et virtute imperatoria [*id est*, militia]. Et hoc agnito, Pater noster Sabbas sanctæ memoriæ ascendens in civitatem sanctam una cum aliis eremi hegumenis, eos quidem qui venerant cum synodicis Severi, a sancta insecuti sunt civitate. Multitudinem autem monachorum undique colligentes, ante sanctam calvariam cum Hierosolymitanis clamabant, dicentes : Anathema Severo et his qui communicant ei : præsentibus et audientibus tam magistrianis, quam principibus et militibus qui fuerant ab imperatore transmissi. Iste quippe Severus elatione dira detentus, et imperiali potentiæ innixus, Chalcedonensem synodum de-

* Quartæ.

cies millies [millenis] submisit anathematibus, et Eutychetis externam opinionem confirmare contendens, unam Domini Christi Filii Dei et post ex Virgine incarnationem et humanationem prædicabat naturam corruptam; et amicus turbationis existens multas novitates effinxit adversus recta Ecclesiæ dogmata, seu leges : impiissimam enim et latrociniosissimam [latrocinalissimam] Ephesinam secundam synodum recipit, et similem dicit esse hanc illi, quæ prius in eadem Ephesina urbe convenit. Et æquales in doctoribus pronuntiat Cyrillum deiferum Alexandrinorum episcopum, et Dioscorum qui in communionem recepit Eutychetem hæreticum, utpote consentaneum suum, et sanctissimum et orthodoxissimum Flavianum regiæ urbis archiepiscopum deposuit et interemit; et ita in impietate proficiens idem Severus, exacuit in blasphemiam Dei linguam suam, et partitus est in suis ipsius sermonibus non partibilem in Trinitate divinitatem. Dicens enim et affirmans essentiam [*Gr.*, subsistentiam] esse naturam et naturam esse essentiam [*Gr.*, subsistentiam], et nullam differentiam in his nominibus sciens, sanctam et adorandam et consubstantialem Trinitatem divinarum essentiarum [*Gr.*, subsistentiarum], naturarum et deitatum et deorum dicere Trinitatem ausus est : hujusmodi ergo animarum corruptorem et depopulatorem imperator Anastasius coegit archiepiscopum Eliam communicatorem admittere. Qui cum nullatenus hoc agere consensisset, effervens furore imperator direxit Olympium quemdam Cæsariensem, ducatum habentem Palæstinæ, mittens pariter cum eo et epistolam universalem [*Gr.*, dispensatoriam], quæ a Sidone scripta est, profitentem non admittendam Chalcedonensem synodum, ut omnibus modis Eliam ab episcopatu repelleret. Qui Olympius cum potentatu imperiali perveniens, et multis modis et machinamentis utens, atque jam dictam epistolam manifestans, Eliam quidem ab episcopatu pepulit, et apud Ailam exsilio relegavit : Joannem vero Marciani filium spondentem et Severum communicatorem admittere, et synodum Chalcedonensem anathematizare, episcopum Hierosolymorum fecit primo die [tertio *ex cod. Jol.*] Septembris mensis [*Gr.*, Septembris die tertia], initio decimæ [*al.*, undecimæ] indictionis. Cum autem cognovissent sanctificatus Sabbas et cæteri eremi Patres, hæc spopondisse Joannem, collecti contestati sunt, ne Severum in communionem reciperet, sed magis pro Chalcedonensi synodo discrimen incurreret, cum profectos [profecto] illos haberet omnes auxiliantes; et ita Joannes quotquot duci pollicitus est facere, prævaricatus est, Patres reveritus. Porro Anastasius imperator comperiens Joannem irritas sponsiones fecisse, et insaniens adversus Olympium qui fuerat fuga lapsus, mittit [et insaniens, Olympio fuga lapso, mittit] Anastasium Pamphili, qui ducatum habebat Palestinæ, ut ageret, quo Joannes Severum in communionem susciperet, et Chalcedonensem synodum anathematizaret, vel hunc ab episcopatu repelleret. Qui veniens Hierosolymam, subito capit archiepiscopum, et mittit eum in custodiam publicam. Omnes autem sanctæ civitatis habitatores gratulati sunt, eo quod fuerit insidiator et proditor Eliæ archiepiscopi. Zacharias autem quidam Cæsariensium urbis principatum moderans, clam in munitionem ingressus, consilium dat Joanni, dicens : si vis bene agere, et nullatenus episcopatu privari, nemo tibi suadeat Severum in communionem recipere, sed quasi repromitte duci, et dic, quia et hic quidem, quæ intenduntur, facere non differo : sed ne fateantur quidam per necessitatem et violentiam me agere, dimittar hinc; et post duos dies Dominica existente agam alacriter quæ a vobis jubentur; et hujuscemodi verbis credulus dux restituit eum Ecclesiæ. Archiepiscopus ergo dimissus per noctem, universum monachicum collegium ad sanctam accersivit civitatem, undique colligens. Ut autem quidam numerantes multitudinem nuntiaverunt, quia habebat congregatio decem millia monachorum, et quoniam nec tota ecclesia poterat tantum capere populum, visum est ut convenirent universi per Dominicos dies [Dominicum diem] in domum sancti protomartyris Stephani, eo quod sufficiens esset ad receptionem multitudinis : simul autem et properarent obviam Hypatio consobrino imperatoris, tunc a Vitaliani captivitate soluto, et Hierosolymam orationis causa venienti. Convenientibus ergo universis tam monachis quam civibus in memorata colenda domo, convenit et Anastasius dux, et Zacharias consularis. Cumque consularis [Hypatius] advenisset, et cum multitudine in primi martyris Stephani templum intrasset, duxque putaret voluntatem imperatoris efficiendam, ascendit super ambonem archiepiscopus, habens secum Theodosium et Sabbam monachorum summos et duces; et omnis populus per multas horas clamabat dicens : Hæreticos anathematiza, et synodum robora. Protinus ergo tres ex consensu anathematizant Nestorium, et Eutychetem, et Severum, et Soterichum Cæsareæ Cappadociæ, et omnem qui non reciperet synodum Chalcedonensem.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Auditionem fecimus paternorum mandatorum : quid ergo oportet? suscipitis [suscipere] ab hæreticis ordinatos?

Sancta synodus dixit : Etiam, domine, audivimus, et oportet suscipere.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Quin potius et plures eorum qui in sexta sancta synodo consederunt, a Sergio, Pyrrho, Paulo, et Petro, præceptoribus videlicet hæreseos unam voluntatem in Christo prædicantium, ordinati sunt; quoniam hi vicissim Constantinopoleos thronum sortiti sunt; et a Petro, qui ex his novissimus eidem throno præcedit, usque ad sextam synodum anni plus non transierunt quam quindecim : et ipsi qui intra hoc tempus fuerunt, Thomas et Joannes et Constantinus pontifices in præsignato tempore [*Gr. add.* temp. a prædictis hæreticis ordinati sunt : et propt.]; id est dum hi qui hæretici nominati sunt, exstitisse no-

scuntur : et propterea non sunt improbati : per quinquaginta enim annos tunc hæresis perduravit. Sed sextæ synodi Patres ipsos quatuor anathematizaverunt, quanquam ordinatio eorum essent.

Sancta synodus dixit : Clarum est.

Constantinus sanctissimus episcopus Cypri dixit : Sufficienter ostensum est, honorabilissimi fratres, et de hoc, quia qui ab hæreticis accedunt, suscipiendi sunt. Si quis autem studio ad hæreticum ierit, et susceperit ordinationem, sine receptione sit.

Reverendissimi monachi dixerunt : Habemus et de hoc sancti Basilii epistolam ad Nicopolitas; et obsecramus legi.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Legatur.

Constantinus diaconus et notarius legit.

De epistola sancti Basilii ad Nicopolitas.

Nescio episcopum, nec connumeraverim inter sacerdotes Christi, eum qui a profanis manibus in destructionem fidei ad prælationem provectus est : hoc est judicium meum. Vos autem si aliquam habetis nobiscum portionem, hæc nobiscum procul dubio sentietis : at vero si a nobisipsis consilium sumitis, unusquisque suæ sententiæ dominus est. Nos autem insontes a sanguine isto. Porro hæc scripsi, non de vobis diffidens, sed quorumdam hæsitationem confirmans, ex eo quod notam faciam meam ipsius sententiam de non admittendis quibusdam in communionem, neque illis qui manus eorum promotionem sumpserunt. Propterea pace facta, cogitate vosmetipsos annumerare sacrosanctæ plenitudini [*Gr.*, et ne manus ipsorum impositione accepta, postmodum pace facta connentur seipsos annum].

Reverendissimi monachi dixerunt : Ecce Pater exsecratur hæreticorum ordinationem, dicendo : Neque connumeraverim inter sacerdotes Christi eum qui a profanis manibus in destructionem fidei ad prælationem provectus est.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Et ego exsecror eos qui ob hujusmodi causam et fidei destructionem sunt ordinati; et maxime si episcopi orthodoxi præsentes fuerunt, a quibus poterant consecrari : sic enim est paternus sensus. Sin autem synodica promulgatio et concordia ecclesiarum causa orthodoxiæ facta fuerit, qui præsumpserit a profanis hæreticis ordinari, depositioni succumbet.

Sancta synodus dixit : Hoc justum judicium.

Reverendissimi monachi dixerunt : Et quomodo in fine epistolæ scriptum est : Propterea pace facta, cogitate vosmetipsos annumerare sacrosanctæ plenitudini. Ecce enim et post pacem hi qui ordinati sunt, non recipiuntur.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Non dixit Pater, non recipiendos fore; sed ne forte violentiam sustinerent, qui voluissent uniri clero orthodoxorum. Etenim in veritate non absque necessitate ac difficultate hoc fiet. Verumtamen egregius Pater per tempus illud, cum essent orthodoxi episcopi plurimi, interdicebat alumnis Ecclesiæ ordinatione uti Arianorum : nulla enim defensio aderat. Quia enim hoc verum est, et non ignorabant sensum Patris hi qui post illum sunt Ecclesiæ successores, ab hæreticis constitutos, deinde melioratos susceperunt, ut didicimus per illa quæ prælecta sunt. Ubique enim Patres sibi invicem concordantes sunt, nec inest illis refragatio ulla ; sed adversantur eis qui dispensationes et intentiones eorum minime didicerunt.

Reverendissimi monachi dixerunt : Congrua quæque dissoluta sunt.

Sancta synodus dixit : Legant astantes episcopi proprios libellos, tanquam accedentes ad catholicam Ecclesiam.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Legant postquam duorum capitulorum quæ quærebantur, subtiliter causa examinata est, tam scilicet de his qui ab hæreticis sunt ordinati, quam de his qui accedunt ab hæresi ad sanctam catholicam Ecclesiam.

Hypatius episcopus Nicææ legit libellum suum. Est autem ipse libellus, quem et Basilius reverendissimus episcopus Ancyrensium fecit.

Leo episcopus Rhodi, Nicolaus Hierapoleos, Gregorius Pessinuntius, Gregorius [Georgius] Antiochiæ Pisidiæ, Leo Carpathi, legerunt exemplaria ejusdem libelli.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Professionibus notis per lectionem libellorum, in alio conventu receptio eorum fiet, si non inest in illis aliud quod prohibeat.

Sancta synodus dixit : Fiat sicut jussisti.

Et in his exsurgens sancta synodus laudavit ita : Multos annos imperatorum ! Irenæ et Constantini magnorum principum et imperatorum multos annos ! Orthodoxorum imperatorum multos annos ! Depositores vocum novitatis quæ facta est, Domine, robora ! Piam da vitam eis !

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Pax Dei sit cum omnibus nobis. Amen.

ACTIO SECUNDA.

In nomine Domini et dominatoris Jesu Christi veri Dei nostri, imperio piissimorum et amicorum Christi dominorum nostrorum Constantini et Irenæ Deo coronatæ matris ejus, anno consulatus eorum octavo, sexto Kalendas Octobrias indictione 11.

Conveniente sancta et universali synodo, quæ per

divinam gratiam et piam sanctionem eorumdem Deo confirmatorum imperatorum congregata est in Nicensium clara metropoli Bithyniensium provinciæ, id est, Petro reverendissimo primo presbytero sanctissimæ Roma Ecclesiæ sancti apostoli Petri, et Petro reverendissimo presbytero et monacho et abbate venerabilis monasterii sancti Sabbæ Romanæ siti, retinentibus locum apostolicæ sedis almi et beatissimi archiepiscopi senioris Romæ Adriani; et Tarasio almo et sanctissimo archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ [*Gr. add.* et episcopis qui cum eis erant], et Joanne ac Thoma reverendissimis presbyteris monachis et vicariis apostolicarum sedium orientalis diœceseos; sedentibusque ante sacratissimum ambonem templi sanctissimæ magnæ ecclesiæ quæ cognominatur Sophia, præsentibus et auscultantibus gloriosissimis et magnificentissimis principibus, id est, Petrona famosissimo exconsule, patricio et comite Deo conservandi imperialis obsequii, et Joanne imperiali ostiario et logotheta militaris logothesii, et omni sancta synodo secundum ordinem in prima actione signatum : præsentibus etiam et Deo amabilibus archimandritis et hegumenis, atque omni plenitudine monachica, propositis sanctis et intemeratis Dei Evangeliis.

Nicephorus Deo amabilis diaconus et chartophylax venerabilis patriarchii dixit : Regius homo præ foribus hujus venerabilis templi stat, ducens secum episcopum Neocæsariæ.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Ingrediantur.

Clarissimus regius mandator ingressus dixit : Missus sum a dominis nostris bonis, ut adducerem reverendissimum episcopum Neocæsariæ ad piam et sanctam synodum vestram, et exhibui.

Sancta synodus dixit : Deus conservet pios imperatores nostros.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit ad episcopum Neocæsariæ : Ut ignota tibi præteriit veritas usque nunc? an ut notam tibi hanc parvipendisti? et si ut ignota tibi præteriit, ne confundaris rectum sermonem ediscere, quemadmodum non es confusus perversum.

Gregorius reverendissimus episcopus Neocæsariæ dixit : Crede, domine, ut ignota; peto autem discere, et ut jubet Dominus et sancta synodus.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Dic, quid vis discere?

Gregorius reverendissimus episcopus Neocæsariæ dixit : Cum tota hæc caterva unum dicat et sapiat, et didici et certus sum, quia veritas hæc est, quæ nunc quæritur et prædicatur : ac per hoc ego peto veniam priorum malorum meorum, et volo cum omnibus et illuminari et doceri. Delicta enim et peccata mea immensa sunt : et sicut Dominus ad compunctionem duxerit sacram synodum et sanctissimum dominum meum, ita fiat.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Num forte quasi velamento astutiæ proprium sensum adumbrare volens, verbis simulas veritatem, mente autem malignanter operaris?

Gregorius reverendissimus episcopus Neocæsariæ dixit : Absit, veritatem confiteor, et non mentior, neque falsum faciam verbum meum.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Debueras a prioribus annis aperire aures tuas; et Paulum divinum apostolum audire dicentem : *Tenete traditiones quas accepistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram* (*I Thess.* II); et rursum Timotheo et Tito scribentem : *Profanas vocum novitates devita* (*I Tim.* VI, *Tit.* III). Quid enim profanius et magis vocum novitas est, quam dicere Christianos idololatras esse?

Gregorius reverendissimus episcopus Neocæsariæ dixit : Malum erat; et confitemur, quia malum erat: sed ita gestum est, et ita gessimus; et ideo postulamus veniam delictorum nostrorum. Confiteor, domine, coram honorificentia sanctitatis vestræ et omnium fratrum sanctæ synodi, quoniam peccavimus, et iniquitatem fecimus, et male patravimus; et veniam postulamus super hoc.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Dicimus, ut sequenti actione cum libello rursus conveniente, quæ illius sunt agnoscamus.

Sancta synodus dixit : Ut jubet sanctitas tua, episcopus qui astat, cum libello veniat; et in sequenti actione, secundum quod placuerit, agetur.

Leontius inclytus et regius a secretis dixit : Meminit sacratissima et divinitus collecta synodus; qualiter præcedenti conventu divinæ litteræ lectæ sint Deo conservatorum magnorum imperatorum nostrorum, in quibus continebatur memoria litterarum, quæ synodice missæ sunt a sanctissimo et beatissimo papa senioris Romæ, et venerabilibus summisque sacerdotibus orientis, in duobus quaternionibus : quibus et nunc allatis, suggerimus ad quod placuerit.

Sancta synodus dixit : Legantur libelli sanctissimi et beatissimi papæ Adriani senioris Romæ.

Et legit Nicephorus inclytus et regius a secretis interpretationem litterarum Latinarum Adriani papæ Romani.

Adrianus episcopus servus servorum Dei. Dominis piissimis et serenissimis imperatoribus ac triumphatoribus, filiis diligendis in Deo et Domino nostro Jesu Christo, Constantino et Irenæ Augustis.

(Vide Patrologiæ tom. XCVI, col. 1215.)

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Ipsi vos acceptis a papa litteris his, detulistis eas ad pios imperatores nostros?

Petrus et Petrus Deo amabiles presbyteri, et locum tenentes Adriani sanctissimi papæ Romani, dixerunt : Nosipsi accepimus ab apostolico Patre nostro hujuscemodi litteras, et detulimus eas ad pios dominos.

Joannes magnificentissimus logotheta dixit : Hæc noverunt et honorabilissimi Siculi, Deo amabilis

Theodorus Catanensium episcopus, et qui cum eo est reverendissimus diaconus Epiphanius, qui locum tenet archiepiscopi Sardiniæ. Ambo enim per jussionem piorum imperatorum nostrorum profecti sunt Romam cum reverendissimo apocrisiario sanctissimi patriarchæ nostri.

Theodorus Deo amabilis episcopus Catanæ dixit: Pio imperio jubente per honorabiles jussiones suas, mittere Leonem Dei cultorem presbyterum, qui una mecum est servus vestræ sanctitatis, simul cum pretiosa epistola sacratissimi domini mei : ille qui colit sanctitatem vestram, Siculorum scilicet meæ provinciæ magistratus [strategus] misit me Romam cum pia jussione orthodoxorum imperatorum nostrorum. Qui abeuntes, pii imperii eorum fidem et orthodoxiam denuntiavimus.

Et beatissimus papa audiens dixit : Quia si in diebus imperii eorum factum fuerit hoc, magnificare habet Deus pium imperium eorum super priora regna. Hinc et suggestionem quæ lecta est, transmisit ad pios imperatores nostros una cum litteris ad sanctitatem vestram, et vicariis suis qui hic præsidentes adsunt.

Cosmas diaconus, notarius et cubuclesius dixit : Et aliæ missæ sunt litteræ a sanctissimo papa senioris Romæ ad Tarasium sanctissimum et universalem patriarcham nostrum; et sicut jusserit sancta collectio vestra, et de his fiet.

Sancta synodus dixit : Legantur.

Cosmas prædictus legit :

Epistola Adriani sanctissimi papæ senioris Romæ, interpretata ex Latinorum dictione in Græcorum vocem.

(Vide Patrol. tom XCVI, col. 1233.)

Petrus et Petrus reverendissimi presbyteri ac vicarii sanctissimi papæ senioris Romæ Adriani dixerunt : Dicat nobis sanctissimus patriarcha Tarasius regiæ civitatis, si consentiat litteris sanctissimi papæ senioris Romæ Adriani, an non.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Sacratissimus Paulus apostolus, qui illustratus est lumine Christi, et genuit nos per Evangelium, cum Romanis scriberet, approbans studium sinceræ fidei eorum, quam in Christum verum Deum habebant, sic ait : *Fides vestra annuntiatur in universo mundo* (*Rom.* I) : hoc testimonium sequi necessarium est, et inconsulte agit qui huic conatur resistere. Unde Adrianus præsul senioris Romæ, cum esset particeps eorum qui prædicto testimonio muniri meruerunt, scripsit expresse ac veraciter piis imperatoribus nostris, atque ad humilitatem nostram, affirmans bene ac optime se habere antiquam traditionem Ecclesiæ catholicæ. Nam et ipsi nos scrutando Scripturas, et syllogistice approbando, rimati sumus : sic quod confessi sumus, confitemur et confitebimur, consonamus et confirmamus, atque permanebimus in significatione litterarum quæ lectæ sunt, imaginales descriptiones suscipientes secundum antiquam patrum nostrorum traditionem; et has affectuoso amore adoramus, tanquam ad nomen Christi Dei, et intemeratæ dominæ sanctæ Dei Genitricis, sanctorumque angelorum, ac omnium sanctorum factas, manifestissime in unum solum Deum verum servitutem [Gr., latriam] et fidem nostram ponentes.

Sancta synodus dixit : Tota sacratissima synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatizat.

Petrus et Petrus Deo amabiles presbyteri et legati apostolicæ cathedræ dixerunt : Dicat nobis sancta synodus, si admittit litteras sanctissimi papæ senioris Romæ, an non.

Sancta synodus dixit : Sequimur, et suscipimus, et admittimus.

Joannes Deo amabilis presbyter et legatus orientalis diœceseos dixit :

Opportunum est etiam in præsenti cum Psalmista canere : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax complexæ sunt se* (*Psal.* LXXXIV). Misericordia et veritas scimus quia Dominus noster Jesus Christus est : participatione autem ejus etiam sanctissimi patriarchæ et orbis terræ pastores et dicuntur et sunt. Etenim misericordia et veritas obviaverunt sibi, Adrianus scilicet sanctissimus papa senioris Romæ, et Tarasius sanctissimus patriarcha regnantis Constantinopoleos. Qui unum sentientes et confitentes, justitiam et pacem complexi sunt. Phetonyma [Const. unum sentientes et confitentes. Justitia et pax osculatæ sunt. Phe.] enim Irene, et decreto Dei regnans et imperans [nomen habens rei veritati consonum ac respondens]; divinitus mota, et decorem Ecclesiæ desiderans atque volens, litteris usa, justitiam pheronymam, sanctissimam videlicet Ecclesiam Romanam amplexa est; et movit in medium transire, et præsens sanctum lætificare collegium; sed et orthodoxam patefacere fidem. Et nunc gaudium magnum factum est in lectione sacrarum litterarum sanctissimi papæ Adriani, tam ad divinitus conservandos et tranquillissimos imperatores nostros, quam ad sanctissimum et ter beatum patriarcham Tarasium destinatarum; et magnas in hoc agimus Deo gratias, quia tanto meruimus gaudio perfrui et lætitia. Et benedictus Deus, qui suscitavit nobis talè imperium, quod solicitum sit semper, et excitet populos ad unum conspiramentum et unanimitatem atque custodiam divinorum canonum, seu traditionum sanctissimæ Ecclesiæ. Sed Christus Deus per gignentem se sanctissimam Dei Genitricem, et omnes sanctos suos, et vos sacerdotes suos, qui unum sapitis, et dolum in cordibus non habetis vestris, sed festinatis quæ scripta sunt adimplere, repromissiones vestras veraces ostendat, et longævos conservet bonos dominos nostros, et glorificet eos, et exaltet cornu eorum, et subjiciat inimicos eorum sub pedibus ipsorum, et dignos eos faciat etiam in futuro sæculo cum sanctis regibus connumerari, conservetque hanc sanctissimam synodum.

Agapius sanctissimus episcopus Cæsariæ Cappado-

ciæ dixit : Scriptum est in divinis Scripturis nostris, quia separavit Deus inter lucem et inter tenebras. Ecce enim cessante tenebrosa male opinantium hæresi, lumen cunctis orthodoxiæ refulsit : quod lumen et ego sequens, suscipio et saluto sacras ac venerabiles iconas, et eos qui ita non sentiunt, anathemati submitto.

Joannes sanctissimus episcopus Ephesi dixit : Sicut honorabiles litteræ sanctissimi papæ Romani continent, ita credo, et ita confiteor gratia Christi veri Dei nostri.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Modis omnibus lectæ suggestioni, quæ ad dominos nostros bonos ab Adriano sanctissimo papa Romano missa est ; necnon et epistolæ quæ ad sanctissimum patriarcham directa est, consentio, et ita confiteor, atque cum hac fide proficiscar ad tribunal Christi veri Dei nostri.

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit : Quemadmodum continent litteræ sanctissimi Adriani papæ senioris Romæ, et sensus sanctissimi Patris nostri ac universalis patriarchæ; sic sapio, sic teneo, et ita docebo, et cum hoc sensu meo etiam in futurum sæculum proficiscar.

Nicolaus sanctissimus episcopus Cyzici dixit : Secundum litteras sanctissimi papæ senioris Romæ Adriani, et expositionem confessionis sanctissimi patriarchæ nostri Tarasii, sapio et sapiam, et in illum mundum addncar cum hac confessione mea.

Euthymius sanctissimus episcopus Sardis dixit : Et ego prælectas litteras sanctissimi papæ senioris Romæ sincere ac indubitanter sequens, polliceor et confiteor ita me sapere tam de orthodoxa fide, quam de sanctissimis iconis : non quasi quiddam novum dogma admittens, sed tanquam certissime sciens de illis traditionem sanctorum apostolorum et sacratissimorum magistrorum qui has reliquerunt, in sancta Dei Ecclesia constitutam. Propter quod tota anima recipio hujusmodi venerabiles iconas cum convenienti honore ac salutatoria adoratione. Eos autem qui aliter vel adverse sapiunt aut dogmatizant contra sanctas iconas, alienos a catholica Ecclesia æstimans, abjicio, et hæreticos denuntio.

Petrus sanctissimus episcopus Nicomediæ dixit : Secundum lectas litteras sanctissimi papæ senioris Romæ Adriani, et secundum fidem sanctissimi et universalis patriarchæ Tarasii, venerabiles iconas suscipio, et adoro, et docebo, tanquam redditurus in die judicii rationem judici et Deo nostro.

Elias sanctissimus episcopus Cretæ dixit : Secundum honorabiles litteras sanctissimi papæ senioris Romæ Adriani, sic confiteor et teneo pretiosas et sacras iconas, nunquam aliquando commutandus, nec modo eas tantum adorans. Eos autem qui non ita confitentur, anathematize.

Stauracius sanctissimus episcopus Chalcedonis dixit : Secundum epistolam Adriani sanctissimi papæ senioris Romæ, quæ ad sanctissimum patriarcham nostrum Tarasium missa est, sic et ego recepto, A saluto et amplector sacras iconas, cum sint tanquam arrha salutis meæ. Eos autem qui ita non sapiunt, anathematizo.

Nicephorus episcopus Dyrrachii dixit : Secundum relationem quæ missa est ab Adriano sanctissimo papa senioris Romæ ad pios imperatores nostros, et ad sanctissimum et universalem patriarcham Tarasium, quin et secundum ejus sanctissimi Tarasii archiepiscopi doctrinam, fidem et confessionem, sapio et teneo; et cum hac confessione mea brevis vitæ meæ tempus finiam, et terribili tribunali Christi assistam.

Epiphanius diaconus Ecclesiæ Catanensis, et locum tenens archiepiscopi Sardiniæ, dixit : Nitidissimum orthodoxiæ terminum et SS. apostol. traditio- B nem relatio quæ missa est ad pios et Christo dilectos imperatores a beatissimo papa senioris Romæ Adriano, per lectionem exhibuit : sed et epistola ejus, quæ destinata est ad Tarasium sanctissimum et universalem patriarcham. Unde et ego per omnia his consentiens, et recti sensus incessu sequens, honoro et adoro et recipio ab olim in Ecclesia traditas venerabiles et sacras iconas ; et eum qui in his non convenit, ut hæretici conciliabuli participem averto, et anathematismis transmitto.

Leo presbyter sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopoleos, et locum tenens metropoleos Sidæ, dixit : Secundum lectas synodicas epistolas sanctissimi papæ senioris Romæ, et doctrinam sanctissimi patriarchæ Tarasii, suscipio venerabiles imagines se- C cundum antiquam consuetudinem ; et eos qui sic se non habent, anathematizo.

Nicolaus hegumenus Apri, et locum tenens Tyanensium metropoleos, dixit : Secundum synodicas epistolas Adriani beatissimi papæ, quæ lectæ sunt, suscipio venerabiles iconas secundum antiquam traditionem : et qui se ita non habent, anathematizo.

Constantinus sanctissimus episcopus Gangrensium dixit : Secundum relationes quæ lectæ sunt beatissimi papæ senioris Romæ Adriani, suscipio venerabiles iconas juxta priscam traditionem. Eos vero qui sic non sapiunt, anathemati submitto.

Niceta sanctissimus episcopus Claudiopoleos dixit : Secundum lectas synodicas epistolas beatissimi papæ senioris Romæ Adriani suscipio venerabiles iconas D secundum antiquam consuetudinem ; et qui sic non sapiunt, anathemati submitto.

Theodorus sanctissimus episcopus Myrensium Lyciæ dixit : Secundum synodicas epistolas quæ lectæ sunt beatissimi papæ Romæ Adriani, credo et profiteor, atque adoro et amplector sanctas et venerabiles iconas; et qui ita non sapiunt, anathematizo et declino.

Theophylactus diaconus et exarchus, locum tenens metropoleos Cariæ, dixit : Secundum lectas synodicas epistolas beatissimi papæ senioris Romæ Adriani profiteor; et qui ita non sapiunt, anathemati submitto.

Michael sanctissimus episcopus Synadensium

dixit : Secundum synodicas epistolas a beatissimo papa Adriano senioris Romæ directas confiteor, et admitto juxta priscam traditionem sacras et venerabiles iconas : et qui ita non suscipiunt, anathemati submitto.

Eustathius sanctissimus episcopus Laodiceæ dixit : Secundum recitatas synodicas epistolas beatissimi papæ senioris Romæ Adriani confiteor, et recipio pretiosas et sacras iconas juxta priscam traditionem : et qui ita non sapiunt, anathemati submitto.

Constantinus episcopus Pergæ dixit : Secundum lectas synodicas epistolas beatissimi papæ senioris Romæ Adriani confiteor, et recipio pretiosas et sacras imagines secundum antiquam traditionem : et qui ita non sapiunt, anathemati submitto.

Anastasius sanctissimus episcopus Nicopoleos veteris Epiri dixit : Secundum recensitas synodicas epistolas beatissimi papæ senioris Romæ Adriani confiteor, et suscipio, et adoro sacras et sanctas iconas juxta priscam traditionem. Eos vero qui ita non sapiunt, anathematizo.

Christophorus sanctissimus episcopus Phasidis dixit : Secundum lectas synodicas epistolas beatissimi papæ Adriani confiteor, et suscipio ac adoro venerabiles iconas secundum antiquam consuetudinem. Eos vero qui ita non sapiunt, anathematizo.

Theodorus sanctissimus episcopus Seleuciæ dixit : Secundum lectas synodicas litteras beatissimi papæ senioris Romæ Adriani confiteor, et suscipio sacras et venerabiles iconas secundum antiquam traditionem. Eos vero qui ita non sapiunt, anathematizo.

Gregorius presbyter Constantinopoleos sanctorum apostolorum, et locum tenens metropoleos Mocissi, dixit : Secundum lectas synodicas epistolas beatissimi papæ senioris Romæ Adriani confiteor, et suscipio, et adoro sacras et venerabiles iconas secundum antiquam traditionem. Eos autem qui ita non sapiunt, anathematizo.

Basilius sanctissimus episcopus Syllegæ [Silæi] dixit : Secundum lectas synodicas epistolas beatissimi papæ senioris Romæ Adriani confiteor et suscipio ac adoro venerabiles et sacras imagines secundum antiquam traditionem Ecclesiæ. Eos vero qui ita non sapiunt, anathematizo.

Theodorus sanctissimus episcopus Catanæ dixit : Omni orthodoxia plenam relationem, quæ missa est a sanctissimo papa senioris Romæ Adriano ad pios et amicos Christi imperatores nostros, sed et Tarasium almum et universalem patriarcham, per lectionem agnovi. Unde et ego his assentior, et prorsus adoro, amplector et admitto sacras iconas. Eos vero qui ita non sapiunt, anathematismis transmitto, tanquam alienos ab Ecclesia catholica.

Manuel sanctissimus episcopus Adrianopoleos Thraciæ dixit : Secundum lectas synodicas epistolas beatissimi papæ senioris Romæ Adriani confiteor, et recipio sanctas venerabiles iconas secundum antiquam traditionem catholicæ Ecclesiæ. Eos vero qui ita non sapiunt, anathematizo.

Marianus sanctissimus episcopus Pompeiopoleos dixit : Secundum lectas synodicas epistolas beatissimi papæ senioris Romæ Adriani confiteor, suscipio et adoro sacras et venerabiles iconas secundum antiquam traditionem Ecclesiæ. Eos vero qui ita non sapiunt, anathematizo.

Joannes sanctissimus episcopus Tauromeniæ dixit : Cum veluti divinus orthodoxiæ terminus sint litteræ quæ ab Adriano papa senioris Romæ ad pios imperatores, necnon et ad Tarasium universalem patriarcham nostrum, missæ sunt, ita profiteor, suscipiens sacras iconas secundum antiquam traditionem Ecclesiæ catholicæ. Eos vero qui ita non sapiunt anathematizato.

Cyrillus ex persona sanctissimi episcopi Gothiæ promulgavit similiter.

Theodorus sanctissimus episcopus Mitræ [*Gr.*, Bizyæ *ex ms. Jol.*] promulgavit similiter.

Gregorius presbyter, et locum tenens episcopi Smyrnæ, promulgavit similiter.

Gaudiosius episcopus Messinæ similiter.

Eustachius [Eustratius] sanctissimus episcopus Apamiæ similiter.

Joannes diaconus, et locum tenens apostolicæ sedis [a], similiter.

Petrus episcopus Germiorum similiter.

Theodorus sanctissimus episcopus Panormi similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Arcadiopoleos similiter.

Stephanus sanctissimus episcopus Bibonensium similiter.

. . . . . vicarius Leontopoleos similiter.

Sisinnius sanctissimus episcopus Parii similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Leontinæ similiter.

Epiphanius sanctissimus episcopus Mileti [Mitorum] similiter.

Theodorus sanctissimus episcopus Taurianæ similiter.

Niceta sanctissimus episcopus Præconnesi similiter.

Christophorus sanctissimus episcopus sanctæ Cyriacæ similiter.

Eustachius [Eustratius] sanctissimus episcopus Methymnæ similiter.

Theotimus sanctissimus episcopus Crotonensium similiter.

Theophilus sanctissimus episcopus Chii similiter.

Leo sanctissimus episcopus Cii similiter.

Basilius sanctissimus episcopus Nesiorum similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Apri similiter.

Ignatius sanctissimus episcopus Prinæ similiter.

Theophylactus sanctissimus episcopus Cypsellorum similiter.

[a] *Sedis* deest in ms. Jolyi quemadmodum et in Græco.

Theodorus sanctissimus episcopus Tropæorum similiter. A

Stephanus sanctissimus episcopus Sugdensium similiter.

Sergius sanctissimus episcopus Nicoterensium similiter.

Gregorius presbyter et vicarius Nicopoleos similiter.

Leo sanctissimus episcopus Mesembriæ similiter.

Theodosius sanctissimus episcopus Amorii similiter.

Cyriacus sanctissimus episcopus Drisiparentium similiter.

Galata presbyter, et ex persona sanctissimi episcopi Rhegii, similiter.

Theodosius sanctissimus episcopus Nyssæ similiter. B

Georgius sanctissimus episcopus Camulianensium similiter.

Soterichus sanctissimus episcopus Ciscissensium similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Mastaurensium similiter.

Georgius sanctissimus episcopus Briulensium similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Nyssæ similiter.

Theophylactus sanctissimus episcopus Trallæ similiter.

Basilius [a] sanctissimus episcopus Magnesiæ similiter.

Sabbas sanctissimus episcopus Anensium similiter.

Gregorius sanctissimus episcopus Palæaspoleos similiter. C

Basilius sanctissimus episcopus Magnesiæ Mæandri similiter.

Theophanius sanctissimus episcopus Calpæ similiter.

Leo sanctissimus episcopus Algizensium similiter.

Nicodemus sanctissimus episcopus Eugazensium similiter.

Lucas [Lycastus] sanctissimus episcopus Baretensium similiter.

Theophylactus sanctissimus episcopus Hypæpensium similiter.

Theophanes sanctissimus episcopus Lebedensium similiter.

Stratonicus sanctissimus episcopus Cymæ similiter. D

Cosmas sanctissimus episcopus Myrnæ similiter.

Olbianus sanctissimus episcopus Elææ similiter.

Pardus sanctissimus episcopus Pittanæ similiter.

Basilius sanctissimus episcopus Pergami similiter.

Basilius sanctissimus episcopus Atrammyti similiter.

Marianus [Marinus] sanctissimus episcopus Atandri similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Assi similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Arcadiopoleos similiter.

[a] Exstat pariter in ms. Jolyano.

Leo sanctissimus episcopus Phociæ similiter.

Nicephorus diaconus et vicarius Gargarensium similiter.

Constantinus diaconus et vicarius Agaæ similiter.

Theognius..... vicarius Sion similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Rhædesti similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Panii similiter.

Melchisedech sanctissimus episcopus Calliopoleos similiter.

Leo sanctissimus episcopus Madyti similiter.

Theophylactus sanctissimus episcopus Chariopoleos similiter.

Thomas sanctissimus episcopus Daonii similiter.

Gregorius sanctissimus episcopus Theodoropoleos similiter.

Sisinnius sanctissimus episcopus Chalcidis similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Bryseos similiter.

Benjamin sanctissimus episcopus Lizicensium similiter.

Gregorius sanctissimus episcopus Amastridis similiter.

Theophanes sanctissimus episcopus Sorensium similiter.

Gregorius sanctissimus episcopus Dercensium similiter.

Heraclius sanctissimus episcopus Junopoleos similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Juliopoleos similiter.

Antonius sanctissimus episcopus Trœzenis similiter.

Niceta sanctissimus episcopus Nacoliæ similiter.

Petrus sanctissimus episcopus Asponæ similiter.

Synesius sanctissimus episcopus Cinnæ similiter.

Syneslus sanctissimus episcopus Anastasiopoleos similiter.

Enstathius sanctissimus episcopus Solensium similiter.

Theodorus sanctissimus episcopus Citii similiter.

Gregorius sanctissimus episcopus Trimithuntensium similiter.

Alexander sanctissimus episcopus Amathuntensium similiter.

Joannes [*Gr.*, Sisinnius] sanctissimus episcopus Adrianæ similiter.

Michael sanctissimus episcopus Melitopoleos similiter.

Theodorus sanctissimus episcopus Germæ similiter.

Basilius sanctissimus episcopus Hadranothyrensium similiter.

Leo sanctissimus episcopus Pœmanini similiter.

Symeon sanctissimus episcopus Ocæ similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Lampsaci similiter.

Niceta sanctissimus episcopus Hilei similiter.

Leo sanctissimus episcopus Troadensium similiter.

Theodorus sanctissimus episcopus Abydi similiter.

Anastasius sanctissimus episcopus Tripoleos similiter.

Leo sanctissimus episcopus Traculensium similiter.

Stephanus sanctissimus episcopus Salensium similiter.

Joannes Tabalensium sanctissimus episcopus similiter.

Stephanus sanctissimus episcopus Silandi similiter.

Nicolaus sanctissimus episcopus Pericommatis similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Setensium similiter.

Basilius sanctissimus episcopus Liprensium similiter.

Theophanes sanctissimus episcopus Mæoniæ similiter.

Michael sanctissimus episcopus Stratoniciæ similiter.

Lycastus sanctissimus episcopus Philadelphiæ similiter.

Michael sanctissimus episcopus Trallæ similiter.

Gregorius sanctissimus episcopus Gordensium similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Daldæ similiter.

Eustathius sanctissimus episcopus Orcanæ similiter.

Joannes [Joseph] sanctissimus episcopus Attaliæ similiter.

Zacharias sanctissimus episcopus Hierocæsariæ similiter.

David sanctissimus episcopus Helenopoleos similiter.

Cyrio sanctissimus episcopus Lophi similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Cæsariæ Bithyniæ similiter.

Theophylactus sanctissimus episcopus Apolloniadis similiter.

Georgius sanctissimus episcopus Basinupoleos similiter.

Leo sanctissimus episcopus Aristæ similiter.

Nicephorus sanctissimus episcopus Adrani similiter.

Basilius vicarius Dascylii similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Carinæ similiter.

Niceta sanctissimus episcopus Melæ similiter.

Neophytus sanctissimus episcopus Gordoservorum similiter.

Leo sanctissimus episcopus Linoæ similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Etenensium [Necennensium] similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Zelensium [Hecenensium] similiter.

Gregorius sanctissimus episcopus Sinopæ dixit: Quemadmodum tradiderunt nobis ipsi qui ab initio viderunt et ministri fuerunt sermonis (*Act.* I), et hi qui ab eis edocti sunt, sancti videlicet et beati patres nostri; ita certissime comperiens continere litteras quæ nunc ab Adriano sanctissimo papa senioris Romæ tam ad pios et amicos Christi imperatores nostros, quam ad Tarasium sanctissimum et universalem patriarcham missæ sunt, ita credo, ita confiteor, et ita teneo et tenebo usque ad ultimum spiramentum meum, colens atque adorans pretiosas et sacras iconas. Eos vero qui ita non sentiunt vel confitentur, anathematizo.

Constantinus sanctissimus episcopus Sasimensium dixit: Secundum lectas synodicas epistolas beatissimi papæ senioris Romæ Adriani confiteor, et adoro, atque suscipio sacras et colendas imagines secundum antiquam traditionem Ecclesiæ. Eos vero qui ita non sapiunt, anathematizo.

Niceta sanctissimus episcopus Dadybrensium similiter.

Theophilus sanctissimus episcopus Prusiadis similiter.

Niceta sanctissimus episcopus Adrianopoleos similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Heracliæ Ponti similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Cratiæ similiter.

Niceta sanctissimus episcopus Rysæi similiter.

Nicephorus sanctissimus episcopus Clanensium similiter.

Leo sanctissimus episcopus Trocnadensium similiter.

Anastasius sanctissimus episcopus Patarensium similiter.

Gregorius [Georgius] sanctissimus episcopus Nyssæ similiter.

Theodosius sanctissimus episcopus Pinarensium similiter.

Nicodemus sanctissimus episcopus Sidymi similiter.

Gregorius [Georgius] sanctissimus episcopus Huniadensium similiter.

Constantinus episcopus Candibensium similiter.

Stauracius sanctissimus episcopus Zenopoleos similiter.

Leo sanctissimus episcopus Limyrensium similiter.

Stephanus sanctissimus episcopus Caunensium similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Tensium [*Gr.*, Tlon] similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Combensium similiter.

Petrus sanctissimus episcopus Orcadensium [*Gr.*, Petrus diaconus et vicarius Hyrcanensium] similiter.

Joannes diaconus et vicegerens Phaselidensium similiter.

Sabbas..... vicarius Tii similiter.

Gregorius sanctissimus episcopus Libyræ similiter.

Basilius sanctissimus episcopus Tabensium similiter.

Dorotheus sanctissimus episcopus Neapoleos similiter.

Gregorius sanctissimus episcopus Heracliæ similiter.

David sanctissimus episcopus Jassi similiter.

Gregorius sanctissimus episcopus Mylassi similiter.

Sergius sanctissimus episcopus Megyliensium similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Mydbi similiter.

Stauracius sanctissimus episcopus Stadiæ similiter.

Gregorius sanctissimus episcopus Stratoniciæ similiter.

Theodosius sanctissimus episcopus Chonensium similiter.

Michael sanctissimus episcopus Chæretopensium similiter.

Pantoleo sanctissimus episcopus Valentiæ similiter.

Georgius sanctissimus episcopus Peltensium similiter.

Christophorus sanctissimus episcopus Atanassi similiter.

Leontius sanctissimus episcopus Eumeniæ similiter.

Paulus sanctissimus episcopus Acmoniæ similiter.

Gregorius sanctissimus episcopus Timenutherensium similiter.

Leo sanctissimus episcopus Trajanopoleos similiter.

Leo sanctissimus episcopus Alei similiter.

Nicephorus sanctissimus episcopus Lundensium similiter.

Georgius sanctissimus episcopus Appiæ similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Eucarpiæ similiter.

Michael sanctissimus episcopus Hierapoleos similiter.

Christophorus sanctissimus episcopus Promissi similiter.

Nicolaus sanctissimus episcopus Phytiæ similiter.

Theophylactus sanctissimus episcopus Cinnabori similiter.

Niceta sanctissimus episcopus Augustopoleos similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Cotragii [Cotyæi] similiter.

Georgius sanctissimus episcopus Medali similiter.

Leo sanctissimus episcopus Docimii similiter.

Damianus sanctissimus episcopus Meri similiter.

Theophylactus vicedominus et loci conservator Apsi similiter.

Stephanus electus Otri similiter.

Joannes electus Hectorii similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Amalandensium similiter.

Epiphanius sanctissimus episcopus Pertensium similiter.

Sisinnius sanctissimus episcopus Philomelii similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Sibliæ similiter.

Michael sanctissimus episcopus Papensium similiter.

Theodorus sanctissimus episcopus Sagallii similiter.

Sisinnius sanctissimus episcopus Apamiæ Ciboti similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Cananæ similiter.

Leo vicedominus et vicarius Sozopoleos similiter.

Marianus sanctissimus episcopus Magydensium similiter.

Nicephorus sanctissimus episcopus Flogensium similiter.

Leo sanctissimus episcopus Andidensium similiter.

Manzo sanctissimus episcopus Pracanensium similiter.

Theodosius sanctissimus episcopus Germanicopoleos similiter.

Eustathius sanctissimus episcopus Celendereos similiter.

Zacharias sanctissimus episcopus Trapezopoleos similiter.

Sisinnius sanctissimus episcopus Sycæ similiter.

Zacharias sanctissimus episcopus Cardabundensium similiter.

Sisinnius sanctissimus episcopus Murbadensium similiter.

Eustathius sanctissimus episcopus Lamensium similiter.

Stephanus sanctissimus episcopus Philadelphiæ similiter.

Leo sanctissimus episcopus Sibillensium similiter.

Theodorus sanctissimus episcopus Cadus similiter.

Michael sanctissimus episcopus Tiberiopoleos similiter.

Joannes sanctissimus episcopus Azanensium similiter.

Basilius sanctissimus episcopus Dionysiopoleos similiter.

..... [Manuel] vicarius Nicopoleos similiter.

..... [Joannes] ex persona Coloniæ similiter.

Eustratius sanctissimus episcopus Debelti similiter.

Leo vicedominus et vicarius Zoropoleos similiter.

Theodorus sanctissimus episcopus Bulgarophygi similiter.

Georgius sanctissimus episcopus Plutinopoleos similiter.

Basilius sanctissimus episcopus Perbereos similiter.

Michael sanctissimus episcopus Pamphyli similiter.

Ruben sanctissimus episcopus Scopelii similiter.

Sisinnius sanctissimus episcopus Garialli similiter.

Petrus sanctissimus episcopus Monembasiæ similiter.

Gabriel sanctissimus episcopus Egenæ similiter.

Leo sanctissimus episcopus Porthmi similiter.

Bardanius sanctissimus episcopus Doarensium similiter.

Andronicus presbyter, et ex persona Leontopoleos seu Zalichi, similiter.

Leo sanctissimus episcopus Sebastæ similiter.

Niceta diaconus ex persona Halicarnassi similiter.

Leo sanctissimus episcopus Corydalensium similiter.

Theodorus sanctissimus episcopus Cremnensium similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Adrianæ similiter.

Sancta synodus dixit : Justum est, ut et reverendissimi monachi pronuntient.

Reverendissimi monachi dixerunt : Si ordo est talis, ut et nos monachi pronuntiemus ; ut jubetis.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Ordo est unicuique, qui reperitur in synodo, ut pronuntiet confessionem suam.

Sabbas reverendissimus monachus et hegumenus Studii dixit : Secundum antiquam et priscorum temporum illibatam fidem, quæ nobis tam a sanctis apostolis et prophetis, quam a doctoribus in catholica Ecclesia est tradita, et secundum destinatam syllabam a ter beato et apostolico papa Adriano ad pios imperatores nostros et Tarasium universalem patriarcham, quæ illustraverunt et fulguraverunt mentes nostras, secundum fidem audientes : confiteor et credo [*Gr. add.* et adoro sacras imagines. Eos autem qui non ita sentiunt, anathematizo.]

Gregorius reverendissimus monachus et hegumenus sancti Sergii dixit : Secundum antiquam et priscorum temporum legislationem, quæ tradita est in sancta Dei magna Ecclesia ex sanctis ac laudabilibus apostolis, et conservata est a sanctis et sacratissimis Patribus et magistris nostris, id est, sanctis sex universalibus synodis ; atque orthodoxis litteris quæ missæ sunt ab Adriano senioris Romæ sanctissimo et apostolico papa ad pios et Christi amicos imperatores nostros, et Tarasium sanctissimum et universalem patriarcham, quæ illustraverunt et illuminaverunt sensus nostros, cum desiderio cordis mei suscipiens, ita confiteor, ita prædico, credens per hanc veram confessionem una cum bona actione indulgentiam accipere peccatorum quæ gessi.

Joannes hegumenus Pagurii similiter.

Eustathius hegumenus Maximini similiter.

Symeon hegumenus Choræ similiter.

Gregorius [Georgius] hegumenus Pegæ similiter.

Symeon hegumenus Abramitensium similiter.

Joseph hegumenus Heraclii similiter.

Plato hegumenus Sacudeonis similiter.

Gregorius hegumenus Hyacinthi similiter.

Et cæteri omnes monachi pronuntiaverunt similiter.

ACTIO TERTIA.

In nomine Domini et dominatoris Jesu Christi veri Dei nostri. Imperio piissimorum et amicorum Christi dominorum nostrorum Constantini et Irenæ a Deo redimitæ matris ejus, anno octavo consulatus eorum, tertio [*Gr. et ms. Jol.*, IV] Kalendas Octobrias, indictione 11.

Conveniente sancta et universali synodo, quæ per divinam gratiam et piam sanctionem eorumdem divinitus confirmatorum imperatorum congregata est in Nicensium clara metropoli Bithyniensium provinciæ : id est, Petro reverendissimo primo presbytero sanctæ Romanæ Ecclesiæ sancti apostoli Petri, et Petro reverendissimo presbytero et monacho et hegumeno venerabilis monasterii sancti Sabbæ siti Romæ, tenentibus vicem apostolicæ sedis almi et sanctissimi archiepiscopi senioris Romæ Adriani ; et Tarasio almo et sanctissimo archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ, et Joanne ac Thoma reverendissimis presbyteris monachis et vicariis apostolicarum sedium orientalis diœceseos.

Residentibus quoque ante sacratissimum ambonem templi sanctissimæ magnæ Dei Ecclesiæ quæ cognominatur Sophia ; præsentibus et audientibus gloriosissimis et magnificentissimis judicibus, id est, Petrona laudabilissimo exconsule patricio, et comite Deo conservati imperatorii obsequii, et Joanne imperiali ostiario et logotheta militaris logothesii, et tota sancta synodo secundum ordinem qui præscriptus est in prima actione ; præsentibus etiam Deo amabilibus archimandritis et hegumenis, atque omni monachica plenitudine ; propositis sanctis et intemeratis Evangeliis :

Dixit Demetrius Deo amabilis diaconus et scevophylax sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ :

Quoniam quidem præcedenti die visum est sanctæ et universali synodo sequenti paterna et ecclesiastica jura, suscipiendos eos qui ex hæresi convertuntur ; necnon et eos orthodoxos qui ab hæreticis

ordinati sunt, assumendos : præ foribus adsunt hi qui libellos suos jam orthodoxe legerunt episcopi, et postulant ingredi et judicari secundum quod vobis placuerit.

Sancta synodus dixit : Veniant.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Is qui nuper venit Deo amabilissimus episcopus Neocæsariæ reddat rationem suam per libellum.

Gregorius Deo amabilis episcopus Neocæsariæ dixit : Confirmet Deus imperium bonorum dominorum nostrorum ; lætificet eos Deus in sancto solio ipsorum. Sanctissimum dominum nostrum Deus largiori ævo fungi faciat pontificio, et sanctam synodum Deus stabiliat. Orate pro egestate mea. Et proferens libellum suum legit continentem exemplaria libellorum qui præscripti sunt in actione prima.

Et postquam lectus est libellus, Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Hæc cum simplicitate cordis confiteris ?

Gregorius Deo amabilis episcopus Neocæsariæ dixit : In nomine Dei et per sanctam orationem tuam et sanctorum Patrum, in munda conscientia et omni simplicitate confiteor, et quæso beatitudinem vestram et totam synodum orare pro me.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Aliquid ad hæc promulgemus. [*Gr. add.* Sanctissimi episcopi Siciliæ dixerunt. Quod in aliis factum est, fiat quoque in istis.]

Sancta synodus dixit : Fiat.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Sed sermo quidam rumoris obstrepit, quod in tempore persecutionis quidam episcoporum intolerabiles persecutiones piis viris intulerint : quibus verbis injectis non usquequaque sine approbatione credimus. Novit tota sancta synodus hæc, quia canon sanctorum apostolorum episcopum, vel presbyterum, vel diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles inique agentes, et per hujuscemodi timeri volentem, deponi præcipit.

Sancta synodus dixit : Ita denuntiant.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Et si hoc ita est, quid vobis videtur ?

Theodorus sanctissimus episcopus Catanæ dixit : Secundum sacras catholicæ Ecclesiæ regulas ita definit sancta synodus hæc.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Si intulit episcopus quascunque plagas et tormenta viris timentibus Dominum, qui tunc persecutionem patiebantur, non est dignus episcopatu.

Sancta synodus dixit : Non est dignus.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Quoniam et sicut persecutor cædes inflixit.

Theodorus sanctissimus episcopus Catanæ, et qui cum eo Deo amabiles episcopi Siciliæ, et Epiphanius diaconus et locum tenens episcopi Sardiniæ, dixerunt : Quarta synodus mox ut præsedit, in primordiis exclamavit : Dioscorum foras mitte, homicidam foras mitte ; eo quod manus [*Gr. add.* in synodo latrocinali manus] injecerit super viros insontes.

Joannes reverendissimus presbyter et locum tenens orientalis diœceseos dixit : Et Spiritu sancto inspirata sancta synodus sponsionem [constitutionem] hanc exposuit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Sicut et prædiximus, verbis quæ circumferuntur, non credimus.

Sancta synodus dixit : In tempore suo quisquis hanc habet querimoniam, queratur apud hanc sanctam synodum, vel apud sanctitatem vestram : et ostensa veritate, sicut definitum est a sancta synodo hac, proveniet.

Gregorius sanctissimus episcopus Neocæsariæ dixit : Non me homo accusabit, quia percussi vel occidi [*Gr.*, cecidi].

Sancta synodus dixit : In his et nos gaudemus.

Gregorius sanctissimus episcopus Neocæsariæ dixit : Neque in divinitus custodienda urbe, neque in regione mea homo ex me ultionem passus est.

Sancta synodus dixit : Si istud est, suscipiatur in loco suo.

Sabbas reverendissimus monachus et hegumenus monasterii Studii dixit : Principem hæreseos confessi sunt pontifices cum esse : et ut jubetis ; nam Pater noster Athanasius ad Rufinianum dixit, quia eis qui principes fuerunt hæreseos sufficit, si tantum ad pœnitentiam admittantur.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Sed dixit, quia non cecidit, neque persecutus est

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Juvenalis, et qui circa ipsum erant, auctores [principes] latrocinalis synodi exstiterunt ; sed in quarta synodo recepti sunt.

Joannes magnificentissimus logotheta dixit : Sufficit synodo vestræ divinitus congregatæ, quia Gregorius Neocæsariæ, et qui auctor exstitit prætereuntis impiæ synodi, conservatus est usque in hodiernum diem ad suam hæresim et doctrinam damnandam.

Joannes reverendissimus presbyter et locum tenens orientalis diœceseos dixit : Gratias agimus Deo, quia remanserunt viri e male collecta synodo, arguentes et quæ ab ipsis male sunt gesta, et subvertentes atque confusionem propriam publicantes.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Scimus omnes Juvenalem patriarcham fuisse Hierosolymitanum ; et secundum dignitatem suam utique et princeps synodi fuit : et sic [*Gr.*, hic] post prævaricationem suam pœnitentia gesta receptus est.

Epiphanius reverendissimus diaconus Ecclesiæ Catanæ, et locum retinens Thomæ episcopi Sardiniæ, dixit : Sed neminem persecutus est Juvenalis.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Et isto respondit, quia neminem persecutus sum.

Nam et Eustathius Sebastenus princeps erat hæ-

reseos Macedonianorum : sed cum libello sanctus Basilius Pater noster suscepit illum.

Reverendissimi monachi dixerunt : Verum est, sed quia tacens mansit Juvenalis, ideo respondimus [*Gr. add.* Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Laudamus vos, tanquam æmulatores canonicarum et evangelicarum constitutionum.]

Sabbas reverendissimus monachus et hegumenus monasterii Studii dixit : Conservet Deus dominos nostros bonos, quibus dignantibus hoc factum est et congregatum concilium ad Ecclesiæ unionem atque concordiam.

Sancta synodus dixit : Gratiarum actio Deo et laus.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Jam antea hæc sancta synodus promulgavit, secuta sanctos patres nostros, quod suscipi oporteat [*Gr. add.* venientes ab hæresi], nisi alia causa hujusmodi a sacerdotali ejiciat ordine : idipsum ergo et iterum didicimus.

Sancta synodus dixit : Omnes idipsum dicimus.

Joannes reverendissimus presbyter et monachus, locum tenens orientalium patriarcharum, dixit : Bona quæ diverso modo dicuntur, sancta sunt et utilia.

Petrus Deo amabilis presbyter, et locum tenens Adriani beatissimi papæ senioris Romæ, et Joannes ac Thomas Deo amabiles presbyteri, et vicarii orientis, dixerunt : Recipiant sedes suas.

Sancta synodus dixit : Hoc ipsum dicimus, et consentimus omnes.

Et ascenderunt in competentes sibi cathedras reverendissimi episcopi, Nicææ videlicet, Neocæsariæ, Rhodi, Iconii, Hierapoleos, Pisinuntium, et Carpathi.

Sancta synodus dixit : Deus bene adduxit orthodoxos.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Quia in priori sessione sanctæ hujus venerabilis synodi piissimam sacram Deo coronatorum nostrorum imperatorum meruimus per regium a secretis suscipere ; in qua continebatur, quod litteræ a senioris Romæ præsule missæ fuerunt ad tranquillissimum imperium ipsorum, et duo quaterniones ad sanctissimum patriarcham ab orientalibus summis sacerdotibus : et litteras quidem Romani papæ audivimus, et quæ in illis continebantur, agnovimus. Postulamus itaque a claritate vestra, amplissimi patricii, ut quæ ab oriente missa sunt, legantur coram sancta ista et universali synodo, quo comperiamus, si eadem sentiant et eadem prædicent tam senioris Romæ papa, quam sanctissimus patriarcha Tarasius, qui et præsidet regiæ urbi, quam orientis episcopi.

Magnificentissimi principes et sancta synodus dixerunt : Fiat secundum postulationem vestram.

Joannes et Thomas Deo amabiles presbyteri, et locum retinentes orientalium patriarcharum, dixerunt : Si placet huic sanctæ et universali synodo, A poscimus ut litteræ sanctissimi patriarchæ Tarasii, quæ missæ sunt ad sanctissimos et summos sacerdotes orientis, prius legantur ; et ita rescriptæ earum.

Sancta synodus dixit : Legantur.

Et legit Stephanus diaconus Deo amabilis et notarius venerabilis patriarchici secreti.

Exemplar litterarum quæ missæ sunt ad summos sacerdotes et sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, et sanctæ civitatis, a Tarasio et beatissimo patriarcha Constantinopoleos.

Multa et magna providentia Dominus Deus hominum vitas regens et protrahens, atque proventum vitæ uniuscujusque consulte deducens (sine ipso namque factum est nihil, quia et capilli capitis nostri B numerati sunt ei) et me in laicorum ordine usque nunc connumeratum, et imperialibus ministeriis deputatum, nescio quibus judiciis (ipse scit) in cathedram pontificalem evexit, hortatu valido a veritatis propugnatoribus, piissimis videlicet ac orthodoxis imperatoribus nostris, atque sanctissimis episcopis, seu clericis, in me violenter effecto : cui succumbens annui, et obedientiæ fructum his carpendum commisi. Et rogo vos sacratissimos, ut tanquam patres me pusillanimem baculo potentiæ, id est paternis vestris magisteriis fulciatis, et veluti fratres puris orationibus vestris nos cum armatura Dei contra versutias antiqui hostis adjuvetis, atque fluctibus invicem surgentibus vacillantem gubernetis, quatenus pertingam ad portum voluntatis Christi Dei C nostri. Est enim prorsus apud nos quoddam prælium sine ferro, dum sermones jaciant et jaciantur. Sed triumphale habemus tropæum, veritatem quæ non vincitur. Deinde quoque et procellis vehementibus inspirantibus, in auxilium vobis assumptis, harum pauxillum quid sufferentes æstum, Christum has increpantem inveniemus, et vitam tranquille per omnia transigemus. Et his quidem sufficienter in præfatione nostra præmissis, in cæteris evidenter horum cognitio denuntiabitur. Nunc autem ad aliam intentionem dicendi [dicendo] progredior. Quia enim prisca quædam, et ut verius fateamur, apostolica traditio in omnibus ecclesiis inolevit, ut hi qui ad pontificium provehuntur, præcedentibus se in eodem ordine, qualiter se habeant quæ suæ fidei sunt, D exponendo commendent : Visum est et mihi hoc sectanti, me vobis inclinare, et liquido confessionem pronuntiare, quemadmodum a tubis sancti Spiritus (quarum sonus in omnem terram exivit, et in fines terræ verba) [*Psal.* XVIII] et ab earum alumnis atque asseclis, sacratissimis videlicet Patribus nostris educatus, ex ipsis mollibus ungulis didici.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei et Deum nostrum, natum ex Patre sine tempore coæternum : et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre per Filium procedentem, et eumdem Deum esse et cognosci : Trinitatem unius substantiæ, unius honoris et sedis, sempiternam et increatam, omnium

creaturarum conditricem : unum principium, unam deitatem et dominationem, unum imperium, potentatum et potestatem in tribus subsistentiis, individue quidem divisam, et divise unitam : non ex imperfectis tribus unum aliquid perfectum ; sed ex tribus perfectis unum superperfectum et plusquam perfectum, uti magnus locutus est Dionysius [a]. Itaque secundum proprietatem personarum tria quidem adoranda ; at vero secundum communem naturæ rationem unus Deus omnium factor visibilium et invisibilium, omnium provisor. Confiteor autem factam propter salutem nostram in novissimis diebus secundum carnem nativitatem unius sanctæ Trinitatis, Filii scilicet Dei et Domini nostri Jesu Christi, ex veraciter sancta Dei genitrice semperque Virgine Maria : consubstantialem quidem factum nobis modis omnibus absque peccato, non autem desinentem esse quod erat ; sed duabus naturis inconfuse manentibus, una cum consistentibus in se duabus voluntatibus et operationibus : crucifixum pro nobis carne, et sepultum, et resurrexisse, in cœlosque ascendisse, et venturum judicare vivos et mortuos. Insuper spero resurrectionem mortuorum, et singulorum gestorum redditionem [*Gr. add.* æternam] bonorum scilicet, et his contrariorum. Expetens etiam intercessiones sanctissimæ et intemeratæ dominæ nostræ Dei genitricis et semper Virginis Mariæ, sanctorumque angelorum, et sanctorum et gloriosissimorum apostolorum, prophetarum, martyrum, confessorum, et magistrorum [doctorum], salutans et venerabiles iconas eorum, et omnem hæreticam abominans contentionem, necnon et eorum ductores atque primores, Simonem videlicet, Marcionem, Manetem, Paulum quoque Samosatenum, et Sabellium Libyum, eorumque dogmata nefaria. Recipio etiam sanctas et universales sex synodos, et earum divina dogmata pariter et doctrinas, tanquam quæ divina inspiratione nobis tradita fuerint. Et cum prima quidem homousion et una cum Patre sine initio Filium esse credens, anathematizo impium Arium, Aetium, Eunomium, Eudoxium et Demophilum : post hos et eos qui jure dicuntur Dissimiles et Semiariani, atque omnem coinquinatam eorum catervam. Cum secunda vero Deum esse Spiritum sanctum et vivificatorem confitens, abjicio Macedonium et omnes qui unius cum illo sunt sensus, cum his autem et Deo perosum Apollinarium, qui insensate desipuit [*Gr.*, qui sine mente opinatus est]. Cum tertia autem unum Dominum Jesum Christum verum Deum nostrum ex Patre genitum, eumdemque in novissimis diebus propter salutem nostram incarnatum ex sancta Dei genitrice semperque Virgine Maria, prædicans, hominis cultorem Nestorium, et bigam quæ circa ipsum est, Diodorum aio ac Theodorum, necnon et eorum prodigiosam fabulam prædicantes, et in Christo personalem dualitatem formantes, procul a confessione mea repello. Præterea cum quarta ex duabus naturis et in duabus naturis unum sanctæ Trinitatis Christum Deum nostrum carne venisse sentiens, anathematizo Eutychetem, Dioscorum, et totam ipsorum sine capite multitudinem, una cum divinitus fulminando Severo, et infando Juliano Halicarnasseo, qui fabulose Dominum nostrum incorruptum corpus suscepisse perhibuit. Denique in quinta, quæ sicut machæra spiritus in superficie quodammodo ex prioribus temporibus navigantes iniquas rescidit hæreses, et inventores patefecit earum, Origenem videlicet, et Didymum, et Evagrium ; ita et ego has, utpote portentosas hæreticorum fabulationes, repello. Porro per sextam sicut ex duabus naturis Christum, ex quibus et est, olim esse didiceram ; ita et duas naturales voluntates et operationes ejus in utraque natura credidi, humana scilicet et divina. Submittoque anathemati Cyrum, Sergium, Honorium, Pyrrhum, Paulum, et omnes consectatores eorum : dogma quoque ipsorum, ut Sodomiticam vitem, et Gomorrhiticam propaginem, amaritudinis botryonem habentes, odivi. Ipsius autem sanctæ sextæ synodi cum omnibus dogmatibus, quæ legaliter ac divinitus ab ea promulgata sunt, etiam depromptos canones recipio ; in quibus refertur : In quibusdam venerabilium imaginum picturis agnus digito præcursoris exaratur ostensus, qui in figura præcessit gratiæ, verum nobis per legem demonstrans agnum, Christum videlicet Dominum nostrum. Veteres ergo figuras et umbras, utpote veritatis indicia, et præcedentes characteres Ecclesiæ traditos salutantes, gratiam honore præferimus et veritatem, hanc ut legis plenitudinem admittentes. Ut ergo perfectio etiam per colorum operationes in omnium vultibus depingatur, characterem agni Dei nostri Christi, qui tollit peccata mundi, secundum humanitatem etiam in iconis ex hoc pro veteri agno definimus depingi : per eum videlicet celsitudinem humilitatis Dei Verbi considerantes, et ad memoriam conversationis quam in carne gessit, passionis quoque ac salutaris mortis ejus adducti, atque redemptionis quæ hinc est mundo effecta. Superfluas autem tumultuationes et garrulitates post hæc inconsulte promulgatas, ut apud vos minime receptas, neque per divinam gratiam dictas, irritas æstimamus : et ave istis dicentes, fugacesque facturi, accingimus lumbos mentis nostræ in veritate, et suscitamur una cum piis et fidelibus imperatoribus nostris, propugnatoribus videlicet veritatis, ad unitatem sanctæ Dei Ecclesiæ : a quibus et synodum universalem petivimus in præsentia totius eorum Deo amabilis populi ; et postulationi nostræ pie annuerunt. Unde vos qui superædificati estis super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipsum videlicet summum et angularem lapidem Christum Jesum (*Ephes.* II), quemadmodum in præcedentibus dictum est, concertatores et consectatores ac auxiliatores sumentes, confidentiam talem habemus ad Dominum : non quod suffi-

[a] Locus obscurus, et caute legendus.

cientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi a nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est (*II Cor.* III); quia disrupta membra et discissa in unum corpus compactum et connexum crescere faciet, in quibus caput est Christus; et ultra jam non erunt dispersa. De cætero rogamus sanctitatem vestram, usque ad duos [vicarios] loci servatores mittere cum deiloqua epistola sua; et quidquid sibi fuerit divinitus super hoc negotio revelatum, nobis facere manifestum: ut secundum quod debitum est, tam loci servatores, quam litteræ vestræ synodice sive ad loquendum, sive ad legendum in omnibus inveniantur, quatenus per hoc quæ scissa sunt, uniantur: idipsum enim et a præsule senioris Romæ petivimus; et rogo vos fraterne, apostolicam vobis vocem pronuntians, tanquam Deo exhortante per nos; omnia perscrutantes secundum consilium vestrum quod in Deo patefacite nobis. Scriptum est enim: *Labia sacerdotum custodient scientiam, et legem exquirent ex ore eorum* (*Malach.* II). Certi enim sumus, quod semina veritatis in vobis salva custodiatis. Sed et pii imperatores nostri et per cuncta orthodoxæ veritatis firmitatem sectantur, et Domino Deo supplicare non cessant, secundum Gregorium qui a theologia cognomen sortitus est: ut efficiamur nos, qui unius Dei existimus, unum: et qui sumus Trinitatis, uniti et honore pares, atque unanimes in cunctis inveniamur: et qui sumus sancti Spiritus, non contra invicem, sed pro invicem simus: et qui sumus veritatis, idipsum sapientes atque dicentes exhibeamur, et non sit contentio vel dissensio in nobis: sed sicut habemus unum baptisma, unam fidem, ita et consonantiam unam in omni ecclesiastico negotio. Et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, in unum nos conducat, et divisa uniat, atque diuturnum vulnus sanet, et incolumitate fidei integros servet, et in vera confessione atque concordia stabiliat omnes, uniatque sanctam Ecclesiam suam, et compescat scandala quæ superjacent ei: intercessionibus intemeratæ dominæ nostræ Dei Genitricis et omnium sanctorum fiat. Amen.

Petrus et Petrus Deo amabiles presbyteri, et locum retinentes beatissimi papæ Adriani senioris Romæ, dixerunt: Hujusmodi litteras sanctissimus papa recepit, et idcirco direxit nos cum rescriptis quæ jam lecta sunt.

Joannes Deo amabilis presbyter, et locum retinens orientalium principum sacerdotum, dixit: Hæ litteræ, et pietas imperii fecit nos venire huc, et effugere iniquorum illorum Ecclesiæ inimicorum manus.

Sancta synodus dixit: Deus vos bene adduxit.

Constantinus Deo amabilis diaconus et notarius dixit: Præ manibus habeo memoratos quatuor nationes qui missi sunt ab oriente: et si jubetis, legemus.

A *Sanctissimo ac beatissimo domino Tarasio archiepiscopo Constantinopoleos et universali patriarchæ, orientis summi sacerdotes et sacerdotes in Domino salutem.*

Sacratissimis et ex divina deitatis inspiratione libellis apostolicæ ac paternæ sanctitatis vestræ prælectis, o beatissimi, nos humiles, et eorum qui desertum incolere gestiunt, ultimi, tremore pariter et gaudio sumus detenti. Tremore quidem, propter timorem eorum quibus ob peccata nostra servire decreti sumus, quique vere sunt impii, et in circuitu, secundum quod scriptum est (*Psal.* XI), impii ambulant, ac per singulos pene dies occasiones exquirunt, ut nos morti tradant et perdant: gaudio vero, propter veritatem orthodoxæ fidei quæ fulget B in eis solarium more radiorum, et luculentissimam explanationem apostolicorum dogmatum et paternorum. De quibus apte genitorem vocis Verbi, id est, prophetam Zachariam ad memoriam reducentes, magna voce clamamus: *Visitavit nos oriens ex alto* (*Luc.* I) splendidus theorica et divina providentia illustratæ mentis, in tenebris et umbra mortis maligni erroris, id est, Arabicæ impietatis, sedentes, ad dirigendos intelligibiles pedes nostros in viam et semitas pacifere constitutionis. *Quis loquetur potentias Domini?* nobiscum psallat David pater Dei; *aut auditas faciet omnes laudes ejus?* (*Psal.* CV) quoniam misertus est Deus desperati populi sui, et distantia ad unam fidei collegit harmoniam. *Et erexit cornu salutis nobis* (*Luc.* I), et directionis in domo, et Dominum recipiente templo unigeniti Filii sui, Domini C videlicet Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi: quod estis vos sanctissimi [a], atque hi qui partes secundas ecclesiæ portant per legem et ordinem ecclesiæ nostræ, triumphatores [*Gr.*, atque hi, qui par. sec. juxta legem et ordinem in ecclesia obtinent post vos triumphat.] scilicet ac divinitus redimiti seu decreti principes nostri et domini terrarum orbis. Sacerdotium enim imperii sanctificatio est et constitutio, et imperium sacerdotii fortitudo et firmamentum; de quibus sapiens quidam princeps et in sanctis regibus beatissimus ait: Maximum donum Deus hominibus præstitit, sacerdotium et imperium: illud quidem adornans et regens cœlestia; hoc vero gubernans legibus justis terrestria. Nunc veraciter D medius maceriæ paries solutus est, et concordia discordiæ principatur, et incurvatur unitati divisio, et fuga lapsa disparuit dissonantia: et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, jucundo vultu triumphat et fiducialiter conversatur. Nunc nos qui facti fueramus opprobrium vicinis et affinibus nostris, subsannatio et derisio his qui in circuitu nostro sunt, ac per hoc ad terram præ confusione prospicientes, ad cœlos unanimi alacritate suspicimus, et psallentes in exsultatione proclamamus: *In hoc cognovi, quoniam voluisti me, quia non gaudebit inimicus meus super me* (*Psal.* XL). Me autem propter innocentiam et simplicitatem erroris [errore] titu-

[a] Anast. verb. *Quia primas retinent patriarchæ, nam primum in ecclesia locum possident sacerdotes.*

bantem suscepisti, et salvum me faciens erexisti, et super petram apostolicæ fidei claudicantes pedes meos infixisti. Hæc et his concinentia scribere nos fecerunt divinitus exarata volumina vestra, quæ canonica moti lege, et paternæ traditionis disciplina ducti, his qui apostolicarum sedium moderamen sortiti sunt, per reverendas et a Deo directas bigas misistis : qui pervenientes, et per Dei voluntatem ac nutum occurrentes Dei cultoribus fratribus nostris, viris sanctis, qui dederunt animas suas pro ecclesiarum correctione; et recogniti ex veteri et antiqua conversatione, valde gavisi sunt : et maxime reperientes ambos in uno loco degentes, et modum Deo placitum persequentes. Et sese revelantes, ostenderunt eis orthodoxiæ vestræ Deo decentes et dignos admiratione libellos, referentes per ordinem Deo placitæ sanctitatis vestræ mentis, et pium Deo conservatorum dominorum nostrorum consilium, et communis omnium salutis exspectationem, et circa Deum sine confusione spem. At illi quasi unam animam in duobus corporibus habentes, et unum secundum apostolum sapientes, et a divino agitati spiritu, secreto pariter et intelligenter fratres contegentes et occultantes propter formidinem inimicorum crucis, quæ hinc inde disposita fuerat, non ausi sunt, cum essent sapientes, vel credere visionem ipsorum, vel causæ operari decursum : præsertim cum in timore res haberetur, et quam maxime crebrescens consilium et diligens circumspiciendi tractatus exigeretur. *Consilium enim bonum custodiet*, inquit, *te, cogitatio vero bona servabit te* (*Prov.* II). Et ecce dum lateret eos qui se sub tuitione custodiæ [quos in suæ tuitionis custodiam] posuerant, cucurrerunt usque ad nos : et in idipsum congregantes silenter, humilitatem nostram, primo quidem adjuramento [*Gr. et ms. Jol.* maxime horribili] vincientes, nos servare secreto ac sine propalatione, quæ ab eis erant dicenda, et in hunc modum quidquid ad cautelam pertinet exaggerantes, revelaverunt nobis omnem rei quæ sibi acciderat, circumstantiam. Stupefacti autem et compuncti corde, lacrymisque perfusi ferventibus super hujusmodi narrationis miraculo [inopinato], et gloria tantæ rerum mutationis, stetimus ad orationem, veluti peccatores, cum timore ac tremore : et ei qui facit omnia et transfert ad id quod melius est, decentem laudem referentes, petivimus obnixe benignitatem ejus, quo in minimis nobis fieret medius, et per Spiritum sanctum illucesceret lux scientiæ in cordibus nostris, atque communis utilitatis consilii donaret virtutem, cogitationesque bonas ad determinationem optimi vestri propositi : quod et fecit, cum esset benignus atque misericors. Consideravimus igitur, sanctissimi, contaminatæ nationis cognoscentes contra nos infestationem, retinere hos qui missi sunt, et prohibere appropiare his ad quos destinati sunt : ducentes hos in medium nostrum, et admonentes plurimum, ne inducerent turbationem; imo, ut specialius dicamus, exitium quiescentibus, et Dei gratia pacificatis ecclesiis, vel populo miserabiliter jugo servitutis afflicto, et importabilium illatione tributorum oppresso. At illi hæc moleste ferentes, dicebant, quia in hoc destinati sumus, ut tradamus nostras in mortem animas pro Ecclesia, et propositum sanctissimi patriarchæ ac piissimorum imperatorum perducamus in finem. Sed si in vestras tantummodo animas, diximus ad eos, cohauriretur periculum, haberet forte sermo vester aliquam firmitatem. At vero quia contra commune corpus procedit Ecclesiæ, qualis erit profectus? imo qualis non erit læsio, ædificium construere super putredinem, et firmo fundamento privatum? et quomodo, inquiunt, vel qua facie ad eos qui nos miserunt, redibimus, nihil eorum quæ secundum votum suum sperabant, omnino ferentes? Ad hæc deficientes nos, scientesque Deo amabiles fratres nostros, Joannem scilicet et Thomam, zelo divino orthodoxæ fidei adornatos, atque duorum sanctorum et magnorum patriarcharum syncellos, quin et sanctificandos [sanctifici] silentii amatores, diximus ad eos : Ecce tempus, fratres, acceptum salutis, et silentio excellentius. Ite cum viris istis, et pro eis apologiam assumite; et enarrate viva voce, quæ per litteras intimare dominis nostris supra vires esse conjicimus. Nostis enim qualiter per pusillam accusationem exsul factus sit a bis millibus signorum ille qui ad regendum thronum fratris Domini sortitus est Jacobi. Cum autem opus Dei adimpleveritis, et apostolicam traditionem quæ tenetur in ecclesiis per Ægyptum et Syriam, dominis nostris cognitam feceritis, tunc quod a vobis desideratur, amplectimini. Et quomodo nos, responderunt, idiotæ cum simus et inexpertes [*Gr.*, ignoti], et ad tantam causam infirmi et indocti, præsumemus arripere negotium quod virtutem nostram exsuperat? Sed Christus Deus noster, qui per vilissimos et idiotas, e vestigio diximus, cooperatus est, sanctos, inquam, apostolos, et per eos orbem terrarum captavit ad obedientiam verbi dispensationis suæ, potens est dare vobis sermonem in apertione oris vestri, ad supplendum intentionem et sensum eorum qui neque litteras quiverunt suscipere, neque ausi sunt scribere, vel super talibus quolibet modo mutire. Qui cum Dei essent amatores, obedientiæ filii apparentes, obedierunt verbo nostro, et acquieverunt hortationi : quos cum prolixa promittentes oratione, et gaudium non qualecunque his qui missi sunt, conciliantes, taliter divulsi sumus ab invicem cum multa lacrymarum effusione. Verum, o sanctissimi et beatissimi, ut decet paternam dominationem vestram, benigne fratres nostros suscipite, et dominis orbis absque subtractione vel timore hominum præsentate. Habebitis enim eos scientes liquido trium apostolicarum sedium concinentem et concordantem orthodoxiam : qui sanctas et universales sex synodos voce consona prædicant, aliam ad has, quam et septimam quidam susurrando nuncupant, nullatenus admittentes, imo modis omnibus respuentes, nimi-

rum ut dudum in apostolicarum et magisterialium traditionum depositionem, atque sacrarum ac venerabilium imaginum interemptionem et abolitionem, collectam. Vos autem sanctissimi, divino illustrati zelo, consentaneos quoque habentes divinitus conservandos dominos, qui justo decreto Dei in vobis imperare præordinati sunt, simul etiam et a Deo protegendum et muniendum senatum, prævalete et viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnem inobedientiam apostolice ulciscentes, et ad Christi obedientiam coaptantes. Illud autem tanquam necessarium penes pontificalem apicem vestrum commonendum ducimus; ut si beneplacito cunctorum regis, Christi videlicet Dei nostri, et eorum qui cum eo regnare meruerunt, Dei scilicet amicorum et triumphatorum dominorum nostrorum, volueritis celebrare synodum : ne molesta vobis appareat trium apostolicarum sedium almorum patriarcharum, et sanctissimorum episcoporum, qui sub ipsis degunt, absentia, non ex proprio eorum accidens proposito, sed ex tenentium seu dominantium illis terribilibus minis et mortiferis pœnis. Hoc autem subtilius est considerandum etiam ab ipsa sacra et universali sexta synodo, in qua nullus eorum qui per idem tempus in his partibus episcopi erant, convenisse repertus est propter obscœnorum obtinentiam. Sed nullum ex hoc sanctæ adhæsit synodo præjudicium : neque vires habuit prohibitio aliqua statuendi et manifesta faciendi recta dogmata pietatis, præcipue cum sanctissimus et apostolicus papa Romanus concordaverit, et in ea inventus sit per apocrisiarios suos. Et nunc, sanctissimi, hoc cum auxilio Dei similiter fiat. Nam sicut tunc illius fides in orbis terræ personuit fines, ita et synodi quæ nunc per gratiam Dei congreganda est per interventionem vestram, et ejus qui moderatur apostolorum Principis sedem, prædicabitur in omni loco qui sub sole est; videlicet quæ tyrannice destructa sunt, erigens, et in antiquam et apostolicam reformans traditionem. Porro ad munitionem humilium litterarum nostrarum, satisfactionemque beatitudinis dominationis vestræ, atque victorum et triumphatorum imperatorum nostrorum, conspeximus etiam exemplar synodicorum Theodori sanctæ memoriæ Patris nostri et patriarchæ Hierosolymorum subjiciendum his quæ scripta sunt a nobis. Hunc autem libellum secundum solitum Ecclesiæ ritum, idem sanctæ recordationis scripsit beatis et almi termini sanctissimis patriarchis Cosmæ scilicet Alexandriæ, ac Theodoro Antiochiæ Theopoleos; qui et reciproca synodica eorum, dum adhuc viveret, recepisse dignoscitur. Incolumes vos pro nobis orantes Dominus conservet, sanctissimi et divinitus honorati.

Exemplar synodicorum Theodori sanctissimi patriarchæ Hierosolymorum.

Credimus igitur, beatissimi, quemadmodum credidimus desursum ab initio, in unum Deum Patrem, A sine principio penitus et sempiternum, omnium visibilium et invisibilium factorem : et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, ex ipso Deo et Patre sempiterne ac impassibiliter natum, nec aliud principium quam Patrem scientem, et ex ipso substantiam habentem; lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Et in Spiritum sanctum ex Patre procedentem, lumen et Deum per se [et ipsum per se] cognitum, et existentem veraciter Patri et Filio coæternum homousion et contribulem et ejusdem essentiæ ac naturæ, similiter autem et deitatis. Trinitatem homousion ac unius honoris et throni, quæ in unam recapitulatur et colligitur deitatem et communem dominationem, sine personali et subsistentiali refusione B vel divisione [*Gr.*, contractione]. Trinitatem enim in unitate credimus, et unitatem in Trinitate glorificamus : Trinitatem quidem tribus subsistentiis, unitatem vero singularitate deitatis : quæ neque unum quod proprium possidet, confusum habet [*fort.* quæ neque unum confusum habet, etc.], neque ipsum trinum per totum divisum, sed potius in utroque conservatum utrumque [*Gr.*, sed potius in altero alterum] : divisa est enim numeratis subsistentiis, et numerata personarum diversitatibus, identitate autem substantiæ et naturæ unita, omnino partitionem non recipit. Unus enim Deus est, quia deitas una famosissime prædicatur, et in Trinitate personarum cognoscitur; et neque secundum quod unus Deus et una deitas est, dividendus et in tres Deos C dispertiendus : Arianorum enim est ista impietas; neque secundum quod tres unus Deus est et cognoscitur, etiam subsistentiæ tres prædicantur, et Pater et Filius et Spiritus sanctissimus dicitur, contractus vel compactus, et in unam sese commiscens subsistentiam : Sabellianorum enim est ista nequitia; et ideo bene a deiloquis sanctum est, monadem quidem nos debere sapere in una et in singulari deitate, Triadem vero in inconfusis tribus subsistentiis, non autem alium unum Deum præter tres personas agnoscimus; neque tres Trinitatis unius substantiæ personas, quæ sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, alias præter unum Deum scimus. Et propterea unum tria; in quibus deitas est, prædicamus; et tria unum, quorum deitas est, annuntia- D mus : imo, ut verius dicatur, quæ tria deitas et est et agnoscitur.

Credimus autem et in unum ejusdem sanctæ consubstantialis Trinitatis Dominum nostrum Jesum Christum : *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est*, ut ait Apostolus, *esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philip.* II). Patri enim cum sit consubstantialis atque consessor, in novissimis temporibus non est dedignatus nasci ex sancta et intemerata domina nostra Dei Genitrice, carnem ex ea sumens animatam anima rationabili et intelligibili, primitias massæ nostræ, non seminatam, sed conditam per Spiritum

sanctum. Ita procedens unus ex duobus contrariis[a] Deus Verbum, cum perfectus natura Deus existeret, factus natura perfectus homo idem ipse, non mutans naturam, neque simulans dispensationem; sed carni rationabiliter et intelligibiliter [*Gr.*, animatæ] ex sancta Virgine sumptæ, et in ipso ut esset sortitæ, unitus est per subsistentiam inconfuse ac indivise; non transferens deitatis suæ naturam in carnis substantiam, sed neque substantiam carnis suæ in naturam suæ deitatis. Duæ igitur naturæ inconvertibiliter invicem adunatæ in una Dei Verbi subsistentia, unum Filium et Dominum nobis demonstraverunt visibilem et invisibilem, mortalem et immortalem, circumscriptum eumdem et incircumscriptum, Deum perfectum et hominem perfectum, in duabus naturis agnoscendum, et in duabus liberis operationibus et voluntatibus adorandum. Nam non utique operaretur divine, nisi esset natura Deus: neque rursus humane, nisi natura fieret homo. Hunc confitemur, qui vere est Deus et homo, propter salutem nostram crucifixum fuisse, et carne mortem gustasse, sepulturamque trium suscepisse dierum, et resurrexisse a mortuis propriæ potentia deitatis, infernum dispoliasse, et eos qui a sæculo vincti fuerant, libertate donasse, in cœlos ascendisse, et in dextera Patris sedisse, et venturum secundum vocem incorporalium ad apostolos delatam, in secundo suo adventu judicare vivos et mortuos (*Act.* 1). Confitemur autem et mortuorum in novissima die per vocem archangelicæ tubæ resurrectionem, et operum a nobis bene vel aliter gestorum, juste Christo Deo nostro judicante, retributionem, et in futuro æternam vitam et terminum non habentem.

Suscipimus autem, et firmamus, et alacriter amplectimur sanctas et universales sex synodos, quæ per Spiritum sanctum contra omnem congregatæ sunt hæresim in diversis locis atque temporibus, quas universæ sub sole orthodoxorum Ecclesiæ magna voce prædicantes, rectis ac divinitus inspiratis earum dogmatibus fulciuntur, recipientes quos illæ recipiunt, et abjicientes quos ipsæ abjiciunt. Et prima quidem apud Nicæam celebrata trecentorum decem et octo sanctorum Patrum synodus in depositionem Arii a furia cognominati, et ipsius animas corrumpentium blasphemiarum: quem ut divisorem insanum, et inconfusæ incisorem deitatis, et Filium Patris creaturam garrula verbositate fatentem, per quem profecto cuncta creata, et ex non existentibus ut essent producta sunt, anathematizavit cum omnibus consentaneis ejus, et procul a divinis sacrariis pepulit, prædicans Dominum nostrum Jesum Christum ante omnia sæcula de Patris substantia et subsistentia, sine tempore ac sine fluxu natum, consubstantialem Patri et sancto Spiritui existentem: et per symbolum, id est, fidei rectæ confessionem, omne Christi dispensationis edocuit expresse mysterium. Secunda vero collecta est Constantinopoli A centum quinquaginta Patrum synodus contra Spiritus impugnatorem Macedonium, et Deo exosos Semiarianos socios ejus: quæ sancta synodus eumdem Spiritum sanctum ducem ac magistrum habens, ex Patre sine tempore ac sempiterne processionem dogmatizavit habere, et homousion Patri et Filio fore coadorandum et conglorificandum: eos autem qui blasphemaverunt in eumdem Paracletum, sine remissione anathematismis submisit inenarrabilibus, una cum desipiente Apollinario, qui Salvatoris nostri hominem [*Gr.*, Salvatorem nostrum secundum hominem] sine intellectu, cum esset amens, verbose perhibuit. Et tertia prior Ephesi ducentorum sanctorum Patrum refulgens synodus in destructionem et dejectionem hominem colentis Nestorii B et consentaneorum ejus: qui ex propriis exsecrabilibus cogitationibus deceptus, alium esse Deum Verbum, qui ante sæcula est, et alium eum qui ex Virgine propter salutem nostram incarnatus est, garrula voce profatus est, quartam sceleratus, etiam nolens, personam in sanctam et consubstantialem Trinitatem inducens: non solum separans unitas duas Christi naturas in duas subsistentias, verum etiam vocem, qua Dei Genitrix appellatur, maledictus abjurans, Christotocon hanc vocari nequissime sanxit, quæ vere Dei Mater est et ante partum et post partum Virgo, atque omnis intelligibilis ac sensibilis naturæ gloria et claritate creata sublimior. Hunc igitur eadem sancta ducentorum Patrum synodus anathematizavit, C una cum animam lædentibus deliramentis ejus; unum Filium ex Patre ante sæcula illuxisse, et eumdem in novissimis diebus de intemerata Virgine ac Dei genitrice Maria natum fuisse, naturam nostram indutum edocens, et Deum perfectum et hominem perfectum eumdem Filium Dei denuntians, id est, unum Filium et Christum et Dominum, et absolute unam naturam Dei Verbi incarnatam: quod significat duarum naturarum unitionem, quæ per subsistentiam facta est. Dei vero Genitricem proprie ac per veritatem sanctam Mariam nominari legitime statuit. Opportunissime autem Chalcedone divinitus collecta orta est synodus sexcentorum triginta sanctorum Patrum in depositionem deceptæ hæreseos confusas Christi naturas perhibentis: quam primus D insensatus Eutyches ex insipientia sua instituit, in uno Christo duas naturas inconvertibiliter unitas abnegans, et unam naturam ex duabus factam et compositam prodigiose conjiciens: qui et Dioscorum noxium fautorem et defensorem habens, orthodoxorum dogmatum calumniator, et veritatis hostis inventus est. Sed hos ambos synodus sancta destruxit, et deliras vocum novitates [*Gr.*, vanitates] eorum severis cum illis anathematibus subdidit, prædicans Christi veri Dei nostri duas naturas inconvertibiliter et incommutabiliter unitas in una subsistentia sua; perfectumque in deitate simul eumdem et in humanitate

[a] Contrarias vocat, quia visibilis una et mortalis est, altera invisibilis et immortalis, ut ipse paulo infra se explicat.

consistere, ex duabus et in duabus naturis noscendum. Præterea et nequam Nestorii divisionem, et ipsum quoque cum sibi consentientibus abdicavit. Decimus autem et quinta convenit synodus in dominante civitatibus, centum sexaginta quatuor sanctorum Patrum numerum salvans : quæ ab ipso sancto Spiritu acta, ante se celebratas sanctas quatuor synodos roboravit, et earum recta dogmata sequens, anathematizavit Nestorium, Eutychem, Theodorum Mopsuestiæ cum blasphemiis suis : adhuc etiam et Origenem, et Evagrium, Didymum quoque et omnia fabulosa et pagana atque prodigiosa ipsorum eloquia, necnon et epistolam quæ dicitur Ibæ ad Marim Persam ; et conscriptiones Theodoreti, quas contra recta duodecim capitula sanctæ memoriæ Cyrilli conscripsit.

Postquam sancta sexta synodus quemadmodum alius sol emicuit, ducentorum octoginta novem sanctorum Patrum, regiam urbem sortita pro requie, in qua celebrata, eos qui duas proprias voluntates et operationes in dispensatione carnis Christi Dei nostri denegant, et unam voluntatem et unam portentose asserunt operationem Salvatoris nostri deitatis pariter et humanitatis, anathematizavit : id est, Sergium, Pyrrhum, Petrum, Cyrum, Honorium, Theodorum Pharanitanum, et Polychronium delirum senem, atque omnes qui definierunt, vel definient, aut definire præsumunt unam voluntatem et operationem in duabus Christi naturis. Si enim, ut quodam in loco quidam sapiens ait, sine voluntate et sine operatione humanam Domini naturam dimiserimus, ubi perfectionem in humanitate salvabimus ? Duas igitur voluntates et duas operationes congruentes duabus Christi naturis, ut naturalia earum coapiantes idiomata, sic magnum salutaris dispensationis mysterium luculenter explanaverunt, et orthodoxam fidem omnium ecclesiarum Dei sine calumnia sineque dubitatione recte sapientibus servaverunt. Has sanctas sex synodos solas esse universales novimus, aliam post has non admittentes synodum : neque enim derelictum est quid ab apostolicis traditionibus, vel paternis seu legitimis editionibus, egens correctionis, vel cujuslibet ornamenti quoquo modo. Omnes itaque male sentientes hæreticos, tanquam satoris zizaniorum Satanæ discipulos, et animas corrumpentes ministros, ab horum malo vertice, videlicet Simone Mago, usque ad eorum detestabilem caudam : et ut complexive dicamus, cæteros omnes ex tota prorsus anathematizamus anima simul et mente : maxime illos, quos prælatæ sanctæ et universales sex synodi anathematizaverunt, una cum Severo Acephalorum auctore [duce] [id est, eorum qui Christum unius naturæ esse fatentur [a]]. Quin et Petrum respuo cognomento Cnaphea, qui in trisagio hymno argumentum [augmentum] apponere ausus est, et passionem impassibili applicare deitati præsumpsit, et omnes qui blasphemiam ejus sectantur. Non autem refutamus, sed oppido confirmamus et admittimus etiam locales sanctas synodos, et correctiones canonicas quæ divina sunt ab eis inspiratione depromptæ, atque legislationes earum animas illustrantes. Apostolicas autem Ecclesiæ traditiones, per quas honorare et adorare sanctos et salutare docemur, suscipimus et amplectimur, venerantes eos ut famulos et amicos atque filios Dei. Honor enim qui circa devotos conservorum agitur, probationem habet bonæ voluntatis erga communem exhibitæ Dominum. Isti enim ipsi cellaria Dei et habitacula munda, sanctique Spiritus purissima specula facti sunt (*Sap.* III). Sed et ipsorum animæ in manu Dei sunt, ut scriptum est. Cum enim vita sit Deus et lux, et sancti quoque qui in manu Dei sunt, in vita et luce profecto consistunt. Et ideo pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal.* CXV). Isti viventes fiducialiter Deo astiterunt : fontes salutares Dominus Christus sanctorum nobis reliquias præbuit, multimode beneficia infirmantibus rigantes, unguentum suavitatis emanantes, et dæmones abigentes : et sicut dicit magnus magister et ab immortalitate cognominatus [b], martyrum ossa languores fugant, infirmos curant, cæcis videre donant, leprosos mundant, tentationes et mœrores dissolvunt : et hæc per Christum qui habitavit in illis. Et bene Psalmista cecinit : *Mirabilis Deus in sanctis suis* (*Psal.* LXVII). Et rursus : *Sanctis qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates ejus inter illos* (*Psal.* XV). Cum his autem et sanctas et venerabiles imagines adorantes amplectimur, id est, Verbi Dei, Domini videlicet et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui pro nobis incarnatus est, et formam servi suscepit (*Philipp.* II). Cujus imago et figura non deitatis, quæ inconvulse intemeratæ carni ejus unita est, præfert characterem : invisibilis enim est et incircumscripta et informis divina natura : *Deum quippe nemo vidit unquam : ipse Unigenitus enarravit* (*Joan.* I) : sed humanitatis ejus coloribus facientes iconam adoramus. Apparuit enim Deus super terram etiam cum esset invisibilis, et visus est, et cum hominibus conversatus est, et fatigatus est, et esurivit, et sitivit lege nostræ quam suscepit naturæ. Adoramus Christi iconam, id est, personæ quæ hominibus visa est, non divisæ ab hac invisibili ejus divinitate : absit ; sed unitæ huic ex summa conceptione. Nam etsi dicit Judæis : *Quid vultis me occidere, hominem qui veritatem locutus sum vobis* (*Joan.* VIII) ? non erat homo tantum, sed et Deus, et dicens : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X) : non denegat naturam nostram : humano quippe ore ac organica hæc asserit lingua. Honoramus autem et adoramus etiam intemeratæ ejus imaginem sanctæ Dei Genitricis et immaculatæ dominæ nostræ, quæ illum ineffabiliter genuit. Honoramus quoque sanctorum apostolorum, prophetarum, bene vincentium martyrum, confessorum, et justorum tanquam Dei

[a] Glossema Anastasii insertum textui est in ipso etiam ms.

[b] Anastasii verba : *Id est Athanasius, immortalis enim Græce dicitur athanatos.*

amicorum imagines : non materiæ vel coloribus cultum afferentes, sed per hæc intelligibilibus visibus ad principalem [principale] adducti, honorem illi debitum impendimus : scientes secundum Basilium magnum, quod imaginis honor ad principalem transeat. Porro quia nonnulli contentiosius agunt, et dicunt non oportere sanctorum imagines adorare, cum sint manufactæ; simulacra stolide has, imo impie nuncupantes : noverint qui ejusmodi sunt, quod cherubim, et propitiatorium, et arca, et mensa, quæ Moyses sacratissimus divino præcepto construxit, manufacta erant, et adorabantur : accusat autem divina Scriptura eos qui adorant sculptilia (*Psal.* XCVI ; *Isa.* XLII); sed et illos qui dæmonibus immolant. Et quidem abjectum erat paganorum sacrificium; sed justorum acceptum est (*Eccli.* XXXV). Cum ergo crassioris scripturæ venerabiles imagines sint, oportet eas honorare propter principalia. His itaque synodicis nostris libenter acceptis, sanctissimi, si quid inventum fuerit in illis emendatione indigens, sine invidia vestræ Deo plenæ doctrinæ nos participes facite, et ad remittendum ea nobis correcta estote precabiles : ut concorditer ex hoc fidelibus utrisque, id est, vobis et nobis inventis, glorificetur Pater et Filius et Spiritus sanctus, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

Et post lectionem Petrus et Petrus, Deo amabiles presbyteri, et locum tenentes sanctissimi papæ Adriani senioris Romæ, dixerunt : Acquiescimus, quia secundum fidem, quam recte Tarasius sanctissimus et beatissimus patriarcha Constantinopoleos est confessus, et apostolicus papa noster Adrianus suscipiens una cum venerabili sancta synodo, quæ apud ipsum est, consentit, et eorum quæ ille confessus fuerat, communionem amplexus est. Et benedictus Deus, quia Orientis sanctissimi summi sacerdotes concordes in orthodoxa fide et adoratione venerabilium imaginum sanctissimis Adriano papæ Romano, et Tarasio patriarchæ novæ Romæ, inventi sunt : et qui ita non confitentur, anathema sint a sanctis trecentis decem et octo Patribus, qui hic ante collecti sunt.

Sancta synodus dixit : Fiat, fiat, fiat

Agapius sanctissimus episcopus Cæsareæ dixit : Destinatis ab Orientis sanctissimis pontificibus sacratissimis litteris ad Tarasium sanctissimum patriarcham : his, tanquam titulum orthodoxiæ suscipiens, omnibus modis consentio, et communionem recipio ; et eos qui ita non sapiunt, anathemati submiserim.

Joannes episcopus Ephesi dixit : Destinatis ab iis summis sacerdotibus qui in Oriente sunt, orthodoxis litteris ad sanctissimum et ter beatum patriarcham Tarasium consentimus, et earum communionem amplectimur. Eos vero qui ita confitentur, neque adorant, neque recipiunt sanctas et sacras ac venerabiles imagines, alienos existimo apostolicæ ac catholicæ Ecclesiæ, atque eos anathemati transmitto.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : In nullo sensu commutatas litteras quæ nunc lectæ sunt, quæque de Oriente missæ fuerunt ad Tarasium sanctissimum archiepiscopum et patriarcham, a definitione fidei quam ipse ante confessus fuerat, inveniens et ego indignus, his consentio et concors efficior, suscipiens et amplectens honorabiliter sanctas et venerabiles imagines : atque adorationem quæ per latriam, id est, Deo debitam servitutem efficitur, soli supersubstantiali et vivificæ Trinitati impendo. Et qui ita non sapiunt, neque prædicant, a sancta catholica et apostolica Ecclesia segrego, et anathemati subjicio, atque portioni negantium incarnatam et salutiferam dispensationem Christi veri Dei nostri transmitto.

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit : Destinatis litteris ab Orientis sanctissimis summis sacerdotibus ad sanctissimum archiepiscopum et patriarcham consentio et permaneo; et quæ ipsi confessi sunt admitto cum omni benignitate et voluntate : et qui ita non sapiunt, anathemati submitto.

Nicolaus sanctissimus episcopus Cyzici dixit : Lectis litteris sanctissimi et beatissimi archiepiscopi et patriarchæ, et e diverso missis ab Orientis orthodoxis summis sacerdotibus libellis consentio de sanctis ac venerabilibus imaginibus, et communionem eorum recipio : et eos qui ita non sapiunt, anathemati transmitto.

Euthymius sanctissimus episcopus Sardis dixit : Ut in omnibus veritatem exsecutus, et in traditionibus sacratissimorum Apostolorum et Patrum educatus, consentio etiam his exarationibus quæ modo lectæ sunt, tam scilicet Tarasii sanctissimi ac beatissimi archiepiscopi et patriarchæ, quam his quæ ad has missæ sunt ab Orientalibus patriarchis : et eorum ac meum sensum super sacris dogmatibus et sanctis iconis unum et immutabilem existimo : eos vero qui præter hæc vane loquuntur, et garriunt contra sanctas imagines, et non conveniunt cum sanctissimis patriarchis, hæreticos et perversos agnosco, et ab eorum communione longe me pono.

Petrus sanctissimus episcopus Nicomediæ dixit : Secundum missas litteras a summis sacerdotibus Orientalis diœceseos ad sanctissimum et ter beatum archiepiscopum et patriarcham Tarasium, salutabiliter suscipio, et colo atque adoro pretiosas et sacras iconas : eos vero qui ita non sapiunt, anathematizo.

Hypatius sanctissimus episcopus Nicææ dixit : Orthodoxis litteris quæ missæ sunt ab Oriente, id est, a summis sacerdotibus qui ibidem sunt, ad sanctissimum et ter beatum patriarcham Tarasium, consentio, et ea quæ confessi sunt, recipio; et sanctas ac venerabiles imagines honoro et adoro et amplector : et omnes qui non sequuntur confessionem hanc, alienos opinor a catholica Ecclesia, et anathemati subdo.

Elias sanctissimus episcopus Cretæ dixit : Destinatas litteras ab Oriente sequens consentio et paciscor.

Stauracius sanctissimus episcopus Chalcedonensis dixit: Lectis litteris sanctissimi et beatissimi archiepiscopi et patriarchæ, eas quæ ab Orientalis diœceseos summis sacerdotibus destinatæ sunt, talem proprietatem habere ad illas quæ sunt Constantinopolitani pontificis arbitror, ut nulla diversitas inter illas esse videatur, sed perfecta identitas: ita ut unum utræque sint, id est, plenæ omni orthodoxia. Propter quod et ego ita confiteor, et alienos reor esse, qui ita non sentiunt.

Nicephorus sanctissimus episcopus Dyrrachii dixit: Destinatis ab Orientis summis sacerdotibus orthodoxis litteris ad Tarasium sanctissimum patriarcham assentior et concordo, et eorum quæ confessi sunt expositionem recipio: et eos qui ita non sentiunt, anathematizo.

Epiphanius Deo amabilis diaconus Ecclesiæ Catanæ, et locum tenens Thomæ sanctissimi episcopi Sardiniæ, dixit: Verum est, quia favi mellis sunt verba bona: dulcedo autem eorum sanitas animæ, sicut scriptum est (*Prov.* XVI). Igitur ecce et synodicæ litteræ quæ modo lectæ sunt, sanctissimi regiæ Constantinopoleos archiepiscopi novæ Romæ, quas ad Orientis orthodoxissimos summos sacerdotes transmisit; et illæ quæ ab ipsis rescriptæ sunt, dulci ac odorifero favo fidei sanctorum Patrum efflorentes, omnium nostrum intelligibiles sensus suavitate rigaverunt, et animo in fide claudicantes robusta orthodoxi virtute magisterii sanaverunt. Quapropter et ego his paria sapiens, admitto et amplector venerabiles imagines secundum antiquam consuetudinem. Et illud apostaticum revera concilium, quod quidam etiam septimam, non jure, sed desipientes nuncupant synodum; necnon et eos qui idipsum sapiunt, terribilibus transmitto anathematibus.

Leo sanctissimus præpositus et locum retinens metropoleos Sidæ dixit: Gratia Christi veri Dei nostri, destinatis litteris ab Orientis summis sacerdotibus ad Tarasium sanctissimum archiepiscopum et patriarcham, annuo, et permaneo: et eos qui ita non sapiunt, anathemati transmitto.

Nicolaus reverendissimus monachus et hegumenus monasterii Apri, et locum retinens metropoleos Tyanensium, promulgavit similiter.

Gregorius sanctissimus episcopus Neocæsariæ dixit: Destinatis litteris a summis sacerdotibus qui in Oriente sunt, ad Tarasium sanctissimum patriarcham, consentio, et admitto, atque saluto sanctas imagines ac venerabiles iconas: et eos qui ita non sapiunt, anathemati submitto.

Theodorus sanctissimus episcopus Catanæ dixit: Qui pietatis meditantur modum, his utique et orthodoxiæ sermo refulget. Competenter igitur et mea brevitas lectis sacris ac synodicis litteris sanctissimi et beatissimi reginæ civitatum summi præsulis Tarasii, quas ad eos qui in Oriente sunt, transmisit: pariter cum omnibus et his quæ ab eis ad ipsum directæ sunt, intentæ mentis visum infigens, per omnia sanctorum Patrum concordantes orthodoxæ fidei per lectionem cognovit. Ideoque cum illis hæc sentiens, recipio et saluto sacras et venerabiles iconas. et manifeste vocum novitatem quæ facta est synodi, quæ septima susurrando dicitur, necnon et eos qui cum illa sapiunt, anathematismis transmitto.

Anastasius sanctissimus episcopus Nicopoleos veteris Epiri dixit: Concordantes intuens synodicas litteras Tarasii sanctissimi patriarchæ, et rescripta earum quæ ab Orientis summis sacerdotibus missa sunt, consentio illis, et confiteor ita sapere, et usque in finem innocuus permanere. Et recipio et saluto venerabiles et sacras iconas: et qui ita non sapiunt, anathemati submitto.

Joannes sanctissimus episcopus Tauromeniæ dixit: Sicut unum sentientes convenimus, ita et unum dicere didicimus. Concordantibus igitur synodicis apicibus Tarasii sanctissimi patriarchæ, qui lecti sunt, quique destinati fuerunt ab eo ad Orientis sanctissimos sacerdotes, et rescriptis quæ ab illis ad ipsum destinata sunt sanctæ et orthodoxæ fidei sex universalium synodorum, ita et ego credo recipiens et adorans sanctas et venerabiles imagines: et in hac orthodoxa fide vivens opto astare ante tribunal Christi cum fiducia: et qui sic non sentiunt, anathema sint.

Gregorius sanctissimus episcopus Pisinuntensium similiter.

Nicetas sanctissimus episcopus Claudiopoleos similiter.

Basilius sanctissimus episcopus Sylæi similiter.

Michael sanctissimus episcopus Synadensium similiter.

Theodorus sanctissimus episcopus Myrensium similiter.

Leo sanctissimus episcopus Leonii similiter.

Leo sanctissimus episcopus Rhodi similiter.

Georgius sanctissimus episcopus Pisidiæ similiter.

Eustathius sanctissimus episcopus Laodiceæ similiter.

Constantinus sanctissimus episcopus Pergæ similiter.

Theodorus sanctissimus episcopus Seleuciæ similiter.

Theophylactus Deo amabilis diaconus et vicarius Stauropolitensium metropoleos similiter.

Nicolaus sanctissimus episcopus Hierapoleos similiter.

Leo sanctissimus episcopus Carpathi similiter.

Theodorus sanctissimus episcopus Amorii similiter.

Christophorus sanctissimus episcopus Phasidis similiter.

Cyrillus monachus et locum tenens Nicetæ episcopi Gothiæ, similiter.

Reliqui sanctissimi episcopi [atque monasticæ dignitates [a]] promulgaverunt.

Tota synodus quæ per gratiam Christi veri Dei nostri, et amatricem pietatis sanctionem tranquillissimorum et orthodoxorum imperatorum nostrorum congregata est, relationem quæ facta est ab Adriano papa senioris Romæ ad orthodoxissimos imperatores nostros, et chartam orthodoxæ definitionis sanctissimi et beatissimi patriarchæ Tarasii, quæ nunc lecta est; atque litteras quæ ad beatitudinem ejus ab Orientis summis sacerdotibus missæ sunt, recipientes consentimus, et salutamus, et honoranter adoramus sacras et colendas iconas : et pseudosyllogum qui contra eas factus est in destructionem earum, effodientes, anathemati mittimus. Sed Deus omnipotens conservet dominos nostros, et sanctissimum patriarcham.

[a] Desunt etiam hæc in ms. Jolyano.

A Tarasius sanctissimus episcopus patriarcha dixit : Contentio quievit, et medius paries sublatus est inimicitiæ : Oriens, Occidens, Septentrio et Mesembria, sub jugo uno et una consonantia facti sumus.

Sancta synodus dixit : Gloria tibi, Domine, qui unisti nos.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Gratias pacifico Christo vero Deo nostro cum Patre et Spiritu sancto, in sæcula !

Sancta synodus laudavit.

Multos annos imperatorum ! Constantini et Irenæ magnorum imperatorum et principum multos annos ! Orthodoxorum imperatorum multos annos ! Custodes fidei, Domine, serva ! Auxiliatores Ecclesiæ, Domine, serva ! Novi Constantini et novæ Helenæ æterna B memoria ! Pacificam, Domine, vitam, da eis ! Patriarcharum multos annos ! Sacri senatus multos annos !

ACTIO QUARTA.

In nomine Domini et dominatoris Jesu Christi veri Dei nostri. Imperio piissimorum et amicorum Christi dominorum nostrorum Constantini et Irenæ a Deo redimitæ matris ejus, octavo anno consulatus eorum, Kalendas Octobris, indictione undecima.

C Conveniente sancta et universali synodo, quæ per divinam gratiam et piam sanctionem eorumdem divinitus confirmatorum imperatorum congregata est in Nicæensium clara metropoli Bithyniensium provinciæ : id est, Petro reverendissimo archipresbytero sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ sancti apostoli Petri, et Petro reverendissimo presbytero monacho et abbate venerabilis monasterii sancti Sabbæ Romæ siti, retinentibus locum apostolicæ sedis almi et sanctissimi archiepiscopi senioris Romæ Adriani ; Tarasioque almo et sanctissimo archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ, et Joanne ac Thoma reverendissimis presbyteris monachis et vicariis apostolicarum sedium Orientalis diœceseos.

Sedentibusque ante sacratissimum ambonem templi sanctissimæ magnæ Ecclesiæ quæ cognominatur Sophia ; præsentibus et auscultantibus gloriosissimis et magnificentissimis principibus, id est, Petrona famosissimo exconsule patricio, et comite Deo conservati imperatorii obsequii, et Joanne imperiali ostiario et logotheta militaris logothesii, et omni sancta synodo secundum ordinem in prima actione signatum ; præsentibus etiam et Deo amabilibus archimandritis et hegumenis, atque omni monachica plenitudine ; propositis sanctis et intemeratis Evangeliis

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Per antecedentes attentius [proxime] actiones, flatu Domini omnitenentis nos docente secundum proverbiatorem, veritatem meditatum est guttur nostrum ; quia litteris quæ lectæ sunt, sanctissimorum virorum, Orientis videlicet et Occidentis, concordes effecti sumus. Sed quia propheticus nobis sermo præcipit : *Super montem excelsum ascende, qui evangelizas Sion : prædica in fortitudine, vocem tuam exalta qui evangelizas Jerusalem : prædicate, ne timeatis* (*Isa.* XL). Hanc ergo propheticam præceptionem sequentes, sacerdotes viri, prædicemus, voces nostras exaltemus, pacem annuntiantes Ecclesiæ catholicæ, quæ est vera Sion et civitas cœlestis regis Christi Dei nostri. Quomodo autem fiet hoc ? Deferantur nobis in medium ad audientiam gloriosissimorum sanctorum Patrum volumina ; et ex ipsis haurientes, potemus singuli gregem nobis commissum. Taliter enim et in omnem terram exibit sonus noster, et in fines terræ verborum virtus nostrorum (*Psal.* XVIII) : pro eo quod non transferimus terminos quos posuerunt patres nostri, sed apostolice docti tenemus traditiones quas accepimus.

D Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Secundum assertionem Tarasii sanctissimi patriarchæ deferantur in medium libri, et testimonia beatorum Patrum, et liquido sanctæ huic synodo relegantur.

Leontius clarissimus a secretis dixit : Proficuæ ac salubri jussioni sanctissimi patriarchæ, et consensui universalis synodi hujus parentes, et hanc terminare satagentes, attulimus et exhibuimus sacrosanctos libros. Quorum primus est divinitus electus et scriptus liber, quem et nunc præ omnibus legam. Omnes igitur attentius et prudentius audiamus, et dictorum virtutem certius agnoscamus, quatenus integræ utilitatis fructum capessere valeamus

Idem legit :

De Exodo filiorum Israel.

Locutus est Dominus ad Moysen : Facies propitiatorium de auro mundissimo; duos cubitos et dimidium tenebit longitudo ejus, cubitum ac semissem latitudo. Duos quoque cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero. Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas et operientes oraculum : respicientque se mutuo versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca, in qua pones testimonium, quod dabo tibi. Inde præcipiam, et loquar ad te super propitiatorio ac de medio duorum cherubim, qui erunt supra arcam testimonii, cuncta, quæ mandabo per te filiis Israel (*Exod.* XXV).

Ex Numeris.

Hæc oblata sunt in dedicatione altaris, quando unctum est. Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentem ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonii inter duos cherubim, unde et loquebatur ei (*Num.* VII).

De Ezechiele.

Et introduxit me in templum, et mensus est frontes, sex cubitos latitudinis hinc, et sex cubitos latitudinis inde, latitudinem tabernaculi (*Ezech.* XLI). Et post alia : *Et templum interius, et vestibula atrii, limina, et fenestras obliquas, et hæc tecta in circuitu per tres partes contra uniuscujusque limen, stratumque ligno per gyrum in circuitu : terra autem usque ad fenestras, et fenestræ clausæ super ostia, et usque ad domum interiorem, et forinsecus per omnem parietem in circuitu, intrinsecus et forinsecus ad mensuram : et fabrefacta cherubim et palmæ, et palma inter cherub et cherub; duasque facies habebat Cherub, faciem hominis juxta palmam ex hac parte, et faciem leonis juxta palmam ex alia parte expressam per omnem domum in circuitu.* (*Ibid.*)

Ex Epistola S. Pauli apostoli ad Hebræos.

Habuit quidem et prius justificationes culturæ, et sanctum sæculare. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra et mensa et propositio panum, quæ dicitur Sancta. Post velamentum autem secundum, tabernaculum quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, et arcam Testamenti circumtectam ex omni parte auro; in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron quæ fronduerat, et tabulæ testamenti : superque erant cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium (*Hebr.* IX).

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Perspiciamus, sacrati viri, quia Vetus Testamentum habuit divina signa, cherubim obumbrantia propitiatorium : et ex hoc Novum accepit.

Sancta synodus dixit : Etiam, domine, sic se habet veritas.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Si Vetus habebat cherubim obumbrantia propitiatorium, et nos iconas Domini nostri Jesu Christi, et sanctæ Dei Genitricis, sanctorumque ipsius habeamus, obumbrantes altare.

Magnificentissimi principes dixerunt : Veraciter Dei præceptio est.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Uti lectum est, vultum hominis habebat cherubim et quomodo quidam dicunt, quia quis vidit vultum cherubim? Etenim dixit sculptilem vultum.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Omnes sancti qui meruerunt angelos videre, in specie hominum eos viderunt, quemadmodum in diversis legimus Scripturæ locis, propter quod de cherubim Deus Moysi locutus est dicens : *Vide, ut facias omnia secundum formam quæ ostensa est tibi in monte* (*Exod.* XXV). Et hinc famulus Moyses, quales formas vidit, tales et fecit, cum quibus et cherubim

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Quando autem movebatur populus ad idololatriam, tunc Deus dicebat Moysi : Ne facias omnem similitudinem ad serviendum eis.

Joannes reverendissimus presbyter et vicarius apostolicarum sedium Orientis dixit : Excelsius his est, quia et Jacob titulum erexit Deo. Unde et benedixit ei repromittens donationes, quæ omne verbum excedunt (*Gen.* XXVIII). Et alibi in specie hominis luctatus est cum eo, et appellavit eum Israel, quod est interpretatum *mens videns Deum*. Ipse autem ait : *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII) : et ecce non solum intelligibiles virtutes visæ sunt, sed et ipse qui natura invisibilis est Deus, et incorporeus, cum ostensus est in specie nostra.

Demetrius reverendissimus diaconus et scevophylax sanctissimæ magnæ Ecclesiæ Constantinopoleos legit :

Sancti Patris nostri Joannis Chrysostomi de præconio in Meletium, cujus initium est hoc :

Ubique inter hunc sacratum gregem oculos circumferens, et universam civitatem hic præsentem aspiciens, non habeo quem beatificem. Et post alia : Et erat reverentiæ magisterium, quod fiebat. Jugiter enim coacti ejus vocabulum memorari, et sanctum illum habere præ animo, nomine ipsius fugabant omnem a se passionem et cogitationem irrationabilem : et sic multum factum est hoc, ita ut ubique in vicis, et in foro, et in agris, et in itineribus hoc undique nomine personarent. Non autem circa tam magni nominis affectum [*Gr.*, circa nomen tam magnum affectum] passi estis tantummodo, verum etiam et circa ipsam ejus corporis formam. Quod ergo in nominibus fecistis, hoc et super illius iconam gessistis. Etenim in annulorum circulis, et in calicibus, et phialis, et in thalamorum parietibus, et ubique iconam sanctam illam exaraverunt multi : ut non solum audirent sanctum vocabulum illud, sed et viderent corporis ejus ubique figuram, et duplici quadam migrationis illius consolatione fruerentur.

Petrus sanctissimus episcopus Nicomediæ dixit : Si Joannes aurei oris talia dixit de iconis, quis adhuc audet dicere contra eas quidquam?

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit : Recepit eas veraciter; et talem amorem habebant pii qui tunc erant, circa imaginem ejus, ut ubique formarent iconam sancti Meletii. Unde et Pater hic supra modum illos laudat.

Sanctissimus patriarcha dixit : Et nos a patribus nostris percipientes doctrinas, dicimus eas et venerabiles iconas, et sanctas, et sacras.

Theodosius reverendissimus hegumenus monasterii sancti Andreæ Nesii attulit librum ejusdem Joannis oris aurei, petens relegi : quem accipiens Antonius monachus legit :

Sanctæ memoriæ Patris nostri Joannis Chrysostomi sermo : Quod Veteris et Novi Testamenti unus sit legislator, et in vestem sacerdotis, cujus initium est :

Christi regni Evangelium ante quidem prædicavere prophetæ. Et post alia : Ego et cera perfusam dilexi picturam pietate repletam. Vidi enim angelum in icona pellentem barbarorum cuneos. Vidi conculcatas barbarorum nationes, et David veraciter dicentem : *Domine, in ciritate tua imaginem eorum ad nihilum rediges* (*Psal.* LXXII).

Sanctissimus patriarcha dixit : Si is qui auro pretiosius os habebat, perhibuit dicens : Ego et perfusam dilexi picturam; quid dicemus de his qui oderunt?

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit : Illo dicente, quia ego dilexi, quis audet effari contrarium?

Joannes reverendissimus presbyter et vicarius Orientalium pontificum dixit : Quis autem est iste angelus, nisi ille de quo scriptum est : Quia angelus Domini percussit centum octoginta millia Assyriorum in una nocte circa Jerusalem hostiliter militantia? (*IV Reg.* XIX.)

Nicephorus sanctissimus episcopus Dyrrachii dixit : Sed propitius nobis sit Dominus super delictis quæ peccavimus [patravimus] circa sacras imagines.

Gregorius diaconus et notarius legit :

Ex sermone sancti Gregorii Nyssæ, habito Constantinopoli, de deitate Filii et Spiritus, et in Abraham, cujus initium est :

Veluti quiddam patiuntur ad multum florida prata. Et post alia : Vidi sæpe in pictura imaginem passionis, et non sine lacrymis aspectum transivi, dum evidenter ars ante vultum afferret historiam. Cæterum ponitur Isaac apud ipsum altare super genu locatus, et ligatas habens manus retrorsum (*Gen.* XXII). At ille ascendens post tergum pueri suffragine [*Gr.*, suffragini innixus] juncta [vincta], læva manu comam pueri ad se reflectit, et incurvatur vultui miserabiliter ad se [*Gr.*, ad ipsum] respicienti, et dexteram armatus gladio ad occisionem dirigit; et tangit jam corpus gladii acie : et tunc ei fit divinitus vox prohibens opus.

Gloriosissimi principes dixerunt : Vide, quomodo doluerit [jucundatus sit] Pater noster in pictura, ita ut et lacrymaretur.

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit : Multoties Pater legit historiam; sed forte nunquam lacrymatus est : at vero postquam picturam vidit, lacrymatus est.

Joannes reverendissimus presbyter et monachus, et vicarius Orientalium pontificum dixit : Si tali doctori pictura præstitit utilitatem et lacrymas, quanto potius indoctis et idiotis præstabit compunctionem et utilitatem?

Sancta synodus dixit : In diversis locis vidimus Abrahæ picturam, sicut Pater ait.

Theodorus sanctissimus episcopus Catanæ dixit : Si sanctus Gregorius vigilans in divinis intellectibus, Abrahæ historia visa, lacrymatus est, quanto magis depicta incarnata dispensatio Christi Domini nostri, qui propter nos homo factus est, videntes ad profectum et lacrymarum effusionem hortabitur?

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Si vidissemus iconam crucifixum ostendentem Dominum, nonne et nos lacrymaremur?

Sancta synodus dixit : Magnifice; nam in ipsa liquido consideratur humilitatis celsitudo Dei, qui propter nos incarnatus est.

Stephanus reverendissimus diaconus et notarius ac referendarius legit :

Sancti Cyrilli Alexandrini episcopi, ex epistola ad Acacium Scythopoleos episcopum, de apopompæo [Capro emissario], cujus initium est :

Missis nunc a sanctitate tua nuntiis gavisus sum valde. Et post alia plurima dixit : Dicimus ergo, quod figura et umbra erat lex, et quasi quædam pictura posita ad visionem his qui conspiciunt res. Umbræ autem artis sunt eorum qui pingunt in tabulis, principia exarationum : quibus si superinducantur colorum flores, tunc profecto picturæ pulchritudo nitescet. Et post pauca : Scriptum est igitur in mundi facturæ libro : *Et factum est post verba hæc, tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum : Abraham, Abraham. At ille respondit : Adsum. Ait ei : Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram Visionis, atque offer eum ibi in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi. Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit asinum suum, ducens secum duos juvenes et Isaac filium suum. Cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus. Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul, dixitque ad pueros suos : Exspectate hic cum asino; ego autem et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. Tulit quoque ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum. Ipse vero portabat in manibus ignem et gladium* (*Gen.* XXII). Et post alia : *Veneruntque ad locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit*

altare, et desuper ligna composuit. Cumque ligasset Isaac filium suum [*Gr., pedes Isaac filii sui, posuit eum in altari super struem lignorum, extenditque manum et arripuit gladium, ut immolaret filium suum. (Ibid.*) Ergo si quidam nostrum desiderat videre depictam in tabula historiam de Abraham, quomodo scilicet eum designaverit pictor [*Gr.*, quomodo eum des. pictor] : utrumnam simul, an sigillatim gesserit quæ de illo dicuntur? Siquidem nonnulli in alia atque alia specie diversis eumdem locis depingunt [*Gr.*, Siquidem in al. atque al. sp. d. eumd. loc. depinxerit] : utputa aliquando sedentem quidem asino, assumpto puero, sequentibus famulis : aliquando autem remanente rursus asino deorsum una cum famulis onerantem Isaac, et habentem præ manibus gladium simul et ignem. Necnon et alibi eumdem in specie iterum alia compedientem super ligna [super ligna adolescentem], et armasse gladio dexteram, ut necem inferat. Sed non alter et alter erat Abraham diversis in locis aliter atque aliter visus : sed idem ipse ubicunque semper, secundum rerum necessitatem, pictoris arte repræsentatus. Neque enim erat conveniens, imo impossibile, in uno eodemque loco videri omnia gerere quæ de illo dicuntur.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : En et sanctus Cyrillus consona sancto Gregorio Nysseno dicit.

Cosmas diaconus, notarius et cubuclesius legit :

De carminibus sancti Gregorii theologi, ex sermone de virtute habito, cujus initium est :

Deum omnium auctorem primum invoco[a]. *Et post alia :*

Nec Polemon a me silentio præteribit.
Etenim miraculum est ex illis quæ oppido sunt
[prædicanda (*Gr.*, prædicata)
Erat quidem prius iste non inter pudicos,
Et valde turpis voluptatum minister.
Ast cum affectu boni detentus esset,
Consiliarium inveniens (non autem habeo dicere
[quem)
Sive ergo sapientem aliquem, sive semet, anda-
[cter (*Gr.*, subito)
Tantum apparuit passionibus superior,
Ut unum quoddam ponam miraculorum ejus.
Meretricem advocat quidam incontinens juvenis :
Quæ cum juxta portam venisset, ut aiunt,
In qua erat prospiciens Polemon in icona :
Hanc cum vidisset (etenim erat colenda)
Abiit confestim, et aspectu superata,
Ut viventem verecundata depictum.

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit : Et sanctus Gregorius deiloquus Pater mirabilem retulit iconam Polemonis.

Sanctissimus patriarcha dixit : Etenim castitas ex illa patrata est : nisi enim vidisset scortum iconam Polemonis, nequaquam a stupro cessasset.

[a] In ms. Joyano versio in suos quoque versus distincta est, ut modo edimus.

A Nicephorus sanctissimus episcopus Dyrrachii dixit : Mirabilis est imago et admiratione dignissima, quoniam potuit mulierculam liberare ab exsecrabili et turpi operatione.

Gregorius [Georgius] Deo amabilis diaconus et notarius venerabilis patriarchii legit :

Antipatri episcopi Bostrensium, ex sermone in mulierem quæ fluxum sanguinis passa est, cujus initium est :

Quod prior quidem fuerit Judæorum vocatio, Scriptura docuit. Et post alia :

Hæc salutari fimbria comprehensa dicebat mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, ut regem naturæ tenens Dominum, et passionis tyrannidem edocens : perceptoque dono, statuam erexit Christo. Et quidem divitias in modicos expenderat, sed divitiarum B residua obtulit Christo.

Sanctissimus patriarcha dixit : Itaque et imaginem qui depingit, Deo illam offert, quemadmodum et mulier statuam.

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit : Proprie dicere [ut proprie dicam], jubet, et recipit amplissime facientes imagines.

Thomas reverendissimus monachus monasterii Chenolacci dixit : Librum beati Asterii affero, et offero sanctæ synodo ; et ut jubetis.

Sancta synodus dixit : Legatur.

Et accipiens Constantinus Deo amabilis diaconus et notarius legit :

C *Beati Asterii episcopi Amasiæ relatio in Euphemiam martyrem.*

Pridem, o viri, Demosthenem habebam in manibus illum optimum, et Demosthenis illa, ubi Æschinem amaris immittit [*Gr.*, impetit] cogitationibus. Retardatus vero sermone, et densus intelligentia, quietem deprecatus sum, et ambulacrum [*Gr.*, quiete egebam et ambulatione], quo mihi solveretur pusillum animæ dolor : et procedens de habitaculo, pauxillum cum notis comitatus in forum, illinc ad Dei templum profectus sum, oraturus in vocatione. Cum autem et hoc consecutus, in obscuro porticus domorum incederem, vidi illic picturam quamdam, et me in summitatem visio tulit [cepit] : ut Euphranoris autem diceres esse diligentiam artificii, vel D cujusque illorum veterum, qui sculptibilem Junonem in magnitudinem, cum modica esset, erigentes, etiam tabulas animatas operabantur [*Gr.*, qui picturæ plurimum dignitatis conciliarunt][b]. Veni ergo, si velis (etenim nunc vacatio narrationis est) edisseram tibi scripturam. Neque enim magis prava quam pictores, nos utique musarum pueri habemus remedia [pharmaca]. Mulier quædam virgo sacra et incorrupta, Deo pudicitiam vovens, Euphemiam vocant eam. Cum autem tyrannus aliquando pie viventes persequeretur, nimis alacriter mortis elegit periculum. At vero cives et communicatores reli-

[b] *Anastasius videtur legisse* Ἥραν *pro* ὥραν. In ms. Jolyano legitur *scriptibilem Junonem.*

gionis, pro qua obiit, utpote virilem et sacram virginem admirantes, juxta sacrarium theca constructa, et posito loculo, honores ei concelebrant, et annuam festivitatem [communem et publicam celebritatem], novum et publicum facientes commercium. Ergo alii quidem Dei mysteriorum sacri disputatores hierophantæ verbo quoque memoriam semper honorant, et qualiter consummaverit sufferentiæ certamen, diligenter eos qui simul adsunt, edocent. Pictor autem pie agens, et ipse per artem pro viribus totam historiam ejus designans in sindone, juxta thecam sacram posuit visionem. Habet autem ita se illud amabile artificium. Excelsus super thronum stabilis est judex, amare ac maligne aspiciens in virginem. Irascitur enim quando vult ars etiam in inanimatis materiis. Adsunt autem satellites principatus, et milites multi: quorum alii quidem monumentorum descriptores libros ferunt et codicillos: quorum alter a cera manu suspensa [*Gr. add.* itacunde] aspicit ad eam quæ judicabatur, totam inclinans faciem, veluti jubens magis [clarius] loquendum, ne laborans circa auditum, mendosa scribat ac reprehensibilia. Stabat autem virgo in aquilo indumento ac veste philosophiam designans; et ut visum est pictori, etiam vultu urbano: ut vero mihi videtur, anima virtutibus decorata. Ducunt autem ad principem duo milites, unus quidem illam ante trahens, alter autem post tergum urgens virginis temperatum pudore atque constantia morem. Etenim innuit quidem in terram, ut erubescens a vultibus marium. Stabat autem nequaquam perculsa, nihilque passa penes agonem timendum [timidum]. Cumque ego alios interim laudarem pictores, quando intuitus sum illius mulieris Colchidis opus: quæ filiis cum esset gladium illatura, misericordia et furore dividit faciem. Et unus quidem oculorum insinuat iram, alter vero matrem indicat parcentem et trementem. Nunc autem miraculum ab illa cogitatione ad hanc commutavi scripturam: et vehementer admiror artificem, quoniam magis miscuit colorum morem, et reverentiam simul et virilitatem temperans, affectiones per naturam repugnantes. Procedente vero anterius imitatione, carnifices quidam in tunicis parvis nudi jam veniebant ab opere [jam aggrediebantur opus]. Et quidam apprehenso quidem capite, inclinans post tergum, præbebat alteri præparatam ad supplicium virginis personam [faciem]: quidam vero astans incidebat dentes: malleus autem et terebra supplicii organa apparent. Præterea lacrymor hinc, et mihi passio intercidit sermonem: sanguinis enim guttas sic evidenter supercoloravit pictor, ut diceres has labia veraciter distillasse, et lamentatus abires. Ad vincula post hæc, et iterum virgo venerabilis in fulvis vestibus, sed et sola extendens manus in cœlum, et invocans Deum procuratorem inter atrocia. Cui oranti apparet super caput signum, quod nunc lex est Christianis adorare atque præscribere: quodque indicium autumo fuisse passionis, quæ illam exspectabat.

A Mox ergo et post modicum, ignem alibi validum pictor succendit, rubeo colore hinc et inde rutilanti corpoream faciens flammam: statuitque in medio illam, manus quidem ad cœlos expandentem, molestiam vero nullam in facie demonstrantem, sed e contrario gaudentem, quoniam ad incorpoream et beatam vitam abibat. Usque huc et pictor statuit manum, et ego sermonem. Tempus autem tibi est et eam, si volueris, picturam perficere, ut perspicias subtiliter, nisi [si non] multum post narrationem venimus.

Gloriosissimi judices dixerunt: Pia igitur est ars pictorum, et non ut eam quidam insipienter vituperant: ipse quippe Pater pictorem pie agere asseruit.

B Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit: Sed et sacrum illud monumentum appellat. Et theologus venerabilem imaginem, et Chrysostomus sanctam appellat; at vero Pater qui lectus est, sacram. Et quid ulterius ad hæc potest aliquis contradicere?

Theodorus sanctissimus episcopus Myrensium dixit: Audientes universi patrum nostrorum magisteria, compuncti sumus anima, et præteritos annos deflemus. Sed gratias agimus Deo, quia per doctrinas patrum nostrorum venimus ad agnitionem veritatis.

Theodosius sanctissimus episcopus Amorii dixit: Sacratissime et Deo honorabilis domine, nos et tota sancta synodus audientes sanctorum patrum nostrorum magisteria de sacris imaginibus, credimus, et confitemur, et sacras et sanctas eas vocamus: et qui ita non dixerit, sit anathema.

C Sancta synodus dixit: Sit anathema!

Nicephorus sanctissimus episcopus Dyrrachii dixit: Semper bonus pictor per artem res exhibet, quemadmodum et is qui martyris Euphemiæ imaginem designavit: propter quod et in his doctor picturæ artem collaudat.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit: Utique dicendo: Laudabam quidem ego primitus quæ erant Colchidis, usque dum veni ad imaginem martyris.

Sancta synodus dixit: Et hæc contemplatus, et perculsus.

D Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit: Et Pater qui lectus est, ea passus est, quæ sanctissimus Gregorius [Nyssenus]: ambo enim in imaginibus lacrymati sunt.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Præcipit Pater, et licentiam dat in fine sermonis volenti depingere certatorum martyrum narrationem; ait enim: Tempus autem tibi est, et eam si volueris picturam perficere: ut perspicias subtiliter, nisi multum post narrationem venimus.

Joannes Deo amabilis presbyter, et locum retinens apostolicarum sedium Orientis, dixit: Itaque major est imago sermone: et hoc Dei providentia factum est propter idiotas homines.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Si sanctis viris talem compunctionem fecerunt sacræ imagines, quanto magis nobis ?

Theodorus sanctissimus episcopus Myrensium dixit : Patribus nostris talia dicentibus, non habemus quod dicamus.

Joannes Deo amabilis presbyter et locum retinens apostolicarum sedium Orientis, dixit : Non adversantur pictores Scripturis, sed quidquid Scriptura dicit, id demonstrant ; ita ut assertores sint eorum quæ scripta sunt.

Theodosius sanctissimus episcopus Amorii dixit : Divinus Apostolus edocet dicens : *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* (*Rom.* xv). Ipsæ itaque sanctæ atque colendæ imagines et picturæ, tam quæ in musivis, quam quæ in materiali scriptione fiunt, ad nostram [*Gr.*, et materiales efformationes, atque musiva, ad nostram] doctrinam et æmulationem et formam sunt, et scriptæ consistunt ; ut et nos eamdem formam et agonem ostendamus circa Deum : quatenus et nos quoque dignos statione ac portione ipsorum, et cohæredes faciat regni sui.

Theodorus sanctissimus episcopus Catanæ dixit : Beatus et deifer doctor Asterius, sicut stella clarissima, omnium nostrum corda illustravit. Itaque non extra consequentiam catholica Ecclesia suscepit sacras et venerabiles iconas, sed apte sanctorum patrum nostrorum doctrinas secuta.

Gregorius Deo amabilis diaconus sanctæ magnæ Ecclesiæ laudabilium Apostolorum legit :

De martyrio sancti Anastasii martyris Persæ, cujus initium est :

Unigenitus Filius et Verbum Dei, per quem omnia facta sunt. Et post alia : Cum autem abundasset in eo desiderium, ut illuminaretur, rogabat multum prædictum virum, ut dignus efficeretur gratia sancti baptismatis. At ille trepidans propter Persarum metum, ne periclitaretur, differebat eum. Verumtamen cum illo ibat ad ecclesias, et orabat, et picturas sanctorum martyrum aspiciebat, et sciscitabatur ab eo, quænam hæc essent. Et audiens ab eo sanctorum miracula, et dura tormenta quæ illis a tyrannis illata fuerant, et super hominem tolerantiam, mirabatur et stupefiebat. Manens ergo tempore pauco apud prædictum Christo dilectum virum, optimum sumit in anima desiderium, ut Hierosolymam perveniret, et ibi fieret sancto baptismate dignus.

Theodorus sanctissimus episcopus Myrensium dixit : Apparet, quia venerabilium imaginum traditio solemnis [legitima] est.

Euthymius reverendissimus diaconus et monachus, pro Deo amabili episcopo Gothiæ [*Gr.*, notarius rever. episcopi Gothiæ], legit :

Ex miraculis sancti Anastasii martyris, quorum initium est :

Miraculorum relationem proponere volo. Et post pauca : Eia nunc et ea quæ apud Cæsariam Palæstinæ a sancto facta sunt, secundum quod possibile fuerit, enarremus. Cum appropinquasset sanctæ civitati almum cadaver, notum factum universæ civitati, et lætitia magna repleti sunt omnes. Et surgentes, sacraque ligna percutientes * congregaverunt semetipsos in venerabilissimo templo Dei Genitricis, quod dicitur Novæ. Et deinde cum crucibus et litania obviam venerunt sancto lipsano, cum glorificatione gaudentes et exsultantes : et quasi reflorentes, imo recreati in præsentia martyris a paucitate fidei quæ erat in illis, et aliarum nequitiarum mortificatione, magnam acceperunt consolationem. Orantibus autem illis, et deosculantibus, et se circa tumulum volutantibus, atque debitum præmium recompensantibus lipsano ac memoriæ sancti hujus, mulier quædam quæ quasi ex claris erat Cæsariensium (si ita oporteat dici, et non magis aliter quemadmodum res ipsæ manifestarunt) nomine quidem Arete, id est *virtus*, sed moribus virtuti omnino contraria, in diffidentiam versa dicebat : Ego lipsanum a Perside veniens non adoro. O miseram et sine intellectu animam, quæ non audivit infelix sacratissimum psalmistam David increpantem flagitiosorum audaciam, ac dicentem : *Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum!* (*Psal.* xxxiii.) Quid ergo Deus, qui glorificat glorificantes se, facit in ea, consequenter ego dicam. Ingresso civitatem sancto lipsano, communiter consiliati cives ejusdem urbis cœperunt construere oratorium sancto juxta Tetrapylum, quod erat in medio civitatis. Statuerunt autem et imaginem ejus ibidem. Cum autem adhuc ædificaretur, astans martyr infelici illi in somnis in habitu monachi, dixit ei : Lumbos tuos doles ? Illa vero ad eum : Non, domine ; nihil mali habeo, sana sum : et una cum sermone expergefacta, et sentiens in se validum cecidisse dolorem, cœpit clamare, gemere, ac indesinenter affligi ; ita ut non posset omnino respirare, importabilia patiens, ut vacationem agens reputaret secum, et requireret, quinam esset, et ex qua causa tam subitaneus dolor, qui sibi foret illatus. Sed in his consummavit dies quatuor. Quinta vero die illucescente vidit astantem sibi sanctum, atque dicentem : Descende ad Tetrapylum, et roga sanctum Anastasium, et sanaberis. At illa surgens, et in memoriam veniens improborum sermonum suorum quos locuta est adversus caput suum, advocatis pueris suis, ait eis : Tollite me, tollite me, ut eamus ad Tetrapylum sancti Anastasii ; novi enim et nunc edocta, etiam a Perside veniens lipsanum adorare et honorare, et quæ Deus mundavit, non communicare, id est, commune dicere [*seu potius*, ducere]. Levantes ergo eam pueri ejus in pborio, id est portatorio, pergebant. Cumque appropinquarent loco, illa de longe attollens oculum, et videns sancti imaginem, cœpit magna voce cum effusione lacrymarum clamare : Iste est in veritate, quem vidi in somnis prædicen-

* Anastasii verba : *Orientales ligna pro campanis percutiunt.*

tem mihi de malis quæ me obtinent. Et cum se projecisset supra pavimentum, et plorasset multum, placato sancto erecta est sana. Et quæ paulo ante ab aliis portabatur, et in extremis posita periclitabatur, propriis pedibus ambulans abiit domum suam, concorditer cum cæteris laudans et glorificans Deum, et magnificans martyrem.

Petrus et Petrus, Deo amabiles presbyteri et vicarii Adriani papæ senioris Romæ, dixerunt : Hæc imago sancti Anastasii usque in hodiernum diem est Romæ in monasterio ipsius cum pretioso ejus capite.

Joannes sanctissimus episcopus Tauromeniæ dixit : Verum dixere honorabilissimi vicarii, quoniam et in Sicilia fuit mulier dæmonium patiens : et Romæ posita, per prædictam sacratissimam imaginem sana effecta est.

Joannes Deo amabilis presbyter, monachus et vicarius Orientalium pontificum dixit : Ad ea quæ dicta sunt ostensum est ex his quæ lecta sunt, quia et imagines sanctorum miracula operantur, et sanitates perficiunt.

Petrus sanctissimus episcopus Nicomediæ dixit : Librum defero sancti Athanasii, et sanctæ synodo offero ad legendum.

Sancta synodus dixit : Legatur.

Et accipiens Stephanus diaconus et notarius legit :

Sermo sanctæ memoriæ Patris nostri Athanasii de imagine Domini nostri Jesu Christi veri Dei nostri, facto miraculo in civitate Berytio.

Sustollite oculos mentis vestræ, et videte novum miraculum hoc quod factum est nunc. In infinitam admirationem Dei aspicite, et date ei gloriam. Contemplamini ineffabilem misericordiam ejus, et magnitudinem dispensationis ejus; atque lamentum cum lætitia sumite. In Deo quidem nihil extraneum. Deus enim cum sit, omnia potest. Quia vero in diebus nostris et in nobis factum est, expavescet omne cor audientium. Vere expavit cœlum in eo quod temere factum est. Conturbatæ sunt abyssi, et sol obtenebratus est, et luna, et stellæ similiter super hoc quod patratum est. Sed iterum lætatæ sunt in eo quod a Domino dispensatum est, omnes cœlorum virtutes. Audite, et admiramini quod factum est in diebus nostris intelligentes intelligite, et aurem vestram inclinate, foras quod cordis [et quidem ante exteriorem aurem, quæ cordis] est porrigite, et audite. Civitas est Berytus vocata, in finibus Tyri et Sidonis sita, Antiochiæ subdita. In hac civitate Berytо multitudines erant copiosæ Judæorum. Porro juxta synagogam ipsorum, quæ valde esse magna videbatur, Christianus quidam accepit ad pensionem cellulam a quodam, in qua habitans, contra accubitum suum fixit imaginem Domini nostri Jesu Christi [*Gr.*, in tabula] honeste depictam, et integræ staturæ habentem Dominum nostrum Jesum Christum. Transacto autem modico tempore, perquisivit mansionem majorem ille Christianus, quemadmodum et indigebat. Hoc autem Domini nostri Jesu Christi gratia dispensavit, ut credo, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (*I Tim.* II); ostendens miracula sua se colentibus, et omnibus in se credentibus, in redargutionem impiorum, et stabilitatem fidelium. Quæsivit ergo Christianus, ut dixi, majorem domum, et invenit in quodam loco civitatis, et transtulit se illuc a domo quæ erat juxta synagogam Judæorum ; et sublatis omnibus suis, per oblivionem (dispensatione tamen Dei) imaginem Domini dimisit oblivioni, ut præfatus sum, traditam. Quidam vero Judæus accepit domum illam ad pensionem, in qua imago Domini stabat. Intromissis autem omnibus suis permanebat in domo, minime contemplatus iconam Domini, quod staret illic. Neque enim consideravit locum illum, sed ingressus manebat. Quadam vero die invitavit Judæus unum ex contribulibus suis ad prandium et cum prandederent, elevatis oculis Judæus qui invitatus fuerat, vidit iconam Domini nostri Jesu Christi ; et dicit ei qui se invitaverat : Tu cum sis Judæus, quomodo imaginem hujusmodi habes? Convicia plurima quoque et nefanda emittens adversus Dominum, quæ non audeo scribere (absit) quæ dixit contra Salvatorem is qui fuerat invitatus. Tunc is qui invitaverat, videns imaginem Domini, rationem reddidit invitato Judæo, dicens : Quia usque in præsens non vidi hanc imaginem : et siluit invitatus. Abiit autem ad summos sacerdotes suos, et accusat Judæum qui in domo manebat, in qua imago Domini erat, dicens, quia ille imaginem habet Nazareni videlicet in domo sua. Qui audientes dixerunt : Si potes hoc ostendere. At ille affirmavit, quia ego ostendam hoc in domo ejus. Illi vero repleti furore vespere quidem siluerunt. Mane vero facto, summi sacerdotes eorum atque presbyteri, assumpto eo qui Judæo detraxerat, et turba multa gentis suæ, pergunt ad domum Judæi, in qua imago Domini stabat. Pervenientes autem ad locum summi sacerdotes insiluerunt, et seniores, cum eo qui indicaverat, et vident imaginem Domini stantem. Tunc vehementer irati, Judæum quidem qui habitabat in domo illa, extra synagogam facientes, expulerunt; imaginem vero Domini nostri Jesu Christi deponentes, dixerunt : Quia sicut patres nostri illuserunt ei aliquando, ita et nos illudamus illi. Tunc cœperunt conspuere in faciem sanctæ imaginis Domini, et dare alapas coram his qui convenerant, hinc et inde imaginem Domini in faciem percutientes, atque dicentes : Quæcunque fecerunt ei patres nostri, omnia faciamus et nos imagini ejus. Et dicunt : Audivimus quia illuserunt ei; et hoc ipsum nos faciamus. Infinitis ergo ludibriis illuserunt iconam Domini, quæ nos neque dicere audemus. Deinde dicunt : Audivimus, quia clavis infixerunt manus ejus et pedes : hoc et nos etiam faciamus ei ; tunc in manus et pedes imaginis Domini infixerunt clavos. Iterum sævientes dixerunt : Audivimus, quia aceto et felle potaverunt eum cum spongia : faciamus ei et nos ; et fecerunt apponentes ad os imaginis Domini

spongiam aceto plenam. Rursus dicunt : Didicimus, quia calamo percusserunt caput ejus patres nostri : id ipsum et nos faciamus ; et accipientes calamum, percutiebant caput Domini. Cæterum novissime dicunt : Ut liquidius edoceamur, quia lancea latus ejus aperuerunt, nihil prætermittamus, sed addamus et hoc ; et facientes deferri lanceam, præceperant cuidam suorum tollere lanceam, et percutere contra latus imaginis Domini. Mox ergo emanavit multitudo sanguinis et aquæ ab ea. Christe, gloria tibi : incomprehensibilis, gloria tibi : quis sicut tu, Deus? quis præter te, Deus, faciens terribilia et obstupescenda? O miraculum Salvatoris nostri majestatis! Horruerunt veraciter et jam super hoc supernæ virtutes tuæ. O quantus es, Domine, ad humilitatem [*Gr.*, humanitatem] ! o quantus ad longanimitatem ! o quantus es in misericordia ! Prius enim propter nos et propter salutem nostram, cum esses sine carne, incarnatus ex Virgine Maria, crucifixus es in illa carne, cum esses ipse impassibilis deitate. Nunc vero iterum in imagine crucifixus es, Domine, in redargutionem impiorum et omnium incredulorum, atque stabilitatem eorum qui veraciter in te credunt. Sed gloria tibi, Domine, qui solus omnia potes, una cum benedicto Deo nostro et Patre, atque cum Spiritu sancto. Amen. Vos autem, o filii, audite reliqua, quæ dispensata sunt ab eodem Domino : ipsius enim erat permissio. Denique postquam percussum est lancea latus ejusdem imaginis Domini, et emanavit sanguis et aqua, ut superius dictum est, dicunt summi sacerdotes eorum et seniores : Quoniam susurrant colentes eum, quod sanitates multas fecerit, summamus ergo sanguinem hunc et aquam, et deferamus ad synagogam, et colligamus omnes qui male habent in populo et ungamus eos ex illo, et videamus si vera sunt quæ dicuntur. Tunc afferentes lateri iconæ Domini vas secundum locum imaginis percussionis lanceæ, unde exivit sanguis et aqua, repleverunt ampullam ad locum jugulationis lanceæ : et inferentes, illudebant : ut injuriis appeterent, sicut putabant, coram omnibus universorum Dominum. Et collectis omnibus qui male habebant, ante omnes paralyticum, quem a nativitate noverant, adducentes unxerunt : et statim saliit, et exsiliit sanus homo penitus. Deinde cæcos adduxerunt, qui et ipsi visum receperunt. Dæmonium vero patientes [*Gr. add.* innumeri] mox emundati sunt. Turbatio quoque magna et infinita per totam civitatem effecta est, cunctis confluentibus propter infinita miracula. Commotæ autem sunt omnes multitudines Judæorum : plures enim civitatem habitabant. Currebant ergo ferentes eos quos in domibus suis habebant, quotquot habebant languentes, aut paralyticos [*Gr. add.* aut claudos], aut debiles, aut aridos, aut leprosos, omnes cucurrerunt : ita ut neque synagoga eorum, licet magna fuerit, caperet illos, neque locus multitudine infiniti populi propter miracula concurrente. Omnes autem principes sacerdotum ac seniores, et populus Judæorum, virorum, puerorum, et mulierum crediderunt in Dominum Jesum Christum, clamantes : Gloria tibi, Christe, quem patres nostri crucifixerunt, qui et a nobis nunc crucifixus es in imagine tua. Gloria tibi, Fili Dei, qui tanta fecisti miracula : tibi credimus : propitius nobis esto, et suscipe nos. Hæc clamabant lugentes omnes, et voces emittebantur, et miracula perficiebantur, summis sacerdotibus ungentibus, et cunctis curatis et vivificatis. Postquam autem omnes sanati sunt, confestim ad episcopum sanctissimæ constitutæ illic ecclesiæ, qui jam quæ fuerant facta didicerat, multitudines currebant clamantes : Unus Deus Pater, unus Deus Filius, et ipse unigenitus : unus Christus, quem patres nostri crucifixerunt. Ipsum Deum novimus, huic nos credimus. Multis itaque laudibus glorificantes Deum, imaginemque archiepiscopo demonstrantes, et annuntiantes quæ fecerant imagini Domini, qualiter et sanguis et aqua exierunt ex latere imaginis, necnon et influita miracula quæ facta sunt ; ita omnes multitudines, ut sancto baptismate digni fierent, supplicabant. Quos episcopus una cum clero suo assumptos [*Gr. add.* et initiatos], omnes baptizavit per multos dies, et synagogam eorum ecclesiam Salvatori nostro Christo dicavit. Illis autem rogantibus, etiam cæteras synagogas eorum martyria fecit : et sic gaudium magnum factum est in civitate illa, non solum corporibus sanatis et vivificatis, sed et tot animabus in vitam a mortuis redeuntibus æternam. Hæc agnoscens ego festinavi indicare vobis, fratres amantissimi, ad utilitatem animarum vestrarum : ut cognoscentes et in hoc Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi virtutem, plus aliquid in fide ipsius confirmemini, et exsultetis super magnalibus ejus, quæ nunc etiam operatus est. Date ergo ipsi gloriam cum lætitia in compunctione et lamento, gaudentes et gratias agentes, quia sua nos fide, et sua fecit agnitione dignos [in Christo Jesu Domino nostro], cum quo et Patri una cum Spiritu sancto gloria nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : En et is qui ab immortalitate cognominatus est, totam sanctam synodum hanc fecit compungi et lacrymari : quoniam non solum venerandas esse cognovit, verum etiam maximas gerere sanitates.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Sed ne quis dicat cur illæ iconæ, quæ apud nos sunt, miracula minime faciunt? Ad quem respondemus. Quia, sicut Apostolus ait (*I Cor.* XIV), signa infidelibus, non fidelibus data sunt. Nam qui ad imaginem accedebant, infideles erant : propterea signum fecit Deus per imaginem, ut illos traheret ad fidem nostram Christianorum. *Generatio* enim *mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei* (*Matth.* XII).

Theodorus Deo amabilis diaconus et notarius legit :

Ex epistola beati Nili ad Heliodorum silentiarium.

Per ea quæ per singula loca et in diversis temporibus quotidie fiunt miracula, Dominus hos quidem qui modicæ sunt fidei, necnon et infideles ad stabilitatem fidei invitat : fidelium vero fidem, imo et spem crescere facit, et gravem et immobilem demonstrat prudentiam [sensum]. Et volo tibi quid unum ex denis millibus Platonis nostri tropæa reportantis et martyris modo narrare : qui non solum in patria nostra, sed in omni civitate ac regione paratissime gratiam donat, et ostendit his qui Deum per eum postulant, admirabilem fortitudinem. In monte quippe qui vocatur Sina, ubi Moyses a Deo legem accepit, monachis habitantibus indigenis et peregrinis, unus quidam virorum genere Galata una cum proprio filio singularem [monasticam] amplexus vitam degebat, continentiæ certamina transigens multo tempore in deserto. Et ecce quadam die repente quidam in prædicto monte religione barbari [*Gr.*, pagani] et detestabiles irruentes comprehendunt eos, qui in promptu ex his et impræsentiarum inventi sunt monachi una cum filio senis Galatæ, et in captivitatem ducunt. Quos et ligantes post tergum, multas transeunt mansiones desertas, jejunos et nudos minantes eos, nec calciatos penitus aliquo calciamento, per illa inaquosa et asperrima, et nullius consolationis loca, vi et necessitate circumeuntes, et infinito pavore detentos. Solus autem in quodam abdito specu occultatus senior luctu tabefiebat, non ferens privationem Deo amabilis filii : et Dominum flagitabat Christum per Platonem compatriotam martyrem, ut incurvaretur ad miserationes. Id ipsum autem et filius per eumdem sanctissimum martyrem rogabat Deum in captivitate vinctus, ut sui misereri, et miraculum facere dignaretur. Utroque autem exaudito, patre scilicet in spelunca montis, et filio in captivitate, ecce subito martyr Plato noster astat super equum apparens, trahensque alterum equum opportunum [vacuum], manifestatur puero vigilanti, et hunc agnoscenti ex eo, quod sæpe videret sancti characterem in imaginibus : et statim jubet eum de medio cunctorum exsurgere, et accipere equum, et insidere. Et confestim more aranææ vincula dissoluta sunt ; et solus ipse liberatus per invocationem, nutu Dei surgens, insedit equo, et sequitur ducentem se sanctum martyrem constans et gaudens. Compendiose autem et acute [celeriter] ambo, sanctus scilicet Plato, et novitius monachus, quemadmodum pennati perveniunt ad habitaculum senis orantis atque lugentis : et restituens salvum victoriosissimus martyr corde dolenti patri desiderabilem filium, disparet. Itaque in omni loco his qui per eos invocant Deum, omnes res mirandas et gloriosas Domini Christi memorabiles et inclyti athletæ perficere valent. Porro hæc tibi scripsi, ut amico martyrum existenti, et nunquam aliquando satietatem memoriæ beatorum martyrum accipienti.

Sancta synodus dixit : Ostensum est, quia per imaginem martyris, quæ sibi ante fuerat cognita, agnovit eum astantem, cum salvare illum venit.

Theodorus sanctissimus episcopus Myrorum dixit : Quia et ego præostensæ historiæ similia passus sum. Nam cum injuriam paterer a quibusdam principalibus manibus, dixit mihi archidiaconus meus, vir religiosus ac timens Deum : Quia vidi patriarcham in visione dicentem, quia ascendat ad nos metropolita, et omnes res ejus dispensabuntur, ut expedit ei. Interrogavi ergo ego archidiaconum, dicens : Quali forma apparuit tibi patriarcha? et respondit mihi : Quia rubicundus facie, et senili coma. Aio ego ei : Quia patriarcha non est talis visionis [formæ], sed vestis habet sancti Nicolai imaginem : et bene asseris. Nam hujusmodi formæ est, quem vidisti. At ille respondit mihi, quia etiam talis revera formæ vidi virum, qui hæc mihi locutus est. Ex hoc ergo cognovi, quod sanctus Nicolaus ei apparuerit, per similitudinem, quæ in icona erat. Mox ergo credens verbo, ascendi ad Deo conservandam regiam urbem : et omnia negotia mea, quæ meo pertinebant episcopio, facta sunt apta.

Thomas reverendissimus presbyter et locum retinens Orientalium pontificum dixit : Susurrant quidam de sancto Nilo, quia contra iconas scripserit ; et ideo præ manibus habeo librum ejusdem Patris : et si jubetis legatur.

Sancta synodus dixit : Legatur.

Cosmas Deo amabilis diaconus et cubuclesius legit :

Ejusdem sancti Patris Nili ad Olympiodorum præfectum.

Scribis mihi, si putas, decorum sit tibi exstructuro templum maximum ad honorem tam sanctorum martyrum, quam Christi, quem ipsi per certamina et dolores ac sudores testificati sunt, vel imagines etiam ponere in sacrario, et variis animalium bestiis [venationibus] parietes implere a dextris et a sinistris : ita ut videantur in terra quidem extensa lina, et lepores, et capræ, et cætera animalia fugere : porro illi capere festinantes cum catellis alacriter insequi : in mari vero laxari retia, et omne genus piscium capi, et ad aridam piscatoriis manibus ferri : insuper et gypso fingi omnes species, et ostendi ad desiderium oculorum in domo Dei : sed et in communi domo mille cruces infigi, et picturas volucrum ac jumentorum, et repentium, ac diversorum germinum fieri. Ego ad ea quæ scripta sunt, dixerim ; quia nimirum infantium est, et parvulos decet his, quæ prædicta sunt, seducere fidelium oculum : firmi vero et virilis sensus proprium est, in sacrario quidem ad orientem divini templi unam et solam crucem formare. Per unam enim et salutarem crucem salvatur hujusmodi genus, et desperatis quidem spes ubique prædicatur : historiis autem Veteris et Novi Testamenti replere hinc et inde manu optimi pictoris templum sanctorum, quatenus qui nesciunt litteras, ne-

que possunt legere divinas Scripturas, contemplatione picturæ memoriam sumunt fortis facti eorum qui vero Deo proprie servierunt, et ad æmulationem erigantur gloriosarum et memorabilium actionum, pro eo quod terram pro cœlo commutaverint, quæ non videntur visibilibus præponentes. Porro in communi domo multis ac diversis domunculis insignita, sufficere unicuique mansiunculæ infixam pretiosam crucem, et superflua dimitti necessarium æstimo. Sit autem contenta prolixis orationibus; et indubitabili fide ac eleemosynis, humiliationibus et spe ad Deum perenni, et divinorum verborum meditationibus, et compassione contribulibus, et humanitate famulis attributa, omnibusque mandatis Domini nostri Jesu Christi circumvallare se, et conjugem suam, ac filios, et totam substantiam circumtegere et ornare atque munire, admoneo et rogo.

Theodorus sanctissimus episcopus Myrensium dixit: Epistola hæc primitus lecta est, cum esset depravata, perdidit [*Gr.*, Epistola hæc quæ lecta est, depravata pridem perdidit, etc.] et seduxit nos: putabamus enim simplicem esse illam et absque insidiis.

Sanctissimi episcopi dixerunt: Nos si audissemus tunc quod dicit Pater, quia hinc et inde pinge domum veteribus et novis narrationibus, non in vanitatem versi credidissemus. Ipsi enim pro eo quod dixit, hinc et inde pinge, dealba posuerunt: quod nos fortiter decipiebat.

Petrus, et Petrus Deo amabiles presbyteri et vicarii Adriani papæ senioris Romæ, dixerunt: Tale quid et divæ memoriæ Constantinus Magnus imperator olim fecit: ædificato enim templo Salvatoris Romæ, in duobus parietibus templi historias veteres et novas designavit, hinc Adam de paradiso exeuntem, et inde latronem in paradisum intrantem figurans: et reliqua.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Si veraces erant prisci Christianos calumniantium propugnatores, cur ipsum librum sancti Nili non ostenderunt in collegio suo ad satisfactionem omnium? Dicant ergo reverendissimi episcopi qui pseudosyllogo interfuerunt, Gregorius Neocæsariæ, et Theodorus Amorii, si protulerunt libros tunc in concilio.

Gregorius et Theodorus Deo amabiles episcopi dixerunt: Nequaquam, domine; sed pro libris pittacia nobis ostenderunt et ex eis decipiebant nos.

Euthymius sanctissimus episcopus Sardis dixit: Et quomodo vos cum essetis summi sacerdotes, non requisistis integra testimonia ex codicibus?

Gregorius sanctissimus episcopus Neocæsariæ dixit: Crede, frater, non nobis erat curæ, neque studium inde habuimus; sed ut scriptum est, obscuratum est insipiens cor nostrum: et dicentes nos esse sapientes, stulti facti sumus (*Rom.* 1).

Theodorus sanctissimus episcopus Myrensium dixit: Plane et nos ipsos illa pittacia perdiderunt, quæ vos attulistis. Novit enim Deus, quia hoc testimonium sancti Nili non positum, ut fuerat editum, obcæcavit nos, præcipue meipsum: sed nunc integrum lectum convertit et emendavit, et salvavit nos.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit: Quoniam adest alius liber æqualis formæ, legatur.

Et sumens Constantinus diaconus et notarius venerabilis patriarchii, legit alterum librum habentem præscriptam epistolam ejusdem Nili.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit: Ecce ostensum est liquido, quia ipse sanctus et egregius Pater Nilus sanctas iconas suscipiebat. Accusatus est autem a pseudosyllogo illo, quod contra iconas locutus fuerit. Unde miseri non solum Christianorum calumniatores, sed et sanctorum calumniatores existunt, et parricidæ, accusantes falso sacratissimos Patres.

Euthymius sanctissimus episcopus Sardis dixit: Librum sancti confessoris Maximi habeo præ manibus, et offero eum ad legendum.

Et accipiens Constantinus diaconus et notarius venerabilis patriarchii, legit:

Ex his dogmatibus, quæ mota sunt inter sanc.æ memoriæ Maximum, et Theodosium episcopum Cæsariæ Bithyniæ, et consules qui cum ipso erant; cujus initium est.

Quæ mota sunt de immaculata fide nostra Christianorum. Et post alia: Domini, postquam placuit hoc fieri, exitus fiat eorum quæ prædicantur [placuerunt]: et quo vultis, sequor vos. Et in his surrexerunt omnes cum gaudio et lacrymis, et miserunt metanœam [a], et oratio facta est: et unusquisque ipsorum sancta Evangelia, et pretiosam crucem, et iconam Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, et dominæ nostræ quæ eum genuit, sanctissimæ Dei Genitricis, salutaverunt, ponentes et proprias manus in confirmationem eorum quæ dicta fuerant. Et paulo post: Conversus ergo ad episcopum abbas Maximus, cum lacrymis dixit ei: Domine magne, diem judicii exspectamus omnes: nosti quæ signata et placita sunt super sanctis Evangeliis, et vivifica cruce, et imagine Dei et Salvatoris nostri, ac sanctissimæ et semper Virginis matris ejus, quæ peperit eum.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit: Salutaverunt, hic pro adoratione Pater assumpsit, quoniam sanctum Evangelium et vivificam crucem adoravit; cum quibus etiam colendas imagines Salvatoris et ejus immaculatæ Matris.

[a] In cod. Jolyano hoc additur glossema: *Metanœa, pœnitentia interpretatur; hoc tamen in loco pro genuflexione ponitur. Unde cum dicit, miserunt metanœam, nihil aliud intelligatur, nisi: posuerunt terræ genua; quia enim pœnitentium est maxime genuflectere, sæpe Græci genuflexionem metanœam, id est pœnitentiam, vocant.*

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Con- Numerantur cum sanctis vasis honorabiles imagines.

Sancta synodus dixit : Manifestum est.

Sanctissimi episcopi Siciliæ insulæ dixerunt : ut sancta cum sanctis connumeruntur.

Petrus sanctissimus episcopus Nicomediæ dixit : Habemus et nos eumdem librum sancti Maximi ; et si jubetis, relegantur quæ prædicta sunt.

Cosmas diaconus et cubuclesius sumens, legit præscriptum sancti Maximi testimonium.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Conspiciamus, fratres, qualiter dixerit, quia salutaverunt : quod et nos honoris affectu facere debemus. Nam latria nostra ad unum Deum refertur.

Joannes reverendissimus presbyter et vicarius Orientalium sedium dixit : Nisi essent necessariæ imagines, nequaquam ad cautelam eas salutavissent : ita ut æquæ potentiæ honorabiles imagines cum Evangelio et pretiosa cruce sint.

Petrus sanctissimus episcopus Nicomediæ dixit : Et hoc non qualiscunque vir, sed Maximus ille Deo sapiens, et sanctorum consimilis ; insuper et confessor, et veritatis propugnator : qui et sufficit nobis ad imitandum in salutando sacras imagines.

Elias reverendissimus presbyter [primus presbyter] sanctæ Ecclesiæ dominæ nostræ Dei Genitricis in Blachernis sitæ, legit ex charta habente definitiones sanctæ ac universalis sextæ synodi.

Canon sanctæ ac universalis sextæ [a] *synodi octogesimus secundus.*

In quibusdam venerabilium imaginum scripturis Agnus digito præcursoris ostensus desigratur, qui in figuram admissus est gratiæ, verum nobis per legem præostendens Agnum Christum Dominum nostrum. Veteres ergo formas et umbras, ut veritatis symbola et præfigurationes Ecclesiæ traditas amplectentes, gratiam præferimus et veritatem, ut plenitudinem legis hanc suscipientes. Quatenus ergo perfectio et in colorum operationibus universorum vultibus ascribatur, Agni Christi Dei nostri, qui tollit peccatum mundi, secundum humanitatem characterem et in imaginibus ex nunc pro veteri agno titulari [depingi] definimus, per eum humilitatis celsitudinem Dei Verbi considerantes, et ad memoriam conversationis in carne factæ, tam scilicet passionis ejus, quam salutaris mortis, et ex hac redemptionis effectæ, redeuntes. Et postquam legit, conversus ad sanctam synodum dixit : Honorabiles Patres et sancti, persecutionem Ecclesiæ plus me nullus elegit pro peccatis meis ; sed divinus hamus facta est mihi præsens charta, in qua subscripserunt Patres sancti sextæ synodi, et traxerunt me ad orthodoxiæ fidem. Non autem solum hoc, sed et sanctissimus patriarcha, cui præbeat Deus pro me mercedem.

Sabbas reverendissimus monachus dixit : Cujus rei gratia in charta, et non in codice legit ?

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Quia principalis charta est, in qua subscripserunt sancti Patres.

Petrus sanctissimus episcopus Nicomediæ dixit : Et alium codicem habeo, qui continet easdem regulas sacræ sextæ synodi.

Quo accepto, Niceta reverendissimus diaconus et notarius legit eumdem canonem.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Quidam ignoratione languentes in hos canones scandalizantur, asserentes : Putas sextæ synodi sunt ? Cognoscant autem qui hujusmodi sunt, quod sancta et magna sexta synodus sub Constantino fuerit celebrata contra illos, qui unam dicebant operationem et voluntatem in Christo : in qua hæreticis anathematizatis, et orthodoxa explanata fide, domum reversi sunt quartodecimo anno Constantini. Ergo post quatuor sive quinque annos iidem ipsi Patres convenientes sub Justiniano filio Constantini, præsignatos canones exposuerunt : et nemo dubitet de illis. Illi enim qui subscripserunt sub Constantino, ipsi et sub Justiniano præsenti chartæ subscripserunt, ita ut hoc manifestum sit ex eorum propriæ manus scripturæ immutabili similitudine. Oportebat enim eos qui synodum universalem præsentaverant, etiam canones ecclesiasticos exponere. Ut autem ad recordationem conversationis ejus in carne factæ, et salutaris mortis manu quodammodo ducamur, dixerunt et de venerabilibus iconis : et si per eas manu ducimur in dispensationem Christi Dei nostri, quales habemus æstimare illos qui subverterunt venerandas iconas ?

Sancta synodus dixit : Ut sine Deo, et Hebræos, et veritatis inimicos.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Sed bonus est Dominus Deus noster ad suscipiendum omnes nos : non enim relinquet virgam peccatorum super sortem justorum (*Psal.* CXXIV).

Leo sanctissimus episcopus Rhodi dixit : Ecce ostensum est ex divinis Scripturis, quia Ecclesia nostra tot annis impugnata est et dispoliata ; sed gratias agimus Christo Deo nostro, qui erexit sacratissimum Dominum nostrum ad erectionem ejus.

Petrus et Petrus Deo amabiles presbyteri, et locum retinentes Adriani papæ senioris Romæ, dixerunt : Librum habemus præ manibus beati Leontii Neapoleos Cypri, et postulamus legi eum.

Et accipiens Stephanus reverendissimus diaconus et notarius, legit :

Leontii episcopi Neapoleos Cypri, ex quinto sermone pro Christianorum apologia contra Judæos, ac de imaginibus sanctorum.

Eia nunc de cætero super veneranter pictis imaginibus apologiam faciamus, quo obstruantur ora loquentium injustitiam. Legalis enim est hæc traditio : et audi Deum dicentem ad Moysem : *Imagines duorum cherubim aureorum sculptilium construe, obumbrantium propitiatorium* (*Exod.* XXV). Et ite-

[a] Ex more Græcorum, qui Trullanos canones tribuunt sextæ synodo.

rum : Templum quod Deus ostendit Ezechieli, *Facies* [al., *habebat*], dixit, *palmarum et leonum et hominum, et cherubim a pavimento ejus usque ad laquear tecti* (*Ezech.* XLI). Vere terribilis sermo, qui mandat Israeli non facere omne sculptile, neque iconam, neque similitudinem eorum quæcunque sunt in cœlo, et quæcunque sunt super terram : et ipse præcipit Moysi facere sculptilia animalia, cherubim (*Exod.* XX, XXV), qui et Ezechieli plenum imaginibus et similitudinibus sculptilium, leonum, palmarum et hominum templum ostendit. Unde et Salomon ex lege accepta figura, plenum fecit templum æneis et sculptilibus et fusilibus leonibus, et bobus, et palmis, et hominibus (*III Reg.* VI, VII, 7) : et tamen non est in his reprehensus a Deo. Si igitur me reprehendere vis super imaginibus, reprehende Deum qui hæc facere jussit, ut in recordationem ejus essent apud nos. Judæus dixit : Sed non adorabantur illæ similitudines sicut dii, sed ad recordationem solam efficiebantur. Christianus dixit : Bene dixisti, quia et penes nos sicut dii non adorantur sanctorum characteres et iconæ vel formæ. Si enim ut Deum adorarem lignum imaginis, possem profecto et ligna reliqua adorare. Nam si ut Deum lignum adorarem, minime utique deleto charactere iconam incenderem. Et iterum, usquequo compacta sunt duo ligna crucis, adoro figuram propter Christum, qui in ipsa crucifixus est : postquam autem ab invicem separata fuerunt, projicio ea et incendo. Et sicut is qui jussionem imperatoris suscepit, et salutavit sigillum, non lutum adoravit, aut chartam, aut plumbum, sed imperatori adorationem et cultum impendit : ita et nos Christianorum pueri figuram crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, sed signum et annulum et characterem Christi, eum aspicientes, per eum illum qui in eo crucifixus est, salutamus et adoramus, et sicut pueri proprii patris cujusdam, qui peregre profectus est ad tempus ab illis, multo erga eum affectu ex anima flagrantes, sive virgam ejus in domo videant, sive sedem, sive chlamydem, hæc cum lacrymis deosculantes amplectuntur, et non illa adorant, sed patrem desiderant et honorant : ita et nos omnes fideles ut virgam Christi, crucem adoramus; ut sedem vero et cubile, ipsius sanctissimum monumentum; ut domum, præsepe et Bethlehem, et sancta ejus cætera tabernacula : porro ut amicos, ejus apostolos et sanctos martyres ac reliquos sanctos ejus : at vero ut civitatem ejus colimus Sion, ut autem villam ejus iterum Nazareth salutamus; atque ut divinum ejus lavacrum Jordanem amplectimur. Multa quippe et ineffabili erga ipsum affectione ubi ascendit, vel sedit, vel illuxit, vel tetigit, aut omnino obumbravit, colimus et adoramus ut locum Dei : non locum, neque domum, neque regionem, vel civitatem aut lapides honorantes, sed eum qui in illis conversatus est, et illuxit, et in carne innotuit, atque ab errore liberavit, Christum videlicet Dominum nostrum, et per Christum ea quæ sunt Christi, passionem in ecclesiis, et domibus, et plateis, et in imaginibus, et in sindonibus, et in penetralibus, et in vestimentis, et in omni loco formamus : ut incessanter aspicientes hæc commoneamur, et non obliviscamur, ut tu es oblitus Domini Dei tui. Et sicut tu adorans librum legis, non naturam pellium vel atramenti, quæ in ipso est, adoras, sed verba Dei quæ rejacent in eo : ita et ego imaginem Christi adorans, non naturam lignorum et colorum adoro (absit), sed inanimatum characterem Christi tenens, per eum Christum tenere spero [*Gr.*, mihi videor], et adorare. Et sicut Jacob acceptam a filiis suis tunicam variam et sanguinolentam Joseph deosculatus est cum lacrymis, et propriis oculis hanc circumposuit (*Gen.* XXXVII), et non vestimentum amans vel honorans, hoc fecit, sed per id æstimans Joseph osculari, et in manibus eum habere : ita et Christiani universi imaginem Christi vel apostolorum aut martyrum tenentes aut salutantes carne, anima ipsum Christum æstimamus vel martyrem ejus habitum retinere. Dic ergo mihi tu, qui opinaris nihil manu factum, vel nihil omnino creatum adorandum, nunquamne multoties muliere tua, vel filiis mortuis, tunicam, vel ornamentum ejus visum in cubiculo tuo osculatus es, et lacrymis illud infudisti, et in hoc non es condemnatus? Non enim ut Deum vestimenta adorasti, sed amorem per osculum circa illum ostendisti, qui hoc aliquando fuerat circumamictus. Nam et ipsi natos nostros et patres creatos existentes et peccatores multoties salutamus, et in hoc minime condemnamur : non enim ut deos salutamus eos, sed affectionem naturæ nostræ erga illos per osculum demonstramus. Ut ergo sæpe dixi, intentio exquiritur in omni salutatione, et omni adoratione. Porro si me accusas, quod quasi Dominum lignum adorem crucis, quare non calumniaris Jacob, qui adoravit super summitatem virgæ Joseph (*Hebr.* XI)? Sed manifestum est, quia non lignum videns adoravit, sed per lignum virgæ, Joseph; quemadmodum et nos per crucem Christum. Nam et impios homines qui vendiderunt sepulcrum, Abraham adoravit, et genu curvavit super terram (*Gen.* XXIII); sed non ut deos eos adoravit. Et rursus Jacob Pharaoni benedixit impio et idololatræ (*Gen.* XLVII), sed non ut Deo illi benedixit. Et iterum : Esau cadens adoravit (*Gen.* XXXIII), sed non ut Deum. Vidisti quot salutationes et adorationes demonstravimus tibi ex Scripturis, non habentes reprehensionem? Et tu quidem conjugem tuam fortassis et impudicam ac vitiosam per singulos dies osculans non reprehenderis, cum certe nusquam Deus tibi corporale osculum mulieri offerre præceperit. Quia vero me vidisti iconam Domini nostri Jesu Christi, vel immaculatæ Matris ejus, vel alterius cujuspiam justi salutare, indignaris et mox blasphemans salis, et nos idololatras appellas. Deinde non confunderis? dic mihi, non horrescis? non tremis? non erubescis, videns me in toto terrarum orbe templa idolorum destruere, et templa martyrum ædificare? Si idola

adorarem, cur martyres, qui destruxerunt idola, adoraremus [honoro]? Si ligna ut deos honoro et glorifico, quomodo honoro et glorifico martyres, qui lignea simulacra destruxerunt? Si lapides ut deos glorifico, quomodo honoro et adoro martyres et apostolos, qui contriverunt et perdiderunt lignea signa? quomodo honoro et laudo, et templa erigo, et festivitates celebro tribus pueris, qui in Babylone imaginem auream non adoraverunt (*Dan.* II)? Certe multa est iniquorum obduratio, vere multa est Judæorum cæcitas, multa impietas. Injuriam patitur ab eis veritas : Deus contumelias sustinet a lingua ingratorum Judæorum. Per reliquias martyrum et imagines multoties effugantur dæmonia : et hæc injuriis appetentes homines sordidi, subvertunt et illudunt atque derident. Quot, dic mihi, visitationes, emanationes [*Gr.*, obumbrationes], sed et frequenter sanguinum fluores ex iconis et reliquiis martyrum facti sunt? et insensati corde videntes non credunt, sed fabulas ac deliramenta hæc existimant; videntes taliter per singulos dies in toto pene terrarum orbe viros impios et iniquos, idolorum cultores et homicidas, et fornicatores, et latrones subito per Christum et crucem ejus compungi, et ad agnitionem veritatis venire, et mundo toti renuntiare, atque omnem operari virtutem. Dic mihi, quomodo sumus idololatræ, qui et ipsa ossa, et cinerem, et pannos, et sanguinem, et tumulum martyrum ideo adoramus et honoramus, quia idolis non sacrificarunt? Judæus dixit : Et quomodo per totam Scripturam præcipit Deus non adorari omnem creaturam? Christianus dixit : Dic mihi, terra et montes, creaturæ Dei sunt? Qui ait : Utique. Christianus dixit : Quomodo ergo docet inquiens : *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est* (*Psal.* XCVIII)? Et iterum ipse dixit : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum* (*Isa.* LXVI)? Judæus dixit : Sed non ut deos, sed per hæc eum qui fecit, adoras. Christianus dixit : Fidelis sermo; ergo scito, quod et ego per cœlum, et terram, et mare, et ligna, et lapides, et lipsana, et templa, et crucem, et per angelos, et homines, atque per omnem creaturam visibilem et invisibilem, soli cunctorum Conditori, Dominatori et Creatori adorationem et culturam offero. Non enim creatura per seipsam factorem adorat, sed per me cœli enarrant gloriam Dei, et per me adorat Deum luna, et per me glorificant Deum stellæ, per me aquæ, imbres, rores, et omnis creatura per me adorat et glorificat Deum (*Psal.* XVIII). Et quemadmodum regis cujusdam benigni, qui coronam variam et pretiosam sibi propria manu paravit, omnes qui germane adhærent regi, salutant coronam et honorant : non aurum et margaritam honorantes, sed verticem regis honorantes, et sapientissimas manus ejus, quæ coronam struxerunt : sic, o homo, Christianorum populi quotquot figuras crucis et iconarum salutant, non ipsis culturam lignis, vel lapidibus offerunt, vel auro, vel corruptibili imagini, vel arcæ, vel reliquiis, sed per ea Deo et ipsorum et cunctorum Creatori gloriam et salutationem et cultum impendunt. Honor enim qui sanctis ejus impenditur, ad eum recurrit; sicut e contra quidam imagines imperiales demolientes, principem offenderunt, et non ipsam tabulam. Imago igitur Dei est, qui ad imaginem Dei factus est homo, maximeque quia eum Spiritus sanctus habitationem accepit. Ergo juste qui imaginem Dei servorum honorat et adorat, etiam domum Spiritus sancti glorificat. *Inhabitabo enim in ipsis*, inquit, *et inambulabo* (*Levit.* XXVI; *II Cor.* VI). Confundantur Judæi, qui reges proprios et alienos adoraverunt, potius quam Christianos pronuntient idolatras. Nos autem Christiani per omnem civitatem et regionem, et per omnem diem et horam contra idola armamur, contra idola psallimus, contra idola scribimus, contra idola ac dæmones oramus. Et quomodo idololatras nos appellant Judæi? Ubi enim nunc sunt exhibita idolis ab eis sacrificia ovium et boum et filiorum? Ubi nidores, ubi aræ et perfusiones [profusiones] sanguinum? Porro nos Christiani neque aram, neque sacrificium qualiter vel quid sint, novimus. Et quidem pagani ab adulteris hominibus et homicidis et pollutis templa nominabant et idola, et illos deificabant : non autem prophetarum, vel sanctorum martyrum templum, vel aram nominaverunt. Sicut enim Israelitæ qui Babylone fuerunt, habebant organa et citharas, et alia quædam, quemadmodum et Babylonii; et alia quidem in gloriam Dei, alia vero in culturam dæmonum : ita et de imaginibus gentilium et Christianorum intelligamus, quia illi quidem in servitutem diaboli, nos autem in gloriam et memorationem Dei. Verumtamen et multa miracula Deus per lignum audire fecit, lignum vitæ et lignum scientiæ nominans (*Gen.* II) : et aliud virgultum nominans Sabec, indulgentiam ponit. Deinde virga Pharaonem operuit, mare scidit, aquam dulcem fecit, serpentem exaltavit, petram dirupit, aquam protulit, lignum germinans in tabernaculo Aaron sacerdotium confirmavit (*Exod.* XIV *et seqq.*). Sic et Salomon ait : *Benedictum est lignum, per quod justitia fit* (*Sap.* XIV). Sic et Elisæus ligno in Jordanem jacto (*IV Reg.* VI), ferrum in typum Adæ quasi ex inferno reduxit : sic præcipit puero suo per virgam suscitare puerum Sunamitidis (*IV Reg.* IV). Deus ergo, qui per tot ligna miracula operatus est, non potest, dic mihi, mira facere etiam per pretiosum lignum sanctæ crucis? Si impium est adorare ossa, quomodo cum omni honorificentia detulerunt ossa Joseph ex Ægypto (*Gen.* L; *Exod.* XIII)? quomodo mortuus homo ossa Elisæi tangens surrexit (*IV Reg.* XIII)? Porro si per ossa miracula operatur Deus, perspicuum est, quod possit etiam per imagines, et per lapides, et per alia multa. Nam et Abraham non permisit sepeliri corpus Saræ in monumentis alienis, sed in proprio sepulcro causa honoris (*Gen.* XXIII). Nam et Jacob honorat per lapidem Deum, statuens et ungens eum in typum Christi angularis lapidis (*Gen.* XXVIII). Et

item acervum lapidum in Laban nominavit testem (*Gen.* XXXI). Et Jesus Nave duodecim lapides statuit in recordationem Dei (*Jos.* IV). Si enim essent tibi, o Judæe, in templo tuo duo cherubim illi, qui obumbrabant propitiatorium, sculpti, et intrasset quisquam paganus idolorum cultor, et visis his arguisset Judæos quasi et ipsos adorantes simulacra, quid putas haberes, dic mihi, respondere illi de duobus cherubim fusilibus, et bobus, et palmis, et leonibus, qui erant in templo sculpti? Nihil haberes utique verum ad eum dicendum, nisi hoc: quia non ut deos habemus ea in templo, sed ad recordationem Dei et gloriam istos cherubim habemus in templo. Si ergo hæc ita se habent, quomodo me super iconis accusas? Sed dicis mihi, quia Deus Moysi præcepit facere in templo sculptilia (*Exod.* XXV); et ego hoc dico: Sed Salomon hinc directus etiam plura in templo construxit (*III Reg.* VI), quæ neque ei Deus præcepit, neque tabernaculum testimonii habuit, neque templum quod Ezechiel ex Deo contemplatus est (*Ezech.* XL, XLI); et non est in hoc Salomon reprehensus: in gloriam enim Dei hujusmodi formas construxit, quemadmodum et nos. Habuisti autem tu, o Judæe, et alia quædam in memoriam et gloriam Dei, videlicet virgam Moysi, fabrefactas divinitus tabulas, incombustum rubum, aridam et irriguam petram, manna gestantem urnam, arcam, altare, Dei nominis laminam, Deum manifestans ephod, Deo habitabile tabernaculum. Utinam et tu prius hæc adorans vacasses, et invocans eum, qui est super omnia Deus, et ipsum memorasses per has pusillas iconas et figuras, et non vitulum et muscas haberes super tabulas a Deo patratas. Utinam sanctum ac aureum altare desiderasses et tu, et non vaccas Samariæ. Utinam et virgam quæ germinaverat, et non Astartem, quæ desolavit civitatem tuam. Utinam divinitus imbrem dantem petram salutavisses, et non Baal deum tuum. Sed ideo hæc omnia non adoras, prisce Israel, quia non dilexisti Deum ex toto corde. Qui autem diligit amicum, aut imperatorem, et præcipue benefactorem suum, sive filium ejus videat, sive virgam, sive sedem, sive coronam, sive domum, sive servum, tenet, osculatur, et honorat per ista bene meritum, et maxime Deum. Cum ergo videris Christianos adorare crucem, scito quia crucifixo Christo adorationem offerunt, et non ligno. Nam si naturam ligni coluissent, profecto et arbores et nemora adorassent: sicuti et tu quondam, Israel, adorabas hæc, dicens arbori et ligno: Tu es deus meus, et tu me genuisti (*Jer.* II). At nos iterum non sic dicimus cruci, neque figuris sanctorum: Dii nostri estis; non enim sunt dii nostri, sed similitudines et imagines Christi et sanctorum ejus, ad recordationem et honorem, et decorem ecclesiarum propositæ ac adorandæ. Qui enim honorat martyrem, Deum honorat: et qui matrem ejus adorat, ipsi honorificentiam exhibet. Et qui apostolum honorat, illum qui misit, honorat. Utinam et tu Mosaicas iconas faceres, et propheticas, atque per singulos dies in eis adorares Dominum et Deum ipsorum, et non imaginem auream Nabuchodonosor. Et quomodo non confunderis contra me commotus, et elevatus super imaginibus, et cruci calumniam inferens? Si Abraham idololatras adoravit, et Moses Jethro idololatram, et Jacob Pharaonem, et Daniel Nabuchodonosor: si isti cum essent prophetæ ac justi, propter quædam beneficia adorabant eos super terram idololatras existentes, in me efferris adorantem crucem et characteres sanctorum, ex quibus dena millia bona a Deo per eos percipio? Qui enim regem timuerit, non inhonorat filium ejus. Et qui Deum timet, honorat utique, et colit, ac adorat ut Filium Dei Christum Dominum nostrum, et figuram crucis ejus, et characteres sanctorum ejus. Quia ipsum decet gloria cum Patre ac Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit: Hic qui lectus est pater, in una urbium Cypri decore sacratissimo claruit, et multa præconia, et festivos sermones ejus habemus, cum quibus est etiam sermo ejus in transfigurationem Salvatoris nostri. Conscripsit autem et Vitam sancti Joannis archiepiscopi Alexandriæ cognomento Eleemonis, id est misericordis, quin et sancti Symeonis simplicis, et alia quædam; atque in omnibus sermonibus suis orthodoxus cernitur. Floruit autem temporibus Mauricii imperatoris.

Joannes Deo amabilis presbyter, et vicarius apostolicæ sedis Orientis, dixit: Quia vero hæc ita se habent ad gloriam prædicti Patris, manifestum est. Vicarii quippe sanctissimi papæ attulerunt ejus librum sanctæ synodo; et maxime, quia latius demonstravit sacrarum imaginum receptionem.

Item Joannes Deo amabilis presbyter et vicarius apostolici throni Orientis, librum ostendens synodo, dixit: Librum istum, honorabiles patres, in regia urbe reperi apud dominum Procopium silentiarium: et invento valde gavisus sum, quoniam exemplar ejus habemus in Oriente simillimum. [a] Docet autem in eo beatus Anastasius de diversa adoratione; et si jubet sancta synodus, legatur.

Sancta synodus dixit: Legatur.

Et accipiens Stephanus reverendissimus monachus legit:

Sancti Anastasii episcopi Theopoleos epistola ad quemdam scholasticum, per quam respondit ei ad illatam sibi ab eo aporiam [b] *cujus initium est.*

Si tantum interroganti sapientiam sapientia reputabitur. Et post aliqua: Et nemo offendatur adora-

[a] In cod Jolyano. *S. hic Anastasius Theupoleos, id est Antiochiæ, fuit episcopus; cui S. papa Gregorius sæpe amabiliter scripsit, et inter alia, quod librum suum de vastorali Regula interpretatus fuerit, et imperatori obtulerit, meminit.*

[b] Ex eodem codice: *inopia, confusio, defectio, solutio, reverentia, turbatio et terror, ut priores ostendunt interpretes.*

tionis significatione. Adoramus enim homines et angelos sanctos, non tamen servimus illis. *Dominum* enim, inquit Moyses, *Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, *Matth.* IV) : et vide quomodo in eo quidem quod dixit, *servies*, præposuit, *soli* : in eo vero quod ait, *adorabis*, nequaquam ; itaque adorare quidem licet : honoris quippe indicium est adoratio ; servire autem nequaquam : ergo nec orare. Hæc quidem dicet aliquis interim ad primum. Secundus autem multorum opinionibus subjicitur, nondum interioris percepta lectionis perítia.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Videamus de adoratione quid dicat Pater.

Sancta synodus dixit : Diversitatem adorationis ostendit. Dixit enim, quia *Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies.* In hoc quod dixit, servies, posuit, solum ; in adoratione vero, nusquam : porro pseudosyllogus ille hunc locum in suam accipit quasi justificationem. Evidens tamen est, quod impie hoc assumpserit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Sed vide qualiter sanctissimus [sapientissimus] Pater id interpretetur. Quod autem in medio posuit, valde nos omnes et eos qui contentiosius adversantur, ad imaginum receptionem ac adorationem deducit. Honoris quippe est indicium adoratio. Cuncti ergo, qui sacras imagines se profitentur honorare, et adorationem recusant, convincentur a sancto Patre, quod in hypocrisi hoc dicant. Re enim vera qui adorationem non suscipiunt, quod est honoris indicium, contrarium noscuntur facere, id est inhonorare.

Leo sanctissimus episcopus Phociæ dixit : Opportunum est prophetice dicere : *Convertisti planctum meum in gaudium mihi : concidisti saccum meum, et præcinxisti me lætitia* (*Psalm.* XXIX). Converterunt enim divinæ Scripturæ intellectus nostros ab omni impietate, et repleverunt nos divina scientia et disciplina.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri librum tradidit sancti Anastasii episcopi Theopoleos : quem susceptum Stephanus diaconus et notarius legit :

Sancti patris nostri Anastasii ad Symeon episcopum Bostræ, sermo de sabbato, cujus initium est :

Si patres oportet, secundum quod dictum est, et sicuti ipse fateris, interrogare, necnon et seniores. Et post pauca : Sicut enim dum diligitur [*Gr.*, abest] imperator, imago ejus pro ipso adoratur : cum vero jam præsens fuerit, superfluum est deserto primitivo adorare imaginem. Ergo quia non [*Gr.*, non tamen quia] adoratur, eo quod præsto sit is propter quem adoratur, inhonorari eam oportet. Et post pauca : Sicut enim qui contumeliam infert imagini imperatoris pœnam justam perpetitur, ac si eidem imperatori contumelias irrogasset ; quanquam imago nihil aliud sit quam lignum et colores ceræ commisti et temperati : eodem modo qui figuram aliquis inhonorat in eumdem ipsum, cujus figura est, refert injuriam.

Joannes reverendissimus monachus, presbyter et vicarius Orientalium principum sacerdotum dixit : Ostendit Pater, quod absente imperatore imago ejus honoratur : alioqui inhonoratur [*Gr.*, non tamen eo præsente inhonoratur]. Ita et nunc dominatore omnium Jesu Christo sensibiliter nobis absente (invisibilis est enim carnis nostræ oculis, at vero sicut Deus ubique adest), ergo honoranda ejus imago est, quemadmodum et Pater intellexit.

Gregorius reverendissimus monachus et hegumenus monasterii Hormisdæ, obtulit librum sancti Sophronii : quem accipiens Stephanus reverendissimus monachus legit.

Sancti patris nostri Sophronii archiepiscopi Hierosolymorum laus in sanctos Cyrum et Joannem.

Alii quidem aliter sanctos honorificent, multifarie dona eorum divulgantes, et beneficia multimode prædicantes : alii quidem templorum excelsorum erectionibus, alii vero variorum marmorum ornamentis, alii autem deauratorum musivorum compositionibus : alii splendidis pictorum artificiis, et aureis : alii etiam argenteis monumentis : porro alii sericis et bombycinis [bambacinis] texturis : et ut semel absolute dicamus, omnes in honorem martyrum satagant, ut unicuique facultas et voluntas suppeditat : et invicem in his vincere gestiant, circa sanctos unitum [*Gr.*, suum] affectum demonstrantes et exhibentes, pro corruptibilibus quidem immarcescibilia, et pro temporalibus terminum non habentia præstolantes. Talibus enim suos amatores egregii recompensare consueverunt.

Ex eadem conscriptione ejusdem Patris ac sanctorum eorumdem miraculo [*tricesimo sexto*], *cujus initium est.*

Alexandriam Ægypti et Libyæ audio metropolim. Et post alia : Venientes ergo ad templum quoddam perfectum, specie quidem terribile et præclarum, altitudine vero ad cœlum ipsum pertingens : quod intrantes maximam imaginem et admirabilem videbamus, in medio quidem Dominum Christum pictum coloribus habentem, Christi autem Matrem et Dominam nostram Dei genitricem et semper Virginem Mariam sinistrorsum, et dextrorsum Joannem Baptistam et præcursorem ejusdem Salvatoris, qui ex utero eum exsultationibus prænuntiavit [*Luc.* I] (nam et loquens cum esset intus, non audiebatur), et quidam ex apostolorum et prophetarum glorioso choro, et martyrum cœtu : cum quibus et aderant ipsi Cyrus et Joannes martyres, qui ante imaginem stantes, Domino procidebant genua incurvantes, et capita in pavimentum ferentes, et pro juvenis medela intercedentes. Et post alia : Et ad imaginem tertio venientes, præmissis modis utebantur et verbis. Et cum hora multa deprecarentur, et deorsum jacentes, Jube, Domine [Si jubes], tantum clamarent : Christus miseratus, ut revera misericors, annuit : et, Date ei, per imaginem fatus est ; et de humo exsurgentes martyres, primo quidem gratias agebant Christo Deo nostro, qui eorumdem deprecationem exaudierat :

deinde gaudentes et tripudiantes, ecce, aiunt, nobis [aiunt nobis : *melius* mihi] donavit gratiam Deus. Ingredere itaque Alexandriam, et in magno Tetrapylo jejunus dormi : et modico olei de candela, quæ sursum ante imaginem Salvatoris ardet, accepto in ampulla parva, rursus jejunus ad ista perveniens, etiam hoc pedibus unctis, donum sanitatis habebis. Et post alia : Ipse autem surgens post exstinctionem candelæ sumit oleum, et ad sanctorum pervenit templum : ubi sicut jussus fuerat, manus et pedes unxit; et continuo languorem deposuit, et incolumitatem recepit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Omnia recipienda esse fatetur, et pictorum et reliquarum artium monumenta, ad decorem sacrarum domorum.

Thomas reverendissimus monachus, presbyter ac vicarius Orientalium principum sacerdotum, dixit : Hæc imago, honorabiles Patres, Alexandriæ in Tetrapylo [a] stat usque nunc, et diversas infirmitates curat.

Sancta synodus dixit : Gloria Deo, qui etiam per sacras imagines miracula perficit!

Eustathius reverendissimus monachus, presbyter et abbas monasterii Maximini [Maximi], dixit : Et ego, sancti Patres, librum fero ejusdem Patris, conscriptionis habentem Vitas multorum sanctorum virorum; et sicut placuerit cœtui vestro.

Sancta synodus dixit : Legatur.

Et accipiens Stephanus monachus legit.

Ejusdem Patris nostri Sophronii ex libro Prato.

Dicebat abbas Theodorus Æliota, quia quidam inclusus erat in monte Olivarum, valde certator. Impugnabat autem eum dæmon fornicationis. Quadam ergo die cum immineret ei vehementer, cœpit senex lamentari, et dicere dæmonio : Usquequo non parcis mihi? recede jam a me, consensisti mihi. Apparet ei dæmon visibiliter, dicens : Jura mihi, quod nemini dicas, quod dicturus sum tibi; et ultra te non impugnabo. Et juravit ei senex, quod per eum qui in altissimis habitat, nemini dicam, quæ mihi dixeris. Tunc dicit ei dæmon : Ne adores hanc imaginem, et te amplius non impugnabo. Habebat autem imago effigiem dominam nostram sanctam Mariam Dei genitricem, portantem Dominum nostrum Jesum Christum. Dicit inclusus dæmoni : Sine ut mecum tractem. In crastinum autem nuntiat hoc abbati Theodoro Æliotæ, qui tunc habitabat in laura Pharorum. Et venit, cui omnia indicavit. At vero senex dicit incluso : Sic, abba, illusus es, ut dæmoni jurares? Verumtamen bene fecisti hoc dicere. Expedit autem tibi potius, ut non dimittas in civitate ista lupanar, in quod non introeas, quam ut recuses adorare Dominum et Deum nostrum Jesum Christum cum propria matre sua in imagine. Confirmato ergo eo, et confortato multis sermonibus, abiit in prorium locum suum. Apparet itaque rursus dæmon incluso, et dixit ei : Quid est, male senex? non jurasti mihi, quod nemini diceres? et quomodo cuncta dixisti ei qui venit ad te? Dico tibi, maligne senex, ut perjurus habes judicari in die judicii. Respondit ei inclusus, dicens : Quia [*Gr.*, Quod] juravi quidem, juravi : et quia perjuravi, scio. Verumtamen minime [*Gr.*, meum] Dominum et factorem perjuravi : te autem non audio.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Quemadmodum aurea monilia, ita sunt deiferi Patres nostri, concordantes in adoratione sacrarum imaginum.

Joannes reverendissimus monachus, presbyter et vicarius Orientalium pontificum, dixit : Et aliud significat sermo Patris nostri Sophronii, quia expedit ei qui juravit, magis perjurare, quam omnino servare jusjurandum in destructionem venerabilium imaginum. Hoc autem dicimus, quoniam quidam hodie excusant se propter juramentum.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Quoniam sciebat bonitatem Dei, quia pœnitentes suscipit, ideo disposuit transgredi impium juramentum. Et nunc qui in hæresi ista juraverunt, si quidem aliud peccatum non fecerunt, rationabilis eis est excusatio, et non habent quod dicant : nam si in alia peccata incidunt, debent Deum placare, et obsecrare de remissione illiciti juramenti.

Theodorus sanctissimus episcopus Subritensium dixit : Princeps apostolorum Petrus negavit, sed acta pœnitentia receptus est (*Matth.* XXVI).

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Herodes non perjuravit, sed periit. At vero Petrus negavit cum juramento : deinde foras egressus et lacrymatus, salvus factus est. Omne quippe peccatum benignus Deus ignoscit, si ex tota anima quis pœnitentiam gesserit.

Sancta synodus dixit : Etiam, Domine; sic nos sancta Scriptura docet.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Primus theologiæ princeps, sanctus videlicet Joannes ait : *Nos, filioli, si dixerimus, quia peccatum non habemus, mendaces sumus* (*I Joan.* I). Si ergo rogaverimus Deum pro peccatis nostris, propitius nobis sit, et dimittit delicta nostra.

Nicephorus sanctissimus episcopus Dyrrachii dixit : Pudore multo detinemur, Domine, quia plurima mala egimus, et compendiosam pœnitentiam et confessionem precamur.

Leo sanctissimus episcopus Phociæ dixit : Scriptum est, quia juramentum mendax ne diligatis (*Zach.* VIII) : et hujus rei gratia mendax juramentum nostrum parvipenditur, tanquam nullam fortitudinem habens.

Joannes Deo amabilis presbyter et vicarius Orientalium pontificum dixit : Si jubetis nunc, quærantur illa quæ de juramento sunt.

[a] Addit Anastasius aut quis alius in ms. Jolyano : *Est ædificium quatuor vartes* corr. arbitror, *portas*]

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Jam quæ ad id pertinent, dicta sunt. Si quid autem amplius est, in alia examinatione requiratur. Nunc autem proposita exsequamur.

Theodosius Deo amabilis diaconus et notarius legit :

Ex miraculis sanctorum Cosmæ et Damiani.

Alius quidam vir clemens valde, fistulam habens in femore, et multis usus medicamentis, ita ut sese etiam gladiis medicorum traderet, per annos circiter quindecim miseriis afflictus est in passione, a qua superatus amplius crevit languor, quadrati oris effectus, et superjacente rheumate fatigatus : frequenter etiam immisso corpori potu inde profluente [*Gr.*, amp. auxit languorem, q. o. effectum et rheuma quod inerat, emittentem], medicisque dicentibus, quod languor ita dominaretur ei, ut non posset manus hominis inveniri, quæ passioni auxiliaretur. Postposuit [*Gr.*, Desperavit] ergo se vir, et accepit a multis consilium, ut ad sanctorum Dei famulorum Cosmæ et Damiani sanctificatam pergeret domum. Et cum hoc facere voluisset (multas enim habet voluntates [*Gr.*, multa consilia] necessitas) videt sanctos in somnis dicentes sibi : Veni ad nos, et sanaberis. Fiducia ergo accepta per exhortationem sanctorum, pervenit ad gloriosam eorum domum; et per singulos dies non cessavit obsecrare, ut liberaretur a passione. Porro cum permansisset anno, et nullam visitationem fuisset adeptus, in fine egressus liminare, quod appositum erat domui sanctorum, et intuens in imaginem Salvatoris, quæ posita erat in dexteriori porticu (picta vero erat in ea tam sancta Maria Dei Genitrix, quam sancti famuli Christi Cosmas et Damianus, et quidam ex magnis viris, Leontius nomine) deprecationibus factis prolixis, flevit per multas horas amare; atque obsecratis sanctis, abiit in locum cubiculi sui. Et aspicit per noctem venientes ad se famulos Christi Cosmam et Damianum, mediam habentes gratia plenam Virginem, et dicentem sibi [*Gr.*, ipsis] : Ecce iste est, adjuvate eum velociter.

Item ipse levit ex eisdem miraculis. De uxore Constantini Laodicensis.

Contigit quemdam virum fidelissimum, qui in militia exercebatur, nomine Constantinum, qui gloriosorum sanctorum Cosmæ et Damiani patrocinium sedulus implorabat, profectum fuisse ab hac amabili Christo regia civitate, causa injunctæ sibi militiæ. Qui in unaquaque peregrinatione sua, in fide deferebat effigiem sanctorum in parva imagine ad proprium munimentum. Cum autem pervenisset ad Laodicensium civitatem, quæ cognominata est Trimetria [*Gr.*, Trimitaria, *seu* Trimitania, *al.*, Trimetaria], ibique moratus esset occasione commissi sibi præcepti aliquo tempore, nuptias legitimas assecutus est. Paucis vero diebus transactis, uxor quæ huic fuerat nupta infirmata in maxilla sua sinistra, et apostema faciens, ac a doloribus acriter agitata, non mediocres A viro ingerebat labores. Qui consolatus est mulierem suam, multum habens sanctorum experimentum. Porro oblitus, quia secundum consuetudinem suam eos secum deferret, dicebat ei : Quid tibi faciam? hospes sum. Si enim in civitate mea essem, sumerem cerotem dominorum meorum Cosmæ et Damiani, et statim dolores tui quiescerent, et infirmitas curaretur. Quæ cum esset fidelis, ad sanctorum celerem sanitatem [*Gr.*, sanationem] admirata oravit, quo digna fieret post reversionem suam in gloriosa eorum et famosa domo adorationem ipsorum adire. Nam et ex solo auditu compuncta præ amore quem circa sanctos habebat, conticuit; somnoque detenta postera nocte aspicit magnos hos et terribiles medicos et famulos Christi Cosmam et Damianum schemate quo erant depicti, stantes ad stratum suum, et dicentes sibi : Quid habes? quid certas? quid tribulationes infers viro tuo? hic sumus vobiscum, nihil tibi curæ sit. Quibus ad eam dictis recesserunt. Illa vero evigilans interrogabat conjugem suum, sciscitari ab eo volens habitus gloriosissimorum sanctorum Cosmæ et Damiani, vel qualiter pingerentur, et in quo ordine ipsorum ad infirmitates fieret exhibitio. Cumque maritus ei habitum indicasset, et eorum schemata [charismata] enarrasset, illa eidem conjugi suo eorum formis expositis, et cætera quoque sibi a sanctis in visu dicta narravit. Cæterum et vir in recordationem ex narratione veniens, quod haberet sub axilla sua sanctorum in imagine parva effigiem, eluctam protinus uxori monstravit. At illa cum vidisset, eam adoravit, et cognovit, quod vere secum ibidem degerent sancti secundum vocem ipsorum [*Gr. add.* et statim liberata est femina morbo].

Joannes reverendissimus presbyter, et monachus, ac vicarius Orientalium pontificum, dixit : Ostensum plane nobis est, quia et per imagines apparent sancti miracula facientes. Per imaginem enim manifesti sunt mulieri, sanantes eam.

Manzo sanctissimus episcopus Pracanensium dixit : Postquam recessi anno præterito a regia urbe, et veni ad servilem civitatem vestram, in qua dego, infirmitatem incurri sævissimam, ita ut propinquos colligerem ad faciendum testamentum. Et in his languore comprimente, attuli augustissimam imaginem Salvatoris nostri Jesu Christi, et dixi : Domine, qui das gratiam sanctis tuis, visita me. Et mox ut posui eamdem colendam imaginem in membrum quod patiebatur, confestim expulsus est languor, et restitutus sum sanus.

Exsurgens autem Theodorus sanctissimus episcopus Seleuciæ dixit : Et nobis innotuit hoc; juxta nos enim est.

Item Theodorus [*Gr.*, Theodosius] diaconus et monachus, et vasorum custos venerabilium patriarchalium oratoriorum, legit :

Ex eisdem miraculis, de muliere tortionem habente.

Bene sapientissimus Paulus, columna et magister

Ecclesiæ, clamat, quia spes non confundit, et quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris (*Rom.* v). Hanc spem possidens una fidelis mulier, et a sævis infirmitatibus eruta diverso modo per gloriosos sanctos Cosmam et Damianum, sine oblivione cum gratiarum actione faciebat erga illos memoriam, crebrius ad hanc mirabilem eorum domum accedens, et debitum honoris eis persolvens : et ut compendio dicam, per singulos dies, magnos et admirabiles sanctos Cosmam et Damianum habens in mente non satiabatur, sed in omni pariete domus suæ hos depingebat, insatiabilis ex visione eorum existens. Unde et ex eminente amore suo hoc agebat [*Gr.*, egit] : et nemo suspicetur hoc, o fideles [*Gr.*, incredibile] : sine accusatione quippe super utilitate animæ ubique quod non creditur [*Gr.*, accusatione quippe digna s. u. a. u. incredulitas], judicatur. Hanc contigit interioribus doloribus ac incessabilibus infirmatam in propria domo comprimi, volutarique in lecto indesinentem habentem dolorem ; et nec una dilatio cruciatuum erat in ea. Taliter autem accidente, solam contigit hanc ad modicum inveniri. Cum autem vidisset se periclitantem, tracta descendit de strato, et appropinquans loco, in quo in pariete erant depicti sapientissimi sancti isti, fide sua pro baculo utens, et erigens semetipsam, ungulisque manuum suarum radens ex unctione [*id est*, linimento], ac mittens in aquam, bibit temperatum : et continua sana facta est, doloribus qui erant in illa, cessantibus sanctorum adventu. Quæ postquam sana facta est, venit in hanc magnam domum, gratias agens Domino Deo, qui dedit tanta charismata sanctis suis : et narravit omnibus curationem quæ sibi facta fuerat per sanctos in hujusmodi habitu.

Symeon, reverendissimus monachus et hegumenus regionis, tradidit librum : quem suscipiens Niceta Deo amabilis diaconus et notarius venerabilis patriarchici secreti, legit :

Sancti Patris nostri Joannis Chrysostomi sermo in lavationem quintæ feriæ.

Omnia facta sunt propter gloriam Dei et usum nostrum. Nubes ad imbrium ministerium, terra ad fructuum abundantiam, mare ad mercatorum copiam. Omnia tibi ministrant, imo autem imagini Dei. Nam quando imperiales characteres et imagines in civitatem introducuntur, obviam veniunt principes et vulgus cum laudatione, non tabulam honorantes, neque perfusam cera picturam, sed characterem imperatoris : sic creatura non terrenum habitum, sed cœlestem figuram veneratur.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Libri qui lecti sunt, de templo sanctorum Anargyron [a] sunt, quod est in divinitus conservanda regia urbe. Porro clerici, qui inde sunt, detulerunt eos ad nos, et adjuraverunt nos, ut legeremus illos in sancta synodo.

[a] Anast. in cod. Jolyano : *SS. Cosmas et Damianus jure Anargyri dicuntur, qui absque argento sive pecunia medicabantur.*

Sancta synodus dixit : Et oportebat illos, Domine, legi : ad utilitatem enim omnium nostrum allati sunt :

Petrus, reverendissimus sector ac notarius venerabilis patriarchii, legit :

Sancti Athanasii ex sermone quarto contra Arianos, cujus initium est :

Ariani, ut apparet, semel judicaverunt prævaricatores fieri. Et post alia : Hoc et a paradigmate imaginis imperatoris attentius quis considerare poterit. In imagine quippe imperatoris species et forma est : in imperatore vero eadem quæ in imagine species est. Parilis autem est in imagine imperatoris similitudo : ita ut qui videat imaginem, in ea imperatorem cernat ; et rursus qui viderit imperatorem, cognoscat quod hic sit, qui in imagine est. De eo vero, quia non mutetur similitudo, volenti præ imagine [*Gr.*, *et ms. Jol.* post imaginem] videre imperatorem, imago dixerit : Ego et imperator unum sumus. Ego enim in illo sum, et ille in me. Et quod aspicis in me, id et in illo vides : et quod intuitus est in illo, hoc vides in me. Qui ergo adorat imaginem, in ipsa adorat imperatorem. Illius enim forma et species est imago.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Ipsa rerum natura docet, quia imaginis honor ad principale refertur : similiter autem et inhonorantia. Pater autem nunc in exemplum sumpsit quæ lecta sunt.

Epiphanius Deo amabilis diaconus ecclesiæ Catanæ, et locum retinens Thomæ reverendissimi episcopi Sardiniæ, dixit : Paradigmata in manifestis accipiuntur, quemadmodum et deiloquus Pater imperatoris imaginem.

Niceta reverendissimus diaconus et notarius, legit :

Sancti Basilii de triginta capitulis ad Amphilochium scriptis de sancto Spiritu, capitulo decimo septimo.

Quia rex dicitur et regis imago, et non sunt duo reges. Nam neque imperium scinditur, neque gloria dividitur. Sicque enim principatus noster, qui nobis imperat, et potestas una est, et [*Gr. add.* ita et laus quæ a nobis datur, una est et] non multæ, eo quod imaginis honor ad primitivum transeat.

Joannes reverendissimus presbyter et locum retinens Orientalium summorum sacerdotum, dixit : Librum hunc quem præ manibus habemus, nobiscum detulimus ab Oriente, et poscimus recitari.

Constantinus reverendissimus diaconus et notarius legit :

Sancti Basilii sermone contra Sabellianos, et Arianos, et Anomœos, [b] *id est dissimiles, cujus initium est :*

Impugnat Judaismus paganismum, et uterque Christianismum. Et post alia : Sed veritatis ratio utrimque adversantia refugit. Ubi enim unus est principatus [*Gr.*, unum principium], et unum quod

[b] Hoc glossema abest a cod. Jolyano.

ex eo est, et unum quidem est principale, una vero est imago, unitatis ratio non corrumpitur; pro eo quod genitus ex Patre Filius existat, et naturaliter in se Patrem figuret. Ut imago quidem est, incommutabilitatem habet: ut autem genimen, substantiam unam salvat. Neque enim qui in foro imperatoriæ imagini intendit, et imperatorem dicit eum qui in tabula est, duos imperatores confitetur, imaginem scilicet, et cujus est imago. Neque si ostendens tabulam pictam, dixerit, hic est imperator, privavit principale imperatoris appellatione, cum magis illi honorem stabiliat per hujus confessionem.

Joannes reverendissimus presbyter, monachus et vicarius Orientalium pontificum, dixit: Pseudosyllogum illud susurravit, quia qui adorat imaginem, dividit Christum in duo: et qui videt imagines, et dicit vel superscribit, quia hic est Christus, dividit Christum: quod stultissimum est. Deifer enim Basilius, utpote luminare et magister existens Ecclesiæ Dei, et Spiritu sancto divina initiatus, ait, quia imaginis honor ad primitivum pertransit: et qui imagini imperatoris intendit, videt in ea imperatorem? qui autem adorat eam, non duos imperatores adorat vel videt, sed unum imperatorem. Dixit namque Pater lucide, quia imperator dicitur et imperatoris imago, et non duo imperatores. Itaque qui adorat imaginem, et dicit, quia hic est Christus Filius Dei, non peccat. Manifestum autem est, quia Christus est verus Dei Filius, et Patri confessor in cœlis, et eum proprio corpore suo: sed per imaginem quæ de coloribus facta patet, adoratur imperium ejus, et glorificatur, et in memoriam venimus ipsius præsentiæ, qua in terra conversatus est. Unde et hic Pater ostendit non duas adorationes, sed unam esse et imaginis et principalis, cujus imago est.

Petrus et Petrus Deo amabiles presbyteri ac vicarii Adriani papæ senioris Romæ, attulerunt librum: quem accipiens Demetrius Deo amabilis diaconus, et vasorum custos sanctissimæ magnæ ecclesiæ, legit:

Sancti Patris nostri Basilii ex epistola ad Julianum transgressorem.

Secundum immaculatam fidem Christianorum, quam divinitus sumus sortiti, confiteor et polliceor credere in unum Deum Patrem omnipotentem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum: unum Deum tria adoro et glorifico. Confiteor autem incarnatam Filii dispensationem, et Dei genitricem sanctam Mariam, quæ illum secundum carnem peperit. Suscipio autem et sanctos apostolos, prophetas et martyres: et ad supplicationem, quæ est ad Deum, hos invoco; ut per eos, id est interventionem eorum, propitius mihi sit misericors Deus, et culparum mihi redemptio fiat, et detur. Unde et characteres imaginum eorum honoro et adoro, præcipue cum hoc traditum a sanctis apostolis, et non prohibitum sit: quin et in omnibus ecclesiis nostris ostendatur depictum.

Gregorius Deo amabilis diaconus sanctissimorum et laudabilissimorum apostolorum legit:

Theodoreti episcopi Cypri de vita Symeonis Stylitæ, cujus initium est:

Symeon, qui valde magnum erat miraculum orbis. Et post alia: Aiunt enim hunc virum in maxima Roma famosissimum fuisse, ut in omnibus ergasteriorum foribus iconas ipsi breves erigerent, custodiam quamdam sibi ex hoc et munimen acquirentes.

Josepn, reverendissimus monachus et hegumenus monasterii Heraclæ, dixit: Et ego peccator librum fero continentem vitam sancti Symeonis Mirabilis Montis, et ut jubetis.

Sancta synodus dixit: Legatur.

Et accipiens Cosmas Deo amabilis diaconus et cubuclesius legit:

Ex Vita sancti Patris nostri Symeonis Mirabilis Montis, capitulum centesimum decimum octavum. De femina quæ Rhosopoli sterilis erat, valido dæmonio pressa: quæ sana et fecunda facta, imaginem justi imposuit domi suæ, quæ magnifice miracula operabatur.

Mulier quædam erat Rhosopoli Ciliciæ, Theotecna dicta, quæ habitaverat cum viro annis viginti, et filium non habuit. Contigit autem eam etiam a dæmonio a pueritia vexari, et mandere linguam. Vir autem ejus ultra non valens sufferre tribulationis ejus angustiam, dimisit illam a domo sua, et per quatuor annos cum nulla est femina sociatus. Illa vero invento comitatu confugit ad justum. Cum autem vidisset eum dæmon, statim fremuit, et torquebatur coram eo, videns eum muliere spiritualem ejus imaginem, dicentem humana voce: Separabo te ab ea, maligne et immunde spiritus, et revertetur ad virum suum, et efficietur illi anno sequenti puer. Et ejulavit dæmonium ferociter conturbatum: O violentia adversus me! non est tuum matrimonii solutiones efficere; utquid autem et filium eis das, cum a me filium minime fecerit? quid mali feci tibi? vel quid peccavi in conspectu tuo, quia separas me a muliere mea? si servum me comparasses, dares me forsitan et in servitium hominibus. At vero Symeon ait: Quia malus servus es, recognosce teipsum, maligne, et curre in flamma ignis arsurus; et fer aquam, et collige ligna. Et statim veluti ventus cursim et vehementer incendens dæmon, et tollens in muliere amphoram aquæ minabatur; et impletam illam, et collecta de silva ligna attulit ululans et dicens: Væ mihi, væ mihi malo servo et inventori malorum; quid passus sum? Nam a muliere mea separat me sanctus Symeon; et quid faciam infelix, nescio. His autem dictis coram populo qui convenerat, postquam adimplevit ministerium quod sibi fuerat imperatum, clamavit altisone loquens; et aspiciens contra se veniens fulgur ignis, currebat in muliere per circuitum status ejus, plurimum et dolenter cruciatus; et taliter protinus exiit: et muliere pristino ordini restituta, dimisit eam Symeon sanam, dicens ad illam:

Vade, mulier, in domum tuam, et cohabita cum viro tuo. Ecce enim direxit Dominus cor ejus, ut recipiat te cum gaudio magno : quod et factum est. Cumque illa reversa fuisset, statim rectum factum est cor viri sui ad diligendum eam : et ingressus est ad illam, et confestim concepit in utero : et completo anno, tulerunt puerum ad servum Dei, laudantes et glorificantes Deum. Cum autem complessent orationem suam, et rediissent ad propriam domum, erexit mulier fide ducta imaginem sancti in interiori domo sua : quæ operabatur miracula, obumbrata Spiritu sancto, qui habitabat in sancto : et a dæmonio vexati emundabantur illic, et ex variis passionibus infirmati curabantur. In quibus et una mulier fluxum sanguinis incessanter per quindecim annos passa, in fide accessit ad videndum imaginem, et continuo fluxus stetit. Dixit enim intra se, quia si tantum videro similitudinem ejus, salva ero. [*Gr. add.* Videns autem, quod exsiccatus esset fons sanguinis sui, ad hominem Dei protinus accurrit, adorans coram eo, laudans et glorificans Deum, ac enuntians miraculum in se perpetratum.]

Item legit aliud miraculum sancti Patris Symeonis.

Accidit autem in diebus illis quemdam virum forensem urbis Antiochiæ dira pressura detineri a dæmonio maligno, et angustari per aliquot tempora, ita ut strangularetur ab ipso, constrictis spiraminibus suis. Hic ascendens ad sanctum, et consecutus remedium intercessionibus ipsius, et factus tanquam nihil fuisset mali perpessus, et rediens ad propriam domum, pro gratiarum actione erexit illi imaginem in publico et clarissimo civitatis loco, super januas ergasterii sui. Videntes autem eam quidam ex infidelibus tam honorabiliter eum luminibus et velis glorificari, repleti zelo, conturbaverunt similes suos, inordinatos scilicet homines : ita ut conveniret multitudo, et cum tumultu clamaret : Tolle a vivendo qui hoc fecit, et imago deponatur. Contigit autem per dispensationem Dei, ut vir non inveniretur tunc in domo sua. Procurabant enim, ut in eum manus injicerent, aliis alia vociferantibus. Malitia enim eorum multa et magna erat in conspectu Dei vehementer, et invidia immensa, et [*Gr.*, furiis incitati] operantes ad hoc convenerant, tempus invenisse putantes simultates excitandi, et sanctum injuriandi, utpote illum qui crebro redarguerat malitiam fidei et errorem eorum qui in ipsis gentiliter conversabantur. Cum ergo non possent ferre tantam insaniam, præceperunt uni militum ascendere scalam, et ejicere imaginem. Qui ascendens, et extendens manus ut faceret quod sibi præceptum fuerat, mox elisus est a sursum usque deorsum, cadens in terram : et facto magno tumultu in turba, apposuerunt exardescentes alium imponere. Sed et ille manus suas extendens, pari modo elisus cecidit super terram. Quod factum timentes omnes, cœperunt signaculum crucis sibi imponere. Porro infideles illi per amplius insurgentes, adjecerunt tertium imponere ad hoc : et cum extendisset et ipse manus, ut ejiceret imaginem, similiter et ipse corruit super terram. Timor tunc venit magnus super omnes qui circumstabant fideles, qui et perculsi super cæcitate et audacia infidelium, et non sanctorum virorum illorum, adorata cum oratione imagine, recedebant.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Hæc quidem, honorabiles Patres, de his quæ lecta sunt, audivimus, et credimus. Ego autem humilis signa quæ facta scio, similia referam. Vir quidam Cyprius in civitate Constantia minans jugum suum, et pergens ad opus suum, ingressus est ad orandum in orationis domum Dei genitricis. Et cum oraret, suspiciens videt imaginem sanctæ Dei genitricis ex coloribus factam in pariete, et dicit : Hoc quid facit hic? Et accepto stimulo suo effodit oculum imaginis dextrum : et exiens de templo, pulsavit boves aculeo. Cumque rumperetur stimulus, rediit fragmen stimuli in dextrum oculum hominis, et obcæcavit eum. Hunc ego vidi virum, et novi luscum effectum. Alius homo in civitate Citio, festivitate sanctæ Dei genitricis, die scilicet decimo quinto mensis Augusti, ingressus est in templum, ut adornaret illud velis : et assumpto clavo, fixit eum in pariete, in ipsa fronte imaginis sancti Petri. Cum ergo funem ligasset, et explicuisset velum, eadem hora dolor apprehendit eum in capite et fronte intolerabilis : et mansit duobus diebus solemnitatis jacens, et cruciatus patiens. Quo comperto episcopus Citii redarguit, et jussit pergere et educere clavum ex imagine. Qui pergens, et hoc gerens, cum educeret clavum, alleviatus est dolor. Interrogetur autem hinc et episcopus : adest enim. Interrogatus ergo episcopus Citii, cum juramento firmavit hæc coram synodo sic se habere. Ante biennium navigaverunt viri [Citienses] in duabus navibus in civitatem Syriæ, quæ vocatur Gabala. Cum autem essent Gabalæ secundum consuetudinem, taxati Agarenorum descenderunt ad maritima : et venientes quidam eorum Gabalam, divertunt in quoddam templum civitatis. Porro unus ex Agarenis videns imaginem in pariete de calculis, interrogavit quemdam Christianum qui aderat, quid prodest imago hæc? Ad quem Christianus ait, quia his quidem qui eam honorant, prodest : his autem qui illam inhonorant, nocet. Et Saracenus : Ecce ego, inquit, effodiam oculum ejus, et videbo quid mihi noceat. Hæc dixit, et extendens contum suum, imaginis oculum dextrum effodit. Protinus ergo et suus dexter oculus in terram exsiliit, idemque ignea est febre detentus. Hi autem qui simul cum illo aderant, acute illum ægrotasse videntes, tulerunt, et ad civitatem ipsius reduxerunt. Hæc nobis retulerunt viri qui remearunt ad Cyprum, numero triginta duo.

Theodorus sanctissimus episcopus Catanæ tradidit librum : quem accipiens Gregorius Deo amabilis diaconus sanctissimorum et laudatissimorum apostolorum, legit :

Sancti Basilii de sermone in beatum Barlaam, cujus initium est :

Prius quidem sanctorum mortes. Et post alia : Assurgite nunc mihi, o clarissimi athleticarum virtutum pictores, et militis abbreviatam imaginem vestris magnificate artibus : obscurius a me, qui coronatus est, scriptum vestræ sapientiæ fulgorate coloribus. Ibo in victoriarum martyris per vos pictura victus : gaudebo tali vestræ fortitudinis hodie victoria superatus. Videbo manus ad ignem subtilius a vobis depictum certamen. Videbo clariorem in vestra depictum imagine luctatorem. Plorent dæmones, martyris factis fortibus et nunc perculsi : combusta illis manus et vincens ostendatur : et pingatur in tabula similiter et ipse agonotheta luctaminum Christus, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Constantinus Deo amabilis diaconus et notarius legit.

[a] Photini Deo amabilis presbyteri et defensoris sanctissimæ magnæ Ecclesiæ Constantinopoleos.

De Vita sanctæ memoriæ Joannis Jejunatoris, qui fuit episcopus ejusdem urbis.

Adhuc nec hoc lateat miraculum, nec indulgeamus egregio Patri hoc dudum maxime celare acceleranti. Nam nox quidem erat, et deambulamus cum velocitate multa, utpote in terram ultra positam Mauricium imperatorem adituri : Mauricium, qui dudum quidem justissimus et mitissimus fuit, nunc autem et martyr ; hoc enim profundissimus ei draco et tyrannus etiam nolendo donavit. Cum ergo festine ambularemus, mulier quædam speciosa valde, tam veste, quam vultu et anima, quæ dives admodum fuerat, sed non putabatur propter calamitatem quæ inerat ei, procul apparuit mihi mista cum multitudine fratrum nostrorum pauperum, quæ persecutionem ab his [*Gr.*, rejecta ab his] passa, qui super isto erant ordinati, nequaquam recedebat, sed cum lacrymis, licet verecundata propter naturam, necessitatis tamen causa impudenter inferebat molestiam. His visis ordinem in quo fueram deputatus, relinquo, et apprehendo mulierem, et quidnam vellet, interrogabam. At illa : Virum, inquit, habeo et dæmonium habet : et tertius annus est iste, ex quo denis millibus, ut ita dicam, venerabilibus locis et religiosis hominibus hunc miserum obtuli, et nihil obtinere amplius valui. Ad extremum ego nunc ab eremo veni. Nam ille ipse, qui in ea præ omnibus fere sanctis miracula facientibus, in patrandis miraculis testimonium habebat [habet], ad curationem exhortans [*Gr.*, ad curationem et ipse nihil proficiens] : Vade, inquit, ad Joannem patriarcham magnum, indeque feres cum benedictione summi sacerdotis Dei omnipotentis imaginem Virginis matris Dei ; et ibis, et portabis imaginem in domum, in qua habitasti in terra tua. Ecce enim mittes de cætero virum tuum, et locabis eum in atriis domus tuæ ; et non videbit vitatem regis magnam, ad quam nunc proficisceris : et exaltabis, et pones similitudinem, et fiet sanctificatio domui tuæ : et erit ut omnis quicunque habitaverit in ea, benedictione benedicatur : et ecce fuga fugiet, et alienatus erit spiritus, et ultra non appropinquabit ei, eo quod Dominus prope sit, et in sæcula gloria ejus. Amen. His dictis, adduco eam ad patriarcham die sequenti qui sexta feria consueverat in Dei genitricis templo juxta ingressum facto celebrare [*Gr.*, dum sexta feria de more in Dei genitricis propinquum templum esset ingressurus] : et refero negotii circumstantiam, nunc quidem valde juveniliter simul et rhetorice, nunc autem submisse ac dolenter : et gaudebam, suadere sperans pariter et laudari, eo quod ita pias assererem propositiones. Adhuc autem mihi mœsto et docenti, quoniam [*Gr.*, Adhuc autem mihi docenti, et eum libertate dicenti, q.] eremita, o domine, dixit a Deo motus, quod merito vos, domine, expulsurus sis : interdicit sermonem meum, et furore fervens : etiam, domine, etiam, domine, vocem extollens eremita clamabat ; etiam, ut ego dominus ejiciam dæmonem ; ut dicam, tibi dico immundo, exi a figmento, et vade huc atque illuc, et ad invisibile : talia jubes ut garriam homo sordidus et peccator : si estis mira operantes, meum ejicite spiritum. Orationum eges multarum, frater Photine, per orationes sanctorum. Sic præter spem inhonoratus, recedebam erubescens : et silenter effugiens, efferebar retrorsum, et fortuito, et in obviantes quasi crapulatus incidebam ; et apprehendo vix quamdam sacelli extremitatem : et furore commotus (plurimum namque tristitiæ jam in furorem efferebatur, eo quod non invenerim gratiam in conspectu summi sacerdotis Dei magni) multa silentio in memetipso reputabam [*Gr.*, conquerebar], et quod non esset ab isto quidquam boni ulli ovium sperandum, pastore videlicet nobis ad lupi naturam perveniente. In his ergo cum essem hæsitans, mihi consilium fit. Et mittens domum ex sequentibus quemdam, defero dominæ imaginem ex his quæ illic positæ erant, satis oppido speciosam : et adornans valde bene, et ut erat possibile ad evidentius apparendum et reputandum, quia oportebat a maximo patre, utpote jam inclinato, accipere imaginem [*Gr.*, quia a maximo patre ut. i. inc. acceptam haberem imaginem], tenui hanc, et dedi mulieri ; orareque pro nobis, et patriarchæ gratias multas confiteri, atque abire cum gaudio jubebam. At illa liberabatur modicum [*Gr.*, propemodum] et exsultans, et non habens quod faceret [*Gr.*, fieret]. Unde et erat utriusque quasi dimidium gaudium. Nam ego quidem putabatur [*Gr.*, putabar, *seu*, videbar], non autem gaudebam. Illa vero et putaba-

[a] Exstat antiquus codex Vat. in quo multæ Patrum sententiæ præter eas quæ hic habentur, et in hac synodo recitatæ sunt, insertæ videntur. Nam neque ordini interlocutionum respondent neque in ullo alio codice repertæ sunt. Ex insertis una esse videtur hæc Photini narratio cum non in omnibus hujus synodi libris legatur.

tur, et gaudebat : sed intentio et rei finis non habebat initium. Tunc ergo animi defectionem, quæ nos obtinuerat, consolari taliter opinatus, acquisivi aliud [*Gr.*, aliam], contemplans et reputans, quem, quando, et ubi, et in quo, et quomodo, vel qua nobis mediante abirem seductus et circumveniens [*Gr.*, seduxissem et circumvenissem] mulierculam miserrimam, et ita miserabilem, et tantas fiducias nobis commendantem. Maxime autem contristabar, utpote separans mulierem a meliorum protectione, et per alium talia sapientem ad ea [*Gr.*, quæ opus illi erant exhibitione] quæ dealbari verebatur. In his rursus, et propter hujusmodi seductionem, et dicere atque oblatrare spiritum existimavi : et quia ipse ego e contrario firmaverim atque locaverim stabilitatem, quæ erat dæmoni circa hominem. Et quod factus sum ei et materia et occasio calumniarum justarum, non dum dico contra memetipsum solum, ergo [*Gr.*, sed] contra omnes quidem Christianos, et contra sacerdotes primum, eo quod uxorem quidam presbyter altero typho, aiunt, altero dæmone, qui erat mendacii, præjudicavit : quod nihil profecto est aliud, quam in Beelzebub ejicere velle dæmonia. Hæc quidem mihi et hujusmodi indesinenter animam ingressa atrociter conturbabant, et inficiebant, et magna exspectare dabant mala tam ab hominibus, quam ab ipso Deo. Verumtamen recogitabam, et referebam mihimetipsi excusationem [simulationem], et quamdam quasi consolationis phantasiam ad præsens imponebam, dicens apud me : Deus enim de futuro faciet curam. In hoc quippe anno intra locum forte [*Gr.*, In hoc quippe intermedio tempore forte] nobis morietur sive mulierula, sive ipse vir, sive alius quisquam. Moriar autem multoties ego, et cessabit qui [*Gr. et ms. Jol.*, quod] tristitiam inferebat. Igitur in his tunc a dyscolis, quæ circa miseram mulierem erant, ut rebar, liberatus, rebar a turba liberari. Post annos reor ferme tres stabam penes ipsas sacras portas magni templi. Et ecce mulier elevans supercilia, et vehementer ac indefesse pronuntians et respirans, intuita est in me, et proximam interrogabat : ipse, putas, est? vel quid? et locuta, etiam ipse est veraciter ; cursim movetur, et procumbit mihi ad genua ; et flexa comprehendit mihi talos, et osculabatur circumplexans, et jacens in pavimento. Ego quidem sinebam interim et gaudebam, et huc atque illuc ad turbas circumspiciebam præeminens [delicias faciens], et his qui circumstabant jacentem videndus [*Gr.*, *et ms. Jol.*, videri dans], et ostendens quod essem utique alicubi et ipse eorum qui multa possunt. At illa alia quædam quæ egenarum erant, sæpius allocuta (erat enim inde) [*Gr. add.*, et veneror dominum, sæpius locuta ; erat enim ibi] deinde tamen et constringens nos valde, deponit vi tergis suis : et jacebam cadens, risus factus hinc circumstantibus multum ; et vix præ reverentia exsurgens, dedi ei alapam, et decanos vocabam, et ad decanum [decanicum] rapere sceleratam jubebam. Nam et faciem [*Gr.*, post vero f.] intuitus, arbitrari cœpi hanc illam esse quæ olim. Apponebat quippe et hoc, quia Deus mercedem domus meæ det tibi, domine. Tunc plane, tunc cuncta videbam, pariterque gaudens et agonizans [certans], hoc solum interrogabam : Sana facta es? vel : Quomodo sana facta es? et assumens secreto [*Gr.*, in otio], enarravit adventum ad regionem, et deportationem imaginis ad domum suam : et quia in excelsum elevata, et superposita est in parietibus domicilii sacro pariter et decentissime. Ut autem et per tempus frequens imagini oblatrans atque delusum figmentum [*Gr.*, insultans, ac fere figmentum, etc.] discerpens spiritus, in fine insonuit [*Gr.*, discesserit] : et facta est nobis medicina, dixit, quod patiebatur [*Gr.* patiebamur] olim in veritate. Eos enim qui similia patiuntur, locus, imo figura Virginis matris curat. Hic est enim finis causæ.

Leo sanctissimus episcopus Phociæ dixit : Scriptum est, quia in duobus vel tribus testibus stabit omne verbum (*Matth.* XVIII) : et hodie exhibiti sunt nobis plurimi sacri libri, qui mentes nostras rigaverunt, et satisfecerunt de restitutione sanctarum imaginum.

Et legit Petrus lector :

De vita beatæ Mariæ Ægyptiæ, cujus initium est :

Secretum regis celare bonum est, opera vero Dei prædicare gloriosum est. Et post alia : Alios quidem templum habebat, nemine impediente ; me vero miseram non recipiebat, veluti quadam militari multitudine ad hoc ordinata vel jussa, ut mihi excluderet aditum : taliter me quædam audax [*Gr.*, conferta] prohibebat virtus. Et iterum steti in atriis : hoc ter et quater patiens sive faciens, deficiens, ultra jam pelli et repelli non valui : factum enim mihi est corpus præ vi defessum. Desinens ergo recessi, et steti in quodam angulo aulæ templi : et vix tandem ad conscientiam perveni causæ prohibentis me videre vivificum lignum. Tetigit enim mihi oculos cordis sermo salutaris, ostendens mihi, quod cœnum esset operum meorum, quod introitum mihi claudebat. Cœpi igitur flere ac plangere, atque pectus percutiebam, gemitus ex profundo cordis attrahens. Cumque plorarem, video de loco in quo stabam, imaginem sanctissimæ Dei Genitricis desuper stantem, et alio ad eam indeclinabiliter intuens : Virgo domina, quæ Deum Verbum secundum carnem genuisti ; novi quidem, novi, quod non sit decibile, neque rationabile, me ita sordidam et ita luxuriosam, imaginem contemplari tuam, quæ semper es Virgo casta, corpus et animam habens mundam et impollutam. Justum enim est, ut luxuriosam me munditia tua odio habeat et detestetur. Verumtamen quoniam, ut audivi, ideo factus est Deus quem genuisti, homo, ut vocet peccatores ad pœnitentiam (*Matth.* IX), auxiliare mihi, quæ sola sum, non habens quemquam in adjutorium. Jube etiam mihi indulgeri ecclesiæ ingressum, ne prives me

visione ligni, in quo secundum carnem affixus Deus quem genuisti, sanguinem proprium pro me in redemptionem dedit. Jube mihi etiam, o domina, januam aperiri sacratissimæ crucis adorationis. Ecce te do Deo, qui ex te genitus est, vadimonium, quod ulterius carni huic injuriam non inferam per turpem quamcunque commistionem : sed cum lignum crucis filii tui videro, mundo et his quæ in mundo sunt confestim abrenuntiem, et statim ibo quocunque ipsa, utpote salutaris vades [vas], insinuaveris et duxeris me. His dictis, ac si quadam certitudine percepta, fidei fervore, miserationis Genitricis Dei confisa, et movens meipsam de illo loco, in quo stans deprecationem faciebam; et venio rursus, et ingredientibus memet commiscui : et non erat jam ullus qui me impelleret et repelleret [*Gr.*, repelleretur], nullusque prohiberet januæ appropinquare, per quam in templum ingrediebantur. Comprehendit ergo me horror et ecstasis, et tota ex toto torquebar atque tremebam. Deinde cum pervenissem ad januam, quæ usque tunc mihi fuerat obserata, ac si omnino virtus, quæ prius me impedierat, nunc mihi præparasset ingressum, ita sine labore ingressa sum : ita intra Sancta sanctorum ingredi digna effecta sum. Nam et vivificam crucis visionem promerui, et Dei vidi mysteria, quin et quam sit paratus ad suscipiendam pœnitentiam. Projiciens itaque me ipsam super terram, et sancto illo adorato pavimento, currebam postulatura [egressa], penes eam quæ mihi fidem dixerat, accelerans. Fio itaque in illo loco, in quo vadimonii chirographum scriptum est : et genu flexo coram sanctissima Virgine Dei genitrice, his usa sum verbis : Tu quidem, bonitatis amatrix domina, tuam in me ostendisti misericordiam : tu indignæ non es abominata deprecationem! vidi gloriam, quam juste non videmus nos luxuriosi. Gloria Deo, qui per te peccatorum suscipit pœnitentiam. Quid enim habeo, peccatrix, amplius considerare, vel fari? Tempus est, domina, ut compleantur jam fœdera vadimonii, cui fidem dixisti. Nunc deduc quo jusseris. Nunc esto mihi magis salutis magistra, manu ducens in viam quæ ad pœnitentiam dirigit. Et cum hæc adhuc dicerem, audivi quemdam a longe clamantem : Si Jordanem transieris, bonam invenies requiem. Ego vero hanc vocem audiens, et hanc propter me factam fuisse credens, lacrymata clamavi, et Dei genitrici vociferata sum : Dei genitrix, domina, ne derelinquas me. Et his dictis, exivi de atrio templi, et constanter ambulabam.

Joannes reverendissimus monachus, presbyter et vicarius Orientalium pontificum sedium, dixit : Talem imaginem nos vidimus in sancta Christi Dei nostri civitate, et crebrius eam salutavimus.

Stephanus Deo amabilis diaconus, notarius et referendarius venerabilis patriarchici secreti, legit :

Ex passione sancti martyris Procopii, cujus initium est :

Per illa tempora regnavit Diocletianus tyrannus. Et post alia : Adolescens autem gaudio magno percepto in fide roboratus est, similiter omnes qui cum eo erant; et eadem noctis hora reversus est cum militibus, et venit Scythopolim. Et advocatis occulte omnibus auri et argenti artificibus, interrogabat eos, dicens : Potestis mihi facere vas, quod ego vobis expono? Qui timentes austeritatem viri, consilio facto statuerunt coram eo unum, qui erat major eorum, artificem nomine Marcum, dicentes : Iste faciet, domine, voluntatem tuam. Et post pauca : Marcus autem non parebat ei. Adolescens vero persuasit illi, dicens, quia usque ad mortem non indicabo imperatori secretum. Qui credens, per noctem in secreto operatus est crucem de argento et auro. Et factum est ut consummata et erecta cruce, apparerent tres in ea imagines : et erat superscriptum Hebraica dictione sursum in principio, Emmanuel : et in utrisque initiis, Michael, et Gabriel. Voluit ergo Marcus reveritus delere imagines, et non potuit. Manus enim ejus manebat veluti arida. Cum autem gallus vocem dedisset, venit dux qui dicebatur adolescens [Neanias], ad domum Marci, ut tolleret crucem : et videns eam, adoravit illam, et dicit Marco : Quæ sunt hæ facies, et quæ superscriptio : Dicit ei : Domine, in ea hora, qua consummatum est opus, ortæ sunt iconæ istæ; et nescio cujus, vel quæ sit superscriptio. Porro adolescens [Neanias] cognovit quamdam virtutem in ea esse. Et adorata cruce, involvit purpura, et ivit viam suam gaudens, latis artifici Marco pretiis pluribus, et introivit cum duobus numeris in civitatem suam.

Stephanus reverendissimus monachus et librorum custos venerabilis patriarchii legit :

Ex Vita sancti Patris nostri Theodori archimandritæ Sicensium, cujus initium est :

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi (*II Cor.* I). Et post alia : Cum autem esset quasi annorum duodecim, facta est mortalitas ex bubone in illa villa, ita ut ipse infirmaretur pene ad mortem. Porro detulerunt eum in oratoriam domum sancti Joannis Baptistæ, quæ erat juxta villam, et statuerunt [straverunt] eum ad introitum altaris. Porro super illud in receptaculo crucis stabat imago Salvatoris nostri Jesu Christi. Cumque ex dolore bubonis cruciaretur, repente de imagine ceciderunt super eum roris guttæ, et statim gratia Dei a dolore convaluit, et sanus effectus est, et ivit domum suam. Et post brevia : Imitari igitur volens David in Deo decibili hymnodia, cœpit discere psalterium. Cumque difficile cum multoque labore didicisset usque ad decimum sextum, imminentem decimum septimum psalmum non valebat memoriæ commendare. Meditans ergo in oratorio sancti martyris Christopho i, quod erat de proxima villa, et non valens edisceré, prosternens se supra faciem, deprecabatur Deum, ut docibilem se faceret ad psalmorum meditationem. Porro amator hominum Deus, qui dixit : *Petite, et dabitur vobis* (*Matth.* VII), dedit ei petitionem ipsius.

itaque surgens de pavimento, et imagini Salvatoris intendens, et supplicans sensit dulcedinem melle suaviorem illatam in os suum. Qui agnita Dei gratia, et percepta dulcedine, gratias egit Deo : et ab hora illa facilius ac bene [docibilius] doctæ memoriæ psalterium commendabat.

Cosmas Deo amabilis diaconus et cubuclesius egit :

Epistola Gregorii sanctissimi papæ Romani ad sanctissimum Germanum, qui fuerat patriarcha Constantinopoleos.

Qualis et quæ delectatio meam sic lætificare animam novit, sicut gratificus nuntius super tuo nomine, quod reverendum revera mihi et magnificandum decenter est, o sanctificate et divinitus acte? Hoc enim et nunc ego per honorabiles litteras tuas evangelizatus exsultavi, et præ nimio gaudio, spiritu lætificatus sum. Deinde in cœlum extendens oculum, gratiarum dominatori omnium Deo retuli actiones : qui taliter etiam modo voluit, et fine tenus vobis cooperatur, et omnia vestra in lucem educit. Hoc enim et orandum mihi est noctu et interdiu, et nunquam aliquando hoc desiderium deserendum esse in Christo confidens pronuntiabo. Testimonium autem perhibet sermoni meo, o superlaudabilis et a Deo dilecte, etiam tuæ per omnem horam benevolentiæ recordatio : quam habitatricem habens in labiis, et dolorem verbi ferre non valens, illico ad affatum per litteras properavi. Est enim debitum mihi, et debitis cunctis insignius, te fratrem meum et propugnatorem Ecclesiæ salutare ac alloqui, et luctaminum tuorum collandare materias. Etiamsi quis dicat et valde convenienter : clamet potius ea impietatis præcursor, qui nunc passus est, bona actione malam actionem tuis commutaturus felicitatibus. Nam arbitrabatur secundum illum qui desursum cecidit, fremere simul et prævalere adversus pietatem : sed impeditur cœlitus spe fraudatus : et audiebat quidem ab Ecclesia ea quæ et Pharao prius Ægyptius tyrannus, Moyse de illo canente : *Dixit inimicus : Persequens comprehendam, partibor spolia, replebo animam meam* (*Exod.* xv). Sed et audiebat quæ et ipse diabolus, cum prophetica illi prænuntiaretur maledictio : *Propterea detrurt te Deus in finem, evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium* (*Psal.* li). Ita et ille præter spem conatibus, qui in spe erant, frustratus periit, superno agone vestro et robore, apostatæ enervata impugnatione adversus Deum, deorsum effecta, et ad novissimum propemodum expulsa exitium Christum impugnantis ferocitate : ita ut super eo Scriptura veraciter impleatur, quæ dicit : *Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore* (*I Reg* ii) : pro eo quod nulla est ad infirmum Dei firmitas abominationis eorum qui Deum impugnant, et pugnare pro Deo mundum contra insensatos asserit [scriptum est]. Quomodo ergo non cum Deo pugnans, o tu sanctissime, adversus eos qui sine Deo et contra Deum sunt, commoveris? Qui videlicet inveniunt eum qui invisibiliter oppugnatur, imo, ut verius dicamus, simul pugnat, et hostes in fugam vertit : ac ubi sic cœpisti prælium, ut Deus ipse tibi monstravit? præesse præcipiens in castris regni Christi gloriosum vere ac insigne labarum, id est vivificam crucem, magnum contra mortem magnitudinis suæ tropæum : in quo mundi quadrifarie terminos circumscripsit, lineamentis distinguens. Deinde et sanctam imaginem omnium dominæ ac veræ Dei Matris, cujus vultum divites plebis deprecabuntur. Etenim sancta est, quemadmodum patribus videtur, quæ taliter a vobis pie honorata tribuit vicissitudines. Nam imaginis honor ad principalem transit, secundum Basilium magnum. Et pietate est plena venerabilium imaginum causa, sicut dicit Chrysostomus : Ego et cera perfusam amavi picturam pietate refertam : vidi enim in imagine angelum cuneos barbarorum persequentem, et David veritatem dicentem : *Domine, in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges* (*Psal* lxxii). Et nequaquam Ecclesia erravit, licet ita fuerit æstimatum. Indulgeat Deus, neque secundum gentilem consequentiam est traditio (absit) et intentio rei secundum quid probatur, et nequaquam considerantur quæ perficiuntur. Nam neque in Paneade civitate hæmorrhoissæ pie motæ in recordationem facti in se miraculi repudiabatur, cum orta esset herba circa pedes statuæ, quæ ab ea in nomine Domini Jesu Christi erecta est : et extranea erat, incognitaque specie, positaque omnibus in variorum languorum remedium condescensione et bonitate Dei et Salvatoris nostri. Imo legalis, ut jam [ita] dicamus, hujusmodi est in Deo erectio ; licet figuris magis signanda [*Gr.*, figuris expressior], et umbræ præferenda sit gratia et veritas. Unde maximam salutis causam sanctorum cœtus Dei consilio hoc capitulum tradidit [*Gr.*, h. cap. Ecclesiæ trad.] in universorum vultibus, et colorum operationibus venerabilem et sanctum characterem secundum humanitatem ejus qui tollit peccatum mundi, erigamus, per eum humilitatis celsitudinem Dei verbi considerantes, et ad memoriam conversationis in carne factæ, tam videlicet passionis ejus et salutaris mortis, quam redemptionis quæ hinc mundo effecta est, manu quodammodo ducti : et nulla est hinc a divinis dissonantia. Si enim propheticæ prælocutiones terminum minime perceperunt, ne scribantur res ad ostensionem eorum quæ adhuc facta non sunt : id est, si non est incarnatus Dominus, non formetur sancta imago ejus secundum carnem. Si non est natus in Bethlehem ex gloriosa Virgine Dei genitrice, neque magi munera obtulerunt, neque pastoribus supra stetit angelus, neque multitudo cœlestis exercitus nato hymnum obtulit (*Matth.* xxv, *Luc* ii.) ; si non in ulnis genitricis ut infantulus ferebatur, qui portat universa, et lactis alimoniam pertulit, qui dat escam omni carni : nec hoc figuretur. Si non a sene suscipiebatur, qui vitæ tenet principatum et mortis, et omnium Dominus per eum agnitus simul et prædicatus, et ut demissionem concederet, postulatus : si non in

Ægyptum causa dispensationis pergebat super nubem levem omni scilicet lumine illustratam matrem ac sanctitate robustam, qui in excelso sedet : et redit ex Ægypto, et habitat Nazareth : ne figurentur coloribus. Si non mortuos suscitavit, et erexit paralyticos, et leprosis præbuit purgationem, et cæcos illuminavit, deinde et expressam fecit linguam mutorum, et bases claudorum firmavit, et expulit dæmones : nisi aperuit aures surdorum, et omnia operatus est gloriosa, et in Deo signa perfecit ; ne pinganlur ; et nisi passionem voluntarie suscepit, et infernum spoliavit, et surgens in cœlum ascendit, qui venturus est judicare vivos et mortuos : neque figurent [*Gr.*, nec scribantur, nec figurentur] scripturæ vel historiæ, quæ ista enarrant, tam per litteras, quam per colores. At, si hæc omnia facta sunt, et magnum est pietatis mysterium, utinam esset possibile, ut cœlum et terra et mare, animantia quoque omnia et virgulta, et quidquid aliud est, enarret illa et per voces et per litteras, et per picturas. Eorum enim quæ non sunt, formatio, idolica pictura nominatur, quæ et paganæ fabulationis poema finxit, eorum quæ unquam fuerunt per essentiam, facturam desipienter asseverans. Et certe nulla est condescensio Ecclesiæ Christi cum idolis : absit. Neque enim vitulas adoravimus, neque vitulum in Choreb fudimus, neque a nobis creatura Deus æstimata est : sed neque rursus sculptili procidimus, et Beelphegor initiati sumus, neque natorum occisores aut sacrificatores fuimus, aut occulta mysteria celebravimus : neque filios nostros et filias immolavimus unquam dæmonibus, ut in nos ea quæ a Salomone idolorum cultoribus dicta sunt (*III Reg.* XI), assumantur. Nunquid a nobis infecta est terra in sanguinibus? vel imaginem in templo fecimus, quadriforme habentem idolum, et hanc adoravimus? Nunquid abominationem repentium et pecorum supra murum templi depinximus? Aut iterum nos Ezechiel vidit plangentes Adonidem, et incensum soli offerentes (*Ezech.* VIII), de quibus dicit Apostolus : *Servierunt creaturæ potius quam Creatori* (*Rom.* I). Putasne statuimus imagines duarum fornicariarum in Ægypto, Oola scilicet et Ooliab, et eas adoravimus (*Ezech.* XXXIII)? An rursus a nobis sacrificia Bel in Babylone, et Dagon in Palæstina oblata sunt (*Dan.* XIV)? vel aliis diis gentium procidimus? Non sunt hæc, non sunt : calumnietur nullus : quoniam in nullo eorum quæ consistunt et facta sunt, nomen quod est super omne nomen populus Christi usque hodie, præter sanctam vivificam Trinitatem, coluit, vel servivit [*Gr.*, latria adoravit] : absit. Nam modus idololatriæ manifestus est. Christianis autem Dei cultoribus omnium dominator est adorandus. Porro si quis Judaico more ad accusationem motus, quæ olim contra idolorum cultores dicta sunt, diffamaverit, et idololatriam Ecclesiæ nostræ ascripserit ex venerabilium imaginum deifico et mirabili ad meliora ducatu, nihil aliud arbitremur, quam ut canis latret, et in funda procul abjectus audiat sicut Judæus : Utinam et Israel per A visibilia visus esset Deo adorationem offerre, et per typica memor esset creantis, et non vitulum retineret ac muscas super tabulas testamenti. Utinam sanctum altare magis desiderasset, et non vitulas Samariæ. Utinam attendisset Aaron virgam, et non Astartem. Bonum quippe simul et justum esset ei, petram salutare quæ impres divinitus dedit, et non Baal. Utinam ad virgam Moysi magis intuitus esset, et urnam auream, arcam, propitiatorium, petalum, ephod, mensam, tabernaculum interius et exterius : quæ omnia in gloriam Dei patrata ; licet manu facta, Sancta tamen, appellabantur sanctorum, deinde et cherubim sculptiles, quorum memoriam faciens Apostolus ait : *Cherubim gloriæ adumbrantia propitiatorium* (*Hebr.* IX) : quibus et divinam vehi gloriam a B Scriptura docemur. Si his intendisset, non utique idolis procidisset. Omne namque opus quod in nomine Domini fit, pretiosum et sanctum est. Et quid opus est epistolam in longum extendere? et maxime ad virum Deo placitum, et vas electum a Deo, gratiam adeptum spiritus, et in profunda divinorum dogmatum valentem prospicere, atque Deo ductore considerare summam scientiæ altitudinem. Verum hinc ad propositum redeamus, propugnatricis tuæ, o sanctissime, et omnium Christianorum dominæ magnificationes : et qualis ipse ostensus fueris in cunctis ab illa directus et salvatus, et contra inimicos confortatus, admirantes. Illi vero qui ex multo jam tempore contra eam debacchati sunt, tanto invenerunt resistentem, C quanto invenerunt sibi contradicentem. Et hoc mirum non est. Si enim Bethulia per manum Judith mulieris Israelitidis salvabatur, cujus opus Holofernis peremptio fuit ; et hanc salvatricem Israel, qui per idem tempus fuerunt, prædicaverunt (*Jud.* XIII) : quomodo non oporteret amplius tuam amplissimam sanctitatem tali propugnatrice usam aggredi fidei hostes, et victoria coronare subjectos? Sed ejusdem supplicationibus et omnium sanctorum potens in prælio Deus noster, fortis et longanimus, qui deduxit te super Joseph ut ovem, custodiat te sanctissime in annos prolixos, universæ Christianæ bene operantem conversationi, et sacro canoni obtemperare cunctos docentem et incitantem, et custodire depoD situm quod a Patribus suscepimus ; convertentem eos qui ad modicum quid non intellexerunt : o juge gaudium nostrum, et communis utilitas et refectio, sanctissime et omnibus Christianis amabilis.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Petrum divinum apostolum æmulatus, tuba cecinit nobis a Roma veritatem etiam Pater iste beatus.

Theodorus [*Gr.* Theodosius] reverendissimus monachus et notarius legit :

Epistola Germani beatissimi, qui fuit patriarcha Constantinopoleos, ad Joannem episcopum Synadensem.

Epistolam vestræ Deo amabilitatis tradidit nobis Tarasius laudabilissimus patricius, in qua continebatur de Deo amabili episcopo Nacoliæ. Significamus

ergo ei, quod et antequam suscepissemus litteras vestræ Deo amabilitatis, cum huc pervenisset idem ipse Deo amabilis episcopus, ad sermonem venimus cum eo, dijudicantes sensum ejus, qualis haberetur sententiæ super his quæ audieramus de illo : et hanc nobis proposuit traditionem [*Gr.*, rationem, seu apologiam : rationem *habet ms. Jol.*] (opportunum est enim, ut omnia subtiliter significemus Deo amabilitati tuæ) quod audisset divinam Scripturam dicentem : *Non facies omnem similitudinem, ad adorandum eam, eorum quæ sursum in cœlo et super terram sunt* (*Exod.* xx). Contra [*Gr.*, Juxta] hoc dixi, quia non oportet adorare manufacta, id est, quæ ab hominibus sunt confecta. Nam sanctos Christi martyres, veras fidei margaritas, omni honore dignos arbitramur, et intercessiones eorum invocamus. Ad hæc igitur nos respondimus ei : quia Christianorum fides et cultus et adoratio in unum est et solum Deum, sicut scriptum est : *Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies* (*Deut.* vi) ; et glorificatio nostra, et obsequium nostrum ipsi soli offertur tam a sanctis qui in cœlis sunt, et intelligibilibus incorporalibusque virtutibus, quam ab eis, qui in terra cum essent [sint], viam cognoverunt veritatis : quemadmodum et in ecclesiis Christi, quæ ubique positæ sunt, sancta laudatur et glorificatur Trinitas in singulari dominatione ac deitate : secundum quod et unus a nobis Deus prædicatur et non est præter eum qui dominetur in potentatu suo sæculo, et ex non existantibus omnia, ut essent, produxit, quotquot visibilia et invisibilia sunt ; id est, Pater et Filius et Spiritus sanctus, sancta scilicet consubstantialis et vivifica Trinitas. In quam etiam credentes, et quam confitentes, baptizati sumus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* xxviii), quemadmodum tradidit ipse Deus Verbum, qui incarnatus est, Dominus videlicet noster Jesus Christus, qui unus est ejusdem sanctæ et incomprehensibilis divinæ Trinitatis : et non creaturas adoramus (absit) neque culturam quæ deificæ dominationi debetur, ad conservos inflectimus. Neque enim reges vel principes in terra adorantes, æqualem adorationem ei quam Deo exhibemus, facere noscimur. Etenim Nathan prophetam constat super terram adorasse David hominem existentem et regem (*III Reg.* i) ; sed non ideo accusabitur, quasi qui hominem veneratus sit præter Deum. Neque imaginum facturam, quæ per ceram et colores formantur, in subversionem perfectionis quæ circa divinum efficitur cultum, admittimus. Neque enim invisibilis deitatis imaginem et similitudinem, vel schema vel figuram aliquam formamus, quam ne ipsorum sanctorum angelorum sublimes ordines considerare et investigare penitus valent. Sed quoniam unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, revocans proprium figmentum a mortis damnatione, beneplacito Patris sanctique Spiritus homo dignatus est fieri, similiter nobis participatus carnis et sanguinis, uti magnus ait Apostolus (*Hebr.* iv), per omnia similis nobis factus absque peccato : humanum ejus characterem, et humanæ speciei quam per carnem suscepit, imaginem, et non incomprehensibilis ejus, et invisibilis deitatis, formantes, hinc quæ sunt fidei repræsentare urgemur [satagimus], ostendentes quod non per phantasiam et umbratice naturam nostram sibi univerit, quemadmodum quidam antiquorum hæreticorum errantes dogmatizaverunt : sed quod ipsa re ac veritate homo sit perfectus per omnia, excepto solo peccato, quod seminatum est nobis ex inimico. Est hoc sensu tutæ fidei quam in illum habemus, sanctæ ipsius carnis characterem in imaginibus formantes, et salutamus, et omnium cultu ac honore decenti dignum decernimus, in recordationem hinc venientes divinæ illius et vivificæ ac ineffabilis incarnationis. Similiter autem et intemeratæ secundum carnem matris ejus sanctæ Dei genitricis juxta eumdem modum depingimus similitudinem, ostendentes, quia cum mulier esset natura, et extranea massæ nostræ minime facta, Deum invisibilem et cuncta moderantem super omnem sensum et hominum et angelorum in suo concepit utero, et ex se incarnatum peperit. Etenim ut proprie ac veraciter matrem Dei veri colimus eam, et magnificamus, et omni visibili ac invisibili creatura superiorem arbitramur. Et sanctos quoque martyres Christi, apostolos et prophetas, conservos quidem nostros et veros famulos Dei factos, actibusque bonis et prædicatione veritatis, et patientia in passionibus, quas pro ipso Deo pertulerunt, probatos et amicos Dei ostensos, et multam fiduciam apud eum consecutos admiramur et beatificamus, et ad recordationem virilitatis eorum, ac germanæ circa Deum servitutis, similitudines eorum depingimus : non eos ut divinæ naturæ communicatores pronuntiantes, debitum deificæ gloriæ atque potestati honorem et adorationem illis impendimus ; sed amorem nostrum, quem circa eos habemus, per hoc demonstrantes, quæ per auditum vera esse credimus, hæc et per picturæ imitationem ad firmiorem certitudinem nostram statuimus. Etenim carne ac sanguine connexi, et per visionem ea quæ animæ satisfacere possunt, certissime noscere compellimur [*Gr.*, etiam per vis. plenam animæ nostræ certitudinem confirmare studemus]. Nam et ipsi sancti Dei in unum et solum Deum servitutem atque glorificationem et adorationem conservantes, et ad hoc omnes advocantes atque docentes, suum effuderunt sanguinem, et veræ confessionis corona redimiti sunt. Illic est modus faciendarum imaginum : non quo decentem incomprehensibili et inaccessibili deitati in spiritu et veritate adorationem transferamus in manufactas imagines, vel artis opera hominum, vel omnino in eas quæ a Deo factæ sunt creaturæ sive in visibilibus, sive in invisibilibus : sed quo dilectionem, quam juste possidemus circa veros servos Dei nostri, per talem modum monstrantes, per illorum honorem in Deum qui ab his glorificatus est et illos glorificavit in confessione dominationis ejus, glorificationem et cultum referamus : ut

et nos imitatores virilitatis eorum et charitatis quæ in Deum est, per bona opera et refragationem contra vitia demonstremur. Juxta ergo hunc modum imaginum fracturam in Ecclesia Christi fieri, et non aliunde nos quæ sunt salutis exspectare, unusquisque certissime noverit, tam in visibili mundo, quam in futuro sæculo, nisi a solo unigenito Filio Dei una cum Patre et Spiritu sancto, qui divina dona largitur. Neque enim aliud nomen est datum hominibus, in quo nos salvos fieri oporteat (*Act.* IV). Porro et si Domini et Salvatoris nostri, et intemeratæ Matris ejus, quæ vere Dei genitrix est, et sanctorum ejus imagines salutamus, sed non secundum eumdem affectum etiam fidem circa illos ipsos habemus. Verumtamen Deum quidem novimus [*Gr.*, Deum quidem illum nov.] sine initio et infinitum, et in manu omnia continentem, factoremque nostrum et omnis creaturæ, et veraciter salvatorem Deum, habentem potestatem in cœlo et in terra, pro genere hominum incarnatum fuisse. Porro hanc ancillam, et proprie matrem ejus, ac intercessionem potentissimam generis nostri suscipimus. Illum quidem ut dominatorem, et quæ salutis nostræ sunt tribuentem; hanc vero ut materne pro nobis petentem: et sanctos omnes, tanquam conservos quidem nostros, et nostræ naturæ consistentes, sed placentes Deo, quemadmodum prædictum est, et supernam confidentiam et beatitudinem apud eum adeptos, et gratiam consecutos a Deo ad ministrandum nobis beneficia ipsius, sanitatesque passionum, et periculorum ereptiones in invocatione Dei nostri, cum per memoriam eorum in hymnis et canticis, beatitudinem et honorem ipsorum recolimus. Memoria enim justorum, ut Scriptura inquit, cum laudibus (*Prov.* X). Hæc omnia jam exposuimus jam fato Deo amabili episcopo Nacoliæ: quæ et suscepit, et professus est tanquam coram Deo universorum sic se tenere, et nihil aliud dicere vel agere ad scandalizandos populos, vel turbationis eis causam præstandum. Hoc ergo sciens Deo amabilitas vestra, neque Deo amabilem synodum suam vexari faciat, neque in hoc scandalum ei aliquod fiat. Sed de cætero accersito eo, et præsentibus litteris nostris lectis satisfactioneque consensus ejus per eas [*Gr.*, in his] percepta, exoret quidem pro optimorum dominorum nostrorum et imperatorum longævitate atque victoria: postulet autem et Christianorum plebi pacem Dei, quæ exsuperat omnem sensum (*Philip.* IV).

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Pater noster sanctus Germanus concordat cum prædecessoribus sanctissimis Patribus.

Sancta synodus dixit: Vere, domine, in omnibus concordat.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Has litteras suscipiens Nacoliensis abscondit, et non dedit eas metropolitano suo. Ad hoc iterum scribit ad Nacoliensem beatus Germanus. Initium enim hæreseos ex illo fuit.

Theodorus [Theodos.] Deo amabilis diaconus, A notarius et scevophylax venerabilium patriarchicorum oratoriorum, legit:

Ejusdem Patris nostri sanctæ memoriæ Germani ad Constantinum episcopum Nacoliæ.

Joannes Deo amabilis Synadensium metropolitanus scripsit nobis, quod non tradidit sibi Deo amabilitas tua litteras nostras: in quibus non mediocriter super te contristati sumus, eo quod postposueris, ut liquet, et Dei amorem [*Gr.*, timorem], et debitum membris Christi ab alterutris amorem pariter et honorem. Hujus rei gratia per præsentes litteras nostras præcipimus Deo amabilitati tuæ, ut statim per semetipsam det prædictam epistolam nostram prædicto Deo amabili metropolitano suo, et omnem ei honorem impendat, et subjaceat ei secundum ordinem qui condecet sacerdotes: et quemadmodum sermones nostros Deo amabilitas tua suscepit, et hos sectari professa est, permaneat, non in sensu suo abundans. Non enim ignorat, nec obliviscitur, ut existimamus, quia et pro abrenuntiando episcopatu proprio nos rogavit, prætendens incursionem meditari contra se, in quibus, ut dicebat ipsa, non erat conscia: affirmans nihil ad injuriam Domini vel sanctorum ejus propter horum imaginem se dicere vel agere, sed tantummodo Scripturæ sectari magisterium, eo quod nihil in creaturis divinum mereatur honorem. Quod et nos ita se habere dicimus, et firmiter retinemus et profitemur. Quæ autem scripta sunt a nobis ad jam memoratum Deo amabilem metropolitam ejus, legimus ei; et in his permanere professa est; et exemplaria hujuscemodi epistolæ præbuimus ei. Ne ergo velis scandalum fieri plebi experti malorum, memorans terminum judicii domini, quod etiam his qui unum pusillorum scandalizant, inferre minatus est (*Matth.* XVIII, *Marc.* IX, *Luc.* XVII). Hoc autem sciat, quod donec epistolam nostram tribuerit Deo amabilissimo metropolitano suo, ex auctoritate sanctæ ac consubstantialis Trinitatis non habeat potestatem qualemcunque contingere sacerdotale officium. Oportet autem magis nos austerius eam aggredi, quam non correctam divinitus referendæ damnationi eam [ream] deserere.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Sicuti et prædixi, fratres, introductio illatæ novitatis hujus ex prædicto viro, id est episcopo Nacoliæ, facta est.

Constantinus Deo amabilis diaconus et notarius legit:

Epistola Germani episcopi Constantinopoleos ad Thomam episcopum Claudiopoleos.

Dixit in quodam eloquiorum suorum loco sapientissimus Salomon: *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma et alta: valet autem sicut seris munitum regnum* (*Prov.* XVIII). Ego autem non ex his qui adjuvare possunt, memet existimans, sed potius ex illis qui adjutorio egent, præsentem exarare litteram ad vestram studui Deo amabilitatem, cogitationum non ferens molestiam. Quædam enim eam egisse audiri,

quæ si quidem, ut secundum deiloquum Gregorium dicamus, mendacia auræ ferant : at si veracia, undique mentem meam confusio comprehendit. Putas enim quod et ipsa, secundum multorum desidiam, dilectionis jucunditate labiis tantum fuerit usa [*Gr.*, fit illicita], et non in profundum descenderit mentis, existimantis videlicet quod non sincera dilectione circa illam flagremus? vel hoc quidem nequaquam, sed imperitiam nostram et pigritiam, et negligentiam circa ea quæ Deo sunt placita, respuit; utpote quæ nullam curam gesserit in perscrutanda voluntate divina, secundum traditum nobis per sacras Scripturas sanctum mandatum? Aut horum non quidem est apta suspicio, illud vero fortasse opinandum est, ut meliore sibi facta revelatione (piget autem me dicere elatione quadam et prudentia [sensu tumido] : charitas enim malum non cogitat, ut ait divinus Apostolus [*1 Cor.* XIII]) in talem devenerit satisfactionem, quam manifestare nobis ex necessitate debeat [*Gr.* debet]. Porro facta est nobis ex hujusmodi suspicionibus [*Gr.*, hujusmodi suspicionum] non irrationabilis occasio : quia tempore multo degens apud nos vestra Deo amabilitas et commorans, quæ etiam litteralium nonnunquam verborum et quæstionum [Scripturæ non sententiarum et qu.] interrogationes proponens, nullum sermonem movit nobis aliquando de imaginibus sive sanctorum virorum, sive ipsius Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, et secundum carnem ejus sanctæ et veraciter Dei genitricis Mariæ : neque tanquam inquirens, et certitudinem invenire volens, id est interrogans, qualis nobis de hoc sensus existeret : et si secundum rationem esset quod in his fieret, nullam inferendo damnationem ista facientibus : sed neque ad firmam satisfactionem abjectione et interemptione dignum hujusmodi ducens, ad consilium nobis accipiendum tradidit semetipsam utrum [*Gr.*, ut] et nos similis sensus essemus : sed de his omnino in silentio perfecto se sciens, in civitate sua quasi ex communi dogmate et indubitabili quadam disceptatione imaginum depositionem, sicut didicimus, fecit : si veritas ita se habet, iterum dicemus. Etenim non est nobis facilis animus ad credendum inconsulte his qui crebro dicuntur detrahere proximis. Necessarium ponentes [*add. ex Gr.* : Sed nos nec. pon.], in tractatione et fraterna probatione ea quæ sensus nostri sunt, manifestare, subtiliter illa quæ de hoc sunt, consideramus aggredi; illud primitus commonentes, quia omnino cavere nos oportet rerum novitatem; et maxime ubi inter plebes quæ in fide Christi sunt, turbatio quædam et scandalorum causa subsequitur, deinde et prolixi temporis consuetudo in ecclesiis tenuit. Si enim cum consilio vinum potare Scriptura præcipit (*Prov.* XXXI), multo magis nos oportet multa inquisitione necessarioribus operam dare, ut non obnoxii terribilis efficiamur judicii, quod et illi qui unum ex minimis scandalizat, præparatur a Deo [*Matth.* XVIII] : et aliter [alioqui] subversionem verborum vel rerum, quæ ad injuriam Christi Ecclesiæ ab infidelibus collectæ sunt, facere debentes, etiam hujus venerabilem atque divinam ostendere immobilitatem. Hoc igitur in primis scire oportet, quia non tantum nunc, sed frequenter etiam Judæi talia nobis intulerunt in opprobrium, et hi qui vere idololatriæ cultores existunt, vituperare solum intemeratam et divinam fidem nostram conantes, et non, ut manufactis intenderent [*Gr.*, non intendatur : *al.*, non intenderent], perurgentes. Ubi illis omne studium et cultus super hoc perficitur, nihil his quæ videntur et sentiuntur, excelsius ponere, sed divinam naturam varie humiliare, aut loco quodam circumeludentes universorum inspectricem ejus providentiam, aut corporalibus specificantes formis quos non ignobiliter quidam prædecessores nostri ut canes mutos, ut cum Scriptura dixerimus, vane latrantes ab ovili Christi repulerunt : quorum non nobis sunt præ manibus studia. Sed et de propriis impiis adinventionibus veritatis sermo hos compescere facit : quorum quidem alius publicat paganorum immolationem et fabularum turpitudinem et exsecrationem. Judæos autem alius erubescere facit, quod non solum patres eorum ad idola prolapsi sunt, exprobrans, sed et quod contra legem, quam illi tenere se gloriantur, agant : sed loco quodam [*Gr.*, cum illa loco q.] definito ea quæ typicarum sunt hostiarum, offerre decreverit, isti in omni loco orbis terrarum hoc agere non detrectent, consuetam in sanctum Spiritum perfidiam paterna consequentia adinvenientes, et hoc modo immolantes dæmoniis et non Deo. Vera enim ad verum Deum servitus atque adoratio in observatione sanctæ confessionis quæ est circa eum, atque in custodia legum et mysteriorum, quæ et ab ipso sive generaliter, sive capitulatim data sunt, certissime dirigitur. Saracenis autem, quoniam et ipsi tale quid obtendere dignoscuntur, sufficit ad confusionem et verecundiam, afferre acclamationem, quæ usque in præsens in eremo ab eis inanimato lapidi celebratur, cognomenque illius dicitur [*Gr.*, invocationemque illius quod dicitur] Chobar, et cætera vanæ ipsorum traditionis et conversationis ludicra mysteria, quæ in insigni solemnitate gerebant [gerunt]. Christianorum autem omnium per totum orbem sub uno jugo, Evangelii videlicet, ut propheta dicit, servientium Deo forma peculiarissima est fides et confessio, credens in unum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Trinitatem increatam, sempiternam, incomprehensibilem, invisibilem, unius substantiæ ac sessionis : confitens pariter et Filii Dei incarnationem [*Gr.*, perfectam incarnationem], et alia secundum virtutem sacratissimi Symboli, quod plebs Christi concorditer ante mysticam et sanctam oblationem offert Deo : atque illa spiritualis regeneratio, quæ in nomine earumdem trium [divinarum] Dei principalium personarum per sanctum baptisma celebratur : atque divina cooperatione facta perceptio [*Gr.*, atque deificans perceptio], et communicatio vivificorum fœderum [*Gr.*, symbolorum] incruenti sacrificii : per quæ veritatis illu-

cesclt illuminatio, et impietatis tenebræ effugantur, habentes et ipsæ proprii erroris manifestissimam cognitionem, multorum videlicet deorum superstitionem. Hæc autem ita invicem adversantur, ut apostolice dicam, quemadmodum in principio divisit Deus inter lucem et inter tenebras. Dicat igitur nobiscum beatissimus Evangelista Joannes : *Hæc est victoria quæ vicit mundum, fides nostra* (*I Joan.* v); addatur autem et a nobis, et dicatur : Hæc est petra, supra quam Christus ædificavit suam Ecclesiam, portis inferi, id est aggressionibus contrariarum virtutum inconcussam et inevertibilem (*Matth.* xvi). Hinc novum nomen sortiti sumus, quod, ut Isaias dicit, benedicetur. Dixit enim ita : *Benedicent Deum verum* (*Isa.* lxv); et superignotam atque investigabilem ineffabilis ejus naturæ annuntiantes incomprehensibilitatem; invisibilem etiam illam, et incircumscriptam, et omnino incommutabilem indubitabili certitudine prædicantes; atque sempiternam ejus virtutem et divinitatem a creatura mundi, secundum sacratissimum Paulum, per ea quæ facta sunt, intellectam, conspicientes (*Rom.* i). Sicque servire Deo vivo et vero meruimus, et libertate qua Christus nos liberavit, honorificati sumus et glorificati, ab omni erepti idolico errore et impietate (*Gal.* iv) : cujus præcipua cognitio, dicere lapidi, Tu me genuisti : et ligno, Tu me fecisti, secundum prophetæ vocem : et non aspicere in cœlum, ut Isaias clamat (*Isa.* xxix), ut existimetur quis est, qui ostendit hæc omnia : qui educit per numerum mundum suum, per nomen vocabit præ multa gloria, et in multitudine virtutis; cujus manus plasmaverunt universam militiam cœli, quemadmodum alius quidam ait prophetarum : cæterum creaturæ universæ in apto ordinem intuentes, per eam intellectu animæ similiter generationis rationem considerare [*Gr.*, proportione productivum ejus verbum cons.], et per eam veraciter existentem Deum adorare, quemadmodum beatus Athanasius, sermonem contra idola componens, liquidius edocet. Sicut ergo nulla communicatio luci ad tenebras, vel conventio Christi ad Belial (*II Cor.* vi) : ita nihil est commune Christianis, qui unum Deum inaccessibili claritate et virtute adorandum colunt, ad eos qui fingunt Deum, et hujusmodi a propheta juste miseri vocantur (*Isa.* xliv). Illis enim cinis quidem cor est, sicut scriptum est : quorum alii quidem opera idoli a se facti creari sibi Deum recentem ex non existentibus opinantur : et corruente hoc ex qualibet causa et exterminato, firmiter tenent non esse sibi omnino Deum, nisi quiddam aliud pari modo condiderint. Et hoc liquido nos divina docet Scriptura in eo quod factum est in eremo, opere vituli ab Israelitis, quando seditionem commoventes dicebant ad Aaron : *Fac nobis deos, qui nos præcedant* (*Exod.* xxxii) : ostendentes per hoc, se arbitrari non esse omnino Deum, neque verum, neque falsi nominis, nisi forte idolum sibi artificio fieret vel exquisitum [*Gr.*, quod exquirebant]; cui post hoc exitum eorum ex Ægypto commodarent [*Gr.*, attribuerent], impietatis eorum et amentiæ ostendentes nimietatem. Alii autem post hæc gentilis religionis aggressi confusionem, et hanc circumtegere festinantes sub nomine deorum qui apud eos colebantur, simulacrorum curas studio [*Gr.*, structuras] peragebant, tam scilicet Jovis, quem et patrem et consulem, id est sublimissimum deorum ac hominum nuncupabant, quam cæterorum, quorum non est incerta nominatio pluribus. Quorum purgationes [venerationes] et honores, qui per sacrificia quæ ab eis celebrantur, fiebant, fornicationes quoque atque luxuriæ, ac totius immunditiæ demonstrationes, ut parum sit dici, turpia verba pariter et blasphemiæ : cum apud eos homicidia in honorem Dei studio agerentur, et pompa turpibus operibus eorum honorabatur, in honorem eorum qui adorabantur assumpta, utpote hæc illis agentibus; et his factis congratulantibus. Porro quæ apud Christianos sunt imagines sanctorum virorum, qui usque ad sanguinem restiterunt peccato secundum Apostoli vocem (*Hebr.* xii), quique verbo veritatis ministraverunt, prophetarum scilicet et apostolorum : sive etiam eorum qui pia vita et directione operum bonorum veraciter Dei servi ostensi sunt, nihil aliud sunt quam fortitudinis exemplum, conversationisque venerandæ ac virtutum norma, atque ad glorificandum Deum, cui in præsenti vita bene placuerunt, incitamentum et excitatio. Sermo enim bonorum virorum actus edocens, juvat audientes, et ad zelum imitationis frequenter invitat. Id ipsum autem fit secundum competentem rationem, si finis attendatur imaginum. Quæ enim sermo historiæ per auditum commendat, hæc pictura tacens per imitationem ostendit, magnus clamat Basilius, ex utroque isto ad fortitudinem hos qui attendunt, erigi dicens. Brevis enim, ut quis dixerit, et capitularis narratio gestorum a pictore in imagine [*Gr.*, ab eo qui depictus est in im.] fit nobis, qui aspicimus, imitabilis visionis ipsius formatio. Ut ergo et cum [*Gr.*, quemadmodum et cum] idolis falsorum deorum scelestæ ipsorum coexistunt [*Gr.*, simul apparent] actiones, et alium quidem ex auditu percipientem ea quæ per sanctos viros gesta sunt, in recordationem auditorum hujusmodi contemplatio impellit. Alium vero ignorantem ad diligenter percunctandum instruit, et quæ per illum docentur [*Gr.*, illius acta edoctum], in amorem et laudem Dei fervide suscitant : ita ut per utrumque istorum aspicientes sanctorum opera bona, glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est, secundum Evangelii vocem (*Matth.* v). At si per Moysem legislatio præcipit populo filum hyacinthinum in fimbriis quæ sunt in summitatibus vestium, imponi ad recordationem præceptorum atque custodiam (*Num.* xv) : quanto magis non convenit per similitudinem picturæ sanctorum virorum aspicere proventum conversationis eorum, et horum imitari fidem secundum apostolicum magisterium (*Hebr.* xiii)? Domini autem secundum carnis visionis imaginibus formari characterem, in redargutionem qui-

dem est hæreticorum, qui phantasia et non veritate hominem eum factum maledice perhibent, et in manuductionem quamdam eorum qui non omnino ad celsitudinem ascendere spiritualis contemplationis valent, sed indigent etiam quadam corporali consideratione ad auditorum firmamentum, quanto videlicet utilius et sollicitius fuerit [*Gr.*, rerum auditarum fir. quæcunque utiliores sunt, et majori prosequendæ affectu]. Mysterium enim quod et cœlos operuit majestate, absconditum a sæculis et generationibus in Deo, qui omnia creavit, et quod non solum ex auditu fidem habet (fides enim ex auditu, ait Apostolus [*Rom.* x]), sed etiam per visionem firmatur in eorum mentibus qui vident : et virtute illud vociferatur; quia se Deus manifestavit in carne, et creditum est in mundo, omnibus sanctius atque salubrius invenietur. Ita ut ea quæ scripta sunt per evangelicas prædicationes de conversatione ejus, qua secundum carnem in terra cum hominibus conversatus est, in populorum, ne delerentur, descripta sint monumentis : ut et cultus claritatis ejus, et circa nos bonitatis, manifestius prædicaretur et adoraretur. Non enim lignorum et colorum adoratur mistura, sed invisibilis Deus, qui in sinu Patris ipse adorationem assumit in spiritu et veritate, per se nobis oblationem quæ ad Patrem est, donans, ipse quoque cum ipso pariter adorandus (*Joan.* IV). Nam et Jacob adorasse dicitur super summitatem virgæ Joseph, non ligno cultum impendens, sed honorem ei qui hanc possidebat, ostendens (*Hebr.* XI). Sic itaque et sanctæ Domini et semper gloriosæ Matris effigies intelligitur a Christi populo, et honoratur : sic a priscis sanctissimarum Ecclesiarum prælatis talia recepta sunt, et hi nullam prohibitionem adepti sunt [*Gr.*, nulla prohibitione vetita sunt]. Quanquam post persecutionem transitus in adventum fidei, hæc ubique retenta concilia universalia etiam usque ad generationem nostram parati sunt, quæ plurimorum capitulorum super imaginibus regulas exposuere [*Gr.*, Cum tamen persecutionibus transactis, et fide cum libertate ubique prævalente, generalia quoque concilia usque ad nostra tempora facta sint, et ea canones ediderint de pluribus capitulis longe minoris momenti, quam sit de imaginibus disputatio]. Quas non esset congruum indiscusse super hoc et perfunctorie derelinquere, si secundum quorumdam opinionem cum idolorum formis et exsecramentis, quæ continentur in divinis Scripturis, etiam consuetudo quæ antiquitus apud nos tenebatur, discebat, vel ad Dei alienationem ducatur [*Gr.*, a priscis temporibus apud nos viget, in idem tendit, atque ad Dei alien. ducit]. Is enim qui se cum apostolis esse usque ad consummationem sæculi dixit (*Matth.* XXVIII), hoc videlicet etiam his qui post eos inspectores Ecclesiæ sunt, repromittit. Non enim cum illis corporaliter perseveraturus erat usque ad instantis sæculi transitum ; quin et cum his qui in nomine ejus duo vel tres congregandi erant, adesse perhibuit (*Matth.* XVIII) : A et non utique tot multitudines zelo congregatas suæ pietatis, divinæ intelligentiæ ac ducatus exsortes desereret, quo minus viderent pervenisse usque ad perseverantiam perfectionis Ecclesiæ ipsius, quam exhibuisse sibi credidimus non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi : licet non in paucis vel ignobilibus civitatibus, sed, ut ita dixerim, pene in omnibus regionibus, et in illustribus ac principalibus Ecclesiis hujusmodi more retento. Quod vero antiquum sit historicas narrationes Scripturarum frequenter in imaginibus formari, probat sanctæ memoriæ Gregorii Nyssæ sermo, de Abraham habens superscriptionem ; in quo de sacrificio Isaac historiam in picturis assumptam docet. Quod si secundum illos taliter se res habet, multo [*Gr.*, Quod B si gesta illorum ita, multo, etc.] magis Dominicæ dispensationis miracula et passiones hujusmodi debent consequi approbationem [*Gr.*, expressionem], quemadmodum et sanctorum martyrum triumphi certaminum, qui ad zelum bonum adducunt aspicientes. Quod manifeste factum ostenditur etiam in fortissimi et mirabilis testis veritatis Anastasii certamine. Sed illud fortasse dixerit aliquis, tueri [*Gr.*, vereri] necessarium nobis sanctæ Scripturæ præcepta. Ut puta : *Non facies tibimet idolum, neque omnem similitudinem, quæcunque in cœlo sursum, et super terram deorsum, et quæcunque in aquis subtus terram : non adorabis ea, neque servies illis* (*Exod.* XX). Et rursus : *Non accipies nomen Dei tui in vanum* (*ibid.*). Et in Deuteronomio : *Neque inique agatis,* C *et faciatis vobisipsis sculptilem similitudinem, et quæ cum illis* (*Deut.* V). Sed hæc omnia manifestum habent sensum, quod divina natura sempiterna sit [*Gr.*, forma carens sit] atque incomprehensibilis, et nulli similis æstimanda eorum quæ cernuntur : sed neque tractatibus et ingeniis ferenda ad corporales opiniones [*Gr.*, ut nequis conjecturis et suspicionibus ducatur ad corporeas conceptiones]. Prædicens enim Moyses : *Custodite valde animabus vestris, quia similitudinem non vidistis in die qua locutus est Dominus ad vos in Choreb de medio ignis ;* hæc prædicens, intulit statim : *Neque inique agatis, neque faciatis vobis ipsis sculptile* (*Deut.* IV, V), et quæ cum ipsis : recordatus vituli confectionis quæ facta fuerat, atque præcavere hortatus, ne et ipsi secundum Ægyptiorum consuetudi- D nem, quam sciebant, ad talem laberentur impietatem, et divinitatem æstimarent similem istis. Hoc enim et magnus Apostolus in concione facta apud Athenienses perhibuit : *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominis, divinum esse simile* (*Act.* XVII) ; eidemque sensui continuat : *Et ne accipias nomen Domini Dei in vanum* (*Exod.* XX), id est, ne voces et æstimes Deum quod non veraciter hoc est, sed frustra opinionem et cognomen tale promernit. Sed nobis, ait magnus Apostolus : *Unus Deus Pater ex quo omnia, et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, et unus Spiritus sanctus in quo omnia* (*I Cor.* VIII) : non naturali alternitate pro

præpositionum commutatione inducta. Absit : tria enim unus Deus cum alterutris intelligitur, ut docet Gregorius sapiens. Nulli ergo nomen quod est super omne nomen [*Gr. add.*, aut cultum, aut latriam] populus Christi usque hodie, excepta sancta et vitæ principali Trinitate, applicuit. Absit. Nam ubi nos servire talibus divina Scriptura prohibet, et alienos seu exsortes a tali vult errore modis omnibus exhiberi [Certe enim latriæ cultum non exhibendum hujusmodi rebus, addendo, Scriptura alienos nos et omnino exsortes ostendit a tali errore]. Denique manifestus est idolorum servitutis modus. Apud nos autem unus est Deus adorandus, et una et eadem in ipsum est fides, et unum ac salutare baptismum : sic et una quæ offertur ei servitus a nobis, sicut traditum est a sacris apostolis, et conservatum ; sacrificiumque laudis, quod per Christum referendum est Deo et Patri, ut divinus ait Apostolus (*Hebr.* XIII), id est labiorum fructus confitentium nomini ejus; et divinissima traditio quæ est in vivificis mysteriis, quam prænuntiavit Malachias propheta quasi ex persona Dei locutus : *Quia ab ortu solis usque ad occasum glorificatum est nomen meum in gentibus, et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium mundum* (*Malach.* I). Nullus igitur est consensus templo Dei, id est ipsius Ecclesiæ cum idolis (*II Cor.* VI). Absit. Hæc est enim columna et firmamentum veritatis, ut apostolice nuncupata est (*I Tim.* III) : idolorum autem nomina exterminabuntur a terra, propheta Zacharias clamat (*Zach.* XIII) : quando omnis locus domui David, id est Ecclesiæ Christi, cujus domus nos sumus, per receptionem [*Gr.*, receptioni] fidei ejus adaperietur. His utique addentur tam ea quæ sunt in sapientia quæ dicitur Salomonis, quam et illa quæ apud magniloquum rejacent Isaiam. Ibi enim dicitur : *Initium fornicationis excogitatio idolorum. Adinventio autem eorum corruptio vitæ. Neque enim erant ab initio, neque in sæculum erunt. Inani enim gloria hominum introivit* [Gr., *introierunt*] *in mundum, et ideo brevis eorum finis excogitatus est* (*Sap.* XIV), et cætera ; apud prophetam autem : *Confundentur qui fingunt Deum* (*Isa.* XLIV) et sculpunt : et omnes unde facti sunt, exsiccati sunt, et surdi ab hominibus facti sunt, et ea quæ cum ipsis efferuntur, fabri lignariæ artis excogitatio : et lignorum quæ in ministerium hominibus sunt, efficientia [*Gr.*, transmutatio] in viri formam, et publicatio amentiæ eorum qui adorant ea quibus infertur. Videte, non dicetis, quia mendacium in dextera mea est : quod ad præscriptæ impietatis destructionem intulit. Nos ergo scientes et credentes in Filium Dei, qui est veritas et dextera Patris, alieni a prædicta prophetæ damnatione ostendimur et secundum hoc opportune propheticum verbum dicam : Quid paleæ ad frumentum (*Jer.* XXIII)? Quæ familiaritas non subsistentis levitatis, quæ ventilatur a spiritibus nequitiæ, eorum qui serviunt creaturæ potius quam Creatori, ad veræ Dei cognitionis alumnum in omni [*Gr.*, nutritium sermonem qui in omni] plebe Christi invenitur? Illi enim de quibus Isaias dixit (*Isa.* LXV), super vertices montium immolabant, et super colles sacrificabant, subtus quercum et populum et arborem obumbrantem : quia bene tegit [*Gr.*, bonum tegumentum], quemadmodum alius prophetarum Isaiæ coævus clamat (*Ose.* IV). Populus autem Christi regem sæculorum incorruptibilem, invisibilem, solum et sapientem Deum (*I Tim.* I) adorat in aula sancta ejus, adorationem in spiritu et veritate faciens, omnemque laudem et glorificationem vivificæ Trinitati incessanter offerens. Brevis autem finis idolorum, quem sapientia concionatur, id est horum demolitio, et quod non in sempiternum maneant, non aliunde quam ex apparitione factum est magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi; quam Ecclesia ejus, quæ a finibus usque ad fines orbis terræ sanguine ejus acquisita est, semper pie sentiens confitetur et glorificat. Nihil ergo reprehensionis idolorum, quæ in illis scripta est, germanus et verax Trinitatis adorator populus Christi in semet attrahit, sanctorum virorum imagines habendo ad rememorationem virtutis eorum : quemadmodum nec beato Paulo apostolo carnis prohibenti circumcisionem, et eos qui secundum legem justificari volebant, increpanti, culpam aliquam infert aut crimen, quod circumciderit Timotheum legaliter, quod totonderit, atque in templo sacrificium obtulisse claruerit. Neque enim quæ patrantur, simpliciter intueri oportet; sed ubique intentionem gestorum convenit comprobari [*Gr.*, gerentium convenit probari, quæ agentem vel crimine absolvit, vel contra damnat]. Nisi enim hoc diligenter observetur, fortasse nec ipsius Dei præceptum sine calumnia penes infideles efficietur. Quod autem sculptiles lege interdicente [*Gr.*, Siquidem sculptile sive conflatile lege interdicente], qui obumbrabant propitiatorium super arcam cherubim gloriæ, ut Apostolus nominat (*Hebr.* IX), talis essent [erant] fabricatæ [structuræ] : quibus et divinam quoque gloriam contineretur [insidere], non solum ex Scriptura discimus, sed et beatus Athanasius illud psalmi dictum interpretans, *Qui sedes super cherubim, appare* (*Psal.* LXXIX), talem de illis tradidit intelligentiam. Et certe illorum cherubim principalia ignota sunt omnimodis natura hominibus : spiritus enim et ignis existunt, et ab omni corporali formatione atque natura extranea. Quæ enim de illis corpulentius a propheta dicta sunt, symbolicum et excellentem [*Gr.*, anagogicum] sensum habent, aliter intelligi valentia [*Gr.*, non valentia] secundum venerabilem rationem, et id quod incorporalia decet. Illudque dicere necessarium est, quoniam nequaquam Christiani eorum qui sibi sunt secundum carnem agnati, noti vel affines, speciem depingentes, colunt, aut aliquo reddunt dignos honore. Sed neque imperialium præceptorum potestati succumbentes talia excogitaverunt, super quibus juste accusantur illi, qui *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, et mutave-*

runt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, ut ait Apostolus (*Rom.* I): ita ut etiam ex hoc plane modo demonstretur, quod calumnia quæ scripturæ inest, nobis [*Gr.*, accusatio, quam infert scriptura, nobis] non possit aptari. Ergo si pias de divinitate opiniones ad corpulentias transferentes, et ea quæ Deo decibilis gloriæ atque servitutis sunt, deserentes, aut secundum aliquid omnino minorantes de hujusmodi causa ostensi fuerimus, bene utique circumauferri haberent ea quæ occupant et abstrahunt nos a cultura et sedulitate, qua circa unum et verum utimur Deum : quod nunc e contrario videmus factum. Intendens enim quis cum disciplina imagini cuidam sanctorum, quemadmodum conveniens est, Gloria tibi Deus, dicit, sancti cujuslibet nomen adjiciens : ita ut per hunc quoque modum compleatur quod in oratione dicitur a nobis, quo et per invisibilia et visibilia glorificetur sanctissimum nomen Christi. Sed neque Deum quemdam sanctorum virorum vocare patimur : quanquam hujusmodi appellationem is qui proprie solus et unus est Deus, illis qui sibi placuerint, largitus sit, quemadmodum in sacro psalmorum scriptum est libro (*Psal.* LXXXII). Neque rursus ut sufficientem habere nos arbitrantes Dei cognitionis certitudinem, tales imagines parvipendimus, vel spernimus concursum qui in ecclesiis Dei fit; sed die ac nocte, imo ut cum psalmo dixerim (*Psal.* LIV), vespere et mane et meridie Deo benedicimus, et maxime in tempore divini sacrificii ac officii. Quin potius ut liquido scientes, non aliunde nobis spem provenire salutis, nisi ex pia fide et confessione quæ in unum Deum, qui in Trinitate adoratur, efficitur : quarum una quidem in corde consistit, altera vero in ore profertur (*Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* [*Rom.* VI]) : semper laudem ipsius Dei qui fecit nos (*Psal.* CXLIX), in ore habemus, et exaltationes ejus in faucibus ferimus, omnisque plebs Christi ad perceptionem sanctissimi corporis ejus et sanguinis, per quæ memoriam mortis ejus et resurrectionis secundum ipsius celebramus traditionem, insatiabili desiderio et divinitus mota industria perurgetur magis, quam cervus ad fontes aquarum (*Psal.* XLI). Sed nec illud scandalizet quosdam, quod ante imagines sanctorum luminariorum concinnatio et suavis odoris thymiamata fiunt. Symbolice namque talia celebrari ad honorem illorum excogitata sunt, quorum cum Christo requies est, quorum honor in eum recurrit : hoc probante Basilio sapiente (*homil. in quadraginta martyres*), quia honor circa bonos conservorum approbationem habet benevolentiæ erga communem exhibitæ Dominum. Indicia sunt namque sensibilia lumina divini ac sine materia luminis dati : porro aromatum incensum purissimæ et totius sancti Spiritus inspirationis et refectionis [*Gr.*, repletionis] insigne. Et hæc quidem veluti contra emergentes oppositiones et contradictiones, quæ quasi ex Scripturis prætenduntur, scribenda consideravimus; rogantes, ut id quod sine scandalo et turbatione populi sit, omnimodis persequamini : præsertim cum, ne unus ex minimis contemnatur, præcipiat Dominus ; similiter autem et ne scandalizetur, importabilem [cum hoc imp.] ferat et terribilem iis qui hoc fecerint, damnationem (*Matth.* XVIII). Nunc autem et civitates omnes [*Gr.*, totæ] et multitudines populorum non in pauco super hoc tumultu consistunt : in quo ne nos obnoxii appareamus, omni studio procuremus. Præ omnibus providendum est nobis, quod mentem meam commovet, ne occasionem elationis hinc capiant ii qui contra fidem nostram inimici sunt crucis Christi, dicentes, quod usque nunc Christiani errassent. Nisi enim hoc idololatriam esse cognovissent, nequaquam modo manufactorum abjectionem fecissent. Quod quantam injuriam et depositionem inferat fidei quæ in Christum est, unusquisque confessus exstiterit. Siquidem et hoc quasi quid verisimile profecto dicturi sunt, quoniam his qui semel erraverunt, omnino persuaderi non poterit [*Gr.*, omnino dandæ non sunt aures]; quippe penes quos veritas non est. Porro quid plura dixerim, cum et ipsi per cuncta piissimi et amici Christi imperatores nostri tabulam veraciter proprii deitatis amoris, id est imaginem quæ ante regalia est, erigentes, et in ea apostolorum et prophetarum imponentes effigies, et horum de Domino inscribentes voces, confidentiæ suæ glorificationem salutarem crucem esse prædicaverunt? Capitula vero sunt, quæ dicunt, per imagines [*Gr.*, Caput vero eorum qui dicuntur, per imag.] diversas Deum operatum miracula, de quibus multi multam historiam texere volunt ; utputa infirmitatum medelas, quas et ipsi nos experti sumus, et circumventionum resolutiones, quas in somnis per picturas crebro conspeximus [*Gr.*, et crebras depictorum in somnis visiones]. Porro maxime omnium manifestissimum, et nullam controversiam vel ambiguitatem sustinens, est, quod imago quæ pridem Sozopoli Pisidiæ intemeratæ Dei genitricis fuit, ex depicta palma sua unguenti emanationem profuderit. Cujus miraculi testes sunt multi. Licet autem nunc hujuscemodi non fiat opus miraculi, non tamen incredibilia erunt priora, ne pari modo incredibilia judicentur quæ in Actibus apostolorum sunt descripta, in principio prædicationis, signa diversa et charismata Spiritus, quæ hunc minime patrantur; amatore hominum videlicet Deo per talem condescensionem eos qui infirmiores erant [sunt], potentiores in fide sua perficiente, et pariter suam virtutem etiam per hos [per hæc] ostendente, quemadmodum apostolorum factum est tempore. Aliquando enim horum umbra, aliquando vero vestium sublata [*Gr.*, de vestibus pendentia] sudaria sanitates præstabant. Sicut ergo in illis non omnis corporis umbra, sed Petri tantummodo dabat laborantibus medelam : similiter et sudaria non omnis vestimenti, sed Pauli solummodo sanabant infirmos, in satisfactionem fidei ejus qui ab ipsis prædicabatur, qui gratiam suam etiam per inanimata demon-

strabat : ita et super imaginibus sæpe fieri placuit ; non in omni imagine vel pictura talis specie beneficii inter credentes effecta, sed in solis sanctorum, vel etiam ejusdem Domini : quo non suapte intelligerentur sanitates accedere, sed ex sola gratia Dei nostri. Dignum autem, ut reor, est, neque illud prætermittamus, quod Eusebius Pamphili in ecclesiastica Historia posuit, quia in Paneade civitate, quam Cæsaream Philippi Evangelium nominat, fertur domum esse sanguinis fluxum patientis [passæ] mulieris, quæ fimbria Salvatoris sanata est, sicut scriptum est in Evangeliis (*Matth.* IX). Cujus domus pro foribus aiunt statuam de ære factam stare, imaginem ferentem Domini ; contra quam formam mulieris genibus provolutæ consistere, palmis extensis supplicanti similem ; in recordationem miraculi quod factum est circa se, hoc ab ea sollicite acto : et quod ad pedes statuæ in nomine Domini factæ, herba quædam oritur nova specie ac ignota, quæ variorum languorum medicamentum est ; quod per seipsum vidisse Eusebius ait : manifeste Salvatore propriæ gratiæ dispensatoriæ insignia faciente ad fidem mulierculæ ; ostendente quod nos superius indicavimus, quia non simpliciter tractanda [accipienda] sunt quæ geruntur, sed intentio ei [facientis] est comprobanda. Dicit autem idem Eusebius quod et apostolorum imagines Petri et Pauli, atque ipsius Christi, per colores æstimatas [*Gr.*, conservatas] in picturis aspexerit. Non autem hoc dicimus nos, ut statuas æneas facere studeamus, sed ut insinuemus quoniam et illud secundum gentilem consuetudinem factum, non renuente, sed volente Domino, ut in ipso demonstretur per plurimum tempus ipsius bonitatis miraculum : [a] quod apud nos venerabilius est qualiter obtinens mos, doceat commemorationis [*Gr.*, morem, qui apud nos obtinuit magis pie quodammodo, non est fas vituperare. In his igitur absolvatur nostræ com.] sermo. Deus autem veritatis, qui deduxit nos in omnem veritatem, et omnem dissensionis occasionem, et turbationis causam a nostris abigit animabus, unanimiter uno spiritu glorificantes cum supercœlesti regno dignos efficiat.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Clamaverunt custodes Ecclesiæ catholicæ, sancti videlicet Patres nostri, qui semper supra intelligibiles ejus vigilantes arietes [intelligibilia propugnacula], omne prælium et inane verbum repulerunt ; et hanc indiscerptam servantes, universam phalangem adversantium persecuti sunt, et una cum veteribus hæresibus et errorem novæ pravitatis Christianos calumniis appetentium pupugerunt gladio spiritus. Dicamus ergo cuncti una voce cum magistro nostro, Paulo videlicet divino apostolo : *Christus pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II). Ipsum decet gloria, honor et adoratio cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

Sancta synodus dixit : Divinitus sonantium Patrum doctrinæ nos correxerunt ! Ex ipsis haurientes veritatem potati sumus ! Eos sequentes, mendacium persecuti sumus ! Ab eis edocti, venerabiles imagines salutamus ! Patres prædicant, filii obedientiæ sumus, et congratulamur in facie matris, traditione Ecclesiæ catholicæ ! Credentes in unum Deum, in Trinitate laudandum, honorabiles imagines salutamus ! Qui sic se non habent, anathema sint ; qui ita non sentiunt, procul ab Ecclesia pellantur ! Nos antiquam legislationem Ecclesiæ catholicæ sequimur ! Nos jura Patrum conservamus ! nos eos qui addunt quid, vel auferunt, ex catholica Ecclesia anathematizamus ! Nos subintroductam novitatem Christianos accusantium anathematizamus ! Nos venerabiles iconas salutamus ! Nos eos qui sic se non habent, anathemati submittimus ! Christianos accusantibus, id est, imagines contringentibus anathema sit ! His qui assumunt dicta sanctæ Scripturæ, quæ sunt contra idola, in venerabiles imagines, anathema ! His qui non salutant sanctas ac venerabiles iconas, anathema ! His qui appellant sacras imagines idola, anathema. His qui dicunt, quod veluti ad deos Christiani, ita ad iconas accedant, anathema ! His qui communicant scienter injuriam et inhonorantiam inferentibus venerabilibus imaginibus, anathema ! His qui dicunt quod, excepto Christo Domino nostro, alius nos erneit ab idolis, anathema ! His qui audent dicere catholicam Ecclesiam idola aliquando recepisse, anathema !

Et postquam probati sunt præfati anathematismi per chartam, sancta synodus, legente Euthymio episcopo Sardis, pronuntiavit subter annexa.

Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi divinum adimplentes præceptum, sancti Patres nostri lucernam sibi divinæ cognitionis ab eo datam non sub modio absconderunt, sed supra candelabrum posuerunt utilissimi magisterii, ut luceat omnibus qui in domo, id est, qui in Ecclesia catholica nati sunt : ne forte offendat aliquis eorum qui pie confitentur Dominum ad lapidem hæreticæ et malæ opinionis pedem suum. Ipsi enim omnem errorem hæreticorum foras expellunt, et putrefactum membrum, si insanabiliter elanguet, excidunt ; et ventilabrum habentes, aream purgant : et triticum quidem, id est, verbum quod nutrit, quodque confirmat cor hominis, includunt in horreo catholicæ Ecclesiæ : paleam autem hæreticæ ac malæ opinionis foras proj cientes, comburunt igne inexstinguibili (*Matth.* III). Quamobrem sancta et universalis hæc synodus beneplacito Dei et nutu piorum et fidelissimorum imperatorum nostrorum, Irenæ

[a] *Græci, ne sacra omnibus pateant, sacrum altare cancellis circumcludunt : in quibus reponunt imagines, quæ simul altare contegunt, et populo adorandæ proponuntur. Hinc videtur allusisse Germanus ; id enim statuæ minus commode præstare queunt, ac proinde usum imaginum ut commodiorem et communiorem magis etiam pium quodammodo vocavit. Nam alioqui pium esse ac receptum ab Ecclesiis sacrarum statuarum usum ex quibusdam episcoporum interlocutionibus, et ex ipsa definitione hujus synodi apertissime constat.*

novæ Helenæ, ac novi Constantini hujus Deo conservandi germinis, congregata secundo in hac Nicæensium clara metropoli, per lectionem considerans memorabilium et beatorum Patrum nostrorum dogmata, ipsum quidem Deum glorificat, a quo illis datus est sermo ad doctrinam nostram, et ad perfectionem catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ : adversus vero eos qui non sentiunt ea quæ illi, sed obumbrare moliuntur eam quæ vere est veritas, per novitatem suam, psalmi concinunt vocem : Quanta malignati sunt inimici in sancto tuo, et gloriati sunt dicentes, quia non est magister, et nos non cognoscet tractantes dolose verbum veritatis (*Psal.* LXXIII). Nos autem per omnia eorumdem deiferorum Patrum nostrorum dogmata et præcepta tenentes, prædicamus uno ore et uno corde, nihil addentes, nihil auferentes ex his quæ ab illis tradita sunt nobis ; sed in his roboramur, in his confirmamur : ita confitemur, ita docemus, quemadmodum sanctæ ac universales sex synodi definierunt et firmaverunt. Et credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium factorem visibilium et invisibilium : et in unum Dominum Jesum Christum unigenitum Filium et Verbum ejus, per quem omnia facta sunt. Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, consubstantialemque et consempiternum eidem Patri et Filio ejus, qui una cum eo sine initio est. Trinitatem inconditam, indivisam, incomprehensibilem, incircumscriptam : eamdem totam ac solam servitute [latria] colendam, et adorandam, et venerandam : unam deitatem, unam dominationem, unam potestatem, unum imperium et potentiam, quæ personis dividitur indivise, et substantia copulatur divise. Confitemur et unum ejusdem sanctæ et consubstantialis Trinitatis, Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum in novissimis diebus propter nostram salutem incarnatum et hominem factum, salvasse per salutiferam dispensationem suam, passionemque ac resurrectionem, et in cœlos regressionem, genus nostrum, et nos liberasse ab errore idolorum ; et ut ait propheta : *Non legatus, non angelus, sed ipse Dominus salvavit nos* (*Isa.* XXXIII). Quem et nos sequentes, et hujus vocem propriam facientes, magna voce clamamus : Non synodus, non principum imperium, non conjuratio Deo odibilis, ab idolorum errore liberam fecerunt Ecclesiam, quemadmodum Judaicum deliravit concilium, quod contra venerabiles imagines infremuit ; sed ipse gloriæ Dominus incarnatus Deus nos salvavit, et ab idolica deceptione eripuit. Ipsi igitur gloria, ipsi grates, ipsi gratiarum actio, ipsi laus, ipsi magnificentia ipsius : redemptio ipsius salus, qui salvare solus in perpetuum [perfecte] potest, et non aliorum, qui de humo veniunt, hominum. Ipse in nobis, in quos fines sæculorum devenerunt, per incarnatam dispensationem suam prænuntiatos prophetarum suorum affatus terminavit, inhabitans in nobis, et inambulans, et delens nomina idolorum a terra, sicuti jam scriptum est. Salutamus autem et Dominicas et apostolicas et propheticas voces, per quas honorare et magnificare didicimus, primo quidem eam quæ proprie ac veraciter est Dei genitrix, et superior cœlestibus cunctis virtutibus ; sanctasque et angelicas virtutes, atque beatos et laudabilissimos apostolos, prophetasque et gloriosos martyres, qui pro Christo certaverunt ; atque sanctos et deiferos magistros, et omnes sanctos viros : et horum expetere intercessiones, ut valentes nos familiares reddere regi omnium Deo, custodientes videlicet mandata ejus, et in virtutibus vivere procurantes. Insuper salutamus et figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, et sancta lipsana sanctorum ; et sanctas ac venerabiles iconas recipimus et salutamus, atque amplectimur secundum antiquam traditionem sanctæ catholicæ Dei Ecclesiæ, id est, sanctorum Patrum nostrorum, qui et has susceperunt, et stabilierunt fore in cunctis Dei ecclesiis, et in omni loco dominationis ejus. Porro has pretiosas et venerabiles iconas, ut prædictum est, honoramus et salutamus, ac honoranter adoramus : hoc est, magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi humanationis imaginem, et intemeratæ dominæ nostræ sanctissimæ Dei genitricis, ex qua ipse voluit incarnari, et salvare atque liberare nos ab omni impia idolorum vesania : sanctorum etiam et incorporalium angelorum : ut homines enim justis apparuerunt. Similiter autem et divinorum ac famosissimorum apostolorum, deiloquorum etiam prophetarum, et certatorum martyrum, et sanctorum virorum figuras et effigies, utpote per picturam suam in recordationem et memoriam adducere nos valentes, et ad principale attrahere, atque participes facere alicujus sanctificationis. Hæc ita sapere et didicimus et roborati sumus a sanctis Patribus nostris, et ab eorum divinitus tradito magisterio. Et gratias Deo super inenarrabili dono suo, quia in finem non deseruit nos, neque reliquit virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas, id est, actuales operationes suas : sed bene fecit bonis et rectis corde, quemadmodum hymnographus David melodice cecinit ; cum quo et residuum psallimus : Quia de cætero declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem : et pax super Israel Dei (*Psal.* CXXIV).

✠ *Interpretatio subscriptionis Romanorum.*

In nomine Domini Jesu Christi Petrus, misericordia Dei archipresbyter sanctæ Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ, et locum complens Adriani sanctissimi et apostolici papæ senioris Romæ, omnes recipiens qui conversi sunt ab impia hæresi reprobantium venerabiles imagines, secundum doctrinam et traditionem sanctorum Patrum nostrorum, omnia quæ superius efferuntur, approbans et consentiens, subscripsi.

Petrus, misericordia Dei presbyter et hegumenus monasterii sancti Sabbæ, et locum complens Adriani sanctissimi et apostolici papæ senioris Romæ, omnes

recipiens qui conversi sunt ab impia hæresi reprobantium venerabiles imagines secundum doctrinam traditionemque sanctorum Patrum nostrorum, omnia quæ superius efferuntur, approbans et consentiens, subscripsi.

Tarasius[a], misericordia Dei episcopus Constantinopoleos novæ Romæ, confirmans sic se habere veritatem omnia quæ superius efferuntur, libenter admittens, his subscripsi.

Joannes, misericordia Dei presbyter et patriarcharum syncellus, locum retinens trium apostolicarum sedium, Alexandriæ, Antiochiæ, et Hierosolymorum, omnibus quæ præferuntur in hoc textu, consentio, et conveniens subscripsi mea manu.

Thomas, misericordia Dei presbyter et hegumenus monasterii sancti Patris nostri Arsenii in Ægypto siti, locum retinens trium apostolicarum sedium, Alexandriæ, Antiochiæ, et Hierosolymorum, omnibus quæ præferuntur in hoc textu consentio, et concordans subscripsi.

Agapius indignus episcopus Cæsariæ Cappadociæ libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Joannes episcopus Ephesi libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Constantinus episcopus Constantiæ Cypriorum insulæ, secundum ea quæ superius efferuntur, quamque nos confessi sumus orthodoxam fidem, suscipio, et saluto sacras et venerabiles iconas, et honorabiliter adorans, subscripsi.

Theophilus indignus episcopus Thessalonicæ libenter omnia præscripta suscipiens, subscripsi.

Basilius indignus episcopus Ancyræ Galatiæ libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Leo episcopus Heracliæ Thraciæ similiter.

Nicolaus indignus episcopus Cyzici omnia quæ præscripta sunt, libenter admittens, subscripsi.

Euthymius indignus episcopus Sardorum libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Petrus indignus episcopus Nicomediæ libenter quæ scripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Elias peccator, episcopus Cretensium insulæ, libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Hypatius indignus episcopus Nicææ Bithyniensium provinciæ libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Stauracius peccator, episcopus Chalcedonis, omnia quæ præscripta sunt, libenter suscipiens, subscripsi.

Leo, gratia Dei presbyter sanctissimæ Dei apostolicæ magnæ Ecclesiæ, et princeps monasteriorum, et defensor sanctissimæ Dei Ecclesiæ, libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Epiphanius peccator, diaconus sanctissimæ Ecclesiæ Catanæ Siculorum provinciæ, et vicarius Thomæ sanctissimi archiepiscopi Sardiniæ, sequor ut debent rationabiles pecudes pastorum voces, quemadmodum Dominus ait, quia *oves meæ vocem meam audiunt* (*Joan.* x). Ergo et ego pastorum rectas voces sequens, per vestigia eorum incedere propono: quibus et consentiens in omnibus testimoniis ipsorum quæ lecta sunt, subscripsi.

Nicephorus indignus episcopus Dyrrachianensium provinciæ, Illyricianensium regionis, libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Nicolaus monachus hegumenus, et ex persona throni Tyanorum, libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Daniel peccator, episcopus Amaseæ, libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Georgius indignus presbyter, et ex persona throni Nazianzi, libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Constantinus indignus episcopus Gangrensium, similiter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Nicetas peccator, episcopus Claudiopoleos, libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Gregorius exiguus episcopus Neocæsariæ libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Gregorius indignus episcopus Pisinuntensium libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Theodorus indignus episcopus Myrorum Lyciæ libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Eustathius indignus episcopus Laodiceæ Phrygarum provinciæ libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Michael indignus episcopus Synadensium, libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Gregorius [Georgius] indignus episcopus Antiochiæ Pisidiæ libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Theophylactus indignus diaconus exarcatus, et ex persona claræ metropoleos Cariæ, libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Leo indignus episcopus Iconii libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Anastasius indignus episcopus Nicopoleos veteri Epiri libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Constantinus indignus episcopus Pergæ, libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Gregorius peccator, presbyter, et ex persona throni Trajanopoleos Thracensium regionis, libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Leo indignus episcopus Rhodi libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Christophorus indignus episcopus Phasidis, id est, Trapezuntinensium, libenter omnia præscripta suscipiens, subscripsi.

[a] In ms. Jol. Tarasius postponitur Joanni.

Manuel indignus episcopus Hadrianopoleos libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Nicolaus indignus episcopus Hierapoleos Phrygarum provinciæ libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi manu mea.

Basilius indignus episcopus civitatis Silæi libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Galato exiguus presbyter, et ex persona [Stephani] archiepiscopi Siciliæ, libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Theophylactus indignus episcopus Euchaitensium libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Cyrillus monachus, et ex persona Joannis [monachi] episcopi Gothiæ, enutritus apostolicis prædicationibus et Patrum traditionibus, et quæ nunc præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Theodorus indignus episcopus Seleuciæ, libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Stephanus indignus episcopus civitatis Sugdensium [Sugdaensium] libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Antonius indignus monachus, et ex persona throni Smyrnæ, libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi.

Constantinus episcopus Chii [*Gr. et ms. Jol.*, Rhegii] libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi

Joannes miser et peccator cacomonachus [peccator monachus], locum faciens Procopii reverendissimi episcopi, consona Patribus per omnia sapiens, subscripsi.

Theodorus indignus episcopus Catanæ, ratum ducens semper amatores veritatis et sanctorum Patrum doctrinam et vestigia sequi, atque rectis eorum venustari dogmatibus; his et ego taxari [*id est*, annumerari] festinans, consentiens omnibus quæ ab eis edicta sunt, iis quæ præscripta sunt, subscripsi.

Joannes indignus episcopus Tauromeniæ, concorditer per omnia sanctorum Patrum doctrinas et testimonia eorum quæ prolata sunt, sequens, subscripsi.

Gaudiosus indignus episcopus Missinæ [Messanæ], concorditer per omnia sanctorum Patrum doctrinas et testimonia eorumdem, quæ prolata sunt, subsequens, subscripsi.

Theodorus indignus episcopus Panormi, concorditer doctrinas et testimonia eorum quæ præscripta sunt, sequens, subscripsi.

Constantinus indignus episcopus Leontinæ, concorditer per omnia sanctorum Patrum doctrinas et testimonia eorum quæ prælecta sunt sequens subscripsi.

Stephanus indignus episcopus Bibonensium, concorditer per omnia sanctorum Patrum doctrinas et testimonia eorum quæ prælata sunt, sequens, subscripsi.

Joannes indignus episcopus Tricalcos definiens, similiter subscripsi.

Theodoricus [Theodorus] indignus episcopus Taurianæ, concorditer per omnia sanctorum Patrum doctrinas et testimonia eorum quæ prælata sunt, sequens, subscripsi.

Cristophorus indignus episcopus sanctæ Cyriacæ, concorditer per omnia sanctorum Patrum doctrinas et testimonia eorum quæ prælata sunt, sequens, subscripsi.

Basilius indignus episcopus Liparetensium insulæ, superius latis sanctorum Patrum doctrinis conveniens in omnibus, subscripsi.

Theotimus indignus episcopus Crotonensium, superius prolatis sanctorum Patrum testimoniis consentiens in omnibus, subscripsi.

Constantinus indignus episcopus Larinæ, superius prolatis testimoniis sanctorum Patrum consentiens in omnibus, subscripsi.

Theophanes episcopus Lilybæi similiter.

Theodorus episcopus Tropæorum similiter.

Sergius episcopus Nicoterensium similiter.

Theodorus episcopus Bizyæ similiter.

Maurianus episcopus Pompeiopoleos similiter.

Joannes episcopus Salonentianæ similiter.

Eustratius episcopus Bithyniensium provinciæ similiter.

Petrus episcopus Germensium similiter.

Joannes episcopus Arcadiopoleos similiter.

Constantinus presbyter, et ex persona throni Sebastopoleos, similiter.

Gregorius presbyter, et ex persona Nicetæ episcopi Coloniæ, similiter.

Sisinnius episcopus Parii similiter.

Epiphanius episcopus Mileti similiter.

Niceta episcopus Præconnesi similiter.

Joannes presbyter, et ex persona Nicetæ episcopi Coloniæ, similiter.

Ursus episcopus Avaritianensium Ecclesiæ similiter.

Eustratius episcopus Methymnæ similiter.

Leo episcopus Cii similiter.

Joannes episcopus Apri similiter.

Theophylactus episcopus Cypsellorum similiter.

Laurentius episcopus sanctæ Apsaretianensium Ecclesiæ similiter.

Leo episcopus Carpathi similiter.

Eustathius episcopus Crotadensium similiter.

Cyriacus episcopus Zyparensium [Drizyparensium] similiter.

Leo episcopus Mesembriæ similiter.

Gregorius episcopus Dercensium similiter.

Theodorus [*Gr.*, Theodosius] episcopus Amorii similiter.

Joannes episcopus Nyssæ similiter.

Georgius episcopus imperialium Thermarum similiter.

Georgius episcopus Camulianorum similiter.

Soterichus episcopus Ciscissensium similiter.

[Theophylactus hypæpensium similiter.]
Theophylactus episcopus Trallæ similiter.
Constantinus episcopus Mastaurorum similiter.
Georgius episcopus Briulensium similiter.
Ignatius episcopus Prinæ similiter.
Constantinus presbyter, et ex persona throni Agathæ [Agaæ], similiter.
Theodosius episcopus Nyssæ similiter.
Basilius episcopus Magnesiæ similiter.
Basilius episcopus Magnesiæ Mæandri similiter.
Sabbas episcopus Ancensium similiter.
Nicephorus presbyter, et ex persona episcopi Gargarensium, similiter.
Georgius episcopus Palæaspoleos similiter.
Theophanes episcopus Chalchæ [Caloæ : Calohæ] similiter.
Leo episcopus Algizensium similiter.
Nicodemus episcopus Evazensium similiter.
Lycastus episcopus Varetensium similiter.
Theognius presbyter, et ex persona Philippi episcopi Sion, similiter.
Theophanes episcopus Lebendi similiter.
Stratonicus episcopus Cymæ similiter.
Eustathius episcopus Erythrensium similiter.
Theophilus episcopus Tymni similiter.
Cosmas episcopus Myrinæ similiter.
Olbianus episcopus Elææ similiter.
Pardus episcopus Pitanæ similiter.
Basilius episcopus Pergamensium similiter.
Basilius episcopus Atrammytii similiter.
Marianus [*Gr.*, Marinus] episcopus Atandri similiter.
Joannes episcopus Assi similiter.
Leo episcopus Phocîæ similiter.
Joannes episcopus Rhædesti similiter.
Joannes episcopus Pannii similiter.
Melchisedech episcopus Calliopoleos similiter.
Theophylactus episcopus Chariopoleos similiter
Leonides episcopus Madyti, id est Colæ, similiter.
Sisinnius episcopus Zuruli [Tzurulli] similiter.
Thomas episcopus Daonii similiter.
Gregorius episcopus Theodoropoleos similiter.
Sisinnius episcopus Chalcidis similiter.
Benjamin episcopus Lizycensium [Licizensium] similiter.
Joannes episcopus Bryseos similiter.
Spyrido episcopus [veteris] Palææ Cythrensium similiter.
Eustathius episcopus Golensium [Solensium] similiter.
Theodorus episcopus Citii similiter.
Georgius episcopus Trimithuntensium similiter.
Alexander episcopus Amathuntensium similiter.
Constantinus episcopus Iliopoleos similiter.
Synesius episcopus Nessi similiter.
Theophilus episcopus Anastasiopoleos similiter.
Leo episcopus Minzi similiter.
Petrus episcopus Asponensium similiter.
Anthimus episcopus Verinopoleos similiter.
Michael episcopus Melitupoleos similiter.
Sisinnius episcopus Adriæ [Adraniæ, Hadriani] similiter.
Theodorus episcopus Germæ similiter
Basilius episcopus Hadranuthyrensium similiter
Leo episcopus Pœmaninensium similiter.
Symeon episcopus Ocæ similiter.
Strategius episcopus Dardani similiter.
Joannes episcopus Lampsaci similiter.
Theodotus episcopus Palatensium similiter.
Leo episcopus Traculensium similiter.
Niceta episcopus Hylæi similiter.
Theodorus episcopus Abydi similiter.
Leo episcopus Troadensium similiter.
Anastasius episcopus Tripoleos similiter.
Joannes episcopus Tabalensium similiter.
Stephanus episcopus Salensium similiter.
Stephanus episcopus Silandri similiter.
Nicolaus episcopus Pericommatos similiter.
Isoes presbyter, et ex persona throni Thyaterensium, similiter.
Joannes episcopus Setensium similiter.
Constantinus episcopus Acrasi similiter.
Theophanes episcopus Mæoniæ [Lymæorum] similiter.
Michael episcopus Stratonicîæ similiter.
Lycastus episcopus Philadelphiæ similiter
Michael episcopus Stallæ similiter.
Gregorius episcopus Gordi similiter.
Joannes episcopus Daldæ similiter.
Eustathius episcopus Hyrcanæ similiter.
Joseph episcopus Attaliæ similiter.
Theopistus episcopus Hermocapeliæ similiter.
Zacharias episcopus Hierocæsariæ similiter.
Michael episcopus Cerasensium similiter.
Daniel [David] episcopus Helenupoleos similiter.
Cyrion episcopus Lophi similiter.
Basilius presbyter, et ex persona Dascyli, similiter.
Theophylactus episcopus Apolloniadis similiter.
Constantinus episcopus Cæsariæ Bithyniæ similiter.
Georgius episcopus Basilinupoleos similiter.
Leo episcopus Neocæsariæ [sive Aristes] similiter.
Nicephorus episcopus Adrani similiter.
Theodorus episcopus Prusæ similiter.
Epiphanius episcopus Lampæ similiter.
Theodorus episcopus Heracliupoleos similiter.
Anastasius episcopus Cnossi similiter.
Melito episcopus Cydoniæ similiter.
Leo episcopus Cisami similiter.
Theodorus episcopus Subritensium similiter.
Leo episcopus Phœnicis similiter.
Joannes episcopus Arcadiæ similiter.
Epiphanius episcopus Eleutheriæ similiter.
Photinus episcopus Cantani similiter
Sisinnius episcopus Chersonesi similiter
Gregorius presbyter, et ex persona throni Cephalleniæ, similiter.
Philippus episcopus Corcyrensium similiter.

Antonius episcopus Trœzenæ similiter.
Petrus episcopus Monembasiæ similiter.
Gabriel episcopus Æginæ similiter.
Leo episcopus Porthmi similiter.
Philippus episcopus Orei similiter.
Leo episcopus Zacynthi similiter.
Leo episcopus Linoæ similiter.
Niceta episcopus Mellæ similiter.
Neophytus episcopus Gordoversorum similiter.
Joannes episcopus Tennensium [Stennon : Etennensium] similiter.
Leo episcopus Aspendi similiter.
Constantinus episcopus Zalensium similiter.
Gregorius episcopus Sinopæ similiter.
Martinus [Marinus] diaconus, et ex persona Theodori episcopi Andrapensium, similiter.
Andronicus presbyter, et ex persona Joannis episcopi Zalichensium, similiter.
Constantinus episcopus Sasimensium similiter.
Gregorius episcopus Amastræ similiter.
Heraclius episcopus Junopoleos similiter.
Niceta episcopus Dadybrensium similiter.
Theophanes episcopus Sorensium similiter.
Joannes episcopus Heracliæ similiter.
Theophilus episcopus Prusiadis similiter.
Constantinus episcopus Cratiæ similiter.
Niceta episcopus Rizæi similiter.
Constantinus episcopus Polemonii similiter.
Theodorus episcopus Comanensium similiter.
Joannes episcopus Cerasuntensium similiter.
Nicephorus episcopus Clanei similiter.
Leo episcopus Trocnadensium similiter.
Joannes diaconus, et ex persona throni Phaselidis, similiter.
Theodorus episcopus Pinnarensium similiter.
Stephanus episcopus Canuæ similiter.
Anastasius episcopus Patrensium [Patarensium] similiter.
Georgius episcopus Nasæ similiter.
Constantinus episcopus Candicensium similiter.
Leo episcopus Corydalensium similiter.
Nicodemus episcopus Sidymensium similiter.
Leo episcopus Limyrensium similiter.
Constantinus episcopus Tlensium similiter.
Petrus diaconus, et ex persona throni Oricandensium similiter.
Stephanus episcopus Araxi similiter.
Georgius episcopus Œniandi similiter.
Constantinus episcopus Combensium similiter.
Stauracius episcopus Zenopoleos similiter.
Gregorius episcopus Cibyræ similiter.
Basilius episcopus Tabensium similiter.
Dorotheus episcopus Neapoleos similiter.
Constantinus episcopus Alabandensium similiter.
David episcopus Jassi similiter.
[Gregorius episcopus Mylasensium similiter.]
Sergius episcopus Bargylensium similiter.
Gregorius episcopus Heracliæ Latomi similiter.
Joannes episcopus Mybdi similiter.

A Stauracius episcopus Stadiæ similiter.
Gregorius episcopus Stratoniciæ similiter.
Niceta diaconus, et ex persona throni Halicarnassi similiter.

Michael episcopus Chæretopensium similiter.
Pantaleon episcopus Valentiæ similiter.
Georgius episcopus Peltensium similiter.
Christophorus episcopus Antanasi similiter.
Leo episcopus Eumeniæ similiter.
Philippus episcopus Tranupoleos similiter.
Leo episcopus Aleensium similiter.
Paulus episcopus Acmoniæ similiter.
Gregorius episcopus Timenutensium similiter.
Nicephorus episcopus Luidensium similiter.
B Georgius episcopus Aptiæ similiter.
Joannes episcopus Sybeos similiter.
Zacharias episcopus Trapezupoleos similiter.
Leo episcopus Sebastiæ similiter.
Theophylactus presbyter, et ex persona throni, Georgii Hypsi episcopi, similiter.

Constantinus episcopus Eucarpiæ similiter.
Andreas episcopus Cedisosi similiter.
Dositheus episcopus Psonuntensium, id est, Collapses [*Gr.*, Colossensium : Collassais], similiter.

Constantinus episcopus Cottyaii similiter.
Niceta episcopus Nacoliæ similiter.
Leo episcopus Docimii similiter.
Joannes presbyter, et ex persona throni Hectorii,
C similiter.

Michael episcopus Hierapoleos similiter.
Nicolaus episcopus Phytiæ similiter.
Theophylactus episcopus Cinnaboreos similiter.
Damianus episcopus Myri similiter.
Christophorus episcopus Prymisi similiter.
Niceta episcopus Augustopoleos similiter.
Georgius episcopus Midaei similiter.
Constantinus episcopus Ambladensium similiter.
Stephanus presbyter, et ex persona throni Ostri, similiter.

Georgius [Gregorius] presbyter, et ex persona throni civitatis Polybati [Poleos : Polyboti] similiter.

D Sisinnius episcopus Philomelii similiter.
Michael episcopus Papensium similiter.
Sisinnius episcopus Apamiæ Cibotí similiter.
Constantinus episcopus Comanæ similiter.
Nicephorus episcopus Adadensium similiter.
Petrus episcopus Totiassii similiter.
Theodosius episcopus Sygalassi similiter.
Leo episcopus Barœ similiter.
Petrus episcopus Seleuciæ similiter.
Nicephorus episcopus Phlogensium similiter.
Marinus episcopus Magydensium similiter.
Leo episcopus Andidensium similiter.
Stephanus episcopus Parnassi similiter.
Bardanes episcopus Doarensium similiter.

Eustratius episcopus Dabellii [Debelti] similiter.

Euphemius [Euthymius] episcopus Sozopoleos similiter.

Theodosius episcopus Bulgarophygi similiter.

Georgius episcopus Plotinopoleos similiter.

Basilius episcopus Perberæi similiter.

Michael episcopus Pamphili similiter.

Ruben episcopus Scopeli similiter.

Sisinnius episcopus Garielensium similiter.

Callistus episcopus Eudiociadis similiter.

Constantinus episcopus Ligynensium similiter.

Joannes episcopus Cudrulensium similiter.

Theodorus episcopus Cremnorum similiter.

Constantinus episcopus Hadrianæ similiter.

Theophilus episcopus Chii similiter.

Galatius episcopus Meli similiter.

Sergius episcopus Leri similiter.

Manzo episcopus Diocæsariæ similiter.

Eustathius episcopus Celentereos [forte Celendereos] similiter.

Zacharias episcopus civitatis Cardabunthensium similiter.

Sisinnius episcopus Mosbadensium similiter.

Eustathius episcopus Lami similiter.

Theodorus episcopus Germanicopoleos similiter.

Sisinnius episcopus Sycæ similiter.

Constantinus episcopus Dalisandi similiter.

Leo episcopus Sibelensium similiter.

Stephanus episcopus Philadelphiæ similiter.

Eudoxius presbyter et monachus, et ex persona throni Metellupoleos, similiter.

Constantinus episcopus Andri similiter.

Eustathius episcopus Teni similiter.

Theodorus episcopus Cadensium similiter.

Michael episcopus Tiberiopoleos similiter.

Constantinus episcopus Ancyræ similiter.

Joannes episcopus Azanensium similiter.

Theophylactus episcopus Mosynensium similiter.

Basilius episcopus Dionysupoleos similiter.

Stephanus episcopus Synnai similiter.

Sabbas monachus et hegumenus monasterii Studii similiter.

Gregorius hegumenus Hormisdæ similiter.

Symeon hegumenus Choræ similiter.

Joannes hegumenus Pagurii similiter.

Eustathius hegumenus Maximi [Maximini] similiter.

Joseph hegumenus et archimandrita Heraclii similiter.

Thomas monachus, et ex persona Joannis hegumeni Chenolacci, similiter.

Plato hegumenus et archimandrita Saccudeonis similiter.

Theodorus hegumenus et archimandrita Pandi similiter.

Macarius hegumenus et archimandrita Barda similiter.

A Strategius monachus sanctæ Sion similiter.

Gregorius hegumenus Hyacinthi similiter.

Joseph hegumenus Acæmitensium [Acæmitorum] similiter.

Michael hegumenus sancti Petri similiter.

Theodorus hegumenus, et archimandrita Bodi, similiter.

Theophylactus monachus Cathon similiter.

Constantinus hegumenus Calaurensium similiter.

Antonius hegumenus Diu similiter.

Hilarion hegumenus Floron similiter.

Nicetas hegumenus sancti Alexandri similiter.

Theodorus hegumenus Xerocepu similiter.

Nicetas hegumenus Gudila similiter.

B Nicetas hegumenus sancti Eliæ similiter.

Theoctistus hegumenus Auleti similiter.

Constans hegumenus sancti Cyriaci [Quirici] similiter.

Stephanus hegumenus Careonis et archimandrita, similiter.

Nicephorus hegumenus sanctæ Dei genitricis similiter.

Theophylactus hegumenus sancti Eliæ similiter.

Joannes hegumenus Chenolacci similiter.

Paulus hegumenus Baulei [Bistili, Batilei] similiter.

Stephanus hegumenus sancti Errici [Quirici, Cyrici] similiter.

Lazarus hegumenus sancti Autonomi similiter.

C Ignatius hegumenus Syceos similiter.

Gregorius hegumenus Callistrati similiter.

Gregorius hegumenus Monagri similiter.

Sisinnius hegumenus Aritæ similiter.

Anastasius hegumenus Carnehensium similiter.

Bahanes hegumenus et archimandrita Thermarum similiter.

Petrus hegumenus Homericensium similiter.

Stephanus hegumenus Thermizensium similiter.

Thomas hegumenus Hieragathæ similiter.

Theophylactus hegumenus Cathodi similiter.

Nicephorus hegumenus sancti Andreæ similiter.

David hegumenus sancti Thyrsi similiter.

Leo hegumenus sancti Georgii Cellarum similiter.

D Joannes hegumenus Laccensium [Laccorum] similiter.

Leo hegumenus Leucu hydatos similiter.

Gregorius hegumenus Agauri [Agabri] similiter.

Isidorus hegumenus Latri similiter.

Dositheus hegumenus Mnemosynon similiter.

Nicephorus hegumenus sancti Sergii Midicionis similiter.

Theodorus hegumenus Amorii similiter.

Theodorus hegumenus Atractensium similiter.

Constantinus hegumenus sanctorum trium Puerorum similiter.

Joannes hegumenus Cœladensium similiter.

Antonius hegumenus Dodecathroni similiter

Paulus hegumenus Agnyon similiter.

Paulus hegumenus sancti Petri civitatis Pœmaninensium similiter.

Euschemon hegumenus Crizensium similiter.

Macarius [*Gr.*, Macaris] hegumenus Psarodi similiter.

Epiphanius hegumenus Paranandi similiter.

Antonius hegumenus Peristereonos similiter.

David hegumenus sancti Georgii [Prieti] similiter.

Joannes hegumenus sancti Zotici similiter.

Agapius hegumenus sancti Thyrsi similiter.

Daniel [Gabriel] hegumenus sanctorum apostolorum Magnesiæ similiter.

Theodosius hegumenus sanctæ Dei genitricis Perizetorum similiter.

Callistus hegumenus diversorum monachorum [*Gr. et ms. Jol.*, monasterorium] Cypri similiter.

Theophylactus hegumenus Bordæ similiter.

Theodorus hegumenus Limbi similiter.

Constantinus [*Gr.*, Constans] hegumenus Hippi similiter.

Georgius hegumenus Domnicensium similiter.

Euthymius hegumenus Oxybetensium similiter [a].

Antonius hegumenus Uziæ similiter.

Basilius hegumenus sancti Andreæ similiter.

Philippus Bescessium [Beomorum, Besirentium] similiter.

Basilius hegumenus sanctæ Dei genitricis Ortycidiensium similiter.

Acacius monachus sancti Orestis similiter.

Joannes hegumenus sancti Salvatoris similiter.

Petrus monachus, et ex persona Cellarum [Cellariotum], similiter.

Zacharias hegumenus Syndensium similiter.

Theophilus monachus, et ex persona hegumeni sanctæ Dei genitricis Photnon, similiter.

Cerycus hegumenus Dolocomæ similiter.

Sergius hegumenus Gesinensium [Germiorum, Gerpensium] similiter.

Joannes presbyter sancti Sergii Germion similiter.

Niceta hegumenus Octaorum [Octavini] similiter.

Antonius hegumenus Acraborum similiter.

Petrus hegumenus Platanii similiter.

Marcus hegumenus sancti Joannis Theologi similiter.

Leo hegumenus sanctæ Dei genitricis Saldalensium similiter.

Constantinus hegumenus sancti Stephani Antiosilii similiter.

Theodorus monachus, et ex persona hegumeni sanctæ Dei genitricis Calocetensium, similiter.

Eutychianus monachus monasterii Callistrati similiter.

Theodotus monachus sanctæ Dei genitricis Epicanzi similiter.

Joannes monachus, et ex persona Stephani hegumeni Bonisensium similiter.

A Callistus monachus ejusdem monasterii Bonisensis similiter.

Niceta hegumenus sanctæ Dei genitricis monasterii Castri Tii similiter.

Samuel monachus archangeli Gabrielis similiter.

Theodosius hegumenus sanctæ Trinitatis similiter.

Joannes monachus, et ex persona Strategii hegumeni [sanctæ Dei genitricis], similiter.

Hilarion [Hilarius] monachus sanctæ Dei genitricis [*Gr. add.* Cellarum, Cellion] similiter.

Dositheus [Theodosius] monachus sancti Theodori Sicundæ similiter.

Paulus hegumenus sanctæ Dei genitricis Tyrosinun similiter.

B Leo hegumenus sancti Cyriaci similiter.

Epiphanius hegumenus sanctæ Dei genitricis Limnas similiter.

Georgius hegumenus sanctæ Dei genitricis similiter.

Cosmas hegumenus sanctæ Dei genitricis Paradisii similiter.

Euschemon monachus sancti Salvatoris juxta Byraicum similiter.

Bardas hegumenus, et archimandrita Prusiadis, similiter.

Petrus hegumenus sanctorum apostolorum Castri Protili similiter.

Basilius monachus civitatis Amorii sanctæ Dei genitricis similiter.

C Basilius presbyter, et hegumenus monasterii Oxypetri, similiter.

Philippus hegumenus Eumeniæ similiter.

Basilius hegumenus sancti Luciani similiter.

Theophylactus hegumenus Pegadii similiter.

Anthimus hegumenus [*Gr. et cod Jol.*, monachus] Psamathi similiter.

Michael hegumenus sancti martyris Georgii similiter.

Christophorus hegumenus Candelarum similiter.

Nicolaus hegumenus Cænurgon similiter.

Sisinnius hegumenus Lithini similiter.

Thomas monachus Mosynensium similiter.

Michael monachus, et ex persona hegumeni monasterii sanctæ Dei genitricis Pyrgi, similiter

D Gregorius hegumenus sanctæ Dei genitricis symbolorum similiter.

Joannes hegumenus sanctæ Dei genitricis Rudensium similiter.

Constantinus [Cosmas] hegumenus sancti Petri Hydendrensium similiter.

Symeon hegumenus sanctæ Dei genitricis Abramitensium similiter.

Gregorius hegumenus sancti Clementis similiter.

Theognis hegumenus monasterii sancti apostoli Timothei Cretensium [insulæ] similiter.

[a] In ms. Jol. additur *Euthymius hegumenus Pepuzensium.*

Joannes hegumenus sancti martyris Theodori similiter.

Theodosius hegumenus sanctæ Dei genitricis similiter

Petrus hegumenus S. Joannis Deiloqui Cretensium insulæ similiter.

ACTIO QUINTA.

In nomine Domini et dominatoris Jesu Christi veri Dei nostri. Imperio piissimorum et Christi amicorum dominorum nostrorum Constantini et Irenæ ipsius a Deo redimitæ matris, anno octavo consulatus eorum, quarto Nonas Octobrias, indictione undecima.

Conveniente sancta et universali synodo, quæ per divinam gratiam et piam sanctionem eorumdem divinitus roboratorum imperatorum congregata est in Nicensium clara metropoli Bithyniensium provinciæ : id est Petro reverendissimo archipresbytero sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ S. Petri apostoli, et Petro reverendissimo presbytero monacho et hegumeno venerabilis monasterii sancti Sabbæ Romæ siti, obtinentibus locum apostolicæ cathedræ sanctissimi et almi archiepiscopi senioris Romæ Adriani; Tarasioque sanctissimo et almo archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ, atque Joanne et Thoma reverendissimis presbyteris monachis, et vicariis apostolicarum sedium Orientalis diœceseos.

Residentibus etiam ante sacratissimum ambonem templi sanctissimæ magnæ ecclesiæ, quæ cognominatur Sophia, præsto existentibus et audientibus gloriosissimis et magnificentissimis, Petrona videlicet laudabilissimo exconsule patricio, et comite Deo conservati imperialis obsequii, et Joanne imperiali ostiario et logotheta militaris logothesii, et tota sancta synodo secundum ordinem præcedentem in prima actione : præsentibus quoque et Deo amabilibus archimandritis et hegumenis, necnon omni monachica plenitudine [multitudine]; propositis sanctis et intemeratis Dei Evangeliis.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Qui manifestationem futurorum per prophetas prænuntiavit Deus, ait per Jeremiam prophetam de his qui novitatem in catholicam Ecclesiam introducunt : quia duo mala fecerunt : *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus contritos, qui aquam continere non poterunt* (*Jer.* II). Lacus enim contritus est omnis hæreticorum sermo, ex quo hauserunt Christianos accusantes hæreseos præceptores, et potaverunt simpliciores subversione turbulenta : quibus væ transmittitur per vocem propheticam (*Habac.* II, *sec. LXX*). Hebræos enim et Sarracenos, gentiles et Samaritas, insuper et Manichæos atque Phantasticos, id est Theopaschitas imitantes, voluerunt exterminare venerabilium imaginum visionem, quæ in sancta Dei Ecclesia catholica tradita est ab antiquis temporibus, quemadmodum ostendetur in lectione librorum qui propositi sunt.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Legantur in redargutionem et publicationem Christianos accusantis pseudosyllogi illius conventionis.

Leontius devotus et imperatorius a secretis dixit : Secundum jussionem sanctæ synodi adsunt divini libri, qui legi debent : non solum [autem] illi, sed et maligni nominis hæreticorum, qui ab olim honorabilibus imaginibus detraxerunt.

Sancta synodus dixit : Legantur.

Cosmas diaconus [notarius] et cubuclesius, legit :

Sancti Cyrilli archiepiscopi Hierosolymorum institutio secunda, cujus initium est :

Dirum peccatum est, et languorum sævissimus est animæ prævaricatio. Et post alia : Quam enim opinionem habes de Nabuchodonosor? Non audisti a Scripturis, quia impiissimus erat, agrestem morem et leoninum propositum habens? Non audisti, quia ossa regum produxit in lucem? non comperisti, quia populum captivum transtulit? Non audisti, quia oculos regis excæcavit, præostendens ei filios cum occiderentur? Non audisti, quia cherubim rapuit? non dico spirituales illos et supercœlestes, sed qui in templo erant constructi supra propitiatorium arcæ, intra quos loquebatur Deus.

Sanctissimus patriarcha dixit : Intelligamus, qualiter vituperatus sit Nabuchodonosor, qui subvertit cherubim, et qualem pœnam sit passus.

Sancta synodus dixit : Magna culpa, et magna damnatio [*Gr.*, post lapsum et damnatio].

Sanctissimus patriarcha dixit : Ergo unusquisque sacrum ejicit de ecclesia et subvertit, eidem pœnæ succumbit.

Petronas gloriosissimus patricius dixit : Magnam pœnam Nabuchodonosor passus fuit, quia expulsus est de regno, et septem annis mansit in desertis, sicut bos comedens herbas (*Dan.* IV).

Cosmas diaconus, notarius et cubuclesius, legit :

Sancti Symeonis Columnalis, qui in mirabili monte fuit, epistola quinta ad imperatorem Justinum Juniorem.

Quis dabit, semper Auguste et bone domine, oculis meis fontes lacrymarum ad lugendum et flendum amare et intolerabiliter omnibus diebus miseræ vitæ meæ (*Jer.* IX)? quia sub divino zelo vestri Deo redimiti [Deo coronati] et Christianissimi imperii talia extra omnem rationem impietatis agi præsumuntur ab his qui sine Deo sunt, Samaritis videlicet, qui supra omnem immunditiam polluti et exsecrandi con-

sistunt; quique habitant ea quæ dicuntur Castra juxta civitatem Porphyreonem, in venerabili domo, quam Deo placabile imperium vestrum jussit illic ædificari. Quæ subtiliter sciet vestra divinitus conservanda tranquillitas per ea quæ significata sunt humilitati nostræ a Paulo sanctissimo episcopo ejusdem Porphyreonis, et missa sunt nobis a beatissimo Orientis patriarcha, qui et ipse super hoc vehementer dolnit : quanto magis mansuetissimi [*Gr.*, quidni enim mans.] principes? Præsertim cum et inanimatos lapides hujusmodi impietates facere [facile] sufficerent exclamare, quas in præsentia vidit prædictus sanctissimus pontifex. Etenim super mortem et perditionem reputatum est ab humilitate nostra, quod quoquo modo ad auditus nostros venerit talis impietas, quæ superexcedit omnem actionem blasphemam, præsumptam in id ipsum Dei Verbum, quod propter nos incarnatum est, et in sanctissimam ac gloriosam Dei genitricem, atque in venerabilem ac pretiosam crucem, necnon et in sanctos ejus. Propter quod commemorantes suggerimus divinis auribus vestris, quoniam si piissimæ bonarum victoriarum vestrarum leges jubent, imagine imperatoris injuriis lacessita, morti supremæ ac perniciosissimæ tradendos, qui hoc conari præsumpserint, quanta, putas, digni sunt damnatione in perditionem, qui in imaginem Filii Dei et sanctissimæ ac gloriosæ Dei Genitricis cum omni ineffabili [indicibili] impudentia et impietate, et propter nimiam malitiam, non habeo quod dicam, talia præsumpserunt, nulla in eis facta misericordia? Unde obsecramus victoriosissimum imperium vestrum, ne faciat misericordiam in eos qui hoc agere ausi sunt, neque parcat eis, neque qualemcunque postulationem vel rationem super illis accipiat, ne in aliud quid vertantur, sicuti jam visu videram, indicans Augusto mense sanctissimo et a Deo honorabilissimo patriarchæ, significans interim hoc apud se servandum : neque enim abscondit a nobis Deus cogitationes eorum. Unde certus sum, semper Augusti imperatores, quod non sufferat Deo confirmatum cor vestrum, quod ipsius est magnitudine illustratum, tantam inhonorantiæ procacitatem, quam nunquam hucusque audivimus, fortassis autem nec alius quisquam Christianorum. Sed adjuro vos, domine, per Emmanuel Deum excelsum, ne sufferatis saltem ad modicum quid fieri decentem vindictam ; sed jubeatis exquiri etiam illa quæ in puteo facta sunt a nimia eorum et pessima nequitia, secundum tenorem epistolæ quæ ad nostram mediocritatem transmissa est : minime permittente mansuetissima dominatione vestra, si forte putaverint quidam subseminare importunos sermones, cum quasi Dominicæ sint potestatis [*Gr.*, q. ad dominæ i. Augustæ potestatem pertineant], Deo qui dedit vobis imperium, taliter super omnem impietatem injuriis affecto : ut et cæteri eorum timorem habeant cunctis diebus maledictæ ac segregatæ vitæ ipsorum : quos et suscipient cognatæ tenebræ suæ in damnationem vermis [cineris] qui comesturus est illos, et ignis qui [non] splendebit : et anathematizabit [catathematizabit] eos in inferioribus abyssi ipse sanctus et omnipotens Spiritus Jesu Christi Domini nostri, qui ex Patre procedit, ad perdendum illos in infinitam perditionem. Hunc enim zelum vobis strenue, Deo conservandi et triumphatores, in ipsum qui cum pietate vestra regnat, unigenitum demonstrantibus Deum, super sacrificium Abrahæ suscipiemini ab ejus cunctorum inspectrice deitate : et erit peramplius benedictum, potentia virtutis ejus, et magnificatum Christo dilectum imperium vestrum super omnia præcedentia regna : quoniam ipsi est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Nostis qualem sententiam exhibuerit Pater?

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit : Etiam indulgentia eos indignos judicavit.

Joannes reverendissimus monachus, et vicarius Orientalium pontificum, dixit : Liquet omnibus, quia Samaritæ pejores sunt aliis hæreticis : et hæresis eorum nimis ejicienda et prava est, et a gratia omnino longinqua. Itaque oratio demonstravit, quoniam hi qui venerabiles iconas subvertunt, deteriores sunt istis. Dignum ergo est [*Gr.*, Satis autem est] nominare illos Samaritas.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Ego quidem imaginum infractores tanto pejores Samaritis arbitror, quanto illi ignoranter egerunt, cum essent alieni a Christianismo. Isti vero scienter fecerunt, et idcirco indigni sunt satisfactione ; sicut enim scriptum est : *Qui novit voluntatem domini sui, et non facit, vapulabit multis* (*Luc.* II).

Nicolaus sanctissimus episcopus Cyzici dixit : Ecce ego servus minimus sanctitatis vestræ librum defero sancti Patris nostri Joannis episcopi Thessalonicæ, et postulo recitari.

Sancta synodus dixit : Recitetur.

Et accipiens Demetrius reverendissimus diaconus et sceuophylas, legit

Joannis episcopi Thessalonicæ de sermone, cujus initium est :

Usque nunc Dominum nostrum et Jesum Christum tentans perseverat inimicus in eremo. Et post pauca : Gentilis dixit : Vos ergo in ecclesiis imagines non pingitis sanctis vestris, et adoratis illas? et non solum sanctis, sed et ipsi Deo vestro : sic ergo æstima et nos simulacra circumfoventes, non ea adorare, sed incorporales virtutes, quæ per illa placantur. Sanctus dixit : Sed nos imagines hominum factorum, sanctorum videlicet servorum Dei et corpora ferentium facimus ad recordandum et honorandum eos : et nihil incongruum operamur pingentes eos quales et fuerunt : neque enim agimus [*Gr.*, fingimus] secundum vos, neque incorporalium quorumdam corporales characteres demonstramus : sed et adorantes, non imagines, ut etiam tu prædixisti, sed eos qui per picturam indicantur, glori-

ficamus : et hos non ut deos (absit), sed ut proprios servos et amicos Dei, et fiduciam habentes intercedendi pro nobis. At vero imagines Dei facimus, id est, Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, quemadmodum visus est super terram, et cum hominibus conversatus est, hunc pingentes, et non ut intelligitur natura Deus. Quæ enim similitudo est, vel qui habitus incorporei et sine schemate Verbi Patris? Spiritus enim est Deus, ut scriptum est (*Joan.* IV), id est, sanctæ et consubstantialis Trinitatis natura. Sed quoniam beneplacito Dei et Patris, descendens unigenitus Filius ejus et Deus Verbum e cœlis, incarnatus est propter salutem nostram de Spiritu sancto et intemerata virgine Dei genitrice Maria, humanitatem ejus pingimus, non incorporalem deitatem. Gentilis dixit : Esto : Deus Verbum ut incarnatus depingitur : de angelis quid asseritis? et ipsos namque depingitis ut homines, et adoratis, quanquam homines non sint, sed intelligibiles et incorporales et dicti et existentes : sic reputa et eos qui apud nos honorantur, deos per statuas placari, nihil inconveniens nobis agentibus, quemadmodum nec vobis super depictis angelis. Sanctus dixit : De angelis et archangelis, et sanctis virtutibus quæ super istos sunt, addam autem etiam nostras hominum animas, intelligibiles quidem eos catholica et apostolica novit Ecclesia, non tamen incorporales omnino et invisibiles, sicuti vos pagani fatemini : subtiles autem corpore, et aereos, et igneos [a], secundum id quod scriptum est : *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros ignem urentem* (*Psal.* CIII; *Hebr.* I). Et hoc multos sanctorum Patrum nostrorum sensisse invenimus : quorum est Basilius ille magnus, et sanctæ memoriæ Athanasius, atque Methodius et qui circa ipsos sunt : sola enim, ut veraciter fateamur, divinitas est incorporalis et incircumscripta : porro intelligibiles creaturæ non omnino incorporales et invisibiles, ut divinitas, sunt : propter quod in loco sunt, et circumscriptæ consistunt. Porro sicubi reperis incorporeos vocari angelos, aut dæmones, aut animas, tanquam non existentes de commistione materiallium quatuor elementorum, sic eos noveris appellatos, cum non sint, et ipsa corpora crassa, et similia his, quibus nos circumdamur. Licet, ut verius fateamur, ad comparationem nostri incorporei [*Gr.*, invisibiles] sunt : at vero visi sunt a plurimis crebro sensibiliter in specie ~~propriorum corporum~~ suorum, (visi sunt autem ab his, quibus aperuit Deus oculos) et loco circumscripti monstrantur, cum non sint omnino incorporei, sicut divina natura. Nos ergo non ut deos, sed ut creaturas spirituales, et ministros Dei, et non ut proprie incorporeos existentes, pingentes et honorantes angelos, non peccamus : quod vero in humana eos forma depingamus, eo factum est, quod frequenter sic apparuerint his, ad quos missi sunt a solo Deo.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Auribus percipiamus dictum Patris, quia ibi quidem Samaritæ imagines Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi et intemeratæ matris ejus subverterunt, hic autem pagani, ut didicimus. Ostendit vero Pater, quod et angelos oporteat pingi, quoniam circumscripti sunt, et veluti homines apparuerunt multis.

Sancta synodus dixit : Etiam, domine.

Stephanus monachus legit :

De disputatione Judæi et Christiani.

Judæus dicit : Credidi ad omnia, et credo crucifixo Jesu Christo, quia est Filius Dei vivi. Scandalizor autem in vos, Christiani, quia imagines adoratis. Scriptura quippe ubique præcipit non facere sibi quemquam sculptile vel omnem similitudinem. Christianus dixit : Deum recentem præcipiunt te non adorare Scripturæ, et omnem similitudinem non adorare ut Deum. Imagines vero quas vides, ad recordationem benignissimæ salutis pinguntur, per Salvatorem nostrum Jesum Christum effectæ, incarnationis ejus personam significantes : sanctorum autem imagines similiter uniuscujusque ipsorum significant agones, quos adversus diabolum habuerunt, et victorias eorum atque coronas. Non autem, ut tu intelligis, deificantes eas Christiani adorant, sed zelo ferventes et fide, sanctorum contemplantur imagines, memoriam ferentes horum Dei cultus : et adorantes, sanctorum invocant Deum, dicentes : Benedictus es Deus hujus sancti ac omnium sanctorum, qui dedisti eis patientiam, et dignos illos fecisti regno tuo : nos quoque participes eorum constitue, atque orationibus eorum salvos nos fac. At vero Salvatoris iconam contemplantes et adorantes, spiritualibus oculis et cordis visibus Deo cunctorum Domino gratias agimus, qui dignatus est in forma servi hominem suscipere, et salvare mundum, et similis nobis effici per omnia absque omni peccato. Ergo non ligneam imaginem vel pictum adoramus, aut colimus, sed omnium Dominum Christum Deum glorificamus. Verumtamen, frater, ostendam tibi, quia et Moyses, qui hæc tibi in lege dedit, jussus est, sicut scriptum est (*Exod.* VII *et* XXV), et sculptiles duos seraphim fecit, supra tabernaculum testimonii expansos hinc et inde : quo non licebat cuipiam ingredi, nisi soli pontifici semel in anno, et incensum offerre in Sancta sanctorum. Similiter autem et serpentem æneum opus æris fusile condens, et suspendens in medio castrorum, dicebat : Quicunque morsus fuerit a serpente, intueatur æneum serpentem istum, et credat, quia serpens iste potens est sanare illum, et sanabitur (*Num.* XXI). Vides quomodo ille Moyses, qui præcepit similitudinem non faciendam, similitudinem fecit.

Joannes reverendissimus monachus, presbyter ac vicarius Orientalium pontificum, dixit : Ecce manifeste, sacratissimi Patres nostri, negantes incarnatam

[a] Loquitur ex propria sententia : nam concilium supra, Act. 4, in confessione sua angelos incorporeos affirmat.

dispensationem Christi Dei nostri, dicunt projiciendas esse [*Gr.*, projecisse] sanctas imagines, Hebræi scilicet et Samaritæ. Itaque qui abjiciunt eas, istis similes sunt.

Sancta synodus dixit : Similes sunt.

Epiphanius Deo amabilis diaconus, et locum retinens Thomæ episcopi Sardiniæ legit :

Ex falsis superscriptionibus itinerariorum sanctorum apostolorum.

Pictor ergo prima die lineamentis eo designato quievit. Postera vero die etiam coloribus illum permiscuit, et Lycomedi gaudenti iconam dedit : quam et ponens in cubiculo suo coronavit. Quod cum postea cognovisset Joannes, dixit ei : Diligende mihi fili, quid agis a balneo ingressus [ingrediens] in cubiculum tuum solus? nonne ego tecum et cum reliquis fratribus oro? an nos celas? Et hæc dicens, et ludens, cum eo ingreditur cubiculum, et videt iconam coronatam senioris, et appositas lucernas : et accersito et vocato eo, dixit : Lycomedes, quid sibi vult imago hæc? quis ex diis tuis est iste depictus? Video enim te adhuc gentiliter vivere. Et Lycomedes ei respondit : Deus quidem mihi est ille solus, qui me erexit a morte cum conjuge mea. Si autem et post Deum illos homines, qui benefactores nostri sunt, deos oportet vocari, tu es qui in imagine es depictus, quem corono et amo et colo, quia dux mihi factus es bonus. Et Joannes vultum suum nondum contemplatus, dixit ei : Illudis mihi, filiole mi; tali sum forma super dominum tuum? quomodo mihi persuadere poteris, quod mihi imago similis sit? et Lycomedes ei attulit speculum. Et videns semetipsum in speculo, et intuens imaginem, dixit : Vivit Dominus Jesus Christus, similis mihi est imago : male autem hoc egisti.

Adhuc idem legit de ipso libro, cujus initium est :

Aliquando volens Jesum tenere. Et post alia : In materiali et crasso corpore congrediebantur [*Gr.*, manus applicui]. Alias autem iterum palpante me eum, sine materia erat et incorporeum quod suberat, et quasi omnino non esset. Porro si aliquando ab aliquo Pharisæorum invitatus ad recubitum ibat, pergebamus et nos cum ipso; et unusquisque nostrum accipiebat dispositum panem unum ab his qui invitabant : inter quos et ipse accipiebat unum. Porro suum benedicens, dividebat nobis; et de pauxillo unusquisque nostrum saturabatur : panesque nostri integri conservabantur, ita ut obstupescerent invitantes eum. Volui autem sæpe cum illo gradiens videre, si vestigium ejus super terram pareret. Videbam enim eum a terra sese sustollere, et nunquam aliquando vidi. Et hæc vobis adhuc veluti exhortando, fratres, fidei quæ in ipsum est causa loquor. Magnalia enim ejus et mirabilia, cum sint ineffabilia, taceantur, [*Gr.*, modo tac.], quippe cum forte neque dici, neque possint audiri. Porro antequam comprehenderetur ab impiis et ab iniquo serpente legem accipientibus Judæis, congregans nos omnes, ait : Priusquam illis tradar, hymnum dicamus Patri, et sic ad propositum exeamus. Cum ergo jussisset nobis gyrum facere tenentibus invicem manus, ipse medius factus dicebat : Amen, obedite mihi. Cœpit ergo hymnum canere et dicere : Gloria tibi, Pater. Et nos circumdantes respondebamus ei : Amen. Gloria tibi, Verbum, gloria tibi, gratia. Amen. Gloria tibi, Spiritus; gloria tibi, sancte, gloria gloriæ tuæ. Amen. Laudamus te, Pater; gratias tibi agimus, lux in qua tenebræ non habitant. Amen. In quo autem gratias agebamus, dico [*forte* dicit] : Salvari volo, et servare volo. Amen. Solvi volo, et solvere volo. Amen. Tabefieri volo, et tabescere facere [tabefacere] volo. [*Gr. add.* Sauciari volo, et sauciare volo.] Amen. Nasci volo, et gignere volo. Manducare volo, et consumi volo. Amen. Audiri volo, et audire volo. Amen. Intelligi volo, cum intellectus sim totus. Amen. Lavari volo, et lavare volo. Amen. Gratia chorum ducit. Tibia canere volo, saltate omnes. Amen. Lamentari volo, plangite omnes. Amen. Et post alia : Hæc, dilectissimi, chorum ducens nobiscum Dominus exivit : et nos quasi aberrantes, vel etiam obdormientes, hac illacque fugimus. Ego ergo videns eum pati, nec exspectavi quidem passionem ejus, sed fugi in montem Olivarum, plorans super hoc quod contigerat. Et quando, Tolle, clamabatur, suspensus est hora sexta diurna · et tenebræ super totam terram fiebant. Et stans Dominus meus in medio speluncæ, et illuminans me, dixit : Joannes, ab inferiori turba Hierosolymis crucifigor, et lanceis stimulor et arundinibus; aceto quoque et felle potor : tibi autem loquor; et quod loquor audi. Ego tibi submisi ut ascenderes in hunc montem, quatenus audias quæ oportet discipulum a magistro discere, et hominem a Deo. Et his dictis, ostendit mihi crucem luminis infixam, et circa crucem turbam multam, unam formam non habentem : et in ea erat forma una et visio similis. Ipsum autem Dominum supra crucem videbam, schema non habentem, sed quamdam vocem tantummodo : vocem autem non hanc, quæ nobis est assueta, sed quamdam propriam [*Gr.*, jucundam] et suavem, et revera Dei, dicentem ad me : Joannes, unum oportet te a me ex his audire [*Gr.*, unum op. a me hæc audire]; unius enim egeo [*Gr.*, qui auditurus sit], pro futuro et audias. Quod crux luminis aliquando quidem sermo vocetur a me propter vos, aliquando vero mens, modo autem Christus, modo ostium, modo via, modo panis, modo semen, modo resurrectio, modo Jesus, modo pater, modo spiritus, modo vita, modo veritas, modo fides, modo gratia.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Contemplemur, quia tota conscriptio hæc contraria est Evangelio.

Sancta synodus dixit : Etiam, domine : nam putativam humanitatem dicit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : In itineribus istis scriptum est, quod neque manducaret, neque biberet, neque pedibus terram calcaret, con-

similia Phantasticorum. Sed in Evangelio scriptum est de Christo, quia et manducavit et bibit; et Judæi de ipso dicebant : *Ecce homo vorax et vini potator* (*Matth.* XI). Et si, ut fabulose mentiti sunt, terram non calcabat, quomodo scriptum est in Evangeliis, quod Jesus fatigatus ex itinere sedit circa puteum (*Joan.* IV)?

Constantinus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Hic liber est qui constituit pseudosyllogum illud.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Risu digna sunt hæc.

Theodorus Deo amabilis episcopus Catanæ dixit : Ecce liber qui destruxit venustatem sanctæ Dei Ecclesiæ.

Euthymius sanctissimus episcopus Sardium dixit : Decebat conventiculum illud habere librum istum in testimonium.

Constantinus episcopus Constantiæ Cypri dixit : O blasphemiam, quæ hic Joannem apostolum in monte Olivarum dicit fugisse in speluncam tempore crucis. Evangelium autem testatur, quia introivit cum eo in atrium Caiphæ, et quia astabat cruci Christi cum sancta Matre ejus.

Sancta synodus dixit : Omnis hæresis in hoc libro pendet.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Heu, heu! qualium hæreticorum libris hæresim suam constituunt!

Gregorius episcopus Neocæsariæ dixit : Hic codex omni contagione ac dehonestate est dignus. Et protulerunt ex eo testimonium contra imagines, quæ sunt de Lycomede conscripta.

Joannes reverendissimus monachus et vicarius Orientalium patriarcharum, dixit : Inducit Lycomedem coronantem imaginem apostoli, quemadmodum pagani idola.

Basilius episcopus Ancyræ dixit : Absit, quod sanctus Joannes deiloquus contra Evangelium suum effatus sit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Sensus qui prælecti sunt, Evangelii sunt?

Sancta synodus dixit : Absit : neque quæ prælecta sunt suscipimus, neque ultima Lycomedis.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Qui suscipit secunda quæ de Lycomede sunt, suscipit etiam et prima, quemadmodum et pseudosyllogum illud.

Sancta synodus dixit : Anathema illi a prima littera usque ad novissimam.

Joannes reverendissimus monachus et vicarius Orientalium patriarcharum, dixit : Ecce, beati Patres, liquido demonstratum est quia præsules Christianos accusantis hæreseos veraciter communicatores et participes sunt Nabuchodonosor et Samaritanorum, adhuc etiam Judæorum atque gentilium, quin potius et a Deo alienorum ac maledictorum Manichæorum, quorum testimonium protulere. Nam hæc eorum sunt, qui phantasiam putant incarnatam dispensationem Dei Verbi. Sed sit eis anathema pariter, et conscriptis eorum.

Sancta synodus dixit : Anathema!

Petronas magnificentissimus patricius dixit : Si jubes, domine, interrogemus Amoriensem et Neocæsariensem episcopos, si lecti sunt libri in pseudosyllogo illo.

Gregorius Neocæsariæ ac Theodorus Amorii interrogati dixerunt : Ne Deus : illic liber non apparuit, sed per falsa pittacia decipiebant nos.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Proprio animo suasi exposuerunt quæ voluerunt.

Petronas magnificentissimus patricius dixit : Sed et per imperiale suffragium cuncta faciebant.

Gregorius episcopus Neocæsariæ dixit : Sæpe, domine, dixi, et iterum dico, quia liber in medio nostrum aut conscriptio paterna non apparuit, nisi illa falsa pittacia deferebant : illud autem Lycomedis et anditus nostros contaminavit.

Joannes reverendissimus monachus et vicarius Orientalium pontificum dixit : Si placet sanctæ ac universali huic synodo fiat sententia, ne ulterius scribant aliqui sordidum istum librum.

Sancta synodus dixit : Nemo scribat : non solum hoc, sed igni eum dignum judicamus fore tradendum.

Petrus reverendissimus lector :

Sancti Amphilochii episcopi Iconii librum de falsis superscriptionibus hæreticorum, cujus initium est :

Justum autem arbitrati sumus omnem eorum denudare impietatem, et publicare patentem errorem, quoniam et libros quosdam proponunt superscriptiones habentes apostolorum, per quos simpliciores quosque decipiunt. [*Gr. add.* Et paulo post : Ostendemus enim hos libros, quos nobis ii proferunt qui ab Ecclesia desciverunt, non apostolorum acta esse, sed dæmonum scripta.] Et post alia : Hæc quidem Joannes apostolus nequaquam diceret scribens in Evangelio, quia Dominus in cruce dicit : *Ecce filius tuus* (*Joan.* XIX) : ita ut a die illa susciperet Joannes Mariam in sua. Quomodo ergo hic dicit non adfuisse? sed nihil extraneum : sicut enim Dominus veritas est (*Joan.* XIV), ita diabolus mendax est (*Joan.* VIII). Ille enim mendax est et pater ejus : et cum loquitur mendacium, ex suo loquitur. Sed hæc quidem de mendacio.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Pater noster sanctus Amphilochius magnus est, et audiamus quid dicat de circuitibus his qui falsi nominis sunt : propter quod non nos oportet parere subscriptioni [*Gr.*, inscriptioni, superscriptioni] ipsorum.

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit : Nihil amplius sancto resultat Evangelio, quam impia hæc conscriptio. Convenienter ergo etiam de imaginibus contrariam opinionem habet.

Sanctissimus patriarcha dixit : Sapienter [*Gr.*, liquido] Pater publicat confusionem et garrulitatem hujus codicis.

Sancta synodus dixit : Etiam, domine.

Nicephorus sanctissimus episcopus Dyrrachii di-

xit : Oportebat, domine, hoc legi ad satisfactionem A omnium, et non illud ; polluit enim aures nostras.

Sancta synodus dixit : Sed ad cautelam bene factum est, quod lectum est.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Eusebium attulerunt in testimonium, qui adversus venerabiles imagines garrierunt, in epistola ejus quam ad Constantiam Licinii uxorem scripsit. Sed videamus, cujus dogmatis sit Eusebius.

Stephanus reverendissimus monachus legit :

Octavum Eusebii Pamphili librum ad Euphrationem, cujus initium est :

Domino meo per omnia confiteor. Et post alia. Non enim coexistere Filium Patri, sed ante fuisse Patrem quam Filium dicimus. Ergo si [nam si] B coexistunt, quomodo erat Pater Pater, et Filius Filius? vel quomodo unus quidem primus, alter vero secundus est? et alter quidem ingenitus, alter autem genitus? Duo quippe si ex æquo similiter invicem consistunt, et æqualiter honorantur, intelligi datur, aut utrosque, ut dixi, ingenitos, aut utrosque genitos esse. Sed neutrum eorum verum esse dignoscitur, neque enim ingenitum, neque genitum utrumque consistit : sed [*Gr.*, neque enim essent ingenitum et genitum : sed] unum quidem primum et majus est, atque ordine et honore secundum præcedit, ita secundo ut causa sit et existendi [*Gr.*, utpote secundo causa et exist.] et hujuscemodi existendi.

Tarasius sanctissimus patriarcha interrogando quibusdam dixit : Suscipimus hunc? C

Sancta synodus dixit : Absit, domine. Iste plusquam illi odio habeatur.

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit : Absit ut Christianus homo dicat. Et lectum est ex eadem epistola. Eumdem autem et solum verum esse docet per ea quæ ait : *Ut sciant te solum verum Deum* (*Joan.* XVII) : non quasi unus solus esset Deus, sed tanquam unus existeret verus Deus cum additamento pernecessario veri. Nam et ipse quidem Filius Deus, sed non verus Deus : unus enim est et solus verus Deus, eo quod non habeat ante se quemquam. Quod si et ipse Filius verus est, sed sicut imago veri Dei, sic duntaxat et Deus est. Nam et Deus erat Verbum, non tamen ut solus verus Deus.

Christophorus sanctissimus episcopus sanctæ Cyriacæ dixit : Sanctissime domine, totaque sancta et sacra synodus, quemadmodum nos habemus divinitus conscriptos libros apostolorum et prophetarum et cæterorum sanctorum, ita decebat et pseudosyllogum illud talia habere volumina in testimonium et virtutem.

Sancta synodus dixit : Anathema et libris illis, et utentibus eis !

Petrus et Petrus Deo amabiles presbyteri, et locum obtinentes Adriani papæ senioris Romæ, dixerunt : Ostendit hæc lectio, quod Arianorum habuerit sensum : habebat autem prolatus liber Eusebii et alias blasphemias, quas synodus audire non pertulit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Conscripta ejus abjicimus.

Sancta synodus dixit : Et abjicimus, et anathematizamus.

Stephanus reverendissimus monachus legit :

Antipatri episcopi Bostræ contradictiones in Eusebium episcopum Cæsariæ pro Origenis defensione, sermo primus, cujus initium est :

Ego quidem sufficienter æstimabam me scripsisse, et his quæ a tua sanctitate jussa sunt, satisfecisse, per omnia Deo amabilis et sanctissime Pater Joannes. Et post pauca : Quoniam multus in historiis fuit vir, omnia antiquorum volumina et conscripta scrutatus atque rimatus, et cunctas ferme opiniones exponens, et plurima conscripta in sæculo derelinquens, quorum nonnulla omni receptione digna consistunt, talis viri opinione utentes, subripere conantur nonnullos, fatentes quod Eusebius ad hoc non traheretur vidisse [videretur venisse], nisi [*Gr.*, noluisset hoc suscipere, nisi] omnes ad liquidum veterum sciret opiniones hoc velle monstrantes. At ego, quod multus quidem in historiis fuerit vir, et nihil ex veteribus conscriptionibus illius latuerit notitiam, consentio et confiteor. Imperiali quippe cooperatione usus, facile quæ ubique sparsa erant, colligere poterat. Non autem ad dogmatum acribiam [*id est*, exactam cognitionem] hunc pervenisse perhibeo. Unde concedendum quidem est illi, quod multa didicerit : quod autem dogmatum habuerit notionem, nullo modo : quem videlicet nimis fuisse procul ab horum acribia scimus. Et paulo post : Itaque ne videamur aggredi virum, de quibus non est nobis impræsentiarum dicendi propositum ; neve discutientes diligentius apologiam quæ facta est, hæreticos ostendamus utrumque, ipsum scilicet qui excusatur, et eum qui pro eo excusationem exposuit. Et post alia : Ostende quemquam ex illustribus Ecclesiæ magistris, qui expresse et indubitabiliter, quod præexistant animæ, dogmatizaverit : et ne subreptiones quasdam proferre tentes ad comprobationem. Illud enim quod demonstrare festinas, Filii ad Patrem subjectionem etiam sibi similiter aliquos perhibere, primo quidem non miremur : tua est et eorum qui circa te sunt, talis opinio. Unde nec super hoc in præsenti nobis ullus est sermo, cum videlicet D universali sit olim inquisitione projectum [*Gr.*, inquisitioni subjectum] atque repulsum : et non in hoc obediatur, neque discutiatur propter eos, pro quibus hæc nobis proposita sunt. Porro puræ voci quæ est Periarchon detrahi, nequaquam a quoquam usque nunc audisti, o acer, advocate Origenis pravitatum.

Sanctissimus patriarcha dixit : Ostensa sunt conscripta Eusebii etiam per paternam vocem aliena esse a catholica Ecclesia.

Demetrius Deo amabilis diaconus et vasorum custos legit :

Theodori lectoris de Ecclesiastica Historia.

Persa quidam Xenaias vocatus, quem tempore

sacerdotii sui Calendio inveniens ecclesiastica adulterare dogmata, et castella excitare, pellit a regione. De hoc multa, quæ a diversis audiens scrutatus sum, ex parte dicam. A Persarum enim regione proprium dominum fugiens, ad Romanorum pervenit. Et paulo post : Hunc Petrus pro Cyro Hierapoliensium Ecclesiæ episcopum transmittit; quem non post multum episcopi a Perside venientes quasi vernulam arguebant, et ut divini exsortem baptismatis. Quo comperto, Petrus, quid oporteret fieri non curans, dixit sufficere illi episcopi consecrationem ad supplementum divini sacramenti [divinæ initiationis].

Stephanus diaconus et notarius venerabilis patrimonii legit :

Joannis Diacrinomeni, [a] *de Ecclesiastica Historia.*

Non enim licitum asserebat Xenaias, angelos, cum incorporei sint, corpora facere, et quasi in humanis formis existentes corporeos formare : sed nec illud existimare, honorem au gloriam impendere Christo imaginem ei per picturæ artem efficere [effectam]; esse autem illi solam acceptabilem nosse in spiritu et veritate adorationem. Et post alia : Nosse autem dicit et illud, esse puerilis sensus fingere in columbæ idolo sanctissimum et adorandum Spiritum; præsertim cum evangelicæ nequaquam tradant litteræ, quia factus est columba Spiritus, sed quia in specie columbæ apparuit aliquando : quia vero dispensatorie, non substantialiter semel ostensus est, non ideo aptum piis est corporis idolum faciendi. Hoc Philoxenus docens, una cum doctrina etiam opus patrabat. Crebro namque angelorum imagines quidem deponens delebat; eas vero quæ Christum figurabant, in abditis locis occultabat.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Audiamus, sacrati viri, qui non receperunt venerabiles imagines, non baptizati, Manichæi, et hi qui phantasiam prædicant in Christi dispensatione : ex quorum pollutionibus Christianos accusantis hæreseos introductores fomites susceperunt.

Sabbas reverendissimus hegumenus monasterii Studii dixit : Gratias agimus Deo et bonæ voluntati dominum nostrorum bonorum, quia falsi custodes pseudosyllogi illius devicti sunt una cum consentientibus sibi hæreticis.

Sancta synodus dixit : Anathema illis!

Constantinus reverendissimus lector sanctissimæ Ecclesiæ legit :

De vita sancti Patris nostri Sabbæ.

Flaviano igitur et Elia patriarchis Sidonem, ut dictum est, pervenientibus, et litteris adulatoriis ac dispensatoriis ad imperatorem utentibus, et synodum quæ Sidone contra rectam congregata fuerat [*Gr.*, congregabatur] fidem destruentibus, et ad proprias sedes redeuntibus, indignati hi qui circa Soterichum et Philoxenum erant, in iram vehementem commoverunt imperatorem, quasi deceptum a patriarcharum astutia et fictione. Et accipientes potestatem quam voluerunt, et aurum multum vulgo Antiocheno tribuentes, et multis modis Flavianum tribulantes, et quodammodo suffocantes, et cogentes Chalcedonensem synodum anathematizare, taliter illum ab episcopatu pellentes exsilio damnaverunt. Quo comperto, imperator gavisus est, et Severum Acephalorum exarchum [principem] episcopum Antiochiæ misit.

Antonius reverendissimus monachus legit :

[b] *Ex deprecatione quæ data est sanctæ synodo convenienti in hac regia urbe contra Severum hæreticum, et Acephalum, a clericis et monachis Antiochensium magnæ civitatis sanctæ Dei Ecclesiæ : cujus initium est :*

Nunc tandem tempus est, o beatissimi. Et post pauca. Qualia vero, sanctissimi, et quæ circa fontes, qui Daphnæ sunt, agere ausus sit, magicis artibus ibidem usus, et incensi dæmonia placans, tota illa civitas canit. Siquidem nec ipsis sanctis altaribus vel sacratis vasis pepercit, illa quidem eradens ut scelesta [*Gr.*, profana], hæc autem conflans et erogans his qui similis moris sunt. Porro præsumptum est ab eo etiam hoc, o beatissimi. Eas enim, quæ in typum sancti Spiritus sunt, aureæ et argenteæ columbæ suspensæ supra divina [sacros fontes] sacramenta [lavacra] et altaria, cum aliis defraudabat, dicens non oportere columbas nominari Spiritum sanctum.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Si in nomine sancti Spiritus superpositas columbas receperunt Patres, quanto magis incarnati Verbi iconas, quod apparuit super terram cum corpore? Sed credite, quia et Anastasius qui Constantinopolitanis præfuit, aureas et argenteas iconas fraudavit in proprios usus, quod et Severus fecit.

Stephanus Deo amabilis diaconus et notarius et referendarius legit :

Joannis episcopi Gabalensium in vitam et conversationem Severi hæresiarchæ, cujus initium est :

Si quidem voluisset Severus vel vitæ semper ejus. Et post pauca : Et neque angelorum illæsum dimisit honorem. Multum autem sermonem in tribunali stans fecit [faciebat], et multidini persuadere tentabat in ipso multoties sacrario sanctissimi Michaelis, quod non purpurea angelis vestimenta conveniant, sed alba : non ignorans quod nihil sanctis virtutibus sensibile conveniant [de vestibus curæ est], sed satagens et hæc similiter auferre [hac ratione dividere], et in alterutrum commovere multos sic et aliter se habentes.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Consideremus, quia cum reliquis etiam in hoc ipso accusatus est, quoniam dicebat, quia non convenit angelos purpurea, sed alba vestimenta induere.

[a] *Diacrinomeni*, id est *segregati*. Sic vocabantur qui synodum Chalcedonensem non recipiebant. Ex Leontio de Sectis.

[b] Habetur in synodo Constantinop. sub Menna act. 1, circa med.

Theophilus [Demetrius] Deo amabilis diaconus et sceuophylax dixit : In sancta magna Ecclesia Constantinopoleos, quando promotus sum, inquisivi in brevi, et reperi in eo deesse duos codices deauratos per imagines : quos requirens agnovi, quod in ignem eos mittentes incenderint. Inveni autem et alium librum Constantini chartophylacis, continentem de venerabilibus iconis : et reciderunt folia, in quibus jacebant verba super iconis, et ecce eumdem codicem præ manibus habens sanctæ synodo ostendo.

Et explicans idem Theophilus [Demetrius] codicem, ostendit omnibus foliorum recisionem.

Leontius devotus a secretis dixit : Et aliud, Patres, mirandum est in codice hoc. Ut videtis enim, argenteas tabulas habet, et hinc inde imaginibus omnium sanctorum adornatur : et rem ipsam dimittentes, id est, imagines, quæ scripta de imaginibus intus erant, reciderunt : quod extremæ dementiæ est.

Sancta synodus dixit : Anathema sint qui reciderunt, et insidiati sunt !

Leo sanctissimus episcopus Phociæ dixit : Hic quidem codex folia perdidit ; in civitate autem in qua habito, supra triginta codices combusserunt igni.

Sabbas reverendissimus monachus et hegumenus monachus monasterii Studii dixit : Moris est, domini, his qui cæci sunt, non videre lumen : hujus rei gratia illi qui cæci sunt anima, obtenebrati sunt.

Demetrius Deo amabilis diaconus et sceuophylax legit :

Constantini diaconi et chartophylacis sanctissimæ Dei magnæ Ecclesiæ Constantinopoleos, in omnes sanctos martyres, cujus initium est :

Christi quidem festivitates. Et post alia. Deinde arbitramini, quod isti dixerunt, qui litigant, quod in ære [*Gr.*, arb. vos, dixerunt judices, quod in ære] ac lapidibus salutem faciamus, et non ad quamdam virtutem providam et protectricem inspiciamus, a qua nobis optima obtinentur ? Et quomodo pictores et lapidarii, martyres dixerunt, simulacrorum multitudinem construunt, variis formis configurantes, et templis affigunt ? et vos sacrificiis hæc celebratis, secretorum [difficultatum] solutionem ab eis exspectantes ? Quid autem et apud vos ? tyranni persecuti sunt. Nam quam asseritis, divinitas in imaginibus non exaratur ? Quomodo ergo nobis male dicitis, superstitiosius in similibus actibus positi ? Ergo quoniam et nobis, o judices, in exquisitis vituperationibus imaginum picturam conficitis, eia ab horum errore et ambiguitate vos liberabimus, dixerunt martyres. Non enim divinitatem, cum simplex sit et incomprehensibilis, formis quibusdam et figuris comparamus ; neque cera et lignis supersubstantialem et præexistentem sine initio substantiam honorare didicimus : sed quia primo inveterato [devicto] per transgressionem homine, et deponente apostatica virtute, quæ temere gessit natura verebatur eum qui se erecturus erat [eum deposuerat, insolescente, natura indigebat eo qui ipsam erigeret] non enim poterat ex se deorsum jacens, superationi suæ reluctari vel revocari [jacens iterum reluctari, vel congressum revocare], inimico casum aggrediente : sed nec conveniens erat, nisi secundis luctaminibus, victoria tyrannum excutere : ipse conditor propriæ facturæ, qui unus est ex Trinitate, Deus Verbum, sicut non in fictione priscæ [primam] naturæ ministrum quemquam exhibuit, ita neque nunc imaginem corruptam instauraturus, alii reparationem ejus commisit ; sed propriæ operationis virtute usus, agones pro nobis humanos suscepit. Hoc enim erat conveniens, ut proprium certamen [*Gr.*, apte respondens] ageret. Porro quia omnis certator tribus modis agonizans, vel uno horum superat hostem, deceptione scilicet, aut lege, aut tyrannide : sed duos penitus dimittens tanquam inutiles et non proprios, sed neque hos duos ad agonem commodos [ac ne his quidem, propter quos certamen est, com.] vel proficuos, dux et propugnator noster : sive enim fraus simulatam habeat victoriam, prave repugnantem fugans, sive tyrannis irrationabili vi obtineat, non ex æquo faciens congressionem : reliquorum quæ morem nequaquam discernens ad luctamen [cæteros modos non approbans, ad l.] quod secundum legem est, progressus, et carnem assumens massæ quæ occiderat, animatam anima rationali atque intellectuali, manens quod erat, et suis non carens, omnia fit absque peccato, quanta et ex quibus est homo, et non putative apparere caro dissimulans. Et post pauca : Igitur formam in qua demonstratus est, et cum hominibus conversatus est, tabulis depingimus, recordationem salutis quæ per eum facta est, divina effigie facientes ; et non secundum vos varias figuras secundum quod putantur [*Gr.*, placuerit, putatur], derivantes aut sculpentes.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Pagani propter idola martyres condemnabant, et dicebant eis : Cujus rei gratia certatis, et nostras similitudines recusatis, habentes et ipsi proprias iconas ? Sancti vero respondebant : Sed nos non simulacra dæmonum facimus, sed Dei Verbi qui incarnatus est, iconas facimus, et sanctorum ejus : non tamen deificamus eas.

Cosmas Deo amabilis diaconus et cubuclesius dixit : Et hunc codicem quem fero, quique Veteris est Testamenti, scholiis adjacentibus in patriarchio invenimus : habebat autem scholion in defensionem imaginum. Porro insidiatores veritatis deleverunt scholion : et videte illud. Verumtamen obscure paret ; sed videte illud, honorandi Patres.

Idem reverendissimus Cosmas aperiens codicem, ostendit omnibus qui aderant in sancta synodo, deletum locum.

Idem autem legit ; parebat enim : *Non erunt tibi alii præter me : ne facias tibimet idolum, neque omnem similitudinem quæcunque sunt in cœlo sursum,*

et quæcunque in terra deorsum, et quæcunque in aquis subtus terram : non adorabis ea, neque servies illis (*Exod.* xx, *Deut.* v). Scholion : Et si facimus similitudinem hominum Dei cultorum, non ad adorandum ut deos, sed ut videntes, ad æmulationem ipsorum veniamus. At vero si facimus similitudines Christi, non ut similitudinem adoremus, sed ut mens videndo ad superiora volet. Non enim imaginem corruptibilem corruptibilis hominis adoramus ; sed quoniam Deus dignatus est inconvertibiliter fieri homo, facimus ejus iconam ut hominis, licet scientes eum natura Deum. Non ergo ipsam Deum iconam dicimus, sed Deum [*Gr.*, novimus] videntes in icona depictum, cujus similitudinem habet imago. Porro pagani errantes, similitudines deos prædicant, quibus et immolant. Delatus est alius codex habens interpretationem Scripturæ, in qua jacebat præscriptum scholion : quem et sumens Gregorius Deo amabilis episcopus Neocæsariæ legit. Cumque adjaceret quæ deleta fuerat, et relegeretur [*Gr.*, cui adjacebat q. d. *f.* et relegebatur].

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Hæc fecerunt qui dicti sunt patriarchæ Anastasius, Constantinus et Niceta hæretici.

Theodorus sanctissimus episcopus Myrensium Lyciæ dixit : Si esset thesaurus iste tunc manifestus, non esset homo læsus. Sed Deus reddat his qui absconderunt eum in die illa.

Theodorus sanctissimus episcopus Catanæ dixit : Digni sunt isti anathemate, quoniam adulterantes erant veritatem, et insidiatores Patrum : et qui ab eis anathematizati sunt, digni sunt laude.

Tarasius sanctissimus patriarcha [*Gr.*, sancta synodus] dixit : Væ animabus eorum, quoniam veritatem absconderunt !

Petrus sanctissimus episcopus Germiæ dixit : Deleantur nomina eorum de libro viventium, et cum justis non scribantur (*Psal.* lxviii).

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit : Benedictus Deus, qui post tantum incendium, incisionem, et abolitionem, reliquit illa.

Theodorus sanctissimus episcopus Myrensium Lyciæ dixit : Qui hæc fecerunt, domine, posuerunt lucernam suam sub modio. Sed benedictus Deus, qui ostendit in tenebris lumen salutis !

Cosmas Deo amabilis diaconus et cubuclesius dixit : Invenimus autem et codicem hunc in sceuophylacio venerabilium oratoriorum patriarchii, continentem diversorum martyrum agones : cum his autem et de imagine non manufacta Camulianensium. Præterea [porro] reciderunt folia, in quibus erant de imaginibus scripta : et ecce omnibus eum ostendo.

Michael sanctissimus episcopus Synadensium dixit : Pastillarius dicebat, sanctissime domine, falsos interpretes et insidiatores divinæ Scripturæ anathema.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Sed conversus est dolor ejus in caput ejus.

Joannes Deo amabilis presbyter, monachus et loci servator Orientalium pontificum dixit : Verum dicendum est ; mali mores codices incendentium ac iconas frangentium lucidiorem ostenderunt veritatem.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Non solum sacras iconas eraserunt, sed et Evangelia, et alia quædam sacra : ita enim novit veritas persecutionem passa expressius apparere.

Stephanus monachus dixit : Adhuc et alium codicem habemus depravatum a Christianorum accusatoribus ; et si jubetis, hunc ostendam vobis.

Sancta synodus dixit : Ostendatur.

Et coram universa synodo ostensus est habens in duabus paginis deleta.

Gregorius Dei cultor presbyter et hegumenus monasterii Herachitii [*Gr.*, Hyacinthi *et cod. Jol.*,] dixit : Æqualis formæ hujus habeo, domini, codicem, et si jubetis, legatur.

Et accipiens Stephanus monachus, et librorum custos, legit :

De Ecclesiastica Historia Evagrii, ex sermone quarto.

Cum enim aggressus esset adversus civitatem Chosroes, millenosque impetus operatus terram multam cumulasset, adeo ut muros civitatis excederet, necnon et alias machinas consuisset, inefficacem patrabat regressum : dicam autem quæ facta sunt. Præcipiebat Chosroes potentatibus suis lignorum colligere magnam quamdam struem ad devastationem, cujusque materiæ : quæ quando collectæ sunt velocius quam præceptum fuerat, in circuitu propius ponens terram in medium jecit, et contra frontem civitatis ibat. Sicque paulatim superædificatis lignis atque pulvere, civitatemque adiens, tantum in altum extulit, et murum excessit, ut superius sagittæ contra eos qui pro civitate perituri erant in muro jaci viderentur. Igitur quando hi qui depopulationem patiebantur, terram videbant prope quasi montem proficiscentem urbi appropiare, gloriososque hostes existere, et similiter civitatem pedites ingressuros, ultro machinantur [*Gr.*, esseque in eo hostes, ut civitatem pedites ingrederentur, prima luce machinantur] ex adverso terræ congeriei, quæ apud Romanos agger appellatur, fossam subtus, quam fodientes hinc terram fecerunt, ut flammis [ducere, et inde ignem emittere ; ut flammis] ligna incensa aggerem ad terram deponerent. Et opus quidem consummatum est : aggerem autem succendentes consilio defraudati sunt, non habente ignis progressionem, unde aere recepto materiam consumere posset. Cum ergo in omnem defectionem devenissent, deferunt divinitus fabricatam [fabrefactam] iconam, quam hominum quidem manus non operatæ sunt : Abagaro autem Christus Deus, quoniam eum videre gestiebat, transmisit. Hanc igitur sanctissimam imaginem per effossionem quam sibi operati sunt, intromittentes, et aqua perfundentes, ab ea contra rogum et ligna dimiserunt [*Gr.*, ex ea rogum et ligna resperserunt] ; et statim divina virtus

fidei operantium adfuit, et quod prius erat illis impossibile, perficiebatur : continuo quippe receperunt flammam ligna, et verbo confestim in pruinas versa superioribus impartiebantur, omnia igne hinc et inde porrigente [*Gr.*, et dicto citius in pruinas versa sup. imp. o. i. depascente].

Leo reverendissimus lector magnæ Ecclesiæ regiæ Constantinopoleos dixit : Et ego indignus servus vester, cum descendissem ad Syriam cum regiis apocrisiariis, fui Edessæ, et sacram ac non manufactam iconam vidi a fidelibus honorari pariter et adorari.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Hesterno die reverendissimus hegumenus Maximini codicem paradisi amœnissimi Limonarii protulit, et lectus est : et reperimus et nos in bibliotheca exemplar ejusdem Limonarii incisa habens folia, in quibus de imaginibus scripta jacuerant.

Christophorus sanctissimus episcopus sanctæ Cyriacæ dixit : Sanctissime domine, indignus servus præsumam loqui coram sancta et sacra atque universali synodo. Propheticus sermo est, quia *in operibus manuum suarum comprehensus est peccator* (*Psal.* IX). Quod enim putabant adversus nos facere in pseudosyllogo illo collecti, hoc adversus eos factum est. Et quædam quidem inciderunt, quædam vero falsaverunt, ut manifestata veritate arguantur impietates eorum.

Stephanus monachus et librorum custos dixit : Codex datus ab hegumeno Maximini, continens sermonem qui falsatus est in altero codice qui est de iconis *a*.

Et legit idem Stephanus monachus et librorum custos.

Ex eodem Limonario.

Dicebant quidam seniorum, quia erat quidam inclusus in monte Oliveti decertator maximus : impugnabat autem eum dæmon fornicationis. Quadam ergo die cum ei valide immineret, cœpit senior lamentari et dicere dæmoni : Usquequo non parcis mihi? recede jam a me, consenuisti mihi. Apparet autem ei dæmon evidenter dicens : Jura mihi, quod nemini dicas quod tibi dicturus sum, et te ulterius non impugnabo. Juravit ei senex, quia per eum qui habitat in excelsis, non dicam cuiquam quæ mihi dixeris. Tunc dixit ei dæmon : Ne adores hanc iconam, et te ultra non impugnabo. Habebat autem imago figurationem dominæ nostræ sanctæ Mariæ Dei Genitricis portantis Dominum nostrum Jesum Christum. Dicit inclusus dæmonio : Sine tractem. In crastino autem indicat hoc abbati Theodoro Æliotæ, qui habitabat tunc in Laura Pharensium; et enarrat ei omnia. At vero senior incluso dixit : Abba, vere illusus es, quia jurasti dæmonio; verumtamen bene fecisti hoc dicendo. Porro expedit tibi, ut non dimittas in hac civitate scortum, ad quod non ingrediaris, quam ut recuses adorare Dominum nostrum Jesum Christum cum Matre ipsius. Confirmato ergo eo et confortato plurimis verbis, abibat ad proprium locum suum. Apparet iterum dæmon incluso, et dicit ei : Quid est, male senex? nonne jurasti mihi quod nemini diceres? et quomodo cuncta dixisti venienti ad te? Dico tibi, male senex, ut perjurus judiceberis in die judicii. Respondit ei inclusus : Quia juravi quidem, juravi utique; et quia perjuravi [pejeravi], scio : verum meum Dominum et factorem perjuravi; te tamen non audiam.

De eodem Limonario.

Narraverunt mihi iidem Patres et hoc dicentes : Quia in his diebus mulier quædam Christi amatrix in finibus Apamiæ puteum fodit : et multa expendens, et multum laborem faciens, et in profundum multum descendens, non reperit aquam : et in defectione animi multa erat mulier et propter laborem et propter sumptus. Semel ergo in somnis videt mulier quemdam dicentem sibi : Mitte, fer similitudinem abbatis Theodosii, qui in scopulo est; et aquam per eum Deus præbebit tibi. Mulier autem missis duobus hominibus suis, accepit iconam sancti; et deposita ea in puteum, statim et absque dilatione aqua exiit, ita ut medietas putei repleretur. Detulerunt ergo nobis ex eadem aqua, et bibimus, et glorificavimus Deum nostrum.

Item ejusdem.

Narravit nobis Dionysius presbyter Ecclesiæ Ascalonis de abbate Joanne anachoreta, dicens : Quia hic magnus in præsenti generatione fuit homo, et ad statum suum [*Gr.*, probandum statum] Deo beneplacentem hoc de eo miraculum asserebat. In specu, inquiens, senex sedebat in partibus Socchus possessionis, ab Hierosolymis milliariis viginti ferme distantis. Imaginem autem habebat senex in specu sanctæ intemeratæ dominæ nostræ Dei Genitricis et semper Virginis Mariæ, habentem in ulnis Christum Dominum nostrum. Quotiescunque ergo volebat quoquam pergere, aut ad eremos longinquas, aut Hierosolymam ad adorandam sanctam crucem et sancta loca, vel etiam in Sina monte oraturus, aut ad martyres, qui ab Hierosolymis multis spatiis aberant (erat enim amicus martyrum oppido senex. Nam nunc quidem ad sanctum Joannem Ephesum, nunc vero ad sanctum Theodorum Euchaita, aut ad sanctam Theclam Seleuciam pergebat, vel ad sanctum Sergium Arapham) perstruebat [præstruebat] candelam et succendebat, sicuti habebat consuetudinem : et ad deprecationem stans ut iter sibi dirigeretur, dicebat ad dominam, in imaginem ejus attendens : Sancta domina Dei Genitrix, quoniam viam habeo longam ad ambulandum, multorum dierum spatium habentem, de candela tua curam habeto, et inexstinguibilem eam secundum meum propositum custodi. Ego enim adjutorium tuum comitem habens, vadam. Et his ad imaginem dictis, abibat; et proposito itinere completo revertebatur, aliquando quidem mense uno, aliquando vero duobus vel tribus, non-

a Invenitur etiam ab aliis interpretibus et maxime in sextæ synodi codice falsatus.

nunquam quinque aut sex moratus. Et sic inveniebat candelam ordinatam et ardentem, ut eam ad iter agendum egressus sinebat : nunquamque illam a semetipsa exstinctam vidit, neque a somno surgens, neque ab eremo rediens in speluncam.

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit : Demonstratum est, quod antiqua traditio sit sacrarum imaginum consuetudo.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Jam satiati sumus ex paternis testimoniis, et cognovimus, quia prisca traditio est venerabilium imaginum erectio. Sectatores igitur sumus sanctorum Patrum.

Sancta synodus dixit : Sectatores et concordes.

Stephanus reverendissimus monachus dixit : Et alios codices habemus de causa sacrarum imaginum usque ad quindecim : et ut jubetis.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Repleti sumus atque contenti.

Sancta synodus dixit : Satis est.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Quoni demonstratum est in præcedenti lectione, quia ab Hebræis, et paganis, et Samaritis, ac Manichæis, atque Phantasiastis accusata est Ecclesia propter venerabiles imagines, et omnes certificati sumus, justum est etiam fratrem nostrum et dilectum dominum Joannem, et loci servatorem apostolicarum Orientis sedium, audire : habet enim quamdam relationem insinuantem, unde cœperit imaginum subversio.

Sancta synodus dixit : Et quærimus, domine, audire de hoc.

Joannes reverendissimus monachus et loci servator Orientalium pontificum, a pittacio legit.

Volo ego humilis et cunctorum novissimus ostendere cum omni veritate coram præsenti ac sancta vestra et sacra synodo, qualiter et quando et unde habuerit initium pessima et Deo exosa hæc Christianos accusantium et imagines confringentium hæresis : compendio duntaxat sermonis uti procurans, per chartam judicavi bonum fieri narrationem, quatenus nil me veritatis lateat. Arabum itaque qui sine Deo sunt, mortuo tyranno, id est consiliario (Seleman autem erat hujus nomen) ei successit Umarus : qui ad principatum ascendens, mox accersiens pepulit e fossa projectum [*Gr.*, e fossa projiciendum] Masalmam a terra hac, cum esset hostis insanissimus : qui magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi gratia, et sanctissimæ Dei genitricis quæ illum peperit, cum confusione multa et perditione propriæ Saracenorum militiæ reversus est Syriam, nil eorum quæ sperabat adeptus. Mortuo autem Umaro subrogatus est Ezidus, vir quidam levis et mobilis. Erat autem Tiberiade ductor quidam prævaricatorum Hebræorum, veneficus divinus, dæmonum animas lædentium organum, cognominatus Sarantapechys, impius inimicus Ecclesiæ Dei. Qui videlicet nequissimus Hebræus cum didicisset impe-

A rantis Ezidi levitatem, accessit ad eum, et cœpit divinare quædam et prædicere ei. Ex quo igitur factum est, ut acceptus tyranno et gratus efficeretur : Volo, inquit, prime consiliarie [a], pro symbolo benevolentiæ qua circa te flagro, dictare tibi modum quemdam, per quem facilius ac celerius adipisci possis, ut addatur tibi vitæ longitudo, et permaneas annis triginta in hoc principatu tuo, si tamen in opus perduxeris verba mea. At insipiens ille tyrannus, mente obtusus aviditate longævitatis (erat enim amator deliciarum et petulans [petulcus]) respondit : Quia quæcunque dictaveris, paratissime facio : et si voti compos exstitero, maximis te honoribus recompensando locupletabo. At vero veneficus atque divinus Hebræus ait ad eum : Jube statim absque omni

B dilatione vel induciis scribi per omnem principatum tuum encyclicam epistolam, ut omnem imaginalem picturam sive in tabulis, sive per musiva in parietibus, sive in vasis sacris et vestibus altarium, et quotquot ubjuscemodi reperiuntur in cunctis Christianorum ecclesiis, exterminare ac perfecte deponere [exterminent, ac p. deponant] : necnon et quotquot in foris civitatum ad ornatum sunt et decorem in quacunque similitudine. Quin Satanæ maligna operatione motus falsus divinus addidit, omnem similitudinem : argumentatus hoc, ut importabilem ostenderet inimicitiam quam contra nos habebat [*Gr.*, callide, ut nullam suspicionem suæ contra nos inimicitiæ daret]. Ast tyrannus, deceptione captus, huic levitate usus obsecundavit : et mittens deposuit ab omni

C provincia quæ sub ipso erat, sanctas imagines, et residuas similitudines : et hoc modo non parcens deturpavit Ecclesias Dei per veneficum Hebræum sub potestate sua sitas, antequam perveniret malum ad terram istam. Porro fugientibus Deo amabilibus Christianis, ne propriis manibus subverterent sanctas imagines, Hebræos Deo odibiles, et vilissimos Arabes angariabant, qui ad hoc missi erant Amiræi : sicque incendebant venerabiles iconas, et domos ecclesiarum modo quidem linientes, modo autem eradentes. Quibus auditis, pseudoepiscopus Nacoliæ, et hi qui circa ipsum erant, imitati sunt iniquos videlicet Judæos et impios Arabes, injuriam inferentes ecclesiis Dei. Justum autem judicio sacro

D vestro intimare auditui, qualem miser ille finem et veneficus Hebræus susceperit. Cum enim hoc egisset symbulus Ezidus, non plus quam duobus annis et dimidio vivens defunctus est, et perrexit in ignem æternum. Et imagines quidem in antiquo statu suo et honore restitutæ sunt. Porro hujus filius Ulidus nomine indignatus, tanquam homicidam sui patris veneficum turpissima morte interfici jussit, digna pro facto falsæ divinationis suæ portantem.

Sanctissimus episcopus Messanæ dixit : Et ego puerulus eram in Syria, cum Saracenorum symbulus imagines subverteret.

C Sabbas reverendissimus monachus et hegumenus

[a] Anastasii verba : *Sic enim Græci appellant regem Saracenorum.*

monasterii Studii dixit : Domine, et nos indigni A servi sanctitatis tuæ expetimus, ut sacræ imagines restituantur in locis suis juxta priorem consuetudinem, et ut litanias celebrent pii Christiani cum illis.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit : Quid dicitis, venerabiles fratres ?

Sancta synodus dixit : Et nos omnes consentimus.

Petrus Deo amabilis archipresbyter et loci servator sanctissimi papæ senioris Romæ legit ex pittacio.

Tarasio sanctissimo Constantinopoleos novæ Romæ patriarchæ, atque omni sanctæ huic et universali synodo Petrus archipresbyter sanctissimæ Ecclesiæ sancti ac laudabilis apostoli Petri, et Petrus presby- B **ter et hegumenus monasterii sancti Sabbæ, ambo loci servatores Adriani papæ senioris Romæ : Justum arbitramur, ut secundum pronuntiationem omnium nostrum, imo juxta antiquam traditionem catholicæ Ecclesiæ, sicuti omnes sancti Patres edocent nos, veniat in medio nostrum colenda imago, et hanc salutemus : et quemadmodum placuerit vobis sacerdotes, pronuntiate super hoc. Et aliud capitulum suggerimus, ut omnes conscriptiones, quæ contra venerabiles imagines factæ sunt, cum anathemate deleantur, vel igni tradantur : et de hoc petimus pronuntiari, ut videtur sacræ synodo.**

Sancta synodus dixit : Veniat, fiat!

Petrus Deo amabilis archipresbyter et loci ser- C **vator sanctissimi papæ senioris Romæ dixit : Si jubet sancta vestra synodus, ponatur crastino venerabilis imago, et omnes salutemus eam.**

Sancta synodus dixit : Fiat, fiat!

Joannes reverendissimus monachus presbyter et loci servator Orientalium pontificum dixit : Benedictus Deus, qui glorificavit amatricem Christi Nicæensium hanc civitatem in diebus Constantini et Irenæ amatorum Christi imperatorum. Benedictus Deus qui exhibuit eam duplici gratia dignam. Fidem prius hic Christus expressius explanavit : nunc autem per sanctam synodum hanc dispensationis suæ symbola omnibus manifestavit. Arius infamis hic est depositus: Deo perosorum imagines confringentium hæresis hic exterminata est. Benedictus Deus qui dicit per sanctum apostolum Joannem : *Ego sum Alpha et Omega* (*Apoc.* 1, 22). Benedictus Deus, qui hic in primis et in fine fidem orthodoxam confirmavit.

Sancta synodus exclamavit, per unumquemque versum ter pronuntians : Divinitus sonantium Patrum doctrinæ nos correxerunt : ex ipsis haurientes veritatem potati sumus! Eos sequentes, mendacium persecuti sumus! Ab eis edocti venerabiles imagines salutamus! Ab eis ducti adorationem quæ per honorem fit, eis impendimus! Patres prædicant : filii obedientes sumus, et congratulamur in facie matris traditioni Ecclesiæ catholicæ [*Gr.*, gloriamur in f. m. traditione E. c.]! Credentes in unum Deum in Trinitate laudandum, honorabiles imagines salutamus! Qui sic se non habent, anathema sint! Qui ita non sentiunt, procul ab Ecclesia propellantur! Nos antiquam legislationem Ecclesiæ catholicæ sequimur! Nos jura Patrum conservamus! Nos eos qui addunt vel auferunt ex catholica Ecclesia, anathematizamus! Nos venerabiles iconas salutamus! Superinductam novitatem Christianos accusantium anathematizamus! Nos eos qui sic se non habent, anathemati submittimus! Christianos accusantibus, id est imagines confringentibus anathema! His qui assumunt dicta sanctæ Scripturæ, quæ sunt contra idola, in venerabiles imagines, anathema! His qui non salutant sanctas ac venerabiles imagines, anathema! His qui appellant sacras imagines idola, anathema! His qui dicunt, quod veluti ad Deos Christiani ad iconas accedant, anathema! His qui communicant scienter injuriam et inhonorantiam inferentibus venerabilibus imaginibus, anathema! His qui dicunt quod excepto Christo Deo nostro alius eruerit nos ab idolis', anathema! His qui audent dicere catholicam Ecclesiam idola aliquando recepisse, anathema!

Multos annos imperatorum! Constantini et Irenæ magnorum principum et imperatorum multos annos! Pacificorum imperatorum multos annos! Depositores novitatis quæ pridem facta est, Domine, conforta! Piam da, Domine, vitam eis!

ACTIO SEXTA.

In nomine Domini et dominatoris Jesu Christi veri Dei nostri. Imperio piissimorum et amicorum Christi dominorum nostrorum Constantini et Irenæ a Deo redimitæ matris ejus, anno octavo consulatus eorum, tertio Nonas [*al.*, pridie Nonas] Octobrios, indictione undecima.

Conveniente sancta et universali synodo, quæ per divinam gratiam et piam sanctionem eorumdem di- D vinitus corroboratorum imperatorum congregata est in Nicæensium clara metropoli Bithynensium provinciæ : id est Petro reverendissimo archipresbytero sanctæ Romanæ Ecclesiæ sancti apostoli Petri, et Petro reverendissimo presbytero, monacho et hegumeno venerabilis monasterii sancti Sabbæ Romæ siti, tenentibus vices apostolicæ sedis almi et sanctissimi archiepiscopi senioris Romæ Adriani ; et

Tarasio almo et sanctissimo archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ, et Joanne ac Thoma reverendissimis presbyteris monachis, et vicariis apostolicarum sedium Orientalis diœceseos.

Residentibus quoque ante sacratissimum ambonem templi sanctissimæ ac magnæ ecclesiæ quæ cognominatur Sophia : præsentibus et audientibus gloriosissimis et magnificentissimis judicibus, id est Petrona laudabilissimo exconsule patricio, et comite Deo conservandi imperialis obsequii ; et tota sancta synodo secundum ordinem qui præscriptus est in prima actione : præsentibus etiam Deo amabilibus archimandritis et hegumenis, atque omni monachica plenitudine ; propositis sanctis et intemeratis Dei Evangeliis.

Leontius [Leo] inclytus a secretis dixit : Novit sancta et beata synodus, qualiter in præcedenti conventu diversa dicta legerimus [*al.*, digesserunt] divinitus insequendorum hæreticorum, qui accusaverunt sanctam et immaculatam Christianorum Ecclesiam ad erigendas sacras imagines [*Gr.*, ob erectionem sacrarum imaginum]. Hodie autem præ manibus habemus eorumdem Christianos accusantium blasphemiam in scriptis, id est absurdam et evertendam atque per se redarguendam definitionem pseudosyllogi, in omnibus consonantem impiæ opinioni Deo odibilium hæreticorum : sed et artificiosam et efficacissimam ejus refutationem, quam Spiritus sanctus liquido præbuit (oportebat enim eam divulgari sapientibus affatibus [*Gr.*, contradictionibus], et discerpi fortibus refutationibus) : quam et subjicimus ad quod placuerit.

Sancta synodus dixit : Legatur.

Joannes Deo amabilis diaconus sanctissimæ magnæ Ecclesiæ Constantinopoleos, et cancellarius, legit.

REFUTATIO ejus quæ resarcinata et fallaciter nominata est definitio a congregata turba eorum qui Christianos accusant.

TOMUS PRIMUS.

Gratum est semper odienti homines dæmoni tam a Deo separare, quam multiplicibus fallere seductionibus hominem qui ad imaginem Dei factus est : et nil ei magis sollicitudini et studio est, quam pietati resistere, et ecclesiasticæ pacis concutere ordinem. Quod etiam et in temporibus nostris ostendit per conciliabulum quoddam, in quo qui congregati sunt subjectæ materiæ [*Gr.*, expositionis auctores ef.] suasores sunt effecti, et septimum semet diffamaverunt esse concilium, simplex et cunctis agnitum quod est adversus idola odium, veluti quamdam in hamo seductoriam escam objicientes, exsecramentum suum e contrario proponentes contra imaginales figuras [*Gr.*, et ex eorum rejicientes in imaginales fig.], subripuere simpliciores : et antiquissimam illam et corruptam vocem, idolorum videlicet cultoram, iterum fabricantes, per quam ii qui diabolo et malignis ejus virtutibus per dæmonica simulacra, et creaturæ potius quam Creatori servierunt, juste idololatræ decreti sunt nominari : (quos et) iis qui Christum induerunt, et gratia ejus ab idolis liberati, atque ab eorum errore salvati, regale sacerdotium et gens sancta effecti, comparare atque conferre conati sunt [*Gr.*, sunt effecti, inurere conati sunt] : sed utinam more imperfectorum abortivorum mox nata verba eorum corrumperentur [*Gr.*, corrupta essent], priusquam in Ecclesia talia essent effecta contagia. Verum quia cum inepta essent, a quibusdam lacte nutrita sunt : licet ad perfectam nondum pervenissent ætatem, hæc perimere gladio Spiritus necessarium ducimus. Sed in his omnibus dux nobis sit Christus verus Deus noster, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I) qui solus intellectus est pie intelligentium et intellectorum, et sermo dicentium et dictorum, qui omnia omnibus et est et efficitur ; qui dat linguam disciplinæ cognoscendi, eum oportet dicere verbum. Declaratio enim sermonum ejus illuminat, et intellectum dat parvulis (*Ps.* CXVIII) ; quatenus mendacium pellatur, et veritas introeat omnibus lucide ac splendide fulgens : quam pietatis zelatores amplexati, divini Apostoli memores inquientis, *Væ mihi est, si non evangelizavero* (*I Cor.* IX) ; debent ejus et advocati et protectores esse mendacium redarguentes, et funda spiritus lapidantes. Unde tam secundum Scripturas, quam mores Patrum, scrutabiliter ac syllogistice contra stultiloquia venientes, secundum Phinees mucrone spiritus, una redargutionis plaga facile hos qui sibi in hac impietate conglobati sunt, simul pungere studeant, et mendaces per evidentem exhibitionem linguas eorum cunctis ostendant ; quippe quæ et contra notitiam unici Filii Dei, et contra Ecclesiam ejus elatæ, et iniquitatem in excelsum incarnationis ipsius locutæ sunt : et ita demum disruptis vinculis eorum gladio spiritus, qui est Verbum Dei (*Ephes.* VI), et depositio jugo indisciplinationis eorum, tegmina versutiarum ipsorum omnibus manifesta constituant : quia Dominus derisit eos, et subsannavit eos, et loquetur ad eos in ira sua, dicens : *Discedite a me, non novi vos* (*Matth.* VII). De quibus etiam per prophetam Jeremiam prædixit : *Falso prophetæ vaticinantur in nomine meo : non misi eos, et non præcepi eis, neque locutus sum ad eos : visionem mendacem et divinationem fraudulentam et seductionem cordis sui prophetizant vobis* (*Jer.* XIV, XXIII). Idcirco erunt projecti in viis Jerusalem, id est, Ecclesiæ catholicæ ; et conculcatio omnibus qui pie Deum confitentur. Laqueus enim fortis viro labia sua, et capitur sermonibus oris sui. Retributio autem labiorum ejus dabitur ei impietatis argutio. Ait enim : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam peccata tua* (*Psal.* XLIX). Et quidem super his ista dixisse sufficiat. Ne vero prolixis anfractibus prolongemus sermonem, propositam viam continuantes, ad redargutiones ex ipsa superscriptione verbum faciamus. Neque enim aliter horum vaniloquium igna-

vum et maledictis refertum ostendi poterit, nisi redarguendo cum Dei aspiratione adversus eos aciem præparemus : unam ipsis acquisituri cautelam, ut videlicet nihil noviter sine nobis agant ex his quæ [*Gr.*, unam nobis acquirentes caut. ut videlicet nihil a nobis innovetur ex his quæ] ad divinum cultum pertinere noscuntur : sed magis apostolicis et paternis obediant [obedimus] documentis, necnon et ecclesiasticis institutis. Rogamus autem eos qui hanc fuerint adepti scripturam, quo eam scrutabiliter et non transitorie legant : ut liquido et expresse comperientes subtilitatem objectionis, lauream [victoriam : victorias et laudes] Dei Ecclesiæ solvant. Usi sunt autem procœmiis hujuscemodi.

Gregorius Deo amabilis episcopus Neocæsariæ legit [a] :

« Terminus sanctæ magnæ ac universalis septimæ « synodi. »

Joannes diaconus legit :

A mendacio inchoantes, et per totam hanc rebellium vocum novitatem hoc in opitulationem assumpto, in mendacium finierunt Christianorum calumniatores. Quomodo enim sancta, quæ nec quid est sanctum in notione suscepit, præsertim cum sit polluta, profana et exsecranda ? Illi namque qui in ea congregati sunt, ut prophetice fateamur, inter sanctum et pollutum non distinxerunt, et inter mundum et immundum non discreverunt, iconam incarnati Dei Verbi, Domini videlicet nostri Jesu Christi, similiter ut iconam Satanæ, idolum nuncupantes. Quomodo autem magna et universalis, quam neque receperunt, neque concordaverunt reliquarum præsules Ecclesiarum, sed anathemati hanc transmiserunt ? Non habuit enim adjutorem illius temporis Romanorum papam, vel eos qui circa ipsum sunt sacerdotes, nec etiam per vicarios ejus, neque per encyclicam epistolam, quemadmodum lex dictat conciliorum. Sed nec consentientes sibi patriarchas Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ, ac sanctæ civitatis, vel comministros et summos sacerdotes, qui cum ipsis existunt. Vere fumus caligine plenus, obtenebrans oculos stolidorum, est sermo eorum, et non lucerna posita super candelabrum, ut illuminet omnibus qui in domo sunt (*Matth.* v) : pro eo quod localiter in abdito, et non super orthodoxiæ montem dicta fuerunt verba ipsorum. Neque enim in omnem terram more apostolorum exivit sonus eorum, aut in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* xviii), quemadmodum sex sanctarum et universalium synodorum. Porro septima quomodo, quæ non concordavit cum præcedentibus sex sanctis ac venerabilibus synodis ? Omne quippe septimum, quod fuerit ordinatum, in supputatione præcedentium rerum subsequens debet esse, quam quod eorum quæ sibi connumerantur, nihil participat, profecto non connumeratur. Sicut enim si quis sex aureos more versus ordinet, deinde apponat æneum nummum, septimum hunc propter alterius materiæ substantiam nullatenus appellaverit ; siquidem aurum multi et pretiosi metallum est commodi, æs vero vile et inhonorabile : Ita et hæc cum aureum vel pretiosum in dogmatibus nihil habeat, sed in omnibus ærea [subærata] sit et reproba venenoque mortifero plena [rubigine mortifera] sacratissimis sex synodis, aureis carminibus spiritus refulgentibus, connumerari non meruit. Habens autem elationem ejus qui dixit, *Ponam thronum meum supra nubes* (*Isa.* xxiv) personat hujuscemodi.

Gregorius episcopus Neocæsariæ legit :

« Sancta magna et universalis synodus, quæ per « gratiam Dei et piissimam sanctionem Deo redimi- « torum et orthodoxorum imperatorum nostrorum « Constantini et Leonis congregata est in hac Deo « conservanda regia urbe, in colendo templo sanctæ « ac intemeratæ dominæ nostræ Dei Genitricis sem- « perque Virginis Mariæ, quod appellabatur Bla- « chernæ, definivit subter annexa. »

Joannes diaconus legit :

Si per divinam gratiam eorum congregatio facta esset, verbis quæ per Dei gratiam dicta sunt adornaretur, et veritate utique refulgeret ; quoniam gratia huic conjuncta est, et compares sibi atque contubernales existunt, testante Joanne qui in theologia præeminet, ac dicente : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* i). Ipsi ergo veritatem deserentes, in qua Salomon gloriatur dicens : *Veritatem meditabitur guttur meum* (*Prov.* viii) : et mendacium amplectentes, a gratia proculdubio exciderunt (*Coloss.* iv). Unde nec sermo eorum divino est sale conditus, ut det gratiam audientibus. Illud autem quod dicitur, in venerabili templo congregatos eos fuisse, non est mirum. In hoc enim nullo fuco meliorabuntur : quemadmodum nec Annam et Caipham, vel Judaicum eorum concilium quod factum est in Christum, juvit quod in templo adversus eum initium est sine lege consilium. Nam Deo magis damnabiles ostendebantur, quia in locis sanctis non sancta, sed inimica Deo fœdera pepigerunt. Sed utinam ex paterna voce procœmium sumerent, Dionysii videlicet deiloqui, traditionesque ipsius [*Gr.*, Sed utinam ut ex p. v. pr. sumpserunt Dion. d. traditiones quoque ipsius] atque omnium sanctorum Patrum nostrorum incorruptas servarent. Sed non est hoc in illis, sicuti cætera per totam expositionem eorum manifestabunt : licet inconvenienter hi qui falsa ovium pelle cooperiuntur, de theologia præfationem faciant, ita dicentes :

Gregorius episcopus legit :

« Cunctorum causa et consummatio deitas, quæ « omnia bonitate sua ex non existentibus ut essent

[a] Quidquid Gregorius iste Neocæsariensis post hæc dixisse aut legisse hic scribitur, id ex synodo illa falso septima dicta sumptum, hic confutatur, quare ea quæ hic cursivis (ut vocant) litteris exprimuntur, sunt verba synodi falso septimæ dictæ, eamque variationem non honoris, sed discretionis gratia fieri scito.

« exhibuit, hæc ornate et ordinate agitari defini- A
« vit : quatenus incolumitati per gratiam donatæ
« conjuncta, indeclinabilem perpetuitatem et in-
« flexibilem ad utraque nutum veri status salva cus-
« todiant. »

Epiphanius diaconus [et cubuclesius] legit :

Si universa creatura a Deo condita accepit ex non exstante subsistendi virtutem, nunc ejus utique præcepto mota et directa, novit Creatoris custodire mandatum, tanquam ab ipso quoque provisionem adepta sive inanimata sit, sive animata. Ipsi autem traditionem quæ a Christo nobis in sancta Ecclesia sua ad recordationem salutiferæ dispensationis suæ data est, anathematizare præsumpserunt, ignorantes quod nihil eorum quæ in illa sunt, sine ipso B fuerit factum ; et ostenduntur inanimatis insensibiliores, et irrationabilibus irrationabiliores : et non solum hæc, sed et bene se currere arbitrantes, linguam in pravis sermonibus et dogmatibus suis fallacem demonstrant, sanctam Dei Ecclesiam idolis adornati perhibentes ; atque mendacium spem suam ponentes, ad eam proferunt : Vias tuas scire nolumus (*Job.* XXI), neque antiquam traditionem sequi proponimus. Et quidem audient a Christo qui eam fundavit : *Nescio vos* (*Matth.* VII, XXV) ; fingunt autem se diabolum triumphare, dicentes ita :

Gregorius episcopus Neocæsariæ legit :

« Quia vero hic qui ob priorem claritatem Lu-
« cifer dictus est, proprium ordinem circa Deum
« collocatum habens, et in excelsum contra fa- C
« ctorem suum sensum extendens, tenebræ hinc
« cum apostatica virtute sua factus est, et ex glo-
« riosissima, lucem faciente, et super lucem exi-
« stente Dei principalitate sponte cadens, omnis
« malitiæ ultroneus factor et inventor ac magi-
« ster apparuit, et offuscatus est ; non ferens aspi-
« cere hominem a Deo creatum pro eo in gloriam
« intromissum, in qua ipse fuerat constitutus, om-
« nem adversus eum malitiam suam evacuavit,
« et per deceptionem illum a divina gloria et cla-
« ritate reddidit alienum, creaturam potius quam
« Creatorem adorare cohortans. »

Epiphanius diaconus [et cubuclesius] legit :

Si quidem contra idolorum servitutem, vel con- D
tra creaturarum servitutem, quam sancti apostoli qui induti sunt virtutem ex alto, ac divini prophetæ qui ante vaticinati sunt, sicque demum egregii Patres nostri qui illos secuti sunt, interdixerunt et exsecrati sunt, sermo eorum esset, omnes utique alumni Ecclesiæ componerent [assentirentur], et hæc tradere scripturæ illis opportunum existeret. Sed quia hanc deserentes, mendacium protegunt ; et patrem hujus, diabolum videlicet publicare simulantes, contra ea quæ sunt immaculatæ Ecclesiæ, linguam exacuunt, et cauponum more vinum miscuerunt aquæ, et subversione turbulenta proximum potare non sunt reveriti, juste audiunt divinam ad se vocem per deiloquum David et psalmistam prolatam : Quare enarratis justitias meas, et assumitis testamentum meum per os vestrum ? vos autem odistis disciplinam, et projecistis sermones meos retrorsum, portionem vestram ponentes cum his qui adulterant dogmata veritatis (*Psal.* XLIX). Unde simulantes veritatem, aiunt :

Gregorius episcopus Neocæsariæ legit :

« Unde propriæ manus opus fictor Deus cum vi-
« disset modis omnibus in perditionem demersum,
« nequaquam sustinuit, sed post [*Gr.*, videre m. o.
« in p. lubens non passus, post] diligentiam quæ per
« legem atque prophetas pro hujus est effecta salute,
« nondumque illo redire valente in priorem nobilita-
« tem, dignatus est Filium suum et Verbum in no-
« vissimis et prædestinatis temporibus mittere ad
« terram. Qui voluntate paterna, et cooperatione vi-
« vifici et æqualis sibi potentia Spiritus, in utero
« virginali habitans, et ex sancta et immaculata
« carne ejus in propria substantia [*Gr.*, existentia,]
« vel subsistentia carnem sumens nobis consubstan-
« tialem, hanc mediante anima rationabili et intelli-
« gibili compaginavit atque formavit, et natus est ab
« ipsa super omnem rationem et omnem intellectum
« et cogitationem ; crucemque pertulit ultroneam et
« mortem elegit, atque tertia die resurgens ex mor-
« tuis, omnem salutarem dispensationem implevit. »

Epiphanius diaconus [et cubuclesius] legit :

Ait Scriptura in mundi factura Deum dixisse : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I). Ingens ergo est magnitudo dignitatis, quia terrena imagine Dei honoratus est. Sed eo seductione cadente, ac non conservante primæ plasmationis dignitatem, humanum genus in idololatriam translapsum est. Hunc Deus et Verbum Patris factus homo, et non mutata natura, perfectus, revocans a casu, atque removens eum ab errore idolorum, denuo in immortalitatem fingit, præbens ei donum sine pœnitentia. Hæc iterata fictio, Dei magis inspectrix efficitur ; et priori fictione præstantior, ac donum [*Gr.*, Hæc priore deiformior et præstantior formatione fit reformatio, ac d.] æternum. Has ergo donorum magnitudines obtenebrare volentes, aliam idololatriam per facturam imaginum ore aspero perhibent introduci, et redemptionem novam jactanter factam [*Gr.*, per se factam] asseverant ; et variis verbis suam sententiam consuentes, Ecclesiam Dei tanquam errantem judicant, mollientes sermones suos super oleum, scripta quædam pronuntiantes ; et dolosa verba eorum, et jaculum saucians est lingua ipsorum. Loquuntur pacifica, in se autem habent inimicitiam : propter quod et inferunt :

Gregorius episcopus legit :

« Removit nos a corruptionem faciente dæmonum
« magisterio, id est, ab idolorum errore pariter et

« cultura, et tradidit adorationem quæ spiritu est « et veritate. »

Epiphanius diaconus legit :

Inviti, o præstantissimi, ad veritatem trahimini. Totus enim sacer apostolorum cœtus, et sancta Patrum nostrorum caterva, ad homines venisse Dei Patris Verbum et Filium prædicat, ut erueret nos ab idolorum errore. Sed et prænuntiatas voces habemus per prophetas ita clamantes : *Ecce* enim, ait, *dies veniunt, dicit Dominus, et delebo nomina idolorum a terra, et non erit ultra memoria eorum* (*Zach.* XIII). Ita ut vos confiteri coacti sitis, quod nos ab idolorum errore Christus Deus noster eruerit. Et si eruit, quomodo rursus idolis servierunt, qui in illum crediderunt? cesset vestra maledica garrulitas. Deus redemit incarnatus, et rursus captivamur? et ab eo qui tyrannidem in nos exercuit, nunc iterum superamur? Audite divinam Scripturam dicentem (*Psal.* CXLIV, CXLV) : *Regnum ejus æternum, et potestas ejus in generationes generationum* ; et : *Regnabit Dominus in æternum, Deus tuus Sion in generationem et generationem.* Nequaquam, ut imperatores terreni modo superant, modo superantur, ita et Deus; sed victoria ejus in æternum manet. Neque enim ut homo est Deus ut formetur, neque ut Filius hominis, ut comminetur ei, sicut scriptum est. His autem et Apostolus consonat dicens : *Sine pœnitentia enim sunt*, inquit, *dona et vocatio Dei* (*Rom.* XI). Porro eadem effantur, semet adornare putantes. Subinferunt enim, sese impugnantes :

Gregorius episcopus legit :

« Et ita demum cum assumptione in cœlos ascen-
« dit, sanctos discipulos suos et apostolos magi-
« stros hujus salutiferæ fidei derelinquens. Qui Ec-
« clesiam nostram tanquam sponsam ejus variis
« pietatis atque lucifluis dogmatibus speciosam red-
« dentes, optimam [formosissimam] et clarissimam,
« utpote quibusdam fimbriis aureis ostenderunt cir-
« cumamictam et variatam. Cujus speciem accipien-
« tes inclyti Patres nostri atque magistri, necnon et
« sanctæ ac venerabiles sex synodi, sine diminu-
« tione conservaverunt. »

Epiphanius diaconus legit :

Indoctum et ineruditum sensum habentes, nec senserunt tyrannicæ suæ ipsius vocum novitatis abjiciendam opinionem, fastumque et arrogantiam suam isti, qui tumultuari susurrando conantur : et versuto volentes velamento suum ipsius sensum obumbrare, ridiculum quoddam ex desidia patiuntur, laudantes multum ac magnifice ecclesiasticam legislationem ; et hanc immutilatam servare sanctas sex et universales synodos, licet nolentes, promittunt [*Gr.*, assentiuntur], et verbis quidem simulant pietatem, mente autem iniquitatem operantur : et labiis eam honorant, corde autem longe distant ab illa (*Isa.* XXIX) ; minime consentientes admittere traditionem, quæ in omni prætérito tempore a tot sanctis retenta est. Utinam multitudinem saltem reverili essent Christianorum, qui tam impræsentiarum, quam qui fuerunt ex quo annuntiatum est Evangelium, exprobrando et abjiciendo ejus narrationem quæ per titulorum picturam effecta est. Nam postquam sancta et universalis sexta synodus facta est, usque dum ipsi congregati sunt contra venerabiles iconas, non plus quam septuaginta præterierunt anni. Unde omnibus liquet, quod nequaquam in his annis imaginum picturæ sunt traditæ, sed in temporibus sextam synodum præcedentibus : et revera ab apostolorum fuerunt prædicatione, quemadmodum in omni loco ex ipsa visione sanctorum templorum ediscimus et Patres sancti testati sunt, atque historiarum perhibent relatores, salvanturque hactenus conscriptiones eorum. In primo enim et quingentesimo post expleta quinque annorum millia, Christus Deus noster ad homines veniens, et per triginta tres annos et menses pene quinque nobiscum conversans, magnum et salutare mysterium nostræ Redemptionis operatus est; sicque ad cœlos iter effecit, ascendens proculdubio unde descendit, præcipiens apostolis docere omnia quæ illos ipse docuerat. A temporibus ergo istis usque ad Constantinum imperatorem qui primus ex Christianis regnavit, transierunt anni quasi trecenti, cum prius tyrannidem pagani exercerent : quando scilicet plurimi Christianorum bonum certamen certantes, martyrio sæculum hoc derelinquebant adversus idola insurgentes. Christianorum vero copia divino zelo commota, templaque construentes, quidam in nomine Christi, quidam vero in honore sanctorum, alii humanitatis in eis Christi Dei nostri acta, alii autem certaminis martyrum narrationes coloribus exarabant : alii autem in tabulis semper memoriam ferre volentes in eis [*Gr.*, in seipsis] desiderati martyris imaginem depingebant, vel etiam ipsius Christi. Sed et in sacris vestibus et cimeliis imagines tam a sanctis Patribus nostris, quam a piis viris depingebantur, et in ipsis incruenta sacrificia celebrabant : et usque ad nos hæc omnia liquido demonstrata sunt, et permanent in æternum. Et certe etiam in hæresibus exortis felle ac amaritudine plenis adversus Ecclesiam, sed et sex synodis universalibus Dei nutu per diversa tempora in earum eversionem congregatis, omnia quæ tradita sunt in Ecclesia catholica sive scripto sive sine scripto ab antiquis temporibus, una cum sanctarum quoque imaginum demonstratione corroborata sunt et stabilita. Sancta vero sexta et universalis synodus cum promulgasset definitionem suam contra eos qui unam voluntatem prædicant in Christo Deo nostro, et Constantinus qui tunc imperabat, et præceptione sua per beneplacitum Dei hanc congregaverat, vita post modicum excessisset, Justinianusque filius ejus imperium obtinuisset : iidem ipsi qui in ea fuerant congregati, rursus nutu divino unanimiter convenientes post quatuor vel quinque annos, regulas ediderunt pro correctione ecclesiasticorum negotiorum usque ad duas et centum. In quibus canonibus etiam de imaginibus in octuagesima secunda regula

exposuerunt ita : In quibusdam venerabilium imaginum picturis agnus digito præcursoris exaratur ostensus, qui in figuram præcessit [*Gr.*, assumptus est] gratiæ, verum nobis per legem prænonstrans agnum, Christum videlicet Deum nostrum. Veteres ergo figuras et umbras, utpote veritatis indicia et præcedentes characteres Ecclesiæ traditos salutantes, gratiam honore perferimus et veritatem, hanc ut legis plenitudinem admittentes. Ut ergo præfectio etiam per colorum operationes in omnium vultibus [ante omnium oculos] depingatur, characterem agni Christi Dei nostri qui tollit peccata mundi, secundum humanitatem, etiam in iconis ex hoc pro veteri agno definimus depingi : per eum videlicet celsitudinem humilitatis Dei Verbi considerantes, et ad memoriam conversationis quam in carne gessit, passionis quoque ac salutaris mortis ejus adducti, atque redemptionis quæ hinc est mundo effecta. Videmus ergo cuncti et intelligimus, quod et ante sanctas synodos et post sanctas synodos imaginum descriptiones in Ecclesia traditæ fuerint, quemadmodum et Evangelii. Etenim per lectionem auribus perceptam hujus auditionem menti transmittimus, et oculis intuentes imaginales formas, simili modo intelligibiliter illustramur : et per duas res invicem se sequentes, lectionem alo et picturas, unius notitiam accipimus, ad memoriam rerum veniendo gestarum. Hinc et duorum generalissimorum sensuum in Canticis canticorum copulata hæc operatio potuit inveniri, cum dicitur : *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora* (*Cant.* II). Quibus consonantes et nos psallendo dicimus : *Sicut audivimus, ita et vidimus* (*Psal.* XLVII). His ergo ita se habentibus, opportune dicendum est ad eos qui contra sanctas imagines garrierunt : *Vana locutus est unusquisque ad proximum suum; labia dolosa in corde, et corde locuti sunt mala* (*Psal.* XI). A quibus eruamur gratia Christi veri Dei Salvatoris nostri.

A

B

C

TOMUS SECUNDUS.

Epiphanius diaconus legit :

Obliti non mentientis Domini repromissionis', quam de Ecclesia sua spopondit, quia *portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI), nudo capite, revelataque facie, habentes contrarias opiniones, impugnant illam; et furantes paternas voces, quasi suas opponunt, dicentes ita :

D

Gregorius episcopus legit

« Iterum autem hujus decorem videre non ferens « prædictus malitiæ fabricator, non est fraudatus « per diversa tempora et modus maligno ingenio fa- « ciendi sibi subditum genus humanum : sed in « schemate Christianismi idololatriam sensim in- « duxit [*Gr.*, reduxit], persuadens sophismatibus « suis ad se spectantibus minime a creatura rece- « dere, sed hanc adorare, hancque percolere, et « Deum facturam arbitrari Christi vocabulo nomi- « nandam. »

Epiphanius diaconus legit :

Qui spiritualem expugnant Jerusalem, id est catholicam Ecclesiam, his figurantur qui terrenam expugnavere Jerusalem. Et festinant et ipsi patric uti sermone, quemadmodum quondam Rhapsaces, qui Hebræa lingua contra Israel utebatur (*IV Reg.* XVIII). Isti enim hæretici paternam doctrinam et ecclesiasticam vocem contra Patres contraque catholicam Ecclesiam armant. Sed *a fructibus*, inquit Dominus, *eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII). Comparati enim sunt sepulcris dealbatis, quæ foris quidem parent hominibus speciosa : quemadmodum et isti Christianorum calumniatores patriis quasi cooperti sermonibus, intus autem pleni sunt ossibus et omni spurcitia (*Matth.* XXIII), mortuis videlicet fœtidisque dogmatibus. Nos autem idem sepulcrum revelantes, in manifestationem faciamus cunctam eorum immunditiam : quia secundum propria desideria pervertunt quæ in Ecclesia catholica sunt a sanctis Patribus edita. Et vocibus quidem eisdem utuntur, sed astute commutant sensus eorum. Quæ namque adversus Arianos ipsi profati sunt, isti contra venerabiles iconas, stylo scripturæ mutato, fatentur. Quod enim memorabilis Pater Gregorius Nysæorum præsul Ecclesiæ in epitaphii sermone, quem super sancto Basilio, suo videlicet carne ac spiritu fratre, scribens adversus Arianos dogmatizavit, isti contra imagines assumpserunt : quod ex eadem præfatione ipsius periochæ videri poterit, quæ ita se habet : Utique nullus ignorat intentionem ostensionis, quæ tempore magistri nostri effecta est [*Gr.*, int. cur tali tempore noster clarueriit doctor]. Quia enim hominum vesania circa idola prædicatione Christi exstincta fuerat, et omnes erant in ruinis jam et abolitione vanorum culturæ, per totum pene orbem prædicatione pietatis exorta : is qui tenebat humanæ deceptionis principatum, undique coercitus Christi nomine ab orbe terrarum abactus est. Cum autem in malitia sapiens malitiæ inventor existeret, non est fraudatus malignis argumentis ad faciendum rursus per seductionem sibi humanitatem subjectam, sed sub prætextu Christianitatis idolorum culturam paulatim induxit [*Gr.*, reduxit], persuadens sophismatibus suis ad se respectum habentibus, ut non recederent a creatura, sed hanc adorarent et colerent, Deumque facturam arbitrarentur, Filii nomine nuncupatam. At vero si ex non exstantibus vel a creatura, vel a divina substantia in sua est alienatus natura, nullus est huic sermo reddendus, sed hi qui nomen Christi creaturæ imposuerunt, hanc adorent, huic deserviant, in ea spem salutis habeant, et ab ipsa præstolentur judicium [ex. est creatura, et secundum propriam naturam aliena est a divina substantia, nihil de hoc curarent; sed nomen Christi creaturæ imponentes, hanc adorarent, huic deservirent, in ea sp. sal. haberent, et ab ipsa præstolarentur jud.] : necnon et apostata qui cecidit, totam nequitiam suam hominibus qui

indigni sunt, largiatur, Ario scilicet et Aetio et Eunomio et Eudoxio, quin potius et multis aliis, per quos idololatria quæ jam defecerat, denuo, sicut dictum est, nomine Christianitatis inducta est [et omnino nactus apostata homines totius ejus nequitiæ capaces, Arium inquam, Aetium, Eun. Eud. et præterea multos alios, per ipsos idololatriam, etc., reduxit]. Et obtinuit homines languor, qui servierunt creaturæ potius quam Creatori : ita ut et auxilio illius temporis imperatorum deceptio confortaretur, et omnes excellentes principatus pro eodem languore certarent. [*Gr.*, Cum ergo omnes propemodum homines ad partem quæ prævalebat, transissent, tunc, etc.] Tunc ex Deo demonstratur magnus Basilius, quemadmodum Elias sub Achab (*III Reg.* 17, *et seq.*); qui sacerdotio jam quodammodo deciB denti auxilium præbens, veluti quamdam deficientem lucernam verbum fidei per gratiam quæ inhabitabat in eo, rursus resplendescere fecit. Intendamus quod verum est, quia totus hujus Patris sensus adversus Arii furia laborantes intenditur. Dicit enim sanctum Basilium illis temporibus demonstratum, quibus Arius, Eunomius, Eudoxius, Macedonius, et qui circa illos, dissimiles [Anomœi] scilicet et Semiariani, creaturam Filium et Verbum Patris et Deum nostrum fatebantur, tanquam Deo quidem, sed creato servientes [*Gr.*, tanquam Deo illi qui creatus erat, ser.]. Unde idolorum cultores juste tam ab ipso quam a catholica Ecclesia nominantur, eo quod eum quem colunt, ex non exstantibus ut esset fateantur effectum, sicuti omnis eoC rum quæ condita sunt, creatura. Itaque sanctas imagines Christiani neque deos nominarunt, neque ut diis deservierunt, neque spem salutis suæ in eis aliquando habuerunt, neque ab illis exspectant futurum judicium, nisi ad recordationem et monimen eas habentes, et amore circa illarum principalia flagrantes, has et amplexi sunt, et honoranter adoraverunt : non tamen divinæ his servitutis vel cultus officium impenderunt (abesto calumnia), sed neque aliis quibuslibet rebus. Ariani autem creaturæ connumerantes Dei Filium et Verbum, ab eo spem salutis suæ prædicabant habere, et per eum futurum judicium effici. Hujus rei gratia egregius Pater arguens illos ait : Hanc, id est creaturam, adorare, huic servitutem exhibere, in ea salutis spem habeD re, ab ipsa exspectare judicium. Ergo probantur veritatis adulteratores hujus vocum novitatis propugnatores, et secundum prophetam (*Isa.* 1) caupones; miscentes vinum aquæ : et non solum hoc, sed et falsarii paternarum traditionum effecti sunt. Eodem quippe deifero Patre dicente, Dei [*Gr.*, Filii] vocatione nominatam, ipsi volentes in imaginalem formationem sensum transferre, pro Filii vocatione, Christi vocatione falso profati sunt. Manifestum est enim quod dicens, Filii vocatione nominatam, adversus Arianos pronuntiaverit, in supernam et increatam divinam generationem Filii blasphemantes. Propter quod et primores ejusdem hæreseos publiA cavit dicens, Ario videlicet, Eunomio, Eudoxio, et Aetio. Ipsi autem prout dicerent Filii, dicentes Christi, mutato sensu in venerabilium imaginum formationem blasphemiam conati sunt usurpare. Igitur et in hoc falsiloqui quidam et mendaces manifestantur, qui et inferunt quæ licita minime comprobantur.

Gregorius episcopus legit :

« Propterea quemadmodum olim Jesus salutis quod « nostræ auctor et consummator sapientissimos di« scipulos suos sancti Spiritus induens virtute, pro « imminutione talium, in omnem terram direxit : « ita nunc famulos suos et apostolorum consimiles, « fideles videlicet imperatores nostros erexit, ejus« dem Spiritus sapientia præditos, et dignos virtute « factos, ad perfectionem scilicet et doctrinam no« stram, atque destructionem dæmonicarum muni« tionum extollentium se contra scientiam Dei, at« que redargutionem diabolicæ argumentationis pa« riter et erroris. »

Epiphanius diaconus legit :

Quis locutus est iniquitatem talem in Excelsum aliquando ? quæ fiat hac impietate crudelior ? O irreverentem et malignam blasphemiam ! o abconditam fraudem et variam falsitatem ! ut ex ipsius diaboli argumentatione instructi effantur; quia visionem et vultum, quæ clare nos et expresse ad gloriam Dei manu quodammodo ducunt, et per quæ humilitatis celsitudinem Dei Verbi consideramus, et ad conversationis ejus quam in carne gessit, id est, passionis et salutaris mortis ejus memoriam trahimur, dæmonicas munitiones extollentes se adversus scientiam Dei, et diabolicam argumentationem et errorem ausi sunt nuncupare. *Intenderunt* vere *arcum* suum *rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum* (*Psal.* LXIII). Si enim confiterentur, pro imminutione idolorum indutos virtute ex alto sanctos discipulos, adveniente super eos Spiritu sancto, fuisse missos, non utique dicerent alios erectos, postquam obtinuit illorum traditio et doctrina annos circiter octingentos, et Patres sancti hanc ut ancoram securam confirmaverunt et stabilierunt. Semel enim universaliter erepti per Christum ab idolis, non egemus super idolis conqueri [*Gr.*, reprendi] : nisi forte præsumant dicere, mutationem factam in Ecclesia, et leges alias et ordinationes traditas; inducentes nobis occasiones irrationabiles et negatione refertas. Hoc enim rumore fortes isti tumultuantes dicebant, sicut olim Jesus salutis nostræ auctor et consummator. Hinc accedit eis dicere : *Omne quod antiquatur et senescit, prope interitum fit* (*Hebr.* VIII) : et quia antiquata est apostolorum doctrina, novam nos procuramus erigere : quia et Moyses et Aaron sacerdotes simili modo fuisse probantur. Sed quando gratia subintravit, Apostolus dixit alium surrexisse sacerdotem. Ergo et nunc debuerant dare maximam quamdam gratiam, apostolorum gratia superiorem (sic enim et

dicunt) ad perfectionem quidem nostram et magisterium. Et cum episcopi essent qui talem synodum adunaverunt, et perfectionem apostolicarum dispositionum haberent, et alios debuissent perficere, non ab aliis perfici. Nam magis renuerunt doctrinam magisterii ac traditionis sanctorum apostolorum et illustrium Patrum nostrorum. Unde consortes et participes nullatenus ostensi sunt horum eruditionis et doctrinæ, eo quod non consenserunt traditioni eorum, et imprecatur eis psalmista David dicens : *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam* (*Psal.* XI). Dicat et nobis psallens veraciter ipse David, et nos una cum ipso : *Inimici defecerunt framææ in finem, et civitates eorum destruxisti* (*Psal.* IX). Quando defecerunt inimici framææ, et civitates, id est munitiones ejus? nonne in Christi humanatione? de quo scriptum est, quia *fortium dividet spolia* (*Isa.* LIII). An super pseudosyllogo et factione ipsorum scriptum est, quia inimici defecerunt framææ in finem? Et si in finem et per omnia defecerunt framææ inimici, impietatisque civitates destructæ sunt, quomodo hæc iterum reædificata et renovata esse garrierunt, ut sibimet ascribant destructionem eorum, et redemptionem humani generis quæ ex illis effecta est? Derogantes magno salutis nostræ mysterio et dispensationi Christi, qui et super omnia benedictus Deus in sæcula sæculorum. Amen. Deinde adulationibus ad imperatores usi, ita aiunt :

Gregorius episcopus legit :

« Qui divino zelo, qui illis inest, moti, fidelium « Ecclesiam dæmonum subreptam seductione videre « non patientes. »

Epiphanius diaconus legit :

Hæc dicentes, neque cognoverunt repromissiones quas catholica Ecclesia suscepit a Christo qui eam fundavit, neque per redemptionem quæ est in Jesu Christo Domino nostro confitentur salvari genus humanum. Quos enim Christus proprio mercatus est sanguine, iterum diabolo vendunt. Quos propria morte vivificavit, ipsi toxico labiorum suorum mortificant, et in laqueum inferni demergunt. Audiant Cantica canticorum aperte ad Ecclesiam ex persona Christi cantantia : *Tota bona* [*pulchra*] *es proxima mea, tota bona es, et macula non est in te* (*Cant.* IV). Ecce jam audierunt totam eam bonam esse et proximam Christi, ac ab omni macula liberam; ad quam et per Isaiam affatur : *In manu mea depinxi muros tuos, et in conspectu meo es semper* (*Isa.* XLIX). Et quomodo quæ has repromissiones accepit, subripitur a dæmonum adversa virtute? et maxime ubi Christus est caput secundum divinum Apostolum (*Ephes.* V), quis est qui hanc possit in prædam arripere? Ipse exhibuit eam sibi non habentem maculam aut rugam, et quomodo rursus coinquinatur? O reprehensionem [*Gr.*, opinionem] istam! Certum est enim quod negationem dispensationis ejus sequestret opinio hæc. Sed festinaverunt Ecclesiam A spernere : idcirco spernet illos Dominus, et erunt apud omnes qui in ea nati sunt, reprobati et anathematizati : mansit enim inexpugnabilis et incorruptibilis [*Gr.*, inconcussa] et immobilis. Porro adulationibus replentes os, ad narrationem a se gestorum faciunt gloriantes.

Gregorius episcopus legit :

« Omne sacratum convocaverunt [illo amabilium « episcoporum collegium, ut synodice in idipsum « effectum, et scripturarum quæstionem faciens de « seductoria similitudinum colorum operatione, quæ « avellit ex summa et Deo decibili latria ad humi- « lem et materialem creaturæ latriam hominis sen- « sum, Deo movente, pronuntiet quid sibi fuerit vi- « sum : scientes quod scriptum est in prophetis; B « Quia labia sacerdotum custodient scientiam; et « legem exquirent ex ore ipsorum, quia angeli Do- « mini omnipotentis sunt (*Malach.* II). »

Epiphanius diaconus legit :

Immemores Dei Verbi nativitatis ex Virgine, hujusque magni et salutaris mysterii quod ipse in carne veniens nobis donavit, eruens nos ab idolorum errore, ac horum insana superstitione : ipsique hanc salutem usurpantes, glorianique sibi cumulare volentes, inglorii a catholica Ecclesia prædicantur. Quibus aperte affatur Christus Deus noster per prophetam dicens : *Sacerdotes spreverunt legem, et coinquinaverunt sancta mea. Inter sanctum et pollutum non distinxerunt, et inter mundum et immundum non dis-* C *tinxerunt* (*Ezech.* XXII). Ipsi enim iconas Domini et sanctorum ejus a dæmoniorum icona non distinxerunt, eas similiter idola nominantes, et calumniose accusantes Ecclesiam, quam acquisivit proprio sanguine Christus Deus noster; seductoriamque colorum operationem Evangelii enarrationem susurrando fatentes, quam venerabilem et sanctam fideles dicunt et nominant; non profecto aspicientes ad id quod videtur, sed ad ea quæ in ipso signantur. Audientes enim auribus, Gloria tibi, Domine, proclamant, et videntes oculis, eamdem utique deferunt gloriæ actionem. In memoriam quippe venimus conversationis ejus, qua cum hominibus conversatus est. Quidquid enim narratio in scriptis insinuat, id ipsum et pictura denuntiat. Qualia vero impudenter D jactanterque verbosa fauce garrierunt, inspiciamus. Quæ avellit ex summa et Deo decibili latria ad humilem ac materialem creaturæ latriam. O vesaniam linguam ut gladium acutam et mendacio infectam habentium, immaculatam fidem Christianorum in imaginum æstimantium commutari culturam; quique contumeliose profantur, humilem ac materialem creaturæ latriam hanc appellantes! Nullus Christianorum hominum qui sub cœlo sunt, imagini cultum servitutis exhibuit : pagana est enim ista fabulatio, et dæmonum adinventio, atque opus actionis satanicæ. Periit hoc Christi adventu. Servitus nunc in spiritu et veritate est (*Joan.* IV) : diversa autem quæ Deo exhibentur, ad memoriam videlicet ejus et san-

ctorum ipsius, habet Ecclesia reposita : ex quibus etiam imaginum est factura. Ipsi præterea esse arguunt dicentes : Pronuntiet quod sibi fuerit visum. Latuit eos quod ab ore Dominico scriptum est : *Qui loquitur a semetipso, propriam gloriam quærit* (*Joan.* VII). Igitur ipsi testantur se a semetipsis affari, et non a Spiritu sancto. Quis, putas, hæc audiat? nisi forte qui non fuerit Spiritus. Deinde gloriantes non in Domino, sed in lingua sua, sic aiunt :

Gregorius episcopus Neocæsariæ legit :

« Et ecce nunc congregata sacra synodus, cujus « numerum implemus trecenti triginta octo, syno- « dicas sequentes legislationes, amplectentes susci- « pimus et prædicamus dogmata seu traditiones, « quas ipsæ roborantes, secure nos tenere sanxe- « runt. »

Epiphanius diaconus legit.

Populosum habentes concilium jactant, de multitudine gloriantes. Turbas quippe contra Ecclesiam congregantes garrierunt, os non habens ostium aperientes, quod licitum non est, iniquitatem in Excelsum locuti sunt; et secundum Hebræum populum creverunt, et vilissimi facti sunt (*Exod.* VII, *sec. LXX*). Sed non beneplacuit in eis Domino. Quare? quoniam ab Ecclesia sese pellentes, erraverunt in eremo, in inaquoso, vinum spirituale, quod lætificat corda hominum (*Psal.* CIII), non habentes. Rursus autem eadem de semetipsis [*Gr.*, iisdem] asseverant verbo quidem figurantes synodicas sectari legum positiones, factis autem negant, et dinumerant universales synodos, dicentes :

Gregorius episcopus legit.

« Secundum quidem primum sermonem sancta « [*Gr.*, Primo quidem loco sancta] et universalis ac « magna synodus, quæ apud Nicæam celebrata est « sub sanctæ memoriæ Constantino Magno imperatore; quæ impiissimum Arium a sacerdotali deposuit dignitate, eo quod diceret creaturam increatum Filium Dei, qui consubstantialis Patri et Spiritui sancto, et per omnia unius gloriæ ac unius est honoris : quæ et a Deo electum [*Gr.*, dictatum salubris fidei nostræ protulit symbolum. Sicque demum centum [*Gr.*, Deinde centum] quinquaginta « sanctorum Patrum qui convenerunt in hac regia « urbe sub majore Theodosio imperatore : quæ Macedonium Pneumatomachum damnavit, tanquam « in sanctissimum Spiritum blasphemantem, et non « esse homousion Patri et Filio impie dogmatizantem : ipsum quoque salutaris fidei nostræ symbolum latius expressit, Deum etiam et sanctum omnipotentem Spiritum firmans. »

Epiphanius diaconus legit :

Has sanctas universales duas synodos etiam impius recepit Nestorius, et qui partis ejus erant hæretici. Ita et horum factiosæ cohortis synodus has recipiens, aliam hæresim introduxit, a qua qui intendunt ei, Christianorum calumniatores nominati sunt a sancta Dei catholica Ecclesia, in nullo ab insensatis viris discrepantes, qui solem videntes esse super terram, dicunt ad invicem : Præ claritate solis stellæ absconsæ sunt, et dies est, et non est nox : manifestissima et certissima otioso sermone ratiocinantes deliberant [*Gr.*, concludunt], ita subdentes :

Gregorius episcopus legit :

« Post has ducentorum sanctorum Patrum apud « Ephesum prius conveniens sub juniori Theodosio « imperatore quæ Judæorum sensum habentem, et « hominem colentem. Nestorium condemnavit : quo- « niam prædicabat Christum seorsum ex Deo Verbum, et Christum alterum qui esset ex muliere : « partim privatimque ponens Deum Verbum, et « partim hominem : duas hinc subsistentias in uno « Christo dogmatizans, et negans unitatem quæ per « subsistentiam facta est : secundum quam non « quasi alter cum altero coadoratur, sed unus intelligitur Christus Jesus Filius unigenitus, una ado- « ratione honorandus cum propria carne.

Epiphanius diaconus legit :

Hæc et Eutyches, et Dioscorus, atque qui confusionem duarum in Christo naturarum prædicant, admiserunt. Sed hæretici permanserunt aliam hæresim inferentes. Ergo his connumerabuntur et ipsi, tanquam versutam vocum novitatem in catholicam Ecclesiam inferentes. Et veluti pueri, qui ea quæ a patribus suis evidenter dicta et facta illusorie adinvicem enarrant; ita et isti quæ ab omnibus manifeste sciuntur, docte [more doctorum] opinantur proferre, tradereque scripturæ; sed ridendi omnibus facti sunt. Et rursus vana confabulatione utentes dicunt :

Gregorius episcopus legit :

« Deinde Chalcedone magna et opinatissima sy- « nodus, quæ sub Marciano Deo amabili principe « concurrit, quæque Dioscorum et infelicem Euty- « chem anathematizavit, prædicantes non in duabus « naturis post summam Dei verbi unitatem, quæ in « subsistentia facta est, eumdem et unum Christum « et Dominum cum carne subsistere; sed ex duabus « naturis unitionem factam, et unam mistam et « confusam effectam. Præterea et quæ Constantino- « poli convenit centum sexaginta quinque sancto- « rum Patrum sub Justiniano divæ recordationis : « quæ anathematizavit Origenem, qui et Adaman- « tius dictus est, Evagrium, Didymum, cum paga- « nis conscriptis eorum; atque Theodorum Mopsue- « stenum, et Diodorum præceptorem Nestorii, Se- « verum, Petrum, Zooram, cum impiis dogmatibus « eorum; et factam [*Gr.*, dictam] Ibæ epistolam, « quæ scribitur ad Marim Persam : sanctæ et ma- « gnæ quartæ synodi pia corroborans dogmata. »

Epiphanius diaconus legit :

Has sanctas et universales synodos, et præcedentes eas, susceperunt Sergius Constantinopolitanus, Cyrus Alexandrinus, Honorius Romanus, et qui

circa ipsos sunt unam voluntatem in Christo dicentes. Sed ut hæretici anathematizantur a catholica Ecclesia, per hæresim suam vana loquentes. Sic et isti licet et has sanctas synodos admittant, propter hæresim tamen suam abjiciuntur a catholica Ecclesia : et vanus illis est super hoc sermo, et otiosus, ac nulla responsione condignus; quoniam in appellatione sanctarum synodorum, his resultant et adversantur. Et si quidem ignorantia hoc fecerunt, amentia est et indisciplinatione plenum : quod si scienter, impietate et omni absurda conscientia. Aut enim ostendant nobis synodum adversantem synodo, nisi forte ex illis quæ alienatæ sunt a catholica Ecclesia, et anathematizatæ, quemadmodum et eorum : aut probabiles sequantur, et sanctas ; et quæ dimiserunt in Ecclesia, et isti suscipiant. Et si quidem susceperint venerabiles iconas, catholicam Ecclesiam sectantur, utpote a sanctis sex universalibus susceptas synodis. Si vero non sectantur catholicam Ecclesiam, nemo illos audiet non sequentes Deo decibilem traditionem.

Gregorius episcopus legit :

« Similiter et ea quæ temporibus Constantini pii « principis in hac a Deo conservanda urbe centum « septuaginta sanctorum Patrum convenit; quæ « anathematizavit et abjectum fecit Theodorum « Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Honorium « Romanum, Sergium, Paulum, Pyrrhum et Pe« trum, qui hic præsules exstiterunt; Macariumque « Antiochenum, et Stephanum discipulum ejus : eo « quod dicerent unam voluntatem et operationem « in duabus unius Christi Dei nostri naturis. »

Epiphanius diaconus legit :

His ratiunculis nullus est refutationis sermo necessarius, eo quod sint hæc superius confutata. Sophismate autem profano sanctas synodos iterum in medium afferunt, ita dicentes :

Gregorius episcopus legit :

« Ipsæ igitur sanctæ et universales sex synodi « pie ac Deo placabiliter dogmata immaculatæ Chri« stianorum fidei exponentes, et traditis divinitus « Evangeliis imbutæ, unam subsistentiam in duabus « naturis et voluntatibus et operationibus in uno « Christo Domino nostro et Deo tradiderunt; et « unius ejusdemque miracula et passiones existere « docuerunt. »

Epiphanius diaconus legit :

O elationem et sensum arrogantissimum! Quasi imperitam et divinorum dogmatum ignaram Ecclesiam docere nituntur, cui nimirum testimonium perhibetur, quod omni sapientia plena sit : quemadmodum magna voce spiritibus exclamavit divinus Apostolus, qui hanc sacramentis imbuit, dicens de illa : *Ut innotescat principatibus et potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei* (*Ephes.* III). Non igitur recte judicaverunt, sed nimis periculose quæ non quæruntur in medium deducentes. Ut enim anA choram certam catholica Ecclesia hæc dogmata et recepit et signavit, atque horum magisterio opus non habet. Verum cum divinis dogmatibus eorum etiam venerabiles imagines receperunt, et cultu quodam et honore Patres nostri dignas judicaverunt, et pictas erexerunt eas in venerabilibus templis quæ ab eis ædificata sunt : sed et in omni congruo loco depinxerunt, et has amplexi sunt. Ipsi autem omnem divinam catervam eorum transcendere præsumpserunt, et adversus hos sedem suam locaverunt, superbientes secundum patrem mendacii, id est diabolum : et sancta coinquinaverunt, injuriisque affecerunt, atque igni mandaverunt. O argumentum [facinus], o audacem dementiam! Recedat sensus corum, et parcet populo suo Dominus ab hac corB ruptrice malitia eorum : fiatque ut omnes qui catholicam sectantur [*Gr.*, omnes cath. sectentur] Ecclesiam, recipiant evangelicas picturas, et martyricorum certaminum formationes; et has amplectantur, quemadmodum antiquitus sancta Dei Ecclesia suscepit. Adhuc autem sua continuantes artificia taliter maledicunt.

Gregorius episcopus legit :

« Quæ cum multo studio et tractatu et nos aspi« ratione sancti Spiritus examinantes et cogno« scentes, invenimus in ipsum opportunissimum sa« lutis nostræ dogma, id est in dispensationem « Christi, illicitam pictorum artem blasphemantem, « et subvertentem easdem sanctas et universales sex C « synodos divinitus collectas et inspiratas. »

Epiphanius diaconus legit :

Et studium et tractatus etiam in malo, quemadmodum studebat et tractabat cum Achitophel contra patrem suum Abessalom; sic et ipsi contra sanctos Patres : et ut videbatur Achab ex divina inspiratione pseudoprophetarum dicta suscipere; sed et iste fraudatus est spe (*II Reg.* XV, XVI, XVII). Ait autem Proverbiator : *Sunt viæ quæ videntur viro rectæ esse, novissima tamen earum mergunt in profundum inferni* (*Prov.* XIV). Talia et isti passi sunt : quippe qui passione homini placita [*Gr.*, hominibus placendi] D superati, ex proprio ventre profati, putantes quidem vias suas rectas, in laqueum autem inferni obedientes sibi demergunt. Quomodo enim in ipsum opportunissimum, ut aiunt, dispensationis Christi mysterium imaginum factio a pictore facta ore blasphemo refertur? vel quomodo iterum sanctas sex universales synodos pictorum ars spernit, et præter voluntatem earum in ecclesiis sunt imagines positæ, cum iidem ipsi divini Patres nostri didascalice ac voluntarie expressius explanantes salutis nostræ mysterium, in venerabilibus templis figuraverint, arte pictorum usi, et non ut isti fatentur? Quis sacratissimorum Patrum nostrorum in ipsum opportunissimum dogma salutis nostræ, id est in Christi dispensationem, illicitam pronuntiavit pictorum artem? Quod enim quis suscipit, id vituperare non patitur. Igitur desipere sciunt, sed non demonstrare illa quæ

desipiunt. Ut enim apparet, arbitrati sunt, quod nemo agnoscat verbum eos veritatis fraudare. Omnes quidem manuales artes quæ a consilio mandatorum Dei declinant, abjiciendæ sunt : quæ vero ita se non habent, sed ad vitam nostram non inutiles esse probantur, nihil indecens habent, neque has sancti patres nostri respuerunt vel abjecerunt. Porro si picturæ arte in effigiem turpitudinis quis usus fuerit, respuenda et noxia est : utputa si pinxerit quis figuras meretriculares, sive spectacula, infractusque saltatorios, et circorum visiones; et quidquid aliud his simile ab arte fuerit factum, turpis est adinventio [turpe exercitium]. At vero si industriorum virorum vitas et martyricorum certaminum relationes, et horum narrandas passiones, et magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi dispensationis mysterium pingere volnerimus, tum pictorum usi artificio, inveniemur valde recte operantes. Etenim pictor crucem format, et nullus eorum qui bene sapiunt, depictam crucem ejicit, neque divina eum denudat gratia : licet pictor eam coloribus operatus exstiterit. Rursusque super libris similiter accipiendum est. Nam si turpes quidem narrationes quis in libris depinxerit, turpes sunt et rejiciendi, atque ab auditu Christiano alienandi : si vero divinitus inspirata verba seu narrationes ducentes ad pietatem, laudandum est et admittendum, et Ecclesia dignissimum judicandum. Idipsum etiam super icona Domini nostri Jesu Christi ac sanctorum ejus, ut prædiximus, existimare necessarium. Nam et si citharam vel tibias quis operatus fuerit, turpis est operatio : si autem quid sacrorum vasorum, acceptabile : et nullus eorum qui bene sapiunt, arti derogat, si in his quæ hujus sunt vitæ necessaria, utile quid effecerit. Considerare enim oportet intentionem et modum, per quem perfectio [opus] artium fit : et siquidem ad pietatem spectat, acceptabile : si vero ad quamlibet turpitudinem, odibile et abjectum est. Porro accusationi insistentes deinceps aiunt :

Gregorius episcopus legit :

« Statuerunt autem [Stabilientem autem] Nestorium partientem in filiorum dualitatem eum qui « propter nos homo factus est, unum Filium et « Verbum Dei. »

Epiphanius diaconus legit :

Iterum sicut prædiximus, tantum pronuntiant, et non ostendunt. Quomodo sistit Nestorium, qui pingit imaginem Christi? Nestorius duos filios introducit, unum Verbum Patris, alterum eum qui est ex Virgine. Veri autem Christiani unum eumdemque confitentur Filium et Christum et Dominum : et pingentes iconam secundum id quod Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*Joan.* I), id est, homo perfectus, valde recte et pie faciunt. Circumscriptus est enim Deus Verbum carne, ad nos profectum, non tamen quis excogitavit divinitatem ejus depingere. *Deum*, inquit, *nemo vidit unquam* (*I Joan.* IV) : In circumscriptus est enim, et invisibilis, et incomprehensibilis : sed humanitatem [*Gr.*, sed circumscriptus secundum humanitatem] ; ex duabus enim naturis novimus Christum, et in duabus naturis indivise, id est, divina et humana. Una ergo incircumscripta, et una circumscripta in uno Christo videtur : et imago non secundum substantiam principali assimilatur, sed tantum secundum nomen et secundum positionem membrorum figuratorum. Neque enim imaginem quis scribens hominis alicujus, animam in imagine quærit : præsertim cum differentia incomparabilis sit animæ hominis et divinæ naturæ. Nam illa quidem increata est, et conditrix, et sine tempore : ista vero creata et temporalis, et ab ipsa condita. Et nullus aliquando bene sentientium visa hominis imagine cogitavit, quod separetur per pictorem homo ab anima. Non enim solummodo anima privatur imago, sed et ipsa substantia corporis, videlicet carnibus, medullis [*Gr.*, musculis], nervis, ossibus et elementis, id est sanguine, phlegmate, nigra et rubea cholera : quorum temperantiam in imagine videri impossibile. Si enim hæc in imagine vidissemus, hanc utique jam hominem, et non imaginem hominis nominassemus. Ergo perit [properat] una cum reliquis problematibus suis etiam præsens vaniloquium : risu præterea digna sunt quæ proferuntur.

Gregorius episcopus legit :

« Necnon et Arium et Dioscorum, et Eutychetem, « et Severum, qui confusionem et mistionem in dua« bus naturis unius Christi dogmatizant. »

Epiphanius diaconus legit :

O inconsideratas et aniles eorum fabulas, et absconditam fraudem! Iterum enim eisdem gratum illis est immorari garrulitatibus. Aut enim ignorant diversitatem a se numeratorum hæreticorum, aut sponte garrire procurant. Arii enim ac Dioscori et Eutychetis hæreses contrariæ sunt Nestorio, et invicem adversantur, licet pares in impietate persistant. Arius enim ex non exstantibus, ut esset, inquiens, æternum et increatum Verbum Dei et Patris, addidit impietati suæ etiam aliam hæresim, non habere dicens Christum animam rationalem, sed pro anima divinitatem, quam et passio tetigisset. Dioscorus autem et Eutyches Nestorio dicenti duas naturas et subsistentias in Christo, ex adverso ducti, naturas confundentes, unam vane locuti sunt; et procul a regia via incedentes, quæ non declinat neque ad dexteram neque ad sinistram, ab apostolica et paterna doctrina retroversi sunt. Et quæ communicatio vel consensus catholicæ sanctæ Dei Ecclesiæ propter venerabiles picturas, cum Ario et Dioscoro et Eutyche? nisi quod tantum inanes sunt sermones eorum, et corruptibiles, et ab apostolico mandato alieni, quod ait : *Sermo vester semper sit in gratia Dei sale conditus* (*Coloss.* IV). Quos et abominatus multi certaminis Job dicebat : *Si comeditur panis absque sale? si vero et gustus est in verbis inanibus?* (*Job* VI.) Claret ergo, quod frustra et vane calumnientur Ecclesiam Dei,

nunc quidem dicentes eam cum Nestorio impio et divisore commisceri, pingendo in iconis humanitatem Dominicam; nunc vero cum Eutyche ac Dioscoro sceleratis confundere : nam manifestum est, sicut supra ostensum est, quod contrarie sibimet sentiant, licet uterque impugnet Ecclesiam. Si enim dederimus, quod Nestorium secundum ipsorum vocem sequatur Ecclesia, mentiuntur, dicentes eam cum Eutyche ac Dioscoro sapere. Si vero potius eam (quod contrarium est) Eutychi ac Dioscoro consentire permittimus, etiam in hoc manifestantur falso loquentes. Ut enim sermo præcedens ostendit, Nestorius et Eutyches ab invicem impietate variantur, et irrationabile ac superfluum est hujusmodi eorum commentum.

TOMUS TERTIUS.

Epiphanius diaconus legit :

Et quia in spinis arantes, ab apostolicis seminibus aliena profantur, et hæreticorum zizaniorum germina fructificant, ad eos Dominus per prophetam clamat : *Pastores multi corruperunt vineam meam, demoliti sunt portionem meam* (*Jer.* XII), hæc dicentes :

Gregorius episcopus legit :

« Unde justum arbitrati sumus, subtiliter per præ-
« sentem definitionem nostram ostendere, qui faciant
« et colant errorem. Omnium igitur deiferorum Pa-
« trum et sanctarum ac universalium synodorum,
« qui puram et incontaminatam et Deo acceptam fi-
« dem et confessionem nostram ita tradiderunt [*Gr.*,
« Omnibus igitur deiferis, etc., puram et incontami-
« natam tradentibus], ut nullum modum divisionis
« vel confusionis excogitaret aliquis in illam ineffa-
« bilem et ignotam unitionem, quæ super omnem
« sensum et cogitationem est, duarum scilicet per
« subsistentiam naturarum unice demonstratæ per-
« sonæ. »

Epiphanius diaconus legit :

Vere suum errorem ostenderunt subtiliter vana sapientes. Omnibus enim sanctis Patribus nostris, qui in sanctis sex universalibus synodis convenerunt, venerabiles imagines pictas in sanctis templis et in aliis congruentibus locis stabilientibus et suscipientibus has, ipsi reprobaverunt per quasdam falsidicas ratiunculas, errorem dicentes, et idololatriam alteram præter dæmonicam subrogantes : et duas res sibimet adversantes non discreverunt ab invicem. Eorum enim quæ ad gloriam Christi Dei nostri, et rememorationem in carne conversationis ejus patrata sunt, et eorum quæ propter gloriam et memoriam dæmoniorum a paganis et quibusdam Judæis qui eis deserviunt, facta sunt, unam et eamdem nominationem ore suo circumferunt, et scripturæ tradere non sunt reveriti, miscentes quæ misceri non possunt, et excusantes excusationes in peccatis. Divisionis et confusionis deliramentorum strepitum dant in theologicam disciplinam Ecclesiæ catholicæ, et garriunt dicentes, nullum modum divisionis excogitare in unitione quæ per subsistentiam in carne facta est Dei Verbi. Et, ut apparet, paternas voces nunquam legerunt : porro si legerunt, transeundo legerunt, et non scrutando. Deiloquus Gregorius interimit inane ipsorum commentum, ita dicens (*Orat. 2 de Filio*) : Cum naturæ distent, cum intellectibus quoque dividuntur [*Gr.*, distant consideratione intellectus, simul dividuntur] et nomina : et omnes sancti Patres nostri confusionem non admittentes, separatas dicunt intellectu duas naturas ratione differentiæ, non divisionis. Igitur aut ignota est illis etiam in hoc vera dogmatum agnitio, aut calumniantur sanctos Patres nostros, quod nullo modo dicant divisionem in duarum naturarum unitione dispensationis Christi. Et Nestorius quidem rebus dividit naturas, dicens alterum Dei Verbum, et alterum eum qui est ex Virgine, in hominem specialiter, et in Deum specialiter. Catholica vero Ecclesia inconfuse confessa unitionem, intellectu solo dividit naturas indivise, unum eumdemque confessa Emmanuel etiam post unitionem. Porro injuriam spirantes in suis nasis, efferunt :

Gregorius episcopus legit :

« Quis est insensatus intellectus vani scriptoris
« [pictoris], propter frivolum et turpe lucrum stu-
« dentis quod studeri non potest? id est, corde cre-
« dita et oris confessione prolata manibus pollutis
« formare. »

Epiphanius diaconus legit.

Apoplexia est hoc dicere vel sentire : neque enim viri prudentis est culpare inculpabiles. Nam quæ est eorum sinistri sermonis excogitatio, hæc deliramenta intelligendi in ecclesiæ dicatis rebus? Si is qui pingit, propter turpe lucrum dicatur imaginari Dominum nostrum secundum quod homo perfectus factus est, et sanctos ejus : oportet illos etiam qui divina Evangelia scribunt, incusare, et eos qui crucem per colores exarant, stultos pictores appellare ac dicere quod propter turpe lucrum hoc faciant. Ergone et faber qui crucem facit, stultitiæ fabricator nominabitur; et latomus mensam sanctam incidens et formans, stultitiæ latomus est; et aurifex, et argentarius, et textor similiter? Itaque juxta illorum vesaniam discessit omnis disciplina et ars a Deo data tam ad gloriam suam, quam ad statum vitæ nostræ. Et quia venerunt in ignorantiæ ac malignitatis superfluitatem, ex divina Scriptura et sanctis Patribus nostris audiant laudari sapientiam quæ data est naturæ nostræ per magnum datorem Deum qui nos condidit, et quidem Job de Deo asseverante : Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam? (*Job* XXXVIII, *sec.* LXX.) Divina quoque Scriptura testatur Dominum dedisse sapientiam Beseleel in omnem fabrilem disciplinam, ita dicens : *Ego vocavi ex nomine Beseleel filium Urii filii Or de tribu Juda : et implevi eum spiritu Dei, sapientia et intelligentia et scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabre fieri potest et auro et argento et ære, marmore et gemmis*

et diversitate lignorum. Dedique ei socium Eliab filium Achisamec de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam, ut faciant cuncta quæ præcepi tibi (*Exod.* XXXI). Quibus consonans Gregorius, qui multus est in theologia, profatur (Greg. Naz. *Orat. fun. in S Basil.*) : Et descendit spiritus Domini, et deduxit eos : et spiritus disciplinæ replevit Beseleel principem fabrorum tabernaculi. Ergo qui disciplinas Dei, quæ hominibus datæ sunt, depravant [*Gr.*, vituperant] et reprehendunt, divinitus reprobatorum [illorum] censui connumerati et sunt et dicuntur, addentes, secundum quod scriptum, peccatum super peccatum [*Isa.* XXX]. Illi ergo qui germani et non [sunt] amici sponsæ Christi, et maculam vel rugam non habentis, catholicæ videlicet Ecclesiæ filii sunt, qui Deo rationabilia sacrificia et servitutes offerunt, per visibilem sensum intuentes venerabilem imaginem Christi, et proprie ac veraciter dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, sanctorumque angelorum et omnium sanctorum, sanctificantur, per recordationem horum mentem suam informant, et corde in unum Deum credunt ad justitiam, et ore confitentur ad salutem (*Rom.* X). Similiter et Evangelium audientes, auditorium sensum sanctificatione ac gratia replent, et corde intelligunt eorum quæ scripta sunt narrationem. Deinde frustra inflati quid aiunt?

Gregorius episcopus legit :

« Fecit enim iste talis imaginem, nominans eam « Christum : et est nomen quod est Christus, Deus « et homo. Ergo et imago Dei et hominis. Itaque « aut circumscripsit, secundum quod visum est va- « nitati suæ, incircumscriptionem deitatis circum- « scriptione creatæ carnis; aut confudit inconfusi- « bilem unitionem illam, confusionis iniquitatem « incurrens; duas blasphemias ex hoc deitati appli- « cans per circumscriptionem et confusionem. Eis- « dem ergo et is qui adoravit, blasphemiis submit- « titur : et væ utrisque consimile, quia cum Ario « et Dioscoro et Eutyche atque cum Acephalorum « hæresi erraverunt. »

Epiphanius diaconus legit :

Non est pictorum adinventio imaginum factura, sed catholicæ Ecclesiæ approbabilis legislatio et traditio : atque antiquitati congruens reverentia secundum divinum Basilium (*De Spiritu sancto* ad Amphil. cap. 29). Testimonium perhibet ipsa rerum antiquitas et spiritu inductorum patrum nostrorum doctrina, quia videntes has in venerabilibus templis, libenter susceperunt : et ipsi venerabilia templa dedicantes, has pingere studuerunt; in quibus Deo accepta vota sua et incruenta sacrificia Domino cunctorum Deo obtulerunt. Igitur eorum est ingenium et traditio, et non pictoris; nam pictoris sola ars est : dispositio manifestum est quod sit sanctorum patrum qui dedicaverunt. Nomen autem quo Christus dicitur, indicium est deitatis et humanitatis, duarum videlicet perfectarum Salvatoris naturarum.

A Et secundum naturam qua visus est, imaginem ejus Christiani pingere sunt edocti, et non secundum quam invisibilis erat : ipsa enim incircumscripta est. Deum quippe nemo vidit unquam, ex Evangelio (*Joan.* I) audivimus. Humana ergo natura Christo depicto, scilicet juxta quod veritas demonstravit, secundum nomen tantum Christiani confitentur communicare imaginem ei quod principale est, et non secundum substantiam. Ipsi autem stolidi effecti indifferentem dicunt esse imaginem et principale, atque in aliis substantiis esse ipsam substantiam [*Gr.*, in aliis et aliis substantiis esse eamdem substantiam] judicant. Et quis eorum non derideat indisciplinationem, imo lugeat impietatem? In reprobum quippe sensum conversi loquuntur quæ non con-
B veniunt, confusionis causam [crimen] susurrantes habere per venerabilium imaginum effectum Ecclesiam, et applicare eam divinitati circumscriptionis speciem asserentes : deindeque iniquitatem super iniquitatem apponentes, væ transmittunt. Sed convertetur dolor eorum in caput ipsorum. Si enim qui maledicit antiquo Israel, maledictus est; qui benedicit, benedictus est (*Num.* XXIV) : quanto magis qui novo Israel, qui intelligibiliter videt Deum, id est, Dei Ecclesiæ maledicit, est maledictione repletus? Quis autem eos non exsecrabitur, cum Ario et Dioscoro et Eutyche dicentes, atque cum Acephalorum hæresi illam errare, ipsis hos habentibus præceptores et tutores suæ ipsius nova eligentis hæreseos? In subsequentibus enim Eusebius Pamphili ab eis in testimonium duci-
C tur, qui ab omni Ecclesia catholica noscitur patronus esse Arii hæreseos, quemadmodum in omnibus conscriptis suis expositionibusque continetur; secundum adorabile Deum Verbum dicens et ministrum Patris et secunda dignitatis habentem, ab homousii differens majestate, et commutationem [*Gr.*, sententiæ consubstantialitatis repugnans, et comm.] sanctæ carnis Domini in divinitatis naturam; ac per hoc confusionem dogmatizans, nec iconam recipit, sed neque omnis Arianorum scelerata collectio. Prædicant enim sine anima rationali hominem factum fuisse Dominum nostrum, et pro anima divinitatem habere, ut passionem in eam efferant, sicuti testatur Gregorius deiloquus (Gregor. Nazianz. in *epist.* 2 *ad Cledonium*) : et utpote deitatem passam fatentes, non
D admittunt imaginem. Similiter et Severus confusibilis minime suscepit imaginem Christi Dei nostri in Ecclesia, sicut plurimi historici narrant. Quomodo ergo Arium et Dioscorum ac Eutychetem, Acephalorum scilicet hæresim secutam fuisse catholicam Ecclesiam asserant, quæ suscepit imaginales historias, mirandum est : dum magna eructent, et quasdam blasphemas ratiunculas ex lingua sua quæ sine porta est, in aerem fundant, et non aliud. Audiant ergo veraciter : Superior circumscriptione est, quemadmodum diximus, divina natura : an potius humana [*Gr.*, at vero humana] est circumscripta. Et nullus bene sentientium circumscriptam dicens humanam naturam, cum hac circumscribit eam quæ incircum-

scripta est. Etenim Dominus secundum quod homo perfectus erat, cum esset in Galilæa, non erat in Judæa, et hoc ipse affirmat dicens : *Eamus in Judæam iterum* (*Joan.* XI). Et cum de Lazaro dissereret discipulis suis, ita dixit : *Gaudeo propter vos, quia non eram ibi* (*Ibid.*). Porro secundum quod Deus est, in omni loco dominationis suæ præsto est, manens modis omnibus incircumscriptus. Quomodo ergo vaniloquiis quibusdam vanitate vocis perstrepentes, verbosantur infreni lingua dicentes : Circumscripsit pictor secundum quod visum est vanitati suæ incircumscriptibile deitatis circumscriptione creatæ carnis? Si circumscripta est reclinati et cunabulis involuti in præsepio natura [*Gr.*, cum natura] humanitatis natura divinitatis ejus, simul circumscripta est etiam in depicta imagine humanitatis ejus incircumscripta deitas ejus : similiter et in cruce si circumscripta est natura [cum nat.] humanitatis natura deitatis ejus, simul circumscripta est et in depicta imagine humanitatis ejus incircumscripta deitas ejus. Si vero illa non est factus [*Gr.*, facta non sunt], nec hoc utique. Utique cognovissent deiferi Dionysii dictum in sermone de hierarchia ita perhibentis (*cap.* 2) : Neque enim certa [*Gr.*, exacta] similitudo est causalibus et causis; sed habent quidem causalia causarum convenientes imagines : ipsæ autem causæ causalibus supereminent et superstabilitæ sunt, secundum principii sui rationem. Itaque ostensum est etiam his qui pauca intelligere possunt, quod vanam vocum quamdam novitatem introducere tenet resarcinatus eorum sermo, contra Ecclesiam, et non contra pictorem agones apponens. Porro impudentiam continuantes, temere dicunt :

Gregorius episcopus legit :

« Damnandi autem ab his qui bene sentiunt, eo « quod incomprehensibilem et incircumscriptam di- « vinam Christi naturam pingere conentur, profecto « ad aliam confugient malæ machinationis defensio- « nem, quia solius carnis illius quam vidimus et « palpavimus, et cum qua conversati sumus, iconam « depingimus; quod est impium et Nestoriani pes- « simi sensus inventio. »

Epiphanius diaconus legit :

Adhuc eisdem continuantur artificiis falsi assertores circa veritatem, ad impudentem contradictionem conversi. Verum convenientia sibi dicentes, incidunt in laqueum blasphemiæ; et amentiæ continuantes verba, id est incomprehensibilem et incircumscriptam divinam Christi naturam, accusant Christianos, dicentes hanc eos circumscribere. Deinde artificiose loquentes, eorum assumendo personam, falso pronuntiant, quia solius carnis illius quam vidimus et palpavimus, et cum qua conversati sumus, iconam depingimus : ut quasi ex hoc iterum in Nestorii blasphemiam Ecclesiam inducant. Unde et inferunt : Quod est impium, et Nestoriani pessimi sensus inventio. Ergo veritatem audiant. Christiani unum Emmanuel scientes Christum Dominum, ipsum depingunt secundum quod Verbum caro factum est; et multiplices garrulitates a se procul repellunt, simplici corde omnia quæ tradita sunt in Ecclesia suscipientes; et intuentes picturas, nihil aliud intelligunt, nisi quæ signantur in ipsis. Etenim cum viderint in pictura parientem Virginem et angelos supra stantes cum pastoribus, recogitant Deum humanatum nasci propter salutem nostram; et confitentur dicentes : Is qui sine carne erat, caro factus est, Verbum incrassatum est, increatus creatus, impalpabilis, palpatus est : atque unum eumdemque confitentur perfectum in deitate et perfectum in humanitate, Deum veraciter et hominem veraciter. Præterea dictum est retro de scelesta Nestorii hæresi, quia imaginum effigies in nullo cum ea concordant; et sufficienter dictum est. Quod si oportuerit, et iterum dicetur. Putantes autem in se quid intelligere, aiunt :

Gregorius episcopus legit :

« Tractandum est enim in hoc, quia si secundum or- « thodoxos Patres simul caro, simul Dei Verbi caro, « nunquam partitionis sensum suscipiens, sed tota « ex toto a divina natura suscepta et integre deificata « est, quomodo scindetur, vel separatim statuetur « ab his qui impie hoc agere conantur? Similiter « autem et super ejus habetur anima. Assumente « quippe Filii deitate in propria persona carnis na- « turam, anima mediatrix effecta est inter deitatem « et carnis crassitudinem; et sicut simul caro, simul « Dei verbi caro est : ita simul anima, simul Dei « Verbi anima est : et utraque simul, deificata sci- « licet anima, sicut et corpore, et ab his indivisa « deitate manente etiam in ipsa disjunctione animæ « a corpore in voluntaria passione. Ubi enim anima « Christi, ibi et deitas : et ubi corpus Christi, ibi « et deitas. »

Epiphanius diaconus legit :

Quando aliquem tacturi sunt nequaquam sermonem subversores catholicæ Ecclesiæ [*Gr.*, qui avertunt sè a catholica Ecclesia], assumunt aliqua quæ omnes profitentur : ut per sensum bonum qui in his esse cernitur, nec de reliquis incredibiles [*id est* fide minus digni] judicentur. Pauca enim quædam bene pronuntiantes, et quodammodo glareis margaritas commiscentes, atque ad vomitum proprium repedantes, aiunt scindi et separatim statui unum Christum ab his qui recipiunt venerabiles imagineas picturas. Et vituperabiliter effantur, nunquam partitionis sensum fuisse receptum. Liquet ergo quod ignorentur ab eis Patrum voces. Studiose [*Gr.*, cogitatione] quippe omnes separationem duarum naturarum expressius prædicant, sed non rebus, ut superius dictum est, sicuti blaspheme Nestorius dicere ausus est. Nulla autem est procul dubio ratio dissensionis vel separationis, aut alicujus divisionis, vel rursus essentiæ confusionis, quemadmodum crebro falso concionati sunt, pro eo quod pingitur Dominus secundum id quod homo fuit perfectus. Aliud est enim imago, et aliud principale : et proprietates

principalis nullatenus quis eorum qui sanum sapiunt, in imagine quærit. In imagine quippe nil aliud vera ratio novit, quam secundum nomen communicare illi cujus est imago, et non secundum substantiam, juxta quod crebro jam diximus coacti ex ipsis [ipsorum] disputationibus. Inopiam enim passi aliquid dicendi contra catholicam Ecclesiam, eadem de eisdem effantur, vana fauce loquentes, et exercitium [*Gr.*, vaniloquentiam] audientibus facientes. Propter quod et ridendi apud omnes monstrantur, aliquando partitionem, aliquando vero confusionem dicentes, paratissimam linguam habentes ad subsequendum [*Gr.*, ad verbis peccandum] unde et dicunt :

Gregorius episcopus legit :

« Si igitur in passione inseparabilis mansit ab his « divinitas, quomodo insensati et cuncta irrationa- « bilitate repleti, dividunt carnem quæ cum divini- « tate connexa et deificata est, et quasi puri hominis « imaginem pingere tentant? Nam et in isto in aliud « iniquitatis barathrum incidunt, separantes carnem « a divinitate, et privatæ subsistentiæ illam asseve- « rantes, et aliam personam carni tribuentes, quam « et imaginare [*id est* imaginibus exprimere] faten- « tur : ex hoc ostendentes quartæ personæ addita- « mentum in Trinitate : super hæc et assumptionem, « quæ divinitus est suscepta, atheoton depingentes « [*Gr.*, et quod ex assumptione deificatum est, « atheoton, id est non deificatum depingentes]. Col- « ligitur ergo ab his qui Christi imaginem pingen- « dam [*Gr.*, pingi] existimant, aut divinitatem cir- « cumscriptam et carne confusam, aut corpus Christi « atheoton et divisum, ac personam privatæ subsi- « stentiæ super carnem [in carne] dari : similes in « hoc effecti Nestorianorum impugnationi quæ in « Deum est. In talem blasphemiam atque impieta- « tem incurrentes confundantur et revereantur, et « cessent qui patrant, et desiderant, et colunt ima- « ginem, quæ fallaciter ab eis facta et dicta est « Christi. Cesset etiam a nobis ex æquo et Nestorii « partitio, atque Arii, Dioscori et Eutychetis, et « Severi confusio, quæ sunt immensa mala [*Gr.*, e « diametro pugnantia mala], et impietate compa- « ria. »

Epiphanius diaconus legit :

Nequaquam per unam viam gradiuntur Christianos calumniantis hæreseos propugnatores, quemadmodum moris est orthodoxis, qui de divinis dogmatibus disputantes, regiam viam tantum retinent, et hac vel illac nullo pacto declinant. Sed evertentes vias Domini, contrarias opiniones apud se colligunt : et in suo sensu abundantes, sapientes per omnia esse putantur. Sed audiant ab Isaia, qui fiducialiter dicit : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes* (*Isa.* v). Etenim quæ nunquam ab orthodoxis Christianis dicta sunt, quasi prædicata per illos assumunt; et seductorios syllogismos contexentes sophistice arguunt : et colligitur ab eis injuria et maledictio, quin potius et impietas. Quæ enim Diodorus atque Theodorus Mopsuestiæ, ac Nestorius et Eutyches et Dioscorus et Severus assumpsere contra veritatem rabiem eructantes, ipsi catholicæ Ecclesiæ tribuunt : et malo malum commiscentes applicant [addunt], hanc impiis istis hæreticis conspergi perhibentes [cum imp. l. h. sentire per.], et stoliditate et inutilitate verba referta possidentes, et sicut caupones miscent vinum aqua, id est verum sermonem cum perverso, et temperant fel amaritudinis. Hæresis enim Dioscori et Eutychetis contraria est Nestorio, quemadmodum jam diximus : atque contrarias hæreses in una opinione atque professione esse possibile non est : quemadmodum album et nigrum, vel calidum et frigidum impossibile est videri in uno subjecto, in uno eodemque tempore. Neque enim in nive inventum est aliquando calidum, neque in igne frigidum. Porro amentiæ ipsorum inutilitatem manifestiorem dicemus. Imaginem enim et principale idipsum dicunt veloces erga calumniam : et idcirco in confusiones et partitiones inducunt eos qui depingunt evangelicam relationem. Eutychianorum enim, id est eorum qui prædicant unam naturam secundum subsistentiam in unitione Christi, ac per hoc dogmatizant confusionem, veritatis transmutatio nihil aliud in illis est, nisi quod subsistentiam et naturam idipsum definiunt : quod aliud esse atque aliud alumni catholicæ norunt Ecclesiæ. Subsistentiam enim dicimus substantiam quamdam cum proprietatibus, ab eo quod est hyphestanæ [*Gr.*, hyphestanæ, id est subsistere]. Porro autem naturam fatemur rem per se subsistentem [*Gr.*, existentem], non indigentem alio ad sui stabilitatem [constitutionem], ab eo quod est pephycenæ. Hoc præterea modo et isti imaginem Christi et ipsum Christum nihil distare per substantiam dicunt. Nam si differentiam nossent, nequaquam has vocum novitates portentose prætenderent. Omnibus enim evidens est, quia aliud est imago, et aliud primitivum : hoc quidem animatum, illud autem inanimatum est. Et quoniam verbosati sunt, in imagine circumscribi pariter divinam naturam, excidentes a recta ratione, traditi sunt in reprobum sensum. Petrus enim et Paulus depicti videntur, sed eorum animæ in imaginibus non adsunt : quandoquidem nec ipso corpore Petri præsente, animam ejus aliquis videt. Cum ergo ipsa non aspiciatur, quis eorum qui veritatem sectantur, dicit, quia separata est caro Petri ab anima ejus, nisi forte per intelligentiam tantum? Quanto magis incircumscripta natura Dei Verbi a circumscripta carne quæ ab eo assumpta? Neque enim quando fatigatus est ex itinere, et a muliere Samaritana bibere quærebat, et a Judæis lapidabatur, deitatis natura fatigabatur, vel lapidibus submittebatur : absit blasphemia. Has ego multiplices conglobationes, volens imaginales picturas respuere, multum susurrans vanitas Christianos calumniantium incontinenti lingua induxit; et alia quædam subinferens, atque iniquitatem super iniquitates congerens, quartæ

personæ additamentum in sancta Trinitate stolide locuta est. At nos qui in catholica Ecclesia utpote proprii filii nati sumus, omnia quæ sunt dispensationis Domini nostri Jesu Christi suscipientes, atque Arium et Nestorium, Apollinarium quoque et hujus discipulos Eutychetem et Dioscorum abominantes, venerabiles imagines suscipimus, imagines tantum et nihil aliud eas cientes, secundum quod principalis tantummodo nomen habent et non substantiam. Cancri autem more oblique gradientes, ad aliam blasphemiæ ducuntur viam, dicentes :

Gregorius episcopus legit :

« Lætentur et exsultent, et fiducialiter agant hi « qui veram Christi imaginem sincerissima anima « faciunt et desiderant, et colunt, et in salutem « animæ et corporis offerunt : quam ipse sacratis- « simus immolator et Deus noster, ex nobis ex toto « massam assumens, secundum tempus propriæ « passionis in typum et rememorationem evidentis- « simam tradidit ministris suis. Sese namque volun- « tarie traditurus memorabili et vivificæ morti suæ, « acceptum panem benedixit, et gratias agens fre- « git, et dans dixit : *Accipite et comedite in remis- « sionem peccatorum; Hoc est corpus meum* (*Matth.* « XXVI). Similiter et calicem tradens dixit : *Hic « est sanguis meus : hoc facite in meam commemoratio- « nem* (*Marc.* XIV, *Luc.* XXII). « Veluti nulla alia spe- « cie ab eo electa sub cœlo, vel forma [figura] ima- « ginari ejus incarnationem valente. Vide ergo quod « imago vivifici corporis ejus pretiose ac honorabili- « ter facta sit [*Gr.* En ergo imago vivif. cor. quæ « pret. ac hon. fit] Quid enim argumentatus est « in hoc sapientissimus Deus? Nonne ut ostenderet « et exprimeret evidenter nobis hominibus myste- « rium quod operatus est per dispensationem suam? « quia sicut id quod ex nobis suscepit, materia sola « est humanæ substantiæ per omnia perfectæ, non « figurantis proprie subsistentem personam, ut non « additamentum personæ divinitati intercidat : ita « et imaginem materiam præcipuam, id est, panis « substantiam præcepit offerri, non figurantem ho- « minis formam, ne idololatria subintroducatur. « Sicut ergo corpus Christi quod secundum naturam, « sanctum est, utpote divinitus sanctificatum [*Gr.*, « utpote deificatum]; ita manifestum est, quod ad- « optione, id est, ipsa imago ejus sancta est, utpote « per quamdam sanctificationem gratiæ sanctificata « [*Gr.*, deificata]. Hoc enim et mercatus est [indu- « stria gessit], ut diximus, Dominus Jesus, ut sicut « carnem quam suscepit, propria secundum natu- « ram sanctificatione ex ipsa unitione deificavit ; « similiter et eucharistiæ panem, non ut falsam [ut « non f.] imaginem naturalis carnis, per sancti Spi- « ritus adventum sanctificandum, divinum corpus « fieri voluit mediante sacerdote, qui oblationem de « communi separans, ad sanctificationem pertingere « facit. Itaque Christi caro secundum naturam ani- « mata et intelligibilis, uncta est Spiritu sancto in di- « vinitatem [mente prædita, uncta est per Spiritum « sanctum divinitate]. Similiter et divinitus tradita « imago carnis ejus, divinus videlicet panis repletus « est Spiritu sancto cum calice vitam ferentis san- « guinis lateris ejus. Hæc ergo demonstrata est vera « imago dispensationis quæ in carne facta est, scili- « cet Christi Dei nostri, quemadmodum supra di- « ctum est ; quam ipse nobis verus naturæ vivifica- « tor et fictor voce propria tradidit. »

Epiphanius diaconus legit :

Patet, qualiter omnis sermo propositus, quando semel a veritate aversus est, in multas et periculosas pravitates a consequentia seductoria proferatur : quippe quod et isti præceptores novitatis perpessi sunt. Aversi enim a veritate propter imaginum factionem, etiam in alteram extremam apoplexiæ insaniam delapsi sunt. Etenim quasi ex Delphico tripode obliqua hæc et perniciosa dogmata oraculo consecuti sunt [vaticinati sunt]. Sed audiant a proverbiali verbo : *Laqueus fortis viro labia sua, et capitur proprii verbis oris* (*Prov.* VI). Ligna enim et fenum et stipulam apposuerunt, quorum finis in combustionem. Nullus enim aliquando tubarum Spiritus, sanctorum videlicet apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum sacrificium nostrum quod in commemorationem Christi Dei nostri ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt a Domino sic dicere vel confiteri, sed audiunt evangelice dicentem eum : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Joan.* IV). Et : *Qui manducat meam carnem et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (*ibid.*). Et : *Accepto pane, gratias agens, fregit, et dedit discipulis suis, et ait : Accipite et comedite ; hoc est corpus meum.* Et, *accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes : hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI, *Marc.* XXIV, *Luc.* XXII). Et non dixit, accipite et comedite imaginem corporis mei. Sed et Paulus divinus apostolus ex divinis Domini vocibus hauriens, ait : *Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit et dixit : Accipite et comedite ; Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur : hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine : hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem hunc bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* (*I Cor.* XI.) Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam Dominus vel apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine, quod per sacerdotem offertur, sed ipsum corpus et ipsum sanguinem. Et ante sanctificationis quidem celebrationem, typos quibusdam [*Gr*, Consummationem, antitypa quibusdam] sanctorum Pa-

trum hæc pie visum est nominare : quorum est Eustathius propugnator orthodoxæ fidei et arianæ destructor vesaniæ, et Basilius ejusdem infelicis superstitionis depositor, qui omne quod sub sole est, planam rectorum dogmatum basim edocuit. Ex uno enim eodemque spiritu disputantes, unus quidem eorum interpretans Salomoniacum dictum, quod in Proverbiis legitur : *Comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis* (*Prov.* IX) ; hæc dicit : Per panem et vinum, typos corporalium Christi prædicat membrorum. Alter vero ex eodem fonte hauriens, ut noverunt omnes sacerdotii mystici cultores, in oratione divinæ oblationis ita dicit : Confidentes appropinquamus sancto altari, et proponentes typos sancti corporis et sanguinis Christi tui, te deprecamur, et te rogamus : et quod deinceps infertur, certiorem Patris hujus perfecit intellectum, qualiter antequam sanctificata fuerint, [a] vocata sint typi : post sanctificationem autem corpus proprie ac sanguis Christi dicuntur, sunt, et creduntur. Ipsi vero viri fortes volentes venerabilium imaginum demoliri visionem, aliam imaginem introduxerunt, quæ non est imago, sed corpus et sanguis : porro fatigatione [*Gr.*, improbitate] et astutia depressi, sophismate pravo semet offendentes, [*Gr.*, decipientes] adoptione nominaverunt fieri hanc divinam oblationem : [*Gr. add.* et quemadmodum hoc dicere aperta insania est, sic et imaginem asserere corpus, *etc.*] et corpus et sanguinem Domini, æquali quodammodo appropinquat amentiæ, et ampliorem indisciplinationis [*Gr.*, indisciplinatione] habet impietatem. Deinde dimisso mendacio tangunt pauxillum quid veritatem, divinum corpus dicentes fieri : et, si imago corporis est, non potest esse hoc divinum corpus. Ergo hinc inde circumductis, invalida omnino manent ea quæ ab illis susurrata sunt. Sicut enim oculus turbatus non recte videt, ita et ipsi nequam confusione cogitationum sensum suum turbantes et turbulentum reddentes, idipsum patiuntur quod insanientes, alia scilicet pro aliis phantastice passi [*Gr.*, phantastice judicantes] : aliquando quidem imaginem dicentes sancti corporis Christi intelligibile [*Gr.*, sacrum] sacrificium nostrum, aliquando vero positione corpus. Porro hæc passi sunt, quemadmodum supra diximus, imaginalium formationum vultum [aspectum] ab Ecclesia volentes exterminare, gaudentes super eversione ecclesiasticarum traditionum.

A

B

C

D

TOMUS QUARTUS.

Epiphanius diaconus legit :

Iterum insistentes iisdem oblocutionibus, movent linguas suas, has ad injuriam acuentes sanctæ Dei Ecclesiæ ; etenim aiunt :

Gregorius episcopus legit :

« Mendacis autem cognominationis malum imaginum nomen neque ex traditione Christi vel apostolorum aut Patrum esse habet, neque orationem sacram sanctificantem illud, ut ex hoc ad sanctitatem ex eo quod commune est transferatur : sed manet commune et inhonoratum, sicuti pavit hoc pictor. »

Epiphanius diaconus legit :

Linguam habentes magniloquam, adjectionibus malum absque timore Dei amplificant ; et temerario corde ac potentatu inania, meditantes mendacis cognominis et mali nominis imagines quæ sub nomine Christi factæ sunt, pronuntiaverunt. Et si hoc de regum imaginibus dicere auderent, morte vindictam forsitan pertulissent. Patientur autem hanc et percipient utique, quando et verborum et actuum retributio fiet. Præterea cum multis quæ nobis sine scripto tradita sunt, etiam imaginum factio in ecclesia ab apostolorum prædicatione dilatata est. Indicat autem hoc et historia de hæmorrhoissa, quæ ex diversis historiis testimonium habet, et secundum quod sanctum Evangelium refert, sanitatem adepta est : quia hæc statuam erexit Domini, et se tangentem fimbriam statuæ posuit (*Matth.* IX, *Marc.* V, *Luc* VIII). Inter illam autem et Christi imaginem herba quædam oriebatur, appropinquans pedi statuæ, omnis languoris remedium. Porro has etiam in scripturis Christianos versari [operatas], sanctorum Patrum nostrorum plurimi tradiderunt. [b] Basilius Magnus, cujus doctrina per omnes terminos resonat, in diversis sermonibus suis mentionem earum facit : et Gregorius ipsius et carne et spiritu frater, Nyssæorum præsul, in sermone de Abraham : et Gregorius cognomento deiloquus in scriptis a se carminibus ; in quibus sermo refertur, qui est inscriptus de Virtute : Joannes etiam qui os auro pretiosius possidet, in epitaphio sermone suo, quem in Meletium habuit episcopum Antiochiæ ; et in sermone suo qui etiam supra scribitur, quia Veteris et Novi Testamenti unus est legislator : Cyrillus depositor Nestorii epistola sua [*Gr.*, ep. sua prima] ad Acacium episcopum Scythopoleos, Sophronius [Anastasius, Antiochenus patr.] Maximus. Sed quid nominatim horum memoriam facimus, cum omnes sancti Patres nostri imaginum facturam susceperint ? At hi mendaciter asserunt perhibentes quod Patrum non sit traditio, etiam, satis congrue : si Evangelium legendum minime tradiderunt, nec imagines figurandas ; at si hoc, et illud. Sequitur enim titulationis vel picturæ formatio evangelicam relationem, et hæc picturalem narrationem : et utræque bonæ et honorabiles. Quæ enim indicativa sunt invicem, indubitanter etiam alterum alterius habet intelligentias. Si enim dixerimus, sol super terram est, utique dies est : et si dixerimus, quia dies est, utique sol super terram est. Ita et si viderimus in imagine evangelizantem angelum Virgini, utique in commemorationem habemus venire evangelicæ narrationis : *Quia missus est angelus*

[a] Græci Patres *jam sanctificata* non raro vocant *antitypa*, ut Nazianz. *Orat. fun. in sororem*, et *Apolog.* I, Cyrillus, Hier. *catech.* V, *myst.* et alii.

[b] Græc. : Καὶ

Gabriel a Deo ad Virginem : et ingressus ad eam dixit : Ave, gratia plena, Dominus tecum ; benedicta tu inter mulieres (*Luc.* I). Ergo ex Evangelio audivimus gestum mysterium per angelum ad Virginem, et commonemur : et in imaginem intuentes similiter quod gestum est, manifestius intelligimus. Porro et in aliam rursus indisciplinationis viam conversi sunt, dicentes :

Gregorius episcopus legit :

« Neque orationem sacram sanctificantem illud, « ut ex hoc ad sanctificationem ab eo quod com- « mune est, transferatur : sed manet commune ac « inhonorandum, quemadmodum hoc pictor effe- « cit. »

Epiphanius diaconus legit :

Et quod verum est audiant. Multa quæ in nobis sacrata sunt, orationem sacram non recipiunt, cum inde et ex ipso nomine plena sint sanctitudine simul et gratia. Et propterea hæc ut revera veneranda honorámus et salutamus, ipse enim typus vivificæ crucis absque oratione sacra effectus, penes nos colitur, et contenti sumus figura ejus ad suscipiendam sanctificationem. Et per adorationem quæ facta est a nobis in eum, et per notam in fronte expressam, atque per signaculum quod in aere per digitum fit, abigere [insequi] dæmones speramus. Similiter et in imagine per nominis annotationem ad primitivi honorem reducimur : et salutantes ac honorabiliter adorantes, percipimus sanctificationem. Nam et sacra diversa vasa habentes, hæc salutamus atque amplectimur, et sanctitatem quamdam percipere ab eis speramus. Itaque aut crucem et sacra vasa stulte dicturi sunt communia et inhonoranda, sicuti fecit ea faber et pictor et textor, eo quod non habeant orationem sacram sanctificantem illa : aut certe et venerabiles imagines tanquam sacras et sanctas et honorandas admittent. Cæterum volentes et alia zizaniis immista plantare semina, quasi ex spiritu pythonico etiam adhuc effantur.

Gregorius episcopus legit.

« Si vero quidam eorum qui in tali errore deti- « nentur, dixerint, recte quidem a nobis et pie dici « ea quæ in subversionem imaginis quæ Christi di- « citur, asseruntur, propter inseparabiles et incon- « fusas duas naturas, quæ in una subsistentia con- « venerunt : sed deficere nos a ratione, eo quod « [*Gr.*, dubitare eo q.] super immaculatæ ac semper « gloriosæ, quæ proprie Dei genitrix est, et prophe- « tarum, apostolorum quoque et martyrum, cum « sint puri homines, et non ex duabus naturis, di- « vinitate scilicet et humanitate, in una subsisten- « tia, instar unius Christi, ad fiendum imagines in- « terdictionem facimus. »

Epiphanius diaconus legit :

Nullus eorum qui in catholica Ecclesia enutriti sunt, intellexerit vel direxerit, quia recte ac pie judicaverunt super hac novitate : sed omnes summi sacerdotes, et sacerdotes tam Orientis et Occidentis, quam Arcti et Mesembriæ, anathemati destinaverunt eos qui ita senserunt. Verum modicam partem harum diœceseon seduxerunt, et a toto Ecclesiæ corpore reciderunt, aut contemnentes Domini vocem dicentem : *Qui enim unum ex minimis meis istis scandalizaverit, expedit ei ut suspendatur mola asinaria circa collum ejus, et demergatur in mare* (*Matth.* XVIII). Et ipsum non reverentes, utpote adversus imaginem ejus rabiem exercentes, nec sanctos ejus erubescunt : sed et adversus ipsos commoverunt linguas, ita dicentes :

Gregorius episcopus legit :

« Deficere nos a ratione, eo quod super immacu- « latæ et semper gloriosæ, quæ proprie Dei genitrix « est, et prophetarum, apostolorum quoque ac mar- « tyrum, cum sint puri homines, et non ex duabus « naturis, divinitate scilicet et humanitate : et quia « oportet ad istos dicere, quod primo destructo, « nec his sit opus. »

Epiphanius diaconus legit :

Neque primum evangelice aut apostolice, aut scripturaliter, aut paterne, aut argumentose, et, ut absolute dicamus, aut pie destructionem fecerunt, sed ex proprio ventre pronuntiantes, catholicæ Ecclesiæ Dei restiterunt ; neque de propositis intemeratæ dominæ nostræ genitricis Dei imaginibus aut sanctorum est illis verax vel pius sermo resistendi : quemadmodum jam, dante Deo verbum, demonstravimus. Prius enim diximus, ex sanctis Patribus haurientes, quia imaginis honor ad principale transit ; et quia qui intuetur imaginem regis, intuetur in ea regem. Qui ergo adorat imaginem, in ea adorat regem : illius enim forma et species est imago [*Gr.*, in imagine] : et sicut qui injuriam infert regis imagini, pœnam jure perpetitur, tanquam qui ipsi causæ, videlicet regi, inhonorantiam intulit, quanquam imago nihil aliud sit quam lignum et colores ceræ immisti et temperati : ita et hoc modo qui figuram cujuslibet inhonorat, in idipsum cujus imago est, refert injuriam. Sed et ipsa natura rerum docet, quia dum imago inhonoratur, utique principale inhonoratur. Hoc omnes homines sciunt, ipsosque cognoscunt adversus Patres insurgere, et catholicæ Ecclesiæ traditioni resistere, atque naturam rerum non sequi. Iterum autem refertam mendacio habentes linguam, opinantur offendere [fraudare] veritatem, dicentes :

Gregorius episcopus legit :

« Verumtamen dicamus ea quæ sunt eorum de- « structionis. Quoniam quidem nostra catholica « Christianorum Ecclesia media inter Judaismum et « paganismum existens, neutrorum solemnes cære- « monias habet, sed nova pietatis et mystici sacrifi- « cii divinitus traditi semita incedit, Judaismi quidem « sacrificia sanguinolenta et holocausta non admit- « tens, paganismi autem præter sacrificia omnem

« idolorum factionem, et idolorum cultum abomi- A
« nans, qui auctor et inventor abominabilis hujus
« artis factus est : spem enim resurrectionis non ha-
« bens, dignum ludibrium sibi adinvenit, ut non præ-
« sentem quasi præsentem per derisionem exhibeat.
« Si ergo nil extraneorum est in ea, merito ut alie-
« num etiam hoc, et dæmonici sensus virorum ad-
« inventio, averlatur a Christi Ecclesia. »

Epiphanius diaconus [et cubuclesius] legit :

Immensurabilis ac frivolæ dictionis eorum littera plenissime deliramentis procurata, importunum quiddam et nimis risu dignum existit. In posterioribus [*Gr.*, antecedentibus] enim in præcipitia et fauces [barathra] per ratiunculas suas inducti sunt : nunc autem in profundum inferni se intulerunt, mediam B inter Judaismum et paganismum pronuntiantes esse Christianorum Ecclesiam. Deinde iterum intra se cadentes dicunt [sibi non constantes dicunt], neutrorum solemnes cæremonias habere. Igitur aut ibi mentiuntur, aut hic veritatem non dicunt. Sed ut verius dicatur, sibimet mentiuntur. Mendaclum enim non modo veritati contradicit, sed et sibi, ut sacer psalmista inquit David. *Mentita est* enim, ait, *iniquitas sibi* (*Psal.* XXVI). Basilius ergo Cæsariensium præsul, cujus in omnem terram exivit sonus, in ipso proœmio sermonis sui contra Sabellianos scripti sic ait : Impugnat Judaismus paganismum, uterque vero Christianismum. Ipsi autem qui putantur [sibi videntur] super Patres esse sapientes, mediam perhibuerunt esse Christianorum fidem inter hos C duos adversarios. Judaismus quidem inopiam divinitatis, at vero paganismus multitudinem deorum induxit. Gregorius enim qui a theologia cognominatur, utriusque abjectionem faciens, ita dicit (*Orat. in Christi nat.*) : Dei autem cum dixero, Patris aio et Filii et Spiritus sancti : neque supra hæc deitate excedente, ut non vulgus deorum introducamus, neque intra hæc definita : ne divinitatis inopia judicemur [damnemur], aut propter monarchiam judaizantes, vel propter deorum copiam paganizantes; malum enim in utroque simile, licet in contrariis inveniatur. Et quæ Veteris quidem sunt Testamenti, quod tenuit Israeliticus populus, Dei traditio erat : paganorum autem, dæmonum. Ergo et hic cum D divinitus traditis præceptis dæmonica connumeraverunt et commiscuerunt, imaginem Domini idolum pronuntiantes, dæmonum imaginibus consimilem. Calumniantur ergo et Abel et Noe et Abraham sacrificiorum causa, quæ ab ipsis per animalia sunt oblata, et Moysem, et Samuel, et David, et reliquos patriarchas; quia et ipsi extranea et pagana sacrificia Deo sacrificabant : quanquam Scriptura testimonium eorum perhibeat sacrificio, dicens : *Odoratus est Dominus in odorem suavitatis* (*Gen.* VIII). Utinam cognovissent veritatem, quia quæ Deo dicantur, accepta sunt apud Deum. Immolaverunt enim Domino Deo, scriptum est. Quæ vero dæmonibus, abominabilia et respuenda. *Sacrificarunt* enim *dæmoniis, et non Deo*, ait Scriptura (*Deut.* XXXII). A nobis ergo et per nos est malum atque hujus adversum, et non ex subjectis materiis. Idolum enim, ut ait Apostolus, quid est? et idolothytum quid est, nisi quod quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo? (*I Cor.* X.) Porro plurimum errantes, et injurias et mendacia fingentes, deliberant, et inferunt hujuscemodi.

Gregorius episcopus legit :

« Quiescat ergo omne os obloquens iniqua et con-
« tumeliosa contra nostrum Deo acceptum consilium
« atque sententiam. Sancti enim qui Deo placuerunt,
« et ab ipso sunt dignitate sanctitatis honorati, vi-
« vunt semper Deo, licet hinc migraverint. Quos
« qui in mortua arte atque odibili, nunquam vivente,
« sed ab adversariis paganis, vane reperta, pensat
« erigere, blasphemus ostenditur. »

Epiphanius diaconus legit :

In his quæ ab eis nunc dicta sunt extraneos et alienos se a Dei pace demonstrant; quam videlicet Dominus noster his qui germane ac sine dolo in illum credunt, dimisit dicens : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Quomodo enim pax, si contra eorum consilium et sententiam catholica Ecclesia erigitur, confortata et certificata traditionibus suis? Qui enim divino zelo moventur, semper Patribus et traditioni ecclesiasticarum legum concordant : eum vero qui contrarie se habet, ut inimicum effugiunt. Hos ergo tanquam eos qui ex toto corpore Ecclesiæ sese reciderunt, non cessant veri adoratores, qui in spiritu et veritate Deo serviunt (*Joan.* IV), et imaginales picturas in relationem et commemorationem tantum habent, et has amplectuntur atque salutant, contra reprobum divinitus consilium eorum atque sententiam, thorace veritatis induti, pugione spiritus pungere. Sancti enim Patres qui a sæculo Deo placuerunt, ad nostram salutem atque utilitatem vitas suas conscriptas nobis dimittentes, etiam ea quæ a se acta sunt, per picturæ narrationem in catholica Ecclesia tradiderunt, in commemorationem animi nostri, et ad erectionem conversationis suæ. Etenim sanctus Basilius in sermone suo super laude sanctorum quadraginta martyrum sic ait : Age itaque, in medium eos per commemorationem adducentes, communem utilitatem ipsorum his qui præsentes sunt, constituamus, præmonstrantes omnibus velut in pictura virorum fortia facta. Nam et bellorum præconia et verborum scriptores multoties et pictores designant, alii quidem sermone adornantes, alii vero tabulis [*Gr.*, illi quidem s. ad hi vero t.] exarantes; multosque ad virilitatem erexerunt utrique. Quæ namque sermo historiæ per auditionem exhibet, hæc pictura tacens per imitationem ostendit. Commiscentes autem præconia sua versutia [versutiæ], talia fantur :

Gregorius episcopus legit :

« Quomodo autem et superlaudabilem Matrem

« Domini, in qua obumbravit plenitudo divinitatis, A
« per quam nobis illuxit lux inaccessibilis, excelsio-
« rem cœlis, et sanctiorem cherubim, in vili gentilis
« arte pingere audent? Aut iterum eos qui conre-
« gnaturi sunt Christo, consessoresque fieri [futuri
« ac judicatori], ac judicare orbem terrarum, at-
« que conformes fore [futuri] gloriæ ipsius, quibus,
« ut sacra dicunt eloquia, dignus non erat mundus
« (*Hebr.* XI), non erubescunt gentili arte pingere?
« Nefas enim est Christianis, qui spem resurrectio-
« nis habent, dæmonum cultricum gentium moribus
« uti, et sanctos, qui tali et tanta gloria resplende-
« bunt, in ingloria et mortua materia injuriis commu-
« lare. Nos enim ab alienis non suscipimus proba-
« tiones fidei nostræ. Etenim dæmoniis Deum præ-
« dicantibus Jesum, increpabat eos, dedignatus a B
« dæmonibus testimonium habere (*Marc.* I, *Luc.*
« IV). »

Epiphanius diaconus legit :

A laudibus inchoantes, volunt simpliciores subripere ad vanum sensum suum. Sed qui prudentiam serpentis habent et non versutiam, simplicitatemque columbæ, norunt et sermonibus et laudibus intemeratam et immaculatam vere ac proprie Dei genitricem et sanctos honorare, et horum virtutes per historicos libros ad memoriam reducere, et rursus per imaginales titulationes nota facere certamina et fortitudines eorum, atque hos magnificare supremis honoribus, et scire illos secundum sacrum Apostolum dissolutos cum Christo esse (*Philipp.* I), et intercedere pro nobis, et sinceram ac summam fidem C
et servitutem in spiritu et veritate soli Deo offerre, et non quibuscunque creaturis quæ sub cœlo sunt. Quid autem materiam sumentes ut turpem, contumeliis volunt afficere veritatem? quos oportebat potius quod pejus est fugere, et quod melius est sectari, et priscorum recordari sanctorum sacrificiorum, quæ a Scriptura laudantur; quomodo Deo, modo vero dæmonibus offerrentur : quanquam existens materia omni [*Gr.*, quando Deo offerebantur, quando vero dæmonibus; quanquam eadem existens materia, omni] erat contagio plena, et subjectum tantum aspicientes, calumniantur Ecclesiam gentilium figmentorum habere indicia. Sed non quia materia in diversis contrarietatibus rerum utilis exprobratur vel turpis ostenditur, despicienda est ejus utilitas. Si D
enim studuerint taliter intelligere et accipere, polluentur [*Gr.*, abibunt] omnia secundum ipsos quæ Deo sunt dicata, sacra scilicet vestimenta, et vascula sacra. Etenim qui quæ paganorum sunt sapiebant, ex auro et argento idola construebant, ac libamina ex vino libabant, et ex farina lagana militiæ cœli offerebant hi qui ex Hebræis idololatræ fiebant. Restat ergo eis incusare catholicam Ecclesiam, quia pagani per historicos libros deos suos dæmones collaudabant; et nos non collaudemus sicut pagani neque Deum qui super omnia est, neque sanctos ejus, per historicos libros, quia ex alienis recipimus approbationes. O subversionem et amentiam! Cum

enim homines procul dubio similes sensibiles, rebus sensibilibus utimur ad cognitionem et commemorationem omnis divinæ ac piæ traditionis. Deinde ut adulteratores veritatis, subvertentes vias simul et intelligentias Domini, dicunt :

Gregorius episcopus legit :

« Super hoc ergo examinato et pertractato elicto [*Gr.*, dogmate] nostro, præbeamus et ex divinitus inspirata Scriptura, et ex probabilibus Patribus nostris manifesta testimonia conspirantis nobis, et roborantia hujuscemodi piam intentionem nostram; quibus non contradicat qui horum habet experimentum : qui autem ignorat, discat et retineat illa ut Dei; et secundum primam quidem rationem ex ejus voce divinitus dicta, quæ ait : « *Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan.* IV); et iterum : « *Nemo Deum vidit unquam* (*Joan.* I); et : *Neque vocem audistis, neque speciem ejus vidistis* (*Joan.* V); et beatificante eos qui non viderunt eum, et crediderunt. »

Epiphanius diaconus et subdiaconus legit :

Cum aliqui recta, secundum quod sibi videtur, dogmata conantur pervertere, nemo miretur, si Scripturæ verbis utuntur. Nam et omnes hæresiarchæ de divinitus inspirata Scriptura erroris sui colligunt occasiones, quæ per Spiritum sanctum recte dicta sunt malignis sensibus suis adulterantes. Et hoc summa prænuntiavit apostolorum tuba, Petrus videlicet dicens : Quæ indocti et instabiles pervertunt secundum sua desideria (*II Petr.* III). Proprium est enim hæreticis, secundum sua desideria pervertere divinorum et verorum scientiam dogmatum. Generaliter enim sanctis Patribus nostris, *Dominus creavit me initium variarum suarum in opera sua* (*Prov.* VIII), in dispensationem Christi secundum carnem factam assumentibus, Arius et Eunomius, et qui juxta ipsos sunt, in supernam et divinam generationem acceperunt, ac per hoc a recta scientia retro redierunt. Rursus autem Apollinarius evangelicam vocem male intelligens : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit Filius hominis* (*Joan* III) : ad pravitatem conversus est, dicens, cum carne illa descendisse Deum Verbum, quam habens in cœlis erat, æternam quamdam et consubstantialem sibi : et apostolicum quoddam dictum objiciens, quod perhibet : *Secundus homo Dominus de cœlo* (*I Cor.* XIII) : et dicat [*Gr.*, decipiebatur], secundum quod sibi visum fuerat. Nullique mirandum, si et novæ hujus pravitatis sectatores ex divina Scriptura nobis proferunt opiniones : ex magistris enim suis acceperunt occasiones. Voces enim quæ super invisibili et incomprehensibili divinitate dictæ sunt, in carnis dispensationem Domini nostri Jesu Christi, qui est unus ex sancta Trinitate, commutaverunt. Quis enim eorum qui bene sentiunt, nescit, quod illud quod dicitur, *Deum nemo vidit unquam*, super divina natura sit scriptum? et illud, *neque vocem ejus audistis, neque speciem ejus*

vidistis, si intelleverit quis super humanitate, totum Evangelium subvertet? Ubi enim ponemus illud quod fatemur, *Dixit Dominus discipulis suis* (*Matth.* XXIII). Et: *Dixit Dominus ad Judæos qui ad se venerant: Et Dominus dixit: Væ vobis Scribæ et Pharisæi?* (*Matth.* V.) Vel rursus quomodo intelligemus, *Aperiens os suum, docebat eos?* (*Joan.* V.) significanter hæc super humanitate. Illud autem: *Neque vocem ejus audistis, neque speciem ejus vidistis*, super divina substantia. Secundum id enim quod homo factus est perfectus Deus Verbum, ut prædiximus, et vocem audivimus, et speciem ejus vidimus etiam post resurrectionem. Palpatus est enim, et apparens discipulis, disserebat eis de regno. Deinde et divinam servitutem et adorationem: quam Christiani veram et sinceram fidem in se habentes [*fort.* vera et sincera fide in se habent], affectuosæ ac honoranti adorationi consimilem prædicant. In his quippe duabus rebus est illud quod apud eos perversum est: quare et Christianorum calumniatores sunt et appellantur. Dicunt enim, quia decentem Deum adorationem et servitutem imaginibus offerunt Christiani, et quia incomprehensibilem divinam naturam circumscribunt. O abnegationem et stoliditatem, et quidquid his aliud attinet! Non enim locum habet sermo, sed maledicto plenus est et calumniis. Christiani quippe adorationem quæ in spiritu et veritate est (*Joan.* IV), neque imaginibus, neque divinæ figuræ crucis impartiti sunt; sed neque invisibilis et incomprehensibilis naturæ imaginem unquam fecerunt, sed secundum quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I), ea quæ humanæ dispensationis ejus sunt, pingunt et imaginantur [imaginibus exprimunt]. Scientesque quia spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare, adorationem et servitutem quæ per fidem est, ipsi soli Deo, qui super omnes in Trinitate laudatur, offerunt. Nam divinum typum crucis et venerabiles imagines desiderio et affectu flagrantes, secundum principalium relationem salutamus, et honorabiliter adoramus. Vana itaque et inania, seu clandestina [*Gr.*, infirma] omnimodis atque levia eorum eloquia esse monstrantur a veritate, quemadmodum et cætera aliena a pietate intelligentes, aiunt:

Gregorius episcopus legit:

« Et in Veteri Testamento dicente ad Moysem et « ad populum: *Non facies tibimet idolum, neque « omnem similitudinem, quæcunque in cælo sursum, « et quæcunque in terra deorsum* (*Deut.* V): eo quod « in monte de medio ignis vocem verborum vos audi- « vistis, et similitudinem non vidistis, sed vocem. »

Epiphanius diaconus legit:

Hinc occasionem impietatis attrahunt, quasi pueros Christianos sophismatibus suis portentuosa rabie inficere nitentes. Quia igitur si per [*Gr.*, veluti larva territantes, quod si per] imaginum scriptionem habes in commemorationem Christum, vel sanctos ejus, in idololatriam dilaberis. Omnemque hi fortes injustitiam A meditantes, in prælocutionibus suis ad dictionem qua præcipitur, *Non facies omnem similitudinem*, fugiunt: et veritatem in injustitia possidentes, et suam justitiam volentes statuere, exercent se ad impietatem: et in insubsistentia mendacii gloriantes, a veritate alienantur. Voces enim quæ olim in lege datæ sunt populo Israel qui vitulo servilt (*Exod.* XXXII), et Ægyptiarum abominationum experimentum habuit, Christianorum sacratæ catervæ coaptantes, se publicant et portentuose loquuntur [*Gr.*, et capiuntur], adusti labiis oris sui. Utinam intellexissent, quia Dominus inducturus eos in terram repromissionis, eo quod habitarent in ea gentes colentes idola, et adorantes dæmonia, solem quoque ac lunam stellasque et alias creaturas, sed et volucres, et quadrupedia, B atque repentia, et non Deum vivum et verum, legem dabat: *Non facies tibi idolum, neque omnem similitudinem, quæcunque in cælo sursum, et quæcunque in terra deorsum* (*Exod.* XX). Quandoquidem subinfert, abstrahens eos ab idololatria: *Non adorabis ea, neque servies illis.* (*Ibid.*) Cum autem tabernaculum testimonii secundum Domini dispositionem faceret fidelis famulus ejus Moyses, universa ostendens servire illi, sensibiles cherubim humanæ formæ instar intelligentium [typos intelligibilium] ex auro patravit, obumbrantes propitiatorium, Christum præfigurans. Ipse est enim propitiatio peccatorum nostrorum, ut ait divinus apostolus (*I Joan* II). Ergo per duas res eos introduxit ad Dei cognitionem, illud quidem dicendo [tum dic.]: *Dominum Deum tuum* C *adorabis, et ipsi soli servies* (*Matth.* IV): hoc vero faciendo [tum fac.] aureos et conflatiles cherubim obumbrantes propitiatorium (*Deut.* VI), id est, adorantes illud: et per visionem et auditum sublevabat eos ad Dominum Deum adorandum, et soli illi serviendum. Sed isti perversitate plenum habentes sensum, etiam apostolicum dictum proponunt hujusmodi:

Gregorius episcopus legit:

« *Et commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in « similitudinem imaginis corruptibilis hominis: et co- « luerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori « (Rom.* I). Et rursus: *Et si noveramus secundum « carnem Christum, sed nunc jam non novimus eum.* D « *per fidem enim ambulamus, non per speciem « (II Cor.* V). Et eodem approbanter dicente: *Ergo « fides ex auditu, auditus autem per Verbum Dei « (Rom.* X). »

Epiphanius diaconus legit:

Palam dicendum est, quia ipsi comparati sunt gentibus, quæ commutaverunt gloriam Dei, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, commutantes et pervertentes sensus apostolicos secundum sua desideria. Nam omnibus certum est, quia paganos irridere videtur Apostolus, dicendo: *Commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Infert enim: *et volucrum, et quadrupedum et serpentium* (*Rom.* I): licet ipsi fraudulenter integram

reciderint disputationem, ut quasi ex hoc simpliciores decipiant, quasi de ecclesiæ imaginalibus descriptionibus apostolus hoc prætendat; præsertim cum illa quæ subinferuntur, manifestam habeant explanationem. Volucrum enim et quadrupedum et serpentium mentionem fecit, et quia servierunt creaturæ potius quam Creatori. Noverunt historicorum librorum peritissimi, quia Ægyptii olim boves colebant, et alia quadrupedia, et volatilia diversa, et muscas, et crabronum habitacula, et villora istis animantia : Persæ vero solem et ignem. Græci autem super hoc omni creaturæ servierunt; sed et Hebræorum quidam, ut liber Regnorum narrat et prophetarum relationes. Nam dicant, quando stultæ factæ sunt gentes, et obscuratum est insipiens cor eorum? antequam credidissent in Christum, an postquam crediderunt? utique antequam credidissent : manifestum enim hoc. Si enim dixerint, posteaquam crediderunt in Christum gentes, creaturæ ac idolis deservisse, dispensationis Christi Dei nostri prophetiæ secundum ipsos mendaces erunt, quæ pronuntiatæ sunt de Ecclesia. Erit Jerusalem sancta, et alienigenæ non transibunt per eam ultra. Et : *Misericordiam meam non dispergam ab eis, neque profanabo testamentum meum; et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita* (*Psal.* LXXXVIII). Si vero ab agnitione Dei exsules facientes, et ante Christi adventum traditi sunt in reprobum sensum, diabolo servientes, vana est adversus Christianos accusatio quæ nunc ab eis efficitur, et fiducialiter dicet ad eos Isaias clamans : *Væ qui scribunt malitiam; scribentes enim, malitiam scribunt* (*Isa.* X, *sec. LXX*). Igitur maligne ac tergiversatorie apostolicas et cæteras sacræ Scripturæ voces accipientes, festinant magnum salutis nostræ mysterium dispensationis Christi Dei nostri, per quem redempti sumus ab errore idolorum, pervertere, et in se gloriam transferre : sed nullus eis credit Christianorum. Confitemur enim universi, ab errore idolorum et ab omni religione gentili Christum verum Deum nostrum in profectione sua, qua secundum carnem ad nos venit, nos penitus abstraxisse. Porro si ipsi hoc minime confitentur fuisse factum, nec confessionem, nec vocationem ejus habent. Unde adversus eos Apostolus ait : *Quid enim habes, quod non accepisti?* (*I Cor.* IV.) At si acceperunt, illam redemptionem confiteri debuerant, et suscipere imagines, quæ sunt ecclesiastici decoris in oculorum aspectum nobis effectæ, et enarrationes evangelicæ per eas in mentes nostras assumptæ in commemorationem et relationem evangelicæ historiæ, sicuti crebrius dictum est. Et quoniam alias quoque apostolicas voces proponunt, dicentes : *Et si noveramus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus : per fidem enim ambulamus, non per speciem* (*II Cor.* V) : in medium proferamus harum interpretes et magistros magnivocos. Joannes itaque qui fulgentius auro et lapide possidet magisterium, interpretans Apostoli dictum quod ait : *Itaque ex hoc nos neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus* (*II Cor.* V) : ita dicit (*hom.* 11 *in II ad Cor.*) : Neminem novimus secundum carnem fidelium. Quid enim et si in carne sunt? sed vita illa carnalis periit, et desursum nati sumus spiritu, et aliam novimus civilitatem et conversationem, et vitam et constitutionem quæ in cœlis est. Iterum ejusdem : Auctorem esse Christum demonstrat : unde et intulit : *Et si noveramus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Dic mihi, nunquid carnem deposuit, et nunc non est cum corpore? absit : etenim et nunc in carne est. Hic enim Jesus, qui assumptus est a nobis in cœlum, sic veniet (*Act.* I). Sic, quomodo? in carne cum corpore. Quomodo ergo ait : *Et si noveramus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus?* quia et si passibilem noveramus Christum, sed jam nunc non. Nam nostrum secundum carnem esse, est in peccatis esse : et non secundum carnem esse, in peccatis non esse. Christi vero esse secundum carnem, est in passionibus esse naturæ; ut puta sitiendo, esuriendo, fatigando, dormiendo. Peccatum enim non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*Isa.* LIII). Unde et dicebat : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (*Joan.* VIII.) Et iterum : *Venit princeps mundi hujus, et in me non invenit quidquam* (*Joan.* XIV). Igitur non secundum carnem Christum esse, est jam ab his tristitiis liberari, et non absque carne esse. Etenim cum ipsa veniet judicaturus orbem impassibilem eam habens et incorruptibilem : in quod et nos transibimus, configurato corpore nobis effecto corpori claritatis ejus. Præterea Cyrillus Alexandrinus propugnator sinceræ fidei nostræ, explanans nobis idem dictum, taliter interpretatur : nam quia factus homo est unigenitus Dei Verbum, et radix generis apparuit secunda, non juxta primam quæ est ex Adam, sed in melioribus incomparabiliter intelligendam et existentem transformamur ad vitam. Non enim sumus sub morte, sed sub ipso Verbo quod cuncta vivificat : et nemo est in carne, id est, in infirmitate carnali, quod est corruptio. Non autem hoc dicit Paulus, quod non sit in carne Christus. Nam et si dicit, *Neminem novimus secundum carnem*, non tamen hoc significat : siquidem quomodo mortuus est? hoc enim carnis infirmitas est. Ergo quod dicit, hoc est : Factum est caro Verbum, et pro omnibus mortua est : et sic cognovimus eum secundum carnem, verumtamen ex hoc jam non novimus. Nam et si est nunc in carne (resurrexit enim tertio die, et ascendit in cœlos) sed supra carnem intelligitur. Non enim jam moritur, neque aliam aliquam carnis infirmitatem sustinet, sed his omnibus est potior tanquam Deus. Videtis ergo, adversarii, quia non solum apostolicas voces pervertitis, sed sanctis Patribus adversamini. Ipsi enim per antelata dicta Christum passionibus liberatum post resurrectionem ostendunt, et nos docent tanquam conformes effectos corpori claritatis ejus, non secundum carnem ambulare, id est, non sectari carnales voluptates. Porro vos vesti-

gia horum persequi minime patientes, aliter quam Patres sapiendo, vanam quamdam gloriam [opinionem] introducitis, et viam non tritam ambulantes, vosmet et sectatores vestros in præcipitia et fauces inducendo, in profundum inferni demergitis. Verum vobis nemo credit non sequentibus sanctorum Patrum nostrorum doctrinam. Sane illud quod dicitur, *Per fidem enim ambulamus, non per speciem*, idem Joannes interpretans, sic ait (*hom.* 10 *in II ad Cor.*) : Ne quis dicat : quid ergo? dicendo : *Quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino*, ut quid hæc dicis? Alieni ergo efficimur ab eo hic existentes? Ante correxit, dicens : *Per fidem ambulamus, non per speciem;* et hic quidem eum scimus, sed non ita liquido. Et alibi dicit : *Nunc videmus in speculo et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*I Cor.* XIII). Et hæc quidem ambo egregii Patres dixerunt; quoniam et in aliis dictis suis Apostolus liquido nobis sensum indicat, dicens : *Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII). Perspicuum ergo est, quia per fidem ambulamus, et non per speciem. Neque enim videmus hic Deum, sed credimus in eum : quia et ea quæ condidit, fide dicimus ab eo facta fuisse; quemadmodum magna Spiritus voce ipse prædicat, dicens : *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent* (*Hebr.* XI). Et contemplantes ordinatum motum universitatis, ad intelligentiam venimus Dei, qui omnia in sapientia fecit. Hoc ergo est : Per fidem ambulamus, et non per speciem : et non ut ipsi ex indisciplinatione linguæ depravantes sensum apostolicum, in venerabilium imaginum factionem acceperunt quod dictum est. Doctrinis ergo patriis auditis, has sequamur, et præsentem novitatem abominemur, dicentes : *Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo* (*Psal.* XXV).

TOMUS QUINTUS.

Epiphanius diaconus legit :

Quoniam ad malitiam currentes pedes eorum, irretiti sunt suis laqueis, ecce ostensum est, neminem ex his qui in Ecclesia nutriti sunt, gloriam Dei in imaginum facturam, vel in aliam qualemcunque commutasse creaturam. Eia nunc et cæterorum destructionem faciamus, auxiliatrice habita, quæ non vincitur, veritate. Etenim ipsi additamentis malum abundare volentes, etiam sanctos Patres in medium adduxerunt, eos obloquendo contra venerabilium imaginum picturam effatos fuisse, addentes :

Gregorius episcopus legit :

« Porro æqualia et apostolorum discipuli et successores deiloqui, videlicet Patres nostri edocent. « Dicit ergo in patrandis signis famosissimus Epi- « phanius Cyprius : Attendite vosipsos, et tenete « traditiones quas suscepistis; ne declinetis ad « dexteram, neque ad sinistram. Quibus subinfert : « Et in hoc memoriam habete, filii dilecti, ne indu- « catis imagines in ecclesias, neque in cœmeteria « sanctorum; sed per memoriam habete Deum in « cordibus vestris; sed neque in domum commu- « nem : non enim expedit Christiano per oculos et « vagationes mentis efferri. Qui et alios sermones « exposuit in subversionem efficiendarum imaginum, « quos qui amorem discendi habent, quærentes inve- « nient. »

Epiphanius diaconus legit :

Amatores discendi ecclesiasticorum negotiorum scrutinium [*Gr.*, Studiosi in scrutandis rebus ecclesiasticis], eos qui aliter sapiunt, suamque volunt statuere justitiam, et divinæ resistere, reperunt nothis et falsis conscriptionibus inniten tes, tanquam spurios et non proprios Ecclesiæ catholicæ filios, minime ut fratres admittere; imo vero abdicantes dicunt : *Semen Chanaan et non Juda* (*Dan.* XIII); scientes ab evangelista dicunt : *Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis. Si enim essent ex nobis, permansissent utique nobiscum* (*I Joan.* II). Et iterum sacratissimo Apostolo dicente : *Quia intrabunt post discessum meum lupi graves in vos, non parcentes gregi, ut abducant discipulos post se. Et videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam* (*Act.* XX). Et rursus idem : *Nolite omni spiritui credere* (*I Joan.* IV). Decet ergo unumquemque Christianum, qui falsos libros audit, hos exspuere, ac nullatenus admittere. Etenim divi apostoli ad Laodicenses fertur ficta epistola in quibusdam libris apostoli jacere, quam Patres nostri reprobavere, ut alienam ab ipso : et Manichæi secundum Thomam introducunt evangelium, quod catholica Ecclesia pie tanquam alienum averiit. Ita et præsens testimonium dicitur quidem, sed non est sancti Patris nostri Epiphanii. Ipse namque egregius Pater octuaginta capitulorum editione facta, cunctas hæreses publicavit, paganas scilicet et Judaicas, et quotquot post Christianismum factæ sunt, nullam dimittens : et si imaginum factionem alienam a Christo nosset, hanc utique in numero hæreseon statuisset. Et rursus si expositiones has, quæ sunt adversus venerabiles imagines, Ecclesia suscepisset, non utique imagines pingerentur ad ornatum venerandorum templorum et commemorationem nostram. Ex ipsis enim scripturis, quas novitatis præceptores in testimonium proferunt, earum habetur eversio. Sanctus enim Epiphanius temporibus erat Theodosii et Arcadii : extenduntur ergo usque ad præsentem hæresim quasi anni quadringenti. Et libros adversus imagines nullus Christianorum recepit, nisi falsi præsentis novitatis assertores : et si tot annis in Ecclesia non sunt recepti, neque nunc recipiantur, eo quod aliquando recepti non fuerint. Epistolam enim, quam quidam eorum proferunt, falso suprascriptam ejusdem sancti Epiphanii Cypriorum insulæ præsulis ad Theodosium imperatorem nos in manibus accipientes, et scrutabiliter non transitorie perlegentes, inve-

nimus in fine epistolæ sententiam hujusmodi contineri : quia multoties locutus cum comministris meis, ut auferrentur imagines, receptus non sum ab eis, neque audire vocem meam saltem paululum passi sunt. Intendamus ergo, qui fuerint temporibus jam memorati Patris nostri Epiphanii in Ecclesia illustres magistri, et incorruptæ munitiones Ecclesiæ : Basilius magnus in opere et sermone, Gregorius cognomento Theologus, Gregorius Nyssensium civitatis præsul, Pater Patrum ab omnibus nominatus : et Joannes, cujus a lingua vox melle dulcior effluebat, unde et cognomen aurei oris accepit. Insuper et Ambrosius, Amphilochius, et Cyrillus Hierosolymitanus. Si igitur ipse qui conscripsit horum expositionem dictorum contra venerabiles imagines, se non receptum dicit a sanctis Patribus qui tunc in vita supererant, quomodo falsa dicta quæ ipsi sancti Patres non receperunt, nos qui in finem sæculorum devenimus et scientia ac sermone deficimus, quia nec discipuli eorum digni sumus vocari, contra Ecclesiam recipiemus? Absit scelerata ac temeraria expositio. Caruerunt recto sermone [recta ratione] qui hoc contra Ecclesiam nisi sunt : in nobis sit Christum diligentibus Apostoli dictum, teneamus traditiones quas accepimus, et profanas vocum novitates devitemus, et mendacia hæc esse sciamus (*II Thess.* II, *II Tim.* III, *Tim.* III). Libri enim sancti Patris nostri Epiphanii, sive qui dicitur Ancyrotos, sive reliqui, in omnem orbem terrarum diffamantur, et sonus eorum vulgatus, et propemodum per universam Ecclesiam sparsi sunt. Harum autem ratiuncularum quæ contra venerabiles imagines murmurant, duo vel tres per universum orbem libri non inveniuntur, nisi forte noviter scripti sint : et si essent noti in catholica Ecclesia, sicut ille qui dicitur Ancyrotos sancti Epiphanii, in omnibus est Ecclesiis dilatatus, ita et ipsi dilatati existerent. Sed ut extranei et alieni et falsati, nondum in Ecclesia catholica recepti sunt, neque apparuerunt. Ergo nec nunc, ut pax Dei in omnibus Ecclesiis et antiqua traditio degat. Ne emittant autem linguas vaniloqui, calumniantes eos qui recte sapiunt, quod sancto Epiphanio adversentur hi qui recipiunt antiquam legislationem catholicæ Ecclesiæ : quod nequaquam verum est. Conscriptionem enim abjicimus, sanctum vero Patrem doctorem Ecclesiæ catholicæ novimus. Etenim sacratissimi Patres, qui in quarta et universali sancta Chalcedonensi synodo congregati sunt, epistolam quidem quæ dicitur Ibæ episcopi Edessæ ad Marin Persam anathematizaverunt, veluti Nestorio concordantem : similiter et quintæ synodi Patres : Ibam autem nequaquam. Non enim verum apparuit, quod Ibæ fuerit epistola : hinc in anathematismis non Ibam anathemati submiserunt, sed epistolam quæ dicebatur Ibæ : dicebatur enim, licet non esset. Ita ergo et hæc mendacis assertionis conscripta, quæ contra venerabiles imagines sunt, dicuntur quidem a quibusdam sancti Epiphanii esse, sed nullo modo sunt, ut demonstratum est. Etenim templum dedicaverunt in Cypriorum insula ejus discipuli, nominantes illud ejusdem vocabulo Patris; et cum multis aliis titularibus picturis imaginem ejus in ipso templo locaverunt. Et si iste taliter venerabilium abominaretur vultum imaginum, quomodo discipuli ejus imaginaliter hunc depingerent : Judicate, omnes qui auditis, et veritatem a mendacio separate : quia non Patris editiones hæ, sed Manichaicæ quædam sunt : quas fugiamus ut felle amaritudinis plenas. Ipsi enim et confusionis introductores hanc effigiem minime receperunt, quippe non veraciter humanatum Deum Verbum carne fuisse dogmatizantes, sed per phantasiam et conjecturam. Propterea et isti phantasiam passi, aliis pro aliis intellectis, proferunt hæc :

Gregorius episcopus legit.

« Similiter autem et Gregorius deiloquus in car« minibus suis dicit : Injuria est fidem habere in « coloribus, et non in corde. Quæ enim in coloribus « est, facile diluitur : quæ vero in profundo mentis, « illa est mihi amabilis. »

Epiphanius diaconus legit :

Perverse rursus intelligentes, et aliud dictum Gregorii Theologi proferunt, quod a Patre quidem ita prolatum est :

Injuria est fidem habere in coloribus, et non in cordibus, Qui fluentes diluuntur ; sed mihi gratum est profundum.

Ab istis autem falsiloquiis ita :

Injuria est fidem habere in coloribus, et non in corde. Quæ enim in coloribus est, facile diluitur : quæ vero in profundo mentis, illa est mihi amabilis. Obturaverunt aures, et oculos clauserunt, et recta intelligere noluerunt hi qui spreverunt ecclesiasticas traditiones. Auditione quippe audierunt, et non intellexerunt : et videntes viderunt, et non cognoverunt. Obcæcati enim sunt corde, et paternas doctrinas [*Gr. add.*, ac traditiones] perverterunt secundum sua desideria. Sanctus namque Gregorius deiloquus in metricis editionibus suis sententiam quam protulerunt ipsi, dictans, quemdam moralem sermonem inducit, informans vitam nostram, ut recedamus a temporalibus et mundanis negotiis et carnalibus voluptatibus, atque sectemur vitam spiritualem quæ ad cœlestia ducit ; et non credamus huic mundo, et temporalibus quæ non permanent, nec perdurant, quæ et colores nominavit : sed hæreamus potius spiritalibus et veris, quæ in corde firmitatem habent, et permanent in æternum. Nam sæculum nostrum fluxibile, incolatus est præsens vita. Sicut enim color et atramentum cito diluitur, licet a pictore conficiantur [vel a pictore transformatur] : ita et in mundo isto, quemadmodum ipse ait, circuitus nostrarum discurrit rerum nonnunquam aliter, in una [*Gr.*, alias aliter, in una] die, est autem quando et hora fert mutationes. Etenim more umbræ omnia exterminantur humana, et ampulla in aqua ex pluvia facta magis

expirat omnis elatio potentatus humani. Omnis enim homo fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni (*Isa.* XL). Porro spiritualium operum exhibitio immobilis quidem est, et in his quæ permanent, habet vicissitudinem [retributionem]. Si enim contra imagines dictum illud esset, assereret utique dicens : Injuria est fidem habere in coloribus, et non in Deum. Sed non in cordibus, pronuntiavit : id est, firma et stabilia ut operemur regni cœlorum, et non mundi hujus : quæ ut fluida, cito mutata, fidem non habent. Rursus autem male allegorizantes, et secundum proprium sensum omnia colligentes, magnorum antistitum Basilii et Joannis dicta proferunt in testimonium, asserentes :

Gregorius episcopus legit :

« Joannes autem Chrysostomus docet ita : Nos « per scripturas sanctorum præsentia fruimur, non « corporum eorum, sed animarum imagines habentes. Quæ enim ab illis dicta sunt, animarum ipsorum imagines sunt. Maxima enim via ad opportunitatis [*Gr.*, officit] inventionem, sanctus ait Basilius (In epist. 1 ad S. Greg. *de Vit. solit.*) meditatio est scripturarum divinitus inspiratarum. In his enim et actuum commonitiones inveniuntur, « et vitæ beatorum virorum inscriptæ traduntur, veluti quædam imagines animatæ conversationis quæ « in Deo est, imitatione operum quæ secundum « Deum sunt, positæ. »

Epiphanius diaconus legit :

Nequaquam aliquis eorum qui recta sapiunt, in subversionem venerabilium imaginum has expositiones sensit vel senserit. Evidens quippe omnibus est, quia audientes virilitates sanctorum et perseverantias eorum, animarum ipsorum stabilitatem et fortitudinem beatificamus; et divinas Scripturas recitantes, Vitasque sanctorum virorum relegentes, et imaginales picturas intuentes, gestorum secundum Deum ipsorum operum recordamur. Quæ enim sermo per auditionem repræsentat, hæc pictura tacens per imitationem ostendit, sicuti ait magnus Basilius. Sed et Joannes Chrysostomus asserit in sermone suo (*in* 40 *Mart.*). Quod Veteris et Novi testimonii unus sit legislator, et in indumentum sacerdotis, habito, cujus initium est : Christi regni Evangelium prædicant quidem prophetæ. Et post alia (*ibid.*) : Ego et cera perfusam dilexi picturam pietatis causa. Vidi enim angelum in imagine pellentem barbarorum cuneos : vidi conculcatas barbarorum tribus, et David veritatem dicentem : *Domine, in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges* (*Psal.* LXXII). Comprobatum est igitur, quod ea quæ sanctis Patribus bene sunt edita, ipsi extra divinum chorum effecti subverterunt. Porro adhuc detinentur a malitia, et mala quæ contra idola a sancto Patre nostro Athanasio dicta sunt, ad subversionem imaginalium picturarum proponunt, dicentes :

Gregorius episcopus legit :

« Denique et Athanasius Alexandriæ luminare ait « (S. Athanas. *Orat. contra gent.*) : Quomodo non « misereamur eorum qui creaturas colunt? quoniam « hi qui vident, eos qui non vident, et qui audiunt, « eos qui non audiunt, orant : creatura enim a creatura nunquam salvabitur. »

Epiphanius diaconus legit :

Papæ quanta amentia! inanem quamdam blasphemiæ viam excogitantes, a veritate projecti sunt. Cum enim egregius Pater contra idola hæc promulgaverit, ipsi post agnitionem veritatis, et sinceræ confessionis, ac divinæ regenerationis, absque uno qui est super omnia Deus, creaturis servire Christianos accusant, et idololatriam exercere pronuntiant. Parce, Domine, populo tuo, et ne dederis quemquam horum seduci blasphemia. Omnes enim qui nomine tuo vocamur, confitemur te redemisse nos ab idolorum deceptione pariter et errore : atque post agnitionem tuam, nos qui divina regeneratione digni facti sumus, nequaquam conversi sumus, ut alicui creaturæ sub cœlo divinam adorationem tuam offerremus; sed tibi soli Redemptori nostro psallimus : Domine, præter te alium nescimus, nomen tuum nominamus. Testis es ipse, et sanctorum angelorum militiæ, et sacratissimus cœtus apostolorum, prophetarum, martyrum et egregiorum Patrum. Habemus autem in commemorationem omnis sensus nostri, et in gloriam tuam, ut sublevemur ad magnitudinem tuam, figuram divinæ crucis, et evangelicam narrationem, et imaginalem picturam, necnon et alia plura vasa sacrata : et hæc salutamus, eo quod in nomine tuo fiant et statuantur. Sed ut compotes thesaurorum, lingua [*Gr.*, qui collegerunt thesauros lingua] mendaci vana persecuti sunt : propter quod et procedit [perit] omnis eorum garrulitas. Nam quemadmodum lumine illucescente tenebræ abiguntur, ita veritate apparente mendacium linguæ ipsorum excisum est gladio spiritus. Sed ex eo quod excisum est habentes quædam residua, hæc proferunt, ita dicentes :

Gregorius episcopus legit :

« Similiter et Amphilochius Iconii dicit : Non « enim in tabulis carneas personas sanctorum per « colores curæ nobis est figurare, quoniam non his « opus habemus; sed conversationem eorum virtutibus imitari. »

Epiphanius diaconus legit :

Hæreticorum ergo proprium est recisa producere testimonia. Nam si quis studiose scrutatus fuerit, nullo modo sensum Patris inveniet inhibentem venerabilium imaginum formationem : sed fortitudinem collaudans, et firmamentum animæ sanctorum affectus, et præferens virtutum effectum, hæc locutus est Pater, et ut ad imitationem nos erigeret conversationis eorum. Non enim ob carnalem amorem illos laudamus, aut depingimus, sed ad imitationem volentes habere virtutem eorum, et in libris vitas ipsorum describimus, et in imaginali scriptura illos depingimus : cum minus indigeant hoc a nobis histo-

rice collaudari, vel in imagine lineamentis depingi : sed ad utilitatem nostram hoc, sicuti prædictum est, facimus. Non enim tantum passiones sanctorum nos ad salutem nostram erudiunt, sed ipsa conscriptio passionum ipsorum etiam per imaginalem picturam ostensa, similiter et anniversaria eorum memoria. Totus enim sermonis stylus hunc sensum commendat, et ad subversionem venerabilium imaginum nullatenus est id quod a Patre dictum est. Neque enim oblocutionem aliquam adversus illas facit. Nam et si dicit : Non coloribus in tabulis carneas eorum personas [facies] curæ nobis est figurare : propter intentionem virtutis hæc ab eo dicta sunt; subinfert enim : sed conversationem eorum per virtutem imitari. Curæ quippe nobis est virtutes bonorum virorum eligere, et actus eorum imitari, atque conversationem ipsorum æmulari. Præterea templa istis jugiter dedicare, aut in imagine istos erigere, illos qui virtutem ipsorum contemnunt, non est laudabile. Nemo plane laudaverit, si viderit hominem virtutes sanctorum parvipendentem, de die in diem horum imagines commendantem [dicantem], vel templa multa erigentem, aut vasa sacra patrantem, et suum ipsius templum deificis virtutibus non adornantem. Ait enim Deus per Isaiam prophetam ad eos qui hujuscemodi erant : *Si obtuleritis mihi similam, vanum ; thus abominatio mihi est. Et cum manus vestras extenderitis ad me, avertam oculos meos a vobis : et si multiplicaveritis deprecationem vestram, non exaudiam vos.* Sed quid facietis ? *Lavamini, mundi estote, auferte mala ab animabus vestris in conspectu oculorum meorum : quiescite a malis vestris, discite bene facere : quærite judicium, liberate oppressum, judicate pupillum, justificate viduam* (*Isa.* I, *sec. LXX*). Ergo cum ista correxerimus, tunc et ea quæ a nobis offeruntur, apud Deum accepta erunt, sive sancta templa, sive sacrata vasa, sive venerabiles imagines sint. Sic ergo aptum est, ad memoriam sanctorum non virtutes horum, secundum quod possibile fuerit, imitari [*Gr.*, diligere et imitari]. Martyrum enim laudatio est, collectorum ad virtutem hortatio, sicut magnus ait Basilius in moralibus sermonibus suis (*in* 40 *Mart.*) Cum his autem, sicuti dictum est, etiam templa erigere, et imagines formare, et sacra vasa Deo offerre, laude dignum est : oportet enim et hæc facere, et illa non omittere, ut verus sermo nos docet. Non enim quis utique virtutem acquirere poterit, nisi in atriis Domini assuescat, et per lectionem divina eloquia audiat, et per visionem ducatur ad sensum tam evangelicarum narrationum et disciplinarum, et martyricarum relationum atque certaminum. In omni autem tempore, loco, momento, et hora virtutibus dare operam pernecessarium est : quia in passionibus Christi semper et continuo conversari necesse est, et mortificationem ejus in corpore nostro circumferre ; et hoc diligenter facere commodum est : conciliatio enim est regni cœlorum. Porro multas cruces exarare in una domuncula, et contemnere mandata Christi, et imitationem passionum ejus, insipientissimum est : sine operibus namque fides mortua est (*Jac.* II). Dicit enim evangelice Dominus : *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est* (*Matth.* VII). Adhuc autem subjungentes propositis, et aliam probationem his quæ dicta sunt reddemus. Moris est sanctis Patribus nostris qui salutarem nobis Dei voluntatem disseruerunt, prolixe mandatorum nos dicta docere, et ad mandatum, de quo eis intentio est, moderari audientes, hoc annuntiare excelsum esse et majus : ut tanquam anchoram certam id habentes, nec circa reliqua negligentes simus. Porro prolixitatem vitantes, pluresque silentio prætereuntes, Asterium Amasinum in medium adducamus. Etenim in Lazarum et in divitem conscribens sermonem, quoddam verbum de pauperibus [sententiam quamdam latius explicatam de paup.] alendis et contra divites dictans, admonet divites eleemosynæ fructus reddere, et non splendide vel clare mollibus vestimentis amictos esse ; et introducit moralem quemdam sermonem ad quosdam religiosiores, in vita divitias [religiosioris vitæ d.] ambientes, perhibens ita : Noli pingere Christum in vestimentis, sed potius horum sumptus pauperibus eroga. Ac deinde volens recidere divitiarum cupiditatem, subinfert : Sufficit enim ei una incorporationis humilitas : id est, non placet Christo Deo nostro per mundialem favorem et avaritiam demonstrari dispensationis suæ mysteria. Neque enim pium est vel acceptum in conspectu ejus, propter evangelicam commemorationem, materiam divitiarum thesaurizare ad excusandas excusationes in peccatis, pauperibus contemptis indigentibus panum, atque privatis indumentis et tegumentis. Hoc enim avaritiæ, et non pietatis est proprium. Sicut enim non est communicatio lucis ad tenebras, neque participatio justitiæ et iniquitati : ita neque divitiarum concupiscentia et mollium vestimentorum amictus, ad evangelicam formam atque historiam. Hæc enim dispensationis quidem relationem affatim edocet, in salutem ducens : illa vero misera denuntiatur, uti cruciatui obnoxia, quemadmodum Jacobus ait Domini frater : *Divites plorate, ululantes in miseriis quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt : aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo in testimonium vobis erit* (*Jac.* V). Igitur, sicuti dictum est, omnia quæ propter avaritiam facta sunt in mundo, transibunt. Possibile nobis est per modicam impensam habere alimenta et indumenta et operimenta, et his esse contentos. Quidquid enim non propter necessitatem, sed propter speciositatem assumitur, pravitatis habet accusationem, ut divinus ait Basilius. Contenti ergo simus his quorum egemus, et ex his pauperibus sufficienter demos, et manum illis porrigamus, ut et Domini vocem audiamus dicentem : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V); et : *Quandiu fecistis uni ex*

his minimis fratribus meis, mihi fecistis (*Matth.* XXV). Et quia Asterii memoriam fecimus, ejus verbis ejus utentes, venerabilium imaginum traditionem antiquam esse legislationem monstremus catholicæ Ecclesiæ. Etenim ipse contemplatus imaginem passionis Euphemiæ martyris, talibus est laudibus usus : Mulier quædam fuit sacra virgo, incorruptam Deo pudicitiam vovens, quam Euphemiam vocant. Cum autem tyrannus aliquando pios persequeretur, satis prompte mortis elegit periculum. Porro cives et communicatores religionis, pro qua et mortua est, utilitatis lege [ergo] sacram virginem admirantes, juxta sacrarium sepulcro dedicato, et arca posita, honores ei concelebrant, et annuatim diem festum faciunt et solemnem. Denique sacrati divinorum mysteriorum assertores etiam sermonibus memoriam sempei honorant, et qualiter perfecerit agonem perseverantiæ, diligenter præsentes populos edocent. At vero pictor pie agens et ipse per artem secundum vires totam ejus historiam in sindone figurans, circa sepulcrum posuit titulum [sacrum spectaculum]. Habet autem se sic artis diligentia. Excelsus super thronum locatur judex, amare ac furiose virginem intuens. Irascitur enim ars etiam in materiis inanimatis, cum vult. Satellites autem principis et milites multi, alii quidem monumentorum descriptores, ferentes libros et pittacia [*Gr.*, stylos]. Quorum alius suspensa manu a cera, aspicit ad eam quæ judicabatur, valide totam inclinans faciem, quasi jussus facilius loqui [jubens clarius l.], ut non laborans erga auditum, mendosa describeret et imperfecta [reprehendenda]. Stabat autem virgo in fulva [fusca] tunica et veste philosophiam significans; et, ut visum est pictori, vultu urbano [pulchra facie] : ut autem mihi apparet, animam decorata virtutibus. Ducunt autem eam ad principem duo milites, uno ante quidem trahente, altero vero post tergum urgente temperatum virginis morem pudore atque constantia. Nam in terram quidem intuetur, erubescens vultus virorum : stabat autem imperterrita, nihil perpetiens, ad agonem. Verum cum ego alios interim laudarem pictores, vidi mulieris illius Colchidis opus, quod gnatis gladium illatura, misericordia et furore divideret faciem : et uno quidem oculorum iram ostenderet, altero vero matrem indicaret parcentem et horrescentem. Nunc autem miraculum ab illo sensu ad hanc mutavi picturam; et valde quoque admiror artificem, quoniam magis commiscuit colorum morem, pudorem pariter et fortitudinem temperans, affectiones videlicet quæ sibi invicem adversantur. Cumque progrederetur anterius imitatio, carnifices quidam in parvis tunicis nudi jam ad opus urgebant ; et unus quidem apprehendens caput et inclinans retrorsum, præbebat alteri apparatam ad pœnam virginis faciem : at ille assistens incidebat dentes. Malleus et teretrum pœnæ instrumenta videntur. Lacrymor hinc, et mihi passio sermonem recidit. Sanguinis enim guttas ita pictor liquido coloravit, ut diceres veraciter eas a labiis fluere, et lamentis affectus abires. Vinculum [*Gr.*, Carcer] post hæc : et iterum virgo decora in fulvis vestibus, sed et sola, extendens manus ad cœlum, invocans Deum tutorem in pœnis. Orante autem ea, videtur super caput signum, quod lex est Christianis adorandi et superscribendi : quod ego indicium esse arbitror passionis quæ illam manebat. Mox ergo et post paululum ignem alibi vehementem victor succendit, rubro colore hinc et inde clarescente flammam corpus efficiens. At vero in medio flammæ statuit eam manibus ad cœlum expansis, sed molestia nulla in facie apparente : quin e diverso hilarem, quoniam ad incorpoream et beatam vitam pergebat. Usque huc et pictor retinuit manum, et ego sermonem. Porro attende tibi, si volueris eamdem perficere picturam, et consideres diligenter, nisi multum inferius quam oportuit, ad narrationem accessimus. Et hæc quidem Asterius. Tractantes autem quæ in divina Scriptura dicta sunt, invenietmus eumdem ex ea legisse, quæ ab ipso dicta fuerunt. Deus enim famulo suo Moysi de tabernaculo disponens, postquam varia et diversa in eo opera fieri præcepit, ait : *Facies cortinas ex bysso retorta, hyacintho, et purpura, et cocco retorto cherubim ; opere textoris facies eas* (*Exod.* XXVI). Et ipsa quidem dispositio docet nos, ut ea quæ Deo dicata sunt, expensis multis conficiantur : in humanis autem non ita. Dictum est enim populo : *Et vestem duobus contextam ne induas* (*Deut.* XXII). Lucidissime autem divinus Apostolus horum sensum commendat, præcipiens : *Mulieres in habitu ornato* [*decenti*], *cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa ; sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona* (*I Tim.* II). Hæc considerantes nos, qui Deo soli servitutem nostram in spiritu et veritate offerimus, omnia quæ oblata et dedicata sunt, sive divinus typus pretiosæ crucis, sive Evangelium, sive venerandæ imagines, sive vasa sacra sint, et salutamus et amplectimur ea [salutemus, amplectamur, etc.], veluti spem habentes sanctificationis ab eis percipiendæ : et adorationem honoratoriam illis impendimus. *Adorate* enim, inquit, *scabellum pedum ejus, quoniam sanctum* [Gr., *sanctus*] *est* (*Psal.* XCVIII). Propter quod et Gregorius Theologus in sermone suo de nativitate Christi ait : Bethlehem honora, præsepe adora. Ergo quod Deo dicatur, præsentia et participatione ejus sanctum est, quemadmodum omnis Scriptura testatur : et ei qui sanctus est, honor sanctitatis non aliter conservatur, quam per nostram affectualem adorationem. Ipsi autem adhuc spirantes meadacium, aliena quædam ab Ecclesia catholica consuentes, aiunt :

Gregorius episcopus legit :

« Consona vero istis et Theodotus Ancyranus, « concertator Cyrilli, de eisdem docet ita : Sanctorum vultus non in imaginibus ex materialibus coloribus factis formandos accepimus, sed horum

« virtutes per ea quæ de illis in scriptis indicantur, « quasi quasdam animatas imagines imitari didici- « mus, et ex hoc ad similem illis zelum erigimur. « Nam dicant hi qui tales erigunt formas, quali « putas ex his perfruantur utilitate, vel in quam « spiritalem contemplationem ducantur per harum « commemorationem? sed manifestum est quod vana « sit hujusmodi excogitatio, et diabolicæ argumen- « tationis inventio. »

Epiphanius diaconus legit :

Si Theodotus esset in hac vita, cum beata Susanna clamaret dicens : *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant* (*Dan.* XIII), tu nosti, quia falso contra me tulerunt testimonium hi, qui æmulantes senes Babylonicæ confusionis hujus novitatis auctores exi- B stunt. Sed volentes se idoneos et illustres ostendere, quædam vana fauce loquuntur : et fallax ostenditur calamus scripturæ ipsorum, et evidenter adulteratores veritatis inveniuntur. Multi enim nobiscum exquirentes deindeque scrutantes in sermonibus ejusdem Theodoti de proposito dicto, si vere scriptum sit hujuscemodi, nunquam usquam invenimus. Neque enim ipse quid tale locutus est : evidenter namque monstratum est, quod non sit Theodoti testimonium. Amaritudine quippe et exacerbatione plenus sermo, et linguæ intemperatæ, atque immundorum labiorum præsumptio est dicere, esse diabolicæ argumentationis inventionem venerabilium figuras imaginum. Vere perspicuum est, quod Christianos accu- C santium sit hæc adinventio atque figmentum, et non Theodoti. Nam si, ut ipsi aiunt, ex ipso testimonium protulerunt, oportebat eos expresse indicare ex quo ejus sermone testimonium sit assumptum. Sed, ut scientes illud falsum, silentio mendacium reliquerunt. Itaque sermonibus ejus coacervatis, videlicet his qui ad Lausum scripti sunt contra Nestorium in tomis sex ; et interpretatione symboli sanctorum Patrum apud Nicæam convenientium, et sermone de nativitate Domini, et in lumina, et in Eliam et viduam, et in sanctum Petrum et Joannem, et in claudum qui sedebat ad speciosam portam, et in eos qui talenta acceperunt, et in eum qui de duobus cæcis : nullo modo dictum quod ipsi protulerunt invenimus. Sed nec cum pseudosyllogus eorum collectus turbaretur, et inscriberetur in D falsa sermocinatione ipsorum, a codice Ancyrani testimonium est assumptum ; sed per quoddam mendax pittacium, ut pestilens quiddam discurrit, quod simplices admiserunt. Porro sensati, et qui acquiescunt veritati, hoc semper mendacium arbitrati sunt. Præterea ductorem pestiferæ hæreseos suæ adhuc proponunt adjutorem Arii, et coadjutorem Eusebii Nicomediensis, et Theognii Nicæensis, et Maridis Chalcedonensis, qui præfuit his qui restiterunt sanctæ synodo Nicænæ ; ita fatentes :

Gregorius episcopus legit :

« Similiter autem et Pamphili Eusebius ad Con- « stantium Augustam petentem Christi imaginem « mitti sibi ab eo, talia fatur : Quia vero de qua- « dam imagine quasi Christi scripsisti, hanc volens « tibi a nobis mitti, quam dicis et qualem hanc, « quam perhibes, Christi imaginem? Utrum veram « et incommutabilem, et natura characteres suos « portantem? an istam quam propter nos suscepit, « servi formæ schemate circumamictus? sed de « forma quidem Dei nec ipse arbitror te quærere, « semel ab ipso edoctam, quoniam neque Patrem « quis novit nisi Filius, neque ipsum Filium novit « quis aliquando digne, nisi solus Pater qui eum « genuit. Et post aliqua : Sed utique servi formæ « imaginem quæris, et corpusculi quo amictus est « propter nos. Sed et id gloria divinitatis tempera- « tum didicimus, et absorptum esse mortale a vita. « Et post pauca : quis ergo hujusmodi dignitatis et « gloriæ vibrantes et præfulgentes splendores ex- « arare potuisset mortuis et inanimatis coloribus et « scripturis umbraticis? Quandoquidem nec aspi- « cere in eum in monte egregii sustinuere disci- « puli, qui etiam cecidere in faciem (*Matth.* XVII), « importabile quod sibi visum fuerat confitentes. « Ergo si tunc incarnata ejus forma tantam virtutem « sortita est ab inhabitante in se divinitate mu- « tata, quid oportet dicere, cum mortalitate exu- « tus, et corruptione ablutus, speciem servilis « formæ in Domini et Dei gloriam commutavit, « post victoriam videlicet contra mortem, post re- « gressum ad cœlos, post locationem in regio solio « circa dexteram Patris, post quietem in inenarra- « bilibus et ineffabilibus finibus Patris, in quam « ascendentem et restitutum cœlestes virtutes col- « laudabant, dicentes : *Tollite portas, principes, « vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit « rex gloriæ* (*Psal.* XXIII). »

Epiphanius diaconus legit :

Prophetica vox istis convenit, quia Deus per prophetam Jeremiam adversus Judæorum populos queritur, dicens : *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus contritos, qui aquam continere non poterunt* (*Jer.* II). Desecrentes enim probabilium Patrum doctrinas, fallacium collegiorum primores, et æmulantes eos qui ventilabro divini judicii ab area Dominica, id est catholica Ecclesia sunt projecti, ipsos in protectionem hæreseos suæ adducunt. Quis enim fidelium Ecclesiæ, et eorum qui verorum dogmatum scientiam perceperunt, ignorat, quod Eusebius Pamphili in reprobum sensum traditus, unius opinionis et sensus fuerit cum his qui Arii superstitionem secuti sunt? In omnibus quippe historicis suis libris creaturam Filium et Verbum Dei vocat, et ministrum, et secundum adorabilem. Si vero quidam hunc defendentes dicunt, subscripsisse illum in synodo ; concedamus ita fuisse. Sed labiis suis veritatem honoravit, cor autem longe fuit ab ea, ut ostendunt conscripta ejus et epistolæ omnes : licet aliter atque aliter secundum tempus et causas

conspergi et mutari [immiscendo sese ac immutando], aliquando quidem laudans ea quæ sunt Arii sentientes, aliquando vero veritatem simulans, ostendatur juxta Jacobum fratrem Domini (*Jac.* I) vir duplici animo et inconstans in omnibus viis suis : et non existimet quod accipiet aliquid a Domino. Si enim corde credidisset ad justitiam, et ore confessus esset in salutem (*Rom.* X) verum sermonem, utique pro scriptis suis veniam postulasset, horum correctionem faciens, et pro epistolis suis profecto verbum rationis [defensionis] fecisset : sed hoc nullatenus usque fecit ; mansit enim sicut Æthiops non mutata pelle sua. Denique cum interpretaretur, *Dixi Domino, Deus meus es tu* (*Psal.* XV), extra veracem sensum excedens sic ait : Legibus naturæ omnis filii pater, dominus est utique ejus : et idcirco unigeniti Filii Dei ipse qui genuit eum Deus, simul et Deus et Dominus et Pater est. Similiter autem et in epistola ad sanctum Alexandrum præceptorem magni Athanasii directa, cujus initium est : Cum quanta sollicitudine, vel cum quanta cura ad hæc litteræ venerint [has litteras venerim] ; expressius blasphemans sic ait de Ario et ejus asseclis : Calumniantur eos litteræ tuæ, tanquam dicentes, quia Filius ex non existentibus factus est, sicut unus ex omnibus ; at illi protulerunt epistolam, quam ad te fecerant : in qua fidem suam exponentes, ipsis verbis hæc confitebantur : Legis videlicet ac prophetarum, et Novi Testamenti Deum genuisse Filium unigenitum ante tempora æterna, per quem et omnia et sæcula fecit : genuisse autem eum non conjectura, sed veritate, ac subjecisse propriæ voluntati [*Gr.*, sed vere in rerum naturam produxisse propria voluntate] inconvertibilem et incommutabilem creaturam Dei perfectam, sed non sicut unam ex creaturis. Si ergo litteræ ipsorum veritatem dicunt, utique apud te fertur [quæ utique apud te etiam sunt] : in quibus confitentur Filium Dei ante tempora æterna, per quem fecit et sæcula, esse inconvertibilem et creaturam Dei perfectam, [a] sed non sicut unam ex creaturis. Porro epistola tua calumniatur eos, tanquam dicentes, quia Filius factus est sicut unum omnium : cum hoc non dixerint, sed clare definierint, quia non sicut unum ex creaturis. Nota ergo, si non protinus eis iterum occasio detur ad reprehendendum et detrahendum movendi quotquot voluerint. Iterum eos accusabas dixisse, quia qui est, eum qui non erat genuit. Miror autem si possit quis aliter dicere : si enim unus est qui est, profecto ex ipso factum est omne quod est cum ipso [*Gr.*, post ipsum] : si vero non solus ipse est qui est, sed et Filius erat qui est, quomodo eum qui erat is qui est gignebat? Taliter enim utique duo essent qui existerent [*Gr.*, quæ sunt]. Et hoc quidem Eusebius ad memorandum Alexandrum : sed et aliæ epistolæ ipsius ad eumdem virum sacratum feruntur, in quibus inveniuntur variæ blasphemiæ,

A illos qui circa Arium sunt defendentes. Similiter et ad Euphrasionem episcopum mittens, expressius blasphemat, cujus epistolæ initium est ita : Domino meo per omnia grates confiteor ; et in cæteris. Non enim simul cum Patre Filium fuisse fatemur : verumtamen ipse Filius Dei, qui magis omnia liquido novit, alium se a Patre et minorem atque inferiorem sciens, admodum die hoc etiam nos docet, dicens : *Pater qui misit me, major me est* (*Joan.* XIV). Et post alia : Nam et ipse quidem Filius Deus est, sed non verus Deus. Ex his ergo scriptis ejus ostenditur Arii et comparium ejus dogmata prædicare. Cum hac autem apostatica sua hæresi Arianæ insaniæ inventores et unam naturam dogmatizant in unitione, quæ est per subsistentiam, et prædicant carnem sine
B anima suscepisse Dominum nostrum in salutari dispensatione sua, dicentes divinitatem adimplesse animæ voluntates et motus, ut passionem, sicut ait Gregorius theologus (*Epist.* I *ad Cled.*), divinitati ascribant ; et qui passionem divinitati applicant, constat eos Theopaschitas esse ; et qui hujus hæreseos participes sunt, imagines non admittunt, quemadmodum nec impius Severus, et Petrus Cnapheus, et Philoxenus Hierapolitanus, et omnis quæ circa eos est polycephalos [multorum capitulum : multiceps] et sine capite hydra. Hujus ergo factionis etiam Eusebius existens, sicuti demonstratum est tam ex epistolis, quam ex historicis ejus conscriptis, imaginem Christi tanquam Theopassianus [Deopassianus] abjicit : et hac pro causa Constantiæ
C uxori Licinii scribit, non aliquando apud se inveniendam imaginem [b]. Quoniam et in eadem epistola dicit, quia mutata est incarnata ejus forma in divinitatis ejus naturam. Sed nullus sanctorum Patrum nostrorum sic sapuit aut docuit : neque enim sic veritas se habet. Audiamus igitur quid Athanasius depositor Arianæ insaniæ in epistola dogmatica sua dicat, quam ad Eupsychium presbyterum Cæsariæ scripsit : pari modo et Cyrillus in prima epistola ad Successum episcopum Diocæsariæ, et in sermone contra commistores edito. Ambo enim sicut terrenam, ita et cœlestem conversationem habentes, atque ab uno spiritu inspirati, consona invicem fantur. Athanasius quidem in prædicta ad Eupsychium
D epistola, cujus initium est : In quibus quidem assuetus es nos [*Gr.*, existimasti nos], reverendissime. Et post alia sic ait : Communis ovium est fructus, sed et australi æstate, lana in communem usum universis apponitur. Sed cum de mari tinctura assumitur, purpura dicitur, et talem appellationem meretur : sed cum in usu præcipue regibus solis aptatur, et est lana, et non est : natura quidem illud quod prius erat, est ; usu vero non jam : fugit enim quod commune erat propter dignitatem utentis. Sic ergo et caro de communi suscepta natura, quoniam facta est amictus regis, quod ante facta non fuerat [*Gr. add.* eamdem merita est gloriam, atque is qui ea est

[a] In ms. Jolyano ad marginem scriptum : *Fuge : totum blasphemia.* Et paulo infra : *O impietatem!*

[b] Vide epist. 144. Photii de Eusebio et imag.

usus]. Ita et dominus gloriæ dicitur [a] fortassis etiam secundum quod homo est, natura humana passionem admittente, et injuria in ipsum transeunte, qui velati veste usus est carne. Sicut enim is qui ostrum scidit, quasi ipsi regi insidiatus fuerit, animadversionem sustinet; quoniam rex purpuræ passionem in se transtulit, quanquam ipse nihil mali pertulerit: ita et carnis passio, manente impassibilitate Dei Verbi, per contumeliam in ipsum venisse dicitur. Ideo Paulus Dominum Christum secundum quod homo est, Filium Dei esse tradit. Et ante hunc Gabriel archangelus admirabilem partum evangelizans Mariæ, *Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum. Ecce tu in utero habebis, et paries filium, et vocabunt eum Jesum. Hic erit magnus, et Filius Excelsi vocabitur* (*Luc.* I). Itaque vocatur Filius Dei Jesus, non in divinam naturam carne conversa, sed per unitionem ad Deum Verbum effectam, æquivocam [*id est*, ejusdem nominis] dignitatem sumente. Cyrillus autem similiter in prædicta ad Successum epistola, cujus initium est : Lecto commonitorio quod a sanctitate tua transmissum est. Et post alia sic ait : Post resurrectionem vero corpus quod passum est, non jam infirmitates habuit in se. Non enim ultra famis vel fatigii, aut alius hujuscemodi capax esse dicimus illud, sed jam incorruptum : et non hoc tantum, sed et vivificans : vitæ quippe corpus est, id est unigeniti. Clarificatum est autem claritate Deo decibili, et intelligitur Dei corpus : cujus rei gratia et si quisquam dixerit illud divinum, sicut illud quod hominis est, humanum, non exorbitabit a decente ratione. Unde reor et sapientissimum Paulum dicere : *Et si novimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus* (*II Cor.* V). Cum enim Dei, sicut dixi, proprium sit corpus, transcendit omnia quæ humana sunt. Porro commutationem in divinitatis naturam non potest pati corpus quod de terra est; impossibile enim est. Nam prædicamus divinitatem ut factam, et eam quæ assumpserit quid in se, quod non est per naturam ipsius proprium. Æqualis enim pravitatis est dicere, quia mutatum est corpus in divinitatis naturam; necnon et illud, quia mutatum est Verbum in carnis naturam. Sicut enim hoc impossibile est (inconvertibilis namque et incommutabilis est) ita et alterum. Non enim valet in divinitatis substantiam, id est naturam transferri quid creaturarum : creatura quippe etiam caro est. Ergo divinum quidem est corpus Christi, quoniam Dei corpus est; et ineffabili claritate præfulgidum, incorruptibile, sanctum, vivificum. Quod vero in naturam divinitatis conversum sit, nullus sanctorum Patrum aut sapuit aut dixit. Itaque et nos ita disponimus. Similiter autem et in sermone quem contra commistores edidit, cujus initium est : Beatus [longus] modo nobis sermo dogmatum veritatis in studio est [*Gr.*, elaboratus est]. Et post alia sic dixit : Ergo si suscepta *Gr.*, mutata] ejus carne in divinitatis naturam desiit esse filius hominis, liquebit utique omnibus, quod filiorum adoptionis gloriam etiam nos deposuerimus, quasi non habentes ultra primogenitum in multis fratribus, quando factus est similis nobis. Et post pauca dicit : Putasne a donata nobis gloria insperate dilapsi sumus? nequaquam. Non enim quorumdam profanationibus et insipientibus adinventionibus in reprobum sensum inducti, sapiemus præter quod oportet sapere. Regulam autem rectæ et directæ fidei sacram et divinitus inspiratam suscipientes Scripturam, fatemur, quia factus primogenitus noster unigenitum Dei Verbum non cessavit esse ac dici Deus pariter et verus filius hominis. Sed nec in naturam divinitatis carnem quam inconvertibiliter et inconfuse sibi univit, cernitur transformasse : imo vero gloria sua illustrans eam, et Deo decibilibus hanc dignitatibus replesse convenienter agnoscitur : ita per tempora manifestabitur his qui in universa terra sunt, e cœlo adveniens. Ergo et quando cum carne, dispensationis consummato valde bene mysterio, regressus est in cœlum, confestim consternati qui hoc contemplati sunt : nubes enim suscepit eum, secundum quod scriptum est : tum his qui mirabantur, acclamavit quidam sanctorum angelorum : *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I). Ita ne vos ad quos nobis sermo est [*Gr.*, hi ad quos sermo factus est], sine carne viderunt Verbum rediens ad Patrem; id est similitudine nostra exutum, et non existens in tractabili et visibili corpore : an potius compositum ad intractabilem et invisibilem naturam? Denique quis est qui hoc dicere audeat? At vero si sic veniet, quemadmodum et ascendit, quomodo non vere dicatur, quia veniet etiam iterum incorporatum, et non nudum et sine carne Verbum? Et post pauca dicit : Intellige itaque quia descensionem in novissimis sæculi temporibus e cœlo futuram, et quæ vel qualis erit, illis prænuntians, transfiguratus quidem est : et transfigurationis quoque habitus est factus, ut egregius ait evangelista (*Matth.* XVII), non secundum speciei depositionem, id est humani habitus abjectionem, sed potius secundum solam gloriam : resplenduit namque facies ejus, ait. Itaque in similitudinem solis fulgoris dedit splendorem. Et post brevia : Scripsit autem de Christo et sapientissimus Paulus, quia reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (*Phil.* III). Deinde quid ad hoc asseruerint qui mutatam dicunt in Verbi naturam carnem ejus? Ergo et sanctorum corpora transferentur conversione in naturam divinitatis, ut configurata fiant corpori claritatis ejus? et certe quomodo non sit frigida hæc assertio, extrema indisciplinatione referta? Conversa quippe omnino, juxta id quod aiunt, carne in naturam divinitatis, quo utetur corpore Deus existens Verbum? Incorporea enim et vera quædam substan-

[a] Eadem habentur in cod. Jol. : *Eamdem gloriam meruit quam is qui illa usus fuisse dignoscitur : licet per naturam amictus regis ante facta non fuerit : ita ut d. g. dicatur.*

tia est divinitus : et verum est, quoniam Deum nemo vidit unquam (*Joan.* I). Expressius autem denuo prosecutus, ac si ad ipsum Eusebium, taliter ait idem egregius Pater in eodem sermone : Infertur autem quidam et alius ab eis, ut aiunt, de his sermo. Siquidem egregius Paulus invenitur scripsisse : *Et si noveramus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus* (*II Cor.* V). Ergo si non secundum carnem noscitur, inquiunt, necessario dicitur mutasse carnem in sui Verbi naturam, ut sicut Deus dignosceretur. Dicet forte, ut reor, ad istud quis. Nam cum statim dicat etiam de nobis : *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt : vos autem non estis in carne, sed in spiritu* (*Rom.* VIII) : nos nudos novit carne et sanguine ? Putasne spiritibus incorporeis hujuscemodi alloquitur, dum nec erubescit hoc [*Gr.*, nonne ineptum est hoc, etc.] intelligere vel asserere ? Ergo in nobis carnem dicit procaces et non sine querela passiones. Denique cum omnium nostrum Salvator Christus castissimus sit et delinquere nesciat (neque enim peccatum fecit) alie nimirum modo illud quod dicitur secundum carnem intelligi decet. Non enim est vel erit in infirmitatibus ultra carnalibus. Evidenter ergo novimus ex divinitus sonantibus Patribus, quia non ex fontibus Israel hauserunt contentionis hujus auctores, ut fieret illis in vitam æternam ; sed ex fontibus malignis et sterilibus sibi potum attulerunt : et alienum sectantes, in præcipitia et hiatus inducti sunt. Cum oporteret eos, si Ecclesiæ essent alumni, Basilium Magnum afferre dicentem (*De Spiritu sancto ad Amphil.* 18) : Imaginis honor ad principale transit ; et Gregorium Nyssenum perhibentem : Vidi imaginem passionis, et non sine tristitia visionem transivi, liquidius arte ante faciem historiam afferente ; atque Joannem, qui etiam cera perfusam picturam se diligere dicit, pietate repletam ; necnon et horum consermocinatores et æque magistros. Deinde perversa problemata necdum dirigunt, adjectionibus malum autem abundare facientes, adhuc asseverant :

Gregorius episcopus legit :

« Hæc ergo scripturalia et paterna testimonia in « præsenti definitione nostra ex multis pauca colligentes posuimus, ne in longum extenderetur : « cum sint etiam et alia plurima, quæ sponte desero- « rimus propter infinitam multitudinem. Ex his « ergo divinitus inspiratis et beatis Scripturis ac « Patribus firmiter ædificati, et supra petram divinæ « servitutis quæ in spiritu est, pedes nostros locan- « tes : in nomine sanctæ supersubstantialis et vitæ « principalis Trinitatis, unius voti effecti omnes nos « qui sacerdotii dignitate circumdamur, una voce « definimus, abjectam fore et alienam atque abo- « minabilem ex Christianorum Ecclesia omnem ima- « ginem ex diversa materia et coloribus per malam « pictorum artem effectam. »

Epiphanius diaconus legit ·

Ecclesiasticæ traditioni cervicem suam inclinare nullatenus parsi, sed obcæcati ad electionem congruentiæ, perceptionemque veritatis, et piam traditionem probabilem facientes, non torrente voluptatis potari passi sunt, ut fieret in eis fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV), hujus novitatis garruli assertores : sed ex lacubus contritis irrigati, fetidam stirpem germinaverunt, habentem fructum fel amaritudinis ; et mendacium super mendacium adjicientes, protulerunt : Plurimis etiam aliis existentibus scripturalibus testimoniis, quæ sponte dimisimus. Igitur sicut jam ostensum est, quotquot probabilium Patrum testimonia ab eis prolata sunt, suam justitiam statuere quærentes, hæc perverse intellexerunt. Quotquot autem adversariorum sunt, non sunt divini Spiritus. Unde et affatur eos melos in spiritu canens beatus David : *Vana locutus est unusquisque ad proximum suum : labia dolosa in corde, et corde locuti sunt mala* (*Psal.* XI). Et iterum fiducialite. agens loquitur Isaias, dicens : *Consilium malorum iniqua consiliatur : non enim noverunt sapere, quia obscurati sunt videre oculis suis* (*Isa.* XLIV). Etenim sanas definitiones et leges derelinquentes, verbis simulant pietatem, et tentant quædam pia pronuntiare, ut per sensum bonum qui in his inest, nec super reliquis incredibiles [fide minus digni] habeantur, dum aiunt : In nomine sanctæ ac supersubstantialis et vitæ principalis Trinitatis. Sed erga sensum male operari volentes, ex proprio sensu pronuntiant et definiunt, nudam ponentes impietatem, neque judicium Dei in mente accipientes, neque Dominicam sententiam clamantem intelligentes : *Quicunque scandalizaverit unum ex minimis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in mare* (*Matth.* XVIII, *Marc.* IX). Sicque demum quemadmodum porci quidam margaritas, id est ecclesiasticas traditiones conculcantes, abjectam et abominabilem ex Christianorum Ecclesia omnem imaginem ex diversa materia tumultuati dixerunt, facientes consilium, et non per Dominum ; et sponsiones, et non per spiritum ejus : et sicut lupi graves in gregem Christi supervenerunt ; sed veritatis claritas et lucis jubar immobilem confidentiam habet. Quis enim nesciat, quod imagine inhonorata, in eum profecto cujus imago est, referatur inhonorantia ? Hoc veritas ita novit, et natura edocet rerum, atque cum hac concinunt et divini Patres ; et quidem S. Basilius dicens : Imaginis honor ad primitivum transiit ; Athanasius vero : Qui ergo adorat imaginem, in ipsa adorat regem ; et similiter Chrysostomus : Nescis quia imagini regis injuriam feceris, ad principale dignitatis affers injuriam ? Et ipsi quidem Patres naturam rerum secuti sunt ; isti vero insurgunt et adversus Ecclesiam et adversus veritatem : quia non solum blasphemia sunt pleni, sed et amentiæ ac indisciplinationis superfluitatem sermo ipsorum habet. Oportebat ergo eos communem et nihil dissonantem vocem pronuntiare, et priscam traditionem firmare, sibique diligenter acquirere, quam fidelium universa multitudo ex tradi-

tione Apostolorum et Patrum tenuit et confessa est; et non novitatem et interceptionem facere consuetudinis, quæ pie in nobis retenta est. Quæ enim tradita sunt in catholica Ecclesia neque augmentum, neque detrimentum admittunt. Maxima enim apponentem et adimentem vincit pœna : *Maledictus* enim, ait, *qui transfert terminos patrum suorum* (*Deut.* XXVII). Sed non habuerunt propositum ad cognoscendam veritatem. Ergo audient verba illa Sapientiæ : *Qui operatur thesauros lingua mendaci, vana persequitur, et veniet in laqueum mortis* (*Prov.* XXI).

TOMUS SEXTUS.

Epiphanius diaconus legit :

Utinam in mentem assumpsissent vocem, quam Dominus dixit Principi apostolorum Petro : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Sed effecti harmoniæ hujus alieni aç ædificationis, risu digna delirant definientes hujusmodi :

Gregorius episcopus legit :

« Non audere hominem quemquam ultra sindere « tam scelestum et impium studium. Qui vero ausus « fuerit amodo construere imaginem, vel adorare, « aut statuere in ecclesia vel in privata domo, seu « occultare : siquidem episcopus, aut presbyter, aut « diaconus fuerit, deponatur : si vero monachus aut « laicus, anathematizetur, et imperialium legum « obnoxius sit, tanquam contrarius præceptorum « Dei, et inimicus dogmatum paternorum. »

Epiphanius diaconus legit :

Ecclesiam universam accusantes, et in hoc minime contenti, neque saturitatem impietatis accipientes, adhuc sine lege et sine jure definiunt non faciendam imaginem. Sed quis, rogo, eorum qui pie vivunt et sentiunt, istis obediat? Adeo namque confirmata est venerabilium in ecclesiis imaginum exhibitio, ut ex quo denuntiatum est Evangelium usque nunc, in illis manifestatæ consistant : et omne quod antiquitate excellit, reverendum est. Quid enim aliud jubet divinus Apostolus Corinthiis [Thessalonicensibus] scribens : *Tenete traditiones quas accepistis* (*II Thess.* II)? et rursus Timotheo Titoque profanas vocum novitates præcipiens devitare (*I Tim.* VI, *II Tim.* II, *Tit.* III)? Omnes ergo Christiani tanquam in sancta catholica Ecclesia geniti, traditiones quas accepimus, tenemus, et in illis stabilimur, et novitates vocum devitamus, sequentes divinum Apostolum. Et quotquot per singula tempora nobilibus Patribus nostris visa sunt supra fundamentum apostolorum et prophetarum superædificanda, recipimus : ea vero quæ aliter se habent, ut inimica et impugnantia exsecramur, omnia videlicet quæ a pessimis et impiis hæresibus vane deprompta sunt : cum quibus et noviter fabrefactam Christianos accusantium garrulitatem, utpote Deo odibilem exsecramur abominantes. Porro extensam habentes impietatem, non solum linguam acutam habuerunt ad quamdam fraudem [ad peccandum loquendo], sed et manum imperantium calumniari et percutere docuerunt, dicentes : Imperialium legum obnoxius habeatur qui non illis paruerit. Ex hac igitur voce multa et diversa per orbem fundebantur : crudelitas indeficienter, hoc studium erat imperantibus et principibus ejus atque alienis episcopis [*Gr.*, princip. et ipsis adversariis episcopis]. Et quæ lingua potest hæc tragicis fletibus enarrare? Unde autem, vel qualiter incipiam singularum rerum hinc gestarum referre turbationes, timores, persecutiones, custodias monachorum per civitates, atque flagella, vincula eorum per multos annos, catenas circumdatorum pedum, sacrorum vasorum demolitionem, codicum ustionem, sanctorum templorum profanationes, venerabilium monasteriorum pollutas translationes in sæcularia receptacula : ita ut inhabitantes in eis reverendi viri post rapinam bonorum suorum ad barbaricas regiones pergerent, et more apostolico meliorem ducerent vitam, eligentes potius inter gentes degere quam cum contribulibus conversationem obscœnam ducere ; divino obedientes Apostolo præcipienti, cum hujuscemodi nec cibum sumere (*I Cor.* V). Et quod est horum omnium atrocissimum, quia etiam usque in præsens hæc impietas profanationis venerabilium monasteriorum apud quosdam prævaricatorie permanet : et pro sacris hymnis et voce exsultationis, quæ in tabernaculis justorum fiunt, cantica meretricia et satanicæ modulationes : et pro creberrimis genuflexionibus, saltatoriæ disputationes [inflexiones]. Cum his autem pericula, tumultum, commotionem, verbera, pœnas, orbationes oculorum, excisiones narium, mutilationes linguarum, ignominiosas fugas, id est exsilia reverendorum virorum, quia per universum orbem dispersi sunt ; sanctarum facierum adustionem, barbarorum incendia, virginum post fœdus Christo promissum, iniquum et violentum conjugium : et quod his omnibus est truculentius, homicidia. Hi sunt fructus contra veritatem pervicaciter contendentium : hæc est vesania manifesta, et non judicium verum : quæ vidit Deus ; et his omnibus continuis malis liberavit Ecclesiam suam. Et gloria ipsi. Amen. De nequam autem consilio suo contempti, a veritate arguuntur, dum taliter aiunt :

Gregorius episcopus legit :

« Definimus autem et hoc, non audere hominem « quemlibet, qui Ecclesiæ Dei aut venerabili domui « præest, sub obtentu diminutionis talis imaginum « erroris mittere manus suas in sancta vasa quæ « sunt Deo deputata, causa transferendi ea in si« mulacra [*Gr.*, in alios usus, quod simulacris depi« cta sint]. »

Epiphanius diaconus legit :

Hæc ora non timentium Dominum eructarunt. Quis enim eorum qui habent divino timore confixam

mentem, ea quæ Deo sunt deputata, præsumeret idolorum vocabulo nuncupare, licet nimium sit indoctus ac indisciplinatus? nisi forte oblitus fuerit magni et salutaris mysterii, quod Deus Verbum carne adveniens in nobis operatus est, eruens nos ab idolorum errore. Nam simulacra vocare Dei cultoribus moris est gentilium idola. Vere hæc eorum sunt, qui ex terra garrulitates provocant, et de ventre eorum pronuntiationes eliciunt, qui saturitatibus stercoralibus concepti, putridas evaporationes mentis emittens, vesanos et phrenesi captos effecit. Unde et inferunt :

Gregorius episcopus legit :

« Sed nec in vestes, aut alia vela, vel aliud quid « consecratum in sacrum ministerium, ne inutilitas « in illa efficiatur. »

Epiphanius diaconus legit :

Detrahentes et deliberantes, quod male recipiat imaginales picturas Ecclesia sanctorum, turpia et idola et simulacra has appellantes ; nunc velut obliti suæ scelestæ sententiæ, hæc manenda in Ecclesia tamquam Deo consecrata judicant. Et si Deo consecrantur, quomodo turpia sunt, et diabolicæ adinventiones? Sed certum est quod Caiphæ sit sententia (*Joan.* XI). Ille enim malitia quidem Christum occidit, ignorantia vero vera dicens, hunc Salvatorem humani generis confitebatur. Ita et ipsi similes ei facti, malitia quidem errorem, et simulacra, et turpia, et diabolici argumenti adinventionem, imaginum effigiem dicunt : nolentes autem et a veritate convicti, sacra hæc et Deo dicata confiteri coguntur, et in laqueos propriarum contentionum incidunt. Unde eos qui sequuntur illos deridentes, alloquuntur :

Gregorius episcopus legit :

« Si vero quis a Deo accepta virtute, voluerit « transferre eadem vasa vel pallas, non audere eum « absque consilio et notitia sanctissimi et beatissimi « universalis patriarchæ, ac præceptione piissimorum et amicorum Christi imperatorum nostrorum « hoc agere, ne hac occasione diabolus Ecclesias Dei « humiliet : sed nec quemquam principum, vel eorum qui ipsis subsunt, id est laicalis ordinis, hujusmodi occasione immittere manum in divina templa, et hæc captivare ; quemadmodum a quibusdam qui inordinate ambulabant, ante jam talia « facta sunt. »

Epiphanius diaconus legit :

Quis non derideat, imo lamentetur super hac legislatione? Propter hæc enim vaniloqua verba multi temere præsumpserunt graves [*Gr.*, Briarei] manus immittere in sacrata vasa, ab ipsis videlicet sumentes excusationes : facile namque malitia labitur. Illos enim providentes [*Gr.*, parum curantes] beatissimos, ut ipsi dicunt, sed ut veritas se habet, alienos episcopos defraudaturos aurum et argentum sacrorum monumentorum, atque factas in musivis picturas, sic [*Gr.*, ipsi quoque sic] operati sunt, in communes domos et balnea atque theatra hæc transmutantes ; et quondam sancta horum judicio polluta sunt, et gloriantes aiunt :

Gregorius episcopus legit :

« His autem bene habitis, atque gratia divina « firmatis, justum judicavimus, hoc catholico ac « Deo placente scripto nostro definitiones capitulares « exponere : quoniam et nos putamus apostolice « dicere (*I Cor.* VII) : sed et credimus nos Spiritum « Christi habere ; et sicut antecessores nostri qui « in ipsum crediderunt, quædam synodice definientes locuti sunt, et nos credimus in ipsum, per « quem loquimur [propter quod etiam loq.] : post « quasdam quæ præceptæ sunt, patrias [*Gr.*, præ« mittentur pat.] definitiones, consequenter et con« corditer quæ nobis videntur, definientes. »

Epiphanius diaconus legit :

Multis et variis superius deliratis, pravitatem suam expresse pronuntiantes, et in multa hanc dispertientes, semetipsos magistris Ecclesiæ coæquare nituntur, et cum sacris eorum affatibus scelestas definitiones suas arroganter annumerant, mendacium veritati commiscere volentes, et quodammodo melle haustus pestiferos temperantes. Sed qui Spiritu Dei aguntur, quod melius est a pejore discernunt, et quæcunque pie tanquam a sanctis Patribus ante sunt definita, recipiunt : quæcunque vero perverse ab his dicta sunt, offensi retundunt. Ipsi enim falsiloqui confitentur quidem se nosse Deum, sed a semita quæ ducit ad regiam viam exorbitant, sinceræ fidei nostræ verba malitiæ veneno inficientes, et suæ inscientiæ affines habentes hæresiarchas. Nam et ipsi plura Ecclesiæ catholicæ consona sapuerunt : verum in uno vel duobus prævaricantes, anathematis pœnam sortiti sunt. Cum quibus portionem consecuti sunt hi qui talia fantur.

Gregorius episcopus legit :

« Si quis non confitetur secundum apostolicas et « paternas traditiones, in Patre et Filio et Spiritu « sancto unam deitatem, naturam atque substantiam, « voluntatem et operationem, virtutem et dominationem, regnum et potestatem in tribus subsistentiis, id est personis glorificatis, anathema. Si quis « non confitetur unum de sancta Trinitate, id est « Filium Verbum Dei et Patris, Dominum videlicet « nostrum Jesum Christum, ante sæcula quidem genitum secundum divinitatem, in novissimis autem « diebus eumdem propter salutem nostram descendisse de cœlis, et incarnatum ex Spiritu sancto et « Maria semper Virgine, et ex ea natum super omnem sensus humani capacitatem, anathema! Si « quis non confitetur Deum esse secundum veritatem « Emmanuel, et idcirco Dei genitricem sanctam « Virginem esse (genuit enim carnaliter carnem factum Dei Verbum) anathema! Si quis non confi« tetur carnem secundum subsistentiam unitam esse

« Verbo quod est ex Deo Patre, atque unum esse « Christum cum carne sua, eumdem scilicet ipsum « Deum simul et hominem, anathema! Si quis non « confitetur Domini carnem vivificam esse, et pro- « priam ejusdem Verbi quod est ex Patre, sed ut « alterius cujusdam præter se sibi quidem sociati per « dignitatem, id est ut solam divinam habitationem « habentis, et non potius etiam vivificantem, ut « diximus, quia facta est propria Verbi omnia vivi- « ficare valentis, anathema! Si quis non confitetur « in uno Christo vero Deo nostro duas naturas, et « duas naturales voluntates, et duas naturales ope- « rationes communicabiliter, inseparabiliter, incon- « vertibiliter, indivise et inconfuse secundum san- « ctorum Patrum magisterium, anathema! Si quis « non confitetur Dominum nostrum Jesum Christum « cum assumptione, id est animata carne sua anima « rationabili atque intellectuali, Deo et Patri consi- « dere, sicque demum venturum cum paterna cla- « ritate sua judicare vivos et mortuos, non quidem « jam carnem, sed nec incorporeum, quibus ipse « novit rationibus Deo specificato corpore [*Gr.*, Dei- « formi corpore], quo et appareat his qui eum pu- « pugerunt, et maneat Deus absque crassitudine, « anathema! »

Epiphanius diaconus et cubuclesius legit :

Usque ad hæc bene sentiunt, cum sanctorum Patrum editionibus concinentes : imo vero dogmata eorum usurpantes, sibi gloriam conferunt. Porro in cæteris amara virulentiæ linguæ suæ et viperea veneno mortifero plena dogmata evomunt.

Gregorius episcopus legit :

« Si quis divinum Dei Verbi characterem secun- « dum incarnationem per materiales colores consi- « derare studuerit, et non ex toto eum corde adora- « verit oculis intelligibilibus, super claritatem solis « a dextris Dei in excelsis super thronum gloriæ se- « dentem, anathema! »

Epiphanius diaconus legit :

Inopinati quidam allegoristæ super hac phantastica sua sententia demonstrantur. Characterem enim Dei et Patris Filium Apostolo prædicante (*Hebr.* I), propter indissimilitudinem et incommutabilitatem substantiæ, ipsi alterum facientes, characterem in assumpta a Deo Verbo carne prave intelligunt, et ex sensibus insensatis eructant, inanem quamdam sententiam perhibentes : Si quis divinum Verbi Dei characterem secundum incarnationem per materiales colores considerare studuerit. Quia alterius quidem substantiæ est caro quam assumpsit, et Dei Verbi natura, cuncti novimus, tam ex veritate, quam ex principibus Ecclesiæ sanctis, videlicet apostolis, et egregiis Patribus nostris edocti. Etenim arcanorum inspector Paulus divinus apostolus, secundum quod dicitur [*Gr.*, dictum est], homousion volens prædicare ad Deum et Patrem Filii et Dei Verbi, nihil proprium et conveniens adinvenit, quam ut exclamaret characterem substantiæ Patris Filium. Isti autem veritatem in mendacium convertere tentantes, introducunt vituperationes atque quassatas voces has, venerabilium imaginum odio configentes [*Gr.*, affixi]. Unde incidunt in intellectus blasphemiam commendantes, atque in reprobum sensum traditi, adhuc inquiunt :

Gregorius episcopus legit :

« Si quis incircumscriptam Dei Verbi essentiam « atque subsistentiam, pro eo quod incarnatum sit, « studuerit per materiales colores in imaginibus « humana forma circumscribere, et non potius « Deum prædicat, illud nihilominus etiam post in- « carnationem incircumscriptum esse, anathema! »

Epiphanius diaconus legit :

Tanquam circa opportunas ecclesiasticas traditiones insanabiliter infirmati, et pestilenti languore sensum corruptum habentes, hæc asserunt, et contagium deceptionis recto sermoni applicant; et decipiuntur mente, incircumscriptam naturam divini Verbi, et circumscriptam et ab ipso assumptam carnem confundentes; hoc enim expresse indicat quod ab ipsis est dictum : Nihilominus etiam post incarnationem incircumscriptum esse. Ubi aliquando hanc levem assertionem adinvenerunt sapientes circa inania? Nam plenus blasphemiæ sensus est, incircumscriptum post incarnationem asserere super omnia Dominum Jesum Christum verum Deum nostrum, et maxime ipso discipulis perhibente : *Lazarus amicus noster dormit; et gaudeo propter vos, quia non eram ibi* (*Joan.* XI). Ergo, non eram ibi, circumscriptionis est proprium? etiam, et oppido etiam. Sed ut ea quæ ante passionem de hoc evangelice dicta sunt, omittamus, quæ post resurrectionem acta sunt dicam. Mulieribus apparens incircumscriptus nullatenus erat : semetipsum manifestare duobus discipulis, circumscriptionis est proprium. Januis clausis intrare, et a Thoma palpari quid aliud quam circumscriptio est? Et discipulis in Galilæam euntibus, illic ab eis videri et adorari, hoc ipsum est (*Luc.* XXIV, *Joan.* XX). Videntibusque discipulis ascendere in cœlum, et angelo super istos astante atque dicente : *Viri, quid statis intuentes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I). Putas non sunt hæc circumscriptionis? etiam valde. Sic enim et omnes deiferi Patres nostri docent; et manifestum est his qui bene sapiunt, quod secundum id quidem quod Deus et Verbum Dei et Patris, est invisibilis, incircumscriptus, incomprehensibilis, et in omni loco sit dominationis suæ : secundum id autem quod humanam naturam suscepit, et visibilis et circumscriptus, juxta quod ipse discipulis ait, non illic se fuisse : et comprehensibilis est, ut Thomas nos certos reddidit (*Joan.* XI, XX). In multas ergo malitias per unam blasphemiam suam concinunt deceptoriæ Christianos accusantium vesa-

næ præceptores ; rursus enim calumniantes pronuntiant :

Gregorius episcopus legit :

Si quis Dei Verbi naturæ et carnis inseparabilem per subsistentiam factam unitionem, id est patrationem quæ ex utroque inconfusa et inseparabilis est facta, in imagine pingere tentat, nominans eum Christum ; Christi autem nomen Deum et hominem significat ; ac per hoc confusionem duarum naturarum portentuose fingens, anathema ! »

Epiphanius diaconus legit :

Novit exsecramentum erroris recto verbo adhærere. Etenim isti inseparabili et inconfusæ unitioni quæ in Christo est per subsistentiam, imaginum facturam adversam, et confusionem duarum naturarum afferentem, mendaciter et nequiter autumant : sed veritas Dei non est alligata. Nam Christus nomen est duarum naturarum, visibilis scilicet et invisibilis, index : ipse vero Christus visus hominibus per velum, id est carnem suam, licet divina natura occultaretur, per signa hanc manifestabat. Idcirco sancta Dei Ecclesia, ut accepit a sanctis Apostolis et Patribus, ipsam speciem quæ visa est hominibus, describit, et non dividit Christum secundum eorum deliram accusationem. Imago enim secundum nomen tantum, et non secundum definitionem communicat primitivo, ut sæpe jam diximus ; quia et anima caret, quam impossibile est circumscribi [describi], quia invisibilis est. Et si animam, præsertim cum sit creata, impossibile est depingere, quanto magis incomprehensibilem et investigabilem unigeniti Filii divinitatem imaginari quis sensibiliter excogitaret, licet nimis extra sensus existat? Conversus est ergo dolor eorum in capita ipsorum. Anathema enim quod ipsi sortiti [*Gr.*, nugati] sunt, in ipsis manet in sæculum ; porro iterum aiunt :

Gregorius episcopus legit :

« Si quis dividit unitam Dei verbi subsistentiæ carnem, in sensu puram eam habens, et ex hoc pingere illam in imagine studens, anathema ! »

Epiphanius diaconus legit :

S. Gregorius cognomento Theologus ita dicit (*Orat. 2 de Filio*) : Quando naturæ distant in sensu, separantur simul et nomina ; sed et multi ex Patribus hoc usi sunt : etenim veritati ita videtur. Ipsi autem et ea privati et paternis definitionibus, dicunt : Si quis dividit unitam Dei Verbi subsistentiæ carnem in sensu. Reperiuntur ergo nec in isto consonantes cum Patrum expositione sanctorum : sed veritatem evidenter impugnant, eadem de ipsis [*Gr.*, iisdem] affati ; et catholicam Ecclesiam similia Nestorio prædicare calumniantur. Porro sibi congrua dicentes, inferunt :

Gregorius episcopus legit :

« Si quis unum Christum dividit in subsistentias duas, separatim ponens Dei Filium, et separatim Virginis Mariæ, et non unum ac eumdem, sed affectualem unitionem eis factam fuisse fatetur ; et hinc eum in imagine, quasi privatæ subsistentiæ sit ex Virgine, pingit, anathema ! »

Epiphanius diaconus legit :

Tanta eademque de semetipsis in circuitu ambulantes pronuntiant [tam multa de eisdem inculcando pron.], ut pene nec numero subjiciantur, quæ ab eis rumore improbo asseruntur. Adinvenientes enim Nestorii impiam opinionem, imaginem formationi hanc applicant, inopina quædam et absurda resarcinantes. Hujusmodi ergo ratiuncularum crebra facta destructione, nunc silentio has tradere necessarium judicamus. Eructant autem rursus hæc.

Gregorius episcopus legit :

« Si quis carnem qua deificata est ex unitione sua quæ ad divinum Verbum effecta est, in imagine pinxerit, veluti separans eam ex assumente atque deificante illam divinitate, et sine Deo hanc [*Gr.*, minime deificatam hanc] per hoc conficiens, anathema ! »

Epiphanius diaconus legit :

Catholica Ecclesia etsi pingit Christum in humana forma, sed non separat hanc ex unita sibi divinitate. Deificatam autem potius credit, et unam cum Deo hanc confitetur, secundum magnum Gregorium (*Orat. 2 in Pascha*) et veritatem : non sicut ipsi indocte ac inerudite barbarizantes dixerunt, sine Deo ex hoc carnem Domini confici. Sicut enim quis hominem depingens, sine anima non facit hominem, sed ille cum anima permanet, et imago ejus dicitur, eo quod similis ei appareat : ita et nos imaginem Domini facientes, deificatam carnem Domini confitemur, et nihil imaginem aliud scimus, quam imaginem indicantem principalis imitationem. Hinc et nomen ejus sortita est, et secundum id tantum ei communicat : et ideo venerabilis est et sancta. Si vero scelesti viri vel dæmonis est imago, polluta et contaminata est, quia et principale ejus profanum et contaminatum existit. Ergo laborantes in vanum, colligunt manibus sterilitatem, et recipiunt a veritate anathema : quo non carebunt dicentes hujusmodi :

Gregorius episcopus legit :

« Si quis Deum Verbum qui in forma Dei est, quique formam servi in sua subsistentia recipit, et per omnia similis nobis factus est absque peccato, tentat per materiales colores formare, quasi purum hominem, et separare illum ab inseparabili et incommutabili divinitate, ut ex hoc quaternitatem inducat [*Gr.*, inducens] in sanctam et vivificam Trinitatem, anathema ! »

Epiphanius diaconus legit :

O amentiam ipsorum et vecordiam ! non enim reverentur colligere anathema. Sed ut vermes in cœno volutati nutriuntur, ita et isti huic voci infixi, saturitatem minime accipere patiuntur, sanctificatæ

Dei Ecclesiæ maledicere conantes, cum sint ipsi maledictione dignissimi. Hi namque qui benedicunt ei, ut ait Scriptura, benedicentur [sunt benedicti] : et qui maledicunt ei, maledicti sunt (*Gen.* XXVII). Porro purum hominem illos conjicere Salvatorem Christum, et separare illum a divinitate, sicque quaternitatem inducere per picturam, quis putas, non derideat, et risum latum super eorum insipientia non diffundat, imo vero blasphemiam lugeat? Non enim secundum quod in imagine figuratur Christus in humana forma, quaternitatem credit is qui hoc facit, sed confitetur Deum Verbum incarnatum esse veritate et non phantasia. Denique Nestorius qui læsis sensibus duas subsistentias sicut duas naturas blaspheme dogmatizavit in Christo, ille quaternitatem induxisse dignoscitur. Sancta vero Dei Ecclesia unam subsistentiam Christi in duabus naturis recte confessa, ad commemorationem salutaris ejus dispensationis imaginaliter formare illum divinitus erudita est. Porro volentes semetipsos probatos ostendere, etiam verum quid asserunt, ita dicentes :

Gregorius episcopus legit :

« Si quis non confitetur sanctam semper Virginem « Mariam proprie ac vere Dei genitricem, sublimiorem esse omni visibili et invisibili creatura, et « cum sincera fide ipsius non expetit intercessiones, « tanquam fiduciam habentis ad Deum nostrum qui « ex illa genitus est, anathema ! »

Epiphanius diaconus legit :

In his stabilita et certificata catholica Ecclesia, ab his qui aliter sapiunt quam ejus in Deo traditio docet, non indiget quid audire. Etenim Dominus dum a dæmonibus prædicaretur, hos abigebat : et Paulus divinus Apostolus et comites peregrinationis ejus ab eis testimonium habentes, quod homines essent Dei excelsi, et viam salutis denuntiarent (*Act.* XVI) eos pellebant : ita et isti licet aliquid verum pronuntient, tamen a sancta Dei Ecclesia propelluntur. Rursus autem veluti canes reversi ad suum vomitum, et sues loti in volutabro luti (*II Petr.* II) grunniunt hujuscemodi :

Gregorius episcopus legit :

« Si quis universorum sanctorum effigies in imaginibus inanimatis et surdis ex materialibus colo- « ribus titulari studuerit, nullum profectum ferentes « (vanum enim est commentum, et diabolicæ argumentationis inventio) et non magis horum virtutes « per ea quæ in Scripturis de illis insinuantur, veluti quasdam animatas imagines in se depingit, et « ad similem illis ex hoc erigitur zelum, quemadmodum divini Patres nostri dixerunt, anathema ! »

Epiphanius diaconus legit :

Divini Patres nostri tale quid neque docuerunt, neque prædicaverunt, sed sibimet hoc nomen imposuerunt falsiloqui : et ipsorum sunt istæ ineptiæ, quoniam in subsequentibus septimam sese synodum nuncupant. Et quidem [*Gr.*, quidam] Sapiens dicit : *Alius te laudet, et non os tuum : extraneus, et non labia tua* (*Prov.* XXVII). Isti autem a quoquam neque eruditi, neque laudati, sibimet laudem excogitant, et vocari volunt ab hominibus Rabbi, Patres esse gestientes catholicæ Ecclesiæ. Hanc autem calumniantur Christum Deum nostrum derelinquere, et idololatriæ adhærere ; cum ipse dicat per Isaiam prophetam ad illam : *Ponam te exsultationem æternam, lætitiam generationum generationibus* (*Isa.* LX, *sec. LXX*). Et per Salomonem : *Tota bona es, proxima mea, et macula non est in te* (*Cant.* IV). Inspiciamus ergo insipientiam ipsorum : quia quam calumniantur idololatriæ, hujus se gloriantur esse magistri. Et si idololatrarum sunt patres, dicant : Partis alicujus quæ idololatriam exercuit in Ecclesia sunt magistri, an totius? et si quidem partis, debuerant et ipsi concinere plenitudini Ecclesiæ, et sub hujus jure subsistere, et fructus veritatis apud se [*Gr.*, ab ea] carpere : quemadmodum omnes egregii Patres nostri, qui incorrecta corrigebant, et coaptabant discissa. Sed quia catholica Ecclesia hac traditione decoratur, ipsi ab ea excisi putant [*Gr.*, videntur] totam damnare tanquam erroneam ; et certe horrendum est dicere, et tacere, damnatio. Procedit enim contra ipsos [*Gr.*, Perit enim secundum ipsos] vera in Christum professio, et pernicies universitatem arripuit : sed procul sint hæc, tanquam in vanum dicta et sine causa pronuntiata. Itaque hinc et inde impellentur, quia venerabilium imaginum pictura ex superioribus annis tradita in catholica Ecclesia, et in venerabilibus templis informata, quam sancti Patres et tradiderunt et receperunt, et omne Christianorum collegium : ipsi non solum ab his omnibus sunt frustrati [abducti], sed quod est sævius et terribilius, clamor anathematis eorum sodomitice et gomorrhice multiplicatus est (*Gen.* XIX). Hinc et peccatum eorum magnum est nimis : et quis poterit sufferre hujus furoris insaniam, harumque satyricarum turbulentiarum scenicas facies? Quod si cognovissent veritatem, quæ manifesta est omnibus qui pie intelligere volunt, scirent utique quia, sicut per ea quæ in Scripturis de sanctis indicantur, memores passionum eorum efficimur, et ad similem zelum erigimur : ita et per imaginalem descriptionem passiones horum videntes, in commemorationem virtutis eorum et Deo plenæ vitæ venimus. Deinde rursus bene sentiunt, dicentes ita :

Gregorius episcopus legit :

« Si quis non confitetur omnes sanctos qui a « sæculo usque nunc sunt, qui ante legem, ac in « lege et in gratia Deo placuerunt, honorabiles esse « coram ipso anima et corpore, vel horum non « postulat orationes, tanquam fiduciam habentium « pro mundo intercedere, secundum ecclesiasticam « traditionem, anathema ! »

Epiphanius diaconus legit :

Cum ecclesiasticam traditionem dixerint, opor-

tebat eos promulgare : Si quis et imaginales picturas non recipit, anathema sit. Antiqua quippe revera est in catholica Ecclesia traditio, et valde juste in commemorationem nobis principalium agnita : sed impudenter hanc mysticam projicientes scientiam, catholicam alloquuntur Ecclesiam : Vias tuas nolumus [*Gr.*, scire nolumus]. Unde post hanc editionem suam, et intercessionum Deo acceptabilem oblationem abjecerunt, delentes hanc ex hoc scripto suo : quod omnes noverunt. Moris enim est hæreticis, ut cum viderint [*Gr.*, contempserint] vel in uno sermone pietatis, et veritatis viam revertantur [verbo pietatem, et a veritatis via aberraverint], in multa et diversa fallentes [labi]. Simplex est enim veritas : at vero mendacium multiplex. Ariani quippe creaturam dicentes Deum Verbum, cum hac impia blasphemia sua sine anima hunc incarnatum fuisse delire mentiti sunt. Et Eutyches infelix unam naturam opinans in dispensatione Domini, blasphemabat, diviniorem quamdam carnem dicens eum suscepisse, et non consubstantialem naturæ nostræ. Similiter ergo et antistites hujus hæreseos hos æmulantes, una novitate minime contenti, et satietatem mali non habentes, et aliam vicinam hujus arripuerunt. Sequentia [Consentanea] vero eloquia, putantes sanctis Patribus coæquari, et hypocrisi simulantes pietatem, proferunt.

Gregorius episcopus legit :

« Si quis non confitetur resurrectionem mortuorum, et judicium, et retributionem condignam unicuique justis Dei ponderibus recompensandum, et non fore terminum supplicii, sed nec cœlestis regni, id est Dei deliciarum (*non enim est regnum cœlorum esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto* [*Rom.* XIV], secundum divinum Apostolum) anathema ! »

Epiphanius diaconus legit :

Hæc primatum veræ fidei nostræ, sanctorum scilicet apostolorum, et egregiorum Patrum est segregatio [definitio]. Hæc catholicæ Ecclesiæ est, et non hæreticorum confessio. Quod vero subsequitur, proprium est eorum, quoniam indisciplinatione ac ineruditione plenum est, dum ita circumbombat [circumboat].

Gregorius episcopus legit :

« Si quis non recipit sanctam hanc et universalem septimam synodum nostram, sed huic quoquo modo derogat, et non cum omni satisfactione amplectitur ea quæ ab ipsa secundum divinitus inspiratæ Scripturæ doctrinam definita sunt, anathema sit a Patre et Filio et Spiritu sancto, ac universalibus septem synodis ! »

Epiphanius diaconus legit :

Veritatis ignorantia, sensuum et mentis est cæcitas. Hæc enim eorum sententia plus inscientiæ et amentiæ quam impietatis habet. Nou enim sapientes sunt, nisi circa indisciplinationem. Septimam enim synodum sese vocantes, quasi de aliis septem synodis quæ factæ fuerunt, anathematismum suum posuere, dicentes : Anathema sit a sanctis et universalibus septem synodis : et non magis deridentur propter indisciplinationem, quam compassionis affectu lugentur propter impietatem. Veritatem enim ferentes [deferentes], et a bona semita et regia via aversi, in foveam et hiatus atque præcipitia incidunt. Quibus et proverbialis sermo pronuntiat : In axis [In axibus] agri sui erraverunt, et collegerunt manibus infecunditatem (*Prov.* IX). Propter quod et acutas sagittas suas, et tensos arcus, quos adversus Ecclesiam jaculati sunt, in corde ipsorum veritatis amatores et justitiæ quæsitores infixerunt ; et assumunt David modulantem in spiritu (*Psal.* VII) : Lacum aperuerunt hujus pravitatis insitutores, et foderunt eum, et inciderunt in foveam quam fecerunt : et conversus est dolor eorum in caput eorum, et in verticem eorum iniquitas eorum descendet. Quoniam dicunt amarum dulce, et dulce amarum : et ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem (*Psal.* V), dicentes ita :

Gregorius episcopus legit :

« His igitur a nobis cum omni districtione et diligentia decretis, definimus aliam fidem nemini licere proferre, id est conscribere vel componere, aut sapere seu docere aliter. At vero qui ausi fuerint componere fidem aliam, vel proferre, aut docere, aut tradere his qui volunt reverti ad agnitionem veritatis a quacunque hæresi ; aut novitatem vocum, id est dictionis adinventionem, ad subversionem præsentium definitionum quæ a nobis promulgatæ sunt, introduxerint : siquidem episcopi fuerint, vel clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu, et clericos a clero ; si vero monachi fuerint aut laici, anathematizari. »

Epiphanius diaconus legit :

Illusi ab indisciplinatione hæc ab egregiis Patribus nostris extorserunt, ac veluti propria composuerunt. Propter quod et inanis et otiosus est sermo ipsorum, et nec responsione dignus.

Gregorius episcopus legit :

« Divi imperatores Constantinus et Leo dixerunt : Dicat sancta et universalis synodus, si per consensum omnium sanctissimorum episcoporum definitio quæ nunc lecta est, promulgata sit.

« Sancta synodus exclamavit : Omnes ita credimus, omnes idipsum sapimus ; omnes consonanter et libenter subscripsimus, omnes orthodoxe credimus, omnes intelligibiliter intelligibilem divinitatem adoramus ! Hæc est fides apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides orthodoxorum ! Sic omnes servientes Deo adorabant ! Multos annos imperatorum ! Luminaria pacis, Domine, custodi : piam, Domine, vitam illis ! Leoni et Constantino æterna memoria ! Vos estis pax orbis terræ : conservet vos fides vestra ! Christum honorificatis, ipse vos conservabit ! Orthodoxiam vos confirma-

« stis ! Piam, Domine, vitam eis ! Absit invidia ab « imperio eorum ! Deus custodiat imperium vestrum ! « Deus imperium vestrum pacificet ! Vestra vita, « orthodoxorum vita ! Cœlestis rex terrenos custodi ! « per vos universalis Ecclesia pacificata est ! Vos « luminaria orthodoxiæ estis ! Luminaria orbis, Do- « mine, conserva ! Æterna memoria Constantino et « Leoni ! Novo Constantino piissimo imperatorum « multos annos ! A genere orthodoxum, Domine, « custodi : piam, Domine, vitam ei : abscedat invi- « dia a regno ejus ! Piissimæ Augustæ multos annos ! « Eam quæ pia, quæ orthodoxa est, Deus conservet ! « Abscedat invidia a regno vestro ! Deus custodiat « imperium vestrum, Deus pacificet regnum ve- « strum ! Inconfusam in Christo dispensationem vos « bene discrevistis ! Inseparabilitatem duarum in « Christo naturarum firmius vos prædicastis ! San- « ctorum et universalium sex conciliorum dogmata « vos roborastis ! Omnem idololatriam vos exterми- « nastis ! Magistros hujusmodi erroris vos publica- « stis ! Contraria sentientes vos propalastis ! »

Epiphanius diaconus legit :

Pronuntiantes imperatoribus consueta, mendacii furoribus quasi facibus animam exardescere facientes, ex ipsa diaboli argumentatione loquuntur, dicentes : Omnem idololatriam vos exterminastis. Utinam surdæ fierent aures nostræ, ne audirent corrumpentem animas vocem. Noli, inquit proverbialis sermo, assiduus esse cum muliere meretrice (*Prov.* v). Salutarem namque dispensationis rationem demoliri volentes, in omnem blasphemiæ excessum devenerunt. Et quid ad hanc lugendam rabiem dicemus, nisi ea quæ a Spiritu sancto per David psalmographum prolata sunt ? *Venenum aspidum sub labiis eorum ; sepulcrum patens est guttur eorum ; linguis suis dolose agebant* (*Psal.* XIII). Hinc et deciderunt a cogitationibus suis, judicati a Christo Deo nostro, qui nos eripuit ab idolorum errore. Ipse enim homo perfectus propter salutem nostram fieri dignatus, omnem idololatriam exterminavit. Dixit enim per prophetam : *Ecce dies veniunt, et delebo nomina simulacrorum a terra, et jam non erit eorum memoria* (*Zach.* XIII). Certum ergo est quod prophetia in ipsum referatur, et non sicuti ipsi dixerunt, ad imperium principum. Apostasiæ quippe proprium est, hanc gratiam seu donum aliis acquirere [tribuere]. Clamant Christiani ex magnivoco Isaia potati : *Non legatus, non angelus, sed ipse Dominus salvavit nos* (*Isa.* LXIII). Si vero, ut ipsi fatentur, episcoporum collegium vel regum imperium eruit nos ab errore idolorum, aberravit a veritate humanum genus ; et non salvantes, sed alterius magna extollentis est hoc credere salvum [*Gr.*, alio salvante hoc, et alio salvatum a se illud jactante]. Ab idolorum enim errore ac deceptione Christo Deo nostro eruente nos, ipsi magna extollunt, fatentes se redemptionem fecisse. O arrogantiam et amentiam ! Frustrati quippe veritate, et mente ac sensibus excæcati sunt ; propriisque conjecturis et phantasiis decepti, adulatione intincti [demersi] sunt : et aptas ac decentes declamare imperatoribus laudes recusantes, ea quæ in Christum Deum nostrum referuntur eis deprompserunt : cum magis oporteret fortitudines horum edicere, contra hostes victorias, barbaricas subjectiones, quas in imaginibus et in parietibus in memoriam narrationis multi pinxerunt, et videntes ad amorem et zelum traxerunt : subjiciendorum acquisitiones [subjectorum conservationem], consilia, tropæa, mundanos status, civiles ordinationes, civitatum directiones. Hæ sunt laude dignæ ac bonæ offerendæ imperatoribus famæ, per quas et omne quod subditum esset eis, provocaretur ad mentem [est eis, provocatur ad benevolentiam]. Porro linguas adhuc acutas habentes, et iram ac accusationem spirantes, in obscura luna se putant sagittare [videntur sag.] rectos corde, dicentes ita [ista] :

Gregorius episcopus legit :

Germani, Georgii et Mansur, malæ opinionis virorum sensum vos dissolvistis.

Germano duplici sensu et ligni cultori, anathema.

Georgio consentaneo ejus, et falsario paternorum magisteriorum, anathema.

Mansur nequam nominis, et similia Saracenis sentienti, anathema.

Imaginum servitori et falsa scribenti Mansur, anathema.

Contumelioso in Christum, et insidiatori imperii Mansur, anathema.

Impietatis doctori et malo interpreti divinæ Scripturæ Mansur, anathema.

Trinitas tres istos deposuit.

Epiphanius diaconus legit :

Dicamus ad hæc illud prophetæ : *Facies meretricis facta est tibi, renuens erubescere ad omnes* (*Jer.* III). Etenim illæ in sua opprobria et turpia studia venustatæ, eos qui pudice vivunt, subsannare consueverunt. Abominatio enim peccatoribus Dei cultus. Ita et isti labia habentes dolosa, locuti sunt contra justos iniquitatem in superbia et contemptu. Sed Dominus abscondit eos in abdito vultus sui, et a conturbatione eorum contexit eos, et a contradictione linguarum ipsorum eruit eos. Ut luminaria enim in mundo luxerunt, verbum vitæ continentes : Germanus videlicet, qui in sacris litteris enutritus, et ut Samuel ab infantia Deo deputatus, atque sanctis Patribus est consimilis comprobatus. Cujus sequi disputationes necessarium esse, conscripta ejus affirmant per [celebrata per] universum orbem. Exaltationes enim Dei in faucibus ejus, et gladii ancipites in manibus ejus (*Psal.* CXLIX), jaculati contra dissidentes ecclesiasticæ traditioni. Et Georgius patria Cyprius, qui evangelice patrimonium venundans [vitam instituens], et Christum Deum nostrum, qui dedit nobis normam dispensationem suam, imitans ; non contendit, non clamavit : cum malediceretur, non maledicebat ; cum pateretur, non comminabatur ; percutienti

se maxillam vertebat et alteram, angarianti se mille passus apponebat et duplum : tulit jugum a juventute sua (*Thren.* III), bonum arbitratus secundum prophetam singulariter sedere, et silere. Atque Joannes, qui ab eis injuriose Mansur appellatus est, quique dimissis omnibus Matthæum evangelistam æmulatus, Christum secutus est, majores divitias arbitratus thesauro quem in Arabia dereliquit [omni Arabum], opprobrium Christi ; et elegit potius affligi cum plebe Dei, quam temporalem voluptatem habere peccati. Ipse itaque crucem suam et Christi portans, et secutus eum, pro Christo ab Oriente per Christum tubicinavit ; non tolerabilem ducens vocum novitatem, quæ diverso fuerat modo facta [*Gr.*, in aliena f. regione facta], seu prævaricatricem factionem, rabidamque insaniam, quæ adversus sanctam Dei catholicam Ecclesiam erat armata. Sed hanc publicans, omnes exhortando et admonendo, cautos reddebat, ne adducerentur cum operantibus iniquitatem ; quærens in Ecclesiis antiquam legislationem teneri et pacificam constitutionem, quam Dominus discipulis suis nominis sui vocabulum sortientibus donavit [suis tanquam insigne donavit], dicens : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV). His ergo reverendis viris et fide dignis taliter in Ecclesia catholica demonstratis, quæ est adversus eos insurgens accusatio, et quam hæc est horrenda, quam etiam ferre quis omnino non poterit ? Vere ignorantiam ignoraverunt miseri, propriam linguam inhoneste denudantes, Germanumque mysticum sacrificatorem et sacerdotem Christi, duplici sensu et ligni servitorem nominantes ; similiter Georgium et Mansur ; cum aliquando nec principibus quisquam talem blasphemiam ei qui unius fidei secum erat, injecerit : ab Hebræis autem et Agarenis, et aliis infidelibus querela tali tam super divino typo crucis, quam super venerabilibus imaginibus et aliis sacris Deoque dicatis rebus, sæpe Christiani accusati sunt. Nam Christianus Christiano hujusmodi accusationem nullatenus intulit : sed inutilis est justus injusto, quemadmodum lippis oculis sol. Ipsi quippe fugientes a veritate, atque ab ecclesiastica lege repulsi, traditi sunt falsiloquiis et maledictis ; et nihil aliud colligunt, quam ut accusent Christianos et Domini sacerdotes ; quasi dereliquerint Deum vivum et verum, atque iconis deserviant : maledici quidam et læsi, multiloqui [*Gr.*, conviciatores, locutores temerarii, et linguaces], et horum sectatores effecti et quis timentium Deum, et deridentium non latum risum suum effundat ? vel potius non tristi lamento induatur et nocte profunda super hac ipsorum impietate ? Et quia cum sint inventores malorum secundum divinum Apostolum, defecerunt scrutantes scrutinia, garrulitatibus eorum bene valere fatentes, sufficienter Dei gratia ad perfectam destructionem vanarum cogitationum falsi nominis eorum scientiæ [disputatione peracta] consummantes, et cum veteribus hæresibus errorem inanis pravitatis ipsorum connumerantes, hunc excidimus gladio spiritus : age nunc, instruamus animos audientium. Omnia ergo præsentia sunt intelligentibus, et erecta his qui inveniunt scientiam, sicuti proverbiatori bene (*Prov.* VIII), necnon et veritati videtur. Sancta enim Dei catholica Ecclesia ex diversis et variis rebus eos qui sibi nati sunt, trahit ad pœnitentiam et ad agnitionem mandatorum Dei custodiæ ; et omnes sensus nostros festinat dirigere ad gloriam ejus qui est super omnia Deus ; atque per auditum et visum correctionem facit, ipsa quæ gesta sunt, vultibus eorum qui accedunt, apponens. Quando namque ex avaritia et amore pecuniarum rapit quemquam, ostendit ei in imagine Matthæum, qui ex telonariis apostolus factus, avaritiæ furia derelicta, Christum secutus est : et Zacchæum in sycomorum ascendentem, desiderantem Christum videre, ac ei repromittentem dimidium substantiæ se præbere pauperibus, et si cui aliquid abstulit, reddere quadruplum (*Matth.* IX, *Marc.* II, *Luc.* V, XIX.) : et sit ad custodiam conversionis et jugem memoriam, imaginalium formationum continua visio, ne repedetur ad proprium vomitum. Rapuit rursum alium desiderio meretricio depressum ; pudici Joseph imaginem apponit, qui fornicationem abominans, et hanc pudicitia vincens (*Gen.* XXXIX), illud quod dicitur ad imaginem custodivit, cujus participes efficiuntur qui hanc dilexerunt. Iterum alibi beatam Susannam proponit pudicitia ornatam, et manibus extensis adjutorium ab excelso invocantem, et Danielem judicem præsidentem, et hanc eruentem de manibus seniorum iniquorum (*Dan.* XIII) : et sit imaginalis titulationis memoria ad custodiam pudicæ vitæ. Rapuit in deliciis substantiam suam consumentem, et mollibus vestimentis vestitum, quæ oportet egenis præbere, in talibus vestibus expendentem, et delicatam vitam amplectentem ; et ostendit ei Eliam melote amictum, et sufficienti esca contentum : et Joannem pilis cameli indutum, et agresti melle nutritum, Christumque digito demonstrantem, et profitentem hunc tollere peccatum mundi (*Matth.* III, *Marc.* I) : cum his etiam magnum Basilium, atque ascetarum et monachorum multitudinem, corpore arefactorum. Ne vero extendamus sermonem, paucorum mentionem facientes, reliqua dimisimus audientibus perscrutanda. Habemus enim omnem Evangelii narrationem depictam, et ad recordationem Dei nos adducentem et gaudio nos replentem. His enim vultibus nostris appositis, cor timentium Dominum lætificatur, floret facies, anima tædio affecta in alacritatem transfertur, et psallit una cum Dei patre David : *Memor fui Dei et delectatus sum* (*Psal.* LXXVI). Memoriam ergo Dei per eos semper habemus. Lectio enim minus nonnunquam recitatur in venerabilibus templis, imaginalis vero formatio vespere, mane et meridie tanquam in eis stabilita, narrat nobis et annuntiat veritatem gestorum. Suscipiamus ergo traditionem Ecclesiæ, honoremus legislationem ; ne scrutemur piam et legitimam consuetudinem, ne curiose agamus adversus antiqua jura. Omne quippe

quod in commemorationem Dei conditur [dicatur], acceptum est illi. Qui vero præter hanc traditionem efficiuntur, cujus participes facti sunt omnes qui germane filiorum adoptionem receperunt in catholica Ecclesia, merito nothi sunt, et non filii. Itaque sentiamus bonum et optimum esse, venerabilium imaginum positionem in Ecclesia fieri, et spiritualiter reduci per has ad principalium suorum memoriam, atque istas propter earumdem honorificentiam et salutare et amplecti, ac debitam adorationem impendere. Sive ergo alicui sit salutationem gratum vocare, sive adorationem (hoc ipsum enim est utrumque; nisi forte quis adorationem quæ secundum latriam exhibetur, intelligat: alia enim est hæc, ut multipliciter est ostensum) tantum dignus is qui accedit, sit adoratione. At si non fuerit) dignus, purificetur primum, et ita demum accedat ad imaginalem venerabilem formam. Nec instantia satanica sit erga adorationem earum, neque formido iniquæ suspicionis habens occasionem: quia si accessero imaginem hanc salutaturus, invenior latriam quæ in spiritu est huic impendere. Absit suspicio hæc. Impugnatores enim Dei atque vaniloqui serpentem imitantes, hæc garrulis linguis effantur. Etenim ipse accedens mulieri susurravit mendaciter: Quid, perhibens, dixit Deus? Ex omni ligno quod est in paradiso, comedes: de ligno autem quod est in medio paradisi, non comedetis (*Gen.* v). Ita et isti effeminata corda seducunt, dicentes: Quia qui adorat imaginem Domini, aut intemeratæ dominæ nostræ ac vere genitricis Dei, vel sanctorum angelorum, aut cujusquam sanctorum, latriam quæ in spiritu est huic offert. Ne decipiamur ergo sermone ipsorum: admonitio enim et prava diaboli est hæc assertio. Nam et theologus Gregorius hanc destruit fabulationem, omnibus nobis jubens, cum dicit (*Orat. de nat. Dom.*): Bethlehem cole, præsepe adora. Cum hoc autem et Maximus memorandus, cujus laus in omnibus est Ecclesiis, dum cum viris quibusdam de ecclesiasticis negotiis disputaret, divinum pretiosæ crucis typum, sanctum Evangelium et venerandam iconam præcipit in medium afferri, et hæc cum illis ad certitudinem eorum quæ dicta sunt, salutavit. Athanasius autem, qui ab immortalitate nomen accepit, expressius nobis annuntiat in epistola ad Marcellinum missa, quam præordinavit in codice interpretationis psalmorum, ita dicens: Libro psalmorum quis accepto, Salvatoris [*Gr.*, de Salvatore] quidem prophetias consuete sicut in aliis Scripturis admirans et adorans egreditur [prosequitur]. Videsne qualiter prophetias egregius Pater adorare nobis jubeat? Et si has pium est adorare, quanto magis proventus propheticarum assertionum in imagine visos necessarium est adorare? habet enim prophetia: *Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium* (*Isa.* VII). Hanc ergo prophetiam in imagine nos videntes, id est Virginem eum amplexantem quem peperit, quomodo sufferemus, quo minus adoremus et salutemus? Quis ineruditus mente differre audeat ad hujusmodi salutationem? Dignos nosmetipsos adoratione faciamus, ne accedentes indigne, Ozan [in Ozæ] (*II Reg.* 6) pœnam incidamus. Ipse quippe tangens arcam, eadem hora periit, indigne approprians illi. Quanquam et ipsa diversis figuris variata, et ex lignis constructa fuerit, quemadmodum et imaginum factura. Porro hi qui dicunt imaginales formationes sufficere in commemorationem tantum haberi, et non etiam ad salutationem, unum recipientes, alterum reprobantes, per hoc pravi [*Gr.*, semipravi] quidam, partimque mendaces et partim veraces demonstrantur: alias quidem vera confitentes, et alias depravantes [*id est*, vituperantes]. Et, o insensibilitatem horum! ergo qui aliquando eramus orthodoxiæ ac veritatis calumniatores, nunc horum efficiamur advocatores; et pro reprobatione ecclesiasticarum traditionum petamus veniam peccatorum. In omnibus his mandata custodiamus per ea quæ præcepta sunt: ambulemus propheticam vocem audientes, quæ dicit: *Si annuntiaverit tibi, homo* [*annuntiatum est, o homo*], *quid bonum, aut quid requirat Dominus abs te, quam ut facias judicium, et diligas misericordiam, et paratus sis ambulare cum Domino Deo tuo* (Mich. VI)? Super hæc furorem sopiamus, linguam refrenemus, mendacio ac turpiloquio, et maledicto retinentes [abstinentes]. Oculum temperemus, ventrem erudiamus, psalmodiæ ac orationi instemus, in omnibus a Deo datis nobis gratias agamus, juramento ne assuetum os nostrum faciamus, sed Dominicam vocem audiamus dicentem: *Ego autem dico vobis, nolite jurare omnino* (*Matth.* V). Gloriam conculcemus, quæ deorsum jacet: maximum omnium bonorum, misericordiam et charitatem arripiamus, et hanc timori Dei conjunctam. Sine timore quippe Dei charitas reproba est. Nam et Josaphat amicus erat cum Achab, sed audivit: *Si peccatori tu amicitia jungeris, et odio habito a Domino tu auxiliaberis* (*II Par.* XIX)? Ergo cum timore Dei omnia faciamus, expetentes etiam intercessionem intemeratæ dominæ nostræ et natura Dei genitricis semper Virginis Mariæ, atque sanctorum angelorum, et simul omnium sanctorum: salutantes quoque colendas eorum reliquias, ut eorum sanctitatis participes simus. Sic enim perfecti erimus ad omne opus bonum in Christo Jesu Domino nostro: quem decet gloria, imperium, latria cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

ACTIO SEPTIMA.

In nomine Domini et dominatoris Jesu Christi veri Dei nostri. Imperii piissimorum et amicorum Christi dominorum nostrorum Constantini et Irenæ a Deo redimitæ matris ejus; anno octavo consulatus eorum, tertio Iduum [Kalendarum] octobriarum indictione undecima.

Conveniente sancta et universali synodo, quæ per divinam gratiam et piam sanctionem eorumdem Deo roboratorum imperatorum collecta est in Nicensium clara et splendida metropoli Bithyniensium provinciæ, id est, Petro reverendissimo archipresbytero sanctissimæ Ecclesiæ quæ Romæ est sancti apostoli Petri, et Petro reverendissimo presbytero, monacho et hegumeno venerabilis monasterii sancti Sabbæ Romæ siti, retinentibus locum apostolicæ cathedræ almi et sanctissimi archiepiscopi senioris Romæ Adriani : et Tarasio almo et sanctissimo archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ, et Joanne ac Thoma reverendissimis presbyteris, monachis et loci servatoribus apostolicorum Orientalis diœceseos. Agapio episcopo Cæsariæ, Joanne episcopo Ephesi, Constantino episcopo Constantiæ Cypri, Leone episcopo Heracliæ Thraciæ, Basilio episcopo Ancyræ Galatiæ, Nicolao episcopo Cyzici, Euthymio episcopo Sardis, Petro episcopo Nicomediæ, Elia episcopo Cretæ insulæ, Hypatio episcopo Nicææ Bithyniensium provinciæ, Theophilo episcopo Thessalonicæ, Stauracio episcopo Chalcedonis, Leone episcopo [*Gr., et ms. Jol.*, presbytero] et loci servatore metropoleos Sidæ, Epiphanio diacono et loci servatore Sardiniæ, Nicephoro episcopo Dyrrachii, Nicolao presbytero et hegumeno ac loci servatore Tyanensium, Daniele episcopo Amasiæ, Gregorio episcopo [*Gr., et ms. Jol.*, presbytero] et loci servatore Mocisi, Constantino episcopo Gangrensium, Niceta episcopo Claudiopoleos, Gregorio episcopo Neocæsariæ, Gregorio episcopo Pessinuntensium, Theodoro episcopo Myrensium Lyciæ, Eustathio episcopo Laodiceæ Phrygensium provinciæ, Michaele episcopo Synadensium, Gregorio [Georgio] episcopo Antiochiæ Pisidiæ, Theophylacto diacono et loci servatore Cariæ, Leone episcopo Iconii, Anastasio episcopo Nicopoleos veteris Epiri, Constantino episcopo Pergæ, Gregorio presbytero et loci servatore Trajanopoleos, Leone episcopo Rhodi, Christophoro episcopo Phasidis, Manuel episcopo Adrianopoleos Thraciæ, Nicolao episcopo Hierapoleos Phrygensium provinciæ, Basilio episcopo Sylæi, Theophylacto episcopo Euchaitensium, Cyrillo monacho et vicario Gothiæ, Theodoro episcopo Seleuciæ, Stephano episcopo Sugdaensium, Antonio monacho et loci servatore Smyrnæ, Constantino episcopo Rhegii, Joanne monacho et vicario Patrarum, Theodoro [Dorotheo] episcopo Catanæ, Joanne episcopo Tauromenii, Gaudioso episcopo Messanæ, Theodoro episcopo Panormi, Stephano episcopo Bithyniensium [Cibonensium], Constantino episcopo Leontinæ, Joanne episcopo Trocalensium [Treocalensium], Theodoro episcopo Taurianæ, Christophoro episcopo sanctæ Cyriacæ, Basilio episcopo Liparitensium insulæ, Theotimo episcopo Crotonensium, Constantino episcopo Carinæ, Theophane episcopo Lilybæi, Theodoro episcopo Tropæorum, Sergio episcopo Nicoterensium, Theodoro episcopo Briaæ [Bizyæ], Mauriano episcopo Pompeiopoleos, Joanne episcopo sanctæ Salonentiæ, Eustathio [Eustratio : Eustochio] episcopo Apameæ provinciæ Bithyniensium, Petro episcopo Germiensium, Joanne episcopo Arcadiopoleos, Constantino presbytero et loci servatore Sebastopoleos, Gregorio presbytero et ex persona Nicopoleos Armeniæ [Secundæ], Sisinnio episcopo Parii, Epiphanio episcopo Mileti, Niceta episcopo Brococussi [Proconnesi], Joanne presbytero et loci servatore Coloniæ, Urso episcopo Hibaritensium Ecclesiæ, Eustathio [Eustratio] episcopo Methymnæ, Leone episcopo Cii, Joanne episcopo Apri, Theophylacto episcopo Cypsellensium, Laurentio episcopo Apsetianensium Ecclesiæ, Leone episcopo Carpathi, Eustathio episcopo Tradensium, Cyriaco episcopo Driziparensium, Leone episcopo Mesembriæ, Gregorio episcopo Cernensium [Dercensium], Theodoro episcopo Heracliæ, Theodosio episcopo Amorii, Joanne episcopo Nyssæ, Georgio episcopo regalium Thermarum, Setherico episcopo Ciscissensium, Damiano episcopo Mitylenæ, Constantino episcopo Mastaurensium, Georgio episcopo Briulensium [a], Gregorio episcopo Palæopoleos, Leone episcopo Algizensium, Theodosio episcopo Nissepeleensium, Sabba episcopo Aniensium, Lycasto episcopo Varetensium, Thoma episcopo Lebedi, Eustathio episcopo Caritensium [Erythrensium], Cosma episcopo Myrinæ, Pardo episcopo Pittanæ, Basilio Adramyttensium, Joanne episcopo Rhædesti, Joanne episcopo Panidis Thraciæ, Joanne episcopo Ovisæ, Georgio episcopo Camulianensium, Theophylacto episcopo Hypepensium, Theophylacto episcopo Trallæ, Ignatio episcopo Prinæ, Constantino presbytero et loci servatore Agaæ. Basilio episcopo Magnesiæ, Basilio episcopo Medensium, Nicephoro presbytero et vicario Gargarensium, Theophane episcopo Caloæ, Nicodemo episcopo Eugazensium, Theognio presbytero et loci servatore Sion, Stratonico episcopo Cumæ, Theophilo episcopo Tumnensium [Thumnensium], Olbiano episcopo Elææ Pergamensium, Leone episcopo Phociæ, Mariano episcopo Atandrensium, Melchisedech episcopo Calliopoleos, Theophylacto episcopo Chariupoleos, Leonide episcopo Madyti, id est Siladensium ; Sisinnio episcopo Zurulli, Thoma episcopo Daonii, Gregorio episcopo Theodoropolensium, Sisinnio episcopo Chalcidis, Benjamin episcopo Limicensium [Licizen], Joanne episcopo Bryseæ, Spyridone episcopo Palææ, id est Cythrensium; Eustathio episcopo Solensium, Theodoro episcopo Citii, Georgio episcopo Trimithuntensium, Joanne [Alexandro] episcopo Amathuntensium, Constantino episcopo Juliopoleos, Theophilo episcopo Anastasiopoleos, Synesio episcopo Cibiæ, Leone episcopo Minzi, Petro episcopo Asponæ, Anthimo episcopo Berinopoleos, Michael episcopo Melitopoleos, Sisinnio episcopo Adrianæ [Adraniæ], Theodosio [Theodoro] episcopo Germæ, Basilio epi-

[a] Græcis non respondet Latina versio.

scopo Adrianopoleos [Adranuthyrensium], Leone episcopo Pœmaninensium, Symeone episcopo Oeæ, Strategio episcopo Dardanensium, Leone episcopo Troadis, Theodoro episcopo Abydi, Niceta episcopo Helæi, Anastasio episcopo Tripoleos, Joanne episcopo Lampsaci, Theodoto episcopo Palæarum, Leone episcopo Traculensium, Stephano episcopo Salensium, Joanne episcopo Ballensium [Gabalensium: Tabalensium], Nesorio [Isoio] presbytero et loci servatore Thyaterensium, Stephano episcopo Silandensium, Nicolao episcopo Pericommatos, Joanne Setensium episcopo, Constantino episcopo Acrasi, Theophane episcopo Mæoniæ, Michael episcopo Stratoniciæ, Gregorio episcopo Gordi, Joanne episcopo Daldæ, Eustathio episcopo Hyrcaniæ, Joanne [Joseph] episcopo Attaliæ, Theophrasto [Theopisto] episcopo Hermocapiliæ, Zacharia episcopo Hierocæsariæ, Michael episcopo Ceraseorum, David episcopo Helenopoleos, Cyrione episcopo Lophi, Basilio presbytero et loci servatore Dascylii, Theophylacto [Theophilo] episcopo Apolloniadis, Constantino episcopo Cæsareæ Bithyniæ, Georgio episcopo Basilinopoleos, Leone episcopo Neocæsariæ, id est Aristæ; Nicephoro episcopo Adrianopoleos, Theodoro episcopo Prusæ, Epiphanio episcopo Lampæ, Theodoro episcopo Heracleopoleos, Anastasio episcopo Gnossi, Melitone episcopo Cydoniæ, Leone episcopo Cissami, Theodoro episcopo Subritensium, Leone episcopo Phœnicensium, Joanne episcopo Arcadiæ, Epiphanio episcopo Eleuthernæ, Photino episcopo Cantanensium, Sisinnio episcopo Chersonesi, Gregorio presbytero et loci servatore Cephallenensium, Philippo episcopo Corcyrensium, Antonio episcopo Trœzenæ, Petro episcopo Monembasiæ, Gabriel episcopo Æginæ, Leone episcopo Porthmi, Philetò episcopo Orei, Leone episcopo Zacynthi, Leone episcopo Linoæ, Niceta episcopo Melæ, Neophyto episcopo Gordoservorum, Joanne episcopo Herenensium [Stenensium], Leone episcopo Aspendensium, Constantino episcopo Zelensium, Gregorio episcopo Sinopæ, Mariano [Marino] diacono et loci servatore Andrapensium, Constantino episcopo Zalechorum, Gregorio episcopo Amastræ, Heraclio episcopo Ionopoleos, Niceta episcopo Cladibrensium [Dadybrens.], Theophane episcopo Sorensium, Joanne episcopo Heracliæ Ponti, Theophilo episcopo Prusiadis, Constantino episcopo Cratiæ, Niceta episcopo Adrianopoleos, Niceta episcopo Rœzæi, Constantino episcopo Polemonii, Theodoro episcopo Comanensium, Joanne episcopo Cerasuntensium, Nicephoro episcopo Clanæi, Leone episcopo Trocnadensium, Joanne diacono et vicario Phaselidensium, Theodoro episcopo Pinnarensium, Stephano episcopo Camni, Anastasio episcopo Patarensium, Gregorio episcopo Nesæ, Constantino episcopo Candibensium, Leone episcopo Corydalensium, Nicodemo episcopo Sidymensium, Leone episcopo Limirensium, Constantino episcopo Densium, Petro diacono et vicario Orycandensium, Stephano episcopo Araxi, Georgio episcopo Hyniadensium, Constantino episcopo Combe[illegible] Stauracio episcopo Zenopoleos, Gregorio episcopo Cibyræ, Basilio episcopo Tabensium, Dorotheo episcopo Neapoleos, Constantino Alabandensium, David episcopo Jassi, Gregorio episcopo Milassensium, Sergio episcopo Bargyliensium, Gregorio episcopo Heracliæ Latmi, Joanne episcopo Mindi, Stauracio episcopo Stadiensium, Gregorio episcopo Stratoniciæ, Niceta diacono et vicario Halicarnassensi, Michael episcopo Chæretopensium, Pantaleone episcopo Valentiæ, Georgio episcopo Peltrusium [Pedensium], Christophoro episcopo Atanasi, Leone episcopo Eumeniæ, Paulo episcopo Acmoniæ, Gregorio episcopo Timenutherensium, Philippo episcopo Tranopoleos, Leone episcopo Alcensium, Nicephoro episcopo Lundensium, Georgio episcopo Appiæ, Joanne episcopo Siblios [Sibeos], Zacharia episcopo Trapezupoleos, Leone episcopo Sebastæ, Andrea episcopo Cidestensium, Dositheo episcopo Psonuntensium, sive Colasson; Constantino episcopo Cottyaii, Niceta episcopo Nacoliæ, Leone episcopo Docimii, Theophylacto presbytero et vicario Psoensium [Ipsensium], Constantino episcopo Encarpensium, Michael episcopo Hierapoleos, Joanne presbytero et vicario throni Actoriensis, Nicolao episcopo Phytiæ, Theophylacto episcopo Cinnabarienſi, Damiano episcopo Meri, Christophoro episcopo Promisensium, Niceta episcopo Augustopoleos, Constantino episcopo Ambladensium, Stephano presbytero et vicario Otri, Georgio episcopo Midali, Gregorio presbytero et vicario Polybotensium, Sisinnio episcopo Philomeliensium, Michael episcopo Papensium, Sisinnio episcopo Apameæ Cibotensium Constantino episcopo Conanensium, Nicephoro episcopo Adadensium, Petro episcopo Tiasensium, Theodoro episcopo Agalasi, Leone episcopo Baræ, Petro episcopo Seleuciæ Hidiæ [Pisidiæ], Nicephoro episcopo Phlogensium, Mariano [Marino] episcopo Magydensium, Leone episcopo Andidensium, Stephano episcopo Parnassi, Bardane episcopo Doarensium, Eustathio [Eustratio] episcopo Debelii [Debelti], Euphemio [Euthymio] episcopo Sozopoleos, Theodoro episcopo Vulgarensium Phygi [Bulgarophygi], Georgio episcopo Plutinopoleos, Basilio episcopo Perberæensium, Michael episcopo Pamphili, Ruben episcopo Scopeli, Sisinnio episcopo Garilensium, Callisto episcopo Eudociadensium, Constantino episcopo Lacensium [Lagnon], Joanne episcopo Crudulensium, Theodoro episcopo Cremnensium, Constantino episcopo Hadrianæ, Theophilo episcopo Chii, Galatio episcopo Meli, Georgio [Sergio] episcopo Leri, Manzone episcopo Diocæsariæ Pracanensium, Eustathio episcopo Calendereos, Zacharia episcopo Cardibimachensium [Cardabundensium], Sisinnio episcopo Musbadensium, Eustathio episcopo Lamoensium, Theodoro episcopo Germanicopoleos, Sisinnio episcopo Sicis, Constantino episcopo Dalisandi, Leone episcopo Sibillensium [Sibinen.], Stephano episcopo Philadelphiæ, Eudoxio presbytero et vicario Metellopoleos, Theodoro episcopo Cadensium, Theophylacto episcopo Mosynen-

sium, Basilio episcopo Dionysiopoleos, Stephano episcopo Synnai, Constantino episcopo Andri, Eustathio episcopo Teni, Joanne episcopo Decateron, Joanne episcopo Nicææ Thraciæ, Theophane episcopo Lebedi, Joanne episcopo Lithoprosopi, Nicephoro episcopo Arcadiupoleos, Theodoro episcopo Heracliopoleos, id est Thidatoæ [Pidachthoæ], Constantino episcopo Metrorum, Lycasto episcopo Philadelphiæ [Phylladon], Michael episcopo Trallensium, Joanne episcopo Lemni, Leone episcopo Amisi, Michael episcopo Tii, Epiphanio episcopo Pertensium, Joanne episcopo Timbriadensium, Stephano episcopo Orymnensium, Heraclio episcopo Sami, Joanne episcopo Præneti.

Residentibusque ante ambonem sacratissimi templi sanctissimæ magnæ ecclesiæ quæ cognominatur Sophia : præsentibus quoque et audientibus gloriosissimo et magnificentissimo principe, Petrona videlicet laudabilissimo ex exconsulibus patricio, et comite Deo servandi imperialis obsequii, ac reverendissimis archimandritis, hegumenis et monachis, secundum ordinem ante taxatum in prima actione : propositis etiam sanctis et intemeratis Dei Evangeliis.

Theodorus sanctissimus episcopus Taurianæ Siculorum insulæ acceptum præ manibus librum, expositum terminum [expositam definitionem] legit :

TERMINUS SANCTÆ MAGNÆ AC UNIVERSALIS SYNODI SECUNDO IN NICÆA COLLECTÆ.

Sancta magna ac universalis synodus, quæ per Dei gratiam, et sanctionem piorum et Christianorum imperatorum Constantini et Irenæ matris ejus, congregata est secundo in Nicensium clara metropoli Bithyniensium provinciæ in sancta Dei ecclesia quæ cognominatur Sophia, sectata traditionem catholicæ Ecclesiæ, definivit inferius ordinata.

Qui lucem agnitionis suæ nobis donavit, et a tenebris idolorum ac insania nos redemit, Christus scilicet Deus noster, desponsata sibi sancta sua catholica Ecclesia non habente maculam seu rugam (*Ephes.* v), hanc se conservaturum promisit; sanctisque discipulis suis asseverabat, dicens : *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* xxviii). Porro hanc repromissionem non solum illis donavit, sed et nobis, qui per eos credidimus in nomine ipsius. Ergo donum hoc quidam non cogitantes, a versuto inimico volatici quodammodo facti, a recta ratione ceciderunt; traditioni etiam catholicæ Ecclesiæ resultantes intellectu veritatis frustrati sunt : et, ut ait proverbialis sermo, in axe agri sui [agricolationis suæ] erraverunt, et collegerunt manibus suis sterilitatem, quia sacrorum monumentorum Deo decibili ornamento detrahere præsumpserunt, cum sacerdotes quidem dicerentur, non essent autem; de quibus Deus per prophetam clamat : *Pastores multi corruperunt vineam meam, contaminaverunt portionem meam* (*Jer.* xii). Sceleratos quippe secuti viros sensibus suis pellectos, calumniati sunt sanctam Christi Dei nostri Ecclesiam, quæ ipsi est desponsata, et inter sanctum et profanum non distinxerunt (*Ezech.* xxii) imaginem Domini et sanctorum ejus similiter ut statuas diabolicorum idolorum nominantes. Propter quod Dominus Deus non ferens intueri ab hujusmodi peste corrumpi subditos suos, nos sacerdotii principes beneplacito suo undique convocavit divino zelo [*Gr.*, divino zelo et nutu] ferventes, et nutu Constantini et Irenæ imperatorum nostrorum adductos : quatenus deifica catholicæ Ecclesiæ traditio communi decreto recipiat firmitatem. Igitur cum omni diligentia perscrutantes et discutientes, et intentionem veritatis sectantes, nihil adimimus, nihil addimus; sed omnia quæ catholicæ sunt Ecclesiæ immutilata servamus : et sequentes sancta sex universalia concilia, in primis quod in splendida Nicæna metropoli convenit; adhuc etiam et quod post in divinitus conservanda regia urbe collectum est.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, qui ex Patre natus est ante omnia sæcula : lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero; natum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est : crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas : ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris : et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque [a] procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum : exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam futuri sæculi. Amen. Abominamur autem et anathematizamus Arium et consentaneos et communicatores vesanæ opinionis ejus; Macedoniumque et eos qui juxta ipsum bene Pneumatomachi nominati sunt. Confitemur autem et dominam nostram sanctam Mariam proprie ac veraciter Dei genitricem, quoniam peperit carne unum ex sancta Trinitate, Christum videlicet Deum nostrum, secundum quod et Ephesinum prius dogmatizavit concilium quod infirmum [impium] Nestorium cum collegis suis, tanquam personalem dualitatem introducentem, ab Ecclesia pepulit. Cum his autem et duas naturas confitemur ejus qui incarnatus est propter nos ex intemerata Dei genitrice semper Virgine Maria, perfectum eum Deum et perfectum hominem cognoscentes, quemadmodum et Chalcedonensis synodus promulgavit, Eutychetem et

[a] Julian. card. act. v. conc. Flor. testatur apud Latinos exstare tunc temporis codicem vetustissimum vii synodi, in quo legebatur *ex Patre Filioque*. In cod. Jol. : *qui ex Patre procedit*, omisso Filio.

Dioscorum diffamatos [*Gr.*, blasphemantes] a divino atrio abigens : conferentes cum illis pariter Severum, Petrum, et eorum multifarie blasphemantem alterutris perplexionibus restim contextam : cum quibus et Origenis et Evagrii ac Didymi fabulas anathematizamus, sicuti et Constantinopoli congregatum quintum concilium egisse dignoscitur. Deinde quoque et duas voluntates et operationes secundum naturarum proprietatem in Christo prædicamus ; quemadmodum et Constantinopoli sexta synodus exclamavit, abjiciens Sergium, Honorium [a], Cyrum, Pyrrum, Macarium, et eos qui sine voluntate sunt pietatis, atque istis similia sentientes. Et ut compendiose fateamur, omnes ecclesiasticas sive scripto, sive sine scripto sancitas nobis traditiones illibate servamus : quarum una est etiam imaginalis picturæ formatio, quæ historiæ evangelicæ prædicationis concinit, ad ceritudinem veræ et non secundum phantasiam Dei Verbi inhumanationis effectæ, et ad similem nobis utilitatem commode proficiens. Quæ namque se mutuo indicant, incunctanter [indubitanter] etiam mutuas habent significationes. His ita se habentibus, regiæ quasi continuati semitæ [regiaque incedentes via], sequentesque divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium, et catholicæ traditionem Ecclesiæ (nam Spiritus sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat) definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus et tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter [*Gr.*, cong. se habente] in sanctis Dei ecclesiis, et sacris vasis, et vestibus, et in parietibus ac tabulis, domibus et viis : tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quam intemeratæ dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, honorabiliumque angelorum, et omnium sanctorum simul et almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam et desiderium, et ad osculum, et ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latriam [*Gr.*, et his osculum et honorariam adorat. trib. non tamen veram lat.], quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impartiendam : ita ut istis, sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ crucis et sanctis Evangeliis, et reliquis sacris monumentis, incensorum et luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum et antiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit : et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Sic enim robur obtinet sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est traditio sanctæ catholicæ Ecclesiæ, quæ a finibus usque ad fines terræ suscepit Evangelium (*I Thess.* II). Sic Paulum, qui in Christo loquutus est, et omnem divinum apostolicum cœtum, et paternam sanctitatem exsequimur, tenentes traditiones quas accepimus. Sic triumphales ecclesiæ prophetice canimus hymnos : *Gaude satis, filia Sion : prædica, filia Jerusalem ; jucundare et lætare ex toto corde tuo. Abstulit Dominus a te injustitias adversantium tibi : redemit te de manu inimicorum tuorum. Dominus rex in medio tui : non videbis mala ultra, et pax in te in tempus æternum* (*Soph.* III).

Eos ergo qui audent aliter sapere aut docere, aut secundum sceleslos hæreticos ecclesiasticas traditiones spernere, et novitatem quamlibet excogitare, vel projicere aliquid ex his quæ sunt Ecclesiæ deputata, sive Evangelium, sive figuram crucis, sive imaginalem picturam, sive sanctas reliquias martyris ; aut excogitare prave aut astute ad subvertendum quidquam ex legitimis traditionibus Ecclesiæ catholicæ ; vel etiam quasi communibus uti sacris vasis, aut venerabilibus monasteriis : siquidem episcopi aut clerici fuerint, deponi præcipimus, monachos autem vel laicos a communione segregari.

Petrus indignus primus presbyter sedis sancti apostoli Petri, et locum supplens Adriani papæ senioris Romæ definiens subscripsi.

Petrus indignus presbyter et hegumenus monasterii sancti Patris nostri Sabbæ siti Romæ, et locum supplens Adriani papæ senioris Romæ, definiens subscripsi.

Tarasius, misericordia Dei episcopus Constantinopoleos novæ Romæ, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Joannes, misericordia Dei presbyter et patriarchalis syncellus, locum retinens trium apostolicarum sedium, Alexandrinæ, Antiochenæ et Hierosolymitanæ, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Thomas, misericordia Dei presbyter et hegumenus monasterii sancti Patris nostri Arsenii siti in Ægypto super Babylonem, retinens locum trium apostolicarum sedium, Alexandrinæ, Antiochenæ et Hierosolymitanæ, paterna dogmata subsequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi

Agapius indignus episcopus Cæsariæ, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Joannes indignus episcopus Ephesi, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Constantinus, misericordia Dei indignus episcopus Constantiæ Cypriorum insulæ, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Leo, misericordia Dei episcopus Heracliæ Thraciæ, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

[a] Sanctus Maximus Græcus doct. et confessor, qui tempore Honorii PP. scripsit, illum egregie defendit in diagolo cum Pyrrho, ut videre est synodi actione VI, 15.

Basilius indignus episcopus Ancyræ, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Nicolaus indignus episcopus Cyzici, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Euthymius indignus episcopus Sardorum, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Petrus indignus episcopus Nicomediæ, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Elias peccator episcopus Cretæ, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Hypatius indignus episcopus Nicææ, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Stauracius peccator episcopus Chalcedonis, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Leo presbyter sanctæ magnæ Dei Ecclesiæ et vicarius sedis Sidensis metropoleos, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Daniel peccator episcopus Amasiæ, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Constantinus indignus episcopus Gangrensium, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Epiphanius peccator, diaconus sanctissimæ Ecclesiæ Catanæ Siculorum provinciæ, et locum retinens Thomæ sanctissimi archiepiscopi Sardiniæ, paterna dogmata sequens et traditionem catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi.

Nicephorus indignus episcopus Dyrrachii similiter.

Anastasius indignus episcopus Nicopoleos similiter

Niceta indignus episcopus Claudiopoleos similiter.

Gregorius indignus episcopus Neocæsariæ similiter.

Gregorius indignus episcopus Pisinuntis similiter.

Theodorus indignus episcopus Myrensium similiter.

Theophylactus peccator, diaconus et locum retinens throni Stauropoleos Cariæ, similiter.

Eustathius indignus episcopus Laodiceæ similiter.

Michael indignus episcopus Synadensium similiter.

Leo indignus episcopus Iconii similiter.

Georgius [Gregorius] indignus episcopus Antiochiæ Pisidiæ similiter.

Constans [Constantinus] indignus episcopus Pergæ similiter.

Georgius peccator, presbyter et locum retinens throni Mocisi, similiter.

Christophorus indignus episcopus Trapezuntensium similiter.

Leo indignus episcopus Rhodi similiter.

Manuel indignus episcopus Adrianopoleos similiter.

Basilius episcopus Sylæi similiter.

Theodorus indignus episcopus Seleuciæ similiter.

Nicolaus indignus episcopus Hierapoleos similiter.

Constans [Constantinus] indignus episcopus Rhegii similiter.

Cyrillus peccator, monachus et locum retinens Niceri [Nicetæ] episcopi Gothiæ, similiter.

Stephanus indignus episcopus Sugdaensium similiter.

Theodorus indignus episcopus Catanæ similiter

Joannes indignus episcopus Tauromenii similiter.

Galato indignus presbyter et vicarius Stephani episcopi Syracusæ similiter.

Gaudiosus indignus episcopus Messinæ similiter.

Theodorus indignus episcopus Panormi similiter.

Stephanus indignus Episcopus Bibonis similiter.

Constans indignus episcopus Leontinæ similiter.

Theodorus indignus episcopus Taurianæ similiter.

Christophorus indignus episcopus sanctæ Cyriacæ similiter.

Basilius indignus episcopus Liparensium similiter.

Theotimus indignus episcopus Crotonensium similiter.

Constans indignus episcopus Carinæ similiter.

Theophanes indignus episcopus Lilybæi similiter.

Joannes indignus episcopus Treocaleos similiter.

Theodorus indignus episcopus Trapezorum similiter.

Sergius indignus episcopus Nicoterensium similiter.

Theophylactus indignus episcopus Eucnadensium similiter.

Maurianus indignus episcopus Pompeiopoleos similiter.

Theodorus indignus episcopus Bizus [Biynes] similiter.

Antonius peccator, monachus et loci servator throni Smyrnæ, similiter.

Eustratius [Eustathius] indignus episcopus Apamiæ similiter.

[Theophanus indignus episcopus Lebedi similiter.]

Petrus indignus episcopus Germensium similiter.

Joannes indignus episcopus Arcadiopoleos similiter.

Sisinnius indignus episcopus Parii similiter.

Epiphanius indignus episcopus Melitenæ [Meliti] similiter.

Niceta indignus episcopus Præconnesi similiter.

Constans indignus episcopus Sebastopoleos similiter.

Joannes indignus presbyter et vicarius throni Coloniæ similiter.

Eustratius indignus episcopus Methymnensium similiter.

Leo indignus episcopus Cii similiter.

Gregorius indignus presbyter et loci servator throni Nicopoleos, similiter.

Joannes indignus episcopus Apri similiter.

Theophylactus indignus episcopus Cypsellorum similiter.

Theodorus indignus episcopus Heracleopoleos [sive Pidachthoæ] similiter.

Eustathius indignus episcopus Cotradensium similiter.

Cyriacus indignus episcopus Drizyparensium similiter.

Leo indignus episcopus Mesembriæ similiter.

Gregorius indignus episcopus Dercensium similiter.

Joannes indignus episcopus Nysæ similiter.

Georgius indignus episcopus Imperialium thermarum similiter.

Sothericus indignus episcopus Ciscissensium similiter.

Gregorius [Georgius] indignus episcopus Camulianensium similiter.

Damianus indignus episcopus Mytilenæ similiter.

Constans indignus episcopus Mastaurensium similiter.

Georgius indignus episcopus Briulensium similiter.

Theodosius indignus episcopus Nyssæ similiter.

Theophylactus indignus episcopus Trallæ similiter.

Olbianus indignus episcopus Elææ similiter.

Pardus indignus episcopus Pitanæ similiter.

Leo indignus episcopus Algizensium similiter.

Theognius [*Gr.*, Theognis] indignus presbyter et vicarius Sion, similiter.

Stratonicus indignus episcopus Cymæ similiter.

Basilius indignus episcopus Atrammytensium similiter.

Theophylactus indignus episcopus Hypepensium similiter.

Theophanes indignus episcopus Caloæ similiter.

Leo indignus episcopus Phociæ similiter.

Basilius indignus episcopus Pergami similiter.

Gregorius indignus episcopus Palæaspoleos similiter.

Joannes indignus episcopus civitatis Assensium similiter.

Basilius indignus episcopus Magnesiæ similiter.

Maurianus [Marinus] indignus episcopus civitatis Atandri similiter.

Lycastus indignus episcopus Baretensium similiter.

Constans loci servator episcopi civitatis Agaæ, similiter.

Nicephorus loci servator Gargarensium similiter.

Nicodemus indignus episcopus Evazensium similiter.

Sabbas indignus episcopus Aneensium similiter.

Nicephorus indignus episcopus Arcadiopoleos similiter.

Cosmas indignus episcopus Myrinæ similiter.

Joannes indignus episcopus sanctæ Saluntianensis Ecclesiæ similiter.

Ursus episcopus sanctæ Avaritianensium Ecclesiæ similiter.

Laurentius peccator, episcopus sanctæ Absartianensis Ecclesiæ, similiter.

Eustathius indignus episcopus Solensium similiter.

Spyrido indignus episcopus Cythrensium similiter.

Theodorus indignus episcopus Citii similiter.

Georgius indignus episcopus Trimithuntensium similiter.

Alexander indignus episcopus Amathuntensium similiter.

Joannes indignus episcopus Nicææ Thraciæ similiter.

Joannes indignus episcopus Rhædesti similiter.

Melchisedec indignus episcopus Calliopoleos similiter.

Leonides indignus episcopus Cœlensium similiter.

Joannes indignus episcopus Panii similiter.

Theophylactus indignus episcopus Charitopoleos similiter.

Joannes indignus episcopus Lithoprosopiensium similiter.

Sisinnius indignus episcopus Chalcidis similiter.

Sisinnius indignus episcopus Zuruli similiter.

Benjamin indignus episcopus Lizicensium similiter.

Constans presbyter et loci servator Hexamilii similiter.

Constans indignus episcopus Metrorum similiter.

Gregorius indignus episcopus Theodoropoleos similiter.

Constans indignus episcopus Juliopoleos similiter.

Theophilus indignus episcopus Anastasiopoleos similiter.

Leo indignus episcopus Mizuæ similiter.

Synesius indignus episcopus Cinæ similiter.

Petrus indignus episcopus Asponæ similiter.

Anthimus indignus episcopus Verinopoleos similiter.

Lycastus indignus episcopus Philadelphiæ similiter.

Stephanus indignus episcopus Silandi similiter.

Theophanes indignus episcopus Mioniæ similiter.

[Gregorius indignus presbyter et loci servator Eramiæ similiter.]

Michael indignus episcopus Ceraseorum similiter.

Joannes indignus episcopus Setensium similiter.

Joannes indignus episcopus Daldæ similiter.

Joannes indignus episcopus civitatis Tabalensium similiter.

Theopistus indignus episcopus Hermocapeli similiter.

Nicolaus indignus episcopus Aureliopoleos similiter.

Anastasius indignus episcopus Tripoleos similiter.

Zacharias indignus episcopus Hierocæsariæ similiter.

Michael indignus episcopus Tralensium similiter.

Gregorius indignus episcopus Gordi similiter.

Leo indignus episcopus Traculensium similiter.

Eustathius indignus episcopus Hyrcanidensium similiter.

Joseph indignus episcopus Attaliæ similiter.

Leo [Leontius] indignus episcopus Pœmanini similiter.

Joannes indignus episcopus Lampsaci similiter.

Niceta [Nectarius] indignus episcopus Ilæi similiter.

Basilius indignus episcopus Adranotherensium similiter.

Symeon indignus episcopus Ocæ similiter.

Theodorus indignus episcopus civitatis Germæ similiter.

Theodotus indignus episcopus Palæensium similiter.

Theodorus indignus episcopus Abydi similiter.

Strategius indignus episcopus Dardani similiter.

Michael indignus episcopus Melitopoleos similiter.

Sisinnius indignus episcopus Adraniæ similiter.

Theophylactus indignus episcopus Apolloniadis similiter.

Constans indignus episcopus Cæsariæ Bithyniensium similiter.

Georgius indignus episcopus Basilinopoleos similiter.

Cyrio indignus episcopus Lophi similiter.

Leo indignus episcopus civitatis Aristæ similiter.

Nicephorus [Nymphus] indignus episcopus civitatis Hadrianæ similiter.

Theodorus indignus episcopus Prusæ similiter.

Basilius presbyter et vicarius Dascylii similiter.

David indignus episcopus Helenopoleos similiter.

Anastasius indignus episcopus Cnossi similiter.

Sisinnius indignus episcopus Chersonesi similiter.

Epiphanius indignus episcopus Eleuthernæ similiter.

Melito indignus episcopus Cydoniæ similiter.

Photinus indignus episcopus Cantani similiter.

Leo indignus episcopus Phœnicii similiter.

Niceta indignus episcopus Cladibrensium similiter.

Joannes indignus episcopus Arcadiæ similiter.

Leo indignus episcopus Cissami similiter.

Theodorus indignus episcopus civitatis Subritensium similiter.

Epiphanius indignus episcopus civitatis Lampæ similiter.

Joannes indignus episcopus Limbi similiter

Gabriel indignus episcopus Æginæ similiter.

Petrus indignus episcopus Monembasiæ similiter.

Antonius indignus episcopus Trœzenæ similiter.

Leo indignus episcopus Porthmi similiter.

Philetus indignus episcopus Orei similiter.

Niceta [Nectarius] indignus episcopus Melæ similiter.

Neophytus indignus episcopus Gortoservorum similiter.

Gregorius, indignus presbyter et loci servator episcopi Cephalenensium, similiter.

Philippus indignus episcopus Cercyræon [Corcyræorum] similiter.

Leo peccator episcopus Zacynthi similiter.

Joannes indignus episcopus Gemensium [Hemensium] similiter.

Constans indignus episcopus Sasimensium similiter.

Leo indignus episcopus Aspondi similiter.

Leo indignus episcopus Amisi similiter

Heraclius indignus episcopus Iunopoleos similiter.

Theophanes indignus episcopus Sorensium similiter.

Niceta [Nectarius] indignus episcopus Hadrianensis similiter.

Joannes indignus episcopus Heracliæ Ponti similiter.

Constans indignus episcopus Cratiæ similiter.

Theophylus indignus episcopus Prusiadis similiter.

Michael indignus episcopus Tii similiter.

Theodorus indignus episcopus Comanensium similiter.

Joannes indignus episcopus Cerasuntensium similiter.

Constans indignus episcopus Polemonii similiter.

Niceta [Nectarius] indignus episcopus Ryzæi similiter.

Nicephorus indignus Clanei similiter.

Leo indignus episcopus civitatis Trocnadensium similiter.

Theodorus indignus episcopus civitatis Pinnarensium similiter.

Georgius indignus episcopus Nessæ similiter.

Stephanus indignus episcopus Camni similiter.

Constans indignus episcopus civitatis Tlensium similiter.

Constans indignus episcopus Candibensium similiter.

Leo indignus episcopus civitatis Corydalensium similiter.

Petrus indignus diaconus et loci servator throni Oricandensium [Oribandensium] similiter.

Nicodemus indignus episcopus civitatis Sidymensium similiter.

Joannes indignus diaconus et loci servator Phaselidis similiter.

Stephanus indignus episcopus Araxi similiter.

Georgius indignus episcopus Hyniandi similiter.

Leo indignus episcopus civitatis Limyrensium similiter.

Stauracius indignus episcopus Zenopoleos similiter.

Constans indignus episcopus Comoensium similiter.

Gregorius indignus episcopus Cibyræ similiter.

Basilius indignus episcopus Tabensium similiter.

Dorotheus indignus episcopus Neapoleos similiter.

Constans indignus episcopus Alabandensium similiter.

Gregorius indignus episcopus Heracliæ similiter.

David indignus episcopus Iassi similiter.

Gregorius indignus episcopus Mylassensium similiter.

Sergius indignus episcopus civitatis Bargylensium similiter.

Joannes indignus episcopus civitatis Mindi similiter.

Stauracius indignus episcopus Stadiæ similiter.

Gregorius indignus episcopus Stratoniciæ similiter.

Niceta indignus episcopus et electus Halicarnassi [*Gr.*, Cerami] similiter.

Maurianus indignus presbyter [episcopus] et electus Cerami [*Gr.*, Acmoniæ] similiter.

[Paulus indignus episcopus civitatis Acmoniæ similiter.]

Leo indignus episcopus Aleensium similiter.

Zacharias indignus episcopus Trapezupoleos similiter.

Leo indignus episcopus Eumeniæ similiter.

Philippus indignus episcopus Tranopoleos similiter.

Dositheus indignus episcopus Chonensis similiter.

Georgius indignus episcopus Peltensium similiter.

Georgius indignus episcopus Appiæ similiter.

Joannes indignus episcopus Sublii similiter.

Pantoleon indignus episcopus Galatiæ similiter.

Michael indignus episcopus Chæretopensium similiter

Gregorius indignus episcopus Timenutherensium similiter.

Georgius indignus episcopus Mindaii similiter.

Niceta indignus episcopus civitatis Nacolii similiter.

Constans indignus episcopus Cottyaii [Cattievii] similiter.

Leo indignus episcopus Docimii similiter.

Constans indignus episcopus civitatis Eucarpiæ similiter.

Michael indignus episcopus Hierapoleos similiter.

Damianus indignus episcopus Meri [*Gr.*, Cinabarensium] similiter.

[Niceta indignus episcopus Augustopoleos similiter.

Theophylactus Cinabarensium similiter.]

Gregorius, indignus presbyter et loci servator throni civitatis Polyboti, similiter.

Theophylactus, indignus presbyter et loci servator throni Ipsi, similiter.

Nicolaus indignus episcopus Phytiæ similiter.

Stephanus presbyter et loci servator throni Ostri similiter.

Constans indignus episcopus Ambladensium similiter.

Epiphanius indignus episcopus Peltensium similiter.

Michael indignus episcopus Pappensium similiter.

Sisinnius indignus episcopus Philomelii similiter.

Joannes indignus episcopus Tymbriadensium similiter.

Stephanus indignus episcopus civitatis Orymnensium similiter.

Nicephorus indignus episcopus Phoglensium similiter.

Marianus [Marinus] indignus episcopus Magydensium similiter.

Leo indignus episcopus Didensium similiter.

Stephanus indignus episcopus Parnassi similiter.

Theophilus indignus episcopus Chii similiter.

Sergius indignus episcopus Leri similiter.

Heraclius indignus episcopus Sami similiter.

Galatius [Galation] indignus episcopus Meli similiter.

Constans indignus episcopus Andri similiter.

Eustathius indignus episcopus Teni similiter.

Callistus indignus episcopus civitatis Eudociadensium similiter.

Theodorus indignus episcopus Cremnensium similiter.

Constans indignus episcopus Lagnensium similiter.

Constans indignus episcopus Adrianæ similiter.

Joannes indignus episcopus Codrulensium similiter.

Eustratius indignus episcopus Debelti similiter.

Euthymius indignus episcopus Sozopoleos similiter.

Theodorus indignus episcopus Bulgarophygi similiter.

Georgius indignus episcopus Plutinopoleos similiter.

Sisinnius indignus episcopus Gariclensium similiter.

Rubim [Ruben] indignus episcopus Scopeli similiter.

Basilius indignus episcopus Piperensium [*Gr.*, Perbereos] similiter.

Michael indignus episcopus Pamphyli similiter.

Manzo indignus episcopus Pracanensium similiter.

Eustathius indignus episcopus Celendereos similiter.

Sisinnius indignus episcopus Musbadensium similiter.

Eustatius indignus episcopus Lami similiter.

Leo indignus episcopus Sibliensium similiter.

Stephanus indignus episcopus Philadelphiæ similiter.]

Zacharias indignus episcopus Cardabundensium similiter.

Stephanus indignus episcopus Synnai similiter.

Constans indignus episcopus Ancyræ similiter.

Theodorus indignus episcopus Cadi similiter.

Joannes indignus episcopus Azani similiter.

Theophylactus indignus episcopus Mosynensium similiter.

Joannes indignus episcopus Prænetensium similiter.

Sancta synodus exclamavit : Omnes ita credimus, omnes idipsum sapimus, omnes consentientes subscripsimus ! Hæc est fides apostolorum [hæc fides Patrum] ; hæc fides orthodoxorum ; hæc fides orbem terrarum firmavit ! Credentes in unum Deum in Trinitate laudandum, honorabiles imagines osculamur ! Qui sic se non habent, anathema sint ! qui sic non sentiunt, procul ab Ecclesia pellantur ! Nos antiquam legislationem Ecclesiæ catholicæ sequimur ! Nos leges Patrum custodimus ! Nos eos qui addunt quid vel adimunt de Ecclesia, anathematizamus ! Nos subinductam novitatem Christianos accusantium anathematizamus ! Nos venerandas imagines recipimus ! Nos eos qui sic non se habent, anathematismis submittimus ! His qui assumunt dicta quæ a divina Scriptura contra idola proferuntur, in venerabiles imagines, anathema ! His qui non salutant sanctas et venerabiles imagines, anathema ! His qui vocant sacras imagines idola, anathema ! His qui dicunt quia ut ad deos Christiani ad imagines accesserunt, anathema ! [His qui communicant scienter iis qui injuriam et contumeliam venerabilibus imaginibus inferunt, anathema !] His qui dicunt, quia præter Christum alius erult nos ab idolis, anathema ! His qui audent dicere catholicam Ecclesiam aliquando idola recepisse, anathema ! Multos annos imperitorum ! Constantini et Irenæ matris ejus multos annos ! Victorum imperatorum multos annos ! Novo Constantino et novæ Helenæ æterna memoria ! Dominus custodiat imperium eorum ? Cœlestis rex, terrenos custodi ! Omnibus hæreticis anathema ! Fremenli concilio contra venerabiles imagines, anathema ! Ei qui recipit impias hæreseos ratiuncalas ipsorum, anathema ! Theodosio falsi nominis episcopo Ephesino anathema ! Sisinnio cognomento Pastillæ anathema ! Basilio qui obscœna pronuntiatione Tricæcabus appellatus est, anathema !

Trinitas horum trium dogmata deposuit ! Anastasio, Constantino, et Nicetæ, qui per successionem throno Constantinopolitano præsederunt. ac si novo Ario, Nestorio et Dioscoro, anathema !

Sancta Trinitas horum trium dogmata deposuit ! [*Gr. add.* Iis præterea, qui tergeminam pravitatem dictorum præsulum hæresiarcharum æmulati sunt, anathema ! Theodoro, Antonio et Joanni, tanquam Manneti, Apollinario et Eutychi phantasticæ apparentiæ assertoribus, anathema ! Theodoro Syracusano cognomento Crithino, et qui cum eo simul apostatæ facti sunt, anathema !

Joanni Nicomediæ, Constantino Naciliæ, hæresiarchis anathema ! Ad nihilum dedoxerunt imaginem Domini et sanctorum ejus : ad nihilum deduxit eos Dominus.

Si quis quemquam hæreseos Christianos accusantis, vel in ea vitam suam transigentem [vita sua functum] defendit, anathema !

Si quis Christum Deum circumscriptum secundum humanitatem non confitetur, anathema !

Si quis evangelicas narrationes titulis picturisque factas non admittit, anathema !

Si quis non osculatur has tanquam in nomine Domini et sanctorum ejus factas, anathema !

Si quis omnem traditionem ecclesiasticam sive scriptam, sive non scriptam, irritam facit, anathema !

Germani orthodoxi æterna memoria !

Joannis et Gregorii [*Gr. et ms. Isi.*, Georgii æterna memoria !

Prædicatorum veritatis æterna memoria !

Trinitas hos tres glorificavit : quorum disputationes sequi meremur, miserationibus et gratia primi et magni pontificis Christi Dei nostri, intercedente intemerata domina nostra sancta Dei Genitrice, et omnibus sanctis ejus : Fiat. Amen.

Piissimis et Christianissimis imperatoribus nostris Constantino et Irenæ matri ejus Tarasius indignus episcopus clementiæ conservandæ regiæ urbis vestræ novæ Romæ, et tota sancta synodus, quæ beneplacito quidem Dei, præceptione vero Deum amantis imperii vestri secundo convenit in hac splendida Nicæorum metropoli.

Gloriantur Ecclesiæ caput, Christus videlicet Deus noster, optimi principes, quoniam cor vestrum quod in manu ejus custoditur, protulit verbum bonum : præcipiens scilicet erigere [*Gr.*, convenire] nos in nomine ipsius, et ecclesiasticorum dogmatum inconcussum et immobilem ac divinum affatum firmissime teneamus. Etenim sicut caput vestrum auro et lapidibus fulgidis coronatur, ita et sensus vestri evangelicis et paternis magisteriis adornantur. Cum enim eorum, quorum in omnem terram exivit sonus, essetis discipuli et participes, totiusque Christi nomine nuncupatæ plebis ad pietatem ductores, veritatis stylo descripsistis sermonem, et orthodoxiæ ac pietatis depinxistis characterem ; et veluti luminaria præfulgida fidelibus illuxistis, et manum periclitantibus ecclesiis porrexistis, sana dogmata confirmantes, et consensum eorum quæ inter se dissonant [qui inter se dissonabant], instaurantes. Licet igitur cum fiducia dicere : Pietatis bona voluntate Dei per vos correctio stabilita [*Gr.*, insigne opus stabilitum] est : et ideirco repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione (*Psal.* CXXV) : et per inscriptiala vocem nostram res linguæ nostræ loquuntur. Quid enim ecclesiasticorum negotiorum firmitatis custodia jucundius,

et ad lætitiam gratius? Quia vero insurrexerunt quidam viri, formam quidem pietatis habentes, quoniam sacerdotii dignitate circumamicti sunt; virtutem autem ejus abnegantes, et Babylonensium sacerdotum calumniam [accusationem] arripientes; quos et prophetia publicat dicens : *Egressa est iniquitas a sacerdotibus Babylonis* (*Dan.* XIII). Imo vero Caiphaicum concilium statuentes, genitores facti sunt dogmatum impiorum : et os maledictionis et amaritudinis habentes, prævalere in malis gloriam arbitrati sunt. Infamemque linguam et calamum ministrantem huic possidentes, et voces quæ ab ipso Deo prolatæ sunt impugnantes, atque portentosæ regale sacerdotium, et gentem sanctam, et eos qui Christum induerunt, et gratia ejus ab idolorum errore salvati sunt, idololatras vocantes [*Gr.*, portentose, etc., idololatras vocarunt]. Et nequam operationis habentes votum, manus ad illicita immiserunt, demoliri opinati venerabilium picturam imaginum. Et quidem quæcunque de tessellis fuerunt facta, effoderunt : quæ vero ex cera fuere perfuso colorum opere, deleverunt, venerabiliumque imaginum [*Gr.*, templorum] decus in dedecus transtulerunt. Cum his autem et ea quæ in tabulis in memoriam Christi Dei nostri et sanctorum ejus exstiterunt, igni tradiderunt. Et ut apertius dicamus, ecclesias nostras depopulati conturbaverunt : et facti sunt hæreseon principes, qui erant principes sacerdotum; et pro pace quidem contentionem populo acclamaverunt : porro pro frumento zizania in ecclesiasticis arvis seminaverunt; vinum miscuerunt aquæ, et proximum potaverunt subversione turbulenta : et cum lupi Arabici essent, pelle ovium se simulaverunt esse indutos : et veritate parvipensa [defraudata], mendacium arripuerunt; sed ova aspidum ruperunt, et telam aranæ secundum prophetam texuerunt (*Isa.* LIX) : et qui comesturus est, ovum eorum conterens, calefactum [putridum] inveniet, et in eo regulum esse veneno et spiritu mortifero plenum. Et quia hæc ita disposuerunt, et veritatem mendacium depavit, non indulsistis, mansuetissimi atque fortissimi imperatores nostri, temporibus vestris permanere tam pestilentem et animas corrumpentem errorem; sed hunc aura divini Spiritus, qui in vobis habitat, exterminare procurastis : quatenus stabilis permaneat Ecclesiæ cœtus et cunctorum subditorum collatio [collectio], atque imperium vestrum secundum cognomen vestrum pacifice dirigatur. Nec tolerabile vel portabile duxistis, quo minus unum [*Gr.*, ut in aliis quidem unum, etc.] sentiremus, et in idipsum conveniremus, et erga vitæ nostræ capitulum, id est pacem Ecclesiarum [*Gr.*, Eccl., essent inter nos dissidia], nemo ex nostris se discinderet et abscinderet; cum Christus sit caput nostrum, nos autem consequenter membra et unum corpus per mutuæ ac unius opinionis fidem. Propter quod sacram nostram et populosam congregari jussistis catervam in hac Nicensium metropoli, ut Ecclesiarum dissensionem repellentes, disjuncta ad unitatem trahamus; et eam quam nuper intexuerunt ex spineis filis ignominiosam grossamque vestem, id est doctrinam falsam, disrumpere et scindere, et orthodoxiæ incorruptam conservare [*Gr.*, expandere] tunicam studeamus. Itaque apostolicas et paternas traditiones sequentes, audemus autem dicere, conspiratione sanctissimi Spiritus consonantes, invicemque collecti [convenientes] universi concordantem nobis habentes traditionem Ecclesiæ catholicæ, consonantiis quæ formatæ sunt a sanctis sex universalibus conciliis concordes effecti sumus, anathematizantes Arii vesaniam, Macedonii rabiem, Apollinarii insensatum sensum, Nestorii humanam culturam [culturam hominis], Eutychetis et Dioscori confusibilem vanitatem, et cum illis polycephalon hydram; Origenis, Didymi et Evagrii desipientes fabulationes; Sergii, et Honorii, et Cyri, et Pyrrhi, et asseclarum eorum unius, imo nequam moris voluntatem : necnon et his similem vanitatem, quæ post has vane garrivit contra venerabiles imagines, consonanter et unanimiter ab Spiritu sumentes verbum, et ab eo haurientes mundam aquam, spongia dogmatum divinorum delevimus; et inventores tergiversatoriæ vocum novitatis [novatricis vanitatis] ab ecclesiasticis vestibulis procul emisimus. Et sicut manus et pedes concorditer animæ motibus agitantur, ita ab Spiritu accepta gratia et fortitudine, vestrique concursus pietate pariter et auxilio habito, simul acclamavimus, veritatemque prædicavimus : omnimodis videlicet recipiendas venerabiles imagines Domini nostri Jesu Christi, secundum quod perfectus est homo factus; et quæcunque historice secundum evangelicam narrationem scribuntur : atque intemeratæ dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis, sanctorumque angelorum (ut enim homines apparuerunt his qui digni facti sunt apparitione ipsorum) una cum omnibus sanctis : necnon et certaminum eorum agones figurandos decrevimus tam in tabulis et parietibus, quam in sacris vasis et vestibus, quemadmodum a priscis temporibus sancta Dei catholica Ecclesia recepit, et in legem accepit tam a sanctis primisque doctrinæ nostræ magistris, quam ab eorum successoribus egregiisque Patribus nostris : et has adorandas, id est salutandas : idipsum enim est urumque : κυνεῖν quippe antiqua Græca lingua, et salutare et osculari significat : et πρὸς præpositio augmentum quoddam significat amoris; quemadmodum φέρω et προσφέρω, κυρῶ et προσκυρῶ, κυνῶ et προσκυνῶ, quod salutationem indicat, et secundum protensionem amicitiam : quod enim quis osculatur, et adorat : et quod adorat, profecto et osculatur; sicut testatur humana affectio, quæ a nobis ad amicos habetur, et lectio [*Gr.*, obviorum congressus] hæc ambo perficiens. Hoc autem non solum apud nos, sed apud veteres in divina Scriptura scriptum reperimus. In historiis namque regnorum scriptum est : *Et David surrexit, et cecidit in faciem, et adoravit tertio Jonatham, et deosculatus est eum* (*I Reg.*

xx). Quid autem Dominus de Pharisæis rursus evangelice ait : *Amant primos recubitus in cœnis, et salutationes in foro* (*Matth.* xxiii). Certum est quod hic salutationem adorationem appellet. Pharisæi quippe jactantem sensum habentes, seseque justos opinantes, adorari ab omnibus festinabant, non ore ad os osculari : hoc enim est potius humilitatis, et non Pharisaici tumoris indicium. Iterum autem Paulus divinus apostolus, sicut Lucas in Actibus apostolorum describit. *Quia cum venissemus Hierosolymam, libenter exceperunt nos fratres. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum ; omnesque collecti sunt seniores. Quos cum salutasset, narrabat per singula quæ fecisset Deus in gentibus per ministerium ipsius* (*Act.* xxi). Ergo et hic salutationem honoratoriam adorationem quam invicem exhibemus, apostolicus sensus describit ; quemadmodum et de Jacob ait : *Adoravit fastigium virgæ ejus* (*Hebr.* xi). Consona vero istis et Gregorius cognomento Deiloquus dicit : Bethlehem cole, et præsepe adora (*Serm. in nat. Christi*). Quis, putas, eorum qui recte et sincere intelligunt quæ divina Scriptura proferuntur, intelligat quod hæc de adoratione quæ in spiritu fit, pronuntientur? nisi forte de insensatis sit, vel ex his qui totius scripturalis scientiæ ac paternæ doctrinæ inexpertes existunt. Nunquidnam fastigio virgæ servivit Jacob? aut præsepi præcepit theologus Gregorius deservire? Et rursus quoque nos vivificam crucem salutantes consone canimus : Crucem tuam adoramus, Domine, et adoramus lanceam quæ aperuit vivificum latus tuæ bonitatis ; quod certissime salutatio est et dicitur, sicut indicat illud, quod hæc propriis labiis nostris contingimus. Nam etsi multoties invenitur adoratio in divina Scriptura, et urbane loquentibus Patribus nostris pro servitute quæ est in spiritu, cum vox multa significet, una tamen significatione ejus tantummodo reperitur, quæ scilicet sola manifestat adorationem quæ est secundum latriam [unum ex significatis ejus est adoratio secundum latriam]. Adhuc autem adoratio est et ea quæ per honorem et per amorem ac timorem fit : sicuti nos adoramus et gloriosissimum et mansuetissimum imperium vestrum. Est et alia per timorem tantum, sicut Jacob adoravit Esau (*Gen.* xxxiii). Et est per gratiam, sicut Abraham adoravit filios Het pro agro quem accepit ab eis in sepulturam Saræ uxoris suæ (*Gen.* xxiii). Iterum autem exspectantes quidam a sublimioribus beneficium consequi, adorant eos, sicut Jacob Pharaonem (*Gen.* xlvii). Hinc enim divina Scriptura docens nos : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Luc.* iv) : adorationem [absolute ponit, et non adjicit, *soli*, ut significata multa habentem, et vocem æquivocam. Porro] sine prohibitione dixit, tanquam diversas quidem significationes, sed homonymam vocem habentem, et non *soli* addidit. Porro servies illi soli dixit : etenim soli Deo servitutem nostram referimus. His ergo sic comprobatis, veraciter et incunctanter esse coram Deo acceptum et beneplacitum constat, imaginales formationes dispensationis Domini nostri Jesu Christi, et intemeratæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, ac honorabilium angelorum, et omnium sanctorum, adorare et osculari : et quisquis sic se non habuerit, sed discepta-verit, vel etiam elanguerit erga venerabilium imaginum adorationem, hunc anathematizat sancta nostra et universalis synodus, quæ munita est divini Spiritus operatione, ac paternis et ecclesiasticis traditionibus. Porro anathema nihil aliud est, quam separatio a Deo. Si enim quidam fuerint altercantes et contra ea quæ definita sunt non obedientes, in stimulos calcitrant, et suas ipsorum animas lædunt, Christum offendentes, et Ecclesiæ ipsius calumniis delectati, impugnantes vesane pietatem, utpote priscorum hæreticorum communicatores et consentanei et contribules per impietatem. Fratres autem et comministros nostros Deo amabiles episcopos misimus cum abbatibus et clericis, ut omnium quæ in nobis gesta sunt, manifestationem denuntient deisonis auribus vestris. Porro ad signaculum et robur eorum quæ a nobis definita sunt, quin etiam ad satisfactionem piissimi imperii vestri, subjecimus paterna testimonia ex multis pauca collecta, et claritate veritatis certitudinem illustrantia. Cæterum omnium nostrum Salvator qui vobis coimperat, quique per vos Ecclesiis pacem suam concedere voluit, per multos annos custodiat regnum vestrum cum senatu et principibus et fidelissimo exercitu vestro, atque universa republica : donetque vobis victoriam. Ipse quippe ait : *Vivo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me glorificabo* (*I Reg.* ii). Ipse est qui præcinxit vos virtute, et tundet cunctos hostes, et donabit vobis omnes obedientes [plangent hostes, et gaudebunt subditi]. Gaude ergo, civitas [*Gr.*, et tu, civitas], lætare, nova Sion, orbis terræ speculatio [specula]. Nam et ibi David regnavit, et hic Davidice te ipsi custodiunt [pii imperatores rerum potiuntur]. Dominus in medio tui : et sit nomen ejus benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

Deo amabilibus sacerdotibus et clericis tam sanctissimæ Dei magnæ Ecclesiæ, quam omnium Ecclesiarum Deo conservatæ regiæ civitatis, sancta Synodus apud Nicæam secundo collecta.

Christus Deus noster, qui vere est veritas, paternumque lumen et splendor : qui de tenebris nos vocavit in admirabile suum lumen, et ab idolica vesania nos eruit ; qui delevit nomina idolorum a terra, et repromisit non eorum ulterius esse memoriam ; voluit annuere pios et per cuncta orthodoxos ac fideles imperatores nostros, ad congregandum nos in Nicæna clara metropoli, sicut nostis : ut distantium dissonantiam in consonantiam perduceremus, et medius paries tolleretur inimicitiæ, et antiqua legis positio catholicæ Ecclesiæ firmitatem resumeret. Igitur nobis in idipsum sancti Spiritus inspiratione et cooperatione convenientibus, omnes consonuimus ; et Oriens, Arctus, Occidens et Mesembria in unam unitionem concurrimus : et triumphavit [constituta

est] sanctarum Ecclesiarum pacifica ordinatio per alternæ opinionis veritatem et fidem, quæ direxit semitam pedum nostrorum : atque per hoc stirps hæresis quæ ex antiqui hostis zizaniis germinavit, eradicata est. Et ecce evangelizamus vobis super montem excelsum stantes ecclesiasticæ pacis gaudium et publicam festivitatem. Quid enim hoc gratius? Isaia fiducialiter agente, et cœlitus [antiquitus] prædicente : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* (*Isa.* LII ; *Rom.* X.) Et dignum erat et valde placitum, atque vestræ decentis sacræque Deo amabilitatis specimen et exsultatio, ut omnis Deo electa concio vestra simul inveniretur, et contemplaretur virtutem eorum quæ per Dei gratiam dicta et gesta sunt, tam scilicet super legitimarum correctione [comprobatione] traditionum Ecclesiæ catholicæ, quam in destructionem et subversionem eorum qui fremuerunt adversus veritatem, necnon apostolicas et paternas Ecclesiæ catholicæ commutaverunt traditiones, vel etiam juxta quod sibi visum est, in exterminium redegerunt. Sed quoniam humidum iter in medio est, rursusque terrena via, duabus rebus opus erat, navibus scilicet ad navigandum, et jumentis congruis ad vehendum : utrisque carens sacratissima vestra caterva, mutua nostra conventione privata est. Verum specialiter et intelligibiliter præsto estis [eratis] nobiscum, id sentientes quod et catholicæ Ecclesiæ plenitudo : et quia invicem sumus membra Christi Dei capitis nostri [Christo Deo capite nostro], eorum quæ apud nos Deo donante acta sunt, necessarium ducimus vobis breviter narrationem mittendam : loquuntur enim etiam per litteras linguæ causas, et repræsentant quasi videndas. Cum enim convenissemus ex paternorum magisterio normarum, in unum confirmavimus quod et sapuimus [confirmati sumus, unum sensimus] ; cantici Moyses docuit, non oblivi, quod dicit : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi ; seniores tuos, et dicent tibi* (*Deut.* XXXII). Sic traditionem catholicæ Ecclesiæ sectati sumus, et neque minus, neque plus quidpiam fecimus ; sed ab Apostolo edocti, tenemus traditiones quas accepimus, omnia recipientes et amplectentes quæcunque sancta catholica Ecclesia antiquitus scripta et non scripta recepit : ex quibus sunt etiam figurationes picturarum imaginum : et è contra quæcunque abjecerunt Patres nostri egregii, nos quoque projicimus, et Ecclesiæ arbitramur adversa. Cum quibus connumeratur intentis [nupera] vocum novitas Christianos accusantium, veluti cancer pascua in ecclesiis nostris accipiens : sed non despexit Dominus Deus in finem. Nam, veritate revelata, ortholoxia cunctis illuxit, et mendacium cum secum nascentibus tenebris abolitum est. Si enim, ut ipsi vane garrierunt, idolis comparatur imaginum titulatio, nostræ redemptionis mysterium evanescit, quod Dei Filius operatus est præsentia sua, qua pro nobis carne conversatus est absque peccato : et subsequuntur [vanæ sunt] etiam remissiones propheticæ, dicentes : *Serviamus illi in sanctitate et justitia omnibus diebus vitæ nostræ* (*Luc.* I). Et rursus : *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino. Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis* (*Psal.* LXXVII). Si opprobrium sempiternum datum est inimicis nostris, malis videlicet virtutibus, per resurrectionem ejus, quomodo iterum Christiani idolis servierunt? O et inscientiam et impietatem ipsorum! Utinam intellexissent quod scandalizare unum ex minimis qui crediderunt in Christum, importabilem habeat indignationem (*Matth.* XVIII) : quanto magis orbem sollicitum reddere simultatibus? Sed ad nihilum verbum Domini redegerunt, reprobantes ecclesiasticas traditiones : propterea ad nihilum redegit eos Dominus ; et cum Ario, Eunomio, Macedonio, Apollinario, Nestorio, Eutychete ac Dioscoro, Sergio, Honorio, atque cum omni eorum pessima secta connumeravit turbulentum factionis eorum concilium : stultitiam namque horum imitantes [exprimentes] stulta locuti sunt, et funda veræ confessionis cum ipsis lapidati sunt, atque soluta est acies ipsorum. Neque enim reliquit Dominus in perpetuum virgam peccatorum super sortem Ecclesiæ : quoniam Judaice meditati sunt inania, et secunda illius concilii hæreditaverunt. Hoc nempe concilium, Caiphaicum concibiabulum factum est. Illud adversus Dominum inania meditatum est : hoc adversus ipsius imaginem fremuit. Hoc enim concilium redemptionem nostram, quæ per Christum effecta est, sibi et aliis ascripsit. Hoc concilium profundum consilium consiliatum est, et non per Dominum : et fœdera fecit, et non spiritum ejus : quoniam ornatum venerabilium templorum demolitum est. In hoc concilio nullus hominum invenitur ad imaginem Dei factus, quia imaginem Domini ac sanctorum ejus dehonestantes et confringentes, igni tradiderunt. Hoc concilium furia et vecordia plenum satanicarum vocum sententiam fecit. Hoc concilium solam nuncupationem habet sacerdotalem, scientiam autem pravam atque profanam. Hoc concilium contumax habet os, et spiritum mendacio delibutum : nam veritatem quidem finxit, in fallacia præsumpsit [falsitatem vero libere docuit]. Hoc concilium sancta nostra synodus, utpote zizania Dominicæ areæ, id est catholicæ Ecclesiæ, ventilavit, et ventilabro divini judicii projecit. Ablata ergo sunt a catholica Ecclesia et redarguta figmenta ejus. Verum enim et rectissimum Ecclesiæ judicium nec novum fieri, nec adimi in ea quidquam indulget. Nos igitur paternas leges sequentes, ab uno spiritu accepta gratia, immutilate [sine ulla innovatione] et indiminute omnia quæ Ecclesiæ sunt custodivimus ; quemadmodum sex sanctæ universales synodi tradiderunt : et quæcunque dimiserunt honoranda in catholica Ecclesia, absque omni cunctatione recipimus. Ex quibus, ut dictum est, etiam imaginum factio est : quas honoranter honoramus [*Gr.*, adoramus] et salutamus. Idipsum etenim utrumque : et quisquis huic professioni hæserit, catholicæ est Ecclesiæ germanus et

particeps filius. Ergo omnia scandala recesserunt; omnia exterminata sunt: Veritas viget, mendacium foras emissum est: sator zizaniorum prorsus defecit; frumentum autem, populus videlicet Christi amicus, in unum horreum Ecclesiæ Christi allatum est. Orthodoxiæ lux orta est, erroris tenebræ sublatæ sunt. Mœstitia in gaudium commutata est, luctus in lætitiam traductus est: conversus est planctus in gaudium nobis. Omnia in melius transvecta sunt propter quod et nos apostolice vobis pronuntiamus: *Gaudete in Domino, gaudete, et iterum gaudete* (*Philipp.* III); trinum enim gaudium Trinitas nobis donavit: quam decet honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

ACTIO OCTAVA [a].

In nomine Domini et dominatoris Jesu Christi veri Dei nostri. Imperio plissimorum Christique amantium dominorum nostrorum Constantini et Irenes ejus matris, anno consulatus ipsorum octavo, x Kalendas Novembris, indictione undecima.

Tanquam illustres veritatis præcones, atque custodes imperatores orthodoxiæ fautores, divino moti desiderio, minime ferendum putarunt non considere synodo. Proinde scripto ipsorum præceptum est patriarchæ, ut omnes Deo amabiles episcopos adduceret ad conservandam divinitus novam Romam regiam ipsorum urbem. Quibus ille litteris acceptis mandatum imperatorum exsequebatur. Nam post omnium supra expositorum tractationem, felicemque rei exitum, omnibus Deo amabilibus episcopis secum acceptis in viam se dedit, et in urbem a Deo conservandam profecti sunt omnes. Quo ubi pervenere, ab imperatoribus benigne accepti sunt. At vero quæ faustissime præfulget a Deo custodita imperatrix bono inito consilio diem statum dixit, quo synodice cum episcopis præsideret: quod et factum est in palatio quod Magnaura vocatur. Itaque propositis sanctis Dei Evangeliis, præsidente ipsa cum simul regnante filio, et universa synodo, patriarcha synodum alloqui, quibus par erat verbis, jussus est: isque mandatum imperatorum exsequebatur. Deinde ipsi etiam vocibus a Deo acceptis placido et eleganti sermone synodum affati sunt: ita ut omnes cum patriarcha Deo amabiles episcopi congruis acclamationibus illos prosequerentur. His ita gestis, rursus imperatores ad synodum talibus usi sunt verbis: Legatur clara voce edita a vobis definitio, ut a nobis et cuncto astante et Christum amante populo audiatur. et annuente hoc universa synodo, Cosmas Deo amabilis diaconus et cubuclesius acceptam definitionem legit. Qua lecta imperatores ita interrogaverunt: Dicat sancta et œcumenica synodus, num lecta definitio vestrum omnium consensu sit edita. At illi exclamaverunt: Ita credimus, ita omnes sentimus; omnes consentiendo subscripsimus! Hæc est fides apostolorum, hæc fides Patrum, hæc fides orthodoxorum: hæc fides orbem terrarum constabilivit! Credentes in unum Deum in Trinitate collaudatum, honorabiles ejus imagines salutamus! Qui sic non habent, anathema sint! Qui non ita sentiunt, ejiciantur ab Ecclesia! Nos antiquum catholicæ Ecclesiæ institutum sequimur! Nos addentes vel dementes quidquam de catholica Ecclesia, anathematizamus! Nos adventitiam novitatem Christianos accusantium anathematizamus! Nos venerandas imagines recipimus! Nos qui non ita sentiunt, anathemati subjicimus! His qui accipiunt sacræ Scripturæ dicta adversus idola in venerandas imagines, anathema! Ei qui non salutat sanctas imagines, anathema! His qui sacras imagines idola vocant, anathema! His qui dicunt Christianos accedere ad imagines tanquam ad deos, anathema! His qui dicunt per illum nos, quam per Christum Deum nostrum liberatos ab idolis, anathema! His qui dicere audent catholicam Ecclesiam idola unquam recepisse, anathema! Omnibus hæreticis anathema! Concilio, quod in venerandas infremuit imagines, anathema! Ei qui recipit impia hæreseos ipsorum scripta, anathema! Theodosio Ephesino pseudoepiscopo anathema! Sisinnio cognomento Pastillæ anathema! Basilio infausti nominis Tricaccabo, anathema! Trinitas trium dogmata evertit! Anastasio, Constantino et Nicetæ, qui per successionem sedi Constantinopolitanæ præsederunt, veluti novo Ario, Nestorio et Dioscoro, anathema! Joanni Nicomediæ et Constantino Nacoliæ hæresiarchis, anathema! Despexerunt imaginem Domini et sanctorum ejus: despexit eos Dominus.

Si quis Christum Deum nostrum circumscriptum non confitetur secundum humanitatem, anathema!

Si quis evangelicas historias imaginibus expressas non admittit, anathema!

Si quis ipsas non salutat, cum sint in nomine Domini et sanctorum ejus, anathema!

Si quis omnem ecclesiasticam traditionem sive scriptam, sive non scriptam rejicit, anathema!

Post has acclamationes patriarcha obtulit imperatoribus lectum definitionis tomum, postulavitque cum universa synodo, ut consignaretur et communiretur piis eorum subscriptionibus. Et accipiens fauste præ

[a] Ex nova versione. — Quæ sequuntur actionis octavæ titulo prænotata hoc loco, in Græcis tantum leguntur codicibus, sed apud Anastasium et vulgatam editionem non habentur (excipe canones, de quibus postea). Visum tamen est ea inseri, quod illa contineant quæ sunt acta post synodum.

fulgens religiosissima imperatrix subscripsit, dabatque simul regnanti filio, ut et ipse subscriberet. Quod ubi factum, reddita est patriarchæ definitio per Stauracium celeberrimum patricium et logothetam dromi.

Tumque unanimi consensu omnes episcopi ita imperatoribus acclamarunt.

Multi anni imperatorum! Constantino et Irenæ matri ejus multi anni! Orthodoxis imperatoribus multi anni! Victoribus imperatoribus multi anni! Pacificis imperatoribus multi anni! Novo Constantino et novæ Helenæ æterna memoria! Deus imperium ipsorum conservet! Pacatam, Domine, vitam ipsis! Perduret, Domine, ipsorum imperium! Cœlestis rex, tuere terrestres!

Et post faustas acclamationes præceperunt imperatores, ut Patrum sententiæ legerentur, ex iis quæ in Nicæna metropoli recitatæ pridem erant, et expositæ sunt actione quarta : hoc est, Joannis Chrysostomi in Meletium episcopum Antiochenum, Asterii episcopi Amasiæ in Euphemiam martyrem, Joannis episcopi Thessalonicensis ex sermonibus ab eo scriptis contra gentiles; sancti Symeonis Stylitæ epistola ad Justinum imperatorem, beati Nili solitarii epistola ad Olympiodorum præfectum. Ex canonibus sanctæ et œcumenicæ synodi sextæ caput octogesimum secundum.

Quibus lectis et auditis tum ab ipsis, tum ab excellentissimis principibus, Christique amante populo, compuncti omnes corde acquieverunt veritati. Et rursus Deo amabiles episcopi acclamarunt quæ decebat cum multitudine populi. Plena enim erat prædicta domus regia concursu hominum : tota quippe aderat civitas cum ordinibus militum : ac de sedibus surrexerunt. Qui etiam Deo gloriam dederunt, et gaudentes ei gratias egerunt, cui sic placitum est.

CANONES ECCLESIASTICI[a]

PROMULGATI AB EADEM SYNODO.

I.

Quod oportet sacros canones per omnia conservare.

His qui sacram sortiti sunt dignitatem, testimonia et directiones canonicarum præceptionum formæ consistunt. Quas libenter suscipientes, cum deiloquo David canimus ad Dominum Deum dicentes : *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Et mandasti justitiam testimonia tua in æternum. Intellectum da mihi, et vivifica me* [*et vivam*] (*Psal.* CXVIII). Et si in æternum prophetica vox mandat nobis custodire testimonia Dei, et vivere in illis, immutilata [*Gr.*, inconcussa] profecto et immota permanent. Et quia [*Gr.*, quia et] Dei inspector Moyses ita dixit : *In illis non est addendum, et ab eis non est auferendum* (*Deut.* IV). Et divinus apostolus in eis gloriatus clamat : *In quem* [*Gr.*, *In quæ*] *desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I). Et : *Si angelus evangelizaverit vobis præter quod accepistis, anathema sit?* (*Gal.* I.) His ita se habentibus et protestantibus, exsultantes in eis sicut qui invenit spolia multa, divinos canones amplectabiliter in pectore recondimus, et integram illorum præceptionem ac immobilem tenemus : tam scilicet illorum qui ab almis et laudabilissimis apostolis sancti Spiritus tubis editi sunt, quam eorum qui a sex sanctis et universalibus synodis, atque his conciliis quæ localiter collecta sunt, in expositionem hujusmodi decretorum promulgati sunt : necnon et eorum qui a sanctis Patribus nostris prolati fuisse probantur. Ab uno enim eodemque spiritu illustrati definierunt quæ expediunt. Et quidem quos anathemati transmittunt, et nos anathematizamus : quos vero depositioni, et nos deponimus : quos autem segregationi, et nos segregamus. Porro quos epitimio [b], id est pœnæ tradunt, et nos quoque simili modo submittimus. Sine avaritia namque sint mores, contenti præsentibus, Paulus aperte clamat divinus apostolus, qui in tertium cœlum ascendit, et audivit ineffabilia verba (*Hebr.* XIII).

II.

Quoa oporteat consecrandum episcopum caute polliceri canones servare; sin autem, minime consecrari.

Quoniam psallentes repromittimus Deo : *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos* (*Psal.* CXVIII) : omnes quidem Christianos hoc servare saluberrimum est; sed præcipue hos qui hierarchicam consecuti fuerint dignitatem. Unde definimus, omnem qui ad episcopatus provehendus est gradum, modis omnibus psalterium nosse; ut ex hoc etiam omnis clericus qui sub eo fuerit, ita moneatur et imbuatur. Inquiratur autem diligenter a metropolita, si in promptu habeat legere scrutabiliter et non transitorie tam sacros canones et sanctum Evangelium, quam divini Apostoli librum et omnem divinam Scripturam : atque secundum Dei mandata conversari et docere populum sibi commissum. Substantia enim summi sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita, id est vera Scripturarum divinarum disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionysius : quod si disceptaverit [*Gr.*, hæsitaverit, et non ita facere ac docere libenter voluerit : *al.*, et ita libenter facere et docere minime spoponderit], nullatenus consecretur. Ait enim prophetice Deus : *Tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (*Ose.* IV).

III.

Quod non oporteat principes eligere episcopum.

Omnis electio a principibus facta episcopi aut presbyteri aut diaconi, irrita maneat secundum regulam quæ dicit (*Canon. apost.* 30) : Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus, ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur : et segregentur omnes qui [*Gr.*, segregetur, et omnes qui] illi communicant. Oportet enim ut qui provehendus est in episcopum, ab episcopis eligatur; quemadmodum a sanctis Pa-

[a] Ex versione Anastasii Bibliothecarii quam contulimus cum codice Jolyano.

[b] « Epitimium est pœna quæ pro modo delicti in observantiam datur, » ait Anast. in c. Jolyano.

tribus qui apud Nicæam convenerunt, in regula definitum est, quæ dicit (*Can.* IV) : Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, et aliis per litteras consentientibus, tunc consecratio fiat. Firmitas autem eorum quæ geruntur, per unamquamque provinciam metropolitano tribuatur antistiti.

IV.

Quod abstinendum sit episcopis ab omni dati acceptione.

Prædicator Ecclesiæ Paulus divinus apostolus ac si canonem ponens Ephesiorum presbyteris, imo vero et omni sacratæ multitudini, ita fiducialiter perhibuit dicens : *Argentum, aut aurum, aut vestem nullius concupivi : omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos* (*Act.* XX) : beatius existimans dare. Propter quod et nos edocti ab eo definimus, nullatenus episcopum turpis lucri gratia excogitare ad excusandas excusationes in peccatis, et expetere aurum vel argentum aut aliam speciem ab episcopis, vel clericis, aut monachis qui sub ipso sunt. Ait enim Apostolus : *Iniqui regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI); Et : *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis* (*II Cor.* XII). Quisquis ergo propter exactionem auri vel alterius cujuslibet speciei, aut propter proprium vitium [affectum] inventus fuerit coercens a ministerio, vel sequestrans aliquem clericorum qui sub se degunt, aut venerabile templum claudens, ne in eo Dei ministeria celebrentur, ad insensata suam transmittens insaniam, insensatus veraciter est; ac per hoc, simili pœnæ eo subjecto, convertatur dolor ejus in caput ejus, ut in transgressorem mandati Dei et mandatorum apostolicorum. Præcipit enim et Petrus principalis apostolorum summitas : *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei non coacte, sed spontanee secundum Deum : non turpis lucri gratia, sed prompte : neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis : et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam* (*I Petr.* V).

V.

Quod qui exprobrant clericis, eo quod ordinati sunt in ecclesia sine datis, epitimio [*mulctæ*] *subjacent.*

Peccatum ad mortem est, quando quidam peccantes incorrecti persistunt. Hoc vero deterius est, si et arroganter elati insurgunt adversus pietatem et veritatem; et præferentes mammona Dei obedientiæ, nullatenus regularibus ejus præceptis intendunt. In his non est Dominus Deus, nisi humiliati a proprio resipuerint fortasse excessu. Oportet enim eos magis accedere ad Deum, et cum contrito corde remissionem hujus peccati et indulgentiam petere, et non gloriari in illicito dato. *Juxta enim est Dominus his qui tribulato sunt corde* (*Psal.* XXXIII). Eos igitur qui gloriantur se per dationem auri ordinatos in ecclesia, et in hac maligna consuetudine quæ alienat a Deo et omni sacerdotio, sperant, et ex hoc impudenti facie et non operto ore exprobabilibus verbis eos qui ob virtutem vitæ a sancto Spiritu electi et constituti sine datione auri sunt, inhonorant; primo quidem novissimum gradum accipere sui ordinis definimus : quod si permanserint, per epitimium corrigantur. Si vero quis claruerit super consecratione hoc aliquando faciens, efficiatur secundum apostolicam regulam quæ dicit (*Can.* XXX) : Si quis episcopus per pecuniam dignitatem hanc obtinuerit, vel presbyter aut diaconus, deponatur et ipse et qui eum consecravit, et excidatur omnimodis etiam a communione, quemadmodum Simon Magus a me Petro. Similiter et juxta secundam regulam sanctorum Patrum qui apud Chalcedonem convenerunt, quæ ait : Si quis episcopus per pecunias consecrationem fecerit, et sub pretio redegerit gratiam quæ non potest vendi, ordinaveritque per pecunias episcopum, vel chorepiscopum, sive presbyteros aut diaconos, aut quemdam eorum qui in clero connumerantur : aut præposuerit per pecunias œconomum vel defensorem, sive mansionarium, aut prorsus quemquam qui sub regulam est, turpis lucri gratia : qui hoc conatus fuerit agere, si convictus fuerit, proprii gradus periculum subeat : et qui consecratus est, nihil proficiat ex consecratione vel promotione quæ per negotiationem effecta est; sed sit alienus a dignitate et [seu] sollicitudine quam per pecunias consecutus est. Si vero quis mediator apparuerit in hujusmodi turpibus et illicitis datis [lucris] : si quidem clericus fuerit, proprio gradu decidat : si vero laicus vel monachus, excommunicetur.

VI.

Ut efficiatur localis synodus per annum.

Quoniam quidem regula est, quæ dicit (*Conc. Nic.* cap. 5) : Bis in anno per singulas provincias oportet fieri per conventum episcoprum regulares inquisitiones : propter fatigationem et ut opportune habeantur ad iter [*Gr.*, quod inopia laborent ad iter] agendum hi qui congregandi sunt, [a] definierunt (*Can.* 8) sextæ synodi sancti Patres, omni excusatione remota modis omnibus semel in anno fieri, et depravata corrigi. Hunc ergo canonem et nos renovamus : et si quisquam princeps inventus fuerit hoc prohibere, communione privetur. Si quis vero metropolitanorum hoc neglexerit agere, absque necessitate, vel vi, seu

[a] Anastasii verba : *Ne te moveat, si hanc definitionem nos minime habeamus, cum et earum nonnullas quas inter canones habemus, in auctoritatem non recipiamus, sicut quasdam ex conciliis. Aliæ namque apud Græcos tantum, alia vero apud certas solum provincias in observantiam ecclesiasticam assumuntur, sicut sunt Laodicensis conc. regulæ* 16 *et* 17, *quæ apud Græcos tantum servantur, necnon et Africanorum conciliorum et capitula* 6 *et* 8 *quæ nulla provincia servare nisi Africana dignoscitur.*

aliqua rationabili occasione, canonicis pœnis subjacent. Dum autem synodus agitur [*Gr.*, Synodo autem peracta] super canonicis et evangelicis negotiis, oportet congregatos episcopos in meditatione et sollicitudine fieri custodiendorum divinorum et vivificorum Domini mandatorum : in custodiendis enim illis retributio multa ; quia et lucerna mandatum : lex autem lux, et via vitæ arguitio et disciplina est (*Prov.* VI) ; et mandatum Domini lucidum illuminans oculos (*Psal.* XVIII). Porro non habeat metropolitanus licentiam ex his quæ defert episcopus secum sive jumentum, sive aliam speciem expetendi. Quod si hoc egisse convictus fuerit, solvat quadruplum.

A

VII.

Quod temere noviter sine reconditis sanctorum reliquiis dedicata oporteat suppleri.

B

Ait Paulus divinus apostolus : *Quorumdam peccata manifesta sunt, quorumdam autem et subsequuntur* (*I Tim.* V). Peccatis ergo prævenientibus, et alia peccata his accidunt. Impiam itaque Christianos accusantium hæresim et aliæ impietates subsecutæ sunt. Sicut enim venerabilium imaginum vultum abstulerunt ab Ecclesia, ita et alios quosdam mores deseruerunt ; quos et oportet renovari, et secundum scriptam et non scriptam legislationem denuo detineri. Quotquot ergo venerabilia templa consecrata sunt absque sanctis reliquiis martyrum, definimus in eis reliquiarum una cum solita oratione fieri positionem. Et si a præsenti tempore inventus fuerit episcopus absque ipsanis consecrare templum, deponatur, ut ille qui ecclesiasticas traditiones transgreditur.

C

VIII.

Quod Hebræos non oporteat recipi, nisi forte ex sincero corde converti fuerint.

Quoniam errantes hi qui ex Hebræorum superstitione consistunt, subsannare se Christum Deum existimant, simulantes Christianizare, ipsum autem negant, clam et latenter sabbatizantes, et alia Judæorum more facientes : definimus hos neque in communionem, neque in orationem, neque in ecclesiam suscipi ; sed manifeste sint secundum religionem suam Hebræi : neque pueros eorum baptizari, neque servum emi vel acquiri [*Gr.*, emere vel possidere]. Si vero ex sincero corde ac fide converterit se quis eorum, et confessus fuerit ex toto corde, divulgans mores eorum et res, ut alii etiam arguantur et corrigantur ; hunc suscipi et baptizari, et pueros ejus : quin et observari eos [cautos reddi], ut recedant ab Hebraicis adinventionibus, definimus ; alias autem nullatenus admittendos.

D

IX.

De non abscondendo libro quolibet hæreseos Christianos accusantium.

Omnia puerilitia ludibria, insanasque dehacchationes atque conscripta, quæ falso contra venerabiles imagines facta sunt, dari oportet in episcopio Constantinopoleos, ut recondantur cum cæterorum hæreticorum libris. Si vero quis inventus fuerit hæc occultare, siquidem episcopus aut presbyter, vel diaconus fuerit, deponatur : si vero monachus aut laicus, anathematizetur.

X.

Quod non oporteat clericum relinquere parochiam suam, et ad aliam transire absque notitia episcopi.

Quoniam quidam clericorum parvipendentes canonicam constitutionem, relinquunt parochiam propriam, et ad alias parochias convolant, et maxime in hac Deo servanda regia urbe sese apud principes locant, in eorum oratoriis missas facientes : hos absque proprio episcopo et Constantinopolitano antistite non licet suscipere in qualibet domo vel ecclesia ; quod si hoc fecerit, et ita perseveraverit, deponatur. Quotquot autem cum conscientia prædictorum hoc fecerint sacerdotum, non licet eis mundanas et sæculares curas suscipere, præsertim cum hoc agere prohibeantur a sacris canonibus. Quisquis autem apparuerit eorum, qui dicuntur majores, curam tenere, aut desinat, aut deponatur : potius autem maneat ad magisterium tam puerorum quam famulorum, relegens eis divinas Scripturas ; ad hoc enim etiam sacerdotium consecutus est.

XI.

Quod oporteat œconomos esse in episcopiis ac ministeriis.

Cum simus debitores omnes sacras litteras custodire, et eam quæ dicit, in unaquaque ecclesia œconomos esse (*Conc. Chalced.* can. 26), modis omnibus inviolabilem conservare debemus. Et si quidem unusquisque metropolitanus in sua ecclesia constituerit œconomum, bene utique : sin autem, ex auctoritate propria [*Gr.*, speciali] Constantinopoleos episcopo licentia est præponendi œconomum in ejus ecclesia : similiter et metropolitanis, si episcopi qui sub ipsis sunt, non sategerint œconomos statuere in suis ecclesiis. Id ipsum autem servandum est etiam in monasteriis.

XII.

Quod non oporteat episcopum vel abbatem alienare quid de proastiis [suburbanis] ecclesiæ.

Quisquis episcopus inventus fuerit vel abbas de salariis [agris *seu* fundis] episcopii sive monasterii transferre quidquam in principum manus, vel etiam alii personæ conferre, irritum sit quod datum esse constiterit, secundum [*Gr.*, irrita sit alienatio secundum] canonem sanctorum apostolorum qui dicit (*can.* 39) : Omnium ecclesiasticarum rerum episcopus sollicitudinem habeat, et dispenset eas tanquam Deo contemplante ; non liceat autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare quæ Dei sunt. Quod si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur ; sed non sub eorum occasione quæ sunt ecclesiæ defraudentur [*Gr.*, venundet]. Quod et excusationem si prætenderint, damnum facere, et nihil ad profectum agrum existere ; nec sic principibus

qui per .oca illa sunt, tribuatur ager vel locus, sed clericis vel agricultoribus. Quod si calliditate usus fuerit, et a colono vel clerico emerit princeps agrum; etiam sic irrita sit venditio, et restituatur episcopio vel monasterio : et episcopus vel abbas hoc faciens abjiciatur, episcopus quidem ab episcopio, abbas autem a monasterio, tanquam qui dispergit male quæ non collegit.

A

XIII.

Quod in magna damnatione sint hi, qui monasteria communia faciunt habitacula.

Quoniam propter calamitatem, quæ pro peccatis nostris in ecclesiis facta est, subreptæ sunt a quibusdam viris quædam venerabiles domus, tam videlicet episcopia, quam monasteria, et facta sunt communia diversoria : si quidem voluerint ii qui hæc retinent, reddere ea, ut secundum antiquitatem [*Gr.*, in pristinum statum] instaurentur, bene et optime : alioquin, si de sacrato catalogo fuerint, hos deponi præcipimus : si vero monachi vel laici, excommunicari quos nimirum constat condemnatos esse a Patre et Filio et Spiritu sancto; et deputentur ubi vermis non moritur, et ignis non exstinguitur (*Isa.* LXVI ; *Marc.* IX) : Quia voci Domini adversantur, quæ dicit : *Non faciatis domum Patris mei domum negotiationis* (*Joan.* II.)

B

XIV.

Quod non oporteat sine manus impositione legere in collecta super ambonem.

Quia ordo debet in sacratione [*Gr.*, sacerdotio] custodiri, omnibus liquet : et cum diligentia conservare sacerdotii promotiones, Deo est prorsus acceptum. Et quoniam videmus sine manus impositione a parvula ætate tonsuram clerici quosdam accipientes, nondum ab episcopo manus impositione percepta super ambonem irregulariter in collecta legentes, præcipimus, amodo id minime fieri; idipsum quoque conservandum est etiam inter monachos. Lectoris autem manus impositionem licentia est unicuique abbati in proprio monasterio solummodo faciendi, si duntaxat abbati manus impositio facta noscatur ab episcopo secundum morem præficiendorum abbatum, dum constet illum esse presbyterum. Simili modo secundum antiquam consuetudinem chorepiscopos præceptione [per præceptionem] episcopi oportet promovere lectores.

C

D

XV.

Quod non oporteat clericum duabus ecclesiis connumerari.

Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus ecclesiis. Negotiationis enim est hoc et turpis commodi proprium, et ab ecclesiastica consuetudine penitus alienum. Audivimus enim ex ipsa Dominica voce : *Quia nemo potest duobus Dominis servire ; aut enim unum odio habebit, et alterum diliget : aut unum sustinebit, et alterum contemnet* (*Matth.* VI). Unusquisque ergo secundum apostolicam vocem (*I Cor.* VII), in quo vocatus est, in hoc debet manere, et in una locari ecclesia. Quum enim per turpe lucrum in ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt a Deo. Ad vitæ vero hujus necessitatem studia sunt diversa : ex his vero qui voluerit, acquirat corporis opportuna. Ait enim Apostolus : *Ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ* (*Act.* XX). Et hæc quidem in hac a Deo conservanda urbe. Cæterum in villis quæ foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur.

XVI.

Quod non oporteat sacratum virum vestimentis pretiosis indui.

Omnis jactantia et ornatura corporalis aliena est a sacrato ordine. Eos ergo episcopos vel clericos qui se fulgidis et claris vestibus ornant, emendari oportet. Quod si in hoc permanserint, epitimio tradantur. Similiter eos qui unguentis inunguntur. Quoniam vero radice amaritudinis exorta, contaminatio facta est in catholica Ecclesia Christianos calumniantium hæresis, etiam hi qui hanc receperunt, non solum imaginarias picturas abominati sunt, sed et omnem reverentiam repulerunt, eos qui religiose ac pie vivunt offendentes [odio habentes] : ac per hoc completur in eis quod scriptum est : Abominatio est peccatori Dei cultus. Igitur si inventi fuerint deridentes eos qui vilibus et religiosis vestimentis amicti sunt, per epitimium corrigantur. Priscis enim temporibus omnis sacratus vir cum mediocri ac vili veste conversabatur. Omne quippe quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam [luxus habet crimen] quemadmodum magnus ait Basilius. Sed neque ex sericis texturis vestem quis variatam induebat, neque apponebat variorum colorum ornamenta in summitatibus vestimentorum. Audierant autem ex deisona lingua, quia *qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (*Matth.* XI).

XVII.

Ut qui non habet ea quæ ad consummationem sufficiant, minime oratoriam ædificare domum incipiat.

Quia quidam monachorum deserentes monasteria sua, præesse anhelantes, et obedire renuentes, inchoant construere oratorias domos, ea quæ ad perfectionem necessaria sunt non habentes : quisquis igitur hoc visus fuerit agere, prohibeatur a loci episcopo. At vero si sumptus sufficientes ad perfectionem habuerit, quæ ab ipso desiderantur, ad terminum perducantur. Idipsum autem servandum est etiam super laicis et clericis.

XVIII.

Quod non oportet feminas habitare in episcopiis, vel virorum monasteriis.

Sine offensione estote his etiam qui foris sunt (*I Cor.* X), divinus dicit Apostolus. Feminas autem commorari in episcopiis, vel etiam monasteriis, omnis est offensionis materia. Quisquis ergo ancillam vel liberam in episcopio possidere clarueri, vel

in monasterio ad opus ministerii alicujus, increpetur : si autem permanserit, deponatur. Porro si contigerit in proastiis feminas esse, et voluerit episcopus vel abbas iter ad eas [*Gr.*, illuc] facere, præsente episcopo vel abbate nullatenus monasterii opus facere eo tempore mulieri liceat, sed seorsum moretur in alio loco, donec episcopus vel abbas recedat propter irreprehensibilitatem.

XIX.

Ut sine dationibus sponsiones [admissiones] sacrorum virorum, monachorum quoque ac monacharum fiant.

In tantum inolevit avaritiæ facinus in rectores ecclesiarum, ut etiam quidam eorum qui dicuntur religiosi viri atque mulieres, obliviscentes mandatorum Domini, decipiantur, et per aurum introitus [receptiones] accedentium tam ad sacratum ordinem, quam ad monasticam vitam efficiant. Unde fit, ut quorum initium improbabile est, omnia sint projicienda, ut magnus ait Basilius. Neque enim Deo per mammona servire licet. Si quis ergo inventus fuerit hoc faciens, si quidem episcopus vel abbas exstiterit, vel quilibet de sacrato collegio, aut desinat, aut deponatur, juxta secundam regulam sancti Chalcedonensis concilii. Abbatissa vero ejiciatur de monasterio, et tradatur in alio monasterio ad subjectionem. Similiter et abbas qui non habuerit manus impositionem presbyteri. Porro quæ filiis a parentibus dantur more dotis, vel si qua ex propriis rebus acquisita offeruntur, profitentibus his qui ea offerunt Deo dicanda [*Gr.*, dicata], definimus, sive perseveraverint, sive exierint, manere illa in monasterio secundum repromissionem ipsorum, nisi fuerit culpa prælati.

XX.

Quod non oporteat amodo duplex monasterium fieri : et de duplis monasteriis.

Ex hoc definimus, minime duplex fieri monasterium; quia scandalum id et offendiculum multis efficitur. Si vero aliqui cum cognatis abrenuntiare, et monasticam vitam sectari voluerint, debent quidem viri virorum adire cœnobium, feminæ vere mulierum ingredi monasterium : in hoc enim placatur Deus. Quæ autem hactenus sunt dupla, teneant secundum regulam sancti Patris nostri Basilii, et secundum præceptionem ejus ita formentur. Non habitent in uno monasterio monachi et monachæ : adulterium enim intercipit cohabitationem. Non habeat aditum monachus ad monacham, vel monacha ad monachum secreto ad collocutionem. Non cubet monachus in muliebri monasterio, neque singulariter cum monacha convivetur : et quando necessaria vitæ a virorum parte ad regulares deferuntur, extra portam hæc suscipiat abbatissa monasterii feminarum cum quadam vetula monacha. Porro si contigerit, ut aliquam propinquam suam videre voluerit monachus, in præsentia abbatissæ huic confabuletur per modica et compendiosa verba, et in brevi ab ea discedat.

XXI.

Quod non oporteat monachos deserere propria monasteria, et transire in alia.

Non oportere monachum vel monacham monasterium proprium relinquere, et ad alia proficisci. Quod si contigerit hoc, recipi hunc hospitio necesse est : assumi autem eum sine voluntate abbatis ejus non convenit.

XXII.

Quod oporteat cum gratiarum actione et omni parcitate ac reverentia monachos, si contigerit, cum feminis manducare.

Deo quidem totum committere, et non propriis voluntatibus deservire, magna res est : *Sive enim manducatis, sive bibitis*, divinus Apostolus dicit, *omnia in gloriam Dei facite* (*I Cor.* x). Christus ergo Deus noster in Evangeliis suis initia peccatorum recidere præcepit. Non enim mœchia ab eo tantum inhibetur, sed et motio cogitationis ad mœchiæ commissum damnatur, dicente eo : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v.) Hinc ergo edocti, cogitationes debemus mundare. Nam etsi omnia licent, sed non omnia expediunt, ut ex apostolica voce docemur (*I Cor.* vi). Necessarium ergo est omni homini manducare, ut vivat. Et quidem inter eos, quibus vita est nuptiarum et natorum, atque laicalis affectus, manducare viros et mulieres simul, nulli detractioni patet; tantum ut ei qui dat escam, gratias agant : et non ab eis per quasdam thymelicas voluptates Satanæ imago cantantibus citharisque atque meretriciis contortionibus coli videatur. Quibus [*Gr.*, et non per q. t. v. hoc est satanicas cantilenas, citharasque et meretricias inflexiones : quibus] superveniet prophetica maledictio, quæ ita dicit : *Væ qui cum cithara et psalterio vinum bibunt, opera autem Domini non intuentur, et opera manuum ejus non intelligunt* (*Isa.* v). Et si usquam fuerint inter Christianos hujusmodi, corrigantur. Sin autem, obtineant super eis quæ sunt ante nos regulariter edita. Quibus autem vita est solitaria [quieta et solitaria] et unius moris, ut eis videlicet qui Domini jugum se singulare tollere spondent, sedere et tacere convenit. Sed et his qui sacratam elegere vitam, nullo modo licet secreto cum mulieribus convivari; nisi forte cum quibusdam Deum timentibus et verendis viris, vel etiam mulieribus; quatenus et ipsa convivatio ad directionem spiritalem proficiat, et inter consanguineos quoque idipsum efficiatur. Rursusque si contigerit in itinere monachum vel sacratum virum non circumferre quæ victui opportuna sunt, et propter necessitatem divertere sive in xenodochium [publicum diversorium] sive in domum alicujus, licentiam habebit hoc faciendi, tanquam urgente necessitate.

SERMO LAUDATORIUS *Sanctæ pronuntiatus synodo ab Epiphanio diacono Ecclesiæ Catanæ Siculorum provinciæ, ac loci servatore Thomæ archiepiscovi Sardorum insulæ.*

Beatus propheta Isaias divino accepto Spiritu

factam gentium per Christum redemptionem valde bene prævidens, et eorum qui per ipsum salvandi erant multitudinem non ignorans, ut ex persona Dei alicubi pronuntiavit his qui per singula tempora sacrorum sortiuntur præpositurarn ovilium, hæc : *Ambulate per portas meas, et ducite populum meum, et lapides a via projicite* (*Isa.* LXII). Quænam intelliguntur portæ, nisi divinitus inspiratæ Scripturæ, sanctorumque prophetarum verba? Quæ nimirum quasi quasdam intellectuales portas rationabilium pastores pecudum interpretando aperientes, sic eas ad latum et verum adducunt ostium, videlicet Dominum nostrum Jesum Christum, qui vere ad Patrem nobis factus est ostium, quemadmodum ipse ait, quia *Ego sum ostium* (*Joan.* X). Porro lapides qui in via projecti sunt, scandala forte sunt hæreticæ factionis, quæ veluti quidam lapides fidei nostræ semitæ apposita, eos qui ad Christum qui vera est via, properare volunt, impie impedire procurant, quantum in se est, iter eis salutis claudere festinantes. Rursusque via hæc Dominus utique noster Jesus Christus conjicitur, sicut ipse ait, quia *Ego sum via* (*Joan.* XIV). Hæreticorum ergo scandalis, ac si quibusdam lapidibus, sacerdotum peritissimi, ingeniose satis et artificiose ductore Spiritu a via nostra, id est fidei ratione purgatis, non solum hos contra capita eorum qui illos jecerant, mittunt, verum etiam hoc modo semitam quæ ducit ad viam [*fort.* vitam], subjectis plebibus facilem et tritam efficiunt; ita ut possint sapere ac dicere : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Adjutorium nostrum in nomine Domini* (*Psal.* CXXIII). En igitur divinus sacerdotum conventus Dominicorum mandatorum sequax, huc ad venerabile dispensationis Christi mysterium paternis doctrinis ordinandum et enucleandum concurrit. Non quasi hoc ipsum primum plebibus prædicaverint, cum ante octingentos ferme annos in orbe toto fuerit prædicatum : sed quod tantum salutare consilium, quod per eum consummatum est, divinæ Scripturæ interpretationibus lucidissime populis adaperuerunt, et hæreticos ab ipso petris allisos spiritus seu stercora [patris allisos Spiritu, ceu stercora valde congrue reputaverint] valde congruere putaverint [*fort.* stercori, *vel* ceu stercora]. Noverunt enim propheticam vocem sibi quasi ex persona Dei etiam in hoc clamantem : *Sacerdotes, audite et contestamini domui Israel* (*Amos.* VI), haud dubium quin spiritali. Quibus et nos quoque concurrentes, utpote quod in ipsis est pariter sentientes, splendido huic choro congratulamur, et præ desiderio mentis pennam moventes, quod possibile est ei conferre satagimus, et verbis tempus decentibus præsens celebrare, ac præconiorum hoc floribus coronare studemus spectaculum : nihil enim prohibet; licet ad id perfecte præ inopia fortassis et infirmitate sensus pertingere nequeamus, quæ tamen nobis sunt possibilia conferre maturamus. Sæpe namque parvus calculus magnis commissus lapidibus, quantum in se fuit, his immobilitatem se contulisse simulavit. Quis autem noster sit sermo, in medium proferatur, a divinis vobis trapezitis[a] benignitate multa discutiendus, et divinitus inspirata Scriptura probandus. O sacratissima statio, sursum atque deorsum hominem ad imaginem Dei factum ad rectitudinem iterato salvate : et reditum ad originalem pulchritudinem, quæ per incuriam sublata est, rursus per curam ei mereamini [mercamini]. Hoc enim sive observationes legalium mandatorum, sive relationes hominum, qui more historiæ bene aliterve in sæculo conversati sunt, sive sacra psalmorum eloquia, sive proverbiales doctrinæ moralem nobis narrantes philosophiam, per multam sollicitudinem exposuerunt. Sed impossibile erat facile lapsam peccatoque submissam naturam nostram in se antiquissimam, ex qua cecidit in Adam, recipere dignitatem. Quæ videlicet potius eguit alia quadam robusta et inexpugnabili meliori virtute, quæ illam ex infirmo ulcerum sibi turgentium proposito sanaret, et ad robustiorem valetudinem cum quodam liberali augmento reduceret. Hoc igitur cum sciret divino Spiritu motus prophetarum chorus, alibi aliterque talium ei bonorum nuntia protulit, in suo tempore unusquisque prædicens, consempiternum et consubstantialem Dei Patris Filium et Verbum divitiis bonitatis suæ ad nostram extremitatem profectum, nostram perfecte induisse naturam, et hanc invisibili et qui sine materia est, igne divinitatis suæ in antiquitatem reformasse. Alius quidem innuptam conceptionem et immaculatum ac virginalem partum prædicans; alius vero potentatum [*forte* potentatuum] omnimodum, exterminium, et imminutionem prævaricationis quæ obtinuit ab Adam, et in Adam facta est usque ad legem, atque diabolici simul delicti. Alius autem ejusdem satanæ ac dæmonum, qui cum eo apostatæ facti sunt, exitialem ruinam a facie apparentis Dei, atque incomparabilem gratiarum actionem Redemptori afferendam a nobis qui redempti sumus, super largissimis bonis quæ in nobis patrata sunt. Ast alius voluntariam incarnati Dei passionem, et in infernum descensionem, et rursus ex inferno validum reditum cum animabus, quæ inevitabilibus illis vinculis tenebantur. Alius vero gloriosum a nobis ad Patrem qui in cœlis est, regressum, et ad Patris dexteram sessionem: alius autem descendentem de cœlo nobis collatum, qui in illum credimus [*Gr.*, ἄφθονον, *id est*, copiosum] sine invidia, Spiritus adventum; et in omnes gentes evangelicæ prædicationis circuitum velocissimum : et quod hinc factum est per orbem terrarum idolorum omnimodum exterminium, per mundam reversionem ad unum et solum verum Deum nostrum effectam, atque imprætermissam et jugem latriam, quæ illi a nobis per universam terram intelligibiliter et spiritaliter exhibe-

[a] A verbis Domini, quæ citantur a vetustis Patribus, nec sunt apud evangelistas : *Estote probi trapezitæ.*

tur. Quæ omnia veritate temporibus suis terminata sunt, et finem gloriosissimum susceperunt. Audi igitur Paulum magna voce clamantem, et veritatem istam corroborantem : *Deus manifestatus est in carne, justificatus est in spiritu, apparuit angelis, prædicatus est gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria.* (*I Tim.* III.) O magni doctoris affectum [affatum]! Deus, inquit, manifestatus est in carne, quod est omnium bonorum causa, indeficiens donatio, sufficientissimæ divitiæ, perennis non auferendorum charismatum fons, insatiabilis esurientium esca, vivificus de cœlo panis, jugis sitientium rivus, ex quo qui biberit, non sitiet in æternum (*Joan.* IV). His manifestatus est in carne : sed et mundo, ait, creditus est. Quomodo creditus est in mundo? dic, beate Paule : imbue et nos ex arcanis illis vocibus, quibus in abditis paradisi imbutus es. Imbue etiam nunc prædicatione, cujus creditus es in omnes gentes prædicator et apostolus fieri. Infunde præsenti Ecclesiæ veritatis verbum, exstingue spiritales hæreticorum visus, ut quondam Elymæ magi (*Act.* XIII) : exprime cum fiducia dispensationis mysterium. Loqueris enim etiam post mortem voces excellentius, et operaris in spiritu quæcunque vis. Etiam inquit doctor : *Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc in gentibus, evangelizandi* videlicet *investigabiles divitias Christi, et illuminandi omnes, ac docendi, quæ sit dispensatio mysterii absconditi a sæculis a Domino, qui omnia creavit* (*Ephes.* III) Quapropter audite : *Creditus est*, dixit, *in mundo, reconcilians omnia in semetipso, et pacificans per sanguinem crucis suæ, sive quæ in terra, sive quæ in cœlis sunt* (*Coloss.* I). O sublimem hanc prædicationem! O inenarrabilem istam misericordiam! Unigenitus Filius Dei omnia in seipso reconcilians pacificavit per sanguinem crucis suæ. Et quomodo quidam post tantam ineffabilem reconciliationem nos fieri priorum seditiosorum inimicorum affirmant? Quomodo post unius et solius veri Dei agnitionem adorare idola Christianos dicere ausi sunt? Præsertim cum prophetæ omnimodam horum comminutionem quodammodo clamet et dicat : *In die illa apparebit Dominus, et exterminabit deos gentium terræ : et adorabit eum unusquisque de loco suo, omnes insulæ gentium* (*Zach.* XIII). Ecce subversionem idolorum, et Deo celebrandam adorationem ab unoquoque de loco suo audivimus. Quomodo igitur nos qui hoc agimus, idololatriam exercere accusamur? Quis autem et omnino posset in antiquitatem idolorum errorem renovare super terram? Si enim nequissimi dæmones qui per hæc placantur, hoc facere possunt, quomodo non destruetur totum dispensationis mysterium, sancta manifeste clamante Scriptura : *Quia percussit inimicos suos in posteriora* (*Psal.* LXXVII)? In quo innuitur, quia Christus etiam opprobrium sempiternum dedit eis. Qui enim potest aliquid operari, non inter mortuos, sed inter viventes adhuc procul dubio constituitur. Quomodo autem et ipse proprios confortans discipulos, et ad omnes vel qualescunque difficultates viriliter subeundas adhortans, veritatem dicet, cum asserat : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI)? Si enim quod hic vicisse se repromittit, hoc illi valuerunt rursus per rebellionem auferre, non utique tale quid victoria nominabitur, nec inter fortia facta connumerabitur. Nam quomodo victoria erit, si liberator [liberatos] in finem minime lucrifaciat, sed similibus ab his qui prius superati fuerant, luctaminibus redigatur [redigantur]? verum nec similibus, sed fortioribus? Nam possidere quid et perdere, plus mihi, quam non acquisitum non possidere, in rationem imbecillitatis reputabitur. Porro ubi putas idolorum status [stratus], qui hoc dicentes posuistis, aiunt? Et si in antiquis dæmonicorum templorum sedibus, nondum hoc Christianis in causam criminis irrogabitur. Videmus enim reliquias in quibusdam locis priscorum dæmonicorum templorum a veteribus derelictas, ad pompam, ut reor, eorum qui in his immolaverunt; vel etiam ad memoriam, quod nos redempti sumus, et in gratiarum actiones ducentem per visibiles infirmasque formationes : ex quibus Christianorum abominabiles factæ sunt culturæ, a quibus per Christum erepti sumus, nisi in Christianissimis hæc inquiunt, ecclesiis nostris invenirentur. O pravitatem quæ hinc efficitur! o pessimam blasphemiam! Quomodo enim, ubi Christus caput et fundamentum est secundum sapientissimum Paulum (*I Cor.* III), hoc fieri poterit? Fraudati vere sumus spe nos Christiani : decepti sumus etiam prædicatorum vocibus, qui etiam Deum nobis a dæmoniorum superstitione nos liberaturum in mundum venisse prædicaverunt. Quomodo etiam hoc penitus dicere potuerunt? Nam interrogaverunt [*fort.* interrogemus] eos qui sic sapiunt. Utrum hoc capite nostro permittente factum sit, an forte volente quidem ne fieret, non valente tamen auxiliari : et quomodo subsequenter hoc non sit totius blasphemiæ Si enim verax est sacratissimus Paulus, dum Christum Filium Dei, virtutem et Dei sapientiam nominat (*I Cor.* I), quomodo, quæso, valuit Patris inexpugnabilem virtutem et sapientiam, quæ omnibus esse tribuit, quidquam eorum quæ sunt exsuperare? Perspicuum enim est quia, si istud huic accidit, nec id quod non est hæc, a talibus accusationibus pellent. Quomodo enim Deus omnipotens, potens et fortis Pater adhuc dicatur, si quæ sua sublata sunt virtute, subdita inimicis sunt effecta? Vel quo pacto Filius indulsit in Ecclesiam, quam proprio sanguine suo sibi desponsavit, immanibus taliter et immisericordibus rursus deservire spiritibus? præsertim cum hymnographus dicat : *Quia secundum altitudinem cœli a terra confirmavit Dominus misericordiam suam super timentes eum* (*Psal.* CII). Si enim in hoc incarnatus est, ut de eorum nos manu liberaret secundum propheticas prolocutiones : liberati autem sumus, ut aiunt, ad modicum : non fuit, sed putata est. Non enim gladii [gaudii], sed abundantioris et difficilioris servitutis nobis factus est causa, tanto inimicos nostros

ferociores construens, quanto illos nos liberati, ut opinamur, irrisimus. Ubi autem continua misericordia conservatur, quam secundum altitudinem cœlestem a terra immensa [immensam] super nos confirmasse se repromisit, quod indicat infinitum? Vel quomodo iniquitates nostras elongasse a nobis dicitur, quantum distat ab oriente usque ad occidentalem plagam, quod omnimodam redemptionem signat, si adhuc eisdem implicamur erroribus? Et certe videmus medicorum peritissimos, cum aliquem infirmo corpore jacentem artis suæ diligentiis adjuverint, et ad sanitatem reduxerint, non cum mox a præsenti liberaverint passione, suæ subtrahere artis experientiam, sed certe vitæ circuitum cautiorem ei per quædam auxilia præmunire, valentia sollicitum operari : quatenus non eisdem forte per imperitiam iterum molestiis opprimatur. Ast rursus si verum est, quemadmodum et comprobatum est, quia nostram unigenitus Dei et Patris Filius induit naturam : manifestum est, quod propriis eam bonis ditaverit, et præcipuis spiritus Deus repleverit, ne de cætero sæculi [secundi] cujusquam egeret auxilio, semel ab eo robore qui hanc assumpsit, accepto. Hoc enim, reor, et beatus evangelista insinuat, cum tempore baptismatis omnium nostrum Salvatoris Christi se vidisse dicit Spiritum sanctum de cœlis descendentem et manentem super eum (*Marc.* I, *Joan.* I); significans eum naturam de cætero sine adjectione [abjectione] ditasse. Etenim non egebat ille qui per omnia Spiritui est coæqualis, Spiritus de cœlis adventu, quantum ad propriæ naturæ pertinet rationem. Nunquidnam in se augmentum sanctitatis acquireret, qui paternos in semetipso fert characteres, et Spiritus consubstantialitate nullatenus commutatur? Sed nostram in se præfigurabat gratiam : quoniam eo quo in Adam sumus privati, per ipsum et in ipso sumus iterum locupletati, et naturæ antiqua dignitas rediit. Si igitur Spiritus gratia super eum descendens mansisse legitur; et hoc quidem non est rejiciendum [ei], naturam scilicet deinceps conservasse Verbum, apparuit, quia profecto hujusmodi gratia in omne genus pertransiit. Quomodo ergo perhibetur [perhibent] nos veraciter ignorantia peccasse, et quasi honorem qui erga Deum est exercendus, idolis exhibuisse? Nam hujusmodi quidem per Christum gratia sumus ditati. Illis dicendum est qui omnia præsumunt. Porro si confessi fuerint, hæc nos quæ super verbum sunt bona per Christum meruisse, sed post hoc prioribus denuo submissos esse erroribus : infirmata est ergo secundum ipsos gratia quæ per Spiritum data est, ne sufficienter usque in finem cum his qui semel hanc sortiti sunt, permaneret. Et quid ita sapere magis impium vel infelicius? Vel quomodo is qui per omnia justus est, et cunctis vivificam præbet virtutem, omnium videlicet inspector atque omnipotens Patris spiritus, natura sua deficiet, et mensuris infirmitatis succumbet? Aut quomodo illud dicitur : *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII)? Verum salutaris fatebitur vox, si repromissionum ejus res per opera in finem processisse non cernitur? Etenim talibus tunc secum existentibus sanctis apostolis talem repromissionem donavit. Quomodo enim usque ad consummationem hi in carne permanserunt, qui etiam modicum post regressum ejus ad cœlos in vita manentes, communi naturæ functi sunt lege, vitam morte deserentes? Verum in nos hujusmodi Evangeliorum munus pertransit : qui videlicet eorum prædicationi submissi sumus, et Christum qui cum eis conversatus est, nobiscum existentem in spiritu et per totam vitam habemus. Expedit igitur in his plorare hæreticorum errorem, qui hæc taliter contempserunt, qui tam manifestis dogmatibus objurgantur, et tam Deo decibiles irritas promissiones Ecclesiæ catholicæ faciunt, his impie derogantes. Nullatenus enim hæc a tradita sibi commota est fide : mansit autem sicut virgo casta, sicut scriptum est (*II Cor.* XI), Christi sponsi sui arrham inviolabilem servans, id est, datam in se Spiritus gratiam. Cujus rei gratia et divinus David multis prius gentibus immobilitatem fieri [fidei] ab illa exhibitæ prædicans asserebat : *Deus in medio ejus non commovebitur; etenim* [et iterum] *firmavit orbem terræ, qui non commovebitur* (*Psal.* XLV, XCII) : diabolicis videlicet impugnata machinamentis. Nam etsi firmamentum evangelicæ prædicationis quæ in eam data est, quidam antiquorum vel instantium hæreticorum concutere voluerunt, illis tamen quod meditati sunt, in opus reputatum est. Huic autem soli immobilitas in æternum servata est juxta repromissionem illius qui non mentitur, dicens : *Si oblita fuerit mulier pueri sui, ut non misereatur sobolis ventris sui? Quod si et oblita fuerit hujus mulier, sed ego non obliviscar tui, dixit Dominus* (*Isa.* XLIX). Dimissis itaque sermonum eorum tortionibus, quibus in his usi sunt, et a longe garrulis sermocinationibus ipsorum ave dicto, sanctorum Patrum saporis[a] delectemur opinionibus. Deum igitur omnes nobis in humana forma in mundum profectum a multimodo nos idolorum errore liberasse monstraverunt : sic propheticæ prolocutiones promulgaverunt, sic apostolica gratia explanavit. Hac nos doctrina non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, sicut scriptum est, certificati sumus. Non enim nos sermonum suasiones sic habere fecerunt : paganorum enim est hoc; sed ipsarum rerum quæ confirmatæ sunt [consummatæ] veritas. Nam ubi est perniciosa dæmoniorum acies? ubi inanes et exsecrandæ idolorum immolationes? ubi falsi nominis deorum deceptoriæ animarumque corruptrices divinationes? Ubi debacchationes Veneris, et sacra mysteria Cereris, atque Dianæ hospiticidia? Ubi Dionysii vesanæ festivitates cum illicita virorum vesania, et nuncupati Mithræ justa imbutio? Ubi subtus terram et supra terram facta et aeria homicidia vo-

[a] Fort. *sapidis* : c. Jol. nihil mutat, neque vero necesse fuit, cum *saporus* adjective dicatur non secus ac *sapidus*.

catorum deorum taliter delectantium? Nonne omnia unigeniti Filii Dei adventu perierunt, et finem profanissimum susceperunt? Nonne pulchre quondam dedicata eorum templa, nunc imperatoriis elisa jussis et ad terram prostrata sunt? Nonne memoriæ ipsorum ab omnium corde Christianorum disparuerunt, et illud prophetiæ ipsis rebus factum aspicitur; videlicet: *Repleta est terra cognoscendi Dominum quasi aqua multa quæ operit mare* (*Isa.* XI)? Adoremus igitur Dominum qui apparuit, et ab hoc nos sævissimo liberavit errore. Hymnum dicamus ipsius infinitæ misericordiæ, prædicemus Ecclesiæ nostræ altissimo monti horribilem et ineffabilem dispensationis ejus condescensum [consensum]. Exaltemus voces in fortitudine, et ne parcamus magnificentiam majestatis ejus incomprehensibilem, scilicet affectum quem erga nos exhibuit, enarrantes. Dicamus ad eum et nos cum propheta: *Quis Deus sicut tu, auferens iniquitates, et occultans peccata residuis hæreditatis tuæ* (*Mich.* VII)? Præterea choros ducamus cum præsenti sacro commercio, ave illi affati tanquam gaudii bravium tribuentes. Gaude igitur, sacratissimum collegium divini ac sacrati conventus. Gaudete, sanctorum Patrum sanctissimi propugnatores. Gaude sine mendacio congregatio, in cujus medio Deus inambulat, sicut scriptum est (*Psal.* CV). Gaude, concilium spiritali apparitione refertum: ex qua qui illustratur, non offendet ad lapidem hæreticæ falsæque locutionis spiritales animæ pedes. Gaude, speculator divinarum indagationum; quem qui modeste sequitur, a minitante romphæa eruitur. Gaude, semper floride paradise, in cujus medio vitæ lignum plantatum est, per quadripartitam evangeliorum tabulam præsidens. Gaude, aurea ignitaque columna in novum Dei Israel, lucidis dogmatum doctrinis ab Ægyptiaca manu, id est hæretizantium errore liberans, et ad terram repromissionis Patrum orthodoxia deducens. Audacter in ostensione veritatis et fiducialiter age. Revelata facie gloriam sacræ et catholicæ Ecclesiæ prædica. Supra petram stabilis conversationis versatiles quorumdam mentes doctrinis confirma.

Tuque, præcipue o sanctorum Patrum concors et sacratissime præco, atque instantis nostri cœtus exarche, qui sublimem nobis per Christum thronum adornas, magni et primi pastoris diligentissimum speculum, spiritus mundissimum habitaculum, rectissima orthodoxorum dogmatum ponderatio, politaque in Christo conversationis habitæ regulæ nominatissima lucerna, et septem candelabrorum luminibus tota fulgidissima. Resplendere fac nobis tanquam ex invisibili candelabro sacræ cathedræ evidentissimorum verborum perspicuitates. Distribue autem et esurientibus vivificum divini magisterii panem, et nutri populum in extranea terra vagum effectum hæretici incolatus. Efficere nobis novus Joseph frumenti dator, et ambiguitates scripturalium explanans ænigmatum, opimis nos et spiritalibus interpretationibus nutri. Eleva oculos tuos, et vide super A te collectos filios tuos, qui luporum congressionibus dispersi sunt. Plenum tibi esse omne sacratissimum hoc divino decreto templum conspicitur. Crebro mentis tuæ saltu bestiarum preoccupa impetus, et hos præveniens sapientia tua exclude. Semper ovili tuo tranquillitatem concilia. Præmium autem hoc frequentibus ac bene sonantibus ad Deum emissis orationibus, ut tibi in multitudinem augeatur secundum repromissiones quæ sunt in Abraham instar astrorum numeri factæ. Gaude vero et tu, Nicensium inclyta urbs, inter metropoles opinatissimum nomen, Bithyniensium provinciæ gloriosissimæ primitiæ: quæ prius quidem sanctorum decem et octo trecentorumque deiferorum Patrum vestigiis sanctificata es, nunc autem horum successorum æquo B trecentorum cum quinque decadibus numerum compientium, ac reverendorum monachorum qui pene innumerabilis sunt multitudinis, eisdem benedictionibus [benedictionum] circumdata es gratiis. In te quippe orthodoxiæ [orthodoxæ fidei] fundamentum a quadam satanica subversione concussum pericliturum [periclitaturum: *forte deest*, sed non], stabilimentum sine perturbatione percepit. In te feram illam et immitem bestiam, Arium scilicet, divinus ille Patrum chorus sacris Scripturarum expansis captavit retibus, et terribilibus anathematibus perculit, et hinc Filium Dei et Patris, Dominum et consubstantialem gignenti, omnis natura hominum prædicare didicimus; et idcirco præsens sacratissimum compactum hujus numerosi conventus C dualitas piorum imperatorum consolidans colligi sanxit, Irene videlicet nova Helena cum filio proprio Constantino novo, quos in te Spiritus gratia, quæ tunc et nunc sanctis illuxit Patribus, conservet per largissima tempora, imperturbabile donans eis imperium, hostiumque nationes ante pedes prosternat, quatenus nobis bonorum copia non deficiat. Gaude itaque in his, o metropoleon inclyta species; quoniam in te nobis et primo bonorum exordium, et nunc finis exortus est, venerabilium nimirum imaginum catholicæ Ecclesiæ prisca traditio in suis terminis restituta. Nunc vero lætatur cœlum, et nubes stillant justitiam. Nunc medius paries maceriæ dissolutus est unitione dissensionis concessa, et in unius assensionis conspirationem quaternitas orbis D terræ collecta est. Nunc multæ quæ in diversa trahebant, convenerunt opiniones, et consonus hymnus a finibus terræ usque ad fines terræ Deo dirigitur. Gaude igitur tripudians super his et tu, catholica Ecclesia in toto terrarum orbe diffusa. Duc choros exsultans super filiorum tuorum conventu: depone divisionis pannos, et induere integra orthodoxæ tunica unitatis. Jam non poneris opprobrium inimicis tuis, subsannatio et derisio populis qui in circuitu tuo sunt. Non jam timebis contemptus hominum, Hebræorum scilicet et Agarenorum, qui sine Deo et sacra initiatione consistunt, quasi tibi non fuerit perfectio fidei doctrinis apostolicis tradita. Jam non ab hæreticorum ore criminaberis

quasi recesseris ab uno Deo propter decentissimum honorem erga ipsius amicos exhibitum. Jam non reputaberis idolorum similis templis propter sacratissimarum in te imaginum erectionem effectam. Decet enim te tanquam regi sæculorum Filio et Verbo Dei nuptam, in carne ipsius dispensationis humanam formam habentem anthropomorphon imaginem per picturam ferre, ut innotescat quod regia sponsa sis. Decet enim Dei genitricis Matris Christi qui te desponsavit, imaginem tuis sacratissimis parietibus factam in pictura et musivorum opere [in pictura facta ex musivorum opere] ferre : quatenus gratia quæ tibi per hanc illuxit, tacita prædicatione communiter cunctis populis prædicetur. Nisi enim ex hac incarnaretur, quomodo tam specioso sponso tu spiritali copula jungereris? Decet enim te et omnium sanctorum apostolorum, et prophetarum, confessorum, patriarcharum, et sanctorum Patrum, studiosorum quoque [a] ac martyrum, et totius pii collegii formatas imagines interius in picturarum confectionibus ferre : quatenus ipsa perfectionem orientis qui te ab alto circumfulsit, omni visione ostentes. Aliis quidem tuam quodammodo prænuntiantibus vocationem, et prophetiis suis sponso quasi quibusdam dotibus antea desponsantibus; aliis vero evangelicum tibi ministrantibus verbum, et per universam terram dispersa rationabilia tibi ovilia colligentibus; aliis autem suis quasi sudoribus per eamdem in dogmatibus diligentiam incorruptibilitatem gregibus tuis mercantibus; porro aliis sanguinibus suis erga te sinceram affectionem etiam usque ad mortem conservantibus, et hoc modo certitudinem in te veritatis demonstrantibus. Quibus cum denis millibus cœlestium angelorum coronam ferens, et amplissime prædicans, enuntia virtutes ejus qui de tenebris te idololatrici erroris vocavit in admirabile lumen suum, id est, in se ac Patrem qui sine initio est, atque in consempiternum et consubstantialem Spiritum suum, in unam scilicet quæ est super omnem principatum, naturam, fidem et confessionem. Cui gloria et imperium nunc et in universa sæcula sæculorum. Amen.

Per cuncta sanctissimo et beatissimo fratri et comministro, domino Adriano papæ senioris Romæ, Tarasius misericordia Dei episcopus Constantinopoleos novæ Romæ in Domino salutem.

Sufficeret quidem salutaris dispensatio magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi ad pacem, unanimitatem et concordiam omnibus Christianis. Ipse namque post ex mortuis resurrectionem apostolis suis insufflans ait : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Cujus rei gratia contestans omnibus nobis ille qui raptus in tertium cœlum, et in paradisum ingressus audivit arcana verba, Paulus scilicet divinus apostolus asseruit dicens : *Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum; et medium parietem maceriæ dissolvens* [*dissolvit*], *inimicitiam in carne sua* (*Ephes.* II). Et rursus Thessalonicensibus præcipiens ait : *Itaque, fratres, state, et tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram* (*II Thess.* II). Sed quoniam inimicus qui ab initio nequam est diabolus, non dimisit per diversa tempora ædificatam supra fundamentum apostolorum et prophetarum Ecclesiam secundum quod sibi visum est, discindere atque disrumpere, semet inferens per quosdam se sequentes viros malos, et zizania superseminare in regione hac, quæ culta est a tubis Spiritus, apostolis scilicet sanc : ipsi enim virtute ex alto accepta, et hac divinæ sulcis operationis proscissa, escam æternæ vitæ reliquerunt his qui per ipsos crediderunt, carpendam; horum deiloquam doctrinam sancti Patres nostri, qui hujus pastores et custodes per singula fuere tempora, suscipientes, zizania, id est hæreses et novitates addititias [subreptas] atque introductas radicitus exciderunt : et messem mundam arvo conservaverunt. Vestra ergo fraterna et summo pontificio decorata sanctitas cum his per deiloquas suas doctrinas quodammodo sermocinata, et ab eis accepto veritatis verbo, spinosas herbas quæ nunc germinaverunt, fidelissimorum et pacificorum imperatorum veritati concordans, evellere machæra Spiritus festinavit, mittens secundum scriptam sibi petitionem nostram ad universalem synodum faciendam æquivocos viros principis apostolorum Petri. Quibus advenientibus, pii et tranquillissimi imperatores nostri eos benigne suscipientes, ad nos jubebant mitti, per eos litteras vestras nobis suscipientibus. Et locuti cum illis quæ conveniebant, advocavimus et eos qui ab Oriente venerant sacerdotio decoratos viros, Joannem et Thomam, verbi et scientiæ participes, atque reverentia et modestia perornatos : aderant enim hic et ipsi per idem tempus pervenientes. Itaque congregatis omnibus Deo amabilibus episcopis hujus diœceseos, per nutum et divinum zelum fidelissimorum et piorum imperatorum, sessio synodi facta est. Sed quidam ex insensatis sensibus moti, turbationemque intra se facientes, exsurgere nos fecerunt e consessu : et prohibiti, anno uno taciti mansimus. At vero anno transacto, rursus Deo amabiles episcopi congregari in Nicensium clara metropoli Bithyniensium provinciæ a piis imperatoribus nostris jussi sunt. Siquidem et nos comites nobis asciscentes Deo amabiles viros et loci servatores vestros, similiter et eos qui de Oriente venerant, perreximus ad eamdem metropolim. Qui cum omnes sedissemus, caput fecimus Christum. Jacebat enim in sancta sede Evangelium sanctum, contestans omnibus nobis sacratis viris qui conveneramus : *Judicium justum judicate* (*Joan.* VII) : Judicate inter sanctam Dei Ecclesiam et novitatem quæ facta est. Et cum prælatæ primitus vestræ fraternæ sanctitatis litteræ legerentur, præstolabantur omnes [*Gr.*, communi considebamus corona omnes], spiritalibus eduliis tanquam in regalibus cœnis fruentes, quæ Christus per litteras tuas epulantibus præparabat : et sicut oculus totum corpus ad recti-

[a] Id est *ascetarum*, solitariam vitam degentium. In cod Jol., *id est confessorum.*

tudinis et veritatis semitam ostendebas. Sic ergo dirupta membra in unum conveniebant; sic vera consonantia confirmabatur; sic catholica Ecclesia unitatem recipiebat. Cum quibus et earum quæ de Orientali diœcesi missæ sunt nobis litteræ, lectione facta, integra paternæ traditionis pulchritudo demonstrabatur, ac vis veritatis roborabatur, propositis videlicet lectioni plurimis testimoniis Patrum. His itaque gestis prædicabatur a nobis omnibus, qui beneplacito Dei congregati eramus, recta et irreprehensibilis confessio, quæ nobis missa est a vobis, et per relationem etiam piis imperatoribus nostris. Et omnes hæreticæ illius pravitatis hæresiarchæ, et qui eos secuti sunt, et inconvertibiliter vitam suam finierunt, pari depositione [*hoc est*, religionis officio] damnati sunt cum his qui ante catholicæ hæretici fuerunt Ecclesiæ [in cathol. Eccl. hæreses amplexi sunt]. Qui enim in vita sua præsentes fuere, salutem [adhuc superstites erant, sal.] suam per scriptos a se libellos confessi sunt. Et nequaquam dimisit Christus Deus noster, petra nimirum in qua stabiliti sumus, desuper contextam per totum tunicam, id est Ecclesiam suam, quæ ab ipso et per [*Gr.*, *et cod. Jol.*, super] ipsum ædificata est, discissam et diruptam; sed nec membra alias atque aliter sese moventia. Quin potius una cum veteribus hæresibus etiam errorem vanæ [*Gr.*, novæ] pravitatis eorum, qui Christianos accusantes contra venerabiles imagines rabide latrant, verbo gratiæ suæ destruxit, et gladio spiritus pupugit. Et satisfacti sumus per omnia, et per experimentum cognovimus, quia valet super omnia veritas, et vincit secundum non mentientem dicentis vocem. Resistit autem ei universorum nullus [*Gr.*, omnino nihil], et est robustissima, ita ut elevetur contra omnes inimicos; et eorum qui resistunt sibi, legiones dissolvit. Ecce enim, ecce labia quidem falsa loquentium cessaverunt, et caligo procacium vituperationum quievit; illuxit autem veritatis dogmatum speciositas, undique abjecta hæretica infamia. Et Ecclesia ornamentum summ sortita est, et accepit requiem ex opprimentibus se doloribus. Immobilis enim est et inexpugnabilis: adversus cujus fidem portæ inferi et infidelitatis prævalere non poterunt, sicut ex Dominica voce audivimus (*Matth.* xvi): *Et repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione* (*Psal.* cxxv): et facti sumus lætantes in Ecclesia, cui præsidemus secundum Dei voluntatem. Hæc itaque facta sunt Christo, qui super omnia Deus noster est, volente, per orthodoxos et fortissimos imperatores nostros. Ipsi enim in omni loco venerabiles imagines erexerunt, tam scilicet in celeberrimis templis, quam in regalibus palatiis suis. Quibus Dominus Deus vicissitudinem tribuat, exaltans cornu regni eorum tam ad pacem Ecclesiarum suarum, quam ad salutem omnium Christianorum. Et sit nomen ejus benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

A *Per omnia sanctissimo et beatissimo fratri et comministro Adriano papæ senioris Romæ Tarasius indignus episcopus Constantinopoleos novæ Romæ in Domino salutem.*

Multifarie multisque modis, evangelice simul et apostolice atque paterne docemur sine avaritia habere mores in sacerdotii sanctificatione, et non aurum, non argentum, aut aliquid aliud usurpare super manus impositione omnis sacrati viri, quemadmodum ostendemus in ordinatis inferius testimoniis, tam ex Scripturæ divinæ assertionibus, quam ex paternis magisteriis assumptis. Qui enim manus imponunt, ministri sunt Spiritus, non venditores Spiritus: gratis quippe accipientes gratiam Spiritus, gratis his qui a se percipiunt, dare præcipiuntur, ex Dominica B voce hanc libertatem [*Gr.*, liberalitatem] adepti. Si quis autem convictus fuerit pecunia hanc obtinuisse, abjectum fore ab ordine sancto promulgant hujusmodi: et licet nomine sacerdotium sortiatur, sed fallitur sermo in causa [in re]. Nemo enim servire potest Deo et mammonæ, sicut ex Evangelio didicimus (*Matth.* vi). Quia vero prophetice audivimus Deo clamante: *Sacerdotes, loquimini ad cor Jerusalem* (*Isa.* xl); rursusque comminante atque dicente: *Speculator si viderit gladium venientem, et non insonuerit tuba, et populus se non custodierit; et veniens gladius acceperit ex eis animam, sanguinem de manu speculatoris requiram* (*Ezech.* xxxiii). Timorem ex silentio damnationis denuntiamus præsulibus omnibus Ecclesiarum quæ apud nos sunt, ut cum fiducia C secundum divinum Apostolum dicamus (*Act.* xx): Mundi sumus a sanguine prævaricantium canonicas dispositiones, et multo magis eorum qui per pecunias manus imposuerunt vel imponunt [*Gr.*, vel manus impositionem acceperunt]; Petro divino Apostolo, cujus cathedram sortita est fraterna sanctitas vestra, hos tanquam Simonem Magum deponente. Hujus rei gratia non subterfugimus, quo minus annuntiemus veritatem, custodientes et tenentes quæ a sanctis et laudatissimis Apostolis, et memorabilibus Patribus nostris canonice sunt prolata: et hos qui quid horum contempserint, abominamur. Igitur fraterna et summo sacerdotio decorata sanctitas vestra, jure ac secundum Dei voluntatem pontificalem ordinans pietatem [*Gr.*, sacrum hierarchicum gubernans ordinem], opinatissimam habet gloriam. Dixit enim per D prophetam primus et magnus summus sacerdos Christus Deus noster: *Vivo ego, sed glorificantes me glorificabo* (*I Reg.* ii). Nosti enim, vir desideriorum Spiritus, quia tolerabilior est Macedonii et eorum qui circa ipsum sunt, Spiritus impugnatorum impia hæresis. Illis enim creaturam et servum Dei ac Patris Spiritum delire fatentibus, isti sui ipsius eum, ut autumant, servum efficiunt. Omnis enim dominus quod habuerit, si voluerit, venundat, sive servum, sive aliud quid eorum quæ possidet. Similiter et qui emit, dominus volens esse ejus quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit. Ita et qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui san-

cto, æqualiter peccantes his qui blasphemant, dicentes, in Beelzebub ejicere dæmonia Christum (*Luc.* xi). Atque ut verius dicamus, Judæ comparantur traditori, qui Dei occisoribus Judæis pretio argenti Christum venundedit. Cum ergo sanctus Spiritus consubstantialis sit Christo Deo nostro, ejusdem omnino et ipsi portionis erunt, ut ostensum est. Si vero non venditur, (perspicuum enim est, quod nullo modo) non est procul dubio in eis gratia Spiritus sancti, id est, sacerdotii sanctitas. Nam quod non acceperunt, non habent. Memores ergo sint sancti Petri, ad eum qui hoc studebat ita dicentis : *Non est tibi pars, neque sors in sermone hoc* (*Act.* viii). Si enim venundatur sacerdotii dignitas, ergo superflua est apud ipsos vitæ probabilis actio, et in castitate aliisque virtutibus conversatio. Superfluus est secundum ipsos etiam Paulus divinus Apostolus docens, oportere *episcopum irreprehensibilem esse, prudentem, ornatum, doctorem, continentem, sobrium, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere* (*1 Tim.* iii, *Tit.* i). Proferuntur [evanescunt] igitur hæc omnia de venditore ac emptore beneficii [sacerdotii]. Porro subjecta sanctorum testimonia alienum omnino a sacerdotio pronuntiant eum qui dederit aliquando vel acceperit in aliquo tempore, sive scilicet ante manus impositionem, sive in manus impositione, sive post manus impositionem. Accipere est enim, accipere quandocunque. Sed et omnes promotiones ecclesiasticas auferunt in datione pecuniarum.

Canon sanctorum Apostolorum 29.

Si quis episcopus aut presbyter, aut diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur et ipse et ordinator ejus, et a communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus a me Petro.

De Actibus apostolorum (*cap.* viii).

Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum : Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possidere. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto : cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentium itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.

Ex libro tertio Regnorum (*cap.* xiii).

Non est reversus Jeroboam de via sua pessima, sed e contrario fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum. Quicunque volebat, implebat manum suam et fiebat sacerdos excelsorum : et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, et eversa est, et deleta desuper facie terræ.

Ex libro quarto Regnorum (*cap.* v), de lepra Giezi.

Reversusque Naaman ad virum Dei cum universo comitatu suo, venit et stetit coram eo, et ait : Vere scio quod non sit Deus alius in universa terra, nisi tantum in Israel. Obsecro itaque, ut accipias benedictionem a servo tuo. At ille respondit : Vivit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquievit; et post pauca : *Dixitque Giezi puer viri Dei : Pepercit dominus meus Naaman Syro isti, ut non acciperet ab eo quæ attulit. Vivit Dominus, quia curram post eum, et accipiam ab eo aliquid : et secutus est Giezi post tergum Naaman.* Et post pauca : *Et dixit Naaman : Accipe talentum argenti et coegit eum, ligavitque duo talenta argenti in duobus saccis, et duplicia vestimenta.* Et post alia : *Et dixit Elisæus : Unde venit Giezi ? Qui respondit : Non ivit servus tuus quoquam. At ille ait : Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, et accepisti vestes, ut emas oliveta, et vineas, et oves, et boves, et servos, et ancillas; sed lepra Naaman adhærebit tibi et semini tuo in sempiternum : et egressus est ab eo leprosus quasi nix.*

Ex sancti Basilii episcopi interpretatione in Isaiam. (*In cap.* viii, *post medium.*)

Legem dedit in adjutorium, ut dicant : Non sicut hoc de quo non licet dare munera. Hæc vero lex non est sicut verbum hoc quod est in ventriloquo : non enim ad deceptionem excogitata est, sicut illa, sed magistra est veritatis : et illi quidem in argento [pro arg.] divinant. Hoc enim est quod deridetur, quia et argentum eis tribuunt mercedem fallaciæ hi qui decipiuntur. Hoc autem verbum, id est legis, non est tale, ut munera dent pro eo. Nemo enim gratiam Dei venundat, *Gratis*, inquit, *accepistis, gratis date* (*Matth.* x). Vides, qualiter indignatus Petrus sit contra Simonem, pecuniam pro Spiritus sancti gratia offerentem? *Pecunia tua*, inquit, *tecum sit in perditionem; quia existimasti donum Dei per pecuniam possidere* (*Act.* viii). Non est ergo Evangelii sermo, sicut verba quæ venduntur a ventriloquis. Quid enim dabit quisquam dignum pro eis in commutationem? Audi David hæsitantem atque dicentem : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* (*Psal.* cxv)? Non possunt ergo munera dari de hoc condigna gratiæ, quæ ab ipso est. Unum est donum dignum, custodia videlicet ejus quod donatum est. Qui dedit tibi thesaurum, non pretium repetit dati, sed custodiam dignam ejus quod datum est.

Ejusdem ex epistola ad episcopos destinata qui sub ipso erant, ut non manus imponerent per pecunias.

Existimant se non peccare, quia non pariter cum manus impositione munus accipiunt. Accipere autem est, quandocunque accipiatur. Rogo ergo, ut hanc oblationem, imo vero terrenum commodum [inductionem in gehennam] deponatis, et ne manus talibus

contaminantes acceptionibus, vosmetipsos indignos faciatis celebrandi sancta mysteria.

De vita S. Joannis aurei oris.

Accessit ille qui longæ nobis erat disputationis auctor, ad episcopos omnes, Eusebius videlicet accusator sex reliquorum episcoporum, et postulans ut susciperetur in communionem. Contradicunt quidam episcoporum, non oportere illum in [ut] calumniatorem admitti. In his supplicavit dicens : Quoniam litis [lis] majorem partem per duos annos examinavit [examinata est], et dilatio [causa] ad testes effecta est, deprecor vestram Deo amabilitatem ut mihi ab eo testes [*Gr.*, ut a me testes] hodie tribuantur. Nam si et Antoninus episcopus mortuus est, qui accepto auro promovit; sed manent qui dederunt et ordinati sunt. Sanxit præsens concilium, ut requiratur negotium; inchoatur causa ex lectione monumentorum quæ primitus gesta sunt. Ingressi sunt testes : ingressi sunt et sex qui dederunt et ordinati sunt : in initio negabant. Cumque permanerent testes tam laici quam presbyteri, quibus visum fuerat fideuter esse [*Gr.*, visi fuerant confidere] credendum; quædam autem et mulieres : etiam species pignorum præfati, et loca, et tempora, et quantitatem; non admodum bene conscientia sua disposita, ultronei confitentur absque multa necessitate : quia dedimus, confitemur, et facti sumus talem existimantes consequentiam [consuetudinem] esse, ut videremur a curia publica liberari. Et nunc obsecramus ut, si quidem justum est nos esse in ministerio Ecclesiæ, simus : sin autem, saltem aurum quod dedimus, recipiamus : nam uxorum nostrarum quædam dedimus vasa. Joannes ad hæc repromittebat concilio, quia a curia quidem ego eos cum Deo liberabo, postulans imperatorem : vos autem præcipite accipere illos quod dederunt, ab hæredibus Antonini. Præcepit synodus aurum quidem eos recipere ab hæredibus Antonini, communicare autem intra altare, et esse privatos sacerdotio : ne istis indulgentiam consecutis, consuetudo fieret Judaica vel Ægyptia vendendi sacerdotium, vel emendi. Aiunt enim pestilentem et falsidicum patriarcham Judæorum per singulos annos vel infra, archisynagogos per vices constituere causa colligendæ pecuniæ : similiter et æmulatorem hujus, Ægyptiorum scilicet patriarcham; ut impleatur illud propheticum : *Sacerdotes ejus cum muneribus respondebant, et prophetæ illius cum argento divinabant* (*Mich.* III).

Ex canonibus sexcentorum triginta sanctorum Patrum, qui Chalcedone convenerunt regula secunda.

Si quis episcopus per pecunias fecerit ordinationem, et sub pretio redegerit gratiam quæ non potest vendi, ordinaveritque per pecuniam episcopum, vel chorepiscopum, vel presbyterum, aut diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in clero; aut promoverit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel mansionarium, aut quemquam qui subjectus est regulæ, pro sui turpissimi lucri commodo : is quem hoc attentasse probatum fuerit, proprii gradus periculo subjacebit : et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione aut promotione, quæ per negotiationem facta est, proficiat, sed sit alienus ea dignitate et sollicitudine, quam pecuniis quæsivit. Si quis vero mediator tam turpibus et nefandis datis vel acceptis exstiterit, siquidem clericus fuerit, proprio gradu decidat : si vero laicus aut monachus, anathematizetur.

Ex synodica epistola Gennadii sanctissimi archiepiscopi Constantinopoleos, et synodi quæ cum eo erat.

Sit igitur et est abjectus, et ab omni sacerdotali dignitate atque officio alienus, et maledictioni anathematis subditus, tam qui possidere hoc sacerdotium per pecunias opinatur, quam is qui præbere id propter pecunias pollicetur, sive clericus, sive laicus sit : sive convictus, sive non fuerit convictus hoc facere. Non est enim possibile convenire inconvenientia, neque cum Deo concordare mammona, vel eos qui huic serviunt, servire Deo. Dominica est etiam sententia hæc quæ incunctanter asserit, non posse Deo servire et mammonæ (*Matth.* VI; *Luc.* XVI).

Ex canonibus sanctæ sextæ synodi regula vigesima secunda [a].

Eos qui per pecunias ordinati sunt, sive episcopi, sive quicunque clerici, et non secundum probationem et vitæ optionem, deponi præcipimus : sed et illos qui hos ordinasse noscuntur. Audiamus hæc omnia, et auribus percipiamus, non solum summi sacerdotes et sacerdotes et qui in clero connumerantur, sed et omnes qui orbem habitamus terrarum. Oportet enim abundantius nos intendere his quæ audiuntur, ne forte defluamus : *Quia non corruptibilibus argento et auro redempti sumus de vana nostra traditionis paternæ conversatione, sed pretioso sanguine Agni immaculati et incontaminati Jesu Christi* (*I Petr.* I). Sic nos doceto, vir sacratissime, sequi divinam Scripturam, et evangelica, apostolica, canonica, et paterna præcepta. Obedimus enim verbis oris vestri. Super excelsa conscende, exalta in fortitudine vocem tuam : abi in latitudine, prædica cum fiducia, ut auferatur et in abolitionem veniat impositio manus quæ per pecunias fit : necnon et quidquid hanc propter avaritiam, injustitiam et acquisitionem, turpis lucri gratia sequitur. Hac enim una cum his quæ cum illa conveniunt, a populo acquisitionis qui nomine Christi censetur, et gratis consecutus est redemptionem, ablata, omnia contagia quæ nequitiam sequuntur, radicitus amputabuntur, et sacerdotes ut palma florebunt, Christi odorem his qui salvi fiunt inspirantes, et Ecclesiæ triumphale carmen canentes : Abstulit Dominus injustitias tuas

[a] Ad oram cod. Jolyani : Hi canones non apud Latinos, sed apud quosdam Græcos inveniuntur, sicut alia nonnulla.

ex te. Quin et eos qui carpunt dulcedine replentes, et multiplicantes illos in terra [a] pingui [senecta uberi], longævæ, inquam, illius vitæ ac incorruptibilis hæredes monstrantes.

Deo colendissimo comministro domino Joanni presbytero et hegumeno seu anachoretæ [Gr., *et anachoretæ, curarum scilicet mundanarum contemptori*], *Tarasius indignus episcopus Constantinopoleos novæ Romæ in Domino salutem.*

Qui ex fluentis divini Spiritus irrigatus, et inspiratione hujus est illustratus, David ille scilicet inter reges propheta et inter prophetas rex, laudans dicebat : *Initio cognovi de testimoniis tuis, quoniam in æternum fundasti ea* (*Psal.* CXVIII). Sine mendacio itaque his qui intellectum habent, est hymnodia hæc, et firma his qui concinunt eam. Ait enim inspector Dei Moyses de omni divinæ Scripturæ affatu : In illis non est addere, et ab illis non est auferre (*Deut.* XII, XXXIV). Qui ergo scrutabiliter et non transitorie omnibus sacris Scripturis et paternis doctrinis incumbunt, et lectioni horum intendunt, et mentem suam pietati et veritati infigunt et non ad propriam hanc voluntatem referunt, illuminantur mirabiliter a montibus æternis, illustrati ab evangelicis et apostolicis præceptis. Montes enim hæc Psalmista nominat (*Psal.* LXXV), quoniam in his meditantes et inambulantes, ad cœlestia pertransimus : æternos autem, quia non recentia nec temporalia, sed ab origine mundi prædicta sunt [*Gr.*, ante mundi constitutionem dicta sunt] ; quanquam novissimis temporibus prolata sint a prædicatoribus evangelicæ prædicationis. Nos ergo, vir desideriorum, eorum videlicet quæ sunt Spiritus, Deo te a juventute cognoscentes deditum, paucos cordis nostri motus et voluntates ad animi alacritatem commendamus : plura quippe silentio honorentur. Utique auditum est a vobis de synodo quæ facta est beneplacito Dei in Nicensium urbe : ad quam videlicet synodum nos et sacrati viri et loci servatores tam papæ senioris Romæ, quam Orientis sanctissimorum principum sacerdotum convenimus; necnon et Deo amabiles episcopi plurimi secundum præceptionem piorum imperatorum nostrorum. Similiter et reverendi archimandritæ et hegumeni, et multitudo monachorum. Cumque multa inter nos dicerentur, quod verum et placitum est Deo, sancitum est; et secundum priscam legislationem sanctorum Patrum nostrorum Ecclesia recepit imaginum picturam et titulos, ad superiorem sensum [elevationem animi] et memoriam mentis nostræ, ac participationem cujusdam sanctificationis. Quidquid enim sanctum Evangelium per lectionem insinuat nobis, id ipsum et imagines ; et quidquid gestorum libri de passionibus martyrum narrant, similiter et imagines : et has salutamus tanquam formas primitivorum, et nihil aliud, profecto in unum Deum in Trinitate laudandum credentes, et ipsi soli servientes. Expetimus etiam intercessiones intemeratæ dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, sanctorumque angelorum, et omnium sanctorum Patrum nostrorum. His ita se habentibus, questa est synodo pars major reverendorum monachorum [episcoporum]. Sed et nos præscivimus querelam istam, quia plures episcoporum pecuniis obtinuerunt sacerdotium : et licet peccatis nostris obcæcemur [implicemur], et horum retibus constringamur, in quibus propitius nobis sit Deus : attamen evangelicorum mandatorum et canonicarum præceptionum cognitionem percepimus, et in munda conscientia, et simplici corde, et in more sine avaritia, et imperturbabili ad Deum habito, canonicum [*Gr.*, conscientia alacriter erigente se ad Deum, can.] per omnia sequi optamus præceptum : et comprehendimus [submisimus] nosmetipsos, inclinavimus ad serviendum evangelicis atque apostolicis et paternis dispositionibus : decertantes ut hi qui sacerdotium sortiti sunt, sic degant et vivant et conversentur, sed et omnes qui Christi nomine vocitantur. At si quidam non acquieverint præceptis istis, communicator talium qui dicuntur quidem, non autem sunt sacerdotes, esse non patior, sed alienus ab horum sum portione : et mihi quidem protestari hæc non pigrum, ipsis autem tutum. Divini ergo canones dantem vel accipientem in ordinatione sacerdotii, deponunt, et persequuntur [expellunt] a sacerdotali dignitate. Inspector Dei Moyses, ut dixi, clamat : In illis, inquiens, non est addendum, et ab eis non est auferendum (*Deut.* XII, XXXIV). Similiter et hymnographus David psallit, et nos cum illo : *Ab initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea* (*Psal.* CXVIII). Et quis ad hæc resistendi idoneus? nisi forte infatuetur sensu, et divinis velit illudere. Jam enim fundata sunt testimonia Dei, et radicata sunt in Ecclesia ejus : licet quidam temporaliter non obedientes, minime custodiant ea. Illa ergo in æternum manent; et beati qui scrutantur ea, et his obediunt : et væ qui non obediunt. Omnis ergo episcopus, vel presbyter, aut diaconus convictus, quod per pecunias manus impositionem dederit vel acceperit, a sacerdotio decidit. Fortassis autem dicunt aliqui, quia pœnitentiam agimus pro peccato, et Deus ignoscit illud. Ita et ego dico, quia et omnes agentes pœnitentiam Deus suscipit, et indulget per pœnitentiam peccata quæ jam patrata sunt. Novi enim et David adulterio depressum et homicidio (*II Reg.* XI), sed acta pœnitentia receptum, et divino testimonio approbatum : *Inveni David*, inquit, *filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas* (*Psal.* LXXXVIII ; *Act.* XIII) : et sancta David prophetice testimonium habentia : perspicuum ergo est, per pœnitentiam eum fuisse correctum [*Gr.*, persp. ubi is per pœnitentiam correctus est]. Sed iterum novi audisse illum a Deo : *Non tu ædificabis mihi domum, quia vir sanguinum es* (*I Par.* XVII). Novi Manassem per confessionem ab impietate dimissum (*II Par.* XXXIII). Novi et meretrices et publicanos receptos per pœnitentiam

[a] Videtur legisse Anast. : ἐν γῇ aut χώρᾳ.

(*Matth.* XXI; *Marc.* II; *Luc.* V) : verum nullum ex his in sacerdotii dignitate numeratum, nisi forte id ante baptisma commiserit. Novi et monachos aliquot, cum in mundo essent, omni libidine conspurcatos ; cum autem solitarie viverent, tanquam faces in orbe resplenduisse [fornicatione detentos, effectos autem monachos sicut luminaria in mundo per studiosam vitam lucentes] : nullum tamen ex his in sacerdotem ordinatum. Quod si autem id semel atque iterum factum est, non tamen confestim legem in Ecclesia præscribit. Scimus sanctam [almam] Mariam [a] prius meretricem fuisse, postea factam continentem [fornicariam, rursus autem pudicam] : non tamen inter diaconas relata est. Quorsum vero hæc dico ? cum veritatis sermonem cognoscam, et eum qui a divinis apostolis initiatus est, audacter clamantem [a divinis apostolis et sanctis Patribus nostris edoctus audacter clam.] videam (*Can.* 30) : Quod quicunque per pecuniam ordinatus est episcopus, aut presbyter, aut diaconus, alienus est a sacerdotali dignitate : non enim divini Spiritus gratia venditur. Caiphaicum hoc studium est, Simoniaca hæc machinatio, et aliena a sacerdotali sanctificatione. In scortatione aut adulterio si quispiam post baptisma fuerit deprehensus, divini canones illum ad sacerdotium non admittunt : quin etiam si quispiam promotus ad sacerdotium, tale [*Gr.*, prom. est ad sacerdotium qui tale] aliquid fecerit, confestim ejicitur. Omnis igitur vir qui in pœnitentia perdurat, per bonitatem et mansuetudinem Dei veniam peccatorum suorum obtinet, quemadmodum etiam in superioribus demonstravimus. Novatum autem, et ejus impiæ hæresis asseclas anathematizo, utpote qui injurius sit adversus pœnitentiam, et mansuetudinem Dei elevet. Quare ejus opinionis sum, ut confitear recipiendum episcopum per pecunias ordinatum modo pœniteat : bonus enim Deus est in omnibus, et viscera ejus aperta sunt super omnem hominem pœnitentem, quem etiam in regnum suum inducit. Sed quoniam juxta divinum Apostolum (*I Tim.* III), episcopus inculpabilis [irreprehensibilis] esse debet : qui propter pecunias aliquem ordinat, aut ab aliis ordinatur, alienus est a sacerdotali dignitate, ut omnes novimus quicunque Ecclesiæ alumni sumus. Ergo bona et laudabilis pœnitentia quæ ad Deum ducit, et a peccatis liberat. Et ego quoque misericordia indigeo : novi enim Dei mansuetudinem, qui omnem ad se venientem recipit. Dixit enim per prophetam : *Tu primus dic peccata tua, ut justificeris* (*Isa.* XLIII). Et : *Dixi : Eloquar iniquitatem meam coram Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei* (*Psal.* XXXI). Et : *Pro ea orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno* (*ibid.*). [*Gr.*, *add.* Et Corinthium qui fornicatus est, novi a divino apostolo Paulo receptum, non tamen evectum ad sacerdotium.] Nam si pater, filio peregere existente, et rem impie et iniqne agente, redeuntem iterum ad se naturali amore prosequitur, quanto magis Deus omnium nostrum pater, omnem pœnitentem suscipiet in ulnis suis, cum sit singulariter misericors ! Non enim mortem petit peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat (*Ezech.* XVIII, XXXIII). Quemadmodum etiam in Evangelio ab ipsa Domini voce per parabolam de prodigo, et postea pœnitente (*Luc.* XV), instructi sumus, a Patre cœlesti recepto in cœlis [b]. Gaudet enim super omnem hominem agentem pœnitentiam. Pœnitentia insignis est armatura, magna salutis via, et hospitii regni cœlorum dispensatrix [*Gr.*, regni cœl. conciliatrix : *cod. Jol.* reconciliatio regni cœl.], incorruptibilis viæ dux, martyricorum certaminum æquiparatio, ad Deum viam indicans, et cum ipso nos esse faciens; humani generis baculus, cadentium et lapsorum surrectio. Beati qui hanc amplectuntur, et huic adhærent. Qui hanc exercent, cum angelis vitam æqualem ducunt, ab omni malo declinant, et bonum faciunt. Pœnitentia est coalumna et familiaris dilectionis [collactanea et cohabitatrix charitatis], eleemosynæ [*Gr. add.* orationis] jejunii, abstinentiæ, temperantiæ, probitatis, honestatis, mansuetudinis : et ut verum uno verbo dicam, hæc omnia pollet pœnitentia [*Gr.*, hæc omnia est pœnit.]. Si quis autem hanc contaminat et contemnit, non inter servatos, sed inter perditos numerandus est, quorum vermis non moritur, et ignis non exstinguitur. A quibus liberemur, digni habiti promissis bonis misericordia et miserationibus Christi Dei nostri. Hæc a nobis prædicantur, vir sanctissime, si forte fuerint, qui nos quoque infamare voluerint. Novimus enim te singularem admonitionem [*Gr. et cod. Jol.*, receptaculum] et cultorem evangelicarum et apostolicarum, canonicarumque jussionum. Quamobrem audacius quoque ad te ista scribimus, cupimusque ut ea monachis, et ascetis, virisque omnibus [*Gr.*, virisque sæcularibus] religiosis, cum quibus tibi commercium est, significes [*Gr. add.* si vero etiam libuerit, ostendas] : et ut in orationibus tuis cœlipetis nostri memor sis, obnixe rogamus, quo ex circumdantibus nos undique malis tandem aliquando liberemur. Urgent enim et intus et extra insultationes, a quibus misericordia Dei sumus liberati, et posthac quoque nos evasuros confidimus. Quamobrem iterum atque iterum dicimus, ora, precare o amice vir Dei et noster, imo potius pater : scimus enim quod affectu eo erga nos affectus es, quo pater erga liberos suos. Deus pacis, qui et remota et propinqua ad se convocat, vitam nostram in pace conservet, et omnes illos qui eum colunt et admirantur, nomenque illius invocant, salvos faciat intercessione et precibus dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, et omnium sanctorum. Amen. Omnes fratres qui ad vos pervenerint, nostro nomine salutes velim, ut et ipsi vobiscum pro nobis orent.

[a] Id est, Ægyptiacam.

[b] In cœlis redundat.

[a] *Quomodo intelligendum sit Dei nomen esse incommunicabile, et omnem propheticam locutionem, quæ invehitur in idola.*

Qui in tertium penetravit cœlum, et paradisum ingressus audivit arcana verba (*II Cor.* XII); qui ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum prædicavit Evangelium (*Rom.* XV), Paulus divinus apostolus impiam et inanem gentilium superstitionem redarguens ait : *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium : et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori* (*Rom.* I). Juxta hunc igitur sensum intelligere est, quod incommunicabile Dei nomen lignis et lapidibus adaptarunt : hoc enim illi fecerunt, qui ab omni Dei cultu fuere alieni, et qui ex Hebræis dementes a Deo defecerunt. Commissi sunt enim inter gentes, et didicerunt opera eorum. Et relicto invisibili, incomprehensibili, et opifice omnium Deo nostro, immolaverunt dæmoniis, Baal, Astartæ, Chamos, Apollini et Jovi, Dianæ et Veneri, Baccho et Mercurio, et plurimis aliis; et horum idola deos appellarunt; sed et volucrum et quadrupedum et serpentium. Quapropter idem Apostolus : *Tradidit*, inquit, *illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, nequitia, avaritia; plenos invidia, homicidio, contentione; susurrones, detractores, Deo odibiles, superbos, elatos, inventores malorum.* (*Ibid.*)

Propterea Deus legem dedit per Moysen : deinde prophetas adventum prænuntiantes Salvatoris Christi Dei nostri, necnon arguentes, minitantes, admonentes, cohortantes, ut ii redirent ad agnitionem veritatis, et posthabita creatura servirent Deo vivo et vero, cujus nomen cum creaturis et simulacris idolicis communicari non potest. Ait namque Apostolus : *Quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial* (*II Cor.* VI)? Verum neque lex, neque prophetæ eos convertere potuerunt; permanserunt enim in perditione sua. Advenit ergo qui prædictus erat a prophetis, ipsius Dei Verbum, coæternus Patri, verusque Deus, assumpta carne ex intemerata Dei genitrice semper Virgine Maria, et factus est homo nobis similis excepto peccato, ut nos ab errore idolorum liberaret, et a diaboli servitute eriperet. Expletis ergo omnibus suæ dispensationis mysteriis, passus carne in cruce, et sepultus, et resurgens, et ascendens in cœlos, unde descenderat, omni illa impuritate et abominatione nos liberavit, missis sanctis suis apostolis et discipulis ad omnes gentes, accepta ab eis, quemadmodum ipsis promiserat, virtute ex alto, Spiritu Domino, vivificante et omnipotente, qui ex Patre per Filium procedit. Per quem facti potentes opere et sermone, genus humanum ab inani idolorum cultu liberarunt; docentes nos credere in unum Deum qui in Trinitate laudatur et glorificatur : tradentes etiam in Ecclesia symbola ipsi et successores ipsorum Patres nostri celeberrimi. Quæ tenentes Christiani, signum venerandæ crucis sanctum Evangelium scripto traditum, venerabiles imagines per exprimentem rei figurationem, et quamplurima alia Deo dicata : eaque nobis admoventes, et cum affectu adorantes ac salutantes, sanctificationis ipsorum participes efficimur. Non tamen ad hæc quasi ad deos accessere Christiani, quemadmodum ad idola gentiles. Absit id ab eis crimen : nugæ sunt hæ, et vaniloquentia Iconoclastarum. Ex quo etiam merito Christianorum accusatores appellantur. Cumque dementes sint, vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum (*Psal.* XI). Labia dolosa in corde, et in corde prava locuti sunt. Quod ea quæ adversus idola promuntiata sunt a lege divina, prophetis et apostolis, in evangelicarum rerum picturas male exceperunt, pervertentes sacram Scripturam juxta propria desideria; nihil aliud intelligentes, quam ex idolis illis non esse nos per Christum Deum nostrum liberatos, aut salvatos. O hominum dementiam atque insaniam! quia sanctum a profano non distinxerunt. Nam Domini et sanctorum ejus imaginem eodem quo dæmoniorum effigies nomine appellarunt. Proh improbitas hominum! Væ ipsis, quod a Deo resilierunt. Etenim Christiani unum Deum colentes in Trinitate collaudatum, et soli ipsi latriam offerentes, per sensibilia signa ducimur ad intelligibilia. Cum enim sensibiles simus, non aliter ad intelligibilia provehimur, quam per sensibiles notas tum scripturæ ad meditandum, tum picturæ, qua res coloribus et lineamentis exprimuntur. Hæc enim in prototyporum omnium inducit et evehit recordationem : et alterum quidem auditu percipimus, alterum vero oculis contemplamur. Quæ ita se habent, ut alterum alterius notitiam inferat : habent etiam sine controversia ut alterum alterius contineat declarationem, et iisdem afficiantur honoribus.

Ad clariorem autem rei intelligentiam alia quædam etiam apologiæ causa proponam. Omnium Dei creaturarum commune est, ut participatione aliqua inter se conjunctæ sint affinitate : et quamvis aliæ aliis dignitate et ordine antecellant, res tamen omnes communicatione quadam inter se junguntur. Nam angeli cum sint puræ mentes, ex nihilo producti sunt ab omnium rerum conditore Deo; similiter et natura humana : sed et media est inter excellentiam et tenuitatem, cœlestium scilicet angelorum, rerumque terrenarum : verum ut creaturæ conveniunt inter se. Deinde angeli quidem puræ sunt mentes et incorruptibiles, homo autem mortalis : sed cum sit mentis ac disciplinæ capax, angelicam participat naturam. Rursus natura hominis naturæ cæterorum animalium est particeps, quod et ipse et ipsa caro, et comedunt, et dormiunt, terramque communem habent, et qua sumpti sumus, et in quam resolvimur usque ad transmutationem nostram ex corruptione in incorruptionem. Ita plane et quatuor elementa communi juncta sunt

[a] Ex nova versione.

nexu, terra, aqua, aer, ignis : et terra quidem sicca est et frigida, ignis siccus et calidus, aqua frigida et humida, aer calidus et humidus : et conveniunt quidem terra et ignis, ut sicca ; terra vero et aqua, ut frigida : simili modo et reliqua elementa communione hac inter se sociantur. Hinc etiam nostra corpora proportione horum quatuor elementorum ex quatuor humoribus constant, sanguine, pituita, flava, et atra bili ; et sanguis quidem calidus et humidus, proportione respondet aeri : flava bilis calida et sicca, et proportione respondet igni : atra bilis sicca et frigida, et proportione respondet terræ : humor humidus et frigidus, et proportione respondet aquæ. Addam etiam ad majorem explanationem : Dominus rex et imperator est ; sed et imperium vestrum præfulget omnibus, et dignitate præemines cum domina et imperatrice matre tua, vestroque nutui subditi omnes parent. Attamen homines estis, et definitione comprehendimini, quoniam omnis homo animal est rationale mortale, mentis et scientiæ capax : et Petrus enim et Paulus, et cæteri homines eamdem suscipiunt definitionem : hoc est, ea quæ sunt communia hominibus, et vos habetis ; estque vobis cum omnibus eadem natura communis. At vero Deus invisibilis, incomprehensibilis, investigabilis, incircumscriptus, impassibilis, immortalis, solus Rex regum, et Dominus dominantium, nulla aut cum angelis, aut cum hominibus, aut cum alia creatura communicatione est conjunctus. Ipse enim opifex, cuncta vero creata : ipse providentia regit, reliqua omnia providentia reguntur. Extra igitur omnem creatam naturam est Deus : atque hac ratione nomen ipsius et incommunicabile. Idcirco et admirabilis Moyses peculiares tradidit litteras ad scribendum Dei nomen, quas ad alias voces non usurpabant. Quod si virtutes angelicæ, atque homines pii Deumque timentes participes Dei sunt, id ejus gratia, non natura habent. Cujus tu quoque fias particeps per bona opera. Et ipse imperium vestrum exaltet, et subvehat vos ad intelligenda et cogitanda quæ perducunt ad æternum ipsius regnum, miseratione sua et precibus sanctæ et immaculatæ dominæ nostræ Dei genitricis, omniumque sanctorum ejus. Amen.

CHRONOLOGIA SANCTI NICEPHORI

EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

Anastasio Bibliothecario interprete

(Ex Bibliotheca veterum Patrum, sæc. IX.)

LECTORI.

Cum consensu omnium auctor hujus Chronologiæ S. Nicephorus Constantinopolitanus episcopus asseratur, quem ex certissimis auctoribus diem obiisse anno Domini 828 in annal. Eccles. tom. IX refertur, necessario dicendum Theodotum Cassiteram, Antonium, Joannem Syncellum, Methodium, Ignatium Eunuchum, qui post Nicephorum episcopi Constantinopolitani inferius in hac Chronologia recensentur, non a S. Nicephoro, sed ab Anastasio Bibliothecario, hujus Chronologiæ interprete, qui tempore Ignatii vivebat, adjectos fuisse

In Christi nomine incipit Chronologia Tripartita ex beato Nicephoro Constantinopolitano in Latinum olim conversa per Anastasium apostolicæ sedis bibliothecarium, ad fidem Anastasiani exemplaris, emendata et notis illustrata per Antonium Contium.

PARS PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

(*Anno mundi* 230) Adam ætatis anno ducentesimo tricesimo genuit Seth, et postea vixit annis septingentis.

(435) Seth natus annos ducentos et quinque genuit Enos.

(625) Enos natus annos centum nonaginta genuit Cainam.

(795) Cainam natus annos centum septuaginta genuit Malaleel.

(960) Malaleel natus annos centum sexaginta quinque genuit Jared.

(1122) Jared natus annos centum sexaginta duos genuit Enoch.

(1287) Enoch natus annos centum sexaginta quinque genuit Mathusala.

(1474) Mathusala natus annos centum octoginta septem genuit Lamech.

(1662) Lamech natus annos centum octoginta octo genuit Noe.

(2162) Noe natus annos quingentos genuit Sem, Cham, Japhet.

(2262) Et vixit ad diluvium usque, annis centum. Anno sexcentesimo ætatis Noe factum est diluvium.

Anni universi ab Adam usque ad diluvium, secundum Septuaginta, sunt bis mille ducenti quadraginta duo. Quem numerum testimonium veritatis et veterum Ecclesiarum omnium traditiones comprobant.

A. CONTII NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Ad Cap. I. — Cum sine ulla capitum distinctione scriptus et editus esset Nicephorus, nos commodioris doctrinæ causa in certa capita distinximus, secundum vulgatam potissimum ætatum mundi divisionem ab origine ad diluvium, a diluvio ad Abraham, ab Abraham ad exitum de Ægypto, et ita deinceps distinctis temporibus usque ad Christum et sequentia imperatorum tempora. Illud imprimis tenendum est, catholicam Ecclesiam, Orientalem pariter et Occidentalem, constanti et perpetua traditione in computatione temporum sequi longiorem et majorem annorum numerum, qui in editione Septuaginta Interpretum reperitur, non autem majorem, qui in Hebraicis voluminibus deprehenditur *. Nam tametsi paulatim post Hieronymi tempora Ecclesiæ Occidentalis, relicta vetere Septuaginta editione, qua semper sola usa fuerat, editione præfati sanctissimi viri uti cœperit, Psalterium tamen et chronographiam ex illa vetere Septuaginta Interpretum editione mordicus retinuit, ut testantur Beda, Isidorus, auctor Fasciculi temporum, Hugo et alii passim auctores. Sed et argumentum hujus rei evidentissimum præbent tabulæ quæ quotannis in ecclesiis cathedralibus Franciæ cum cereo paschali publice proponuntur. Quare satis mirari non possum hominum nostri temporis, et eorum qui chronologias scripserunt, vanitatem ac novandi studium qui omnem Septuaginta editionis auctoritatem longissime rejiciunt, et nihil nisi quod in Hebræis codicibus hodie legatur, rectum putant, et hac præjudicata opinione freti, nihil in libris Græcorum edendis aut transferendis non depravant, ut ipsimet confessi sunt qui alterius Nicephori Historiam ecclesiasticam et alios ejusmodi libros transtulerunt. Quibus omnibus explicata hac a nobis chronologia dabitur resipiscendi locus, et mecum fateri cogentur hanc esse certam et vulgatam totius Græciæ Ecclesiæ computationem, quæ ad unguem ei congruit quæ in Græcorum Horologio et Cyclo Paschali ibidem descripto notatur, et quam Cedrenus, Zonaras, Nicetas sexta generalis synodus, sequuntur, et (ut uno verbo utar) omnes Græci : qui cum frequentius per annos mundi tempora computent quam per annos Christi, sine fructu ab his leguntur qui hanc chronologiam ignorant. His præmissis, superest ut totam hanc chronologiæ partem suprascriptam ad editionem Græcam Septuaginta, quæ hodie typis multifariam ditata exstat, et veterem Latina eorumdem Septuaginta, quæ non exstat, sed passim ab Augustino, Hieronymo et veteribus, in eorum libris citatur, expendamus. Sciendum igitur in primis est eam per omnia tam Græcæ quam Latinæ veteri translationi convenire, excepto illo articulo de Mathusala quem Nicephorus ait natum annos 187 genuisse Lamech ; nam D. August. lib. v Civit. Dei, c. 10 et 11 et Hieronymus in Quæstionibus in Genesim ; Isidorus item, et Novatianus Scotus, et Beda, annos duntaxat 167 ei tribui asseverant in editione LXX Interpretum, a qua computatione Complutensis Græca editio duobus minus annis defuit, annos scilicet ei dans centum sexaginta quinque. Sed Aldina Græca editio, ex qua postea processit et Germanica, 187 annos habet, ac proinde adamussim Nicephorianæ, computationi congruit. Nam Germanica editio Græco-Latina mirum est quanta oscitantia et negligentia, ne dicam inscitia et barbarie, contaminata sit ; ut quæ in Græca columna consentiat Aldinæ, in Latina, Complutensi. Si quis autem in tanta diversitate et librariorum, ut ita dicam, ludibrio percontetur quid integrius putem, placet sola Aldina hoc loco editio. Nam probabile est Græcos Patres, intellecta Augustini et Hieronymi et aliorum hac de re censura (qui omnes hunc articulum mendose apud LXX editum et ad Hebraicam lectionem emendandam arbitrati sunt), hoc loco pro 167 emendare non dubitasse 187, ut et Josephi Græca editio et Epiphanii in Pœnarium præfatio (licet misere innumeris passim corruptus sit) et præsens Nicephori editio testantur. Nihil igitur hic in isto articulo apud Nicephorum emendandum esse censeo : ita enim fiet ut vitetur illa absurditas qua alioquin videretur Mathusala post diluvium mortuus, ut latius tractat D. Hieronymus in Hebraicis quæstionibus in Genesim. Sed his ita constitutis, implacabilis exoritur pugna inter summam totius illius computationis et singulos numeros ; iis enim non conveniet summa annorum 2242, quam colligit Nicephorus, sed ex collectione singulorum numerorum conficietur summa annorum bis 1262. Verum ita quoque summam Nicephorianam emendendam censeo, neque novum est ut prior habeatur singulorum numerorum ratio, et ex eis summa emendetur, non ex summa singuli numeri. Sic etiam legi in manuscripta hac chronologia apud Anastasium. Bibliothecarium notavit et indicavit nobis doctissimus Pythæus, alias quoque numerorum varietates suggessit, sed eas tantum addere visum est, quæ probabili aliqua ratione nituntur, ne ancipitem lectorem teneremus, atque judicii moram ei ex tanta varietate injiceremus.

De diversa computatione secundum Hebræos.

Hebræi codices, qui et Latine a D. Hieronymo editi sunt et a plerisque postea recentibus, S. Pagnino ex aliis, et integro translati, ab Adam usque ad diluvium annos numerant 1656 ; quam solam esse veram computationem contendunt hodie quotquot ex litteris Hebræas litteras vel summo digito attigerunt, quibus Hieronymus forte suffragetur, suscepti semel laboris et propositi quo post tot Græcos interpretes, ipse ultimus, ex Hebræo in Latinum canonicam Scripturam transferre instituerit, tenax : sed non suffragatur Augustinus (*de Civitate Dei*, lib. xv, cap. 10, 11), qui ideo editionem et translationem Græcam Septuaginta non putat vitiosam quod certam habeat varietatis suæ constantiam. Qui a Judaica et Hebraica littera stant, aiunt falsos fuisse Septuaginta duos Interpretes, quod cap. v Genes. pro *centum* semper legerint *ducentos ;* et Hieronymum quoque hujus sententiæ esse astruunt in Hebraicis quæstionibus in Genesim. Sed nec Latina Ecclesia nec Græca id unquam sibi persuadere potuit, ideo Septuaginta Interpretes utraque Ecclesia hucusque sequitur : Latina quidem meros putat, Græca vero ea adhibita unius loci emendatione, quam commemoravimus.

* Contius dum nimio studio Septuaginta Interpretum translationis chronologiam tuetur, non videt se incaute Hebræici fontis et vulgatæ editionis chronologiam labefactare, quæ cum illa Septuaginta Interpretum perspicue pugnat. Et Patres corruptelam LXX. Interpretum exemplarium ingenue profitentur. Vide lib. de Antic. P. Thomæ Maluenda, theologi Dominicani, lib. I, c. 14, 15, 16. Edit.

CAPUT II.

(Anno 2 post diluvium.)

Post diluvium anno secundo Sem, filius Noe, natus annos centum genuit Arphaxat.

(137) Arphaxat natus annos centum triginta quinque genuit Cainam.

(297) Cainam natus annos centum triginta genuit Sala.

(397) Sala natus annos centum triginta genuit Heber.

(531) Heber natus annos centum triginta quatuor genuit Phalec.

(661) Phalec natus annos centum triginta genuit Rhagau.

Diebus autem Phalec dispertita fuit terra, ideo et nomen Phalec Hebraica lingua *partitionem* significat. (Et hic ante patrem suum moritur.) Et tempore hujus, illa turris substructio cœpta ; et ex uno antiquo sermone, variæ voces deductæ et diversarum linguarum sua cuique genti attributa fuit, ut sacræ litteræ docent.

(793) Rhagau, natus annos centum triginta duos genuit Seruch.

(929) Seruch natus annos centum triginta genuit Nachor.

(1002) Nachor natus annos septuaginta novem genuit Tharra.

(1072) Tharra natus annos septuaginta genuit Abraham.

Universi ab Adam usque ad Abraham anni secundum LXX sunt ter mille trecenti viginti quatuor.

A diluvio autem usque ad Abraham anni mille octoginta duo.

CAPUT III.

Abraham agens annum septuagesimum quintum dignus fuit oraculo divino et facta ipsi promissione[a].

A qua usque ad iter ex Ægypto, cujus dux fuit Moyses, sunt anni quadringenti triginta quemadmodum et Apostolus testatur inquiens : Testamentum Dei, lex post annos quadringentos triginta lata, non facit irritum ut aboleat promissionem (*Gal.* III). Et ipse in Exodo concordat Moyses cum ait : Habitatio autem filiorum Israel, qua habitaverunt in Ægypto et in terra Chanaam, ipsi et patres eorum, anni quadringenti triginta (*Exod.* XII). Hi autem per partes ita colliguntur.

Abraham natus annos centum genuit Isaac.

Isaac natus annos sexaginta genuit Jacob.

Jacob natus annos octoginta septem genuit Levi.

Levi natus annos quadraginta quinque genuit Caath.

Caath natus annos sexaginta [b] tres genuit Amram.

Amram natus annos septuaginta genuit Moysen.

Moyses natus annos octoginta eduxit populum ex Ægypto.

Colliguntur universi a primo anno Abraham ad iter ex Ægypto anni quingenti quinque.

A diluvio vero anni mille quingenti octoginta septem.

Ab Adam vero secundum Septuaginta ter mille octingenti viginti novem. Secundum alios, ter mille sexcenti nonaginta octo

CONTII NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Abraham varietates in brevem canonem subduxi.

Anni ab Adam usque ad Abraham.

1. Secundum vulgatam editionem sancti Hieronymi ex Hebræo.— 1948.

2. Secundum Judæos, qui ad complendum quadragesimum nonum jubilæum, et quinquagesimum inchoandum, duos amplius annos addunt, ut ait Eusebius.— 1950.

3. Secundum editionem Hebraicam, sola illi inserta ex Lucæ Evangelio Cainam generatione cum suis 130 annis, ut Marianus maluit.— 2178.

4. Secundum meram editionem Septuaginta, nec eo quam diximus modo emendatam.— 3514.

5. Secundum editionem Septuaginta, ab Origene sub obelis asterisisque editam, ubi expungitur Cainam.— 3184.

6. Secundum propriam opinionem sancti Augustini viginti quidem amplius annos Mathusalæ cum genuit Lamech, addentis, sed Lamecho postea cum genuit Noam; sex annos detrahentis.— 3328.

7. Secundum Aldinam Septuaginta Interpretum editionem, quam Nicephorus hic confirmat esse recte emendatam et omnis Græcorum Ecclesia.— 3334.

Ad Cap. II. — Per omnia convenit superior computatio Græcæ editioni vulgatæ et Latinæ Septuaginta veterum translationi qua veteres usi sunt. Sola summa annorum tam a diluvio ad Abraham quam ab Adam ad Abraham specialibus numeris non congruit, sed pari quo antea jure summas ita emendare non verebor, ut ab Adam usque ad Abraham legantur anni 3334, a diluvio vero usque ad Abraham anni 1072. In hac sane computatione tanquam omnium certissima aquiescit hodie tota Orientalis Græcorum Ecclesia, videturque ea computatio menti D. Augustini congruere, ut intelligitur ex lib. ejus de Civit. Dei, c. 10 et c. 16. Nam cum huic computationi Septuaginta Interpretum suffragetur divini Lucæ evangelistæ genealogia a Christo ad Adamum replicata, nefas duxit tam Græca quam Latina Ecclesia, Hebraicam sequi numerationem ac non potius eam amplecti quæ ex Evangelio auctoritatem accipit. Eant nunc novi pseudochristiani et hebraizent molestissimi qui Judaica obstinatione et nuda litterarum atque apicum auctoritate freti, adversus divinam Septuaginta Interpretum translationem, et cum translatione cunctam prophetiam et Hebraicorum mendorum emendationem quotidie blasphemant. Nos in hac Nicephoriana chronographia acquiescemus, ac ne quis desperatione aut defatigatione diligentius in omnes omnino auctores inquirendi, id nos potius tumpsisse putet, quam post infinitam prope lectionem et opinionum varietatem certiorem veri fidem elegisse, septem diversas annorum ab Adam ad

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

Sic vertit Hieronymus in Chronicis Eusebianis.

[b] Alias, *Caath enim natus annos* 60 · sed mendose.

Ad Cap. III.— Ex singulis numeris cuique personæ ascriptis (qui et in editione tam Hebraica quam Septuaginta hoc loco non discrepant, recte colligitur summa quingentorum quinque annorum ; sed singulæ annorum particulares summæ singulis attributæ, ex disertis Scripturæ verbis non ita confirmantur, ut

CAPUT IV.

Post hæc præfuit populo Moyses in deserto annis quadraginta.

Jesus Nave annis viginti septem.

Seniores annis triginta tribus.

Alienigenæ, seu (ut habet Anastasius) Philistiim annis octo.

Gothoniel ex tribu Juda primus judex, annis quadraginta.

Alienigenæ (seu Philistiim) annis octodecim.

Post quos, Aod ex tribu Ephraim, annis octoginta.

Alienigenæ, annis viginti.

Debora et Barac, annis quadraginta.

Madiani annis septem.

Gedeon annis quadraginta.

Abimelech annis tribus.

Thola annis viginti tribus.

Jaer vel Jair annis viginti duobus.

A Ammonitæ annis octodecim.

Jephte annis sex.

Esebon [a] annis septem.

Ailon (*al.*, Eglon annis decem [b]).

Hunc non haberi apud LXX Interpretes; atqui hodie habetur in editione Aldina, Complutensi, etc. Sed dicimus vulgatam hodie editionem Græcam non esse illam meram editionem Septuaginta Interpretum, sed interpolatam ex aliis, juxta Theodotionis et Origenis editionem, qui hunc sub obelo addidit.

Labdon (*al.*, Abdon) annis octo.

Alienigenæ [c] annis quadraginta.

Samso annis viginti.

Heli Sacerdos annis quadraginta.

Samuel et Saul annis quadraginta.

B David regnavit annis quadraginta.

Universi ab exitu Israel ex Ægypto ad David usque et una cum hujus regni tempore, sunt anni sexcenti triginta.

A. CONTII NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

hæ quas subjiciam, quibusque sum usus in Chronicis Canonibus Codici Justinianeo a me adjectis. Abraham natus annos 100 genuit Isaac, ut dicitur Genes. cap. XXI. Isaac natus annos 60 genuit Jacob, ut etiam diserte dicitur Gen. c. XXV. Jacob natus annos 91 genuit Joseph; quod tametsi disertis verbis in Genesi non scribitur, tamen necessaria subductione ex iis quæ ibi diserte astruuntur colligitur hoc modo. Joseph cum Pharaoni somnium aperit, est annorum triginta, ut ibi dicitur c. XLI. Idem Joseph cum per fratres patrem accersit, est annorum triginta novem; erat quippe tum annus secundus fertilitatis, et consequenter nonus ab exposito somnio, Gen. XLV. C Porro eodem illo anno secundo fertilitatis, Jacob delatus in Ægyptum Pharaoni respondet se annum agere 130 Genes. c. XLVII. Subducamus igitur illos 39 annos Josephi de ætate Jacob, restabunt unus et nonaginta anni quos agebat Jacob cum genuit Joseph. Joseph vixit annos centum decem, Gen. cap. ult. Post mortem Joseph Israelitæ dura servitute oppressi sunt ab Ægyptiis per annos centum quadraginta quatuor, quod non directa sed subductitia ratione ex sacra Scriptura probatur. Exod. c. XII dicitur Israel habitasse in Ægypto, et in terra Chanaam (quod recte addunt supplendo, Septuaginta Interpretes) ann. 430. Subduc ergo ex hac summa annos 361 quos a nativitate Abrahæ usque ad mortem Joseph computavimus, restabunt anni 144 quibus Israelitas Ægyptiis servivisse consequens est.

His præcognitis, summas collectiones jam ex superioribus mendis depravatas ita emendabimus: Ab Adam usque ad exitum de Ægypto anni 3839; a diluvio usque exitum de Ægypto, 1577.

Illa autem verba Nicephori postrema. *Secundum alios* 3698, sic apud Anastasium legi judicatum est, anni 3829, ut scilicet eorum computationem intelligat qui nihil ad annos supra ascriptos Mathusalæ addunt, qui tamen etiam decem annis a Nicephoro deficient, si etiam ita emendetur: sed eorum computationem non magni facit Nicephorus.

Nunc invitus (ut ingenue fateor) facio ut recentiorem quorumdam theologorum novam et a veteribus haud scio an tentatam, dissensionem attingam, inter quos est Augustinus Steuchius, et hujus temporis doctissimus et religiosissimus quidam theologus, cujus in mentem id venire potuisse vehementer miror. Aiunt igitur omnes, qui hodie temporum rationem sese Bibliis subducere aiunt, Israelitas mansisse in Ægypto annos duntaxat 210, quos nostram Chronologiam Lutetiæ cum Codice Justiniani excusam non legisse probabile est (contempsisse enim non puto, ne quid addam amplius). Nam eos mansisse in Ægypto annos 140 ibidem uti et hoc loco scripsimus. Scribunt autem atque affirmant Israelitas in Ægypto mansisse annos 430, persuasi auctoritate Genes. XVII, ubi prædicitur Abrahæ semen 400 annis serviturum, non ut illi citant, in Ægypto, sed *in terra non sua*, et eos qui minus tempus ascribunt, sequi commentum Rabinorum. Equidem sancte affirmare ausim nihil me vel tantillum Rabinis credere (qui utinam idem de se affirment), sed et iis argumentis duci quæ Eusebius, Nicephorus, Paulus ad Galatas c. III, Moses Exod. XII, ex fide Septuaginta Interpretum protulerunt, assentientibus illis Patribus Græcis et Latinis omnibus. Sane illorum, opinio (vere dico opinionem, non sententiam) consistere non potest, quia tres tantum generationes in Ægypto fuerunt, nempe Caath qui vixit annos 133. Exod. VI; Amram, qui vixit ibidem annos 137. Genes. VI, et Moses qui 80 fuit annorum cum eduxit populum: unde constat annos 430 confici non posse, nec in re tam evidenti majorem probationem requiri: legant Bedam nobiscum sentientem libro de Natura rerum.

Ad Cap. IV. — Superior computatio tota confirmatur disertis libri Judicum verbis: sive Hebræos codices et ex his conversos sequare, sive Græcos et ex his etiam conversos, exceptis duntaxat 27 illis D annis, qui Josue, et 33 qui senioribus tribuuntur hoc loco a Nicephoro. Seniorum quidem gubernationi aliquod tempus longum tribuendum esse innuit Scriptura, dum ait post mortem Jesu seniores vixisse longo tempore, qui viderant omnia opera Domini magna quæ fecerat cum Israel, donec suscitavit Dominus Judices qui liberarent eos, Judic. II; et quod cap. I ejusdem libri Judicum dicitur, tribum Juda bellum administrasse ex oracuło Dei, videntur intelligendi illi seniores tribus Judæ, ut Caleb, etc. Cæterum collectionis summa 630 annorum recte ex singulis summis collecta est.

Et hactenus quidem aut nihil aut non multum discrepat a Græcorum chronographia, Latinæ Ecclesiæ traditio et computatio. Sed in hac annorum

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Hunc vocat Isidorus Abessam; Clemens vero I Stromat., *Abaithan*.

[b] Eusebius testatur.

[c] Seu Philisthiim, ut in Anastasii libro

CAPUT V.

Salomon regnavit annis quadraginta.

Roboam annis septemdecim.

A Abia annis tribus.

Asa annis duodecim.

Josaphat annis viginti quinque. His temporibus flo-

A. CONTII NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

computatione ab exitu de Ægypto usque ad Salomonis regni annum primum vehementer dissentit; sequitur enim Eusebii computationem, quam Augustinus, Orosius, Isidorus, Beda et omnes Latini Patres amplexi sunt, et plerique etiam Græci: quæ computatio Eusebiana, nostra hac Nicephoriana, quam explicandam suscepimus, multo est brevior. In causa hæc sunt: primum, nullum tempus separatim tribuit Eusebius seniorum gubernationi, deinde Ailon cum suis decem annis in totum expunxit, quod is in Septuaginta Interpretum editione, deesset: editione, inquam, illa mera quæ in Cæsariensi bibliotheca exstabat; nam is postea additus est in vulgata editione: quæ, ut pluribus locis docet Hieronymus, non est mera Interpretum Septuaginta. Postremo annos omnes quibus Israelitæ servivisse scribuntur alienigenis, in præfato Judicum libro confundit cum sequentium judicum annis, nec separatim recenset, potiorem habens hac de re Judæorum traditionem, quæ (ut testatur ipse) astruit illos annos contineri in sequentium judicum annis, nec debere separatim computari.

Sed credibile est Græcos Patres procedente postea tempore (quod omnia vel revelat, vel in melius commutandi occasionem affert) maluisse numerare illos annos per se ac separatim, quia periculosum sit contra diserta Scripturæ verba repugnantem illis Judaicam traditionem potius admittere, ac præterea Ailon expungere qui habeatur in Hebræis codicibus, et nullum tempus seniorum gubernationi tribuere; unde tamen illos 33 annos illi tribuendos præcise collegerint, ingenue fateor nondum mihi liquere. Eusebium movit idem quod Judæos ut suam traditionem obtruderent, quia III lib. Reg. cap. VI C in principio scriptum est his verbis: Et factum est in octogesimo et quadringentesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, anno quarto, in mense secundo regnante rege Salomone super Israel et ædificavit domum Domino; sic enim et in Hebræo et in Græco habetur editionis Complutensis, et ita in utrisque codicibus legit Eusebius; perperam igitur in Aldina et Germanica editione habentur anni duntaxat 460; movit, inquam, Judæos et Eusebium hæc libri Regum auctoritas; quæ si vera est, illa libri Judicum auctoritas corruet, nisi ita annos in eo sigillatim numeratos breviemus, et annos servitutis cum annis judicum confundamus. Non est meum tantam componere controversiam. Si quid tamen mihi juris esset, quod mihi non arrogo, sed totum me judicio Ecclesiæ permitto, dicerem illum forte locum libri Regum non de priore exitu de Ægypto, sed de postremo accipi posse; nam nec psal. CXIII: *In exitu Israel de Ægypto*, de D priore exitu accipitur, cum ibi dicitur Jordanem conversum fuisse retrorsum; sed pro Nicephoro et his qui majorem libri Judicum numerum sequuntur, multa etiam dici in contrarium possunt, quod ex summa quadam annorum collectione non sunt speciales numeri corrigendi aut confundendi, quia plus valent multa specialia et distincte scripta quam una et sola summa universim collecta, in qua facilius labi potuerunt librarii: denique non oportet vim facere verbis, fieri autem vis videtur per illam Judaicam traditionem: præterea ut illa auctoritate lib. III Regum pugnant, ita nos S. apostoli traditione tuebimur scribentis Act. XIII a morte Moysis usque ad Samuelem annos esse quadringentos quinquaginta, quæ verba nefarie quidam emendare conati sunt, quos indignos qui nominentur existimo. Cæterum ne quis putet ita Eusebium minorem illum numerum mordicus sequi voluisse, ut hunc majorem omnino rejiceret, verba ejusdem ascribam, quibus videtur cuique liberam electionem alterutrius permittere. Sic igitur in præfatione Chronicorum canonum ait interprete Hieronymo: A Moyse usque ad Salomonem et primam templi ædificationem anni sunt quadringenti septuaginta novem secundum minorem numerum tamen quem tertius Regnorum liber continet; nam juxta volumen Judicum supputantur anni sexcenti. Hæc Eusebius. Hunc ergo majorem numerum libri Judicum sequitur hoc loco Nicephorus patriarcha CP. ut et Clemens Stromateus in Stromatibus, ac denique tota Græca Ecclesia, et synodus sexta in Trullo, cum B canone 3 decretorum suorum numerat annum tunc decurrentem 6199, qui numerus constare non poterit, nisi et majorem numerum editionis Septuaginta, et longiorem quoque supputationem libri Judicum sequamur. Sed et Horologium Græcorum, Venetiis impressum anno 1535, eamdem prorsus rationem et supputationem sequitur cyclo Paschali ibidem adnexo. Qui igitur Græcorum ecclesiasticas res, consilia, leges, basilicas, historias, cum fructu et ratione temporum legere volunt, hanc chronologiam quasi ducem sequantur necesse est. Ne quid tamen a nobis desiderari possit Eusebianam quoque illam minorem supputationem subjecimus, quam scilicet D. Augustinus, Orosius, Isidorus, Beda, Fasciculus temporum, computus ecclesiasticus, tota denique Latinorum Ecclesia in qua sumus alteri videtur prætulisse.

Secundum Eusebium.

Moses præfuit in deserto annis 40.
Josue Nave annis 7.
Othoniel annis 40.
Aod annis 80.
Debbora annis 40.
Gedeon annis 40.
Abimelech annis 40.
Thola annis 3.
Jair annis 23.
Jephte annis 67.

(*Elon omittitur ab Eusebio ut ante monui.*)

Eusebon annis 1.
Labdon annis 8.
Samson annis 20.
Heli annis 40.
Samuel et Saul annis 40.
David annis 40.
Salomon ante templi ædificationem annis 4.
Summa anni 480 *ab origine mundi* 4300.

Porro si hos sexcentos triginta annos quos colligit Nicephorus addiderimus annis 5839, quos ab Adam usque ad exitum de Ægypto collegeramus, fient anni ab Adam usque ad initium regni Salomonis 4469.

Judæi, inter quos Eusebius et ex recentioribus nostri temporis plerique, imo et universi, præsertim Latini, totam computationem libri Judicum mire depravant suis traditionibus et violentis atque absurdis interpretationibus, ut numeratur in Chronologia Parisiis impressa 1567, in duos libros distincta. Quæ enim absurditas est a morte Josue usque ad mortem primi judicis Othonielis annos duntaxat 40 numerare, cum dicat Scriptura I et II Judicum servivisse Israelem Domino cunctis diebus Josue et seniorum, qui longo vixerunt tempore post Josue, et noverant omnia opera Domini, donec surrexit nova generatio quæ non noverat opera Domini quæ fecerat, et quæ generatio fecit malum et serviit

ruerunt prophetæ Michæas, Elias, Eliseus.

Rex Joram annis octo.

Ochozias anno uno; Gotholia mater Ochoziæ, annis septem.

Joas annis quadraginta.

Amasias annis viginti novem.

[a] Azarias, qui et Ozias, annis quinquaginta duobus. His temporibus floruerunt prophetæ Osee, Amos, Isaias, Jonas, Joel.

Rex Joathan annis sedecim.

Achas annis sedecim.

Ezechias annis viginti novem.

Manasses annis quinquaginta quinque. Sub hoc, anno duodecimo, conditur Bizantium, quæ post Constantinopolis dicta est.

Amos annis duodecim.

Josias annis triginta uno, et interregnum, ἀναρχία[c], annis triginta secundum LXX, secundum Hebræos quinquaginta. His temporibus floruerunt prophetæ Jeremias, Sophonias et Baruch.

Rex Jachaz vel Joachaz menses tres [d].

Eliacim annos duodecim [e]. Regnavit hic annos undecim et paucos menses, et ejus regni anno tertio facta est et secunda captivitas.

Jechonias [f] menses tres.

Sedechias annis undecim. Hunc, oculis effossis, Nabuchodonosor captivum abduxit, et templum inflammatur post menses quinque a Nabuzarda, cum stetisset, ex quo conditum fuerat, annis quadringentis viginti quatuor [g]

Apud Anastasium annis quadringentis triginta quatuor.

Universi ab initio regni Salomonis usque ad captivitatem sunt anni quadringenti quadraginta quinque.

CAPUT VI.

Post captivitatem autem Judæorum abductorum Babylona et solitudinem loci anni sequuntur septuaginta. Hi complentur anno secundo Darii regis Persarum, qui populum illum captivitate liberavit et instauravit templum Hierosolymitanum.

CAPUT VII.

Primus rex Persarum fuit Cyrus annis triginta.

Cambyses annis septem.

Darius filius Hystaspis [h] annis triginta sex.

Hujus anno secundo (ut modo dictum est) renovatum fuit templum Hierosolymitanum. Restant igitur anni Darii triginta quatuor.

Xerxes Darii filius regnavit annis viginti octo [i].

Artabanes mensibus septem.

Artaxerxes Longimanus annis duodecim; hujus tempore aiunt accidisse ea quæ de Esther et Mardochæo leguntur.

Xerxes alter mensibus duobus.

Sogdianus mensibus septem.

A. CONTII NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Baalino, traditaque est in manus diripientium donec suscitatus est Othoniel qui eos liberaret? Ne plura, non absque summa ratione credendum est Græcos Patres, et ex his Clementem Stromateum, et hunc Nicephorum secutos esse eam numerationem quæ ex verbis minime violatis elici potest, quam nec Eusebius in præfatione Chronicorum damnare ausus est, sed in æquilibrio cum alia breviore sustinuit.

Ad Cap. V. — De superiore supputatione regnorum cujusque regis inter omnes editiones, Græcas et Hebraicas, et hunc nostrum chronographum, optime convenit, si paucula tantum observemus: Azariam et Oziam eumdem esse ex collatione libri Regnorum cum libro Paralipomenon, Joacim seu Eliacim regnasse annos XI ut dicitur IV Regum cap. XXIII in fine. Amon regnasse annis XII, ex auctoritate et mera editione Septuaginta Interpretum, ut refert Eusebius, cui in ea re fides habenda est: ut qui meram editionem ejusmodi habuerit, ut jam antea monuimus. Hebræa autem editio et vulgata Græca quæ hodie Compluti et apud Aldum et alios excusa exstat, duos tantum annos ei tribuunt. Quod de anarchia dicit Nicit Nicephorus, id tempus indicat quo contra legem et per vim a rege Ægypti mutata est et turbata series regnandi, primamque captivitatem significat, quæ facta est tempore Joachas seu Joacim filii Josiæ, cujus meminit Theodoretus in Danielem orat. 9, ubi tres captivitates fuisse docet, quod tempus cum sequenti confundi debet, non autem separatim censeri: alioqui nec summa collectionis universæ conveniret, nec ullus historicus aut chronographus. Si igitur hos 445 annos addamus annis ab origine usque ad Salomonem 4469, fient anni 4914 ab Adam usque ad captivitatem Judæorum Babylonicam.

Ad Cap. VI. — Hoc brevissimum caput nullam habet difficultatem aut computationis varietatem, probaturque disertis Zachariæ prophetæ verbis: *Hic septuagesimus annus est*, inquit, etc. Si ergo supra collectæ summæ addas 70 annos, fient anni ab Adam usque ad reductam captivitatem 4984.

Cæterum si quis partes hujus temporis diligentius digestas per annos Chaldæorum seu Babyloniorum principum, et postea Medorum et Persarum, subtilius intelligere cupit, evolvat diligenter ea quæ doctissime in Danielem scripsit Theodoretus, ubi Josephum refutat et tres captivitates fuisse docet: primam, anno 1 Nabuchodonosoris, in qua abductus est Daniel, anno 3 Eliachim regis Juda, eamque finem sumpsisse sub Cyro Persa; secundam, anno 9 Nabuchodonosoris, quæ finita est sub Dario Hystaspis; tertiam, anno 19 Nabuchodonosoris, quæ desiit sub Artaxerxe filio Xerxis: omnes autem durasse annis 70. Sed receptior opinio est quam et hic auctor sequitur, ultimam transmigrationem et desolationem finem accepisse sub Dario Hystaspis filio.

Ad Cap. VII. — A captivitate reducta incipit sacra

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Sic ex Anastasio restituimus.

[b] Apud Anastasium etiam scribitur *Amon*, rectius quam *Amos*.

[c] Anastasius habet, *cessatio principatus*.

[d] *Et paucos dies* addit Theodoretus.

[e] Rectius apud Anastasium legitur 11, ut IV Reg. XXIII in fine. Pharao Nechao hunc ex Eliacim vocavit Joachim, nomine mutato.

[f] Qui et *Joachim* dictus est; sub quo secunda captivitas accidit.

[g] Apud Anastasium, *annis* 434.

[h] *Hostari* legit Anastasius et *an.* 37.

[i] Anastasius legit 24; Eusebius vero et Isidorus, 21.

Darius [a] annis novemdecim.

Artaxerxes Memnon Darii et Parisatidis filius annis quadraginta.

Artaxerxes, qui et Ochus, annis viginti duobus [b].

Arses Ochi annis quatuor.

Darius Arsamis annis sex. Hoc sublato, et deleto imperio Persarum, Alexander Macedo regnavit annis sex, potitus rerum ante Darii interitum annis duodecim. Mortuus fuit Babylone annos natus triginta quinque, vel, ut alii tradiderunt, triginta sex. Rex igitur fuit annis septemdecim [c].

Subegit Barbaricas nationes numero viginti duas, et Græciæ civitates tredecim [d].

Mortuus (ut diximus) in Perside, florente imperio.

Universi ab Adam usque ad mortem Alexandri, anni quinquies mille centum septuaginta septem.

CAPUT VIII.

Post mortem Alexandri Magni primus rex Alexandriæ in Ægypto fuit Ptolemæus Lagi filius annis quadraginta.

Ptolemæus Philadelphus annis quadraginta octo. Hoc regnante sacri libri Hebræorum in linguam Græcam traducti fuerunt, et repositi in Bibliotheca Alexandrina. Pontificatus Eleazaris.

Ptolemæus Evergeta annis viginti quinque.

Ptolemæus Philopator annis septemdecim.

Ptolemæus Epiphanes [e] annis viginti sex.

Hujus temporibus ea gesta sunt quæ de Machabæis leguntur.

Ptolemæus Philometor annis triginta quinque.

Ptolemæus minor [f] annis viginti novem.

Ptolemæus Physcon [g] annis sedecim, mensibus sex.

Ptolemæus Alexander annis decem.

Ptolemæus frater hujus annis octo.

Ptolemæus, cognomento Dionysius [h] annis triginta.

Cleopatra Ptolemæi filia annis viginti duobus.

Hujus anno tertio primus occupavit regnum Romæ C. Julius Cæsar, a quo omnes deinceps imperatores Romani Cæsares appellati fuerunt.

Hic regnavit annis quatuor, mensibus septem.

Post Julium regnavit Romæ Cæsar Augustus Octavianus annis quinquaginta sex, mensibus sex.

Ab hoc deinceps Antiocheni annos suos numerant.

Hic anno imperii sui decimo quinto, sublata Cleopatra, evertit regnum Ptolemæorum, qui illud in Ægypto tenuerant annis ducentis nonaginta septem.

Summa a morte Alexandri usque ad Christum natum anni ducenti viginti tres, Augusti quadraginta duo.

CAPUT IX.

Colliguntur itaque universi ab Adam usque ad initium imperii Augusti, secundum exquisitos temporum descriptores, anni quinquies mille quadringenti quinquaginta septem [i]. Quippe Augustus, ut est dictum, imperium tenuit annis quinquaginta sex, mensibus sex. Anno autem quadragesimo secundo ipsius natus fuit secundum carnem ex sancta et Deipara virgine Maria Dominus noster Jesus Christus. Deus æternus, in oppido Judææ Bethlehem ante diem VIII Kalendar. Januarii, qui est Chæac [j] vicesimus nonus, idemque Decembris vicesimus quintus.

Cyrenæus [k], tum a senatu missus, censum egit patrimoniorum et incolarum. Fiunt igitur universi ab Adam ad Domini nostri Jesu Christi in carne administrationem, id est ἐνσάρκου οἰκονομίαν, exquisitissima ratione, anni quinquies mille quingenti.

A. CONTII NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Scriptura numerare tempora per annos externorum principum, quos etiam hoc capite complexus est Nicephorus. Cæterum quam inter se dissentiant Græci auctores de singulorum monarcharum annis, nulli non est incertum. Sed Nicephorum probatiores secutum fuisse credendum est; neque enim fere ab Eusebio et Isidoro dissentit et libris Esdræ et Nehemiæ. Summa autem annorum a reducta captivitate (quam prætermisit Nicephorus) est annorum 201, ab origine vero mundi; id est, ab ipso Adamo usque ad mortem Alexandri Magni, annorum 5185.

Ad Cap. VIII. — Superiores computationes, quot annis quisque successorum Alexandri in Ægypto regnaverit, Eusebio, Isidoro, et cæteris chronographis mire consentiunt; sed collectio totius summæ non convenit. Quot autem anni intersint inter mortem Alexandri et Christi nativitatem sequenti capite adnotabimus esse 323, quotque ab Adam ad Christum Dominum Deum nostrum.

Ad Cap. IX. — In summis totius collectionis et superiori capite mendum est. Sunt igitur a morte Alexandri usque natum Christum, id est quadragesimum secundum Augusti annum, anni 323; ab Adam vero usque ad Christum anni 5508, si omnes speciales et universas summas prius expositas et a nobis restitutas in unam collegerimus. Alter Nicephorus lib. I Ecclesiast. Histor. c. 10 et c. ult. ait anno mundi 5505 natum fuisse Christum; Cedrenus vero, anno mundi 5506: alter tribus, alter vero duobus tantum annis ab hac nostra deficientes. Sed hæc quam collegimus exactissima est et usu a Græca Ecclesia recepta, ut ostendit canon tertius synodi in Trullo, sextæ universalis, et Horologium Græcorum Venetiis impressum anno Christi 1535, quem annum in magno Cyclo Paschali ibi subjecto facit annum mundi 7044; a quibus si 1536 ademeris, annos scilicet Christi, restabunt anni 5508, anni scilicet mundi usque ad Christum natum 1. Sed et nunc vertentem annum Christi 1571 facit annos mundi 7079, et ejus tempora et festa mobilia præcipua sic tradit. Græca

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

[a] *Nothus* addit Anastasius.

[b] Apud Eusebium, Isidorum et Anastasium, hujus libelli interpretem, 26.

[c] 18 legit Anastasius.

[d] Anastasius 3.

[e] *Illustris* vertit Anastasius.

[f] *Junior* vertit idem.

[g] Hunc et *Soterem* vocat Eusebius.

[h] *Ptolomæus, qui et Dionysius*, legit Anastasius.

[i] Legendum octo.

[j] Is est quartus mensis Ægyptiorum, incipiens a V Kal. Decembris, ut docet Beda, de Natura rerum, cap. 11.

[k] *Cyrinus* legit Anastasius.

CAPUT X.

Post Augustum tertius imperator fuit Romanorum Tiberius, anni viginti tres. Hujus imperii anno quinto decimo inchoavit salutiferam et evangelicam doctrinam Dominus noster Jesus Christus.

Anno autem (ejusdem) decimo octavo passus fuit Hierosolymis pro nobis passionem salutarem ante octavum diem Kalendarum Aprilis, Phamenoth 29, id est Martii 25 [a].

Sunt igitur ab Adam usque ad salutarem passionem et resurrectionem Domini et Dei Salvatoris nostri Jesu Christi anni quinquies mille quingenti triginta tres.

CAPUT XI

Julius igitur Cæsar, ut dictum est, præfuit regno occupato Romæ an. quatuor, mens. septem. Huic successit Octavianus, cujus anni sunt quinquaginta sex, menses sex. [Tertius imperator regnavit Tiberius, privignus Octavii, annis viginti tribus [b].]

A Post Tiberium Caius annis tribus, mens. decem [c].

Claudius ann. tredecim, mens. uno. Sublatus veneno.

Nero ann. tredecim, mens. octo fugit [d], seque ipsum vivus interfecit. Hoc Nerone persecutionem primo commovente, Petrus et Paulus Romæ martyres facti sunt. Et Jacobus frater Domini, quem vocabant omnes Justum, a Judæis Hierosolymis lapidibus est obrutus [e].

Otho menses tres, seipsum occidit.

Vitellius menses octo.

Vespasianus annis novem, mens. undecim, diebus viginti duobus, decessit in hortis Sallustianis. Hujus imperii anno secundo capta est urbs Hierosolyma a B filio ipsius Tito, ann. post Christi assumptionem triginta quinque [f].

Titus ann. duobus, mensibus duobus, necatus in palatio.

Domitianus ann. quindecim, menses quinque. Hoc

A. CONTII NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

enim addere visum est, addita interpretatione Latina, quia paucis Latinorum et nostratium ea res videtur cognita. Ἔτους ξοθ', ἰνδικτιώνος εβ', ἡλίου κύκλοι κ' γ', φεγγαρίου κύκλοι ια'. Ἡ παρακμὴ τῶν Χριστοῦ γεννῶν, ἡμέρα κυριακὴ τρεφάγια, ἡμέραι γς'· τὸ τριῴδιον ἄρχεται Φεβρουαρίῳ δ'· ἡ ἀποκρέα Φεβρουαρίῳ ιη'· νομικὸν Φάσχα Ἀπριλλίῳ, εβ'· Χριστιανῶν Πάσχα, Ἀπριλλίῳ ιε'· κυριακὴ τῶν ἁγίων πάντων Ἰουνίῳ ι'· ἡ νηστεία τῶν ἁγίων ἀποστόλων, ἡμέραι ιζ'. Id est : *Anno* (mundi) VII LXXIX (id est septies millesimo septuagesimo nono, — anno Incarnationis Christi 1571), *indictione* XIV solis XXIII (nostri Latini computant duntaxat XII). *Phengarii* (id est lunæ) *cycli* XI. *Vigilia* (sive exspectatio) *Christi natalium die Dominica*; *Creophagia* (seu tempus edendarum carnium) *dies* LVI; *Apocrea* (seu dies abstinentia a carnibus) XVIII *Februarii*; *Triodion incipit Februario, die quarta*; *legale Pascha, Aprilis* C XII *die, Christianorum Pascha, Aprilis* XV; *die Dominica sanctorum omnium, Junii* X *die*; *Jejunium sanctorum apostolorum dies* XVII.

Quod attinet ad indictionem, eadem est cum Latina traditione. Sed solis cycli et phangarii (*), id est lunæ, seu aurei numeri et decemnovennalis numerus cum Latino computo ecclesiastico non conveniunt, computat enim cycli solaris ann. 12, lunaris vero 14. Si quis autem rationem inveniendi cycli utriusque, tam lunaris quam solaris, ex Græcorum traditione scire cupit, videat quæ hac de re notat Balsamon ad can. 78 Carthaginiensem.

Vigilia Christi natalium, die Dominica. Sciendum est igitur Græcos atque etiam Latinam Ecclesiam annum incipere a vigilia Natalis Domini, si modo Nicolao de Cusa seu Cusano credimus, qui ab Ecclesiæ computatione separat vulgarem Italicam, quæ gentilium Romanorum morem a Kalendis Januariis annum inchoandi abjicere non potuit : cum ergo D illa prima sit totius hujus anni Dominica, facillimum erit, hoc initio posito, cæteras totius anni ferias ordinare. Non enim litteris ut Latini suas Dominicas et ferias per totum annum distinctas habent.

(*) φεγγάρι vulgari sermone Græco hodie dicetur, quæ olim σελήνη.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Sic restitui ex Anastasio; is est septimus mensis Ægyptiorum, qui incipit V Kal. Martias.

[b] Inclusa desunt apud Anastasium, recte, quia jam supra posita fuere.

[c] Interfectus fuit in palatio.

Creophagia dies LVI. Creophagia vocant illud intervallum quod est a Natali Domini usque ad feriam secundam post Dominicam in Sexagesima, quia usque ad eam duntaxat diem carnibus vescuntur Græci Christiani.

Apocrea. Sic vocant Dominicam in Sexagesima, quia tunc incipiunt abstinere a carnibus. Nam incidit ea Dominica in 18 Februarii.

Triodion. Sic appellant primam sedem Dominicarum et festorum mobilium totius anni, quæ semper incipit a Dominica præcedente Dominicam Septuagesimæ, quam vocant Dominicam Pharisæi et Telonei seu Publicani.

Legale Pascha (φασχα). Sic scribendum esse Hebraicum verbum ait Nazianzenus in Panegyrico de Pascha, sed vulgo obtinuisse ut quasi a passione deduceretur, Pascha pronuntietur. Sed ad differentiam Judaici et Christiani Paschalis diverse scribitur et pronuntiatur hoc verbum.

Dominica sanctorum omnium, Junio X *die* 10. Ea est Dominica Trinitatis apud Latinos, quæ festa omnia mobilia antiqua claudit, et ideo post festa Christi multiplicia celebrant Græci festum Omnium Sanctorum.

Jejunium SS. apostolorum dies 17. Puto illos dies feriales et profestos intelligi qui sunt inter festum Omnium Sanctorum et festum sanctorum Apostolorum, quod celebrant Græci, ut ex eorum Menologio claret, die 30 id est, ultima Junii. Verum de his hactenus. Nunc ad Nicephorum redeamus.

Ad Cap. X. — Tiberio tribuit annos 23, ut Eusebius et Ausonius seu quis alius illo versu tritissimo :

Et ter septenis geminos Nero Claudius addit.

Tertullianus adversus Judæos dat ei annos 22, menses 7; sed Tacitus in fine lib. v, et Sextus Aurelius Victor, non quidem impressus sed manuscriptus, ei 23 annos tribuunt : quibus lubenter assentimur. Summa annorum mundi usque ad resurrectionem ex superioribus colligenda est annorum 5540.

Ad Cap. XI. — Annis, mensibus et diebus

[d] Sic legendum, ut in Græco κατέφυγεν, etc.

[e] Galba hic perperam omissus est, qui imperavit menses septem.

[f] Ex annis singillatim positis colliguntur anni 39, ut et Eusebius colligit.

persecutionem commovente Joanni apostolo Pathmus insula ad incolendum assignatur. Qui post mortem Domitiani inde reversus Ephesum, ibi mansit usque ad imperium Trajani.

Nerva annum unum, menses quatuor.

Trajanus annis novemdecim, menses sex. Hujus tempore delfer [a] Ignatius Romæ fit martyr objectus bestiis.

Adrianus annis viginti uno. Decessit ad Baias aqua inter cutem effusa. Hic, Hierosolymis deletis, urbi instauratæ Æliæ nomen indidit.

Titus Antonius, cognomento Pius, cum filiis Aurel. Vero et Lucio annis viginti duobus, mens. tribus.

Marcus Aurelius filius hujus annis novemdecim, mensibus duobus. Hujus tempore Justinus philosophus martyr factus. Antonius Verus annis duodecim [b].

Commodus annis tredecim.

Ælius Pertinax menses sex. Cæsus in palatio.

Severus annis octodecim. Hujus imperii tempore, Leonides, Origenis κακοφρόνος [c] pater, martyr factus est. Et floruit Hippolytus Rom. historicus et Gregorius θαυματούργος, Thaumaturgus, id est, mirabilium effector, et Clemens Alexandrinus.

Antonius Severi filius annis septem. Cæsus inter Carras et Edessam.

Macrinus annum unum. Cæsus (ab exercitu).

Antonius Gabalus annis quatuor. Cæsus Romæ.

Alexander Mameæ filius, annis tredecim. Cæsus apud Moguntiacum.

Maximinus annis tribus. Cæsus ad Aquileiam.

Gordianus annis sex. Suspendio vitam finiit in Africa.

Philippus annis septem. Cæsus in hortis Tiberianis.

Decius annum unum, menses tres. Periit in foro.

Hujus tempore fit martyr Antiochiæ sanctus Babylas et alii per diversas provincias, et septem pueri Ephesi.

Gallus et Volusianus annno uno, mensibus quatuor [d].

Valerianus et Galienus annis duodecim. Valerianus cæsus in Perside, Galenus Mediolani.

Claudius anno uno. mens. novem. Mortuus Sirmii.

Aurelianus ann. quinque, menses sex. Cæsus in Novo Castello [e].

Tacitus menses sex. Cæsus in Ponto. Quo tempore sanctus Charito confessionem exhibuit.

Probus annis sex, menses quatuor. Cæsus Sirmii.

Carus una cum filiis Carino et Numeriano ann. duobus. Carus quidem mortuus in Mesopotamia; Carinus autem mortuus in Thraciæ oppido Numeria [f].

Diocletianus et Maximianus ann. viginti. Hujus tempore martyr fit S. Petrus Alexandriæ episcopus et alii multi per totam proxinciam [g].

Constantinus Magnus annis triginta uno.

Anno imperii hujus vicesimo coacta fuit synodus sancta prima trecentorum decem et octo Patrum Nicææ in Bithynia, anno post Christum in carne natum 318, post venerabilem autem passionem et gloriosam resurrectionem, 385 [h].

Fiunt igitur universi ab Adam usque ad mortem Constantini Magni anni quinquies mille octingenti triginta sex.

A. CONTII NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

inter se dissentiunt auctores Latini et Græci, profani et Christiani. Qua in dissensione sedanda, aut rectore via eligenda, nihil potius reor quam una cum imperatorum annis consules quoque et eorum catalogum a Cassiodoro et aliis compositum conjungere, quod et nos in nostra chronologia quam diligentissime potuimus sumus exsecuti: ad quam lectorem curiosum remittam lubens. De Tiberii annis 23 convenit inter omnes, et ita apud Sex. Aurelium Victorem manuscriptum, quo optimo utor, scriptum est, non, ut in impressis libris, 24. Itaque quoties auctores in testimonium adduco, sciant lectores me his potissimum uti quos habeo cum optimis et multis manuscriptis collatos. Nam in libris impressis nihil fere sanum reperio in temporum et annorum notis, et hoc mendo mendosiores semper sunt Græci quam Latini, propter Græcarum notarum similitudinem et subtilitatem. Vers. Auson.

Et ter septenis geminos Nero Claudius addit.

Gaio imperatori tribuit Nicephorus annos 3, mens. 10; sed Aurelius Victor Eusebius, Harmenopulus in Chronologia imperatorum manuscripta annos 4 ei dant integros. Notus est versiculus Ausonio imputatus:

Tertia fugit hiems crassantia tempora Gai.

Claudio hic dantur anni 13, mensis unus, sed ab Eusebio (manuscriptum semper intelligo, nam misere et depravatissime est impressus) dantur anni 13, menses 7, dies 28; ab Harmenopulo anni 13, menses 8, dies 9. Neroni quoque hic dantur anni 13, mens. 8; ab Eusebio vero anni 13, mens. 7, dies 28 (non ut in impresso habetur, anni 14, mens. 8, dies 28, quo decipiuntur omnes). Sed Aurel. Victor Claudio rotunde annos 14 tribuit, Neroni 13. Verum Ausonii versiculus (quod genus probationis in hac re est efficacissimum, quia extra mendi suspicionem est positum) utrique rotunde tribuit ann. 14:

Claudius hebdomadem duplicem trahit et Nero dirus.

Galba etiam hic per erratum potius librarii quam

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Sic vertit Anastasius; perperam alii, *divus*.

[b] Legendum videtur, *Antonius Verus cum eo annis* 11; Eusebius, 19, sed Victor, 18.

[c] *Hæretici* vertit Anastasius.

[d] Eusebius, Aurelius Victor et cæteri tribuunt eis annos 2, et quidem præterea menses 2.

[e] *Carcere* habet Anastasius. Ἐν χαινῷ φρουρείῳ scripserat Nicephorus.

[f] Hic videtur deesse aliquid, nempe *Numerianus*, quomodo perierit.

[g] Videntur hic deesse Galerius, Constantius et Maxentius, qui inter Diocletianum et Constantinum regnaverunt.

[h] Legendum 331. Supra vero pro 20 Anastasius legit 10; idem tradit et Harmenopulus in Chronologia.

CAPUT XII.

Moritur autem Constantinus cum regnasset, ut aiunt, annos triginta unum, natus annos sexaginta quinque, relictis filiis tribus, Constante, Constantino et Constantio, quorum Constans veteris Romæ, Constantinus novæ, Constantius Antiochiæ regnum tenuit. Confecit consulatus duos [a].

Sed filii post Constantinum regnarunt annis viginti quatuor.

Julianus an. duobus. Interfectus in Perside.

Jovianus menses novem.

Valentinianus Magnus et Valens frater annis decem, mensibus novem. Valentis imperio factus martyr fuit S. Doroth. objectus in venatione feris ab Arianis.

Gratianus et Valentinianus Minor [b], Valentiniani filii et cum his.

Theodosius Magnus annis sedecim consul. tertium. Secundo anno imperii hujus coacta fuit secunda synodus Constantinopoli, centum quinquaginta sanctorum Patrum.

Arcadius et Honorius filii ipsius anni tredecim, mens. tribus.

A Theodosius Minor annis quadraginta duobus mens. sex. Sub hoc celebrata fuit synodus tertia Ephesi Patrum sanctorum ducentorum, et altera insidiatoria [c], cui præfuit impius Dioscorus.

Martianus et Valentinianus ann. viginti quinque, sub quo Chalcedone quarta sancta synodus celebrata fuit sanctorum Patrum sexcentorum triginta.

Leo magnus annis sedecim.

Leo parvus cum patre annum unum moritur.

Zeno an. septemdecim cum tyranno Basilisco annis duobus.

Anastasius annis viginti septem, mens. quatuor.

Justinus Thrax an. novem, mens. tribus.

Justinianus Magnus annis triginta octo, dies septem. Sub quo sancta Constantinopolitana synodus B (quinta) celebratur.

Justinus, Justiniani fratris filius, ann. duodecim, mens. undecim, dieb. viginti.

Septimo anno hujus imperii completus fuit cyclus unus sancti Paschatos annorum quingentorum triginta duorum, ex quo crucifixus fuerat Dominus noster Jesus Christus, indictione 6, anno a condito mundo sexies millesimo sexagesimo quinto

A. CONTII NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Nicephori omissus est, qui imperavit menses 7, Otho 3, Vitellius octo; quæ sic perstringit Ausonius :

> Galba senex, Otho lascive et famose Vitelli,
> Tertia vos Latio regnantes nescit ætas
> Interitus dignos vita properante probrosa.

C Idem et rotunde decem annos tribuit Vespasiano, ut et Sext. Aurelius Victor :

> Implet fatalem decadem sibi Vespasianus.
> Ostensus terris Titus est brevitate bienni.

Quibus addo deficientem versum de Domitiano :

> Lustra tria hinc perimunt et justa piacula fratrem :

Sed *annis* 15, *addit*, Nicephorus (post Eusebium) *mens.* 51. Sequentium anni conveniunt fere cum Eusebiana chronologia manuscripta, quod de genere mortis cujusque imperatoris breviter aspergit nec probare nec refutare cordi est. Nihil hoc ad chronologiam quam tantum exsequimur. Quidam, inter quos est Harmenopulus, interserunt Pompeianum seu Pupienum et Balbinum cum tribus annis, ut et Æmilianum inter Gallum et Valerianum, et postea Sillianum et Quintilium et Florianum, sed eorum anni vel superioribus vel sequentibus tribuuntur. Quod ait hic auctor Decium in foro periisse, sic D accipio in foro Flaminii, cum Eusebio. Quod ad Diocletianum attinet, cui anni 20 tribuuntur, ea communior est sententia Eusebii et aliorum, tametsi Victor annos 25 ei tribuat. Inter Diocletianum quoque et Constantium Eusebius interserit Galerium, eique duos alios annos separatim tribuit; quem quidam hic, vel Nicephori vel librarii errore, omissum queruntur; sed nihil hic lacunæ agnosco, quia Cassiodorus in descriptione consulum ait annos Constantii et Galerii attribui Constantino Constantii filio et 20 tantum annorum consules ascribit. Ait anno 20 Constantini congregatam fuisse primam universalem synodum Nicænam, sed in manuscripto Anastasii scriptum est id evenisse anno 10, ut et in Chronologia Harmenopuli. Sed in Græca inscriptione seu titulo ejusdem synodi notatur celebratam fuisse Paulino et Juliano consulibus, qui videtur esse annus 15 Constantini. Ibidem computatur annus ab Alexandro 636. Sunt autem ab Alexandro usque ad annum 42 Augusti, quando natus est Christi, anni 323, quos si a 636 subtraxeris, restabunt anni 313, qui sunt anni Christi quibus ea synodus celebrata est. At Nicephorus hoc loco computat annos 318, ut et synopsis Græca conciliorum, qui erat annus mundi 5826 : sic enim legendum in Græco ε, ω, χ, ς, et consequenter anno a Christi resurrectione 285, ut hic recte collectum est. Si legamus hic anno 10 Constantini factam synodum Nicænam, et fuisse tum annum Christi 318, recte conveniet summa collectio ab Adam ad mortem Constantini, ut sit annorum 5836.

Quia autem quo imperii Constantini anno Nicæna synodus coacta sit dissentiunt auctores, causa requirenda est. Nam Nicephorus hoc loco anno 20 factam, ut est in impressis in Germania, aut 10, ut est in manuscripto exemplari Anastasii. Eusebius vero lib. IV de Vita Constantini, cap. 47, anno 20 : factam ait, quando vicennalia ejus acta fuerunt; idem tamen in Chronicis a Hieronymo translatis anno 13 ejusdem celebratam notat. Cassiodorus 18, atque alii alio. Causam igitur hanc esse arbitror quod varie annos imperii Constantini numerant plerique : quidam a depositione purpuræ per Diocletianum, nihil temporis ascribentes Constantio aut Galerio aut Maxentio, quidam post mortem Constantii, quidam post omnes collegas imperii devictos. Itaque ob tantam incertitudinem in ipso synodi titulo quoto an imperii ejus acta sit non est inscriptum, sed quibus consulibus et quo a morte Alexandri anno, qua computatione, tum utebantur universa Græcia et Ægyptus

Ad Cap. XII. — Quæ de annis Constantini et filiorum ejus scribit, ea cum Eusebio, etc., conveniunt, ut et ea quæ de Juliano et Joviano. Sed in

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

[a] *Decem* legit Anastasius recte. Nam ex Fastis agnoscimus Constantium decem consulatus iniisse.

[b] *Junior* legit Anastasius, recte.

[c] Anastasius vocat *Iatrocinalem* recte, nam in Græco est λῃστρικὴ.

CAPUT XIII.

Tiberius annis quinque.

Mauricius [a] annis viginti, mens. quatuor, cæsus. Phocas [b] annis octo, cæsus.

Heraclius annis uno et triginta una cum filio. Imperii hujus anno tertio Persa Chrosroes plurima loca occupavit imperii Romani. Hierosolymam diripuit, et inflammavit venerabilia loca, et magnam multitudinem captivam abduxit, cum patriarcha Zacharia et pretiosis lignis [c], in Persidem. Anno duodecimo ipsius Chosroes Persa occisus, et revocata captivitas, et vivifica crux sua in loca, cum instaurata essent, reposita fuit. Tum deinde Saraceni omnia vastare cœperunt anno mundi sexies millesimo centesimo vicesimo sexto [*al.*, vicesimo nono [d]], indictione septima.

Constantinus, filius hujus, an. viginti octo [e]. Hic occisus fuit in Sicilia, cujus tempore magna pars imperii a Saracenis vastata fuit.

Constans, nepos Heraclii, annis septemdecim. Cujus tempore Byzantium a Saracenis devastatum [e] fuit. Et sexta synodus tertio decimo anno ipsius celebrata Constantinopoli. Hic fortiter se gessit adversus Saracenos, represso impetu illorum et valde ipsis perterrefactis.

Justinus [f], filius hujus annis decem.

Leontius [g] annis tribus.

Tiberius, qui et Absimerus, annis octo [h].

Justinianus II annis undecim.

Philippicus, qui et Bardanes, annis duobus.

Anastasius, qui et Arthemius, annis duobus.

Theodosius anno uno [i].

Leo Isaurus [j] annis viginti quinque, mensibus tribus, diebus quatuordecim.

(*Constantinus fil. ejus annis triginta quatuor,*

A. CONTII NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Valentiniano et sequentibus est dissensio. Hic enim Valentiniano et Valenti anno 10, mens. 9, dantur; apud Hieronymum vero, qui supplevit hac parte Eusebium, anni 14.

Gratianus et Valentinianus et Theodos. ann. 16. Prosper Gratiano cum Valentiniano fratre dat annos 5 et Theodosio postea annos 11, quæ computatio in idem recidit.

Arcad. et Honor. an. 13. Prosper habet an. 32, sed postea, ubi Nicephorus dat Theodosio minori annos 42, dat ipse Prosper duntaxat 27; ita quatuor annis Prosper superat Nicephorum. Sane Sigebertus annos 13 tribuit, ut et Nicephorus, et Honorio ejus fratrueli post ejus mortem tribuit annos 14, et post ejus mortem Theodosio soli annos tres, et postea eidem Theodosio cum Valentiniano ann. 24: qui omnes anni collecti faciunt annos 54, quæ summa cum Nicephoro consentit.

Martianus et Valentinianus annis 25. Sigebertus Martiano annos 6, et Valentiniano cum eo annos 5 tribuit, et Leoni annos 16 post mortem Martiani: post mortem vero Valentiniani Maximo et Avito annos 2 et ejus successori Majoriano annos 4: deinde ejus successori Severo annos similiter 4; ejus item successori Anthemio similiter an. 4; deinde Olybrio mens. 7, Lucerio et Nepoti, et Oresti, Augustulo et Odoacri, sibi invicem succedentibus, annos reliquos attribuit usque ad completum annum 16 imperii Leonis. Itaque existimo hic subesse mendum apud Nicephorum et pro 25 legendum 5 vel 8; nam Harmenopulus eis duntaxat annos 7 tribuit, ut et Beda.

Zeno an. 17. Sigebertus, ex Chronico Idacii episcopi, annos 19 tribuit, sed postea Anastasio tantum 25 cum ei det Nicephorus 27 annos; itaque res eodem recidit. Idem Sigebertus annos 10 rotunde tribuit Justino Seniori, Nicephorus vero et Harmenopulus annos 9, mens. 5.

Justinianus an. 28, *dies* 7. Revera autem imperavit an. 28, menses 8. Idcirco Harmenopulus et Beda et plerique alii ei rotunde tribuunt annos 39.

Sub quo sanct. Constant. synodus celebratur. Id ad annum ejus 24 quidam referunt, ut Sigebert. et alii.

Septimo ann. hujus imperii completus fuit cyclus unus sancti Paschatos annorum 532, *ex quo crucifixus fuerat Dominus Jesus Christus, indict.* 6. Maxima est hac in re Latinorum et Græcorum dissensio. Sigebertus ait anno quinto imperii Justiniani impletum fuisse hunc cyclum (*), quem vocat magnum annum a Christi nativitate annorum 533; ab hoc etiam anno Dionysium abbatem orsum esse cyclum suum cyclorum quinque decemnovennalium. « Et quia secundus, inquit, annus operis concordare debet in ratione computi primo anno nativitatis Christi, debet tricesimus quintus annus cycli Dionysii concordare in ratione computi anno 33 nativitatis Christi, scilicet ut luna 14 Aprilis occurrat IX Kalend. April. in quinta feria, Passio Christi octavo Kal. Aprilis in sexta feria, resurrectio VI Kalend. Aprilis in Dominica die. Sed quia non ita occurrit, sed luna 14 Aprilis occurrit anno XII Kal. Aprilis in prima feria, Dominicæ vero dies Paschæ in V Kalend. Aprilis ideo improbatur, quia repugnat evangelicæ veritati. » Hæc Sigebertus. Beda quoque de Natura rerum ita scribit: « Sub Justiniano Dionysius Paschales scribit cyclos, incipiens ab anno Dominicæ Incarnationis 532, qui est annus Diocletiani 248, post consulatum Lampadii et Orestis, quo anno. Codex Justinianus orbi est promulgatus. Victor quoque Capuanus episcopus librum de Pascha scribens Victorii arguit errores. » Hæc Beda. Sed omnia hujusmodi adversus Dionysium objecta concident, si, ut hic legit Nicephorus, illos annos 532 illosque Dionysii circulos non a Christi incarnatione, sed passione computemus. Et ex Horologio Græcorum, cui ascriptus est Paschalis cyclus, constat Græcos absque ullo errore diei Paschalis locum ad hoc usque tempus felicissime numerasse. Sed diligentior hujus rei tractatio non est hujus instituti proprium, atque majoris temporis desiderat laborem.

(*) Quidam vero anno 5, alii anno 6, « Justiniani id eum fecisse notant » inquit Sigebertus.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Deest apud Anastasium.

[b] Tyrannum Græci vocant, ut Zonaras, etc.

[c] Τμῆμα ξύλων.

[d] Hic vocatur Constantinus Pogonatus.

[e] Sic Anastasius; Germanica editio habet *obsessum*.

[f] Hic vocatur Justinianus Minor, filius Constantini, *Rhinotmetus* dictus.

[g] Hunc Sigonius *Leonem* vocat.

[h] Emendandum *annis* 6.

[i] Sic Paulus Diaconus, sed Zonaras dat ei biennium.

[j] *Iconomachus* dictus.

mens. duobus, diebus viginti quinque, I Leo Chazares annis quinque.)

Constantinus filius ejus cum matre sua Irene annis decem, mensibus duobus, diebus duobus. Horum anno octavo celebrata fuit Nicææ secunda synodus sanctorum Patrum, eccl. trecentorum quinquaginta.

Constantinus (solus) ann. sex, mens. novem, dieb. octo.

Irene mater ipsius annis quinque, mensibus duobus, diebus duodecim.

Nicephorus annis octo, novem, cæsus in Bulgaria.

Stauratius, filius hujus, mens. duobus.

Michael, gener ipsius, anno uno, mensibus novem, diebus undecim.

Leo Armenes, annis septem, mensibus quinque, B diebus quindecim, cæsus in palatio in templo sanctissimæ Deiparæ.

Michael alter annis octo, mensibus novem, diebus novem.

A Theophilus hujus filius, annis duodecim, mensibus tribus, diebus decem.

Theodora, una cum filio Michaele, annis quatuordecim, mens. uno, diebus viginti quinque [a].

Hæc amplius adduntur ab Anastasio.

Michael solus annis undecim, mens. uno, diebus novem, occisus est in palatio S. Mamantis.

GENEALOGIA VALENTINIANI MAGNI.

Valentinianus gignit Gratianum et Valentinianum imperatores, et Gallam, uxorem Theodosii Magni. Theodosius Major genuit Arcadium et Honorium imperatores, et Placidiam, uxorem Constantii. De Arcadio nati sunt Theodosius Minor, et Pulcheria quæ fuit uxor Martiani imperatoris. De prædicto Constantio et Placidia natus est Valentinianus tertius. Mater Theodosii Junioris illa fuit Eudoxia quæ Joan. Chrysostomum exsulavit. Uxor autem ipsius Theodosii Eudocia dicta est.

A. CONTII NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Ad Cap. XIII. — Quia totum hoc ultimum caput misere depravatum, mutilum et mendosum est, eorum etiam testimonio qui primi in vulgus edidere, paulo diligentius hæc pars ex aliis auctoribus retractanda est.

Tiberius ann. 5. Sigebertus manuscriptus annos 6; Hugonis Chronica manuscripta, annos 7; Harmenopulus vero in manuscripta imperatorum Notitia annos 4 ei tribuit. Idem Justino ejus decessori tribuit annos 13, cui hic Nicephorus tantum 12, et Zonaras 13. Sed hanc rem ita conciliat Nicephorus Callistus in fine lib. XVII Eccles. Hist., ut Justinus quidem solus annis 12, mensibus 10 cum dimidio, cum Tiberio vero, quem sibi successorem vivus assumpsit et collegam, annis 3 uno minus mense. De hujus quoque Tiberii annis totam quæ subest perplexitatem idem auctor ita definit lib. XVIII Eccl. Hist., Tiberium solum imperasse annis 4, cum Justino autem decessore annis 3. Sic Paulus Diaconus ei tribuit annos 7; Evagrius 4, lib. V, cap. 21; Zonaras annos 3, mens 10, dies 8; Cedrenus 4. Hic in monumentis publicis phœniceis litteris inscribitur Tiberius Constantinus.

Mauricius ann. 20, *mens.* 4. Hic in publicis instrumentis scribebatur Mauritius, qui et Tiberius, et 20 annos regnavit, Zonara auctore et Chronologia Harmenop. scripta manu, et Niceph. Hist. Eccl. lib. XVIII. Sigebertus et Hugo 21 annos ei dant; Cedrenus vero, annos 20, mens 3, dies 2.

Phocas ann. 8. Sic Nicephorus Callistus lib. XVIII Eccl. Hist., cap. ult., et Zonaras, Cedrenus, Sigebertus et alii. D

Heraclius an. 31 *una cum filio.* Sigebertus an. 30, Paulus Diaconus ann. 31, ut et Nicephorus et Zonaras et Harmenop. Notitia manuscripta.

Constantius filius hujus an. 28. Mirum in modum hoc loco depravata creduntur Nicephoriana, sic ergo aliunde supplenda sunt: Heraclio turpissima ob incesti pœnam morte exstincto succedit Constantius, ejus filius, imperans ann. 13, quem veneno exstinguit noverca eademque consobrina αξ ἀδελφῆ, et pro eo imperat cum filio, Heraclona, vix annum integrum, Zonara teste; at Hugo utrisque tribuit biennium. Paulus Diaconus lib. XVIII in fin. Constantino Mauricii filio menses 4, Martinæ et Heraclonæ annum 1; quem sequitur Sigebertus, et Cedrenus Constantino menses 4, Martinæ et Heraclonæ menses duntaxat 6 tribuit, omnibus non integrum annum. Senatus, ejectis Martina et Heraclona, cui et nasus abscissus est, Constantem, Constantini veneno sublati filium, Heraclii nepotem, imperio præficit, cui præfuit ann. 27 secundum Zonaram, Paulum Diaconum et Cedrenum. His ita digestis animadvertere cœpi non adeo depravata hic esse Nicephoriana, imo nullo modo esse depravata, si modo hunc Constantinum, quem facit Nicephorus imperasse ann. 28, intelligamus C eumdem esse qui et Constans ab aliis appellatur, nam et hunc Constantem fuisse quoque appellatum Constantinum scribit Sigebertus; in eo tantum mendum erit quod quem nepotem dicere debuit, filium appellavit: quo mendo sublato, consentiet Nicephorus cum Notitia Harmenopuli manuscripta, quæ, prætermisso Constantini, Martinæ et Heraclonæ vix integro anno, unum amplius anno Constantino huic, id est Constanti, tribuit, nempe annos 28. Hunc autem esse Constantinum quem plerique Constantem vocant, id etiam maximum argumentum est quod in Sicilia occisum hunc scribit Nicephorus hoc loco, quod Constanti huic convenire ex Zonara discere licet, et ex Paulo Diacono lib. XIX, qui huic tribuit duntaxat anno 27, cum scilicet Martinæ et ejus privigno filioque jam tribuisset annum unum.

Constans nepos Heraclii, anno 17. Hic videtur emendandum *Constantinus*. Certum est enim hic agi de Constantino Pogonato, Constantis filio, orthodoxo, sub quo facta est synodus VI, anno ejus 13, ut hic adnotatur. Et Zonaras totidem annos 17 ei tribuit, ut et Diaconus, qui ann. ejus 12 factam synodum ejusmodi ait, cæteri autem et Græci, anno 13.

Justinus filius hujus ann. 10. Et hic emendandum videtur, *Justinianus*. Is autem intelligendus qui Rhinotmetus, a præciso postea naso dictus est.

Tiberius, qui et Absimerus, ann. 8. 7 duntaxat ei tribuunt Cedrenus, Diaconus, Hugo, Zonaras et Sigebertus, sicque hoc loco emendandum videtur.

Justinianus secundo ann. 11. 6 duntaxat annos ei ascribit Hugo. Sigebertus vero 7, Cedrenus 6, ut et Græcus Theophanes, Harmenopulus vero 7; ergo perperam hic legitur 11, et emendandum est 6. Anno hujus iterati imperii secundo scribit Theophanes, Græcus auctor, ut citatur a compilatoribus postremæ editionis Conciliorum, factos fuisse cano-

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Anastas., 20.

CAPUT XIV.

Colliguntur anni hoc modo, ut sequitur.

Ab Adam usque ad diluvium anni bis mille ducenti quadraginta duo.

A diluvio usque ad turrim Nembroth anni quingenti viginti quinque.

A turri usque ad διχοτομήματα, dimidiationes Abraham, anni quadringenti viginti quinque.

A dimidiationibus usque ad finem Abraham anni septuaginta sex.

Universi anni ter mille ducenti sexaginta octo.

Ab Abraham usque ad egressionem Israelitarum anni quadringenti triginta.

Ab egressione usque ad ædificationem templi Domini anni septingenti quinquaginta septem.

A Ab ædificatione templi usque ad captivitatem, anni quadringenti viginti quinque.

Universi anni quater mille octingenti octoginta.

A captivitate usque ad Alexandrum, anni trecenti decem et octo.

Ab Alexandro usque ad Christum, anni trecenti tres.

Universi anni quinquies mille quingenti.

A Christo usque ad Constantinum Magnum, anni trecenti decem et octo.

A Constantino usque ad Theophilum, indictione quinta anni quingenti triginta.

Universi anni sexies mille trecenti quinquaginta.

A. CONTII NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

nes sextæ synodi generalis in Trullo. Sane illius synodi præfatio ad Justinianum hunc Constantini Pogonati filium manifeste innuit sub eo factam esse eam synodum, annum quoque quo ea facta est appellat ea synodus canone annum a mundo condito 6199, indictione quarta; quem annum ita colligo: anno Justini Junioris 7 impletus fuit cyclus Paschalis 532 a passione Christi: erat ergo annus Christi 565; additis quippe ann. 33 quibus vixerat ante passionem, et consequenter ann. mundi 6073: his addo reliquos 5 Justinian., Tiberii 5, Mauricii 20, Phocæ 8, Heraclii 31, Constanti, Martinæ, Heracleonæ, Constantis 27, Constantini Pogonati 17, hujus Justiniani primi imperii ann. 10, Leontii 3, Absimeri 7, fiunt, ann. 6205; sex scil. amplius quam oporteret; sed Justino forte 4, Tiberio 3, et sequentibus aliquot anni videntur detrahendi.

Philippicus, qui et Bardanes, ann. 11. Legendum 2, secundum Diaconum, Sigebertum, Harmenopulum, etc. Hugo ei ascribit ann. et mens. 6.

Leo Isaurus. Hic et Conon Syrigena et Iconomachus nuncupatus est; ei dantur hic anni 25, ab Harmenopulo vero 24, mens. 8, d. 25; a Diacono ann. 24, mens. 2, d. 22, rectius quam alii omnes.

Constantinus filius ejus ann. 34, *mens.* 11, *d.* 25. Hic Copronymus dictus est, fuitque catulus Leone patre crudelior, et iconomachus nequissimus, cui tribuit Harmenopulus ann. 34, mens. 3. Copronymus ideo dictus, quod dum baptizatur a patriarcha Germano, caccans in sancto lavacro, magnum dedit præsagium quod futurus esset Ecclesiæ Dei in scandalum. Sigebertus ei tribuit ann. 33, Zonaras 34, mens. 3, Diaconus ann. 55, mens. 2, d. 26.

Leo Chazazes ann. 5. Hic erat filius Constantini Copronymi ex femina Chazaza.

Constantinus filius ejus cum matre Irene ann. 10, *m.* 2, *d.* 2. Ann. 10 præcise edidit Sigebertus, item Harmenopulus.

Horum anno secundo celebrata fuit Nicæa secunda synodus. Item Cedrenus et Paulus Diaconus. Sigebertus ait hanc synodum anno septimo illorum inchoatam. In ejus synodi Græco titulo notatur factum esse anno mundi 6296, indictione 2. In Diegesi vero conciliorum, Lutetiæ edita, anno mundi 6293, Christi 794. Nam quod in editione Nomocanonis Hermeti legitur in ejus titulo facta anno mundi 6696, mendosum est et emendandum 6296.

Constantinus solus ann. 6... *et Irene mater ipsius ann.* 5, etc. Hæc indubitata sunt.

Nicephorus ann. 8, *m.* 6. Cedrenus huic et filio Stauratio ascribit annos 9. Hic auxilio eunuchorum ad imperium est provectus, ut alii sæpe apud Romanos et Græcos et plerosque barbaros. Longum esset numerare quot mala publicis imperiorum rebus ab B eunuchis acciderint. Summum et maximum illud fuit quod invidia unius Ætii eunuchi pactæ tam inter Carolum Magnum et Irenam Constantinopolitanam imperatricem nuptiæ sint disturbatæ, ac proinde utriusque imperii Occidentis et Orientis reconciliatio et consolidatio. Scitum est illud Chrysaorii quod recitat Cedrenus cuidam ex principibus insusurratum: Εἰμὶν ἔχεις εὐνοῦχον φόνευσον εἰ δ' οὐχ ἔχεις, ἀγόρασον καὶ φόνευσον. Hunc Nicephorum Seleucenum vocat Harmenopulus, et addit ὁ ἀπὸ τυνικῶν ὁ συμπαθείς, sed legendum ὁ ἀπὸ γενικῶν. Id est, *generalis* seu *ex generali logotheta ad imperium evectus.*

Michael gener ipsius. Is, cognomento Ranchales, γαμβρὸς Nicephori annum unum imperat secundum Harmenopulum, vel duos secundum Sigebertum et Diaconum; ann. 1, mens. 9, d. 11, secundum hunc Nicephorum. Quod de Leone Armenio et secundo Michaele subditur congruit cæteris auctoribus. Secundi Michaelis legatos ait Sigebertus inter cætera C munera Ludovico imperatori et Francorum regi detulisse libros Dionysii Areopagitæ de Hierarchia, et petente Ludovico de Græco in Latinum fuisse translatos et Parisiis in ipso sacri martyris festo cum gaudio susceptos, secuto repente miraculo sanationis novemdecim ægrotorum. Anno hujus Michaelis 8, quem facit a Christo 829, et a mundo condito 4788, scribit impletum esse novum magnum annum ab initio mundi, qui est annorum 532, quod etiam ratio divisionis ostendit.

Theophilus, hujus filius, ann. 12, *mens.* 11. Idem scribit Zonaras, idem et Cedrenus; sed ei annos quindecim tribuit Sigebertus.

Theodora una cum filio Michaele anno 14, *m.* 1. Sigebertus ait Michaelem et Theodoram imperasse annis 11, et postea Michaelem solum ann. 13. Fit summa annorum 24. Nicephorus vero ei cum matre ann. 14, et soli 11 tribuit. Fit summa annorum 25. Consentit cum Nicephoro Cedrenus. In hoc igitur D Michaele desinit Nicephorus, quem eo tempore vixisse conjicere licet. Sane narrat Cedrenus hunc ad Michaelem Balbum, Theophili patrem, epistolam pro sacrarum imaginum instauratione scripsisse. Huic Michaeli successit Basilius Macedo, regnans ann. 19, secundum Harmenopulum et Cedrenum et Zonaram, qui anno præterea uno cum Michaele eum imperasse scribunt. Sigebertus ei 17 ann. ascribit. Hic constituerat leges et jura Romana repurgare, sed quod instituerat, et filius ejus Leo imperator, cognomento Philosophus, præstitit, et libros sexaginta Basilicorum, et multas præterea Novellas orbi promulgavit.

Ad Cap. XIV. — Supervacuum reor plura de hac summa collectione (Græci συνοπτικὸν χρονικὸν vocant) disserere aut commentari, cum nihil in ea collectione fere veri aut superioribus specialibus computationi-

bus cohærentis, aut consentanei habeatur. Possem et alia hujusmodi farinæ multa superaddere synoptica chronica et inter Græcorum, Suidæ. Sed quid erit pretii, cum et Suidas æque sit depravatus, et ex Nicephoro ad verbum videatur exscripsisse usque ad Michaelem, sequentia vero vel ex se vel aliis recentioribus addidisse; unde quæso annum conditæ turris Nembroth discere potuerunt, qui profecto ex canonicis libris elici non potest, nec Hebraicis, nec Græcis aut Latinis. Cætera etiam sunt aliter collecta quam superius colligi debere demonstratum sit.

Sic ergo colligere cœpimus prima, et addere debemus extrema.

Ab Adam usque ad Christi nativitatem anni 5508.

A Christi Domini nativitate usque ad salutiferam ejus passionem, resurrectionem et in cœlum ascensum, anni 33.

A Christi ascensu usque ad septimum Justini Junioris annum anni 532, id est unus magnus Paschatos cyclus.

A septimo Justini anno usque ad decimum tertium Theophili imperatoris annum, quo fuit indictio quinta, quam nominat Nicephorus, quia Cedrenus ait eum imperium cœpisse initio indictionis octavæ, sunt anni universi 273; universi a Christo nato anni 828 [a].

Ergo universi a condito mundo usque ad ultimum annum Theophili anni 6336. Perperam igitur hic colligitur in Nicephori depravata scriptura summa annorum 6350.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Sigebertus, 843.

PARS SECUNDA.

CAPUT XV.

AUGUSTÆ.

Theodora et Helene, uxores Constantii, patris Constantini Magni. Fausta, uxor Constantini Magni. Eusebia, Constantii. Helena, Magni Constantini filia, uxor Juliani τοῦ *παραβάτου*, prævaricatoris. Karita (seu Karito), Joviniani, Severa et Justa [*al.*, Justina], uxores Valentiniani Magni. Dominica, Valentis. Galla et Placilla, Theodosii Magni. Eudoxia, Arcadii. Eudoxia, Theodosii Junioris. Pulcheria, Martiani. Verina, Leonis Magni. Ariadne, Zenonis. Eadem Ariadne, Anastasii. Euphemia, Justini primi. Theodora Justiniani Magni. Sophia, Justini. Anastasia, Tiberii. Constantina, Mauritii. Leontia, Phocæ. Flavia Eudocia, et Martina, Heraclii. Heracleone, Constantini. Justiniani, Leontii, Absimari, Philippici, Theodosii, Justiniani, Arthemii. Maria, Leonis primi Isauri. Irene Chazara, Constantini. Maria Eudocia [a], Irene, Athenea, Leonis secundi; qui Chazares. Maria et Theodore, Constantini. Thebano [*al.*, Theophanio], Staucatii. Procopia, Michaelis. Theodosia, Leonis. Thecla et Euphrosyne, Michaelis. Theodora, Theophili. Eudocia Michaelii, Eudocia Basilii [b].

CAPUT XVI.

Reges decem tribuum Israel in Samaria, a temporibus Roboam filii Salomonis usque ad traductionem in Assyrios tribuum decem sub Ezechia rege Judææ.

1 Jeroboam, servus Salomonis, ungitur ab Achia propheta, quod dominus ipsius Salomon declinasset ad alienigenas uxores et externas ceremonias illarum.

2 Nabath filius ipsius, annis duobus.

3 Basa (hic delevit domum Hieroboam) annis viginti quatuor.

4 Hela, filius illius, sub quo Jeu propheta, annis duobus.

5 Zamri, servus ejus, qui illum interfecit, mensibus septem.

6 Amri, annis duodecim

7 Achab, filius ejus, sub quo Elias propheta clausit cœlum, et interfecit sacerdotes Baal, annis viginti duobus.

8 Ochosias, filius hujus, annis duobus.

9 Joram, frater ejus, quem occidit Jeu secundum verbum Domini; subque hoc propheta fuit Eliseus, annis duodecim.

10 Jeu : unctus a discipulo Elisei ad exitium domus Achab, secundum prophetiam Eliæ, annis viginti octo.

11 Joachaz, quem afflixit vastans regnum ipsius Azael, rex Syriæ, annis septemdecim.

12 Joas, sub quo Eliseus propheta victoriam de Syris prædixit et miracula edidit, annis sedecim.

13 Jeroboam, sub quo Jonas propheta, annis quatuordecim.

14 Zacharias, in quo completa fuit prophetia Elisei; promiserat enim Deus per hunc Jeu duraturos ab ipso reges Israeliticos in quartam progeniem; hujus sunt mens. sex.

15 Sellum, interfector Zachariæ, mens. unum.

A. GONTI NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Videtur legendum, ex aliis locis quæ contuli, *quæ et Eudoxia.*

[b] Ad suprascriptum Augustarum catalogum, quanta potuimus fide a nobis emaculatum, nihil adnotandum arbitratus sum, hanc otiosis curam lubenter transmittens. Possunt autem ex Cedreno, Zonara et aliis, tam horum quam sequentium imperatorum conjuges addisci. Ex Suetonio vero Spartiano, Capitolino, Lampridio, etc., superiorum Augustorum conjuges, ut Livia Augusti, Plotina Trajani, Sabina Adriani, Faustina D. Pii, et alia Faustina D. Marci

16 Manahem, ann. decem.

17 Phaceas, filius Manathemi, ann. duobus.

18 Phacea, filius Romelia, ann. viginti; sub quo fuerunt Isaias et Naum prophetæ.

19 Osee, filius Eliæ, interfector Phaceæ, annis novem. Hujus tempore Salamanasser, Assyriorum rex, cepit totam Samariam, et regem ipsius et totum Israel, exceptis duabus Juda tribubus et Benjamin, cum esset rex Hierosolymis Ezechias. Introduxit autem in terram illam Chutæos, ut vocantur, collocavitque in Samaria et urbibus a se vastatis atque captis. Hi suis dils serviebant, et ideo Deus iratus immisit eis leones, a quibus illi devorabantur.

Hac re et causa cognita, rex Assyriorum misit Israelitas ad eos cum sacerdotibus qui ipsos docerent legem et venerationem Dei æterni. Admiserunt autem tantummodo scripta Moysis; et colentes Deum æternum, non reliquerunt idola.

Horum posteri sunt Samaritæ in hodiernum diem, solum Pentateuchos conservantes, et fugientes consuetudinem Judæorum.

Pontifices in Israel.

1 Aaron, ab Abrahamo septimus, reliquit filios duos, Eleazar et Ithamar.

2 Eleazar, sub quo decessit Moyses, et est divisa terræ possessio per Josuam, et tabernaculum testimonii fixum in deserto.

3 Phinees, Eleazari filius, cum omnibus senioribus populum judicans Abiu, Bechi, Ozi.

4 Heli, ex Ithamar.

5 Achitoph, sub quo Samuel.

6 Abiathar, cum David.

7 Zadoc, ex domo Eleazari.

8 Achimas, Azariæ filius filii Amariæ.

9 Azarias, ob ardentem affectionem amoris erga Deum, qui est scilicet ζῆλος Θεοῦ, interfectus.

10 Azaria, qui prohibuit Oziam ingressu in loca sacra.

11 Urias fidelis Isaiæ

12 Sommas, pravus et libidinosus, tempore Ezechiæ regis.

13 Eliazim, Sellum filius.

14 Chelcias, sub Josia rege optimo.

15 Sareas tempore eo quo Judæi captivi abducti sunt Babylona a Nabuchodonosore.

16 Jossedech, quem Ezechiel Saduc nominat. Hic fuit Babylone inter captivos.

17 Jesus, filius ejus; qui rediit in patriam, et templum instauravit cum Zorobabel.

18 Joachim, Jesu filius.

19 Eliasib, filius Joacim.

20 Jodae, Eliasibi filius, sub quo Nehemias instauravit Hierosolymam et muros refecit.

21 Jonas.

22 Jaddo, tempore Alexandri regis Macedonum.

23 Onias.

24 Simon, Dei amans.

25 Eleazar, frater Simonis sub quo translatæ fuerunt sacræ Scripturæ, tempore Ptolemæi regis.

26 Manasse.

27 Onias, Simonis filius.

28 Simon, Oniæ filius, cujus meminit Jesus, Sirach filius, in Sapientia sua.

29 Simonis filii tres: Onias, Jason, Menelaus. Hi adversati sibi mutuo, sese everterunt. Horumque temporibus illa facinora designavit Antiochus, sublato Menelao.

30. Alcimus alienigena, constitutus Menelai loco ab Antiocho.

31 Judas Machabæus, et Jonathas, et Simon cum fratribus.

32 Joannes, qui et Hyrcanus, Simonis filius.

33 Aristobulus, Hyrcani filius, qui post Alexandram matrem necatam, diadema sibi imposuit.

34 Joannes, qui et Jannæus et Alexander.

35 Hyrcanus, quem Aristobulus frater ejus expulit: Pompeius vero imperator confugientem ad se Hyrcanum restituit. Quo tempore subjecti fuerunt Romanorum ditioni Judæi. Ac Aristobulus quidem vinctus Romam mittitur a Pompeio; Hyrcanus autem capitur a Parthis; Antigonus vero filius Aristobuli et ipse interficitur.

36 Ananelus alienigena, quem constitutit Herodes.

37 Aristobulus, Hyrcani filius, gener Ananeli, sublatus ab Herode.

38 Ananelus, iterum ab Herode constitutus.

39 Simon, Boeth filius, socer Herodis.

40 Matthias, Theophili filius.

41 Joazar, filius socrus Herodis, sub quo natus est Christus.

42 Eleazar.

43 Jesus, Osiæ filius.

44 Joazar.

45 Ananus, sub quo Christi manifesta doctrina et miracula sunt inchoata. Hunc Ananum Gratus præses Rom. dignitate et munere privavit, constituto illius loco Ismaelo.

46 Eleazar, Anani filius.

47 Simon.

48 Caiphas et Joseph, gener Anani. Ananus autem magistratus erat pontificum sub præsidibus Romanis a quibus et muneris illius principatus conferebatur. Caiphas igitur pontifex fuit anno eo in quem incidit passio Christi. Hunc removit Vitellius, prætor Romanus.

49 Jonathas, Anani filius

50 Theophilus, frater ejus.

51 Simon.

52 Jonathas, Anani filius iterum.

53 Matthias.

54 Aclionæus, qui et Josephus.

55 Ananias, quem vinctum Quadratus misit Romam.

56 Ismaelus.

57 Josephus, constitutus a Nerone.

58 Ananias, qui sustulit Jacobum fratrem Domini, cui Paulus dixit: *Percutiet te Deus, paries dealbate.*

Hunc Agrippa secundus removit. In Hierosolymorum autem obsidione a civibus occiditur.

59 Jesus Damnæi filius.

60 Jesus, Gamalieli filius.

61 Matthias, sub quo inchoatur bellum adversus Romanos.

62 Phinees, qui productus fuit a Romanis, in quorum manus devenerat, populantibus Hierosolymam. Cujus tempore Titus urbem cepit, et incendit templum.

NICEPHORI, *nomina patriarcharum Hierosolymæ post Christi Jesu in cœlos ascensionem.*

1 Jacobus, frater Domini, anni viginti sex.

2 Simeon Cleophæ fratris ipsius filius et martyr annis viginti tribus.

3 Justus, annis sex.

4 Zacharias, annis quatuor.

5 Thobias, annis quatuor.

6 Benjamin, annis duobus.

7 Joannes, annis duobus.

8 Matthæus, annis duobus. (.·.)

9 Philippus, anno uno.

10 Seneca, annis quatuor.

11 Justus, annis quatuor.

12 Levi, annis quatuor.

13 Ephraim, annis duobus.

14 Joseph, annis duobus.

15 Judas, annis duobus.

16 Marcus, annis octo.

17 Cassianus, annis octo.

18 Publius, annis quinque.

19 Maximus, annis quatuor. (.·.)

20 Julianus, annis duobus.

21 Gaianus, annis tribus.

22 Symmachus, annis duobus.

23 Caius, annis tribus.

24 Julianus, annis quatuor.

25 Elias, annis duobus.

26 Capito, annis quatuor.

27 Maximus, annis quatuor.

28 Antonius, annis quinque.

29 Valens, annis tribus.

30 Dolichianus, annis duobus (.·.)

31 Narcissus, annis quatuor.

32 Dius, annis octo.

33 Germanion, annis quatuor.

34 Gordias, annis quinque.

35 Narcissus iterum martyr decem.

36 Alexander martyr, annis quindecim.

37 Mazabenes, annis viginti quatuor.

38 Hymneus, annis viginti tribus.

39 Zabdas, annis decem.

40 Hermon, annis novem.

Hactenus imperatores alieni a Christiana religione, et Christiani afflicti fuerunt.

NICEPHORI, *postquam Christiani fuerunt imperatores, episcoporum Hierosolymæ nomina.*

41 Macarius, qui in synodo fuit annis viginti [a].

42 Maximus, annis sex.

43 Cyrillus, expulsus ab Arianis. Loco hujus constituuntur tres; Arseniusᵇ, Heraclius et Hilarius. Et rursum revocatus tempore Gratiani, in secunda synodo, inventus fuit Constantinopoli, annis sexaginta duobus.

44 Joannes, annis sedecim.

45 Paulinus, annis viginti.

46 Juvenalis, qui fuit in duabus synodis, Ephesi et Chalcedone, annis triginta octo.

47 Theod. [c] expulsus a Marciano, et rursum Juvenalis an...

48 Anastasius, annis octodecim.

49 Martyrius, annis octo.

50 Salustius, cujus tempore separavit se episcopus Romæ propter [d] edictum Zenonis de conjunctione, annis octo.

51 Elias [e] expulsus ab Anastasio imperatore, annis...

52 Joannes, annis undecim.

53 Petrus tempore Justiniani imperatoris annis viginti.

54 Macarius expulsus, annis duobus.

55 Eustochius, anno uno.

56 Macarius iterum annis quatuor.

57 Joannes, annis.

58 Amos, annis octo.

59 Isaacius, annis octo.

60 Zacharias ante urbem captam annis viginti quatuor [f].

A. CONTII NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Quia sæpe vocatus ab Acacii Cæsariensis synodo, non comparuisset; provocavit vero ad majus tribunal et ejus provocationi suffragatus est Constantius imperator (Nicetas *in Thesauro*, lib. v, cap. 15).

[b] *Erennius* legit Nicetas in Thesauro, lib. v, cap. 21.

[c] Existimo hunc esse Theodulum de Bethlehem, quem sedis apostolicæ legati in locum Polychronii episcopi, certas quidem ob causas, sed ob simoniacas ordinationes maxime, damnati, quasi vicarium episcopum dimiserunt. Polychronius vero sedi suæ magno cum honore est restitutus Valentiniano septimum et Avieno coss., quod fame et egestate obsessis Hierosolymitanis clericis et plebibus tria, quæ illi a summo pontifice assignata erant, usufructuaria prædia erogasset. Sedit vero Polychronius Hierosolymis annis 6, mensibus 6, et requievit in pace. Vide historiam damnationis Polychronii illius Conciliorum tomo I.

[d] Scriptum illud, ab instituenda concordia Græcis *Henoticon* dictum, Acacius episcopus CP. hæreticus ex animi sui sententia condiderat. Data vero pecunia corrupit missos a Felice pontifice maximo legatos ita ut, contra mandata sua, ei communicarent; qua de re illis adempta est a Felice sua dignitas, et litteris ad eum scriptis damnatus Acacius, qui vicissim Felicis nomen ex albo sustulit (Cedr. ad Zonar. *Ann.*, tom. III, *in Vita Basilisci imp.*).

[e] Hujus Eliæ meminit Pratum Spirituale, cap. 35.

[f] Capta urbe translatus est cum residuo populi, tam urbis quam regionis universæ, a Cosdroe, in Persidem (Guillelm. Tyr. *Hist. belli sacri*, lib. I, cap. 2).

61 Modestus, anno uno [a].

62 Sophronius, annis [b]...

Orestus *avunculus Hequem caliphæ* [c].

NICEPHORI EXPOSITIO NOMINUM

Episcoporum Romanorum post Christum et Apostolos.

1 Petrus Apostolus, annis duobus.

2 Linus, annis duodecim.

3 Anacletus, annis duobus.

4 Clemens, annis novem.

5 Evarestus, annis novem.

6 Alexander, annis duodecim.

7 Xystus, annis novem.

8 Telephorus martyr, annis decem.

9 Hyginus, annis quatuor.

10 Pius, annis quindecim.

11 Anicetus, annis duobus.

12 Sotericus, annis novem.

13 Eleuthericus, annis quindecim.

14 Victor, qui in synodo quæ fuit celebrata in Palæstina, die Paschatos, annis duodecim.

15 Zephyrinus, annis novemdecim.

16 Callistus, annis octo.

17 Urbanus, annis septem.

18 Pontianus, annis tribus.

19 Anteros, mense uno.

20 Flavius, martyr sub Decio, annis quindecim.

21 Cornelius, qui removit Novatum, eversorem pœnitentiæ, annis tribus.

22 Lucianus, annis duobus.

23 Stephanus, annis novem.

24 Xystus, annis duobus.

25 Dionysius, annis octo.

26 Felix, confessor sub Valeriano, annis quinque.

27 Eutychianus, mens. octo.

28 Caius, annis quindecim.

29 Marcellinus, annis duobus.

Hactenus imperatores alieni fuere a religione Christiana, et infesti hanc colentibus. Sub Christianis autem imperatoribus Romani episcopi fuere.

30 Eusebius, anno uno.

31 Miltiades, annis quatuor.

32 Silvester, cujus tempore Nicæna synodus celebratur, annis viginti octo.

33 Marcus, annis duodecim.

34 Julius, annis quindecim.

35 Liberius, exterminatus a Constantio Ariano, annis sex.

A 36 Felix, anno uno.

37 Siricius, annis quindecim.

38 Anastasius, annis tribus.

39 Innocentius, annis quindecim.

40 Zosimus, annis octo.

41 Bonifacius, annis quatuor.

42 Cœlestinus, sub quo Ephesina synodus, annis viginti uno.

43 Xystus, annis octo.

44 Leon, sub quo Chalcedonia synodus, annis viginti uno.

45 Hilarion, annis sex.

46 Simplicius, cujus sunt epistolæ scriptæ ad Antiochenos, contra Marcium Nestorianum, annis quatuordecim.

B 47 Felix, qui separavit se ob edictum Zenonis de conjunctione.

48 Gelasius, annis quinque.

49 Anastasius, annis duobus.

50 Symmachus et cum hoc Laurentius, annis quatuordecim.

51 Hormisdas, qui Justiniani temporibus Chalcedoniam synodum in sacros codices retulit, annis decem.

52 Joannes, annis tribus.

53 Agapetus, ann. uno.

54 Silverius, annis duobus.

55 Vigilius, annis quinque.

56 Pelagius, annis octo.

57 Joannes, annis quinque.

C 58 Benedictus, annis quatuor (.·.)

59 Pelagius alter, annis decem.

60 Gregorius, annis tredecim.

61 Subinianus, ann. uno.

62 Bonifacius mens. octo.

63 Bonifacius alter, annis septem.

Nicephori Catalogus episcoporum

Byzantii post Christum et apostolos.

1 Andreas apostolus præco Byzantii fuit Evangelii. Exstruxit ædem, in qua precibus piis imploraretur Deus ultra regionem Argyropoli: et ordinavit episcopum urbis illius Stachyn, cujus meminit Apostolus in Epistola scripta ad Romanos.

2 Stachys, annis sedecim.

D 3 Onesimus, annis quatuordecim.

4 Polycarpus, annis octodecim.

5 Plutarchus, annis sedecim.

A. CONTII NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Hic urbe dejectus a Cosdroe Persa, imperatoris Mauricii genero, in soceri ultionem; ecclesias, datis ab Heraclio imp. sumptibus necessariis, reformavit (Id. *ubi supra*, lib. I, cap. 1).

[b] Hic locum veteris et a Vespasiano directi templi Salomonis cum indicasset, Omar, filius Carab, tertius a Mahomete erroris et regni successor, illud restituit ex integro, et quale regum Latinorum temporibus Hierosolymis visebatur (Id. *ubi supra*, lib. I, cap. 2, et lib. VIII, cap. 3).

[c] Qui ne, ut Christianus et Christiana matre progenitus, male audiret apud suos, per Ramulensem præsidem, Hiarot nomine, Ecclesiam Dominicæ Resurrectionis, a Maximo patriarcha, tempore Constantini, ædificatam, funditus dejecit. Fœdus cum Romano imperatore Constantinopoli initum dissolvit idem calipha Hequem; ejus vero successor Daher illud renovavit. Scribit tamen Guillelmus Tyriensis Nicephorum patriarcham Hierosolymitanum sumptibus a Constantino Monomacho imp. ministratis ecclesiam Dominicæ resurrectionis restituisse, A. D. 1048, annis 51 ante urbis liberationem, et 37 postquam diruta fuerat ecclesia. (Guill. Tyr. *ubi supra*, lib. I, passim).

6 Sedecion, annis novem.

7 Diogenes, annis quindecim

8 Eleutherius, annis septem.

9 Felix, annis quinque.

10 Polycarpus, annis septemdecim.

11 Athenodorus, annis quatuor. Hic exstruxit alteram ædem in topothesia, cui nomen Olea, ibique conventus habebat ecclesiasticos.

12 Euzoius, annis sedecim.

13 Laurentius, annis undecim, mens. sex.

14 Alypius, annis tredecim, mens. sex.

15 Pertinax, vir consularis senatus Romani, an. novemdecim, mens. decem, diebus quinque. Hic aliam ædem exstruxit in loco maritimo, cui nomen Ficus; eam appellavit Irenen.

16 Olympianus, annis undecim.

17 Marcus, annis tredecim.

18 Cyriacus, annis sedecim.

19 Castinus, annis septem. Hic Byzantii, in loco cui nomen Petrium, ædem ad preces exstruxit, sanctæ Euphemiæ titulo, quæ nunc Martyr facta fuit.

20 Titus, annis triginta quinque, mens. sex.

21 Domitius, frater Probi imper., annis viginti quatuor ; mens. sex.

22 Probus, filius hujus Domitii, annis duodecim. Hi omnes fuerunt episcopi Byzantii, antequam declararetur imp. Constantinus Magnus Byzantii, propter bellum contra Licinium, ob Metrophanem episcopum.

23 Metrophanes, filius Domitii paulo ante nominati, et frater Probi episcopi, et filius fratris Probi imperatoris, annis decem. Cum ob decrepitam ætatem in synodo Nicæna considere non posset, ejus vicem Alexander presbyter supplevit : Nicetas, Thesauri lib. 5, cap. 6.

24 Alexander vixit an. nonaginta octo, et episcopus fuit an. sexaginta tribus.

25 Paulus confessor, an. tribus, ejectus a Constantio.

26 Eusebius, Arianus declaratus qui prius fuerat Berythi, deinde Nicomediæ, annis duodecim.

27 Macedonius, presbyter Ecclesiæ Constantinopolis, oppugnator sancti Spiritus, an. duodecim. Vide Nicetam in Thesauro, lib. 5, cap. 6.

28 Eudoxius Arianus, qui prius fuerat Germanicæ, deinde Antiochiæ, annis decem.

29 Demophilus Arianus, qui prius fuerat Berrhœæ in Thracia, annis undecim, mensibus quinque.

30 Evagrius, manibus impositis factus ab Eusthatio Antiochiæ, et statim exterminatus a Valente.

31 Gregorius Nazianzenæ præfuit Ecclesiæ annis duodecim et rediit ad vitam privatam.

32 Nectarius axiomaticus, a patribus centum quinquaginta, simul baptizatur et ordinatur episcopus, annis sedecim, mensibus tribus.

33 Joannes, presbyter Antiochiæ, cognomento A Chrysostomus, annis quinque et mensibus sex.

34 Joanne exterminato, Arsacius presbyter, frater Nectarii, annis duobus.

35 Atticus, presbyter Constantinopolita, annis viginti.

36 Sisinnius, presbyter ejusdem Ecclesiæ, an. duobus.

37 Nestorius, denegator hominis Christi, cum Deum negaret esse, presbyter Antiochiæ, annis tribus mensibus duobus. Hoc Oasin in exsilium acto,

38 Maximianus, presb. Constantinopolitanus an. duobus, mens. quinque.

39 Proclus [a], a Sisinnio factus episcopus Cyzici : ubi non receptus, cum alterum legissent Cyziceni, privatis studiis operam dedit. Mortuo autem Maxi- B miano, solium est sortitus principis urbis. Hic ab imperatore Theodosio minore impetravit ut liceret Pityunte Constantinopolim transferre reliquias Joannis Chrysostomi, annis duodecim, mensibus tribus.

40 Flavianus, presbyter Constantinopolitanus, anno uno, mensibus decem. Hoc dejecto a Dioscoro in illa insidiosa synodo Ephesi,

41 Sufficitur Anatolius presbyter, et a responsis Dioscori, annis octo, mensibus octo.

42 Gennadius presbyter Constantinopolitanus, ann. tredecim, mensibus duobus.

43 Acacius presbyter, curator alendis orbis, hæreticus, annis septemdecim, mensibus novem; damnatus a Felice P. M. ob conscriptum ab illo Henoticum, tempore Zenonis imp. C

44 Phrabitas, presbyter S. Theclæ Sycis, M. 3. D. 17.

45 Euphemius presbyter Constantinopolitanus et curator pauperibus alendis in nova urbe, annis sex et mensibus sex. Hoc expulso ab imperatore Anastasio,

46 Macedonius, presbyter Constantinopolitanus et vasorum custos an. sex.

47 Timotheus, presbyter Constantinopolitanus et custos vasorum, an. sex.

48 Joannes, Cappadox presbyter, et syncellus illius, anno uno, mensibus decem.

49 Epiphanius, presbyter Constantinopolitanus sub Justiniano, annis sedecim, mensibus tribus.

D 50 Acthimus Trapezunti episcopus, mens decem. Hoc remoto, congregata synodo adversus Severum,

51 Menas presbyter et præfectus hospitio Sampsorum, annis sedecim, mensibus sex.

52 Eutychius, presbyter et monachus, in monasterio Amasiæ, annis duodecim, mensibus duobus. Hoc ejecto a Justiniano, imperii ipsius anno 38, eo quod non reciperet edictum ipsius de corpore Christi experte omnis labefactationis,

53 Joannes presbyter Antiochiæ, ex numero Scholasticorum, annis duodecim et mensibus septem.

A. CONTII NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Zonaras Annalium tom. III cum nominat *Proculum* et Chrysostomi discipulum fuisse ait.

54 Eutychius, iterum sub Justiniano restitutus, confecit annis quatuor, mensibus sex.

55 Joannes diaconus Constantinopolitanus, Jejunator, temporibus Tiberii annis tredecim, mensibus quinque.

56 Cyriacus presbyter Ecclesiæ ejusdem et œconomus, annis undecim.

57 Thomas, diaconus Ecclesiæ ejusdem et sacellarius, annis tribus, mensibus quinque.

58 Sergius, diaconus Ecclesiæ ejusdem, annis octo, mensibus septem, diebus viginti uno.

59 Pyrrhus, presbyter ejusdem Ecclesiæ, monachus et monasteriorum magister, et præcipuus Chrysopoli. Orta autem seditione contra ipsum, successit annis duobus, mensibus novem, diebus duobus.

60 Paulus, presbyter ejusdem Ecclesiæ et œconomus, annis duobus, diebus viginti sex. Pyrrhus restitutus mensibus quatuor, diebus viginti tribus.

61 Petrus, curator accipiendis hospitibus in eadem Ecclesia, annis duodecim, mensibus septem.

62 Thomas, diaconus ejusdem Ecclesiæ et chartarum custos, annis duobus, mensibus septem.

63 Joannes, presbyter et custos vasorum magnæ Ecclesiæ, annis quinque, mensibus novem.

64 Constantinus, diaconus Ecclesiæ ejusdem, custos vasorum et œconomus, anno uno, mensibus undecim, diebus septem.

65 Theodorus, presbyter ejusdem Ecclesiæ, syncellus et custos vasorum, annis duobus, mensibus tribus.

66 Georgius, presbyter syncellus, et vasorum custos, annis tribus, mensibus tribus. Theodorus restitutus, anno uno, mensibus decem.

67 Paulus et laicis a secretis.

68 Callinicus, presbyter et custos vasorum Blachernis, annis duodecim. Exterminatus [a] a Justiniano Rhinotmeto.

69 Cyrus, presbyter et monachus, ex Trogesso Amastridis, annis sex. Expulsus a Philippico.

70 Joannes diaconus et chartarum custos in œconomio, annis tribus.

71 Germanus episcopus Cyzici et confessor, annis quindecim. Ejicitur ab impio Leonte Isauro.

72 Anastasius, presbyter et syncellus, annis viginti quatuor.

73 Constantinus, monachus et episcopus Syllæi, annis duodecim. Huic caput amputatur.

74 Nicetas [b], presbyter sanctorum Apostolorum, et monasteriorum magister, eunuchus, annis tredecim, mensibus quatuor.

75 Paulus Cyprius, diaconus orthodoxus et confessor, annis quinque, mensibus sex.

76 Tarasius, a secretis, annis viginti uno, diebus duobus.

77 Nicephorus, a secretis, monachus factus, expulsus ab impio Leone Armenio [c], an...

78 Theodotus Cassiteras, annis quindecim.

79 Antonius, ex Syllæo, annis duodecim.

80 Joannes, presbyter et syncellus, insidiatus sibi ipsi, annis novem.

81 Methodius confessor, annis quatuor, mensibus tribus.

82 Ignatius eunuchus [d], annis undecim, mensibus quinque.

83 Photius (cum hasce res inferas reliquisset divinus Ignatius) a Basilio Macedone imperatore, secundum in pontificia sede collocatus, excellentissimum illud solium recepit. Qua autem ratione (*Vide Glyc. Annal. p.* IV). Cum ante solium vertere coactus fuisset a Saniona imperatoris cubiculario, substitutus fuit ejus loco Euthymius vir admirandus.

84 Post Photium Stephanus, Leonis Philippi, frater [e].

85 Stephano defuncto successit Antonius cognomento Catuleas.

86 Post hunc mysticus Nicolaus patriarcha est designatus, a quo initiatus est sacro baptismate Constantinus Leonis Philosophi filius anno Pontificatus. Deportatus a Leone Philosopho imperatore in Galacrenæum monasterium, quod condiderat, idque quod nulla ratione exorari potuisset ut Samonam Agarenum, qui ad suos transfugerat, rursum reciperet eximeretque censuræ. Pulso deinde per Alexium imperatorem Euthymio, suæ sedi restitutus, et Constantino Leonis filio imperii administratore, scripto est ordinatus

87 Euthymius, vir admirandus [f].

88 Post Nicolaum Stephanus, metropolita Ama-

A. CONTII NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Orbatus oculis.

[b] Hic aliud nihil sciebat quam edere ac bibere (Glycas, *Annal.* par. IV). Objurgatus aliquando ab uno quodam astantium quod pro *Matthæum* pronuntiasset *Matthaium*, respondit se vehementer odisse quæ geminos et trinos haberent sonos (Id. *ibid.*).

[c] Deportatus in Proconesum, quod adduci non potuisset, ut probaret imaginum oppugnationem : id autem multo ante præsciverat, visus sibi tribulis et spinis manum conjungi cum Leonis capiti diadema primum imponeret (*Vide Glyc. Ann.* p. III).

[d] Hic Michaelis Rangabis, seu Balbi, Constantinopolitani imperat. filius fuit, ex Procopia, Nicephori imp. filia : Nicetas primum nominatus, et a Leone Armenio imperatore evectus, cum ipsa vitæ mutatione diversum etiam nomen sibi ascivit (Glyc. *Annal.* IV par). Pulsus per Bardam Cæsarem, sub Michaele Temulento imper. restitutus fuit sedi suæ, pulso Photio per Basilium Macedon. imperat (Glyc. *ubi supra*).

[e] Zonar. Annal. tom. III.

[f] Nicolai loco designatus est Syngelus Euthymius, vir sacer, qui modis omnibus obstitit ne imperator tertias et quartas nuptias lege lata confirmaret. Huic pro suggesto abrogata dignitate, multis etiam contumeliis affectus est a Nicolai sectatoribus, et pulsus in exsilium ab Alexio imperatore. Restitutus vero Nicolaus sedem tenuit annis tredecim. Et aliquanto post, scilicet Julio mense, ad concordiam redierunt metropolitæ et clerici, Nicolai et Euthymii causa hactenus disjuncti (Cedrenus, *in Romano Lacapeno*).

senus, sedem principis urbis per triennium occupavit. A

89 Trypho monachus, hic cum effluxisset præscriptum a Romano Lacapeno imperatore tempus quo solium administrare debuerat, donec imperatoris filius Theophylactus ad justam ætatem pervenisset; deceptus a Theophane Cæsariensi pont. cum in pura charta subscripsisset, loco motus est [a].

90 Theophylactus, Romani Lacapeni imp. filius, eunuchus, ætatis anno decimo sexto contra canones gubernacula Ecclesiæ usurpavit: equorum supra omnem modum amator, vitam vixit insolentem. Aquâ vero intercute ex equitatione correptus, cum sedisset annis viginti tribus, vivendi finem fecit.

91 Substitutus est in ejus locum Polyeuctus, solitariæ vitæ sectator, et inde usque a puero de parentum voluntate castratus; vir omnino venerandus, B eloquentia et virtute præstans. Nicephoro Phocæ et Joanni Zimiscæ restitit.

92 Polyeucto successit Basilius monachus, Scamandrenus, qui cum post quadriennium suæ designationis, ob quædam objecta crimina per concilium loco motus est,

93 Antonius Studites patriarcha est designatus; qui cum renuntiasset sacerdotio, quod per sex annos tenuerat, ac paulo post obiisset, et vacasset Ecclesia quatuor annis cum dimidio, designatus est

94 Nicolaus Chrysoberges; qui cum pontificatum annos duodecim et menses octo ornasset, defuncto successit.

95 Sisinnius magister, vir ab .heunte ætate in litteris versatus. Quo et ipso (cum triennium Ecclesiam rexisset) mortuo eligitur patriarcha C

96 Sergius, qui Manuelis monasterio præerat patriarcha, Photio genere conjunctus. Cum autem ad annos viginti Ecclesiam pavisset, mortem obiit, et in ejus locum suffectus est

97 Eustathius, sacerdotum ædis palatinæ princeps: qui cum orthodoxorum Ecclesiæ octo annis præfuisset, moritur paulo ante Basilium Porphyrogenitum imperatorem.

98 Eique succedit Alexius, solitarius, e mansione Studiana in patriarcharum solium translatus. Acceptis nonaginta auri libris et totidem clero donatis matrimonium Michaelis imp. cum Zoe imperatrice, Romani Argyropoli vidua confirmavit. Penè excidit D patriarchatu, fraude Joannis Orphanotrophi, fratris Michaelis Paphlagonis Imp.

9 Alexio mortuo cum sedem illam tenuisset quiete octodecim annis, Monomachus imperator auri centenarios viginti quinque e monasterio Alexii ab illo in thesauros relatos abstulit. Ei vero successit Michaelus, cognomento Cærularius, vitæ solitariæ sectator: ejus mortui manus crucis in modum sic conformata, ut solebat esse cum populo pacem denuntiaret, immobilis nec mutata mansit.

100 Constantinus, præses et protovestiarius, cognomento Lichudes, liberalis, et magnificus, et solers, Ecclesia per annos quatuor et menses sex gubernata, in aliam vitam migravit.

101 Joanne Xyphilinus, monachus, propter eloquentiam, prudentiam, doctrinam et virtutem omnino admirandus, oriundus Trapezunte, vitam in Olympo religiosis exercitiis agebat, unde tanquam inter allos eximius, vi ad patriarchatum pertractus est, et pavit Ecclesiam annis undecim mensibus septem.

102 Cosmas ineruditus ille quidem, sed omnis generis virtutibus ornatus (qua de causa etiam in maximo pretio ab imper. habebatur) Nicephorum Botoniatem insignibus imperii redimivit. Ejus vero successoris Alexii Comneni, cum imperandi rationem probare non posset, desperaretque de emendatione, Tolle (inquit, ministro suo) librum hunc Psalmorum, et me sequere. His dictis, ex ecclesia sanctissimus patriarcha discessit. Ejus vero in locum suffectus est, cum fidelem populum, annos quinque et menses novem pavisset.

103 Eustratius, spado, simplici vir ingenio, et dignus qui in angulo lateret. Verum et ille post triennium administrati pontificatus, ob ignotam quamdam causam, nolens deturbatur, evecto vicissim ad Patriarchici solii sublimitatem

104 Nicolao monacho, cognomento Grammatico, qui in studio virtutis ætate acta, litterarum non rudis erat, licet non exquisite peritus: Ecclesia per annos viginti septem gubernata, obiit senex admodum.

105 Leo Stypiota.

106 Michael, Acuti monasterii monachus, virtute celebris, imperatorem Manuelem, a quo unctus erat, vicissim ungit sacram ædem ingressum. Oxites cognominatus, summa sede ultro cessit, et in Oxiam insulam rediit, in qua vitæ inopis et simplicis institutum a puero amplexus fuerat.

107 Cosmas, patria Ægineta, ex numero diaconorum, licet eruditissimus, virtutum tamen choro illustrior, imperatricis uterum exsecratus est.

108 Theodosius principem sedem imperante Manuele curabat et ornabat. Sedi suæ restitutus, natus patre Armenio, sponte secessit in insulam Terebinthum

109 Camatero Basilio, œcumenicus patriarchatus ab Andronico delatus, vel potius venditus syngrapha quam præmiserat se quidquid ei libuisset facturum, dejecto per Isaacium Angelum imperatorem,

110 Nicetas Mundanus, Ecclesiæ maximæ sacellarius successit, quem natu maximum in sacra sede exspirare non est passus imper.; sed delirium, et levitatem et senium causatus, expulit.

111 Leontius vero monachus quidam pastor desi-

A. CONTII NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Vide Glycam, Zonaram et Nicetam passim ad hunc et ad sequentes patriarchas.

gnatus est, sed hunc Dei genitricium [a] priusquam annus elaboretur etiam repudiavit imperator, etc.

112 Dositheus vero Hierosolymitanus ad œcumenicum patriarchatum evectus est; quod ut faceret Isaac imperator, Balsamonem Antiochenum decep

Paulo post hæc tempora, capta a Gallis et Venetis urbe Constantinopolitana, et electo Veneto patriarcha, aperte nimium desciverunt Græci a communione sedis apostolicæ; proinde in describendo illo patriarcharum catalogo ultra progredi nolui.

Numerati a Nicephoro episcopi Alexandrini in Ægypto.

1 Marcus evangelista, annis duobus
2 Annianus, annis viginti duobus.
3 Abilius, annis duodecim.
4 Cerdo, annis duodecim.
5 Primus, annis duodecim.
6 Justinus, annis decem.
7 Eumenes, annis tredecim.
8 Marcianus, annis decem.
9 Celadion, annis decem.
10 Agrippinus, annis quatuordecim.
11 Julianus, annis quindecim.
12 Demetrius, annis decem.
13 Heracleas, annis quadraginta sex.
14 Dionysius expulsus imperat. Valeriano, annis septem decim.
15 Maximianus, annis octo.
16 Theonas, annis novemdecim.
17 Petrus martyr, annis undecim. Hactenus ex diversis gentibus, et non Christiani imperatores fuerunt usque ad Constantinum Magnum. Post Constantinum autem M. Alexandrini episcopi ita numerantur:
18 Achilas anno uno.
19 Alexander, qui fuit in prima synodo, annis viginti tribus.
20 Athanasius, sæpe expulsus ab Arianis; cui primum ejecto, suffecerunt Ariani suæ quemdam factionis Gregorium.
21 Hic expulsus est a Constantio, et rursus factus Athanasius episcopus.
22 Georgius Cappadox, dejecto denuo Athanasio, annis... Athanasius tertio itemque quarto episcopus factus. Universi anni hujus sunt quadraginta sex.
23 Petrus, expulsus a Valente, anno uno.
24 Lucius Arianus, annis quinque.
25 Petrus iterum, anno uno.
26 Timotheus, qui secundæ synodo adfuit, annis octo.
27 Theophilus, annis viginti octo.
28 Cyrillus, qui Ephesi in priore synodo fuit conflata contra impium Nestorium, annis triginta duobus.
29 Dioscorus, in synodo posteriore Ephesi insidiosa et prava, annis quinque. Removetur seu detrahitur a IV synodo, coacta Chalcedone.
30 Proterius orthodoxus, occisus in lacu sacro seu divino, annis sex.
31 Timotheus Ælurus, annis duobus.
32 Timotheus Albus, annis quindecim.
33 Petrus Mongus, anno uno.
34 Joannes expulsus, annis tribus.
35 Petrus iterum, annis sex.
36 Athanasius hæreticus, annis septem.
37 Joannes, annis novem.
38 Joannes alius, annis undecim.
39 Dioscorus, annis tribus.
40 Timotheus, tempore Justiniani imperatoris.
41 [b] Gaianus, anno uno.
42 Theodosius, annis duobus.
43 Paulus, annis duobus.
44 Zoilus, annis septem.
45 Apollinaris, annis novemdecim.
46 Joannes, annis undecim.
47 Eulogius, annis viginti septem.
48 Theodorus Scribon, annis duobus.
49 Joannes Cyprius, nominatus Misericors, annis decem.
50 Georgius, annis quatuordecim.
51 Cyrus, annis decem.
52 Petrus, annis decem.

Episcopi Antiochiæ, numerati et nominati a Nicephoro.

1 Petrus apostolus, annis duobus.
2 Evodius, annis viginti tribus.
3 Ignatius, Deo plenus, martyr: factus Trajani temporibus, annis quatuor.
4 Heron, annis viginti.
5 Cornelius, annis tredecim.
6 Herodes, annis sex.
7 Theophilus, annis tredecim.
8 Maximianus, annis tredecim.
9 Serapion, annis viginti quinque
10 Asclepiades, annis novem.
11 Philetus, annis octo.
12 Zebinus, annis sex.
13 Babylas, martyr factus temporibus Decii, annis tredecim.
14 Fabius, annis novem.
15 Demetrianus, annis quatuor.
16 Paulus Samosatensis, annis octo
17 Domnus, annis duobus.
18 Timæus, annis decem.

A. CONTII NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Dei genitricium ironice appellat Nicetas, quod imperator confixisset hunc designandum patriarcham, et locum in quo habitaret, a Dei genitrice sibi fuisse commonstratum.

[b] De Gajano, et sex sequentibus deinceps Alexandrinis episcopis, vide Leontium, lib. *de Sectis*.

19 Cyrillus, annis quindecim.

20 Tyrannus, annis tredecim.

Hactenus alieni imperatores fuere a Christiana doctrina, et hanc colentibus infesti. Postquam autem esse imperatores Christiani cœperunt, hi nominantur :

21 Vitalis, annis sex.

22 Philogonius, annis quinque.

23 Paulus, annis quinque.

24 Eustathius, qui fuit in prima synodo Nicæna primarius. Idem ejicitur ab Arianis, annis octodecim.

Post quem præsederunt Ariani.

25 Eulalius, annis tribus.

26 Euphronius, annis octo.

27 Phacellius, tempore cujus celebrantur Encænia Ecclesiæ magnæ Antiochiæ, annis duodecim.

28 Stephanus, annis tribus.

29 Leontius, annis octo. De hoc Leontio evirato, vide Nicetam, in Thesauro, lib. v, cap. 30.

30 Eudoxius, annis duobus.

31 Ananius, annis quatuor. Nicetas illum Adrianum vel Anianum nominat, Thesauri lib. v, cap. 18.

32 Meletius confessor, expulsus a Valente annis viginti quinque.

33 Euzoius Arianus, annis...

34 Meletius rursum, cum adfuisset in conventu secundæ synodi Constantinopoli.

35 Flavianus annis viginti.

36 Porphyrius, annis...

37 Alexander annis...

A Theodotus, annis quatuor.

38 Joannes, qui fuit in tertia synodo Ephesi, annis octodecim.

39 Domnus, in altera synodo Ephesi insidiosa, annis octo.

40 Maximus præsens in synodo Chalcedone, quæ numeratur hic expulsus fuit ob lapsum, annis quatuor.

41 Basilius, annis duobus.

42 Acacius, quo præsidente urbs corruit, anno uno.

43 Martyrius, annis tredecim.

44 Julianus, annis quindecim.

45 Petrus Fullo ejectus a Zenone, annis tribus.

46 Joannes, ejectus post menses tres.

47 Stephanus annis tribus.

B 48 Stephanus alius, anno uno.

49 Calandion, annis quatuor.

50 Petrus Fullo rursum.

51 Palladius, annis decem.

52 Flavianus, expulsus ab Anastasio imperatore, an. septem [a].

53 Paulus ejusdem tempore, annis tribus.

54 Euphrasius, oppressus ruina urbis, annis quinque.

55 Euphrasius, tempore Justiniani, annis octodecim.

56 Domnus, annis quatuordecim.

57 Anastasius, annis undecim.

58 Gregorius, annis viginti quatuor.

59 Anastasius iterum, annis sex.

C 60 Anastasius alius, annis novem.

A. CONTII NOTÆ HISTORICÆ.

[a] Evagrius. Historiæ lib. VI, cap. ultimo, restitutum ait. Anno 23.

AD ANASTASII BIBLIOTHECARII COLLECTANEA

ADMONITIO PRÆVIA.

(Apud Galland., Bibliotheca Veterum Patrum, tom. XIII.)

Persona ipsa Anastasii vix quidquam ad nos pertinet, cum scriptorum modo quæ in ejus collectaneis cernuntur rationem habeamus. De eo nihilominus aliquid dicere ac præfari libet. Natione fuit, ut videtur, Romanus; certe Ecclesiæ Romanæ presbyter, abbas et bibliothecarius. Claruit, præsertim ab anno 858 ad 882, sub pontificibus Nicolao I, Adriano II et Joanne VIII. Utrum idemmet cum cardinali Anastasio censendus sit, latius disputant scriptores, Cavæus in primis omnino consulendus. Scripta illius recensent bibliographi, inter quos diligentior Fabricius [a]. Præ cæteris Collectanea illius edenda nobis reliquit Gallandius noster ὁ πάνυ. Circumferuntur vero in illis quæ subjungimus scriptorum monumenta.

D I. *Ipsius Anastasii Bibliothecarii epistolæ duæ, altera ad Joannem diaconum, altera ad Martinum episcopum Narniensem.*

II. *Joannis papæ IV Apologia pro Honorio summo pontifice.*

III. *Sancti Maximi epistolæ quinque.*

IV. *Theodori papæ epistolæ tres.*

V. *Martini papæ epistolæ quatuor.*

VI. *Commemoratio eorum quæ S. Martinus Constantinopoli passus est.*

VII. *Relatio motionis in S. Maximum, quæ facta est coram principibus in secretario.*

VIII. *Anastasii monachi epistola.*

IX. *Relatio disputationis inter S. Maximum et Theodosium episcopum Cæsareæ Bithyniæ.*

[a] Bibl. Græc. tom. IX, pag. 337; Bib. med. t. I, p. 89 edit. Patav.

X. *Anastasii apocrisiarii epistola ad Theodosium presbyterum Gangrensem.*

XI. *Hypomnesticon de gestis SS. Maximi, Anastasiorum, Martini, etc.*

Prodiere primum hæc Collectanea a Sirmondo edita Parisiis an. 1620, publici etiam juris facta a Combefisio, et in tomo XII Bibl. PP. Lugdunensis, atque iterum vulgata in nova recensione operum Sirmondi, unde et nos in nostram penum transtulimus. Sed jam de auctoribus in Collectaneis comprehensis aliquid dicamus.

§ I. — *De sancto Joanne papa.*

Fuit Joannes papa hujus nominis quartus, natione Dalmata, patria Jaderensis, patrem habuit Venantium Scholasticum. Romæ diaconum egit, ac tandem papa designatus fuit, a S. Petro septuagesimus quartus : quam dignitatem annum et menses novem [a] obtinuit, usque ad diem 20 Septembris anni 642 [b], vel ad duodecimum Octobris an. 641. [c] Scripsit inter cætera ad Constantinum filium Heraclii imp. apologiam pro Honorio papa propter unam in Christo voluntatem. Hæc ad Constantinum epistola apud Eutychium [d] inscribitur *ad Heraclium et Constantinum fratres imperatores.* In concilio Rom. an. 640 Joannes Monothelitas damnavit.

§ II. *De sancto Maximo.*

S. Maximus ex protosecretario Heraclii abbas Chrysopolitanus fuit prope Constantinopolim. Hunc Græci theologum [e], item confessorem [f], philosophum et martyrem appellant. Hic strenuissimus Monothelitarum ac præcipuus adversarius, post mille vexationes tandem Lazicos deportatus, obiit an. Christi 662 ætatis LXXXII. Cum Pyrrho Constantinopolitano patriarcha insignem habuit disputationem, quam ad an. 645 consignat [g] Fabricius. Concilio Lateranensi sub Martino I interfuit. Anastasius apocrisiarius magistri sui Maximi vitam scripsit, quam laudat Allatius de Purgatorio [h], exstatque apud Combef. in tomo priori Operum S. Maximi [i] : postquam habentur etiam acta, collationes, etc., quæ nos item Græce et Latine ex Anastasii versione edenda curavimus, prout exstant apud Sirmondum j. Consulantur Baronius [k] et Combefisius in editione præclara operum S. Maximi.

§ III. — *De sancto Theodoro papa.*

Joannem IV excepit in pontificatu Theodorus exeunte anno 642 quem tenuit usque ad dimidium anni 649. Patria fuit Hierosolymitanus. Latine nonnulli Adeodatum, vel etiam Deusdedit appellant. Is pontifex Pyrrhum Constantinopolitanum patriarcham turpiter in hæresin Monothelitarum relapsum sic damnasse dicitur, ut ad sepulcrum S. Petri accedens, in Christi sanguine tincto calamo depositionem Pyrrhi conscripserit. Duæ ejus exstant epistolæ sive apud Harduinum [l], sive apud Oldinum [m]. Quæ in collectaneis Anastasii leguntur, potius fragmenta sive excerpta sunt quam integræ epistolæ.

§ IV. — *De sancto Martino papa.*

Theodoro mense Maio vita functo, Julio ineunte Petri sedem regendam accepit Martinus, hujus nominis primus, patria Tuders, martyr etiam sine A tamen sanguinis effusione. Sedit pontifex ab anno 649 ad 654 vel 655. De ejus tempore videndi Sirmondus [n] et Cointius [o]. Exstant ejus epistolæ in tomis Conciliorum, et in Bibl. Patrum. Is coacto Lateranis concilio centum quinque episcoporum Constantis imperatoris Typum, ducesque Monothelitarum Sergium, Pyrrhum et Paulum, Cyrum item Alexandrinum, et Theodorum Pharanitensem damnavit. Anno 653 Calliopas Olympii in exarchatu successor cum Ravennatensi exercitu Romam veniens, sanctum pontificem capit, navi imponit et, post trimestre spatium, in Naxum insulam deportat. Mox Constantinopolim ducitur : nec tamen ab eo obtineri potuit, ut Typum approbaret. Ea propter Chersonesum deportatur, ubi exsul obiit, et in ecclesia S. Mariæ in Blachernis sepultus est. Ex ejus epistolis ad nos spectat ea quæ ad Theodorum est : seu potius fragmenta quædam ab Anastasio decerpta, in quibus deplorat vicem suam sanctus pontifex.

B § V. — *De auctore anonymo narrationis eorum, quæ sæviter gesta sunt in S. Martinum.*

Auctor hujus Commemorationis sese socium sancti Martini prodit, dum statim ab initio ait : *Quædam quidem exterius sollicitudine multa addiscens, plurimorum autem proprie contemplator factus.* Et sub finem : *Visa mihi et audita diligentissime declaravi vobis.* Non tamen navigationis socius fuisse videtur. Sex namque tantum pueruli cum S. Martino navigare permissi sunt. Facile igitur credi possit, illum sancto pontifici Constantinopoli adfuisse subinde, cum in Relatione motionis statim ab initio dicatur : *Die qua domnus Maximus, et is qui cum eo erat, penes hanc urbem regiam applicuerunt.* Quæ satis ostendunt Constantinopoli fuisse quosdam qui adversariis Monothelitarum adhærebant. Ut ut sint quæcunque in eum crudeliter et truculente ibi gesta sunt usque ad transportationem in Chersonesum C dilucide nobis exponit. Clericum etiam et monachum se prodit, cum propter rerum theologicarum peritiam, tum etiam quia sæpe S. Martinum *summum sacerdotem nostrum* appellat, Maximum vero, dominum : item quia, more apud monachos usurpato : *Ego*, ait, *humilis et peccator famulus vester a Deo, venerabiles Patres.* Utrum vero auctor motionis in S. Maximum factæ idem sit cum auctore narrationis de S. Martino ; etsi certa argumenta nulla demonstrant, connexio tamen rerum quæ narrantur, styli affinitas, et quod apud Anastasium jungantur in Collectaneis, haud improbabiliter istud suadeant.

§ VI. — *De Anastasio monacho.*

Erat Anastasius iste S. Maximi abbatis discipulus ac perfamiliaris. Annum ejus natalem fuisse 618 scribit Cavæus [p], emortualem vero 664. Exstat in Collectaneis Anastasii ejus ad monachos Caralitanos epistola. Fortasse etiam duæ superiores enarrationes ad eumdem pertineant. Scripsit anno Christi saltem 657 non 655 ut Cavæo videtur. Ait enim : *Nono Kal. Septembris, quæ nunc transacta est, decimæ quartæ indictionis.* Nimirum anno Græcorum 6164, cui et indictio 14 et annus Christi 657 congruunt. D

§ VII. — *De Anastasio apocrisiario.*

Alter S. Maximi discipulus fuit Anastasius iste, presbyter et monachus, atque Romanæ Ecclesiæ

[a] Burius in Notitia.
[b] Cavæus ad an. 640.
[c] Fabr. Bibl. med. tom. IV, p. 42, edit. Patav.
[d] Annal. tom. II, pag. 525.
[e] In Cod. Bibl. Coislin. apud Montfauc. pag. 305.
[f] Combef. ad S. Maxim. t. I, p. 642 ; II, 98, 481, 528.
[g] Bibl. Gr. tom. VIII, pag. 729.
[h] Pag. 730.
[i] Pagg. 1-28.
[j] Opp. tom. III.
[k] Tom. VIII, pag. 657, num. 31.
[l] Conc. tom. II, pag. 643.
[m] Athenæi Rom., pag. 613.
[n] Opp. tom. III, pag. 465.
[o] Annal. Franc. tom. III, pag. 456.
[p] Ad ann. 655, pag. 385.

apocrisiarius. Scripsit vitam et acta S. Maximi magistri sui [a], quæ maxime continentur in epistola ad Theodosium Gangrensem, quam nobis in suis Collectaneis servavit Anastasius Bibliothecarius. Scripsit porro indictione nona, ideoque anno Christi 666, non 665, ut notat Cavæus. Etsi vero Græcæ epistolæ non supersint, testimonia tamen S. Hippolyti ex cod. Francisci Turriani adjuncta sunt ex Combefisio. Obiit S. martyr Anastasius die Dominico, hora tertia, v Idus Octobrias, cum in sancta Collecta diceretur, *Sancta sanctis*, indictione decima. Qui characteres cadunt in annum Christi 666, quo Kal. Septembris fluebat indictio 10, et quinto Idus, sive dies 11 Octobris erat Dominica, sive feria prima, ut aiunt auctores Hypomnestici.

§ VIII. — *De auctoribus Hypomnestici.*

Hujus opusculi auctores sese palam ostendunt Theodosius et Theodorus fratres monachi, ut notat Combefisius in monito, et Cavæus [b]. Aiunt etiam Anastasii apocrisiarii epistolam sese accepisse a Lazico per Gregorium abbatem Bavararuensem, mense Augusto, indictione XI, quæ præteriit. Ex quo consequitur eos scripsisse anno 668, vel 669, putato scilicet initio indictionis, more Græcorum, a Septembri. Pro anno priori stat Cavæus, pro posteriori Combefisius. Habemus in eo Hypomnestico succinctam historiam passionis et mortis Martini papæ, Maximi, Anastasii abbatis, Anastasii apocrisiarii, Theodori et Euprepii, ejusdem Anastasii aprocrisiarii fratrum germanorum. Porro Jacobus Sirmondus, qui primus fasciculum hunc Anastasianum edidit, eique *Collectaneorum* titulum fecit, acceperat ex bibliotheca Ecclesiæ Lugdunensis.

[a] Fabr. Bibl. Gr. tom. IX, pag. 122 et 340.

[b] Ad ann. 668.

ANASTASII

BIBLIOTHECARII SEDIS APOSTOLICÆ

COLLECTANEA

AD JOANNEM DIACONUM.

(Apud Gallend. Biblioth. veterum Patrum, tom. XIII.)

Edidit primum Jacobus Sirmondus anno 1620.

Charissimo fratri Joanni digno Christi levitæ Anastasius exiguus in Domino salutem.

Ecclesiasticam Scripturæ ad multorum instructionem historiam industriæ tuæ promiseram ex Græco me tibi sermone quædam in Latinum vecturum eloquium. Dixeras enim et, summa Veritate docente, perhibueras ecclesiasticam te ordiri non posse fidenter historiam, nisi utriusque linguæ quædam rerum gestarum conscripta series ad tuam notitiam devenisset. Quapropter, qui tantæ me imperitiæ recognosco ut nec ipsius linguæ meæ in qua natus sum, ne dixerim alienæ, vim penetrare sufficiam, ac per hoc nunquam interpretandi quacunque ratione conamen arripere præsumpsissem, consentiens a magistris reprehendi quam te a prædicta torpore meo texenda historia removere, satisfacere tibi ecce pro viribus maturavi. Credens plane a te corrigendum quidquid meum distorium, poliendum quidquid repertum fuerit impolitum. Sane fateor, testimonium mihi perhibente conscientia, mallem hæc et hujusmodi ab aliis fieri, non tam laborem fugiens, quam imperitam undecunque scientiam meam, si tamen scientia et non magis inscitia sit dicenda, non nesciens, si, salva pace fraternitatis tuæ, seu scribendæ a te historiæ proposito, hæc omittere potuissem: qui profecto tanta luce sapientiæ rutilas, ut a me, non quod necessarium, sed temerarium, experiri saporem proposuisse videaris. Itaque mihi, interveniente obedientia, sata ab aliis rustica falce collegisse et ad aream latinitatis fideli humero transvexisse sufficiat, nil videlicet addenti vel minuenti. Tuum autem erit, adjectis sententiis, veluti quodam ventilabro judicii opus historiæ dilatare, et verba nostra, quæ in ea inserenda decreveris, quasi quædam frumenta purgare. Verum nos sic et hæc et alia interpretandi propositum sumpsimus, ut nec ab ipsa verborum usquequaque circumstantia discessisse noscamur, nec pro posse a sensus veritate decidisse videamur. Porro novissimorum temporum brevia quædam opuscula transtuli, quoniam priorum temporum gesta priores, imo majores nostri transferentes, nos in hujuscemodi opere prævenerunt, quemadmodum et longe præstantius transcenderunt. Igitur, [a] post Chronographiam tripertitam quam te hortante transtulimus, et alia quædam brevissima opuscula quæ ad petitum diversorum Patrum et fratrum nostrorum interpretati sumus, ad manus nostras venire contigit apologiam quarti Joannis Romani pontificis pro Honorio papa a calumniatoribus impetito, quod unam Domini nostri Jesu Christi tantum scri-

[a] *Post Chronogr. trip.* Ex Nicephoro, Georgio et Theophane excerptam. Dedimus hanc supra.

pserit voluntatem. Quæ videlicet apologia satis hunc, ut reor, excusabilem reddit, licet huic sexta sancta synodus quasi hæretico anathema dixerit, et in Dei solius jam judicio positum reprobationis telo confoderit : cum hæreticus non ex erroris tantum deceptione quantum ex electione non recta et contentiosa pertinacia generetur. Quis autem erit qui nobis interim dicat, utrum ipse pro certo dictaverit epistolam de qua illum anathematizandi fomitem calumniatores susceperunt, cum et ex scriptoris vel indisciplinatione, vel in pontificem odio quid contingere tale potuerit? Quamvis non ignoremus, docente sancto Maximo in epistola sua quam Marino scripsit presbytero, sanctissimum hanc scripsisse Joannem abbatem. Esto, et ipse dictator exstitit. Quis hinc illum interrogavit? quis intentionem investigavit? quis hunc corrigere voluit, et ille percontanti, aut emendare conanti restitit, vel contentionibus serviens resultavit? Præsertim cum in Evangelio illo, quo dicitur: *Nolite judicare, et non judicabimini* (*Luc.* VI, 37), et cætera, nihil aliud præcipi magnis etiam magistris Ecclesiæ videtur, nisi ut ea facta quæ dubium est quo animo fiant in meliorem partem interpretemur. Sunt quippe quædam facta media quæ ignoramus quo animo fiant, cum bono et malo fieri possint, de quibus temerarium est judicare, maxime ut condemnemus. Denique duo sunt, in quibus temerarium judicium cavere debemus; cum incertum est quo animo quidquam factum sit, vel cum incertum est qualis futurus sit qui nunc vel malus vel bonus apparet. Quantum autem temerarium sit judicium præcavendum, aperte Dominus indicat, qui de Sodomitis more nostro loquitur, dicens : *Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere complevint, an non est ita, ut sciam* (*Gen.* XVIII, 21). Et rursus per Moysem : *Ne maledicas surdo*, ait, *nec coram cæco ponas offendiculum* (*Levit.* XIX, 14). Quod eisdem pene verbis Apostolus monet : *Unusquisque*, inquiens, *nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus, sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum* (*Rom.* XIV, 12, 13). Quis autem magis surdus vel mutus dicendus est quam is cui, cum exanimis et dissolutus jacet in sepulcro, nec auris patet ad objecta solemniter audiendum, nec os aperitur ad objecta rationabiliter refellendum? Verum de hujusmodi judiciis sufficiunt quæ venerabilis Anastasius apostolicæ Sedis præsul ad Anastasium imperatorem scribens, sacræ Scripturæ auctoritatis pondere gravida docet. Sed ne videamur tam sanctam tamque reverendam synodum accusare, vel temere reprehendere, licere nobis opinamur de illa sentire, quæ sanctos patres nostros de Chalcedonensi magna synodo sensisse non ignoramus. Quorum unus, sanctus videlicet papa Gregorius, usque ad prolationem tantummodo canonum hanc suscipiendam fore signavit. Beatus quoque æque papa Gelasius in tomo de anathematis vinculo, qualiter eadem synodus recipienda sit, luculentis exemplis et nonnullis divinis testimoniis innuit, ubi

A horum circumstantiam tali deliberatione concludit. *Hæc*, inquiens, *et hujusmodi exempla nos edocent, et testimonia divina confirmant, non omnia passim et quocunque dicta, vel ubicunque scripta indifferenter accipere, sed, retentis bonis, quæ nocent refutare.* Nam, et hanc quoque sanctam synodum canonica quædam capitula promulgasse, Græcorum scripta testantur, quæ tamen pene omnia, quia sedes apostolica non approbavit, tota Latinitas reprobavit. Sed quid de hac sola dicimus? cum, et secundam universalem synodum quæ primo Constantinopoli celebrata est in causa primatus Ecclesiarum, sedes apostolica non admittat : quin, et omnes synodos sic recipiendas decernat ut Chalcedonensem synodum admittendam fore prædictus sanctus Gelasius papa B describit, pro fidei scilicet communione et veritate Catholica et apostolica, pro qua hanc fieri sedes apostolica delegavit factamque firmavit. Verum, si omnia exaggerare volumus quæ in Honorii papæ excusationem colligere possumus, facilius charta nobis quam sermo deficiet, et interpretandi propositum ad dictationis profecto verterimus eloquium. Unum tamen dicemus, quod reticere proculdubio non debemus, quia talis est dictus Honorius qualis est et pronuntiatus : quod si talis non fuit, cui sit præfixa sententia, profecto non erit : quoniam sicut scriptum est : *Homo videt in facie, Deus autem in corde.*

Sed ecce, dum prolixius præfatio ad te nostra dirigitur, ab interpretandi studio procul abscessi- C mus : ostendere gestientes quod in apostolicæ sedis petra, quantum ad fidem pertinet, nec etiam per Honorium inventum sit unquam serpentis, id est virulentæ sectæ vestigium. Sume igitur jam memoratam Joannis papæ pro Honorio Apologiam : sume etiam et pro eodem ipso Apologiam ex epistola Maximi Monachi, et re vera philosophi Christique Dei nostri martyris, missa Marino presbytero, defloratam. Ipse quippe beatissimus Maximus, non solum in jam dicta, sed et in ea quam scripsit ad abbatem Thalassium epistola, jam nominatum defendit Honorium, verum etiam, in epistola sua dogmatica quam ad Petrum scripsit illustrem, magnum hunc et divinum appellat. Ex qua scilicet epistola de eodem papa Honorio, et Hierosolymitano Sophronio D de quo in translatis a nobis scriptis sæpe memoriam fecimus, atque de Pyrrho Constantinopolitano hæretico Patriarcha, defflorata quædam atque translata en tibi afferimus. Præterea interpretati sumus ex epistola ejusdem sancti Maximi ad Marinum scripta presbyterum circumstantiam de Spiritus sancti processione, ubi frustra causari contra nos innuit Græcos, cum nos non causam vel principium Filium dicamus Spiritus sancti, ut autumant; sed, unitatem substantiæ Patris ac Filii non nescientes, sicut procedit ex Patre, ita eum procedere fateamur ex Filio, missionem nimirum processionem intelligentes : pie interpretans, utriusque linguæ gnaros ad pacem erudiens, dum scilicet et nos et Græcos edoce

secundum quiddam procedere et secundum quiddam non procedere Spiritum sanctum ex Filio : difficultatem exprimendi de alterius in alterius linguæ proprietatem significans. Siquidem et hujusmodi pia interpretatione sanctus olim Athanasius orientales et occidentales super subsistentiæ vel personæ nomine dissidentes univit, dum unum idemque utrosque corde credere, sensoque retinere perdocuit : licet ob linguæ varietatem aliter atque aliter ore confiterentur, et importunis contentionibus deservirent. Transtulimus etiam quasdam epistolas Theodori papæ successoris prædicti papæ Joannis, juxta quod ordo poscebat, scriptas ad Paulum successorem Pyrrhi, et consecratores ejus, quorum scilicet Joannis ac Theodori, eximiorum sedis apostolicæ præsulum, stylus epistolarum Latina redolet eloquentia : ex quo liquido constat, non Græce illas, sed Latine fuisse dictatas. Unde notandum quod, nonnulla quæ Latine fuerunt edita, Latinitas funditus mole oblivionis obruta deplorasset, nisi ex Græcorum post fonte librorum hæc hausta sitibundo pectore resumpsisset, sicut epistolam beati papæ Felicis in Petrum sententiam proferentem Antiochenum. Quinimo sicut et ipsum quoque Clementem, quem Rufinus nostræ linguæ redditum, restitutum et redeuntem ad Gaudentium scribens innuit : et quod Latine scriptus fuerit et amissus, rursusque receptus, signanter ostendit. Excerpsi nihilominus, et tibi ecce translatam præsento, quamdam narrationis circumstantiam ex epistola sancti Maximi ad Thalassium scripta abbatem, quid Constantinopoli legati Romani gesserint, gratia incitandæ constantiæ in causa maximæ pietatis ad redargutionem pusillanimorum, et agnoscendæ potestatis apostolicæ sedis, contra eos qui ab ipsa quid violenter extorquere aliuntur. Porro ecce nihilominus exhibeo exsilii gesta sancti papæ Martini, quæ ad petitum venerabilis Martini episcopi Narniensis odideram : una cum Hypomnestico declarante breviter gesta sanctorum Maximi Philosophi, et utriusque Anastasii, necnon et Theodori, ac Euprepii, et aliorum.

---

[a] JOANNIS PAPÆ ROMANI

AD CONSTANTINUM IMPERATOREM

FILIUM HERACLII

APOLOGIA PRO HONORIO PAPA

Propter unam in Christo voluntatem, cujus aiunt eum calumniatores mentionem fecisse.

Dominus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, qui eripuit nos de potestate tenebrarum in admirabile lumen suum, lumen veritatis, et veritas luminis, in quo complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare, et per eum reconciliare omnia, in ipso pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terris (*Coloss.* I, 20), propter eminentem magnitudinem divitiarum bonitatis suæ in faciem Ecclesiæ suæ respiciens, vestram præcognitam sibi et prædestinatam benignitatem ad fidei nunc integritatem vocare dignatus est : ita ut, omni fallaci caligine procul amota, per vos victricem faciat veritatem. Quantum enim ex diversis suggestionibus quæ ad nos catervatim venerunt, quinimo et ex ipso quoque auditu didicimus, omnes occidentales partes scandalizatæ turbantur, fratre nostro Pyrrho patriarcha, per litteras suas huc atque illuc transmissas, nova quædam et præter regulam fidei prædicante, et ad proprium sensum quasi sanctæ memoriæ Honorium papam decessorem nostrum attrahere festinante, quod a mente catholici Patris erat penitus alienum. Igitur, ut vestra benignitas causam totam rei discere possit, subtilissima veritate, quæ ante brevis intercapedinem temporis gesta sunt, enarrabo.

Sergius reverendæ memoriæ patriarcha prædicto sanctæ recordationis Romanæ urbis pontifici significavit, quod quidam in Redemptore nostro Domino Jesu Christo duas contrarias dicerent voluntates : quo præfatus papa comperto rescripsit ei, quia Salvator noster, sicut esset monadicus unus, ita et valde mirabiliter super omne genus hominum conceptus et natus esset. Ex sancta quoque ipsius incarnata dispensatione docebat, quia Redemptor noster, sicut esset Deus perfectus, ita esset et homo perfectus : ut, quam primus homo per prævaricationem amisit, sine aliquo peccato natus primæ imaginis nobilem originem renovaret. Natus ergo est secundus Adam nullum habens nascendo vel cum hominibus conversando peccatum, etenim Verbum caro factum in similitudine carnis peccati omnia nostra suscepit, nullum reatus vitium ferens ex traduce prævaricationis exortum. Similitudinem ergo intelligimus, non carnis ejus, sed peccati.

[a] De hac epistola videsis testimonium apud S. Maximum M. in disputatione cum Pyrrho patriarcha.

Etenim carnem Dominus veram suscepit ex intemerata et beata virgine Dei genitrice, consubstantialis nobis effectus. Ergo similitudinem carnis peccati sanctus dicit Apostolus, quam similem nobis peccatoribus sine peccato cum anima rationali suscepit; et idcirco unam voluntatem secundum primam formationem Adæ naturalem humanitatis suæ Dominus noster Jesus Christus habere dignatus est: non duas contrarias, quemadmodum nunc nos habere dignoscimur, qui de peccato sumus Adæ geniti: quoniam, corruptibilis per transgressionem primus homo effectus, et Creatori suo subdi contemnens, sensit carnem, quæ prius erat sibi subjecta, nihilominus repugnantem, et peccato suo totum genus humanum fecit obnoxium, sicut dicit Apostolus: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in* B *eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ* (*Rom.* v, 14). Quapropter, et nos qui per prævaricationem et peccatum illius nascimur, duas contrarias habere voluntates dignoscimur: duas autem dico, mentis et carnis invicem reluctantes, sicut idem beatus docet Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc autem invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis* (*Gal.* v, 17). Et hoc omne humanum patitur genus sub peccato constitutum, quoniam nemo est mundus ab hoc peccato prævaricationis, *nec infans*, sicut scriptum est, *cujus est unius diei vita super terram* (*Job* XIV, 4, *sec. LXX*). Et quemadmodum Spiritus sanctus per David ait: *Ecce* C *enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (*Psal.* L, 7). *Sicut enim in Adam omnes peccaverunt*, secundum Apostolum, *ita in Christo omnes justificabuntur* (*I Cor.* XV, 22). *Et sicut per unum hominem peccatores constituti sunt multi; ita et per unum hominem justi constituentur multi* (*Rom.* v, 19). Ergo unus et solus est sine peccato mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui in mortuis liber conceptus et natus est. In dispensatione itaque sanctæ carnis suæ duas nunquam habuit contrarias voluntates, nec repugnavit voluntati mentis ejus voluntas carnis ipsius. Neque enim habuit quodcunque peccatum, qui venit dimittere peccatum mundi, quemadmodum et ipse dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato* (*Joan.* VIII, 46)? Et D alias taliter ait: *Venit princeps mundi ejus, et in me invenit nihil* (*Joan.* XIV, 30). Unde scientes, quod nullum in eo, cum nasceretur et conversaretur, esset omnino peccatum, decenter dicimus et veraciter confitemur, unam voluntatem in sanctæ ipsius dispensationis humanitate, et non duas contrarias mentis et carnis prædicamus, secundum quod quidam hæretici velut in puro homine delirare noscuntur.

Secundum hunc igitur modum jam dictus decessor noster prænominato Sergio patriarchæ percontanti scripsisse dignoscitur: quia in Salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, id est, in membris ipsius penitus non consistunt, quoniam nihil A vitii traxit ex prævaricatione primi hominis. In nobis enim, non in eo, coaptatur quod scriptum est: *Scio enim quia non habitat in me, id est in carne mea, bonum* (*Rom.* VII, 18). Et iterum: *Non quod volo bonum hoc ago; sed quod nolo malum, hoc facio. Si autem quod nolo malum illud facio, non jam ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (*ibid.*, 19, 20). Et post hæc: *Video enim aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis* (*ibid.*, 23). Hinc ergo hæ duæ contrariæ voluntates mentis et carnis, quas Apostolus docet, in nostro nequaquam Salvatore fuerunt, eo quod hic luctaminis stimulus ex prævaricatione protoplasti sumpsit initium: quoniam a Redemptore nostro natura suscepta est, non criminis culpa. Sed ne quis nonnunquam minus intelligens reprehendat, quamobrem de humana tantum natura, et non etiam de divina natura docere sciatur: etenim Christus in duabus naturis in una persona unitis cognoscitur, adoratur, et colitur Deus et homo perfectus. Debet qui super hoc ambigit scire, quoniam ad hoc facta est responsio ad jam dicti patriarchæ interrogationem. Præterea et hoc fieri solet, ut scilicet ubi est vulnus, ibi medicinale occurrat auxilium. Nam et beatus Apostolus hoc sæpe fecisse dignoscitur, se secundum auditorum consuetudinem præparans; et aliquando quidem de suprema natura docens, de humana penitus tacet: aliquando vero de humana dispensatione disputans, mysterium divinitatis ejus non tangit. Etenim ipse hic quidem de divina natura ait: *Christus Dei virtus, et Dei sapientia* (*I Cor.* I, 24); alibi autem de incarnatione ejus ita dixit: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (*ibid.*, 25). Sapientia autem et stultitia, virtus et infirmitas, contrariæ adinvicem absque dubietate ponuntur. Ergone contraria sibimet docet beatus Apostolus? absit: sed audientibus semet configurat sapienter, secundum tempus docens, ut provida nutrix parvulis quidem lac præbens, perfectis autem solidum tribuens cibum. Quid ergo est quod ait: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus; et quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*? Hoc totum capitulum de dispensatione Christi, non de superna natura illius docere videtur: volens ostendere quia Deus homo factus animam habuit et corpus humanum, quod stultum asserit et infirmum. Sapientia enim humana divinæ collata, stultitia est: fortitudo vero carnis cum Dei virtute comparata, infirmitas est. Quia profecto condita humana sapientia cum conditrice sapientia comparata, stultitia est.

Igitur connectentes utraque, et Christum Dei virtutem et Dei sapientiam secundum divinitatem, naturam divinitatis ejus confitemur: et secundum ejus sanctæ carnis dispensationem, quod stultum et quod infirmum est Dei, naturam humanitatis veraciter prædicamus, quoniam hoc infirmum et stultum, fortius et sapientius est omnibus hominibus. Omnes

enim homines, sicut etiam superius dictum est, sub peccato prævaricationis nascuntur. Dominus autem noster Jesus Christus absque peccato existens, et nullum secum vitium ferens vetustatis, non solum fortior, sed et sapientior est omnibus hominibus, quamvis infirmum nostrum et stultum sola misericordia suscipere sit dignatus. Qui vero ex peccato primi hominis nati sunt, filii iræ ac tenebrarum a sanctæ Scripturæ magisterio nominantur. At vero Christus, cum lux vera sit, sedentes in tenebris et umbra mortis illuminare dignatus est. Quid enim doceat Apostolus scribens ad Ephesios, audiamus : *Et vos*, inquit, *cum mortui essetis delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus et nos aliquando conversati sumus in desideriis carnis, facientes voluntates carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 1, 2, 3). Ecce istæ sunt duæ voluntates contrariæ, mentis scilicet et carnis, quæ in Salvatore nostro modis omnibus non fuere. Nos has ex peccato progenitoris Adæ, qui et se, et omne humanum genus obnoxium fecit, habere dignoscimur, ut aliquando quidem carnis aculeus menti resistere appareat, aliquando vero voluntas mentis voluntati carnis contradicere satagat; ut taliter cum Apostolo gementes confiteamur : *Mente quidem servio legi Dei, carne vero legi peccati.* Dominus autem noster unam voluntatem humanitatis naturalem suscipere dignatus est, quam in propria carne potestative ut omnium Dominus circumferebat, eo quod omnia serviant Deo : nullum profecto habens vel afferens ex prævaricatione peccatum, quoniam solus sine peccato et crimine prævaricationis est natus.

Prædictus ergo decessor meus docens de mysterio incarnationis Christi dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis et carnis contrarias voluntates. Quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis ejus et humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium. Verumtamen vellem, ut interroganti responderent, secundum quam naturam dicunt Christi Dei unam voluntatem? Si secundum divinam tantum, de humanitate ipsius quid respondebunt? quoniam et homo perfectus est, ut non cum Manichæo condemnentur. Porro si secundum humanitatem Christi dixerint, quod hæc voluntas Deus esset perfectus, observent ne forte cum Photino et Ebione judicentur. Jam vero si ex utraque natura unam voluntatem esse dixerint, non solum naturales voluntates, sed et ipsas naturas confundent; ut nec hoc, nec illud, id est divina et humana, intelligi possit. Sicut enim utrasque naturas in adunatione unius Christi, ut impius Nestorius, non patimur; ita differentiam naturarum penitus non negamus, sed neque confundimus, quoniam utrasque naturas cum adunatione unius personæ Christi Dei inenarrabili consonantia confitemur. Quia enim unam voluntatem dicunt divinitatis Christi et humanitatis, et unam simul operationem : quid aliud, nisi quia et unam naturam Christi Dei secundum Eutychianam et Severianam divisionem operari noscuntur? Denique orthodoxi Patres, qui in toto mundo claruerunt, sicut utrasque naturas, ita et voluntates ac operationes Christi docere concordi prædicatione monstrantur.

Comperimus autem quod charta quædam mandata sit, in qua sacerdotes subscribere coacti sunt contra tomum beatæ memoriæ papæ Leonis et Chalcedonensium synodum : in qua charta quædam sunt per novitatem composita, quæ dogma ecclesiasticum refutare omnino dignoscitur. Inspiret ergo divina clementia Christianissimæ pietati vestræ, et cum sitis custodes immaculatæ fidei nostræ, vos ad compunctionem incitet, quo eos, qui novis sunt adinventionibus corrumpendi, imperatoriis sanctionibus arceatis, et prædictam chartam, quæ in scandalum properat fidei, et locis publicis est suspensa, præcipiatis depositam scindi. Omnes enim qui in Occidentalibus partibus hoc audierunt, sed et populi qui sunt regiæ vestræ urbis, cognita prædictæ chartæ concinnatione, corde perculsi sunt. Erit enim per auctoritatem vestram et apostolicam perfectionem prædicta charta, quæ contra Chalcedonensem synodum est composita, nunc et in omni tempore otiosa, et cunctis virtutibus irrita. Perfectio vero fidei quemadmodum usque in præsens refulsit, oramus ut et per vos, sicut etiam per piæ memoriæ Constantinum, divino auxilio in robore suo permaneat. Propter quod, Christianissimi et Christi fidei custodes, donate hoc munus in primordiis vestris Ecclesiæ matri vestræ, cujus estis post Deum opitulatores, ut fidem Sponsi ejus serpentina calliditas non audeat violare. Hoc in primordiis salutare sacrificium afferte Domino Deo nostro, et ab ejus Ecclesia omnis novitatis nebulam radio pietatis vestræ dispergite : quatenus Dominus Deus noster, vicaria ope, omnes quæ contra vos sunt conterat nationes, quæque pacem et inexpugnabilem Deum repellunt. Quatenus vobis ea quæ sunt Dei curantibus, Deus quæ vestra sunt benignus dignetur perficere. Propter quod etiam mentis inclinato genu tota mecum Ecclesia supplicat, ut ab integritate immaculatæ fidei nostræ, quam sancti apostoli nobis tradiderunt, et sanctissimi Patres doctrinis luculentissimis consignavere, novæ confusionis turbinem amovere dignetur. Quatenus Deus et Dominus noster, cujus fides immaculata custoditur, misericordias suas merito vobis et copiosissime largiatur, qui est omnipotens et Dominus sempiternus. Creator omnium ad vestrum benigne respiciat imperium, et gentes, quæ in sua feritate confidunt, inexpugnabili suo potentatu prosternat.

DIFFLORATIO

EX EPISTOLA [a] S. MAXIMI AD MARINUM PRESBYTERUM

APOLOGIAM INTER CÆTERA PRO HONORIO FACIENTIS.

(Græca sunt ex Editione Combefisii.)

Τὸν δέ γε τῆς Ρωμαίων πάπαν Ὀνώριον, οὐ κατηγορεύειν οἶμαι τῆς τῶν ἐμφύτων θελημάτων ἐπὶ Χριστοῦ δυάδος, ἐν τῇ γραφείσῃ πρὸς Σέργιον ἐπιστολῇ διὰ τὸ ἓν θέλημα φάναι, συναγορεύειν δὲ μᾶλλον, καὶ ταύτην ὡς εἰκὸς συνιστᾶν, οὐκ ἐπ' ἀθετήσει τοῦτό γε λέγοντα τοῦ ἀνθρωπίνου καὶ φυσικοῦ τοῦ Σωτῆρος θελήματος, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ μηδαμῶς τῆς ἀσπόρου συλλήψεως αὐτοῦ καὶ τῆς ἀφθόρου γεννήσεως προκαθηγεῖσθαι θέλημα σαρκὸς, ἢ λογισμὸν ἐμπαθῆ. Μόνη γὰρ θέλησις θεία καὶ πατρικὴ, δι' Υἱοῦ μονογενοῦς αὐτουργοῦντος τὴν οἰκείαν σάρκωσιν, καὶ Πνεύματος ἁγίου συνδρομῇ, ταύτην εἰργάσατο. Καὶ ὅτι γε ταύτης ἔχεται τῆς ἐννοίας, δῆλον ἐντεῦθεν· εἰπὼν γὰρ, ὅτι διὰ τὴν ἄρρητον ἕνωσιν τῆς ἀνθρωπίνης καὶ θείας φύσεως, καὶ Θεὸς λέγεται παθεῖν, καὶ ἀνθρωπότης ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατελθεῖν μετὰ τῆς θεότητος, καὶ ταύτῃ δείξαι τὴν τῶν φυσικῶς προσόντων ἑκατέρᾳ φύσει τῶν τ.ῦ ἑνὸς Χριστοῦ καὶ Υἱοῦ κατ' ἀπαλλαγὴν ἄκραν ἀντίδοσιν, ἐπάγει λέγων· ὅθεν καὶ ἓν θέλημα ὁμολογοῦμεν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Πῶς, φησίν; Ἐπειδὴ προδήλως ἐκ τῆς θεότητος προσελήφθη ἡ ἡμετέρα φύσις, οὐχ ἁμαρτία· τουτέστιν, οὐκ ἐκ τῆς ἁμαρτίας· μονονουχὶ συμφθεγγόμενος τῷ μεγάλῳ Ἀθανασίῳ γράφοντι τάδε κατ' Ἀπολιναρίου τοῦ δυσσεβοῦς· Ἐγεννήθη ἐκ γυναικὸς, ἐκ τῆς πρώτης πλάσεως τὴν ἀνθρώπου μορφὴν ἑαυτῷ ἀναστησάμενος, ἐν ἐπιδείξει σαρκὸς δίχα σαρκικῶν θελημάτων καὶ λογισμῶν ἀνθρωπίνων, ἐν εἰκόνι καινότητος. Ἡ γὰρ θέλησις θεότητος μόνη, ἐπειδὴ καὶ φύσις ὅλη θεότητος. Ἐπειδὴ γὰρ τῆς δι' ἡμᾶς κατὰ σάρκα τοῦ Λόγου γεννήσεως ὑπὲρ ἡμᾶς πρόοδος γέγονεν. Οὐ γὰρ σαρκὸς ἐμπαθὴς προηγήσατο θέλησις ἢ λογισμὸς, ὡς ἐφ' ἡμῶν ὁρᾶται, διὰ τὴν ἐξ ἀπάτης τοῦ γένους κατακρατοῦσαν ἡδονήν· ἀλλὰ θέλησις θεότητος μόνη δι' Υἱοῦ αὐτουργοῦντος, ὡς ἔφην, τὴν οἰκείαν σωμάτωσιν κατ' εὐδοκίαν Πατρὸς, καὶ συνέργειαν τοῦ παναγίου Πνεύματος, καινοτομοῦντος ἐν ἑαυτῷ τι καὶ δι' ἑαυτοῦ τὸν ἐπεισαχθέντα τῇ φύσει τῆς γεννήσεως τρόπον, καὶ ἀσπόρως τὴν ἑαυτοῦ ποιουμένου σύλληψιν ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. Τοῦτον δὴ τὸν ἄρρητον αὐτοῦ τῆς γεννήσεως σκοτίσαντες λόγον, ἐκεῖνος μὲν, θέλησιν μόνην ἐπ' αὐτοῦ θεότητος εἶπεν, οὗτος δὲ θέλημα ἓν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ· ἐπειδὴ προδήλως, φησὶν, ἐκ τῆς θεότητος προσελήφθη ἡ ἡμετέρα φύσις, καὶ οὐχ ἁμαρτία, δίχα σαρκικῶν θελημάτων καὶ λογισμῶν ἀνθρωπίνων, ὡς ὁ θεῖός φησιν Ἀθανάσιος. οὐ μέν γε τὸ μὴ καὶ ὡς ἄν-

A Honorium etiam Romanum papam non differi reor naturaliter in Christo voluntatum dualitatem, in epistola quam scripsit ad Sergium, eo quod unam dixerit voluntatem; sed potius confiteri, et hanc fortassis etiam constabilire. Nam hoc non in reprobationem dixit humanæ Salvatoris et naturalis voluntatis: sed quod nullatenus conceptionem ejus, quæ fuit sine semine, vel incorruptam nativitatem præcesserit voluntas carnis, vel cogitatio vitiosa. Sola namque voluntas divina atque paterna, per Filium unigenitum per semet operantem propriam incarnationem, sanctique Spiritus conventionem, hanc operata est. Et quod hunc sensum sectetur, hinc est manifestum. Cum enim dixisset, quia propter ineffabilem unitatem humanæ ac divinæ naturæ, et Deus B dicitur pati, et humanitas de cœlo cum divinitate descendisse; et hoc modo ostendisset eorum, quæ naturaliter insunt utrique naturæ unius Christi et Dei Filii per commutationem summam redditionem, subinfert: *Unde*, inquiens, *et unam voluntatem fatemur Domini Jesu Christi.* Quomodo ait? Quia profecto a divinitate assumpta est natura nostra, non culpa: id est, non a peccato; propemodum cum magno effatus Athanasio, qui hæc contra Apollinarium impium scribit: Natus est ex muliere, de prima plas-12ation hominis formam sibi erigens in ostensione carnis absque carnalibus voluntatibus et humanis cogitationibus in imagine novitatis. Voluntas enim sola divinitatis est, quoniam natura tota divinitatis est. Denique Verbi propter nos secundum carnem nativitatis super nos progressio facta est. Non enim carnis vitiosa præcessit voluntas vel cogitatio, sicut in nobis aspicitur, propter generis desiderium, quod a deceptione primi parentis obtinuit: sed voluntas divinitatis sola per filium, qui secundum beneplacitum Patris, et cooperationem Spiritus sancti, propriam, ut dixi, per se operatus est incorporationem, gerens in se, et per se noviter invectum naturæ modum nativitatis, et sine semine suam ipsius patrans conceptionem ex sancta Dei Genitrice semperque Virgine Maria. Hac ergo ineffabili nativitatis ejus inspecta ratione, ille quidem voluntatem solam in eo divinitatis dixit, hic vero voluntatem unam Domini Jesu Christi. *Quia profecto*, inquit, *a divinitate assumpta est natura nostra, non culpa, absque car-*

D

[a] *Epistola.* In Græco titulus est: Μαξίμου τοῦ Ἁγιωτάτου μοναχοῦ καὶ ὁμολογητοῦ τόμος δογματικὸς πρὸς Μαρῖνον πρεσβύτερον. *Maximi sanctissimi monachi et confessoris tomus dogmaticus ad Marinum presbyterum.*

θρωπον αὐτὸν μετὰ τοῦ εἶναι φύσει Θεὸν οὐκ ἴσχειν ἀνθρώπινον θέλημα καὶ φυσικὸν, ὥσπερ οὖν καὶ θεῖον καὶ πατρικόν.

Τὸ δ' αὐτὸ κἂν τοῖς ἑξῆς ὑπανίττεται, φάσκων· Χωρὶς ἁμαρτίας συνελήφθη ἐκ Πνεύματος ἁγίου καὶ τῆς ἁγίας ἀχράντου καὶ ἀειπαρθένου θεοτόκου Μαρίας, καὶ χωρὶς μολυσμοῦ ἐξ αὐτῆς κατὰ σάρκα γεγέννηται. Τὴν δέ γε θείαν γραφὴν ἐπαινετῶς τε καὶ ψεκτῶς προάγει τῆς σαρκὸς μνημονεύουσαν, οὐχ ἑτέραν, μὴ γένοιτο, τῇ τε φύσει καὶ τῇ οὐσίᾳ τὴν τοῦ κυρίου σάρκα πρὸς τὴν ἡμετέραν ὑποβάλλων νοεῖν, ὅς γε ταύτην ἠπίστατο προσληφθεῖσαν ἐκ τῆς ἡμετέρας οὐσίας, ἤγουν τῶν τῆς ὁμοφυοῦς ἡμῖν ἀειπαρθένου καὶ θεομήτορος πάναγίων σπλάγχνων, ἀλλ' ἑτέραν τῇ ἁμαρτησίᾳ, καὶ τοῦ μηδαμῶς ἀντιτατόμενον ἔχειν, καθάπερ ἡμεῖς, ἐν τοῖς μέλεσι τὸν ἐκ παραβάσεως νόμον τῷ νόμῳ τοῦ Πνεύματος. Οὐ γὰρ προσελήφθη, φησὶν, ὑπὸ τοῦ σωτῆρος ἡ κατεφθαρμένη ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας σὰρξ, ἡ ἀντιστρατευομένη τῷ νόμῳ τοῦ νοὸς αὐτοῦ· Οὗ τίνος γὰρ οὐ προεπῆγήσατο ὁ καθ' ἁμαρτίαν διὰ σπορᾶς τῆς γεννήσεως νόμος, τοῦτον παντελῶς οὐδὲ τοῖς μέλεσιν ὑπάρχει· ἀλλὰ νόμος θείας δικαιοσύνης πρὸς ὑποτύπωσιν ἡμῖν ἐκφαινόμενος, καὶ τὸν ἐκ παραβάσεως ἐπεισαχθέντα τῇ φύσει τελείως ἐξαφανίζων. Ἦλθε γάρ, φησιν, ὁ ἀναμάρτητος ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλὸς, τουτέστι τὴν ἁμαρτήσασαν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους φύσιν. Ἕτερος γὰρ νόμος ἐν τοῖς μέλεσιν αὐτοῦ, ἡ θέλημα διάφορον ἢ ἐναντίον οὐ γέγονε τῷ Πατρὶ [*f.* Σωτῆρι], ἐντεῦθεν δεικνὺς, οὐχ ὡς οὐκ εἶχεν ἀνθρώπινον θέλημα καὶ φυσικόν· οὐ γὰρ λέξας φαίνεται τοῦτο, ἀλλ' ὅτιπερ ὡς ἄνθρωπος οὔτε κατὰ σῶμα διὰ τῶν μελῶν τὴν οἱανοῦν ἐκίνητο παρὰ φύσιν ἐνέργειαν, οὔτε μὴν κατὰ ψυχὴν θελήματος ἐναντίαν ἢ παρύλογον κίνησιν, ὥσπερ ἡμεῖς, ἐπειδὴ καὶ ὑπέρ νόμων ἀνθρωπίνης φύσεως ἐτέχθη.

Τρανώτερον δὲ κἂν τοῖς ἑξῆς παρίστησιν, ὡς ὁ λόγος ἦν αὐτῷ μόνον τὸ ἀμπαθὲς, ἀλλ' οὐ τὸ φυσικὸν ἐπὶ τοῦ Σωτῆρος ἀποδιορίσασθαι θέλημα· καὶ ὅτιπερ, κἂν τῷ φυσικῷ καὶ ἀνθρωπίνῳ, πρὸς τὸ πατρικὸν καὶ θεῖον συνέβαινε μὲν, οὐδεμίαν τὴν ἐξ ἀντικράξεως ἔχων πρὸς ἐκεῖνο διαφοράν, ὑποτύπωσιν δὲ διδοὺς ἡμῖν ἑαυτὸν, τὸ οἰκεῖον ἑκουσίως ὑπέταττεν· συνίστα δὲ τὸ πατρικὸν, ᾧ ἂν καὶ ἡμεῖς ἐκμιμούμενοι, τὸ ἑαυτῶν ἀθετήσαντες, τὸ θεῖον διὰ πάσης σπουδῆς ἐκπληρώσωμεν, λέγων οὕτως· « κἂν γέγραπται, ὅτι οὐκ ἦλθον ποιῆσαι τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρός· » καὶ, « οὐχ ὁ ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὅ τι σὺ, Πάτερ· οὗτοι εἰσὶ ταῦτα διαφόρου θελήματος, τουτέστιν ἐναντίου καὶ ἀντιπράττοντος· ἀλλὰ τῆς προσληφθείσης ἀνθρωπίνης οἰκονομίας οἰκειουμένης συμπαθῶς τὰ ἡμέτερα. Ταῦτα γὰρ δι' ἡμᾶς ἔλεγεν, οἷς δέδωκεν παράδειγμα ὁ τῆς εὐσεβείας διδάσκαλος, ἵνα τοῖς ἴχνεσιν αὐτοῦ ἐπώμεθα· καὶ μὴ τὸ ἴδιον ἕκαστος ἡμῶν, ἀλλὰ τὸ τοῦ κυρίου μᾶλλον ἐν πᾶσι προτίμήσῃ θέλημα. » Οὐκ ἀναίρεσιν οὖν, ὡς ἔφην, τοῦ φυσικοῦ καὶ ἀνθρωπίνου θελήματος, ἀλλὰ τοῦ ἐμπαθοῦς καὶ παρὰ φύσιν ποιεῖ· καὶ δι' ὅλου φάναι, τὸ

A *nalibus voluntatibus, et humanis cogitationibus, ut sacratissimus Athanasius ait.* Non tamen perhibuit eum tanquam hominem, quia est quoque natura Deus, non habere humanum voluntatem et naturalem, quemadmodum et divinam atque paternam.

Idipsum autem etiam in subsequentibus innuit, asserens : *Sine peccato conceptus est de Spiritu sancto, et sancta, immaculata semperque Virgine Dei genitrice Maria, et sine contagione ex ea secundum carnem natus est.* Divinam quoque Scripturam in laudem et vituperationem profert carnis memoriam facere. Non aliam, absit, natura et substantia Domini carnem, quam nostram commonens intelligendam : qui etiam hanc sciebat assumptam ex nostra substantia, id est ex congenitæ nobis semper Virginis et Dei Matris sanctis visceribus; sed alienam B a vitio, et nullatenus legem prævaricationis habentem, sicut nos, in membris repugnantem spiritus legi. *Non enim assumpta est*, ait, *a Salvatore caro a peccato corrupta, quæ repugnaret legi mentis ejus.* Cujus enim sementationem, quæ per peccatum efficitur, non præcessit generationis lex, hujus omnino nec in membris est : sed lex divinæ justitiæ ad imaginationem nobis ostensa, et eam quoque, quæ ex prævaricatione naturæ illata est, perfecte demolitur. Venit enim sine peccato quærere et salvare quod perierat, id est naturam humani generis quæ peccaverat. Alia enim lex in membris ejus, aut voluntas diversa vel adversa, non fuit in Salvatore. Hinc ostendit, non quod non habuerit humanam voluntatem et C naturalem (non enim hoc dixisse videtur), sed quod sicut homo neque secundum corpus per membra quamlibet habeat præter naturæ leges operationem, neque rursum secundum animam voluntatis contrarium, vel sine ratione motum, veluti nos : quia et super legem natus est humanæ naturæ.

Expressius autem et in subsequentibus comprobat, quod sermo sibi esset tantum, vitiatam et non naturalem a Salvatore disterminandi voluntatem, et quod in naturali ac humana ad paternam ac divinam coaptaretur quidem, sed nullam haberet ad illam ex repugnatione diversitatem : normam autem dans nobis seipsum, quod proprie suum erat, voluntarie subjiciebat, commendabat vero paternum. Quatenus et nos imitati, quod D nostrum est reprobato, quod divinum est omni studio expleamus, dicens ita : *Licet enim scriptum sit : Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris* (*Joan.* VI, 38). Et : *Non quod ego volo, sed quod tu, Pater* (*Marc.* XIV, 36); *non sunt hæc diversæ voluntatis, id est contrariæ ac repugnantis, sed dispensationis humanitatis assumptæ, quæ sua compassibiliter fecit quæ nostra sunt. Ista enim propter nos dicebat, quibus dedit exemplum pietatis magister, ut sequamur vestigia ejus, et non suum unusquisque nostrum, sed Domini potius in omnibus præferat voluntatem.* Non ergo interemptionem, ut dixi, naturalis et humanæ voluntatis, sed vitiosæ, ac ejus quæ est extra naturam, facit ; et ut totum

πάσης ἁμαρτίας ἐλεύθερον, τὸ καθ' ἡμᾶς, ἐπιμαρτύρεται A fateamur, ab omni peccato Deum liberum esse testatur, qui secundum nos propter nos incarnatus est.
τὸν δι' ἡμᾶς σαρκωθέντα Θεόν.

Καὶ ἵν' ἐπιτόμως εἴπω· διὰ τοῦ ἑνὸς θελήματος, τὸ μόνον τῆς αὐτοῦ κατὰ σάρκα γεννήσεως τὴν θείαν προκαθηγήσασθαι θέλησιν δηλοῦν αὐτὸν οἶναι· διὰ δὲ τοῦ μὴ ὑπάρχειν θελήματος διαφοράν, τὸ ἐναντίον οὐκ ἔχων ἢ ἀντικεῖσθαι, ἀλλὰ τὸ συμβαῖνον δι' ὅλου καὶ ἀνωμένον· ὅθεν ἡνίκα μὲν τὴν ἡμετέραν φύσιν ἐκ τῆς θεότητος προσειλῆφθαι λέγῃ, θελήματος ἑνὸς μνημονεύει· ἡνίκα δὲ τὸ, οὐκ ἦλθον ποιῆσαι τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, εἰς μέσον τῷ λόγῳ προτίθησι, τὸν ἀριθμὸν ἀφείς, οὐκ εἰσὶ ταῦτά, φησι, διαφόρου θελήματος, τουτέστιν ἐναντίου καὶ ἀντικειμένου. Ἐξ οὗ τὸ δύο κατὰ φύσιν ὑπάρχειν ἐν τῷ σωτῆρι θελήματα προδήλως συνάγεται. Εἰ γὰρ ἐναντίον οὐκ εἶχεν, φυσικὸν εἶχεν ὡς ἄνθρωπος. Τὸ γὰρ οὐκ ἐναντίον, φυσικὸν πάντως, καὶ οὐδεὶς ἀντερεῖ· B manifeste colligitur. Si enim contrariam non habuit, οὐδὲν γὰρ ἐν τῇ φύσει ἢ τοῖς κατὰ φύσιν παντελῶς ἐναντίον. Δίος οὖν πολλὰ βαίνειν [*f.* ἐπιβαλεῖν], ὁ μὴ κυρίως ἐν τοῖς ἑαυτοῦ γέγραφε λόγοις, καὶ μηχανᾶσθαι τοὺς δι' ἐναντίας οἰκείας δόξης ὡς οὐκ ἀρίστης ἐπικάλυμμα ποιεῖν τ' ἀνδρὸς τὰ γράμματα, καθ' ἕτερον ταῦτα παρὰ τὸν ἐκείνου σκοπὸν παρεξηγουμένους. Συνηγοροῦντα γὰρ ἔχει τὸν λόγον, πᾶσαν τοῦ ἐκπρεπεστοῦ καταδρομὴν ἀπελαύνοντα.

Καὶ οὕτω μὲν ἔγωγε τὸν νοῦν ἔχειν ὑπολαμβάνω, πάσης ὄντα καθαρὸν ὑποψίας. Βεβαιότερον δέ μοι τοῦτον πεποίηκεν ἐκ τῆς πρεσβυτίρας Ῥώμης ἐπανελθὼν ὁ ὁσιώτατος πρεσβύτερος κύριος ἀββᾶς Ἀναστάσιος, C videlicet Anastasius abbas a seniori Roma reversus, ἀνὴρ, εἰ καὶ τις ἄλλος, ἀρετῇ τε θείᾳ καὶ φρονήσει κεκοσμημένος· καὶ φάσας ὡς πολὺς αὐτῷ λόγος κεκίνηται πρὸς τοὺς ἐκεῖσε τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ἱερωτάτους ἄνδρας, διὰ τὴν πρὸς Σέργιον ἐξ αὐτῶν γραφεῖσαν ἐπιστολὴν, ὅτου χάριν καὶ πῶς αὐτῇ διερωτῶν ἐνετάγη τὸ ἓν θέλημα; καὶ εὗρεν ἀσχαλῶντας ἐν τούτῳ, καὶ ἀπολογουμένους, καὶ πρὸς αὐτοῖς τὸν ταύτην ἐν λατίνοις ὑπαγορεύσαντα, κατὰ κέλευσιν αὐτοῦ κύριον ἀββᾶν Ἰωάννην τὸν ἁγιώτατον σύμπονον, ἰσχυριζόμενον, ὡς οὐδαμῶς ἐπίμνησιν ἐν αὐτῇ δι' ἀριθμοῦ πεποίηνται ἑνὸς τὸ παράπαν θελήματος, εἰ καὶ τοῦτο νῦν ἀνεπλάσθη παρὰ τῶν ταύτην ἑρμηνευσάντων εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνήν. Οὔτε μὴν τὴν οἱανοῦν κυρίωσιν ἢ ἐκβολὴν τοῦ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον φυσικοῦ τοῦ σωτῆρος θελήματος, ἀλλὰ τοῦ D Verum nec quamlibet exinanitionem vel abolitionem καθ' ἡμᾶς καὶ διαβεβλημένου τελείαν ἀποσεσυλῆν καὶ ἀναίρεσιν, καθ' ὃ καὶ ὁ πρὸς ἄλληλα τῶν ὁμογενῶν σύνισταται πόλεμος. Δεῖξαι βουλόμενος πάσης οὖσαν καθαρὰν ἁμαρτίας τὴν προσληφθεῖσαν σάρκα, κατὰ τὴν τῶν ἱερωτάτων λογίων, καὶ τῶν πατρικῶν διδαγμάτων παράδοσιν. Καὶ φαίνονταί πως διὰ τῶν τοιούτων λόγων, συνᾴδοντες τοῖς ἀρτίως ἐξηγηθεῖσι παρὰ τῆς ἐμῆς οὐδενίας, καὶ οἷον ἐπισφραγίζοντες τὴν ὑπὲρ Ὀνωρίου γενομένην συνηγορίαν.

Ταῦτα γοῦν ἀπολογησαμένους διαγθοὺς, ἐθαύμασα λίαν αὐτῶν τὴν ἀκρίβειαν, ὥσπερ οὖν καὶ κατεπλάγην

Et ut compendio dicam, per unam voluntatem solam ejus secundum carnem nativitatem eum divinam præcessisse voluntatem indicare conjicio. Per id vero quod ait, non esse voluntatis ejus diversitatem, contrarium vel repugnans quid non eum habere perhibet, sed conveniens et prorsus unitum ex toto. Unde cum nostram quidem naturam de divinitatis voluntate dicit assumptam, unius mentionem facit. Illud autem quod introducit : *Non veni facere voluntatem meam*, in medium verbo præponit, omisso numero : Non sunt, inquit, hæc diversæ voluntatis, id est contrariæ atque adversatricis. Ex quo duas secundum naturam existere in Salvatore voluntates naturalem habuit tanquam homo. Quod enim non est contrarium, naturale profecto est. Et nemo contradicet. Nihil quippe in natura vel in his quæ sunt secundum naturam, est omnino contrarium. Timor ergo est opinari, quod in ejus proprie non est sermonibus scriptum, et moliri adversarios propriæ opinionis tanquam non bonæ ad velamentum illius viri litteras faciendum, secundum utrumque has præter illius intentionem falso referentes. Advocatum quippe habet rationis sermonem omnem calumniatoris abigentem incursum.

Et ego quidem sic se illius habere sensum existimo, ab omni suspicione purgatum. Certiorem autem mihi hunc sanctissimus fecit presbyter, dominus Anastasius abbas a seniori Roma reversus, vir scilicet imcomparabilis, virtuteque divina et prudentia venustatus : qui asserens, quod multum sermonem moverit ad sacratissimos magnæ illius Ecclesiæ viros, propter epistolam quæ ab eo fuerat ad Sergium scripta, percontans cujus rei gratia, vel qualiter in ea inserta fuerit una voluntas, et invenit hæsitantes in hoc, et rationem reddentes; insuper et eum, qui hanc per jussionem ejus Latinis tractaverit dictionibus, dominum videlicet abbatem Joannem sanctissimum symponum [a] affirmantem, quod nullomodo mentionem in ea per numerum fecit unius omnimodis voluntatis : licet hoc nunc sit fictum ab his qui hanc in Græcam vocem interpretati sunt. naturalis secundum humanitatem Salvatoris voluntatis, sed ejus quæ nostra est, et reproba facta, perfectam dejectionem et interemptionem. Juxta quod et in invicem eorum quæ unius generis sunt efficitur bellum. Ostendere volens, ab omni esse peccato mundam assumptam carnem, secundum sacratissimorum eloquiorum et paternarum doctrinarum traditionem. Et apparet qualiter hujusmodi sermones concinentes sint cum his quæ modo sunt ab exiguitate mea recitata, et veluti astipulatores factæ pro Honorio defensionis.

Ego, cum hæc ille ratiocinando respondisset, miratus sum oppido cognoscens subtilitatem ipso-

[a] Hoc est *collaboratorem*.

τὴν πανουργίαν τῶν πάντα τολμώντων ὑπὲρ ἑνὸς τοῦ διακενῶς ἀσεβεῖν, καὶ θελόντων, ὡς ἔθος αὐτοῖς πάλαι καὶ νῦν, παρακλοπαῖς τισι καὶ παρεξηγήσεσι τοὺς ἐνθύμως καθ' αὐτῶν ἀγωνιζομένους, τό γε παρὰ τὸ εἰκός, εἰς ἑαυτοὺς ἐπισπᾶσθαι, καὶ τὸν νοῦν σφετερίζεσθαι μηδαμῶς συνεπόμενον. Ἀναγκαίως οὖν καὶ τοῦτο μαθὼν διεῤῥωκά σοι, θεοτίμητε Πάτερ, ὡς ἂν διὰ πάντων φραξάμενος ἔχοις ὅπως διακρούσῃ τῶν ἐναντίων τὰς φάλαγγας, λόγῳ τε βάλλων εὐτόνως καὶ πίστει κατὰ κράτος ὑπερνικῶν, δόξαν τε τὴν τοῦ Μονογενοῦς ἐντεῦθεν εἰς ἀνάῤῥησιν ἔχων, καὶ διάδημα τὴν αὐτοῦ κατὰ χάριν κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν.

A rum, et obstupui quodammodo super astutia eorum qui pro uno frustra omnia gerere impie audent et volunt, sicut eis ab olim moris et nunc est, furtivis et falsis narrationibus, eos qui contra se magnanimiter agonizant, taliter, quin et absque omni ratione ad se ipsos attrahere, et sensum fraudare, qui se nullatenus sequitur. Necessario ergo et hoc cum didicissem, significavi tibi domino, honorabilis Pater, quatenus per omnia munitus, habeas qualiter insequaris adversariorum phalanges : verboque indefesse jaciens, et fide potenter superans, gloriamque hinc Unigeniti in præconium habens, et diadema hujus communionem per gratiam et unitatem.

DIFFLORATIO

EX

EPISTOLA EJUSDEM S. MAXIMI AD PETRUM ILLUSTREM.

Ubi Pyrrhi et sancti Sophronii Hierosolymitani episcopi, atque papæ Honorii mentionem facit, ita post aliqua prosecutus.

Vestris laudabilibus syllabis * dignatus es significare indigno servo tuo propter abbatem Pyrrhum. *Et post pauca :* Et futurum profecto esset, ut hac forte pro causa ad redargutionem illius et omnium, qui secundum illum impiam novitatem sectantur indifferenter, ad divinitus conservanda tua et famosissima vestigia properarem. Quatenus scirent omnes, qui secundum vos pietatis sunt amatores, illorum una cum omni prorsus inscitia, impietatis quoque superfluam abundantiam. Sed timui ne putarer extra sacra quidquam agere jura, præter voluntatem hoc faciens sanctissimæ sedis apostolicorum virorum, qui universam plenitudinem catholicæ Ecclesiæ bene ducunt, et ordinate secundum divinam legem deducunt. Quoniam hac divina videlicet lege consistunt cœlestia et terrestria, et oportet ab ea nequaquam exorbitare, sed quæ sunt divina secundum Deum agere illos, qui sancte secundum vos vivere proposuerint : quatenus et Deum gestorum habeant curatorem, et sine successu receptionem. Quoniam, famosissime domine, pejor his est, quod et antea intimavi, etiam ab antiquis hæreticis nova fides et expositio. Hanc enim multis quibus perduravit annis in episcopatu ad manifestationem reprobæ mentis suæ (nam Deus et ad nequitiæ propalationem sæpe novit longanimiter sustinere : non ut hanc ampliorem per inducias reddat, sed ut hanc ampliorem factam justius puniat) decessor quidem ejus impie in utero aluit, iste vero magis impie genuit. Et rursus posteriores horum in contemptum excolunt divinitatis. *Et paulo post* : Et quod adhuc deterior illis est mos, et veluti speciale omnium perversorum hæreticorum indicium, quia et suæ ipsius impietatis obnoxios, describunt innoxios. Sophronium quippe,

B qui prudenter divina perdocuit et prædicavit Ecclesiæ catholicæ dogmata, se in errorem movisse hæc illacque susurrant. *Et post pauxillum :* Divinus enim Sophronius, ut ipsi testamini, laudabilissimi, in Afrorum regione mecum et cum omnibus peregrinis monachis moras agebat, cum ipsi perversitates illas fabricarent adversus omnes. *Et post pusilla :* Et erat quidem domus omnium per divinam concordiam et unanimitatem in unum Dei favente gratia in universitate, quæ sub sole consistit, pacifica et tranquilla fide munitis Ecclesiis. Hi vero, qui horum invidebant consonantiæ, ac in Christum Deum confessioni, veluti quamdam caliginosam nubem, et stridentem vel gravem fluctum maris ac barbarorum, nemine hos movente, quam solo dæmone turbationis amico,

C qui genus humanum ad simultatem concitavit, repente contra veram Christianorum fidem novam excogitaverunt ecthesim. Deinde sententias pro ea, et compositiones injustas. Dein actiones monumentorum. Deinde synodos latrocinales, et concursus episcoporum non voto convenientium, sed violentia contractorum, non exhortatione properantium, sed ex fuga barbarorum peregre proficiscentium. Dein jussiones et minas huc atque illuc adversus pios transmissas. Nam eum qui tunc imperabat, sophistice muneribus in servitutem redigentes. *Et post pauca :* Ex proprio nomine viro ecthesim producere persuaserunt. *Paulo post :* Fit autem horum inimicus pariter et defensor, an potius asserendum fautor et accusator horum publicans argumentum : et

D innotescens quod ipse nequaquam ex se fuerit motus, sed ab illis coactus, impiissimam fecerit ecthesim in scriptis pro se ipso hæc dicens, et rationem reddens Joanni sanctæ memoriæ quondam papæ se-

* Συλλαβαῖς pro *litteris*

nioris Romæ. *Et post pauxillum :* Convincunt autem seipsos, quod isti valde manifeste fortissimi hanc fecerint, et nullatenus ille. Neque enim quodlibet super hoc habuit studium, utpote ad alia circumlatus. *Post brevia :* De quibus omnibus miseri nec sensus apostolicæ facti sunt sedis, et quod est risu, imo ut magis proprie dicamus, lamento dignissimum, utpote illorum demonstrativum audaciæ, nec adversus ipsam apostolicam sedem mentiri temere pigritati sunt : sed quasi illius effecti consilii, et veluti quodam ab ea recepto decreto, in suis contextis pro impia ecthesi actionibus secum magnum Honorium acceperunt, suæ præsumptionis attestationem ad alios facientes viri in causa pietatis maximam eminentiam. Quis itaque, o famosissime et qualis Sophronius hæc et tam atrociter et per tantum temporis facere his falsiloquis persuasit? quæ hos non rogavit Ecclesia? quis pius et orthodoxus non supplicavit antistes, cessare illos a propria hæresi clamando et obtestando? Siquidem ultima sua exspirabat sacer Arcadius, et spiritum Deo tradebat, sed nec usque ad horam illam eos rogare cessavit. *Et post pauca :* Quid autem et divinus Honorius, quid verò et post illum Severinus senex? quid denique et is, qui post hunc exstitit, sacer Joannes? Porro is qui nunc præsidet beatissimus papa omisit quidquam supplicationi conveniens? Nonne Oriens totus et Occidens lacrymas, lamenta, obsecrationes, deprecationes ex æquo, tam Deo per orationes quam his per epistolas, afferebant? Sed Deus quidem horum profecto beatorum virorum finem admisit, et pro ea vicissitudine in sæcula conservavit. Illi autem Domini contemnentes inducias, ad conversionem hos benigne cohortantes, et horum egregiorum facta per tot tempora supplicatione torpentes, suæ nequaquam passi sunt cœlestem fidem præferre. *Post aliqua :* Divinus ergo magnusque Sophronius tunc Alexandriam veniens, mox ex prima lectione (dederat enim etiam ipsi Cyrus ad retractandum illa novem impietatis capitula) lugubre quiddam et ingens vociferatus, fontes emittebat lacrymarum, illum fervide obsecrans, supplicans, expostulans, in pavimento ipsius vestigiis provolutus, quo nihil horum super ambonem contra catholicam Dei Ecclesiam prædicaret, quippe cum hæc liquido impii essent Apollinarii dogmata. *Et paulo post :* Taliter viri, o mihi præ omnibus reverendum caput, divina Deo perosis insultationibus, et invicem scenicis quodammodo illusionibus lacerabant, et sacratissimum Sophronium tam miserabiliter lamentatum, utpote contritionem more cujusdam secundi Hieremiæ catholicæ deflentem Ecclesiæ, tantumque divinorum lapsum bene valde et compatientissime dogmatum deplorantem, nullatenus consolati sunt. *Et post nonnulla :* Si enim Romana sedes non solum reprobum Pyrrhum, sed et male sentientem et male credentem eon nescit, perspicuum profecto est, quia omnis qui eos, qui Pyrrhum reprobaverunt, anathematizat, sedem Romanam, id est catholicam Ecclesiam anathematizat : omitto enim dicere, quia utique et seipsum, qui talis est, si duntaxat sedi Romanæ communicat, catholicæque Dei Ecclesiæ. Obsecro igitur, benedicte domine mi, præcipere omnibus, ne Pyrrhum sanctissimum vel almificum nominent. Neque enim tale quid sacra regula eum vocari permittit. A cuncta enim cecidit sanctitate, qui nimirum ab Ecclesia catholica sponte prosiliit. Non enim fas est illum ex quacunque laude cognominari, qui jam olim damnatus est, et abjectus ab apostolica sede Romanæ urbis, ob externæ sensum opinionis, donec ab ea recipiatur conversus ad ipsam, imo ad Dominum Deum nostrum per piam confessionem et orthodoxam fidem, qua sanctificationem recipiat, sanctumque vocabulum. Itaque si vult hæreticus neque esse, neque audiri, non isti aut illi satisfaciat, superfluum quippe hoc et irrationabile est ; quia sicut uno contra eum scandalizato omnes scandalizati sunt, ita quoque uno satisfacto, omnes proculdubio satisfiunt. Festinet pro omnibus sedi Romanæ satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum prædicabunt. Nam frustra solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos ac subripiendos putat, et non satisfacit et implorat sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ beatissimum papam, id est apostolicam sedem, quæ ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus sanctis synodis, secundum sacros canones et terminos, universarum, quæ in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei Ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi. Cum hoc enim ligat et solvit etiam in cœlo Verbum, quod cœlestibus virtutibus principatur. Si enim alios quidem satisfaciendos ducit, et beatissimum Romanum papam nequaquam implorat, simile quiddam agit ei, qui forte homicidii vel alterius cujusdam criminis redarguitur, et insontem se non ei, qui secundum leges judicandi jura sortitus est, exhibere festinat : sed tantum inutiliter et sine lucro aliis, et privatis hominibus munditiam monstrare sui satagit actus, qui nullam habeant se solvendi a crimine potestatem. Quapropter, benedicte mi domine, adhuc magis extende præceptionem, quæ bene vobis, et secundum placitum Dei visa fuisse dignoscitur, quo nemini licentiam habeat iste quidquam loqui et obloqui dogmatis causa. Sed liquido discite voluntatem hujus abundantius investigantes, si velit annuere penitus veritati : et si hoc agere studuerit, et ad id secundum rationem accelerat, hortamini eum suggestionem convenienter facere ad beatissimum papam Romanum : quatenus sic per illius divinam præceptionem, regulariter quæ circa ipsum sunt et decentissime moderetur ad gloriam Dei et vestræ laudem sublimitatis.

EXCERPTUM

EX EPISTOLA S. MAXIMI DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI

Scripta ad Marinum presbyterum Cyprium.

Non in tot hujus sanctissimi papæ synodica, quot scripsistis, capitulis Constantinopolitani reprehenderunt, sed in duobus tantum. Quorum alterum est de divinitatis ratione, quia dixit, aiunt, procedere etiam ex Filio Spiritum sanctum. Alterum vero de divina incarnatione, quoniam scripsit, inquiunt, absque originali et actuali peccato Dominum esse. Et in priore quidem consonantia protulerunt testimonia Latinorum Patrum, necnon et Cyrilli Alexandrini de sacro ipsius opere quod in sanctum evangelistam fecit Joannem, ex quibus non causam Spiritus sancti Filium se facere monstraverunt. Unam enim norunt causam Filii ac Spiritus esse Patrem: alterius quidem secundum generationem, alterius vero secundum emissionem: sed ut hunc per eum prodire insinuarent, et hanc substantiæ communionem et indissimilitudinem demonstrarent. In posteriori autem non est opus omnino defensione. Quæ enim in hoc sit altercatio, quamvis ita calumniatoribus ob suam perversitatem videatur? Verum prosecuti sunt, dicentes, quod nec in mente habuerit peccatum, secundum quod primus vitiatus fuisse apparet Adam, nec actionem mali et operationem. Ergo isti quidem hæc, de quibus non rationabiliter impetiti sunt: illi autem, de quibus et valde juste, nullam nunc usque fecerunt apologiam, quia nec objectionem eorum, quæ ab eis introducta sunt. Porro, secundum jussionem vestram, rogavi Romanos interpretari propria dicta, causa furtivas adversantium subreptiones effugiendi. Verumtamen more obtinente ita faciendi atque mittendi, nescio utrum consentiant. Alias autem nec valent in aliena dictione ac voce sensum suum, sicut in propria vel alumna, subtili exprimere diligentia, vel etiam quemadmodum nos in nostra nostrum.

SANCTISSIMI THEODORI PAPÆ

SYNODICA

AD PAULUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM.

Synodicas fraternitatis vestræ litteras, datas per Georgium presbyterum et Petrum diaconum nos suscepisse significamus, quarum percurrentes textum, invenimus eam inter spem et metum, quemadmodum inter fidum gemini littoris portum, confidentem pariter et fluctuantem, et non frustra. Nam sacerdotium grave onus est, quod scilicet aliorum vitæ cura fatigat, juxta quod scriptum est: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (*II Cor.* XI, 29)? Et quanto metu sacerdotalis mens concutitur, ne forte per silentium vel immoderatum eloquium maculetur, tanto spe et maxima propriæ fortitudinis penna ad altitudinem sublevatur, quando de subjectorum profectu gratulatur. Scriptum est enim: *Ubi plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo boum* (*Prov.* XIV, 4). Hinc e contra metus reverberat. Scriptum namque est: *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu, et quasi avis de insidiis aucupis* (*Prov.* VI, 1-5). Audivimus, dilectissime frater, per timorem periculum nostrum, audiamus per spem repromissum consolationum solatium. *Ego sum*, inquit Deus, *pars hæreditatis tuæ* (*Num.* XVIII, 20). Et iterum: *Sacerdotes tui induant justitiam* (*Psal.* CXXXI, 9). Timor autem concutit, cum alias dicitur: *Cui multum creditur, multum ab eo exigetur* (*Luc.* XII, 48). Et iterum: *Potentes potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI, 7). Et cursus spes nos refovet, ubi ait: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem exquirent ex ore ejus, quoniam angelus Domini exercituum est* (*Mal.* II, 7). Inter tot ergo procellas atque tranquillos fluctus æstuare profundum, quid aliud est nisi in portu asperrimi littoris navim mentis nostræ tempestatibus concuti? Sed quia majorem fiduciam ex longanimitate Dei Evangeliorum habere cognoscimur, spe gaudentes hujusmodi æstum nullo modo formidamus. Nos ergo quid, nisi dispensatores unius pastoris sumus? Ipso enim pascente pascimus, et regente regimus, quoniam omnes sub eodem pastore cum ovibus ipsius oves pascuæ sumus. Neque enim

nostris viribus, sed Dei gratiæ deputamus quod sumus. Tantum restat, ut cum divino auxilio petendo, quærendo, pulsando, fide et opere donum gratiæ irreprehensibiliter exhibere possimus, quo, conculcatis vitiis, virtutum repromissa præmia percipere mereamur. Superbia, quæ est initium omnis peccati, longe a sacerdotum mentibus fiat. Avaritia rursus, quæ est idolorum servitus, atque omnium malorum radix, abscissa, et a turbine pulveris sui procul amota destruatur, quæ excæcat etiam oculos sapientum. Dilectionem igitur omnium virtutum matrem, sine qua nihil perficitur, et in qua omnes virtutes pacis completæ vinculo indissolubiliter continentur, fide recta et spe certa studio indesinenti teneamus. Et quoniam fide hominum corda purgantur, lecti apices dilectionis vestræ limpida fidei fluenta vos de fontibus Salvatoris hausisse, et sicut prædicamus prædicare, et quemadmodum credimus credere, et sicuti docemus indiminute docere manifestarunt. His ergo ita se habentibus, cum ea quæ a Pyrrho adversus apostolicam fidem nostram ad subversionem synodalium decretorum prolata sunt, tam per dogma sedis apostolicæ, quod expositum est a prædecessore nostro, quam per jussionem filii nostri mansuetissimi principis destructa sint : quamobrem fraternitas tua a publicis locis chartam, quæ suspensa pridemque cassata fuerat, non abstulit ? quæ scilicet scandalum sanctis Dei Ecclesiis non modicum intulit : *Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit in salutem* (*Rom.* x, 10). Si dejiciendum ergo ejusdem Pyrrhi conamen fraternitas vestra ducit, qua pro causa prædictam chartam de pariete non deposuit? Nemo quippe quod abominatur colit. Si autem, quod absit, hujusmodi scriptum amplectitur, cujus rei gratia nobis hoc per propria synodica sua minime patefecit? Neutrum enim sine horum alterius dejectione indemniter stare potest. Nam si recta fides, quæ tot conciliis roborata est, ab Heraclio et Pyrrho cum quadam additione et emendatione corrigitur : ergo fides a Patribus subtiliter examinata commoveri cognoscitur, et mortui vacua spe beatitudinis decidérunt : quod avertat Deus a fidelium cordibus. Hi enim qui defuncti sunt minime perierunt : *Pretiosa* namque *in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* cxv, 15). Et qui vivunt in hac fide, mundi effecti sunt : Patrumque dogma signata fide verum et pium firmiter est posteris traditum. Restat igitur, quod contra fidem promulgatum est irritum fiat, et cum auctore proprio destruatur. Porro mirati sumus quia episcopi, qui fraternitatem tuam consecraverunt, sanctissimum illum in litteris suis dixerunt. Sed et quia propter vulgarem turbationem et odium, Ecclesiæ hunc Constantinopolitanæ abrenuntiasse significaverunt : propter quod etiam in ambiguitate positi, quæ a fraternitate vestra scripta sunt judicaveramus ad modicum quid differre, donec jam dictus Pyrrhus ab episcopatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ pelleretur. Nam turbatio et odium populi episcopatus gradum nescit auferre. Canonica enim vindicta super eo debuerat provenire, quo fraternitatis tuæ consecratio irreprehensibilis et firma consistat. Scriptum est enim : *Si vir ejus mortuus fuerit, soluta est a lege viri. Si autem vir ejus vivit, adultera vocabitur si fuerit cum alio viro* (*Rom.* VII, 2, 3). *Erunt enim duo in carne una. Mysterium autem hoc magnum est*, ait Apostolus, *ego autem dico in Christo et Ecclesia* (*Ephes.* v, 31, 32). Etenim licet indigni simus, locum tamen ejus in Ecclesiis adimplemus. Vivente itaque prædicto Pyrrho, et nondum natura vel culpa exstincto, ne forte fieret schisma oportuerat præcaveri. Ut ergo fraternitatis vestræ sacerdotalis robustior ordo permaneat, oportet debitum adversus eum colligi episcoporum ex propinquioribus locis conventum. Præcipimus enim super hoc etiam charissimis filiis nostris Serico archidiacono, et Martino diacono et apocrisiario, quibus et locum nostrum ad hujus rei deliberationem credimus, quatenus cum fraternitate vestra prædicti Pyrrhi culpa regulariter exquiratur. Non enim præsentia ejus necessaria est, ubi excessus ejus, et scripta veritati repugnantia præsto sunt, ut cum de his dijudicatur, modis omnibus condemnetur. Primo quidem, quoniam Heraclium, qui anathematizavit inviolabilem orthodoxorum Patrum fidem, diversis laudibus extulit, et sophisticam jussionem ipsius, in qua quasi symbolum fidei composuit, subscribendo firmavit, furtivisque subreptionibus quosdam sacerdotes apud se singulatim prædictam chartam roborare coegit, et in publicis locis suspendere ad destructionem Chalcedonensis concili audaci transgressione præsumpsit. Unde non modicum dissensionis scandalum Ecclesiis Dei disseminavit, et obtestatione conventus a decessore nostro corrigi parvipendit. His igitur et aliis in synodo fraternitatis vestræ requisitis, canonicæ hunc exsecutioni submittite, ut sacerdotali ordine et episcopali legislatione, ac regulariter eo sacerdotio denudato, non solum fides illibata permaneat, sed et fraternitatis vestræ gradus episcopalis firmior conservetur. At vero, si diligenter fraternitas vestra, dum consiliatur, perspexerit fautores jam dicti Pyrrhi circumstrepere, et senseritis crebro, insolenter præsenti negotio quod diffiniendum est impedimentum per dilationem afferre, ut proprium compleant quandoque consilium, vobis contradicentes, nisi juxta votum suum quidquam proveniat; et si ob hoc fraternitatem vestram obnoxiam facere, vel etiam schisma de eadem persona tentaverint : possibile est ut abscidatur etiam in hujusmodi capitulo talis versutiarum ipsorum intentio, et obtineatur jussio a domino nostro et filio Christianissimi principis, quoniam de hoc enixius eum per litteras nostras poposcimus, ut scilicet sæpe dictum Pyrrhum ad hanc Romanam urbem jubeat mitti, quatenus conventu synodico a nobis effecto, pro sua temeritate judicetur. Sic enim et fraternitatis vestræ episcopalis dignitas omni futuro contrariorum schismate firmior apparere valebit, et scandalum novitatis ab ortho-

doxa fide pulsum necabitur, atque Dei Ecclesia continuæ paci donabitur. Deleri namque ab Ecclesia scandala debent, et exstirpari. Multa enim possunt oriri dissensionis zizania contra promotionem fraternitatis tuæ, nisi canonica falce, ne proficiant, radicitus rescindantur. Siquidem cum patitur unum membrum, compatiuntur reliqua corporis membra (*I Cor.* XII). Absit ergo ut schismata et dissensiones proveniant, secundum quod et mansuetissimum dominum et filium nostrum principem per litteras nostras petivimus, quod ab episcopatu fraternitatis vestræ omnia quæ nuper exorta sunt scandala recidantur, et nos quidem veluti fraterna viscera condolentibus providentiæ nostræ medelam afferentes appareamus. Verumtamen prædictam chartam, quæ contra orthodoxam fidem et Chalcedonense concilium sophistice probatur exposita, cunctis viribus irritam esse deliberamus, et vinculo anathematis refutatam, atque ut a nobis et ab omnibus orthodoxis episcopis abominatam respuimus. Sufficit namque nobis fides quam sancti apostoli prædicaverunt, concilia firmaverunt, et sancti Patres consignaverunt, per quam renati et docti facti sumus, quamque docemus, nullum augmentum in symbolo fidei, quod a synodis est firmatum, recipientes. Anathema his qui addunt; anathema qui demunt sancto mathemati, id est symbolo, quod in concilio Nicæno diffinitum, Constantinopolique firmatum, et in Ephesino primo atque Chalcedone, a sanctis et orthodoxis Patribus, qui in catholica fide floruerunt, gratia sancti est Spiritus stabilitum. Hæc et his similia concordi sensu fraternitas vestra prædicando nobiscum, ore et opere confiteatur. Similiter autem anathematizantes omnes hæreses et ructores earum, ut id ipsum dicamus omnes, sicut scriptum est, et schismata nullo modo germinent in Ecclesiis Dei, quæ spirituali jam et bis acuto sententiæ gladio sunt rescisa. Porro præsentem litterarum latorem fraternitati vestræ in omnibus commendamus, quoniam et mores ejus exigunt ut eum vobis nos commendare debeamus : quia manifeste vestram nobis præsentiam exhibere venerabilitas ejus atque perfectio morum dignoscitur.

EXEMPLAR

PROPOSITIONIS transmissæ Constantinopolim a Theodoro sanctissimo papa Romano.

Dominus ac Salvator noster in Evangeliis apostolis suis ita dixit : *Quicunque solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum* (*Matth.* v, 19). Sed et alia Scriptura dicit : *Ne transferas terminos æternos, quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII, 28). His ergo sic se habentibus, ad notitiam fraternitatis vestræ deducimus quia Pyrrhus, qui quondam Ecclesiæ Constantinopoleos episcopatum subripuit, et instar lupi sub prætextu pastoris latitabat, contra orthodoxam fidem cornu bellico erecto, quædam novitatis figmenta composuit, et chartis a se dictatis, quosdam furtivis ac subreptitiis modis subscribere compulit sacerdotes : versute gerens, ut hæreticum præsumptionis suæ dogma subreptis aliorum subscriptionibus stabiliret, et veluti novum mathema contra colendum, nobisque traditum a sanctis Patribus symbolum componere conaretur. Et quoniam in Chalcedonensi concilio anathema positum est his qui addiderint vel dempserint quid in fide, quæ a tot Patribus est roborata : hujus rei gratia dilectionem vestram præmunire consideravimus, ut his quæ a prædicto Pyrrho adversus apostolicam fidem præsumpta sunt reprobatis, eamdem fidem sicut et fisi sumus retineatis, quam ex ipso lacte uberum sanctæ Ecclesiæ simul suxistis, universa temerariæ novitatis deliramenta destruentes. Nos enim tam per alias litteras, quam per decretum præsentis propositionis, omnia quæ contra orthodoxam et apostolicam fidem nostram ab ejusdem Pyrrhi nova et temeraria vanitate introducta sunt abominantes, simulque cum charta, quæ proposita, et in publicis locis ab eo suspensa est, anathematizantes, volumus omnes illa sapere, id est tenere, quæ sancti apostoli tradiderunt, et Patres qui in orthodoxa fide floruerunt, posteris tradita per sancta quinque concilia firmaverunt.

THEODORI SANCTISSIMI PAPÆ

Ad episcopos qui consecraverunt Paulum patriarcham Constantinopolitanum propter Pyrrhum ex patriarcha.

Litteras fraternitatis vestræ, per quas nobis de promotione Pauli fratris et coepiscopi nostri significastis, suscepimus : et gavisi quidem super hujus sumus ordinatione. Sed futura mœstitia hinc vide-

licet successura, propter zizania, quæ nascitura fore A amplectentes] quæ sancti nobis Patres in synodis
sperantur, animum nostrum valde concussit, nisi tradiderunt; nihil fidei addentes, nec auferentes. Et
diligentissima manu et cautissima cura priusquam idcirco quæ in personam prædicti Pyrrhi diffinierimus,
crescant et Dominicam messem suffocent exstirpentur. in litteris quas ad jam memoratum fratrem
Debuerat igitur Pyrrhus, qui sanctis Dei Ecclesiis et coepiscopum nostrum misimus, agnoscetis. Ut
scandalum seminavit, canonicæ prius animadversioni igitur scandalum minime futuro tempore generetur,
submitti, et tum prælatus [frater noster secundum præfixum modum diligenter sacra provi-
Paulus sacrari: ne forte tempore aliquo de ejectione dentia exstinguere curet. Et res quidem ipsa nos
sua quampiam se putet querimoniam objecturum, magis ad tribulationem provocavit, et nascitura zizania
quod odium sustinuerit populare, et vi pulsus libel- conjecturis probabilius informavit, quoniam per
lum dederit, et suam Ecclesiam refutaverit, sicut litteras vestras prædictum Pyrrhum sanctissimum
nobis fraternitas vestra per litteras suas significavit. nominastis. Si enim alia taceamus, et nihil omnino
Facile quippe mutantur homines, et quidem ali- peccavit aut in religionem, aut in doctrinam fidei,
quando ex odio ad dilectionem assurgunt, aliquando et nec una culpa eum damnavit; quamobrem de
vero a dilectione in odium dilabuntur. Qua ergo pro propria est dejectus Ecclesia? Sed fortasse quis
causa, quæ dissimulari futura sunt provido non con- B dixerit, generale hoc odium fecit. Sed vulgaris tu-
templantur obtutu; ne forte proveniens scandalum multus jus sacerdotii auferre non potest, nec odium
variis simultatibus Ecclesiam Dei discindat. Sunt sacro quemquam ordine denudare. Manifestæ quippe
capitula, quibus prædictus Pyrrhus canonice potest sunt canonicæ causæ, quæ jura sacerdotii recidere
ab omni sacerdotali ordine pelli. Primum quidem possunt. Nisi enim naturæ causa præsul exstinguatur,
quia Heraclium, qui anathematizavit catholicam Ecclesiam ejus alius non potest irreprehensibiliter
fidem et Patres orthodoxe sentientes, in litteris apprehendere. Et hæc quidem non contradicentes
suis laudibus extulit, et per subreptionem, per ordinationi prædicti fratris nostri Pauli scribimus,
quosdam sacerdotes qui subscripserant, sophisticam sed vulnus latens et absconsum medente manu
quoque chartam adversus apostolicam fidem confir- adaperimus, ne in vitalia viscera serpere possit,
mare præsumpsit, et in publicis locis suspendere omnem immunditiam fetidæ putredinis medicinaliter
festinavit, quasi novam fidem et symbolum suscitans exhaurientes, et quæ possunt fieri diligentia
contra sanctam Chalcedonensem synodum; pœnam providæ incisionis penetrantes, non ut hæc fiant
minime veritus æterni judicii; et anathema quod optantes. Nam sæpedictum fratrem nostrum in
positum est in eadem Chalcedonensium synodo; quo visceribus mentis nostræ complectimur et fovemus:
nemo unquam sancto malhemati, id est colendo C sed ne schismata fiant, fraterna providentia et affectione
symbolo, quidquam addere vel minuere audere dilectionis terremur; quatenus episcopatus
pertentet. Prædictus autem Pyrrhus nec protestatione ejus manus impositio nullomodo maculetur. Denique
conventus a pravitate sua recedere passus est. interemptis et suffocatis schismatibus, et fides quo-
Ideo ergo jam memoratam chartam abominantes, et que orthodoxa, quæ tot spiritualibus paradisi florum
omnia quæ crebro dictus Pyrrhus contra fidem odoribus, per agricolas Christi Dei nostri, sanctos
mollitus est anathematizantes, quin etiam nunc videlicet apostolos, eluxit, nullatenus aliquibus zizaniorum spinis poterit sauciari.

COMMEMORATIO

QUID LEGATI ROMANI CONSTANTINOPOLI GESSERINT.

Ex epistola sancti Maximi scripta ad abbatem Thalassium

In his et hujusmodi esse te, Pater, sciens, et sola D idem tempus, quando illic missos in causa promo-
quæ illius sunt præ omnibus in generatione nostra tionis papæ cum delatis decretis apocrisiarios susce-
omni studio procurare cognoscens: oportere ratus perunt. Tunc enim, tunc post plurimos sermones,
sum virtutem innotescere tibi eorum, quæ modo ab quos ad eos causa consecrationis moverunt, novis-
Urbe mihi felicissima scripta sunt a quibusdam re- sime ad effectum ejus, atque ad ipsius desiderii com-
verendis viris, et teeum ex toto corde diligentibus pletionem, protulerunt eis dogmaticam chartam
Deum, causa dogmatum catholicæ sanctæ et apostolicæ nunc ab eis expositam, asserentes: Non aliter vobis
ipsius Ecclesiæ. Significaverunt, enim quod in capitulo, pro quo tantum transigentes navigium
multa hujus rei gratia et prolixa quædam in ea facta huc venistis, favorem præstabimus, nisi prius vos
sit motio, id est in regia urbe, a sacratis illius eccle- suasuros ei qui sacrandus est profiteamini, huic
siasticis viris: et prius quidem, sed præcipue per chartæ subscribere et dogmatibus quæ in ea conti-

nentur exceptis dilationibus consentire. At illi eorum quæ prætendebantur sibi virtute comperta, et quod hac pro causa tanto tempore manere viduam Ecclesiarum principem matrem et urbem coegissent, hanc profecto per hujusmodi suum volentes obtinere commentum. Dum scilicet usque ad eam quoque irrationabiliter extendendam fore novitatem propriam putaverint, ut id pro quo studebant assequerentur, tranquille rationem prosecuti sunt, et quasi condescendentes dixerunt : *Nos quidem super hoc auctoritatem præbere non possumus ; ministerium quidem nobis est creditum, non professionem faciendi præceptum. Illud autem vobis certum reddimus, quod referamus omnia quæ a vobis prætenta sunt, et chartam ipsam ostendamus ei qui consecrandus est, et si judicaverit hanc bene habere, rogabimus annotare huic propriam subscriptionem. Nunc autem ne velitis insperate propterea nobis impedimento fieri, et vim inferre protelando, et nos hic retinendo. Neque enim est qui cuilibet, maximeque in causa fidei, vim possit inferre. In hac enim et nimis infirmus fortis valde consistit, et valde mitis bellator summus invenitur : verbo nempe divino confortans animam, maximis etiam invectionibus magis durus quam dissolutus quodammodo reperitur : quanto magis Romanorum Ecclesiæ et clero, quæ ab olim huc usque, utpote seniori cunctarum quæ sub sole sunt Ecclesiarum, omnibus præest? Hoc certe canonice tam a conciliis et apostoli, quam ab horum summo principatu consecuta, et in sortem adepta, nullis omnino propter pontificatus provectionem scriptis, aut synodicarum editionibus chartarum subjecta, sicut etiam in his omnes ex æquo ei secundum jus sacerdotale subjecti consistunt.* Hæc itaque cum taliter nihil reveriti, sed cum omni sacra decentique fiducia stabiles illi et firmæ revera et immobilis petræ ministri, maximæ videlicet et apostolicæ quæ illic est Ecclesiæ, ad regiæ urbis clericos disputassent, hos sedasse apparuerunt, et ut humiliter ac modeste sentirent prudenter egerunt, sinceritatem et orthodoxiam propriæ fidei ab ipso eis initio cognitam facientes. Illi autem ipsorum admirantes pietatem, hujusmodi factum duxerunt merito recompensandum, et a prætendenda charta cessantes, jussionem in effectum ob episcopatum se suo perducere studio promiserunt. Quam factam accipientes Deo amabiles apocrisiarii, gratulantes remearunt ad propria. Hujus autem chartæ, divinitus honorate Pater, exemplar et mihi quoque transmissum est. Exposita vero ab eis fuerat causa tacendarum in Christo Deo, id est in substantiis ejus, ex quibus videlicet et in quibus est et creditur, naturalium operationum ; et ne de cætero in eo sive una sive duæ penitus prædicarentur. Fatebatur autem solummodo confitendum esse, ex uno eodemque Dei Verbo incarnato Deo decibilia et humana processisse, et in unum eumdemque referenda.

Beatissimo ac celeberrimo Martino

S. NARNIENSIS ECCLESIÆ PRÆSULI

Anastasius exiguus apostolicæ sedis bibliothecarius in Domino salutem.

Quia, cum episcopatus apice præpositura sanctitati tuæ, ob meritum summæ religionis, beati Martini monasterii penes urbem positi, est a summis pontificibus delegata, hortari me visa est, quatenus, quæ apud Græcos reperissem, ex his quæ beato papæ Martino pro fide ac rectis dogmatibus acciderunt, in latinum converterem stylum : quamvis alius sit Martinus, cujus cerneris cœnobio pie præesse, et alius, cujus affectas ad liquidum accidentia nosse. Ille quippe Turonicus, iste vero Romanus fuit antistes. Parui ergo exhortationibus tuis, pater venerabilis, non tam scientia, quam obedientia. Scio namque, dicente Samuele : *Meliorem esse obedientiam quam sacrificium, et auscultare, magis quam offerre holocausta : quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* xv, 22, 23). Igitur malui imperitia quam peccare idololatria. Verum hujus operis media in aliis implicitus ipse non transtuli, sed, ab alio petitu meo interpretata, postmodum in quibusdam correxi. Quia vero, quædam ex Actis beati Maximi monachi ac discipulorum ejus huic operi connexa et continuata reperi, et ipsa quoque, si vita comes fuerit, transferre, Deo præduce, minime recusabo, sanctissime ac reverentissime pater. Data indictione 8, tempore domni Joannis VIII papæ.

Hujus sane initium operis juxta sensus duntaxat virtutem ita se habet.

Unice Nate, Deus, Verbum Patris omnipotentis,
Qui sola pietate volens homo factus haberis,
Et genus humanum patiens in carne piasti,
Auxiliare tegens, salvos fac, erue semper
Tu famulos ubicunque tuos a crimine peste,
Virginis egregiæ precibus genitricis amandæ,
Et duodenorum procerum simul atque piorum,
Cunctorum sine fine decus, via, vita tuorum.

Ex his quæ a Theodoro Spudeo sanctæ Sophiæ scripta sunt sanctis Theodoro et Euprepio germanis fratribus, et regis pistorum principibus constitutis in exsilio Chersonis, super his quæ inique gesta sunt ab adversariis in sanctum et apostolicum, novum re vera confessorem et martyrem Christi Dei nostri, Martinum papam Romanum, priusquam illuc in exsi-

lium mitteretur, cum vi raperetur propter verbum veritatis de apostolica sede.

THEOD. Postquam reversus est in excubitu cum sudoribus quos novit Deus, potui ei scribere ac innotescere omnia quæ de ipso diffamabantur. Cum quibus intuli et alia quædam, quæ implorarent eum, ut nullatenus superaretur a nequam secta impiorum virorum reverens, et tremens ac præ oculis habens naufragium Sergii Cypriorum insulæ archiepiscopi.

Rescribit ergo illa.

Martinus Theodoro sincera affectione dilecto fratri.

Quoniam agnovi, ut potui, ea quæ in scriptis a vobis significata sunt, in paucis verbis exsequar. Cum exirem ab Ecclesia, quæ vocatur Constantiniana, in qua exercitus me cum armis constrinxerat, in præsentia exarchi, ac Theodori cubicularii, seu cleri, clara voce dixerunt: Anathema habeat quisquis dixerit vel crediderit, quia Martinus usque ad unum apicem fidem mutavit, aut mutaturus est: et anathema habeant qui in orthodoxa fide sua usque ad mortem non permanserint. His auditis, Calliopas cœpit rationem reddere, aliam fidem præterquam nos tenemus non esse, neque aliter se credere. Sed hoc, propter eos qui audiebant, non propter fidem, dicebat. Et scire te volo, dilectissime frater, de fide quam significasti, necnon et falsis calumniis quas adversus veritatem proponunt: quia, opitulantibus nobis orationibus vestris ac omnium fidelium Christianorum qui vobiscum sunt, et vivens et moriens salutis nostræ fidem defendam, et quemadmodum beatus Paulus apostolus docet, mihi vivere Christus est, et mori lucrum. De falsis autem accusationibus, quas noviter hæretici faciunt abjicientes veritatem Christi Dei, qualem omnino potuerunt hominibus veritatem loqui, qui Dei veritati resistunt? Tibi igitur reddo rationem, dilectissime frater, per eum qui judicaturus est mundum istum per ignem, qui et reddet unicuique secundum opus suum. Ego aliquando ad Saracenos nec litteras misi, nec quem dicunt tomum qualiter credere debeant, aut pecunias unquam transmisi, exceptis duntaxat quibusdam illuc venientibus servis Dei causa eleemosynæ, quibus et modicum quid præbuimus minime ad Saracenos transmissum. Porro, de domina nostra gloriosa semper virgine Maria quæ Deum et Dominum nostrum Jesum Christum peperit, quam omnes sancti et catholici Patres Dei genitricem appellant, utpote quæ Deum hominem genuit, falsum contra me, imo contra suas ipsorum animas, iniqui viri testificati sunt. Nam quisquis beatam super omnem creaturam et naturam humanam, absque eo qui genitus est ex ea, venerabilem semperque virginem, matrem videlicet Domini nostri non honorat atque adorat, anathema sit, et in præsenti sæculo, et in futuro! Sed homines occasiones quærentes scandala objiciunt ad scandalizandos multos.

Subscriptio. Deus te incolumem custodiat, amantissime fili.

THEOD. Susceptis his, gratias egi Deo, comperiens fortitudinem propositi sanctissimi viri. Anxiabar autem volens discere qualiter sublatus fuerit a sede sua, et non poteram. Quotquot enim super hoc veram responsionem interrogabam, nemo mihi dabat, sed aliter atque aliter. Unde me necessitas compulit innotescere super hoc, et obsecrare illum, quo ab ipso discerem veritatem.

Scribit ergo ad hæc iterum sanctus.

Martinus Theodoro.

Noscere voluit cara vestra dilectio, qualiter de sede sancti Petri apostoli, sicut unus passer solitarius ab ædificio, raptus fuerim. Et miror quia super hoc me inquirere voluisti, cum prædixerit Dominus noster de nequam temporibus istis discipulis suis: *Quia in diebus illis erit tribulatio, qualis non fuit ab origine mundi usque nunc. Et nisi quia abbreviati sunt dies illi, non posset sustinere omnis caro. Sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 21, 22). Hoc in paucis de Antichristo dicitur. Nam et sanctus Paulus secundum datam sibi gratiam Spiritus prænuntiavit dies istos Timotheo discipulo suo, dicens: *In novissimis diebus discedent homines a fide, et a veritate auditum avertent, seipsos amantes, vani* (*II Timoth.* III, 1, 2, etc.). Et, crede mihi, desideratissime fili mi, non videndum tempus aliud, nisi manifeste hoc in quo sint initia dolorum, quemadmodum Dominus prædixit adventum Antichristi. Et mihi breviter dicere necessarium visum est, antequam in toto mundo prævaleat judicium, et finem cursus tradam, hoc mihi expedire arbitratus, quo aliis mala mihi præparantibus exsultem potius quam fleam. Igitur, ut scias qualiter sublatus et ductus sim a Romana urbe, nil falsum audies accidentium. Omnia præscivi, per totum tempus, quæ meditabantur, et, sumpto meipso cum omni clero meo, privatim mansi in ecclesia Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ cognominatur Constantiniana, quæ prima in toto mundo constructa et stabilita est a beatæ memoriæ Constantino imperatore, et est juxta episcopium. Illic enim omnes nos seorsum morabamur a die sabbati, quando Calliopas cum Ravennati exercitu et Theodoro cubiculario introivit civitatem. Misi ergo in obviam ejus quosdam ex clero: quibus susceptis in palatio, æstimavit et me cum eis esse. Cum autem quæsisset, et non invenisset, dixit primis cleri: *Quia nos eum voluimus adorare; sed crastinum, quod est Dominica dies, obvii ei erimus et salutabimus eum, quia hodie non suffecimus.* Porro, Dominico die datis missis in prædicta sancta Dei ecclesia, suspicatus ille turbam multam colligi propter diem nuntiavit hoc: *Quia multum fatigati sumus ex itinere, et non potuimus occurrere hodie, sed cras omnimodis occurremus, et adorabimus sanctitatem vestram.* Ego vero ipse graviter infirmus eram ab Octobrio mense usque ad prædictum tempus, id est usque ad sexto decimo

Kalendas Julias. Ergo feria secunda diluculo mittit chartularium suum, et quosdam ex obsequio suo, dicens : *Quia arma præparasti, et armatos habes intus, et multitudinem lapidum collegisti ad repugnandum : et hoc necessarium non est, nec aliquid tale fieri permittas.* Cumque præsens audissem hæc, necessarium magis non habui, qualiter hos certos redderem, quam mittere illos gyraturos per totum episcopium, et, si arma vel lapidem vidissent, ipsi testimonium perhiberent. Cum autem iissent et nihil invenissent, subintuli eis per verba, quod nunquam aliquando aliter, sed semper per complexionem [a] et fallacem accusationem incederent adversus nos, cum et in adventu infamis Olympii vani cujusdam hominis cum armis me hunc potuisse repellere faterentur. Ego itaque ante altare ecclesiæ lectulum meum habebam in quo jacebam; et nondum transacta media hora, ecce exercitus cum eis veniens in ecclesiam, obumbrati omnes tenentes lanceas et spathas suas, quin et arcus suos paratos una cum scutis suis, et facta sunt illic quæ nec dicenda sunt.

Quemadmodum namque, in hiemali tempore vento valide flante folia ex arboribus concussa cadunt, ita percutiebantur armis candelæ sanctæ ecclesiæ, et retunsæ excutiebantur, in pavimentum, et audiebatur sonitus qui in eadem fiebat ecclesia veluti tonitrus quidam horribilis tam ex pressura armorum quam ex multitudine candelarum ab eis fractarum. Quibus confestim introeuntibus, jussio a Calliopa porrecta est presbyteris et diaconibus, in qua humilitatis meæ abjectio [b] continebatur, quod irregulariter et sine lege episcopatum subripuissem, et non essem in apostolica sede dignus institui, sed omnimodis in hanc regiam urbem transmitti, subrogato in loco meo episcopo. Quod necdum aliquando factum est, et spero quod nec aliquando fieri habet : quia in absentia pontificis, archidiaconus, et archipresbyter, et primicerius locum præsentant pontificis. Dum ergo hæc moventur, quæ de fide gesta fuerant jam manifestavi vobis. Quod autem præparati non fuerimus ad repugnandum, melius judicavi decies mori quam unius cujuscunque sanguinem in terram fundi. Quod quidem et sine periculo hoc gestum est, non paucis, quæ non placuerunt Deo, malis effectis. Eadem itaque hora dedi me ipsum ad exhibendum imperatori, et non resistendum. Porro acclamantibus mihi, ut veritatem dicam, quibusdam ex clero ne facerem hoc, nulli eorum accommodavi aurem, ne subito fierent homicidia. Sed dixi illis : Sinite mecum venire ex clero, qui necessarii mihi sunt, episcopos videlicet, presbyteros, et diaconos, et absolute qui mihi videntur. Respondit Calliopas : Quotquot voluerint venire, cum bono veniant. Nos cuiquam necessitatem non facimus. Respondi ego : Clerus in potestate mea est. Exclamantes autem quidam ex sacerdotibus, dicebant : Cum ipso vivimus, et cum ipso morimur. Post hæc cœpit dicere per se Calliopas, et qui cum ipso erant : Veni nobiscum ad palatium. Nec hoc facere recusavi, sed exivi cum eis in palatium eadem secunda feria. Et tertia feria venit ad me omnis clerus, et multi erant qui se paraverant ad navigandum mecum : qui etiam res suas jam immiserant in ea quæ vocabantur levamenta : et alii quoque nonnulli præparabantur clerici et laici qui festinabant pervenire ad nos. Eadem ergo nocte, quæ illucescit in feria quarta, quæ erat tertio decimo Kalendas Julias, circa horam quasi sextam noctis, tulerunt me de palatio, retrusis omnibus qui mecum in palatio erant, usque ad res diversas, quæ mihi in via et hic erant necessariæ; et non nisi cum sex puerulis et uno cauculo eduxerunt nos ex urbe; et, cum immisissent nos in unum eorum quæ dicebantur levamenta [c], circa horam plus minus quartam diei ad portum pervenimus. In ea sane hora, qua egressi sumus ab urbe Roma, statim ut erant obseratæ portæ, iterum eas obseraverunt et sic remanserunt, ne exirent a civitate aliqua et venirent ad nos in portu, donec illinc navigassemus. Unde necessitas nobis effecta est, ut omnium eorum res, qui in levamenta missi fuerant, in prædicto portu dimitteremus, et mox eadem die moveremur. Et pervenimus Kalendas Julias Mesenam in qua erat navis, id est carcer meus. Non autem Mesenæ tantum, sed et in Calabria, et non tantum in Calabria quæ subdita est magnæ urbi Romanorum, sed et in plurimis insularum in quibus nos vel tribus mensibus peccata impedierunt, nullam compassionem adeptus sum : excepto duntaxat in insula Naxia, quoniam ibi annum fecimus, merui lavari duobus vel tribus balneis, et apud urbem mansi in hospitio quodam. Et ecce quadraginta et septem dies sunt hodie, ex quo non merui calida nec frigida aqua rigare me, et effluxi et refrigui totus, quoniam ventris fluor et in navi et in terra usque ad præsentem horam requiem mihi omnino non dedit : et in ipsa quoque necessitatis meæ hora cum gustaturus sum, totus conquassatus corpore, ea quæ necessaria sunt percipere ad confortandam naturam non habeo, quia quod habeo tædet me sumere, cum id habeam penitus in fastidium. Sed credo in virtutem Dei qui omnia conspicit, quia cum de præsenti vita subductus fuero, exquirentur de his omnibus hi qui me persequuntur, ut saltem sic ad pœnitentiam ducti ab iniquitate sua convertantur.

Subscriptio. Incolumem te custodiat Deus, fili dulcissime!

[a] συμπλοκήν.
[b] ἀποβολή, *ejectio.*
[c] Navigia quædam minora sunt ad navium onera levanda.

***COMMEMORATIO** eorum quæ sæviter et sine Dei respectu acta sunt a veritatis adversariis in sanctum et apostolicum, novum revera confessorem et martyrem, Martinum papam Romæ, per epistolam cujusdam Christianissimi, directam his qui sunt in Occidente, seu Romæ, et in Africa, orthodoxis Patribus.*

Afflictionum mœrores et lacrymas, communemque sine cessatione ac mœstissimam vocem quæ in dolores ex imo cordis prolata est, puto autem quæ et profertur Deo ab his qui sunt Romæ, adhuc autem et in omni loco dominationis ejus degentibus sanctis famulis Dei et fidelibus populis, ex quo facta est persecutio adversus sanctissimum Patrem nostrum, Deo beatissimum, et fidelem sacerdotum principem et apostolicum universalem papam, ac per hoc adversus catholicam Ecclesiam; puto autem hactenus hunc eumdem mœrorem redineri in vobis, et multam sollicitudinem habere vos, scire quomodo peractum est contra eum, quando exsulatus est et persecutione pulsus a Roma navigio usque Byzantium. Hæc in mente habens ego humilis et peccator famulus vester, quædam quidem exterius sollicitudine multa addiscens, plurimorum autem proprie contemplator factus indignus ministerii beatissimi et pretiosi sacerdotis nostri, judicavi litteris reminisci, et nota facere claraque constituere vobis benedictis, atque per vos omnibus fidelibus et zelum habentibus culturæ divinæ : quatenus cognoscentes cum cordis mœstitudine mecum illum propheticum sermonem proferatis : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte* contritiones catholicæ Ecclesiæ et omnium Christianorum, imo perditionem, propter ea quæ acta sunt in beatum et Deo plenum ducem veritatis et prædicatorem. Verumtamen Deo gloria, qui dedit ei virtutem et sufferentiam stabilem in tentationibus quæ supervenerunt ei a contrariis virtutibus et viris, in expugnando et viriliter dimicando pro cultu Dei, irrefragabiliter et spe firma usque ad mortem ponens animam suam, utpote imitator ejus qui eum constituit athletam, Dominus ejus, ad informationem pro veritate dimicare. Ea equidem, quæ inibi Romæ gesta sunt in beatum et adamantinum spiritualem Patrem sacerdotumque principem domnum Martinum, et vos scitis : qualibus periculis luctatus est, videns gladios vibratos et acutos confertos ad invicem, tentos a pluribus militibus paratum habentibus inficere enses et commutare a vita beatum, in circuitu altaris astantibus, et in toto templo catholicæ Ecclesiæ Romæ quæ cognominatur Constantiniana, in qua sacerdotio fungens recubabat in foribus et grabato ipse beatus æger : et quomodo contritus animis, et artubus constrictus, impulsus et expulsus, raptus et extractus ex apostolico throno, in quo Deus eum constituit loco, inspectorem sui apostolum, et præ-

A dicatorem orthodoxum veritatis. Sed vere iste non fecit pretiosiorem animam suam se, sed posuit eam usque ad mortem, imitans, sicut dictum est, Dominum suum dicentem : *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis;* quo salvaret ubique errantem et perditam plebem ab insurgentibus nostris temporibus hæreticis.

Traditus igitur Romæ de catholica Ecclesia sancti Joannis a potentibus hujus sæculi his qui hoc erant ministerio digni ministri, atque custodibus, depositus est ad portum, et conjectus est in lembo, et navigantibus, sicut scitis, euntibusque juxta Avidum [a], in insulam quæ vocatur Naxos, non concesserunt beato illi apostolico viro custodes penitus contingere terram, dolentibus prorsus pedibus ejus, cum ipsi per B loca conferrent et omnino quiescerent. Hi autem qui per loca erant sacerdotes, et cæteri fidales regionis ipsius, dirigebant munera beato illi causa utilitatis ejus, non parvæ multitudinis quantitatis. Quas quidem directas species et quantitates custodes bestiales continuo coram eo diripiebant, improperiosa et amara plurima congerentes in eum. Eos autem qui munuscula detulissent injuriis et verberibus afficientes dimittebant, dicentes ad eos : Quoniam quicunque diligitis istum, inimici estis reipublicæ. Num quidnam hoc solum ei non valebat inferre dolorem incomparabilem super infirmitatem quæ eum ægre deprimebat? Exinde igitur præmittentes ab Avido quemdam custodes qui retinebant eum, nuntiaverunt in Byzantio adventum et captionem ejus, proferentes adC versus eum plurima mala : hæreticum, et rebellem, Deique adversarium proclamantes, et subvertentem universam terram Romanorum. Cumque tandem pervenisset Byzantium beatus ille septimo decimo die Septembrii mensis in portum juxta Euphemiam prope [b] Arcadianon, reliquerunt eum a mane ministri usque in horam decimam recubantem in grabato navis, eratque, sicut scriptum est, spectaculum omnibus angelis et hominibus. Accedebant enim varii homines, quos propter ferales mores lupaces dixerim, et subrogati, ut conjicio, talia contra sanctum papam agebant, qualia Christianis dici non oportet. Morantibus nobis in littore, tota die eram incedens dolore plenus et amaritudine eo quod viderem talem sanD ctum virum ita dejectum; non solum autem, sed et talia eloquia a quibusdam ethnicis prolata contra eum, nihil aliud quærebam, nisi ut auferretur anima mea a me.

Dehinc circa solis occasum venit quidam scriba,

[a] Ἀξουδόν.

[b] *Arcadianon.* Ἀρκαδιανὰ domus Arcadii in nova urbis regione. SIRM.

nomine Sagoleva, cum multis excubitoribus : et auferentes de lembo posuerunt in gestatorio, duxeruntque in custodiam excubitorii, quæ cognominatur [a] Prandearia ; et fecit eum inclausum sub multa custodia, præcipiens excubiti custodibus ut nullus penitus sciret civitatis, quia est in eodem excubitu. Fecit ergo sanctus idem apostolicus clausus, et sine participatione penitus sermonis alicujus, nonaginta tres dies. In ipsa vero nonagesima tertia die, quæ est dies paraseeve, mane tulerunt eum de custodia, constituendum in cella sacellarii jubentes pridie convenire omnem senatum, quod et factum est. Jusserunt autem eum introducendum, et introduxerunt in portatoria sella : erat enim penitus æger, præcipue autem illis diebus præ navigatione et afflictione custodiæ per tot dies effectæ. Intendens autem in eum primus, qui præsidebat sacellarius cum reliquis principibus a longe, jussit eum surgere a ferculo, et stare. Aientibus quibusdam ministrorum non valere eum stare, turbatus præ multa ira sacellarius exclamavit, cum eo autem et quidam de custodia, surgere eum et astare censuræ subnixum hinc inde : quod et factum est. Sacellarius autem inquit ad eum : *Dic miser, quid tibi mali intulit imperator? tulit a te aliquid? oppressit te vi?* Ille autem tacebat. Tunc ait ad eum sacellarius imperativa voce : *Non respondes? Ecce nunc ingredientur accusatores tui.* Et continuo cum sermone introducti sunt plurimi accusatorum contra eum. Omnes autem erant mendacii filii et discipuli eorum qui Dominum nostrum Jesum Christum necaverunt. Contradicebant vero sancto viro, quemadmodum præmoniti fuerant. Erant enim voces eorum præmeditatæ et præparatæ. In quibus quidam eorum, paulo ante interrogati ut testimonium perhiberent, tentabant dicere veritatem, sicut mos est : et continuo turbati qui prætendebant certamen hoc, incipiebant validis minis increpare eos, donec suaderent eis proferre quæ erant convenientia in mortem beati et justi viri. Contemplatus sanctus papa introeuntes testificari, subridens dixit : Isti sunt testes? sic habet ordo? Erant enim primi ingredientes, nomine quidem milites, lupaces autem et bestiales sententia ; et quidam eorum qui erant Olympii, cum quibus erat et Andreas qui fuerat ejus notarius.

Erant autem inter accusatores infelices Imeritus, et Therinus et reliqui numero quasi viginti, primores milites et reliqui accusantes. Jurabant autem ad sancta Evangelia, et sic testificabantur. Primicerius sane omnium accusantium erat Dorotheus patricius Ciliciæ, qui jurans dixit, quoniam quinquaginta capita si haberet, non oporteret eum vivere eo quod solus subvertit et perdidit universum Occidentem, et delevit, et revera unius consilii fuit cum Olympio, et inimicus homicida imperatoris et Romanæ [b] urbanitatis. Videns ergo justus vir introeuntes eos et jurantes sine parcitate testificatores, compassus perditioni animarum eorum, ait ad eos qui præsidebant principes : *Obsecro vos per Deum, nolite præparare eos et jurare, sed absque sacramento dicant, quæcunque volunt, vosque facite quæcunque vultis. Et quid opus est etiam jurando perdere illos animas suas?* Ingresso equidem uno testium, et dicente quoniam conjurationes fecit cum Olympio, et milites præparavit ut jurarent ; interrogatus Deo pretiosus vir, si hæc ita se haberent, respondit : *Si vultis audire veritatem, dico vobis sequentia.* Et cœpit dicere : *Quando factus est Typus, et directus Romam ab imperatore.* Et, hoc tantum dicente beato illo, aliud quid non concessum est loqui. Sed continuo ante omnes incipiens cum clamore Troilus inquit : *Non inferas nobis hic de fide ; de duellio nunc scrutaris, quoniam et Romani, et nos Christiani sumus et orthodoxi.* Et respondit idem vir justus : *Utinam! Verumtamen invenietis me in illa die tremendi examinis testem etiam in hoc.*

Denuo inter accusantes testes, ait ad eum præfectus Troilus : *Qualis homo es tu, quoniam cernens et audiens talia contra imperatorem nitentem effodiendum Olympium non prohibuisti eum, sed e contra consensisti ei?* Ad quem continuo dixit ipse beatus apostolicus papa : *Dic, domine Troile : quando, sicut scitis etiam vos, et nos audivimus, Georgius a magistratibus, qui erat ex monachis, ingressus est huc in urbem a castris, et talia verba locutus est fecitque res tales ; ubi eras tu et qui sunt tecum, quoniam non restitistis ei, sed e contra concionatus est vobis, et quos voluit Palatii exsulavit et prohibuit? Iterumque sub Valentino, cum præcepto imperatoris indutus est purpura et consedit ei, quo ieratis vos? Non eratis hic? Cur ergo non prohibuistis eum dicentes : Non attingas res non opportunas tibi? Nonne omnes e contra convenistis ei? Quomodo habebam ego tali viro adversus stare, habenti præcipue brachium universæ militiæ Italicæ? An potius ego illum feci exarchum? Verumtamen, denuo obsecro vos per Dominum, quodcunque vultis et definitis fieri in me, citius explete. Novit enim Deus, maxima mihi dona tribuistis, quacunque me clade jugulaveritis.* Percontatus autem quemdam de ministrantibus, Sagolebam videlicet, sacellarius, si sunt foris alii aliqui, qui debeant testificari? respondit scriba : Sunt, domine, plurimi alii. Deficientes autem hi qui præsidebant, sancto et venerabili astante viro in conspectu eorum, et potissimum Spiritu eum sancto firmante, dixerunt sufficere testes. Erat quippe interpres eorum, quæ a Sancto dicebantur, verborum, Innocentius consul filius Thomæ, qui erat ab Africa : et, cum interpretaretur ea quæ a beato viro dicebantur, non ferebat, videns ignita jacula sancti Spiritus a Deo honorabili viro contra eos prolata. Ait ad Innocentium cum furore : Cur nobis interpretaris quæ dicit? Noli dicere quæ dicit.

Surgens ergo continuo sacellarius cum plurimis

[a] *Prandearia.* Πρανδιάρα. Vide Chronicon. Paschale pag. 308; et Constantinop. Christ. Ducangii, lib II, sect. 6, num. 1, pag. 138. Id.

[b] πολιτείας, *reipublicæ.*

qui consederant ei ingressus est nuntiare imperatori quæque ipse voluit. Eduxerunt autem sanctum apostolicum virum de cella judicii, magis autem ex aula Caiphæ, in gestatorio sedili sedentem, et statuerunt eum in medio atrii quod erat ante cellam sacellarii, et imperialis stabuli, quo consueverat omnis populus convenire et exspectare sacellarii ingressum. Circumdederunt eum excubitores, eratque omnibus spectaculum formidabile turbis. Post paululum ergo, jusserunt inferri eum in solarium expositionis, ut esset ibi quatenus prospiceret imperator per cancellos triclinii sui ea quæ futura erant fieri. Erat itaque multitudo populorum usque ad hippodromum conferta convenientium illic. Statuerunt ergo reverentissimum virum in medio solarii dispositionis, præsentia totius senatus subnixum hinc et inde. Facta est ergo constipatio subito non minima, et exiens ab imperatore sacellarius apertis januis triclinii in solarium dividere universum populum jussit. Veniensque ad sanctum ac venerabilem virum Martinum apostolicum, dixit ad eum : *Vide quomodo Deus te duxit, et tradidit in manus nostras. Tu nitebaris contra imperatorem : quid tibi spei erat? Ecce dereliquisti Deum, et dereliquit te Deus.* Et continuo exclamans sacellarius quemdam astantium excubitorum tonsorem, præcepit sine mora auferre psachnion [a] summi et apostolici atque præcipui pastoris omnium Christianorum, qui orthodoxam sanctorum Patrum et synodorum confessionem, hoc est fidem confirmavit, et novi erroris exortos auctores, novos videlicet hæreticos, cum impiis dogmatibus eorum canonice et synodice anathematizavit. Cum ergo incidisset psachnion beati viri excubitor, et corrigiam campagiorum ejus, statim tradidit eum sacellarius præfecto urbis, dicens : *Tolle eum, domine præfecte, et continuo membratim incide illum.* Cum his autem omnibus jussit astantibus anathematizare eum, quod et fecerunt. Non responderunt autem hujuscemodi voci viginti virorum animæ. Sed omnes quique hoc ipsum videbant, et sciebant quia est Deus in cœlo conspector eorum quæ fiebant, dimisso vultu cum multa mœstitudine recedebant tribulati. Suscipientes ergo eum carnifices exuerunt exterius ejus pallium sacerdotalis stolæ, et scindentes alas tunicæ quæ erat interius a summo usque deorsum circumposuerunt ferrea vincula in sanctam ejus cervicem, et per omne corpus ejus trahentes eum vi, non concesserunt penitus ei alicubi residere et animam refocillare, sed a palatio duxerunt eum publicantes et dehonestantes per medium civitatis ad prætorium, et gladius coram eo.

Erat autem dolor magnus beato illi, et inenarrabilis : oppido enim erat fessus et infirmus, præ tantis incommodis futurus relinquere animam a pressura passionum et tenuitate corporis. Attamen gaudens spe confortabatur in Domino : et, quo magis eum afflictione et vi trahebatur, eo sereno obtutu ductus cum multa constantia animæ justus, cum uno solummodo indumento a summo discisso in duas partes, et sine cinctorio sequebatur, adeo ut interiora ejus quodammodo nuda panderentur, et multifaria quidem continuo populorum, conspectis quæ fiebant, gemebant, ut veritatem dicam, et lacrymabantur. Pauci autem ministrorum satanæ gaudebant et subsannabant, et capita transeuntes, sicut scriptum est movebant, dicentes : *Ubi est Deus ejus, et ubi fides ejus, et ubi doctrina ipsius?* Qui cum venisset in prætorium dehonestatus et a carnificibus vinculatus cum gladiis, conjecerunt eum in unum carcerum cum homicidis, et post unam quasi horam tulerunt eum inde, et transposuerunt in eam, quæ dicitur Diomedis custodia, in prætorio Præfecti. Tanta autem instantia et vi trahebant eum vinculis nexum ut dilaniarentur crura et poplites ejus, et sanguis efflueret per ascensum scalæ ejusdem custodiæ. Sunt enim scopulosi, et asperi valde ac penitus in altum porrecti gradus. Erat autem ipse beatus præsentis vitæ proximus jam carere suppliciis, anima deficiente etiam ante gladium, cum jam non valeret conscendere cum se trahentibus. Introducentes ergo eum, quomodocunque in custodiam decidentem sæpius et surgentem, posuerunt in scamno indutum calibis et catenis. Tunc enim, quando traditus est a Caipha Pilato ut crucifigeretur, hoc est a præfecto, continuo cum exuerent eum carnifices, graviter algoribus vexabatur : erat enim intolerabilis hiems. Imposuerunt ei gravissima ferri pondera, et nullus aderat ei hominum ejus proprius, excepto uno solummodo clerico adolescente : quique commanens ei in custodia, et superstans lamentabatur magistrum, sicuti Petrus.

Erat etiam convinctus magister custodiæ eidem beato, quoniam sic erat mos, ut futurus pati per gladium convinciretur magistro custodiæ. Erant ergo duæ mulieres, genitrix et nata, prænominatæ custodiæ claves tenentes, quæque aspicientes importabilem dolorem sancti illius qui inter tot pœnarum genera quæ aderant, algore quatiebatur durissimo : motæ compassionibus quærebant aliquam exhibere misericordiam cum eo, et contegere eum, sed non audebant propter convinctum et custodientem carnificem. Putabant enim actutum venturam censuram ut trucidaretur. Post quasdam vero horas, cum vocassent quidam ab imo ex ordine militari magistrum vigiliæ carnificem, descendente eo, una mulierum ergastulorum illorum pietatis viscere ducta, accedens amplectensque bellatorem Christi, et apostolicum patrem, portansque reclinavit eum in proprio toro suo, contegens utiliter et involvens. Mansit autem usque ad vesperum sine voce. Vespere autem facto, misit ad eum Gregorius Præfectus Eunuchus ex cubicularibus majorem domus suæ cum parvis cibariis, qui refecit eum, dicens : Ne deficias in tribulationibus, confidimus in Deum, non morieris. In quo magis aggravatus ille beatus in-

[a] Hoc est pallium vel peram. Vide Baron. ad ann. 651, num. 10, qui cum aliis legit *psachnon*.

gemuit. Abstulerunt autem ferrea vincula continuo ab eo.

Sequenti vero die abiens imperator in Patriarchium visendi gratia Paullum patriarcham (proximus enim erat morti) narravit ei quæ consummata sunt in sanctissimum virum. Ingemiscens vero Paullus, et conversus, ad parietem dixit : Hei mihi! et hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum est. Percontatus autem ab imperatore quamobrem hoc dixerit, respondit : Numquidnam, domine, non est miserabile talia pati pontifices? Tunc attentius adjuravit Imperatorem, sufficere ei in his quæ passus est, nihilque amplius sustinere. Unde audiens beatus ille ac apostolicus vir, quod non suscepit quod exspectabat, non gratum habuit tale promissum, sed penitus mœstus effectus est. Festinabat enim explere bonum certamen, et abire ad eum quem desiderabat. Interea defuncto Paullo, et Pyrrho residere nitente, atque quibusdam Ecclesiæ contradicentibus et prohibentibus, libellumque ejus publicantibus in palatio, asserentibusque quoniam et a beatissimo Paullo anathematizatus est : Pyrrhus reprobatus est sacerdotio propter libellum quem fecerat Romæ.

Et multa commotione facta, post dies octo defuncto Paullo, dirigitur ab imperatore ad Diomedis custodiam ad magnanimum papam Demosthenes rescriptor et collaborator sacellarii, et Libellifilus cum eo. Intrantes vero, dixerunt ad eum : Dominator noster eximius imperator misit nos ad te, dicens : Ecce in quanta gloria prius consistens, in qualem ordinem te ipsum duxisti! nemo tibi fecit hoc, sed tu ipse tibimetipsi. Ipse autem nihil aliud respondit, nisi solum hoc : Gloria et gratiarum actio per omnia soli immortali Regi. Dicit ad eum Demosthenes rescriptor : Significavit tibi dominator, dic nobis ea quæ de Pyrrho expatriarcha hic et Romæ subsequenter gesta sunt. Pro qua causa abiit Romam : jussus, an proprio proposito? Respondens sanctus papa dixit : Proprio proposito. Ait Demosthenes : Libellum illum quomodo fecit? compellente aliquo? Respondit sanctus vir : Nemine, sed propria propositione. Demosthenes inquit : Veniente Pyrrho Romam, quomodo suscepit eum sanctus vir Theodorus decessor tuus papa? uti episcopum? Respondit æquanimis papa, et quomodo non? qui prius quam veniret Pyrrhus Romam, manifeste scripsit huc, hoc est beatus Theodorus, ad Paullum, utpote ad eum qui indecens fecerit, et alterius thronum invaserit. Deinde autem sponte sua eodem Pyrrho veniente Romam ad vestigia beati Petri, quomodo non haberet eum suscipere præcessor meus, et honorare, utpote episcopum? Respondens Demosthenes dixit : Vere veritas sic se habet. Unde autem sumebat ea quæ ad usum sui corporis erant necessaria? Dicit beatus : Manifeste de Patriarchio Romano. Ait concertator : Qualis panis dabatur ei? Respondit honorabilis vir : Vos domini mei, nescitis Ecclesiam Romanam? Dico enim vobis, quia quisquis venit illuc miserabilis homo hospitari, omnia ad usum præbentur ei, et nullum immunem suis donis sanctus Petrus repellit venientium illuc : sed panis mundissimus et vina diversa dantur non solum ei, sed hominibus ei pertinentibus. Si ergo in miserabilibus hominibus hæc fiunt, qui venit etiam honorabilis sicut episcopus, qualem sumptum habet suscipere? Dicit ad eum Demosthenes : Nos didicimus, quia vi fecit libellum Pyrrhus Romæ, et quia lignea vincula sustinuit, et multa dolenda passus est. Respondit vir ille beatus, et dixit : Nihil tale factum est. Nam nisi quia formidine aliqui tenentur, non possunt forte loqui veritatem. Hic sunt Constantinopoli plurimi, qui tunc erant Romæ, et sciunt quæ ibi gesta sunt. Ex quibus interim superest Plato Patricius, qui tunc Exarchus erat, quippe direxit homines suos tunc ad Pyrrhum Romam : percontamini eum de his si mentior. Verumtamen, quid volumus plurima quærere? Ecce in manibus vestris retinetis me, et quodcunque vultis consummate in me : Deo indulgente in vestra est potestate. Utique si membratim inciditis carnes meas, sicuti præfecto jussistis cum me traderetis, non communico Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Ecce hic sum, examinate me, et tentate, et invenietis experimento gratiam Dei, et fidelium servorum ejus. Iterum Pyrrhus in medium venit, qui toties anathematizatus et nudatus est divino honore. Stupefactus autem Demosthenes rescriptor, et admirans super hac voce æquanimis papæ audaciam atque constantiam pro Christo in morte sua, equidem ad hoc positus erat calix passionis. Similiter et hi qui consequentes erant ei stupentes, accepto libellario seriatim cuncta dicta a beato viro, conscribentes recesserunt.

Fecit ergo reverentissimus papa in eodem Diomedis ergastulo octoginta quinque dies post primas nonaginta tres; hoc est omnes simul CLXXVIII. Venit igitur Sagoleba scriba, dicens, quia jussus sum auferre te hinc, et transferre in domum meam, et post dies duos dirigere te quo jusserit mihi sacellarius. Interrogante autem papa quo ducendus esset, vel in quem locum, noluit ei dicere. Rogabat ergo sanctus ille, ut sineretur in eadem custodia, quousque exsularetur, et ad horam auferretur de custodia : et nec hoc concessum est ei. Sed circa occasum solis dicit venerabilis papa his qui erant in ergastulo : Accedite, fratres, vale faciamus; quia ecce nunc aderit qui auferat me hinc. Et hæc, dicente eo, hauserunt singuli calicem. Et surgens sereno vultu cum multa constantia atque gratiarum actione dicit ad unum concurrentium sibi dilectum, qui erat ibi : Veni, domine frater, et da mihi pacem. Erant porro præcordia fratris illius, sicut mihi ipse referebat in illa hora, qualia ut conjicio discipuli illius contemplantis Dominum in cruce. Non valens ergo, ut aiebat, cohibere seipsum, vocante eum beato ad osculum, irruit frater ut leo. Cum eo autem inibi præsentes omnes lamentabantur terribili lamento. Anxiatus ia

hoc vir beatus flagitabat omnes ne ita facerent, A sereno obtutu dicens. Et, impositis venerabilibus manibus super verticem ejus, subridens ait : Bona sunt hæc, domine frater, hæc sunt opportuna, et te oportet ita facere? hæc sunt pacis? cum e contra nunc debeas gaudere super me. Ad quem illico cum contritione cordis respondit frater : Deus novit, famule Christi. Lætor in gloria qua dignatus est Christus Deus noster propter nomen suum hæc te omnia pati : sed lamentor omnium perditionem. Salutantes ergo omnes eum recesserunt. Veniens igitur continuo scriba et auferens eum intulit in domum suam. Dictum est ergo, quia in Chersonam exsulatur : et post dies aliquot cognovimus, quia illuc clanculo navigio transvectus est ipse sanctissimus apostolicus vir. Veniens ergo illuc B post dies aliquot scripsit epistolam in Byzantium ad quemdam sibi charissimum, ex illis videlicet qui hunc propter Dominum et ob rectam fidem ejus amabant.

Cum esset in magna tribulatione et exsilio idem sæpe dictus Pater noster sanctissimus constitutus, postulans aliquarum specierum subsidia propter multas et frequentes, gravesque ægrimonias corporales, angustiasque omnimodas regionis illius, eo quod nihil ibi inveniretur, præcipue triticum, quod quidem illic nominabatur, non autem inveniebatur. Unde cum jurejurando scripsit, quia navicula illo veniente, et parum tritici habente ad commutationem salis, vix potuerit emere ex eo unum tritici C modium quatuor solidis, cum multis et hoc precibus. Diversas autem angustias scripsit sancta ejus anima pati se ibi, non solum corporalibus angustiis, sed etiam habitantium et dominantium ibi malis oppressus, ita ut penitus contritus male pejus moreretur, suasione videlicet dominantium in Byzantio. Quamobrem, quæso vos, ego humilis et peccator famulus vester, a Deo honorabiles Patres, ut quemadmodum ego visa mihi et audita diligentissime declaravi vobis, hoc est imminentes tentationes beatissimo papæ, propter rectam confessionem in Christo Domino, et propter anathematismum in novos factum hæreticos, quanquam ex multis parva, tamen quæ potui dirigere scripsi : ita et vos zelum habentibus culturæ Dei, explicate eadem, et hortamini imitari eum, et traditiones sanctorum Patrum retinere D secundum imitationem ejus, et non communicare omnino contraria sentientibus. Obsecrantes etiam pro me indigno famulo qui scripsi, quo cum eo et vobiscum inveniam misericordiam a Christo Deo nostro in sæcula. Amen.

Obiit autem idem sanctissimus ter beatus apostolicus Martinus papa, recens revera confessor et martyr Christi Dei nostri in eadem exsulatione Chersonæ, juxta ejusdem ad Dominum Deum petitionem, quam obtulit ei cum lacrymis, exiens de navi, et calcans terram illam, id est ut in ea finiret vitam, bonum certamen certans, cursum martyrii consummans et bonam fidem servans, mense Septembrio, die sexta decima, in qua felicissimæ martyris et fidem custodientis orthodoxam Euphemiæ, pretiosissima et beatissima, secundum anni circulum, celebratur memoria, indictione quarta decima. Positus est autem in tumulis sanctorum extra muros Chersonitarum civitatis quasi stadio uno, in pretiosissimo et reverendissimo templo sanctissimæ et præ omnibus sanctis colendæ, castissimæ et immaculatæ, perbenedictæque gloriosissimæ et excellentissimæ omnium creaturarum, gratia plenissimæ, gaudium facientis et tribuentis dominæ nostræ, proprie natura et veritate solius Dei genitricis, semper virginis Mariæ, quæ cognominatur Blachernes : factus typus imitabilis omnibus, qui bene vivere et decertare elegerint et voluerint, pro ea, quæ verissima est, veritate. Cujus virginis cujusque confessoris intercessionibus, Christus verus Deus et Salvator noster, qui ineffabiliter et sine semine ex ea processit propter genus humanum, custodiat et conservet nos et omnes fideliter audientes, omnemque populum quem acquisivit in sinceritatem fidei et conversationem, in pace, et dilectione perfecta, et omni justitia usque in finem. Cui est cum Deo Patre et Spiritu sancto in deitate una substantia, æquus honor, virtus eadem, sine tempore regnum, semper principium, sceptrum juge, gloria perpes, majestas similis, per infinita sæcula. Amen.

Habet autem se prædicta epistola ejusdem sanctissimi et apostolici papæ sic.

Indicamus germanæ charitati vestræ, domine frater, quia postquam egressi sumus ex eo quod Ivon dicitur a Constantinopoli, navigantes sancta quinta feria cœnæ Domini pertransivimus Pharum, per diversa loca transmeantes Idibus Maiis, et Chersonem pervenimus. Ergo gerulus harum, qui præsentem vobis tradit epistolam, post triginta dies post nos a partibus Byzantii venit Chersonem. Et gavisi sumus super adventum ipsius, æstimantes quod expensæ missæ nobis ab Italia essent in terram hanc, quæ deberent nos eo veniente consolari. Et cum interrogassemus, cognovimus ab eo quod nihil huc detulerit ab Italia : et miratus sum, et glorificavi Deum meum etiam in hoc, quoniam, sicut scit, tribulationes nostras dispensat, maxime cum fames in hac terra et necessitas talis esset, ut panis in ea tantum nominetur, non tamen penitus videatur. Quoniam nisi mittantur nobis ex partibus illis sumptus, vel a partibus Ponti, hic vivere omnino nequimus. Spiritus enim promptus est, caro vero infirma, ut etiam ipse nosti. Neque enim dispensatio quævis potest in hac terra ullatenus inveniri in solatium saltem modici sumptus. Si ergo, ut dictum est, transmissum fuerit illinc frumentum et vinum, aut oleum et alia quædam quoquo modo, festina, prout potueris, mittere nobis. Neque enim hujuscemodi mala, ut reor, ostendi sanctis, qui ibidem sunt, vel his qui sunt Ecclesiæ illius, ut usque adeo mandatum Do

mini parvipenderent : præsertim cum Apostolus Philippensibus scripsit, gratias agens eis quod et Thessalonicam et semel et bis in usum sibi miserint, ubi et subdit : *Habeo autem omnia, et abundo.* Si enim peregrinos illic, id est Romæ, ita reficit sanctus Petrus, quid dicemus de nobis, qui proprii servi ejus sumus, et saltem ad momentum ministravimus ei, et in tali exsilio et afflictione consistimus? Cognitionem autem feci ad dilectionem vestram quarumdam specierum, quæ comparari debent illic : et horum, quæso te, more solito curam habeto, ut nosti, ad emendum et mittendum nobis propter multas necessitates nostras et frequentes infirmitates.

Exemplar alterius epistolæ.

Omne desiderium habemus semper litteris nostris charitatem vestram consolandi, et relevandi vos a sollicitudine quæ vobis de nobis est; vobiscum vero et omnes sanctos et fratres nostros, qui curam nostri propter Dominum gerunt. Ecce et impræsentiarum scribo vobis, quæ coarctant nos. Veritatem dico in nomine Christi Dei nostri. Remoti enim ex omni mundana turbatione, et depositi a peccatis nostris, ecce et ipsa vita caruimus. Siquidem hi, qui in hac regione habitant, omnes gentiles existunt, et gentiles mores acceperunt hi, qui hic habitare noscuntur, nullum charitatem prorsus habentes, quam jugiter hominum natura et inter ipsos quoque barbaros crebra compassione demonstrat. Novit itaque Deus, nisi ex naviculis, quæ veniunt ex partibus Romaniæ, ut hi qui hic sunt nuncupant, partes videlicet Græcorum Ponticas partes vocantes. Nam nec semel de regione ista usque ad unum trimisium [a] frumentum potui comparare : sed nec alterius cujuscunque generis speciem, nisi, ut prædictum est, ex naviculis quæ huc raro veniunt, ut sale onustæ recedant. Sic potuimus emere tres vel quatuor modios numismate, usque ad præsentem Septembrium mensem. Usque nunc vero non potuimus de novis geniminibus emere, nisi uno numismate modios quatuor. Miratus sum autem, et adhuc miror indiscretionem et compassionem omnium qui quondam mihi pertinebant, et amicorum meorum ac propinquorum, quia sic funditus infelicitatis meæ obliti sunt, et nec scire volunt ut invenio, sive sim super terram, sive non sim. Miratus quoque multo magis sum in eos, qui sunt sanctissimæ apostoli Petri Ecclesiæ, quoniam tantam dederunt operam de corpore ac membro suo, id est, super dilectione nostra, ad reddendos nos sine sollicitudine, saltem super corporali usu, quotidianoque sumptu. Nam etsi aurum Ecclesia sancti Petri non habet, frumento tamen et vino, et aliis necessariis expensa non caret per gratiam Dei, ut modicæ saltem exhibitionis curam gessissent. Qualem putas conscientiam habemus exhibendi ante tribunal Christi accusantibus omnibus tunc et rationem reddentibus hominibus, qui ex eodem luto et massa consistunt? Quæ formido est, quæ cecidit super homines ad mandata Dei minime facienda, aut timor ubi non est timor? An subtractione usque adeo nos spiritus maligni operiunt? An ita inimicus omni plenitudini Ecclesiæ apparui, et adversarius illis? Verumtamen Deus, qui omnes vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, per intercessiones sancti Petri stabiliat corda eorum in orthodoxa fide, et confirmet contra omnem hæreticum et adversariam Ecclesiæ nostræ personam, et immobiles custodiat, præcipue pastorem qui eis nunc præesse monstratur : quo in nullo prorsus decidentes, vel declinantes, aut dimittentes eorum quæ in conspectu Domini et sanctorum angelorum ejus in scriptis professi sunt, usque ad pusillum quidpiam, una cum humilitate mea coronam percipiant justitiæ orthodoxæ fidei de manu Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi. De humili namque hoc corpore meo et ipsi Domino cura erit, ut sibi gubernare placet, sive in tribulationibus indesinentibus, sive in modico refrigerio; Dominus enim prope est, et quid sollicitus sum? Spero quippe in miserationes ejus, quod non tardet modo finire meum, quo jusserit, cursum. Omnes vestrates propter Dominum salutate, et omnes qui pro Dei amore meis compassi sunt vinculis. Deus excelsus potenti manu sua protegat vos ab omni tentatione, et salvet in regnum suum.

Ea ergo quæ scripta sunt a beatissimo apostolico ad charissimum suum.

Igitur saltem nunc, quando a sanctitate ipsius commoniti sumus, festinemus singuli qui diligimus Dominum, et habemus æmulationem erga sanctos ejus, qui usque ad mortem in fide catholica permanserunt : et saltem ex parte reficiamus eum, et compatiamur ei, ministrantes illi ex his quæ Dominus unicuique nostrum donavit, ut et communicatores in Domino claritatis ejus efficiamur. Non autem hæc aio, quoniam summus sacerdos noster fuit, sed quia incruentum Christo Deo pro salute animarum nostrarum in ecclesia vestra sacrificium obtulit, et tantum illuminavit populum, confessor et prædicator veritatis effectus. Æstimo sane quod certificari etiam irrationabilia debuerint animalia (quanto magis vos rationabiles et sensati?), quod omnia, quæ in eum facta sunt, ob rectam fidem ejus effecta sint, et hæreticorum ablicationem. Et hoc non aliunde, nisi quia pertinaciter adversarii perdurantes nullo modo flecti, vel ad lucem veritatis converti, sed et validioribus afflictionibus et tribulationibus afficiebant, a custodia in custodiam, ab exsilio in exsilium, eos qui circa monachum Anastasium erant, qui a tempore multo hic propter Christum de loco in locum tractus afflictus est. Simili modo et domnum Maximum, et discipulum ejus. Nunquid et isti rebelles sunt? Cæterum, de Pyrrho sciendum est, quoniam postquam certi facti sunt a ter beato apostolico, ac Platone, quod sponte fecerit libellum suum, locaverunt eum in throno isto : quanquam Deus statim

[a] Hoc est tremissem, nempe tertiam solidi partem.

justo judicio suo deleverit cum de libro viventium. Similiter autem et novus præsul, ut comperimus, Pyrrhum et prædecessores ejus, beatos Patres et sanctos vocavit. Ut ergo scientes, dilecti, quia terribilem judicem habemus, qui venturus est judicare cogitationes et actus nostros, et exquirere rectam fidem suam, sapientiam fortem et stabilem, sicuti suscepimus in Domino teneamus cum patientia A multa. Sanctos quoque Patres nostros, saltem ut unum ex egenis, singuli secundum vires reficiamus, et consolemur tribulationes eorum. Et quidem de sanctissimo et famulo Christi Dei nostri apostolico dicta sint. De cætero vero necessarium duxi, etiam de divinitus honoratis et illustratis Patribus nostris et concertatoribus ejus dilectioni vestræ significare.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ ΤΗΣ ΚΙΝΗΣΕΩΣ

Γενομένης μεταξὺ τοῦ κυροῦ ἀββᾶ Μαξίμου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, καὶ τῶν ἀρχόντων, καὶ Σεκρίτου.

Τῇ ἡμέρᾳ ᾗ προσωρμίσθησαν ταύτῃ τῇ βασιλευούσῃ πόλει, ὅ, τε κύριος Μάξιμος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ περὶ δυσμὰς ἡλίου, ἐλθόντες δύο μανδάτωρες μετὰ δέκα ἐκσκυβιτόρων, ἐπῆραν αὐτοὺς ἐκ τοῦ πλοίου γυμνοὺς καὶ ἀνυποδέτους. Καὶ μερίσαντες αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, ἐφύλαξαν εἰς διάφορα ἐκσκούβιτα, καὶ μεθ' ἡμέρας τινὰς ἀναφέρουσιν αὐτοὺς ἐν τῷ παλατίῳ, καὶ εἰσάγουσι τὸν γέροντα, ἐν ᾧ τόπῳ συνάγθη ἡ σύγκλητος, καὶ πολὺς ὄχλος· καὶ παριστῶσιν αὐτὸν μέσον τῶν ἀρχόντων καθημένων. Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ σακελλάριος μετ' ὀργῆς πολλῆς καὶ μανίας· Χριστιανὸς εἶ; καὶ εἶπε, χάριτι Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων, χριστιανός εἰμι. Καὶ λέγει ἐκεῖνος, οὐκ ἔστιν ἀληθές. Ἀπεκρίθη ὁ δοῦλος B τοῦ Θεοῦ· Σὺ λέγεις, οὐκ εἰμι, ἀλλ' ὁ Θεὸς λέγει εἶναί με, καὶ διαμένειν χριστιανόν. Καὶ πῶς, φησίν, εἴπερ χριστιανὸς εἶ, μισεῖς τὸν βασιλέα; Ἀπορριθεὶς ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος, ἔφη· Καὶ πόθεν δῆλον; τὸ γὰρ μῖσος, ψυχῆς ἐστὶ κεκρυμμένη διάθεσις, ὥσπερ οὖν καὶ ἡ ἀγάπη. Καὶ λέγει αὐτῷ· Ἐξ ὧν ἐποίησας, πᾶσιν ἐγένου φανερὸς, ὅτι μισεῖς τὸν βασιλέα, καὶ τὴν πολιτείαν αὐτοῦ, σὺ γὰρ μόνος Αἴγυπτον, καὶ Ἀλεξάνδριαν, καὶ Πενταπόλιν, καὶ Τρίπολιν, καὶ Ἀφρικὴν Σαρακηνοῖς παρέδωκας. Καὶ τίς τούτων ἀπόδειξις, ἔφη; Καὶ παραφέρουσιν Ἰωάννην τὸν γενόμενον σακελλάριον Πέτρου τοῦ γενομένου στρατηγοῦ Νουμηδίας τῆς Ἀφρικῆς λέγοντα, ὅτι πρὸ εἰκοσιδύο ἐτῶν ὁ πάππος τοῦ δισπότου ἐκέλευσε τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ λαβεῖν στρατὸν, καὶ ἀπελθεῖν εἰς Αἴγυπτον κατὰ τῶν Σαρακηνῶν, καὶ ἔγραψέ σοι ὡς πρὸς C δοῦλον τοῦ Θεοῦ λαλῶν, πληροφορίαν ἔχων εἰς σὲ ὡς ἄγιον ἄνθρωπον, εἰ συμβουλεύοις αὐτῷ ἀπελθεῖν. Καὶ ἀντέγραψας αὐτῷ, λέγων, μηδὲν τοιοῦτο ποιῆσαι, ἐπειδὴ οὐκ εὐδοκεῖ ὁ Θεὸς ἐπὶ τῆς βασιλείας Ἡρακλείου, καὶ τοῦ γένους αὐτοῦ, συμπραχθῆναι τὴν πολιτείαν τῶν Ῥωμαίων. Λέγει ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ· Ἐὰν ἀληθεύῃ, πάντως ἔχεις καὶ τὴν πρὸς ἐμὲ Πέτρου, καὶ τὴν ἐμὴν πρὸς αὐτὸν ἐπιστολήν; παρενεχθῶσι, καὶ ὑπόκεινται ταῖς δοκούσαις τῷ νόμῳ ποιναῖς. καὶ λέγει· Ἐγὼ οὐκ ἔχω ἐπιστολὴν, ἀλλ' οὔτε οἶδα. εἰ ὅλως ἔγραψέ σοι. Ἀλλ' ἐν τῷ φοσάτῳ ταῦτα κατ' ἐκεῖνον ἐλάλουν πάντες τὸν καιρόν. Λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· Εἰ τὸ φοσᾶτον ὅλον τοῦτο διελάλει, πῶς σὺ μόνος τοῦτο συκοφαντεῖς με; θεώρησάς με πότε, ἢ ἐγώ σε. Καὶ λέγει, οὐδέποτε. Τότε στραφεὶς πρὸς τὴν σύγκλητον ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος, εἶπεν· Εἰ δίκαιόν ἐστι τοιούτους παρακομίζεσθαι κατηγόρους, ἢ μάρτυρας, κρίνατε· Ἐν ᾧ γὰρ κρίματι κρίνετε, κριθήσεσθε, καὶ ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεσθε, φησὶν ὁ τῶν ὅλων Θεός. »

RELATIO MOTIONIS

factæ inter domnum Maximum monachum, et socium ejus, coram principibus in secretario.

Die qua domnus Maximus et is qui eum eo erat penes hanc regiam urbem applicuerunt, circa occasum solis, venientes duo mandatores una cum decem excubitoribus tulerunt eos e navi nudos et discalceatos, et separatos eos ab invicem custodierunt in diversis excubitibus. Et post dies aliquot adducunt eos in palatium, et introducunt senem in locum, in quem senatus collectus est, et alia multa turba; et exhibent eum in medium sedentium principum. Et dicit ei sacellarius cum ira multa et furore : Christianus es? Et dicit : Gratia Christi Dei universorum Christianus sum. Et dicit ille : Non est verum. Respondit Dei servus : Tu dicis, sed Deus scit esse me Christianum. Et quomodo, inquit, si Christianus es, odio habes imperatorem? Respondens Dei servus ait : Et unde hoc claret? odium quippe mentis est occultus affectus, quemadmodum et dilectio. Et dicit ei : Ex his quæ fecisti cunctis factum est manifestum quod odio habeas imperatorem et rempublicam ejus. Tu enim solus Ægyptum, et Alexandriam, et Pentapolim, et Africam Saracenis tradidisti. Et quæ est, infit, horum approbatio? Et falso inducunt Joannem, qui fuerat sacellarius Petri quondam prætoris Numidiæ provinciæ Africæ, dicentem : Quia ante viginti duos annos avus dominatoris jussit beatæ memoriæ Petro exercitum sumere, et pergere in Ægyptum contra Saracenos : et scripsit tibi tanquam ad servum Dei loquens, certitudinem habens in te, utpote in homine sancto, si des ei consilium abire. Et rescripsisti ei, dicens : Nil tale facere, quoniam non bene placitum est coram Deo, ut imperio Heraclii et generis ejus cooperetur respublica Romanorum. Dicit servus Dei : Si veritatem loquitur, utique habet et Petri ad me, et meam ad ipsum epistolam, quæ deferantur, et subjaceo pœnis a legibus constitutis? Et dicit : Ego non habeo epistolam, sed nec novi si omnino scripserit tibi. Verum hæc in castris per illud tempus omnes loquebantur. Et dicit ad eum Dei servus : Si exercitus totus hoc fatebatur, quomodo tu solus super hoc me accusas? Vidisti me aliquando, vel ego te? At ille : Nunquam. Tunc Dei servus ad senatum conversus dixit : Si justum est tales adducere calumniatores, vel testes, judicate : *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; et in qua mensura metiemini, metietur de vobis* (*Matth.* VII), ait omnium Dominus.

Καὶ μετὰ τοῦτον φέρουσι Σέργιον τὸν Μαγουδὰν, λέγοντα· Πρὸ ἐνιέα ἐτῶν ὁ μακάριος ἀββᾶς Θωμᾶς ἐλθὼν ἀπὸ Ῥώμης εἶπέ μοι. Ὅτι ὁ πάππας Θεόδωρος ἔπεμψέ με πρὸς τὸν πατρίκιον Γρηγόριον, ἵνα εἴπω αὐτῷ, μὴ φοβηθῆναί τινα. Ὁ γὰρ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ ἀββᾶς Μάξιμος, εἶδεν ὅναρ, ὅτι κατ' οὐρανοὺς εἰς ἀνατολὰς καὶ δυσμὰς ἦσαν δῆμοι ἀγγέλων. Καὶ οἱ μὲν εἰς ἀνατολὰς ἔκραζον· Κωνσταντῖνε Αὔγουστε, τῷ βίγκας· Οἱ δὲ εἰς δυσμὰς ἔβουν· Γρηγόριε Αὔγουστε, τοῦ βίγκας· Καὶ ὑπερίσχυσεν ἡ φωνὴ τῶν εἰς δυσμάς, τῶν τῶν εἰς ἀνατολὴν φωνήν. Καὶ τότε κραυγάζει ὁ σακελλάριος· Ἔπεμψέ σε ὁ Θεὸς καυσθῆναι εἰς τὴν πόλιν ταύτην. Λέγει ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, καθ' ἱροντί με τῶν ἑκουσίων κακῶν, δι' ἀκουσίου κολάσεως· « Πλὴν, οὐαὶ τῷ κόσμῳ ἀπὸ τῶν σκανδάλων, ἀνάγκη γὰρ ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα· Οὐαὶ δὲ δι' οὗ σκάνδαλον ἔρχεται. » Ὄντως οὐκ ἔδει τοιαῦτα λαλεῖσθαι παρουσίᾳ χριστιανῶν, οὐδὲ ἀτιμωρήτους μένειν τοὺς τὰ τοιαῦτα πράττοντας πρὸς τὸ ἀρέσαι ἀνθρώποις, σήμερον οὖσι, καὶ αὔριον οὐκ οὖσι. Ταῦτα ζῶντος Γρηγορίου ἔδει τοῦτον εἰπεῖν, καὶ γνωρίσαι τῷ βασιλεῖ τὸν εἰς αὐτὸν εὔνοιαν, δίκαιον δὲ ἐστι, εἰ καὶ ὑμῖν παρίσταται, τὸν πρὸ τούτου συκοφάντην ἐκβιασθῆναι ἀπελθεῖν ἐνέγκαι τὸν πατρίκιον Πέτρον, καὶ τοῦτον τὸν ἀββᾶν Θωμᾶν, κἀκεῖνον τὸν μακάριον πάππαν Θεόδωρον. Καὶ τότε παρουσίᾳ πάντων, ἔλεγον τῷ πατρικίῳ Πέτρῳ· Εἰπέ, κῦρι ὁ πατρίκιος, ἔγραψάς μοί ποτε περὶ ὧν εἶπεν ὁ σακελλάριός σου, ἢ ἐγὼ σοι; Καὶ ὅτων κατατεθετο, ὑπὸ κόλασιν ἐγενόμην. Ὁμοίως δὲ καὶ τῷ μακαρίῳ πάππᾳ· Εἰπέ, δέσποτε, ἐγώ σοί ποτε ὄναρ ἀφηγησάμην; Καὶ ὅταν ἤλεγξέ με, ἐκείνου ἦν τὸ ἔγκλημα, οὐκ ἐμοῦ τοῦ ἑωρακότος. Ἀπροαίρετον γὰρ πρᾶγμα τὸ ὄναρ· Μόνα δὲ τὰ προαιρετικὰ κολάζει ὁ νόμος, εἴπερ αὐτῷ ἐναντιοῦται. Τότε λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Τρώϊλος· Παίζεις, ἀββᾶ, οὐκ οἶδας ποῦ εἶ; Ὁ δέ, οὐ παίζω, ἀλλὰ πενθῶ τὴν ζωήν μου συντηρηθεῖσαν μέχρι τοῦ νῦν, ἵνα τοιούτων λάβω πεῖραν φαντασμάτων. Λέγει Ἐπιφάνιος ὁ πατρίκιος· Ὁ Θεὸς γινώσκει, καλῶς ποιεῖ παίζων αὐτά, ἐὰν οὖν εἰσιν ἀληθῆ· Μεθ' ὃν ὁ σακελλάριος πάλιν πρὸς αὐτὸν μετ' ὀργῆς εἶπεν· Ἁπλῶς πάντες ψεύδονται, καὶ σὺ μόνος ἀληθεύεις; Καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος, συνδακρύσας τῷ λόγῳ· Ἐξουσίαν ἔχετε, συγχωροῦντος τοῦ Θεοῦ, καὶ ζωῶσαι καὶ θανατῶσαι. Πλὴν ἐὰν οὗτοι ἀληθεύωσι, καὶ ὁ Σατανᾶς φύσει Θεός ἐστιν. Εἰ δὲ οὐκ ἔστιν, ὥσπερ οὖν οὐδέ ἐστιν, οὐδὲ οὗτοι ἀληθεύσαν. Μήτε γὰρ ἀξιωθῶ μετὰ χριστιανῶν θεωρῆσαι τὸν ἐπιφάνειαν τοῦ ὑπερουσίου Θεοῦ, ποιητοῦ τε καὶ δημιουργοῦ, καὶ προνοητοῦ, καὶ κριτοῦ, καὶ σωτῆρος τῶν ὅλων. εἰ ποτε ὄναρ τοιοῦτον ἀφηγησάμην, ἢ ἄλλου ἀφηγουμένου ἤκουσα, εἰ μὴ τῇ ὥρᾳ ταύτῃ παρὰ τοῦ κυροῦ Σεργίου τοῦ εὐνοϊκοῦ τῆς βασιλείας.

Εἶτα τρίτον συκοφάντην προβάλλονται, Θεόδωρον τὸν υἱὸν Ἰωάννου τοῦ κανδιδάτου λεγομένου, τὸν ἐπίκλην Χιλὰ, τὸν νῦν γαμβρὸν τοῦ κυροῦ Πλάτωνος τοῦ πατρικίου, λέγοντα· Ὅτι συντυχίας μεταξὺ ἡμῶν ἐν Ῥώμῃ γενομένης περὶ τῶν βασιλέως, διέσυρε τὸ λαλούμενον, θυτία ποιῶν καὶ λαιβία. Πρὸς ὃν εἶπεν ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦ-

A Et post hunc adducunt Sergium Magudam dicentem : Ante annos novem, beatus abba Thomas veniens Roma dicit mihi : Papa Theodorus misit me ad Gregorium patricium, ut dicerem ei, ne quisquam timeret. Servus enim Dei abba Maximus vidit visionem, quod in cœlis ad orientem et occidentem chori essent angelorum. [a] Illi vero qui erant in occidente vocem emittebant, dicentes : Gregori Auguste, tu vincas, et magis sonuit vox occidentalium quam orientalium voces. Et tunc clamabat sacellarius : Misit te Deus ut incendaris in hac urbe. Dicit Dei servus : Gratias ago Deo, qui emundat me a spontaneis malis per supplicium non spontaneum. *Verumtamen væ mundo ab scandalis. Necessitas enim est ut veniant scandala : væ autem per quem scandalum venit* (*Matth.* XVIII, 7). Vere non oportebat ut talia B dicerentur in præsentia Christianorum, nec impunitos manere illos qui talia fingunt ad placendum hominibus qui hodie sunt, et cras non sunt. Hæc ut iste diceret, dum Gregorius adviveret, oportebat, qui et notam illi facere debuit suam circa eum devotionem. Justum autem esset, si et vobis quoque videtur, ut accusator, qui hunc præcessit, cogeretur abire, ducturus Petrum patricium, et iste abbatem Thomam, et ille beatum papam Theodorum. Et tunc in præsentia cunctorum dicere patricio Petro : Dic, domine patrici, scripsisti mihi aliquando super his quæ dixit sacellarius tuus, aut ego tibi? Et cum acquievisset, sub supplicio fierem. Similiter et beato papæ : Dic, domine, ego tibi aliquando somnium enarravi? Et cum convicisset me, illius esset crimen, non meum, qui videram. Res enim non voC lantaria est somnium. Porro sola quæ sunt voluntaria punit lex, si duntaxat sibi fuerint adversata. Tunc dicit ei Troilus : Jocaris, abba : nescis ubi sis? Qui respondens ait : Non jocor, sed lugeo vitam meam hactenus conservatam, ut hujuscemodi experimentum præstigiorum percipiam. Et dicit domnus Epiphanius : Deus novit, bene facit deludens eos, si vera non sunt. Post quem, sacellarius iterum cum ira dixit ad eum : Absolute omnes mentiuntur, et tu solus verum dicis? Et respondens servus Dei, audito verbo, cum lacrymis ait : Potestatem habetis, permittente Deo, et vivificandi et mortificandi. Verumtamen, si isti veritatem dicunt, et Satanas natura Deus est. Si autem non est, sicut nec est, nec isti veritatem dixerunt. Denique nec merear cum Christianis videre adventum supersubstantialis Dei, factoris videlicet, conditoris et creatoris, et provisoris, ac judicis et salvatoris universorum, si somnium tale aut vidi, aut alio referente audivi, excepta hora hac a domno Sergio dilecto imperii.

Dein tertium calumniatorem proponunt Theodorum filium Joannis dudum candidati, cognomento Chila, qui gener est nunc domni Platonis patricii, dicentem : Quia collocutione inter nos Romæ facta de imperio, detraxit quod dicebatur, mutiens et subsannationes faciens. Ad quem servus Dei dixit :

[a] In Græco : *Et illi quidem ad orientem, clamarent : Constantine Auguste, tu vincas. Hi vero*; etc. SIRM.

λος· Οὐδέποτε διελέχθην σοι, εἰ μὴ ἅπαξ μετὰ τοῦ ὁσιωτάτου πρεσβυτέρου κυροῦ Θεοχαρίστου, τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ ἐξάρχου, διὰ τὸν πριμικήριον, προτραπείς διὰ γραμμάτων περὶ τούτου. Καὶ ἐὰν εὑρεθῶ ψευδόμενος, ἀπωλόμην.

Καὶ μετὰ τοῦτον, τέταρτον ἄγουσι Γρηγόριον τὸν υἱὸν Φωτεινοῦ, λέγοντα· Ὅτι ἀπῆλθον εἰς τὸ κελλίον τοῦ ἀββᾶ Μαξίμου ἐν Ῥώμῃ, κἀμοῦ εἰπόντος, ὅτι καὶ ἱερεύς ἐστιν ὁ βασιλεύς, εἶπεν ὁ ἀββᾶς Ἀναστάσιος ὁ μαθητὴς αὐτοῦ· Μὴ ἀξιωθῇ εἶναι ἱερεύς. Εὐθέως λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· Φοβήθητι τὸν Θεόν, κύρι Γρηγόρι. Οὐδὲν παντελῶς ἐν τῇ περὶ τούτων διαλέξει λελάληκεν ὁ σύνδουλός μου καὶ ῥίπτει ἑαυτὸν εἰς τὴν γῆν, λέγων τῇ συγκλήτῳ· Ἀνάστρεχισθε τοῦ δούλου ὑμῶν καὶ πάντα λέγω ὡς ἐλάλησε, καὶ ἐλέγξει με ἐὰν ψεύσομαι. Ὁ κύριός μου οὗτος Γρηγόριος ἐλθὼν εἰς Ῥώμην, ἠξίωσεν ἐλθεῖν εἰς τὸ κελλίον τοῦ δούλου ὑμῶν. Ὃν θεωρήσας, ὡς ἔθος μοι ἐστίν, ἔῤῥιψα ἐμαυτὸν εἰς τὴν γῆν, καὶ προσεκύνησα αὐτῷ, καὶ ἠσπασάμην αὐτόν, καὶ εἶπον αὐτῷ μετὰ τὸ καθίσαι· Τίς ἡ αἰτία τῆς ποθητῆς παρουσίας τοῦ δεσπότου μου; Καὶ εἶπεν· Ὁ ἀγαθὸς καὶ θεοστήρικτος ἡμῶν δεσπότης, φροντίζων τῆς εἰρήνης τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, ἐποίησε κέλευσιν πρὸς τὸν θεοτίμητον πάπαν, πέμψας καὶ προσφορὰν εἰς τὸν ἅγιον Πέτρον, προτρεπόμενος αὐτὸν ἑνωθῆναι τῷ προεδρῳ Κωνσταντινουπόλεως· ἅπερ πεμφθῆναι διὰ τῆς ἐμῆς μετριότητος κατηξίωσε τὸ εὐσεβὲς αὐτοῦ κράτος. Καὶ εἶπον· Δόξα Θεῷ τῷ ποιήσαντί σε ἄξιον τῆς τοιαύτης διακονίας. Πλὴν, ἐπὶ ποίῳ τρόπῳ γενέσθαι τὴν ἕνωσιν ἡ αὐτοῦ θεοστεφὴς ἐκέλευσε γαληνότης, πάλιν εἶπε, εἴπερ οἶδας; καὶ εἶπας, ἐπὶ τῷ Τύπῳ. Καὶ ἔφην· Ἀδύνατον, ὡς οἶμαι, τοῦτο καθίστηκεν· οὐ γὰρ ἀνέχονται οἱ Ῥωμαῖοι συναναιρεθῆναι ταῖς τῶν ἀκαθάρτων αἱρετικῶν φωναῖς, τὰς τῶν ἁγίων Πατέρων φωτοφόρους φωνός, ἢ τῷ ψεύδει συνόπτεσθαι τὴν ἀλήθειαν, ἢ τῷ σκότει συναφανισθῆναι τὸ φῶς. Οὐδὲν γὰρ ἡμῖν ἔσται τὸ πρᾶγμα νυνὶ γενόμενον, εἰ γένηται τῶν θεοδιδάκτων λόγων ἀναίρεσις. Καὶ εἶπας, οὐκ ἀναίρεσιν τῶν ἱερῶν Τύπος ποιεῖται φωνῶν, ἀλλὰ σιωπήν, ἵνα τὴν εἰρήνην οἰκονομήσωμεν. Καὶ εἶπον· Ἔστι παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ σιωπὴ, καὶ ἀναίρεσις· ὁ Θεὸς γὰρ εἶπε διὰ τοῦ Δαβίδ· « Οὐκ εἰσὶ λαλιαὶ, οὐδὲ λόγοι, ὧν οὐκ ἀκούονται αἱ φωναὶ αὐτῶν. » Οὐκοῦν εἰ μὴ λαλοῦνται καὶ ἀκούονται οἱ περὶ Θεοῦ λόγοι, οὐδὲ ὅλως εἰσί, κατὰ τὴν Γραφήν. Καὶ εἶπας· Μὴ βάλῃς με εἰς ὕλας, ἐγὼ ὀρκοῦμαι τῷ ἁγίῳ συμβόλῳ. Καὶ πῶς δύνασαι τῷ ἁγίῳ ἀρκεῖσθαι συμβόλῳ, ἔφην, δεχόμενος τὸν Τύπον; Καὶ τί βλάπτει τὸ δέχεσθαι τὸν Τύπον, καὶ λέγειν τὸ σύμβολον; ἔφης. Λέγω, ὅτι προφανῶς ἀναιρεῖ τὸ σύμβολον ὁ Τύπος. Καὶ εἶπας· Διὰ τὸν κύριον, πῶς; Εἰπέ μοι, ἔφην, τὸ σύμβολον, καὶ γνῶθι πῶς ἀναιρεῖται ὑπὸ τοῦ τύπου. Καὶ ἤρξω τοῦ λέγειν· Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. Ἐπίσχε, εἶπον, μικρὸν, καὶ μάθε πῶς ἡ τῶν ἐν Νικαίᾳ πίστις ἤρνηται. Ποιητὴς γὰρ οὐκ ἂν εἴη Θεὸς, θελήσεως καὶ ἐνεργείας φυσικῆς ἐστερημένος, εἴπερ θελήσας, ἀλλ' οὐκ ἀναγκασθεὶς ἐποίησε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, εἴπερ ἀληθεύει ἐν πνεύματι Δαβίδ· « Πάντα ὅσα ἠθέλησεν ὁ Κύριος, ἐποίησεν ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ, ἐν ταῖς θαλάσσαις, καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἀβύσσοις. » Εἰ

A Nunquam disputavi tecum, nisi semel cum sanctissimo presbytero domno Theocharisto, exarchi fratre, propter primicerium, jussus per litteras super hoc. Quod si repertus fuero mentiens, recipiam.

Et post hunc, quartum adducunt Gregorium filium Photini dicentem : Quia perrexi Romam ad cellulam abbatis Maximi ; et me dicente quia et sacerdos est imperator, dixit abbas Anastasius discipulus ejus : non sit dignus fore sacerdos. Et statim dixit ad eum servus Dei : Time Deum, domne Gregori, nil tale hujuscemodi disputatione conservus meus locutus est. Et cum semet projecisset in terram, senatui dixit : Sustinete servum vestrum, et omnia dico vobis sicuti dicta sunt : et arguat me, si mentitus fuero. B Hic dominus meus Gregorius veniens Romam dignatus est venire ad cellulam servi vestri. Quo viso, sicuti moris est mihi, projeci meipsum in terram, et adoravi eum, et osculatus sum, et dixi ei post sessionem : Quæ causa est desiderabilis adventus domini mei? At ille : Bonus, inquit, et a Deo confortatus dominator noster, sollicitudinem habens pacis sanctarum Dei Ecclesiarum, jussionem fecit ad divinitus honoratum papam, missa etiam oblatione ad sanctum Petrum, hortatus est eum, quo se præsuli Constantinopolitano uniret, quæ mitti per mediocritatem meam dignatum est pium ejus imperium. Et dixi : Gloria Deo, qui fecit te dignum hujusmodi ministerio. Verumtamen sub quo fieri modo unitatem a Deo coronata ejus jussit tranquillitas, si nosti? Et C dixisti : Sub Typo. Et dixi : Impossibile, ut opinor, est hoc : non enim patiuntur Romani auferri una cum impuris hæreticorum vocibus sanctorum Patrum lucifera voces, vel simul cum mendacio veritatem extingui, aut cum tenebris lumen pariter dissipari. Nil nobis quod adoretur erit, si divinitus ostensorum fuit verborum ablatio. Et dixisti : Non ablationem sacrarum Typus efficit vocum sed taciturnitatem, ut dispensemus pacem. Et dixi : Est apud divinam Scripturam taciturnitas etiam demptio. Deus enim per David dixit : *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum* (*Psalm.* XVIII, 3). Ergo nisi dicantur et audiantur sermones qui de Deo sunt, nec omnino sunt secundum Scripturam. Et dixisti : Ne mittas me in silvas : ego sancto contentus sum D symbolo. Et quomodo, dixi, potes sancto esse contentus symbolo, suscipiens Typum? Et quid lædet suscipere Typum, et dicere symbolum? asseruisti. Aio : Quoniam evidenter obtruncat symbolum Typus. Et dixisti : Quomodo propter Dominum? Recitemus, dixi, symbolum, et scito qualiter obtruncetur a Typo. Et cœpisti dicere : Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Attende, dixi, paululum, et disce qualiter apud Nicæam convenientium fides negetur. Factor enim non esset Deus, voluntate ac operatione naturali privatus, si volens et non coactus fecit cœlum et terram, si veritatem profert David in spiritu, dicens : *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit, in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* (*Psalm.*

δὲ οἰκονομίας χάριν συναναιρεῖται τῇ κακοπιστίᾳ ἡ σωτήριος πίστις, χωρισμὸς Θεοῦ παντελής, ἀλλ' οὐχ ἑνωσις Θεοῦ ἐστι τὸ τοιοῦτον εἶδος τῆς λεγομένης οἰκονομίας. Καὶ γὰρ αὖριον οἱ δυσώνυμοι Ἰουδαῖοι λέγουσιν· Οἰκονομήσωμεν τὴν πρὸς ἀλλήλους εἰρήνην, καὶ ἑνωθῶμεν, καὶ περιέλωμεν ἡμεῖς μὲν τὴν περιτομήν, καὶ ὑμεῖς τὸ βάπτισμα, καὶ μηκέτι ἀλλήλους πολεμήσωμεν. Τοῦτο Ἀριανοί ποτε προέτειναν ἐγγράφως ἐπὶ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, λέγοντες· Περιέλωμεν τὸ ὁμοούσιον καὶ τὸ ἑτερούσιον, καὶ ἑνωθῶσιν αἱ ἐκκλησίαι. Καὶ οὐ κατεδέξαντο οἱ θεοφόροι πατέρες ἡμῶν, ἀλλ' εἵλοντο μᾶλλον διώκεσθαι καὶ ἀποθανεῖν, ἢ σιωπῆσαι φωνὴν παραστατικὴν τῆς μιᾶς τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ὑπερουσίου θεότητος· καὶ ταῦτα συνεπιτιθεμένου τοῖς τὰ τοιαῦτα προτείνουσι τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, καθὼς πολλοῖς ἱστόρηται τοῖς φιλοπόνως τὰ τότε γενόμενα γράψασι. Καὶ οὐδεὶς τῶν βασιλέων ἠδυνήθη μέσαις φωναῖς πεῖσαι τοὺς θεοφόρους πατέρας συμβιβασθῆναι τοῖς ἐπὶ αὐτῶν αἱρετίζουσι, ἀλλὰ ταῖς τραναῖς καὶ κυρίαις, καὶ καταλλήλοις τῷ ζητουμένῳ ὀθνείοις ἐκέχρηντο, λέγοντες προφανῶς· Ὅτι ἱερέων ἐστὶν τὸ ζητεῖν, καὶ ὁρίζεσθαι περὶ τῶν σωτηρίων δογμάτων τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας. Καὶ εἶπας· Τί οὖν; Οὐκ ἔστι πᾶς βασιλεὺς χριστιανὸς καὶ ἱερεύς; Καὶ εἶπον· Οὐκ ἔστιν. Οὐδὲ γὰρ παρίσταται θυσιαστηρίῳ, καὶ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τοῦ ὄρτου ὑψοῖ αὐτὸν, λέγων, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. Οὔτε βαπτίζει, οὔτε μύρου τελέτην ἐπιτελεῖ, οὔτε χειροθετεῖ, καὶ ποιεῖ ἐπισκόπους, καὶ πρεσβυτέρους, καὶ διακόνους, οὔτε χρίει νεύς· Οὔτε τὰ σύμβολα τῆς ἱερωσύνης ἐπιφέρεται, ὠμοφόριον καὶ τὸ εὐαγγέλιον, ὅσπερ τῆς βασιλείας τόν τε στέφανον καὶ τὴν πορφύραν. Καὶ πῶς ἡ γραφὴ βασιλέα καὶ ἱερέα λέγει εἶναι τὸν Μελχισεδέκ; ἔφης. Καὶ εἶπον, ἑνὸς τοῦ φύσει βασιλέως Θεοῦ τῶν ὅλων γενομένου φύσει διὰ τὴν ἡμῶν σωτηρίαν ἀρχιερέως, εἷς ὑπῆρχε τύπος ὁ Μελχισεδέκ. Ὡς δὲ γε κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ ἕτερον εἶναι λέγεις βασιλέα καὶ ἱερέα, καὶ τὰ λοιπὰ τολμήσαντα εἰπεῖν, τὸ· « Ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητον, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε τέλος ζωῆς ἔχοντα. » Καὶ σκόπει τὸν ἐκ τούτου ἀναφυόμενον κακόν. Ἄλλος γὰρ εὑρεθήσεται Θεὸς ὁ τοιοῦτος ἀνανθρωπήσας, κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ, ἀλλ' οὐ κατὰ τὴν τάξιν Ἀαρὼν τὴν ἡμῶν ἱερουργῶν σωτηρίαν.

Πλὴν, τί θέλομεν διὰ πολλῶν ἐλθεῖν; Εἰς τὴν ἁγίαν ἀναφορὰν ἐπὶ τῆς ἁγίας τραπέζης, μετὰ τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ ἱερεῖς καὶ διακόνους, καὶ παντὸς ἱερατικοῦ τάγματος, μετὰ τῶν λαϊκῶν οἱ βασιλεῖς μνημονεύονται, λέγοντος τοῦ διακόνου· Καὶ τῶν ἐν πίστει κεκοιμημένων λαϊκῶν, Κωνσταντίνου, Κώνσταντος, καὶ τοὺς λοιποὺς. Οὕτω δὲ καὶ τῶν ζώντων μνημονεύει βασιλέων, μετὰ τοὺς ἱερωμένους πάντας. Ταῦτα αὐτοῦ λέγοντος, κράζει ὁ Μηνᾶς· Ταῦτα λέγων ἔσχισας τὴν Ἐκκλησίαν. Καὶ λέγει πρὸς αὐτόν· Εἰ ὁ λέγων τὰ τῶν ἁγίων γραφὴν, καὶ τὰ τῶν ἁγίων Πατέρων σχίζει τὴν Ἐκκλησίαν, ὁ ἀναιρῶν τὰ τῶν ἁγίων δόγματα, τί δειχθήσεται τῇ Ἐκκλησίᾳ ποιῶν, ὧν χωρὶς, οὐδὲ αὐτὸ τοῦτο, Ἐκκλησίαν εἶναι δυνατόν; Καὶ στραφεὶς ὁ σακελλάριος εἶπε τοῖς ἀνθρώποις τοῦ ἐξάρχου μετὰ κραυγῆς· Εἴπατε τῷ ἐξάρχῳ,

A CXXXIV). Si autem, dispensationis gratia, una cum credulitate nequam salutaris demitur fides, separatio Dei fit omnimoda : sed non unitas est hujusmodi species ejus quæ dicitur dispensatio. Si quidem cras nefandi Judæi dicent : Dispensemus in alterutros pacem, et uniamur et amputemus nos quidem circumcisionem, vos vero baptismum, et non jam invicem impugnemus. Hoc et Ariani aliquando prætenderunt in scriptis sub Magno Constantino dicentes : Auferamus dictum unius substantiæ, et alterius substantiæ, et uniantur Ecclesiæ. Et non id admiserunt deiferi patres nostri, sed elegerunt potius persecutionem pati et mori, quam tacere vocem comprobantem unam Patris, et Filii, et Spiritus sancti supersubstantialem deitatem ; et hæc cohibente his qui hæc
B prætendebant Magno Constantino, sicut a multis refertur, qui ea quæ tunc gesta sunt studiose scripserunt. Et nullus imperatorum potuit mediis vocibus suadere deiloquis Patribus, ut convenirent in ea quæ ipsi sectabantur ; sed expressis vocibus ac propriis, et dogmati quod quærebatur congruis, usi sunt, dicentes liquido, quoniam sacerdotum est quærere ac diffinire de salutaribus Ecclesiæ catholicæ dogmatibus. Et dixisti : Ergo non est omnis Christianus imperator etiam sacerdos? Et dixi : Non est. Neque enim astat altari, neque post sanctificationem panis exaltat eum, dicens : Sancta sanctis. Neque baptizat, neque chrismatis confectionem patrat, neque facit episcopos, vel presbyteros, aut diaconos, neque linit ecclesias, neque indicia sacerdotii fert, super-
C humerale scilicet et Evangelium, quemadmodum imperii coronam et purpuram. Et dixisti : Et quomodo Scriptura regem et sacerdotem dicit esse Melchisedech? Et dixi : Unius natura regis cunctorum Dei, natura etiam ob salutem nostram pontificis facti, unus erat typus Melchisedech. Quod si secundum ordinem Melchisedech, alium dicis esse regem et sacerdotem ; et reliqua præsume dicere, id est : *Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habentem* (*Hebr.* VII). Et adverte quod ex hoc oriri valeat malum. Alius quippe talis reperietur Deus incarnatus secundum ordinem Melchisedech, et non secundum ordinem Aaron salutem nostram perficiens.

Verumtamen, quid volumus per multa discurrere?
D Inter sacras oblationes supra sanctam mensam post pontifices, et sacerdotes, et diaconos omnemque sacratum ordinem, cum laicis imperatores memorantur, dicente diacono : Et eorum, qui in fide dormierunt, laicorum, Constantini, Constantis et cæterorum. Sic autem et vivorum memoriam facit imperatorum post sacratos omnes. Hæc, eo dicente, clamat Mennas : Hæc dicens scidisti Ecclesiam. Et dicit ad eum : Si is qui dicit ea quæ sanctarum sunt Scripturarum atque sanctorum Patrum, scindit Ecclesiam, qui adimit sanctorum dogmata, quid monstrabitur Ecclesiæ faciens, sine quibus nec dici ipsam Ecclesiam est possibile? Et conversus sacellarius dixit hominibus exarchi cum clamore : Dicite exarcho : Hujusmodi hominem debebas dimittere vivere ubi præes,

τοιοῦτον ἄνθρωπον ὤφειλες ἐάσαι ζῆν ὅπου ἄρχει; Καὶ λαβόντες αὐτὸν ἔξω, εἰσάγουσι τὸν μαθητὴν· καὶ ἀπαιτοῦντες αὐτὸν, κατεπεῖν τοῦ ἐπιστάτου, ὡς θλίψαντος Πύρρον, ἀπεκρίνατο ἡρεμαίᾳ τῇ φωνῇ τὰ τῆς ἀληθείας, ὅτι οὐδεὶς ἐτίμησε Πύρρον ὡς ἐτίμησε [a], καὶ πελεύεται κράζειν; Καὶ ἐπείπερ οὐ κατεδέξατο τῆς πρεπούσης μοναχοῖς εὐλαβοῦς φωνῆς ξενωθῆναι, κελεύει τυπῆναι αὐτὸν ὑπὸ τῶν παριστώντων· Καὶ πυγμαῖς αὐτὸν βαλόντες, ἡμιθνῆ αὐτὸν πεποιήκασι. Καὶ ἀπολύσαντες αὐτοὺς εἰς τὰ ξεσπωτήρια, καταλαμβάνει τὸν γέροντα ὁ Μηνᾶς, λέγων παρουσίᾳ τῶν ἀρχόντων· Ἔβαλέ σε ὁ Θεὸς, καὶ ἤγαγέ σε ὧδε, ἵνα ἀπολάβῃς, ὅσα εἰς ἄλλους ἐποίησας, πλανῶν πάντας εἰς τὰ Ὠριγένους δόγματα. Πρὸς ὃν εἶπεν ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος παρουσίᾳ πάντων· Ἀνάθεμα Ὠριγένει καὶ τοῖς δόγμασιν αὐτοῦ, καὶ παντὶ συμπαθοῦντι αὐτῷ. Καὶ λέγει ὁ πατρίκιος Ἐπιφάνιος· Ἐλύθη, κῦρι ἀββᾶ Μηνᾶ, ὁ κατ' αὐτοῦ παρὰ σοῦ ἐπαγόμενος ψόφος, ἵνα καὶ εἰ ἦν Ὠριγενιστὴς, ἐπὰν ἀνεθεμάτισε, τῆς τοιαύτης ἑαυτὸν ἠλευθέρωσε μέμψεως. Ἐγὼ δὲ ὡς οὐκέτι τοιοῦτο περὶ αὐτοῦ λεγόμενον παραδέχομαι. Καὶ ἀμηνίχθη ἕκαστος αὐτῶν, ἐν ᾧ παρεφυλάττετο τόπῳ.

Καὶ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ περὶ τὴν αὐτὴν ἀφὴν τοῦ λύχνου, Τρώϊλος ὁ πατρίκιος, καὶ Σέργιος ὁ τυκρατᾶς, ὁ ἐπὶ τῆς τραπέζης τῆς βασιλικῆς, παρεγίνοντο πρὸς τὸν δοῦλον Θεοῦ τὸν γέροντα, καὶ καθίσαντες, ἐκέλευσαν καὶ αὐτὸν καθίσαι, καὶ εἶπον πρὸς αὐτὸν· Εἰπὲ ἡμῖν, κῦρι ἀββᾶ, τὴν μεταξὺ σοῦ καὶ Πύρρου γενομένην, ἐν Ἀφρικῇ καὶ Ῥώμῃ περὶ τῶν δογμάτων κίνησιν, καὶ ποίοις αὐτὸν ἔπεισας ἀναθεματίσαι τὸ δόγμα τὸ ἴδιον, καὶ τῷ σῷ συνθέσθαι. Καὶ ἀφηγήσατο αὐτοῖς πάντα καθεξῆς, ὅσα ἡ μνήμη ὑπέσωσε, καὶ τοῦτο εἶπεν· Ὅτι ἐγὼ δόγμα ἴδιον οὐκ ἔχω, ἀλλὰ τὸ κοινὸν τῆς Ἐκκλησίας τῆς καθολικῆς. Οὐ γὰρ ἐκίνησα φωνὴν τὴν διανοῦν, ἵνα ἴδιόν μου λέγηται δόγμα. Καὶ μετὰ τὴν ἀφήγησιν λέγουσιν αὐτῷ· Οὐ κοινωνεῖς τῷ θρόνῳ Κωνσταντινουπόλεως; Καὶ εἶπεν. Οὐ κοινωνῶ. Διὰ ποίαν οὐ κοινωνεῖς αἰτίαν; εἶπον. Ἀπεκρίθη. Ὅτι τὰς ἁγίας τέσσαρας συνόδους ἐξέβαλον διὰ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γενομένων ἑνὸς κεφαλαίου, καὶ διὰ τῆς ἐν ταύτῃ τῇ πόλει γενομένης παρὰ Σεργίου Ἐκθέσεως, καὶ διὰ τούτου προσεχῶς ἐπὶ τῆς ἕκτης ἰνδικτιῶνος ἐκτεθέντος Τύπου· καὶ ὅτι ἅπερ ἐδογμάτισαν διὰ τῶν κεφαλαίων, διὰ τῆς Ἐκθέσεως κατέκρινεν· καὶ ἅπερ ἐδογμάτισαν διὰ τῆς Ἐκθέσεως, διὰ τοῦ Τύπου ἠκύρωσαν, καὶ καθεῖλον ἑαυτοὺς τοσαυτάκις. Οἱ τοίνυν ὑφ' ἑαυτῶν κατακριθέντες, καὶ ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων, καὶ τῆς μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῆς ἐγδόης ἰνδικτιῶνος γενομένης συνόδου καθαιρεθέντες, ποίαν ἐπιτελέσουσι μυσταγωγίαν; ἢ ποῖον πνεῦμα τοῖς παρὰ τῶν τοιούτων ἐπιτελουμένοις ἐπιφοιτᾷ; Καὶ λέγουσιν αὐτῷ· Σὺ μόνος σώζῃ, καὶ πάντες ἀπόλλυνται; Καὶ εἶπεν· Οὐδένα κατέκριναν οἱ τρεῖς παῖδες μὴ προσκυνήσαντες τῇ εἰκόνι, πάντων ἀνθρώπων προσκυνούντων. Οὐ γὰρ ἐσκόπουν τὰ τῶν ἄλλων, ἀλλ' ἐσκόπουν ὅπως ἂν αὐτοὶ μὴ ἐκπέσωσι τῆς ἀληθοῦς εὐσεβείας. Οὕτω καὶ Δανιὴλ βληθεὶς εἰς τὸν λάκκον τῶν λεόντων, οὐ κατέκρινέ τινα τῶν μὴ προσευξαμένων τῷ Θεῷ κατὰ τὸ θέσπισμα Δαρείου, ἀλλὰ τὸ ἴδιον ἐσκόπησε.

[a] Interpres legit insuper ὁ ἐπιστατης μου. Et mox, κελεύετε.

A Et cum eduxissent eum foras, intromittunt discipulum. A quo cum exegissent ut diceret contra magistrum quod tribulaverit Pyrrhum, respondit quieta voce quæ veritatis erant, quia nemo honoravit Pyrrhum ut honoravit magister meus, et jubetis clamare? Quia vero passus non est a decenti monachos reverenda voce divertere, jubetur percuti ab his qui astabant; et pugnis submissum semimortuum reddiderunt. Quibus dimissis ad carceres, venit ad senem Mennas, dicens in præsentia principum: Misit te Deus, et duxit te huc, ut recipias quæcunque in alio fecisti, seducens omnes in Origenis dogmata. Ad quem servus Dei coram omnibus dixit: Anathema Origeni, et dogmatibus ejus et omni consentaneo ejus! Et dicit Epiphanius patricius: Destructa est, B domne abba Menna, querimonia quæ a te adversum eum illata est, quoniam et si esset Origenianista, eo quod anathematizavit eum, ab hujuscemodi sese liberavit querela. Interim ergo tale dictum super eo ulterius non admittam. Et inductus est unusquisque ipsorum in locum in quo custodiebatur.

Et eadem die circa tactum [b] lucernæ, Troilus patricius, et Sergius cucuratas, qui erat super imperatoriam mensam, venerunt ad servum Dei senem, et sedentes jusserunt etiam illi sedere, et dixerunt ad eum: Dic nobis, domne abba, motionem dogmatum, quæ inter te et Pyrrhum Romæ et in Africa facta est: et quibus ei verbis persuaseris anathematizare proprium dogma, et tuo pacisci. Et enarravit eis C omnia per ordinem quæcunque retinere memoria valuit. Addidit autem et hoc, dicens: Ego dogma proprium non habeo, sed commune catholicæ Ecclesiæ. Neque enim movi vocem quamlibet, ut proprium meum dicatur dogma. Et post totam narrationem dicunt ei: Non communicas throno Constantinopolitano? Et dixit: Non communico. Quamobrem non communicas? dixerunt. Respondit: Quia sancta quatuor concilia ejecerunt per illa novem Capitula, quæ facta sunt Alexandriæ, et per Ecthesin quæ in hac urbe a Sergio patrata est, et per Typum qui nuper, id est per sextam est indictionem expositus: et quia, quæ per illa dogmatizaverunt per Ecthesin damnaverunt, et, quæ dogmatizaverunt per Ecthesin, per Typum irrita statuerunt, et deposuerunt semetipsos toties. Illi igitur, qui a seipsis damnati D sunt, et a Romanis atque a synodo, quæ post hæc per octavam indictionem facta est, sunt depositi et sacerdotio denudati, qualia celebrant, rogo, mysteria? Aut qualis spiritus, ad ea quæ a talibus celebrantur, advenit? Et dicunt ei: Ergone tu solus salvaris, et omnes peribunt? Et dixit: Neminem damnaverunt tres pueri non adorantes iconam, cum hanc omnes homines adorarent. Non enim intendebant ea quæ aliorum erant, sed intendebant quatenus ipsi non deciderent a vera pietate. Sic et Daniel missus in lacum leonum non damnavit quemquam

[b] Hoc est accensionem.

Καὶ εἵλετο ἀποθανεῖν, καὶ μὴ παραπεσεῖν τῷ Θεῷ. καὶ ὑπὸ τῆς ἰδίας μαστιγοῦσθαι συνειδήσεως. ἐπὶ τῇ παραβάσει τῶν φύσει νομίμων· κἀμοὶ οὖν μᾶλλον ὁ Θεὸς κατακρῖναί τινα, ἢ εἰπεῖν ὅτι ἐγὼ μόνος σώζομαι· αἱροῦμαι δὲ ἀποθανεῖν, ἢ θρόνοις ἔχων κατὰ τὸ συνειδὸς, ὅτι περὶ τὴν εἰς Θεὸν πίστιν παρεσφάλην καθ' οἱονδήποτε τρόπον.

Λέγουσιν αὐτῷ· Καὶ τί ἔχεις ποιῆσαι, τῶν Ῥωμαίων ἑνουμένων τοῖς Βυζαντίοις; Ἰδοὺ γὰρ χθὲς ἦλθον οἱ ἀποκρισιάριοι Ῥώμης, καὶ αὔριον τῇ κυριακῇ κοινωνοῦσι τῷ πατριάρχῃ, καὶ πᾶσι δῆλον γίνεται, ὅτι σὺ διέστρεψας τοὺς Ῥωμαίους. Ἀμέλει σοῦ ἀπαρθέντος ἐκεῖθεν, συνέθεντο τοῖς ἐνταῦθα. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς· Οἱ ἐλθόντες, οἱονδήποτε πρόκριμα τῷ θρόνῳ Ῥώμης, κἂν κοινωνήσωσιν, ἐπὰν οὐκ ἤγαγον πρὸς τὸν πατριάρχην ἐπιστολὴν, οὐ ποιοῦσι· καὶ οὐ πείθομαι πάντως, ὅτι οἱ Ῥωμαῖοι ἑνοῦνται τοῖς ἐνταῦθα, εἰ μὴ ὁμολογήσωσι τὸν Κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν, καθ' ἑκάτερον τῶν ἐξ ὧν, ἐν οἷς τε καὶ ἄπειρ ἐστιν, εἶναι φύσει θελητικόν τε καὶ ἐνεργητικὸν τῆς ἡμῶν σωτηρίας. Καὶ λέγουσιν· Εἰ δὲ συμβιβασθῶσι τοῖς ἐνταῦθα οἱ Ῥωμαῖοι, τί ποιεῖς; Καὶ εἶπε· Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον διὰ τοῦ ἀποστόλου καὶ ἀγγέλους ἀνάθεματίζει παρὰ τὸ κήρυγμά τι νομοθετοῦντας.

Καὶ λέγουσι· Πάντως ἀνάγκη ἐστὶ, θελήσεις λέγεσθαι ἐπὶ Χριστοῦ καὶ ἐνεργείας; Ἀπεκρίθη· Πᾶσα ἀνάγκη, εἴπερ εὐσεβεῖν κατὰ ἀλήθειαν θέλομεν. Οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων, χωρὶς ἐνεργείας φυσικῆς ὑφίστηκεν. Οἱ γὰρ ἅγιοι Πατέρες φανερῶς λέγουσι, μήτε εἶναι, ἢ γινώσκεσθαι χωρὶς τῆς οὐσιωδοῦς αὐτῆς ἐνεργείας τὴν οἱανδήποτε φύσιν· εἰ δὲ οὔτέ ἐστιν, οὔτε γινώσκεται φύσις ἄνευ τῆς αὐτὴν οὐσιωδῶς χαρακτηριζούσης ἐνεργείας, πῶς εἶναι τὸν Χριστὸν, ἢ γνωρίζεσθαι Θεὸν ἀληθῶς φύσει καὶ ἄνθρωπον, ὄντως τῇ θεϊκῇ καὶ ἀνθρωπίνῃ ἐνεργείᾳ, ἐστὶ δυνατόν; Ἀπολέσας γὰρ, κατὰ τοὺς Πατέρας, τὸ βρυχικὸν ὁ λέων οὐκ ἔστι λέων, καὶ κύων τὸ ὑλακτικὸν, οὐκ ἔστι κύων· καὶ ἄλλο τὸ οἰκεῖον τὸ φυσικῶς αὐτοῦ συστατικὸν ἀπολέσαν, οὐκ ἔστιν ἔτι ὅπερ ἦν. Καὶ λέγουσιν αὐτῷ· Οἴδαμεν ὄντως ὅτι οὕτως ἦν· πλὴν μὴ λυπήσῃς τὸν βασιλέα, διὰ τὴν εἰρήνην καὶ μόνον ποιήσαντα τὸν τύπον, οὐκ ἐπ' ἀναιρέσει τινὸς τῶν ἐπὶ Χριστοῦ νοουμένων, ἀλλ' ἐπὶ εἰρήνῃ, τὴν σιωπὴν τῶν ποιουσῶν τὴν διάστασιν φωνῶν οἰκονομοῦντα.

Καὶ ῥίψας ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος ἑαυτὸν εἰς τὴν γῆν μετὰ δακρύων· Οὐκ ὤφειλε λυπηθῆναι ὁ ἀγαθὸς καὶ εὐσεβὴς δεσπότης κατὰ τῆς ἐμῆς ταπεινώσεως. Οὐ γὰρ δύναμαι λυπῆσαι τὸν Θεὸν σιωπῶν, ἅπερ αὐτός λαλεῖσθαι καὶ ὁμολογεῖσθαι προσέταξεν. Εἰ γὰρ κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον, αὐτός ἐστιν ὁ θέμενος ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλους, δῆλόν ἐστιν, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ διὰ τούτων λαλήσας. Διὰ πάσης οὖν τῆς ἁγίας γραφῆς, τῆς τε παλαιᾶς καὶ νέας διαθήκης, καὶ τῶν ἁγίων διδασκάλων καὶ συνόδων διδασκόμεθα, θελητικόν τε καὶ ἐνεργητικὸν θεότητί τε καὶ ἀνθρωπότητι, τὸν σαρκωθέντα Θεόν. Οὐδενὸς γὰρ τῶν, οἷς ὡς Θεὸς γινώσκεται, καὶ τῶν, οἷς ὡς ἄνθρω-

corum qui non adoraverunt Deum secundum Darii sanctionem, sed quod suum erat intendit, et elegit mori et non cadere a Deo, et a sua conscientia flagellari in prævaricatione eorum quæ legalia sunt natura. Mihique Deus non det damnare quemquam, vel dicere quod solus ego salver! Quantum autem valeo, eligo mori quam terrorem habere in conscientia quod in fide, quæ in Deum est, per quemlibet erraverim modum.

Dicunt ei : Et quid facies, cum Romani uniti Byzantiis fuerint? Ecce enim heri venerunt apocrisiarii Romani, et cras Dominico die communicabunt patriarchæ, ac per hoc omnibus manifestum fit quod tu subverteris Romanos. Denique te illinc ablato, mox consenserunt his qui hic sunt. Et dixit ad eos : Hi qui venere, præjudicium quoquomodo sedi Romanæ, quamvis communicent, eo quod non detulerint ad patriarcham epistolam, non faciunt : et non credo aliquando quod Romani uniantur istis, nisi confessi fuerint Dominum nostrum et Deum, secundum utrumque eorum ex quibus est et quæ est, esse, et natura voluntarium et operatorium habere salutis nostræ. Et dicunt : Quod si connexi fuerint his Romani, quid facies? Et dixit : Spiritus sanctus etiam angelos anathematizat, præter id quod prædicatum est, innovantes.

Et aiunt : Utique necessitas est voluntates dici in Christo, et operationes? Respondit : Omnis necessitas est, si duntaxat pie revera sapere volumus. Nihil enim eorum quæ sunt sine operatione naturali subsistit. Sancti namque Patres manifeste dicunt non esse, nec sciri, sine substantiali operatione [a], quæ hanc substantialiter characterizet : quomodo esse Christum, aut agnosci Deum natura veraciter et hominem est possibile? Amisso quippe, secundum sanctos Patres, fremibili, leo non jam leo, et latrabili, canis non jam canis; et aliud quodcumque perdito quod se naturaliter commendabat, non ulterius est quod erat. Et dicunt ei : Novimus vere quod ita sit; verumtamen ne contristes imperatorem, qui propter pacem tantummodo fecit Typum : non in ademptionem cujusquam eorum quæ in Christo intelliguntur, sed ad pacem silentium vocum quæ faciebant dissensionem, dispensans.

Et projiciens se Dei servus in terram cum lacrymis dixit : Non debuerat contristari benignus et pius dominus adversus humilitatem meam; non enim possum contristare Deum, tacens quæ ipse nos loqui et confiteri præcepit. Si enim secundum sacratissimum Apostolum, ipse est qui posuit in Ecclesia primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, perspicuum est quod ipse sit qui per istos locutus est. Per totam ergo sanctam Scripturam, tam scilicet Vetus quam Novum Testamentum, sanctosque doctores, ac synodos, edocemur voluntatis et operationis tam in divinitate quam in humanitate incarnatum Deum esse capa-

[a] Quæ interpres omisit sic supple : *ullam quamcumque naturam. Si autem neque est, neque cognoscitur natura absque operatione quæ ipsam substantialiter characterizet quomodo*, etc. Sirm.

πος φύσει γνωρίζεται, χωρὶς ἁμαρτίας, ἐστὶν ἂν ἄλλη. Εἰ δὲ τέλειός ἐστι καθ' ἑκάτερον, ὡς οὐδενὸς κατ' ἑκάτερον ἐλλιπὴς, προφανῶς τὸ κατ' αὐτὸν ὅλον νοθεύει μυστήριον, ὁ μὴ ὁμολογῶν αὐτὸν εἶναι ὁπέρ ἐστι, μετὰ τῶν προσόντων αὐτῷ καθ' ἑκάτερον, ἐν οἷς τε, καὶ ἅπερ ἐστὶ, πάντων φυσικῶν ἰδιωμάτων.

cem. In nullo enim eorum quibus ut Deus scitur, vel eorum quibus ut homo natura cognoscitur, excepto duntaxat peccato, est imperfectus. Si autem perfectus est utroque, sicut in nullo ex ambobus est minoratus, manifeste totum ipsius adulterat sacramentum, qui non confitetur eum esse quod est. cum existentibus sibi omnibus naturalibus idiomatibus, ex quibus, et in quibus et quæ esse probatur.

Καὶ μικρὸν σιωπήσαντες, ἀλλήλοις προσνεύσαιτες λέγουσι· Πόθεν δύνασαι δεῖξαι, ὅτι τὰς συνόδους ἐκβάλλουσιν οἱ θρόνου Κωνσταντινουπόλεως; καὶ λέγει αὐτοῖς· Ἤδη δέδεικται μερικῶς διὰ τῶν ἐν Ῥώμῃ λαληθέντων παρ' ἐμοῦ πρὸς τὸν κύριον Γρηγόριον, τὸν ἀσηκρῆτ ν· Καὶ νῦν, εἰ παρίστατοι τῷ δεσπότῃ τοῦτο δειχθήσεσθαι, κελεύσει δοθῆναι ἄδειαν τῷ ἀναξίῳ ὑμῶν δούλῳ, καὶ ποιῶ γνῶσιν βιβλίων, ὅτι τὰ ἐμὰ ἀφηρέθησαν, καὶ πᾶσι φανερὸν ποιῶ τοῦτο, χωρὶς οἱασδήποτι σκολιότητος λόγων. Καὶ λοιπὸν ἄλλων πολλῶν λαληθέντων, εἰς γραμματικὰς καὶ φυσικὰς καὶ τεχνικὰς ἐτράπησαν γυμνασίας τε καὶ θεωρίας, ἐφ' οἷς ἡδυνθέντες, παρωτέρως διετέθησαν, καὶ ἤρξαντο λέγειν· Οἶδεν ὁ κύριος, ὠφελήθημεν, καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν ἐνοχλεῖν ὑμῖν οὐκ ἔχομεν.

Et cum paulum tacuissent, et ad invicem innuissent, aiunt : Unde potes ostendere quod sanctas synodos abjiciant hi qui sunt throni Constantinopoleos? Qui dicit eis : Jam partim ostensum est per ea quæ Romæ locutus sum ad dominum Gregorium a secretis. Et nunc, si placet dominatori ut hoc ostendatur, jubeat dari licentiam indigno servo vestro, et facio notitiam librorum, quoniam mei ablati sunt : et cunctis hoc manifestum facio sine qualibet pravitate verborum. Et deinde cum alia multa dicta fuissent, in scripturales, ac naturales et artificiales conversi sunt exercitationes et theorias, quibus delectati hilariores effecti sunt, et cœperunt dicere : Novit Dominus, profecimus, et ex hoc vobis molestiam non ingeremus.

Ὁ δὲ κῦρις Σέργιος εἶπεν αὐτῷ· Ὅτι πολλάκις ἦλθον εἰς τὸ κελλιόν σου εἰς Βέλλας, καὶ ἠκροασάμην τῆς διδασκαλίας σου, καὶ ὁ Χριστὸς ἔχει βοηθῆσαί σοι, καὶ μὴ ἀγωνιάσῃς. Εἰς ἓν δὲ μόνον λυπεῖς πάντας, ὅτι πολλοὺς ποιεῖς χωρισθῆναι τῆς κοινωνίας τῆς ἐνταῦθα Ἐκκλησίας. Ἔστι τις ὁ λέγων, εἶπεν ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, ὅτι εἶπον· Μὴ κοινωνήσῃς τῇ Ἐκκλησίᾳ τῶν Βυζαντίων; Ἀπεκρίθη ὁ κῦρις Σέργιος· Αὐτὸ τοῦτο, τὸ σὲ μὴ κοινωνεῖν, μεγάλη πρὸς πάντας ἐστὶ φωνὴ, μὴ κοινωνῆσαι. Καὶ εἶπεν ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· Οὐδὲν βεβαιότερον συνειδότος κατηγοροῦντος, καὶ οὐδὲν τούτου συνηγοροῦντος παῤῥησιαστικώτερον. Ἀκούσας δὲ ὁ κῦρις Τρώϊλος, ὅτι ὁ Τύπος ἀναθεματίζεται εἰς πᾶσαν τὴν δύσιν, λέγει πρὸς τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ· Καλόν ἔστιν, ὅτι τοῦ εὐσεβοῦς ἡμῶν δεσπότου ἡ ὑπόληψις ὑβρίζεται; Ἀπεκρίθη ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· Ὁ Θεὸς συγχωρήσειε τοῖς ἐκβιάσασι τὸν δεσπότην ποιῆσαι τὸν τύπον, καὶ τοῖς συγχωρήσασι. Καὶ λέγει, τίνες εἰσὶν οἱ ἐκβιάσαντες, καὶ τίνες οἱ συγχωρήσαντες; Ἀπεκρίθη, οἱ τῆς Ἐκκλησίας ἐξεβίασαν, καὶ οἱ ἄρχοντες συνεχώρησαν. Καὶ ἰδοὺ ὁ ῥύπος ἐκ τῶν ὑπευθύνων εἰς τὸν ἀθῶον καὶ καθαρὸν πάσης αἱρέσεως ἐξετινάχθη. Ἀλλὰ συμβουλεύσατε ποιῆσαι, ὁ ἐποίησεν ὁ εὐσεβὴς τῇ μνήμῃ γενομένῳ αὐτοῦ πάππος. Ἐκεῖνος γὰρ αἰσθόμενος, ὅτι ψόγον αὐτοῦ τινες κατὰ τὴν δύσιν καταχέουσι, διὰ κελεύσεως ἐλεύθερον ἑαυτὸν ἐποίησε τῆς ἐπὶ τῇ Ἐκκλησίᾳ μέμψεως, γράψας. Ὅτι Ἔκθεσις οὐκ ἔστιν ἐμή· οὔτε γὰρ ἐγὼ ὑπηγόρευσα, ἢ ἐκθεῖναι γενέσθαι· ἀλλὰ Σέργιος αὐτὴν ὁ πατριάρχης συντάξας πρὸ πέντε ἐτῶν τοῦ ἀνελθεῖν με ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, ἐδιάθη μου κατ' αὐτὴν γενομένου τὴν πανευδαίμονα πόλιν, ὀνόματι μου προτεθῆναι αὐτὴν μεθ' ὑπογραφῆς· καὶ κατεδεξάμην τὴν ἐκείνου παράκλησιν. Νῦν δὲ γνοῦ, ὅτι τινὲς ἐπ' αὐτὴν διαμάχονται, πᾶσι δῆλον ποιῶ, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐμή. Ταύτην ἐποιήσατο τὴν κέλευσιν πρὸ τῶν μακάριτν Ἰωάννην πάππαν, κατακρί-

Porro, domnus Sergius dixit ei : Sæpe veni ad cellulam tuam in Bellas, et audivi doctrinam tuam, et Deus auxiliabitur tibi, ne sollicitus sis. In uno vero solummodo contristas omnes, qui videlicet multos facis separari a communione hujus Ecclesiæ. Est aliquis qui asserat, ait Dei servus, quod dixerim : Ne communices Ecclesiæ Byzantinorum? Respondit domnus Sergius : Hoc ipsum, inquiens, quo ipse non communicas, magna est apud omnes procul dubio vox non communicandi. Et Dei servus : Nil, ait, certius est quam conscientia quæ accusat : et nil eo, cui hæc testimonium perhibet, majorem habet fiduciam. Cæterum, cum audisset domnus Troilus, quod Typus anathematizaretur in toto Occidente, dicit ad servum Dei : Bonum est, quia pii dominatoris nostri opinio injuriis laceratur ? Respondit servus Dei : Deus ignoscat his qui dominatori facere Typum persuaserunt, et his qui permiserunt. At ille : Qui, ait, sunt qui persuaserunt, et qui sunt qui permiserunt? Respondit : Hi qui erant Ecclesiæ suaserunt, et principes permiserunt. Et ecce sordes a sontibus in insontem et omni hæresi purum excussa est. Sed consilium date ut faciat quod fecit piæ memoriæ quondam avus ejus. Ille quippe sentiens quod in vituperium ejus in Occidente quidam prorumperent, per epistolam liberum se fecit ab Ecclesiæ querimonia, scribens : « Ecthesis, inquit, non est mea, neque enim ego vel dictavi, vel jussi ut fieret. Sed cum hanc Sergius patriarcha composuisset ante quinque annos, prius quam ab Oriente repedassem, deprecatus est me, cum ad hanc felicem pervenissem urbem, ut nomine meo proponeretur cum subscriptione : et suscepi deprecationem illius. Nunc vero cognoscens quod quidam super ea altercarentur, cunctis facio

ντα τὴν ἔκθεσιν, ἣν τοῖς πρὸς Πύρρον τότε γραφεῖσι, καὶ ἔκτοτε Σεργίου χρηματίζει πανταχοῦ εἶναι ἔκθεσις. Τοῦτο ποιήσει καὶ ὁ νῦν εὐσεβῶς βασιλεύων ἡμῶν, καὶ μενεῖ παντελῶς ἄχραντος πάσης μέμψεως ἡ πρόληψις αὐτοῦ. Τότε σείσαντες τὰς κεφαλὰς, ἐσιώπησαν, τοῦτο μόνον εἰρηκότες, ὅλα δυσχερῆ καὶ ἀνέκβατα.

Τούτων καὶ ἑτέρων διαφόρων λαληθέντων, προσκυνηθέντες καὶ προσκυνήσαντες, μετὰ πάσης Ⓑ παρρησίας εἶπεν ὁ μαθητὴς ἀφόβως πρὸς τὴν σύγκλητον· Κωνσταντῖνον εἰσάγετε ἐν σεκρέτῳ παλατίου; Οὗτος οὐκ ἔστιν οὔτε πρεσβύτερος, οὔτε μοναχὸς, ἀλλὰ τριβοῦνος θυμέλης· ἐγνωρίσθη Ἀφροῖς καὶ Ῥωμαίοις, ποῖα γύναικα βόσκων ἦλθεν ἐκεῖσε. Πάντες ἔμαθον τὰς πανουργίας αὐτοῦ, ἃ ἐποίησε πρὸς τὸ λαθεῖν· ποτὲ μὲν λέγων, ὅτι ἀδελφαὶ αὐτοῦ εἰσι, ποτὲ δὲ, ὅτι διὰ τὸ μὴ κοινωνῆσαι τῇ Ἐκκλησίᾳ Κωνσταντινουπόλεως ἐπῆρε αὐτάς, ἵνα μὴ χρανθῶσι τῇ αἱρετικῇ κοινωνίᾳ. Ἀλλὰ καὶ πάλιν ἐὰν λείψῃ αὐτῷ σπατάλη, καὶ εὕρῃ χῶραν μὴ γνωρίζουσαν αὐτὸν, τὰ αὐτὰ ποιεῖ, αἰσχροῦ κέρδους χάριν, καὶ ῥυπαρᾶς ἡδονῆς. Καὶ μεγάλη αἰσχύνη ἐστὶ τὸ κἂν συντυγχάνειν αὐτῷ, τοῖς σεμνῶς βιῶναι θέλουσιν. Εἶτα μετὰ ταῦτα, ἐρωτηθεὶς εἰ τὸν τύπον ἀνεθεμάτισεν; Ἀφόβως εἶπεν· Οὐ μόνον ἀνεθεμάτισα, ἀλλὰ καὶ λίβελλον Ⓒ ἐποίησα. Τί οὖν, οὐχ ὁμολογεῖς πεποιηκέναι κακῶς; Λέγουσιν αὐτῷ οἱ ἄρχοντες. Καὶ λέγει, μὴ δῷ ὁ Θεὸς, ἵνα ὅπερ ἐποίησα καλῶς κατὰ θεσμὸν ἐκκλησιαστικὸν, εἴπω γενέσθαι κακῶς. Καὶ πολλὰ ἄλλα ἐρωτηθεὶς, καὶ ἀποκριθεὶς καθὼς ὁ Θεὸς ἐχωρήγησεν αὐτῷ, ἐξάγεται τοῦ σεκρέτου.

Καὶ εἰσάγουσι τὸν γέροντα, καὶ λέγει πρὸς αὐτὸν κῦρις Τρώϊλος· εἰπέ, ἀββᾶ. βλέπε, εἰπὲ τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἐλεεῖ σε ὁ | δεσπότης· ἐπὶ ἐὰν διὰ τῆς νομίμου διαγνώσεως ἔλθωμεν, καὶ εὕρῃ κἂν ἓν τῶν κατηγορηθέντων σου ἀληθές, ὁ νόμος φονεύσει σε. Καὶ εἶπε· καὶ ἤδη εἶπον, καὶ πάλιν λέγω, ὅτι ἐὰν μόνον ἓν λέγηται εἶναι ἀληθὲς, καὶ ὁ Σατανᾶς Θεὸς ἔστιν· εἰ δὲ οὐκ ἔστι Θεὸς, ἀλλ' ἀποστάτης, καὶ τὰ κατηγορηθέντα μου ψευδῆ, καὶ Ⓓ ἀνυπόστατα. Πλὴν εἴ τι κελεύετε ποιῆσαι, ποιήσατε· Θεὸν σέβων, οὐκ ἀδικοῦμαι. Καὶ λέγει αὐτῷ· Οὐκ ἀνεθεμάτισας τὸν τύπον; Ἀπεκρίθη· Πολλάκις εἶπον, ὅτι ἀνεθεμάτισα. Λέγει αὐτῷ· Τὸν τύπον ἀνεθεμάτισας; τὸν βασιλέα ἀνεθεμάτισας. Ἀπεκρίθη ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· Ἐγὼ βασιλέα οὐκ ἀνεθεμάτισα, ἀλλὰ χάρτην ἀλλότριον τῆς ὀρθοδόξου καὶ ἐκκλησιαστικῆς πίστεως. Καὶ λέγει αὐτῷ· Ποῦ ἀνεθεματίσθη ὑπὸ τῆς συνόδου Ῥώμης; Ἀπεκρίθη· Εἰς τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Σωτῆρος, καὶ εἰς τὴν θεοτόκου. Τότε λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ ἔπαρχος· Κοινωνεῖς τῇ Ἐκκλησίᾳ τῶν ὧδε, ἢ οὐ κοινωνεῖς; Ἀπεκρίθη, καὶ εἶπεν· Οὐ κοινωνῶ. Λέγει αὐτῷ, διὰ τί; Ἀπεκρίθη· Ὅτι ἔξω ἔβαλε τὰς συνόδους. Καὶ εἶπεν, ἐὰν ἔξω ἔβαλε τὰς συνόδους, πῶς εἰς τὰ δίπτυχα ἀναφέρονται; Καὶ

manifestum, quia non est mea. » Hanc fecit jussionem ad beatum Joannem papam, condemnantem Ecthesin in his quæ scripserat tunc ad Pyrrhum. Et ex eo tempore ubique Sergii esse dicitur Ecthesis. Hoc faciat et is qui pie in nobis imperat, et permanebit omnino intemerata ab omni reprehensione opinio ejus. Tunc moventes capita siluerunt, hoc tantum dicentes : Omnia difficilia et perplexa.

His itaque et aliis diversis edictis, adorati et adorantes, cum omni hilaritate discesserunt. Et rursus alio sabbato adduxerunt eos in palatium, et introducunt primo discipulum senis, convenientibus etiam tunc duobus pariter patriarchis. Et ducunt Constantinum et Mennam senis accusatores, exigentes a discipulo, quo acquiesceret his quæ a se dicerentur. Ast discipulus cum fiducia omni ad senatum intrepide dixit : Constantinum introducitis in secretarium palatii? Hic neque presbyter est, neque monachus, sed tribunus thymelicus : innotuit Afris atque Romanis, quales mulierculas pascens illinc venerit. Nam et omnes didicerunt versutias ejus, quas exercuit ut lateret : modo quod sorores suæ fuerint dicens, modo quod, ne communicarent Ecclesiæ Constantinopolitanæ, tulerit eas affirmans, ne videlicet polluerentur hæretica communione. Verum etsi rursus sibi defecerint epulæ, et invenerit locum se non agnoscentem, eadem facit turpis lucri gratia et sordidæ voluptatis. Ingensque confusio est saltem loqui cum eo his qui religiose vivere volunt. Deinde interrogatus si Typum anathematizasset, intrepide dixit : Non solum anathematizavi, sed et libellum feci. Ergone, aiunt ei principes, confiteris te male fecisse? At ille : Non tribuat Deus, ut quod bene et secundum ritum Ecclesiæ feci, dicam factum fuisse non bene. Et super multis interrogatus, cum respondisset secundum quod sibi largitus est Deus, educitur de secretario.

Et introducunt senem, et dicit ad eum domnus Troilus : Dic, abba, vide, die, veritatem, et miserebitur tui dominator. Nam si ad legalem inquisitionem venerimus, et invenerit saltem unum verum ex his de quibus accusaris, lex occidet te. Et dixit : Jam dixi, et iterum dico : si unum tantummodo ex his quæ dicitis est verum, et Satanas Deus est : si vero non est Deus, sed apostata, et ea super quibus accusor falsa sunt et minime subsistentia. Verumtamen quidquid jubetis facere, facite : Deum colens non injuriam patior. Et dicit ei : Non anathematizasti Typum? Respondit : Multoties dixi, quia anathematizavi. Et dicit ei : Typum anathematizasti, imperatorem anathematizasti. Respondit Dei servus : Ego, inquiens, imperatorem non anathematizavi, sed chartam alienam ab ecclesiastica fide. Et dicit ei : Ubi anathematizatus est a Romana synodo? Respondit : In ecclesia Salvatoris, et in Dei Genitricis. Tunc dicit ad eum præfectus : Communicas Ecclesiæ huic, an non communicas? Respondit, et dixit : Non communico. Dicit ei : Quare? Respondit : Quoniam foras ejecit synodos. At ille :

λέγει· Καὶ τίς ὄνησις ὀνομάτων, τῶν δογμάτων ἐκβεβλημένων; καὶ δύνασαι, ἔφη, τοῦτο δεῖξαι; Καὶ εἶπεν· Ἐὰν λάβω ἄδειαν, καὶ κελεύητε, δειχθῆναι ἔχω τοῦτο πάνυ εὐχερῶς. Καὶ σιωπησάντων αὐτῶν, λέγει αὐτῷ ὁ σακελλάριος· Διὰ τί ἀγαπᾷς τοὺς Ῥωμαίους, καὶ τοὺς Ἕλληνας μισεῖς; Ἀποκριθεὶς ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος εἶπε· Παρρησίαν ἔχομεν, τοῦ μὴ μισῆσαί τινα· ἀγαπῶ τοὺς Ῥωμαίους, ὡς ὀρθοδόξους, τοὺς δὲ Ἕλληνας, ὡς ὁμογλώσσους· Καὶ πάλιν λέγει αὐτῷ ὁ σακελλάριος· Πόσων ἐτῶν λέγεις ἑαυτόν; Ἀπεκρίθη, οἱ. Καὶ λέγει αὐτῷ· Πόσους χρόνους ἔχει μετὰ σοῦ ὁ μαθητής σου; Ἀπεκρίθη, λζ. Τότε ἀνέκραξε εἷς κληρικὸς· Ἀπέδωκέ σοι ὁ κύριος, ὅσα ἐποίησας τῷ μακαρίῳ Πύρρῳ. Πρὸς ὃν οὐδὲν ἀπεκρίθη ὅλως.

Τοσούτων δὲ λαληθέντων ἐν τῷ σεκρέτῳ, οὐδεὶς οὐδέν τῶν πατριαρχῶν ἐφθέγξατο. Ἐν δὲ τῷ κινεῖσθαι περὶ τῆς συνόδου Ῥώμης λόγον, κράζει ὁ Δημοσθένης· Οὐ κεκύρωται ἡ σύνοδος, τοῦ συγχροτήσαντος αὐτὴν καθαιρεθέντος. Καὶ λέγει ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· Οὐ καθῃρέθη, ἀλλ' ἐδιώχθη. Ποία γέγονεν ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις συνοδικὴ καὶ κανονικὴ πρᾶξις ἀσφαλῶς ἔχουσα αὐτοῦ τὴν καθαίρεσιν; Πλὴν ἵνα καὶ κανονικῶς καθῃρέθη, οὐ ποιεῖ τοῦτο πρόκριμα τοῖς ὀρθοδόξως κατὰ τοὺς θείους κανόνας κυρωθεῖσιν, οἷς καὶ τὰ γραφέντα παρὰ τοῦ ἐν ἁγίοις πάπα Θεοδώρου συμβαίνουσι. Καὶ λέγει τούτων ἀκούσας Τρώϊλος ὁ πατρίκιος· Οὐκ οἶδας τί λέγεις, ἀββᾶ. Τὸ γενόμενον, γέγονε.

Ταῦτα, ὅσα ἡ μνήμη κατέχει, τὰ κεκινημένα τε καὶ εἰρημένα· καὶ εἰς τοιοῦτον τὰ κατ' αὐτοὺς κατέληξε τέλος· ἀπολύσαντες καὶ τὸν ἅγιον γέροντα τοῦ σεκρέτου, ἐν τῇ φρουρᾷ. Καὶ τῇ ἐπαύριον, ἤ τις ἦν κυριακή, συμβούλιον ποιήσαντες οἱ τῆς Ἐκκλησίας, ἔπεισαν τὸν βασιλέα, ταύτην αὐτοὺς καταχρῖναι τὴν πικρὰν καὶ ἀπάνθρωπον ἔξοριαν· διῃρημένους ἀλλήλων, τὸν μὲν ἅγιον γέροντα εἰς Βιζύην κάστρον τῆς Θρᾴκης, τὸν δὲ μαθητὴν αὐτοῦ εἰς Πέρβερι, ὁ οὐκ ἔχει ἐξώτερον βῆμα ποδὸς ἡ Ῥωμαίων βασιλεία, ἀπρονοήτους, γυμνούς, ἀτρόφους, πάσης τῆς πρὸς τὸ ζῆν ἀφορμῆς ἐστερημένους, μὴ ἐγγίζοντας θαλάσσῃ, ἵνα μὴ ἔχωσιν ἐκ τῶν ἐλεημόνων ἐπίσκεψιν. Καὶ οὕτως εἰσὶ γυμνοὶ καὶ ἄτροφοι, μόνην ἔχοντες τὴν ἐλπίδα τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντες πάντας τοὺς Χριστιανούς, τοῦτο βοῶντες· Εὔξασθαι διὰ τὸν Κύριον, ἵνα τελειώσῃ ὁ Θεὸς τὸ ἔλεος αὐτοῦ μετὰ τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, καὶ διδάξῃ ἡμᾶς. Ὅτι οἱ συμπλέοντες αὐτῷ, πεῖραν λαμβάνουσι θαλάσσης, ἀνέμοις καὶ κύμασι δονουμένου μὲν τοῦ σκάφους, ἀκατασείστου δὲ διαμένοντος. Συγχωρεῖ γὰρ κλύδωνος μεγάλου αὐτοὺς περιρρηνῆναι, δοκιμάζων αὐτῶν τὴν περὶ αὐτὸν διάθεσιν, ἵνα μεγάλῃ τῇ φωνῇ κράξωσι· « Κύριε, σῶσον ἡμᾶς, ἀπολλύμεθα, » καὶ μάθωσι πάντα μόνῳ αὐτῷ ἐπιγράφειν, τὰ τῆς αὐτῶν σωτηρίας. Καὶ μὴ πεποιθότες ὦσιν ἐφ' ἑαυτοῖς, καὶ τύχωσι γαλήνης μεγάλης, τοῦ ἀνέμου καὶ τῶν κυμάτων κατευνασθέντων· καὶ εἰς μέσον λύκων αὐτοὺς ἐκδίδωσι, καὶ διὰ τῆς στενῆς πύλης εἰσελθεῖν,

A Si foras, inquit, ejecit synodos, quomodo in diptychis recitantur? Et dicit : Et qui profectus est nominum, cum dogmata sint ejecta? Et potes, ait, hoc ostendere? Et dixit : Si accepero licentiam, et jusseritis, ostendetur hoc oppido facile. Et tacentibus omnibus, dicit ei sacellarius : Quare diligis Romanos, et Græcos odio habes? Respondens autem Dei servus ait : Præceptum habemus ne quemquam odio habeamus. Diligo Romanos ut unam mecum habentes fidem : Græcos autem, ut eadem qua ego lingua loquentes. Et iterum dicit ei sacellarius : Quot annorum dicis esse teipsum? Respondit, septuaginta quinque. Et dicit ei : Quot annos habet tecum discipulus tuus? Respondit, triginta septem. Tunc unus clericorum exclamavit : Retribuit tibi Deus quæ-

B cunque fecisti beato Pyrrho. Ad quem nihil omnino respondit.

Cum autem tanta in secretario dicta fuissent, nullus penitus patriarcharum quidquam effatus est. Cumque sermo de synodo Romana motus exstitisset, clamat Demosthenes : Non est firma synodus, eo, qui hanc celebravit, deposito. Ad quod servus Dei : Non, inquit, depositus est, sed expulsus. Nam quæ sub gestorum serie synodica et canonica facta est actio continens ejus diligenti relatione depositionem? Verumtamen, etiamsi canonice depositus exstitisset, non faceret hoc præjudicium his quæ orthodoxe secundum sacras regulas sunt firmata : quibus etiam, quæ scripta sunt a sanctæ memoriæ papa Theodoro, congruunt. Et dicit, his auditis, domnus Troilus ;

C Nescis quid dicas abba. Quod factum est, factum est.

Hæc sunt, quantum memoria retinet, quæ mota et dicta sunt, et tali ea quæ in illos gesta fuere terminata sunt fine, dimisso quoque sancto sene a secreto in carcerem. Postera vero die quæ fuit Dominica, concilio facto, hi qui erant Ecclesiæ persuaserunt piissimo imperatori, hoc eos amaro et inhumano exsilio condemnandos et ab invicem dividendos; sanctum quidem senem penes Dysoben castrum Thraciæ provinciæ ; porro discipulum ejus apud Perberim, quo exterius nec passus pedis Romanorum habet imperium, nudos, sine provisione, sine causa, atque omni ad vivendum occasione carentes, non appropinquantes mari, ne haberent ex misericordibus

D visitationem. Et ita sunt nudi, et sine alimentis, solam habentes spem Dei : et hoc omnes Christianos rogantes atque clamantes : Orate propter Dominum, ut consummet Deus misericordiam suam cum humilitate nostra, et doceat nos. Nam et ipsi qui cum eo navigant efferi experimentum accipiunt maris, ventis quidem et fluctibus scapha concussa, sed stabili penitus permanente. Permittit quippe magnis eos tentari procellis, eorum erga se probans affectum, quatenus voce grandi exclament : *Domine, salva nos, perimus*, discantque omnia illi soli ascribere, quæ suæ noscuntur esse salutis : et ne confidentes sint in se, tranquillitatemque consequantur magnam, ventis sedatis et fluctibus : et in medium eos luporum dat

καὶ διὰ τεθλιμμένης ὁδεύειν τρίβου παρακελεύεται, καὶ λιμὸν καὶ δίψαν, καὶ γύμνωσιν, καὶ δεσμά, καὶ φυλακάς, καὶ ἀπαγωγάς, καὶ μάστιγας, καὶ σταυρόν, καὶ ἧλους, καὶ ὄξος, καὶ χόλην, καὶ ἐμπτύσματα, καὶ ῥαπίσματα, καὶ κολαφίσματα, καὶ ἐμπαιγμοὺς προτείνεται, καὶ πάθος, καὶ θανάτους πολυτρόπους· ὧν τέλος, ἡ παμφαὴς ἀνάστασις, φέρουσα μεθ' ἑαυτῆς εἰρήνην τοῖς δι' αὐτὸν διωχθεῖσι, καὶ χαρὰν τοῖς δι' αὐτὸν θλιβεῖσι, καὶ ἀνάληψιν εἰς οὐρανούς, καὶ προσαγωγὴν τῷ πατρικῷ καὶ ὑπερουσίῳ θρόνῳ, καὶ λῆξιν ὑπὲρ ἄνω πάσης ἀρχῆς οὐσιαν, καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως, καὶ κυριότητος, καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου, εἴτε ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, εἴτε ἐν τῷ μέλλοντι· ὧν τύχοιμεν ἅπαντες, εὐχαῖς καὶ πρεσβείαις τῆς πανυμνήτου, καὶ πανσέπτου, καὶ ὑπερενδόξου κυρίως φύσει θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου, Μαρίας, καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, προφητῶν καὶ μαρτύρων. Ἀμήν.

A et per angustam portam intrare et per arctam incedere semitam jubet, et famem ac sitim, et nuditatem, et vincula, et carceres, et abductiones, et verbera, et crucem, et clavos, et acetum, et fel, et sputa, et alapas, et colaphos et ludibria proponit, et passionem, et mortes multimodas : quorum finis splendidissima est resurrectio, ferens secum pacem his qui propter illum persecutionem sunt passi, et ascensum in cœlos, et ascensum ad paternum et consubstantialem thronum, et sortem quæ est super omnem principatum, potestatem, et virtutem, et dominationem et omne nomen quod nominatur, sive in hoc sæculo, sive in futuro. Cujus participes efficiamur omnes, orationibus et intercessionibus superlaudabilis et præ omnibus venerabilis et gloriosæ, proprie B ac natura Dei genitricis, semperque virginis Mariæ, sanctorumque apostolorum, prophetarum ac martyrum. Amen.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΑΒΒΑ ΜΑΞΙΜΟΥ
πρὸς Ἀναστάσιον μονάζοντα.

Χθὲς ὀκτωκαιδεκάτῃ τοῦ μηνός, ἥτις ἦν ἡ ἁγία Πεντηκοστή, ὁ πατριάρχης ἐδήλωσέ μοι λέγων· Ποίας ἐκκλησίας εἶ; Βυζαντίου, Ῥώμης, Ἀντιοχείας, Ἀλεξανδρείας, Ἱεροσολύμων; Ἴδου πᾶσαι μετὰ τῶν ὑπ' αὐτὰς ἐπαρχιῶν ἡνώθησαν. Εἰ τοίνυν εἰ τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, ἑνώθητι, μήπως ξένην ὁδὸν τῷ βίῳ καινοτομῶν, πάθῃς ὑπὲρ οὐ προσδοκᾷς. Πρὸς οὓς εἶπον· Καθολικὴν Ἐκκλησίαν, τὴν ὀρθὴν καὶ σωτήριον τῆς εἰς αὐτὸν πίστεως ὁμολογίαν, Πέτρον μακαρίσας ἐφ' οἷς αὐτὴν καλῶς ὁμολόγησεν, ὁ τῶν ὅλων εἶναι Θεὸς ἀπεφήνατο. Πλὴν μάθω τὴν ὁμολογίαν, ἐφ' ἧν πασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν γέγονεν ἡ ἕνωσις, καὶ τοῦ γενομένου καλῶς, οὐκ ἀλλοτριοῦμαι. Καὶ φασὶ· κἂν οὐκ ἔχωμεν περὶ τούτου κέλευσιν, λέγομεν C διὰ τὸ γενέσθαι σε πάντως ἀπροφάσιστον. Δύο λέγομεν ἐνεργείας διὰ τὴν διαφοράν, καὶ μίαν διὰ τὴν ἕνωσιν. Τὰς δύο διὰ τὴν ἕνωσιν μίαν φατὲ γεγονέναι, ἢ παρὰ ταύτας, εἶπον, ἑτέραν; Οὔ, φασιν, ἀλλὰ τὰς δύο μίαν διὰ τὴν ἕνωσιν. Ἀπηλλάγημεν πραγμάτων, ἔφην, ἑαυτοῖς ἀνυπόστατον πίστιν, καὶ Θεὸν ἀνύπαρκτον πλάσαντες. Εἰ γὰρ εἰς μίαν συγχέομεν τὰς δύο διὰ τὴν ἕνωσιν, καὶ πάλιν εἰς δύο διαιροῦμεν διὰ τὴν διαφοράν, οὐκ ἔσται μονὰς οὔτε δυὰς, ἐνεργειῶν ἀλλήλαις ἀναιρουμένων ἀεί, καὶ ποιουσῶν ἀνενέργητον ᾧ προσπέφυκαν, καὶ παντελῶς ἀνύπαρκτον. Τὸ γὰρ μηδεμίαν ἔχον ἐκ φύσεως ἀναφαίρετον, καὶ μηδενὶ λόγῳ τροπῆς ἀλλοιουμένην καὶ μεταπίπτουσαν κίνησιν, πάσης οὐσίας ἐστέρηται κατὰ τοὺς Πατέρας, οὐκ ἔχον ἐνέργειαν οὐσιωδῶς αὐτὸ χαρακτηρίζουσαν. Τοῦτο οὖν λέγειν οὐ δύναμαι, οὔτε ἐδιδάχθην παρὰ τῶν ἁγίων Πατέρων ὁμολογεῖν· τὸ δοκοῦν ὑμῖν, οὕτω ἐξουσιασταῖς, ποιήσατε· Οὐκοῦν ἄκουσον, ἔφησαν, ἔδοξε τῷ δεσπότῃ καὶ τῷ πατριάρχῃ, διὰ πραικέπτου τοῦ πάππα Ῥώμης, ἀναθεματισθῆναί σε μὴ πειθόμενον, καὶ τὸν ὁριζόμενον αὐτοῖς ἀπενέγκασθαι θάνατον. Τὸ τῷ Θεῷ πρὸ παντὸς αἰῶνος ὁρισθὲν ἐν ἐμοὶ δέξοιτο πέρας, φέρον αὐτῷ δόξαν πρὸ παντὸς ἐγνωσμένην αἰῶνος, αὐτοῖς τοῦτο ἀκούσας ἀπεκρινάμην. Καὶ πρὸς τὸ γνῶναί σε, καὶ προσθήκην εὐχῆς τῷ Θεῷ ποιήσασθαι καὶ δεήσεως, ἐμφανῆ σοι τὰ δηλωθέντα πεποιη-

EJUSDEM S. ABBATIS MAXIMI
ad Anastasium monachum discipulum suum.

Heri, quod fuit octava decima mensis dies qua solemnitas agebatur sanctæ mediæ Pentecostes, patriarcha significavit mihi dicens : Cujus Ecclesiæ es? Constantinopolitanæ, Romanæ, Antiochenæ, Alexandrinæ, an Hierosolymitanæ? Ecce omnes una cum subditis sibi provinciis adunatæ sunt. Igitur si es catholicæ Ecclesiæ, unire, ne forte extraneam et novam viam conversatione tua reperiens, patiaris quod non speras. Ad quos dixi : Catholicam Ecclesiam Deus omnium esse prænuntiavit rectam et salutarem fidei in se habitæ confessionem, Petrum beatum dicens in quibus se bene confessus est. Verumtamen C discam confessionem, supra quam omnium Ecclesiarum facta est unitas, et ab eo quod bene gestum est nequaquam alienabor. Et aiunt : Licet non habeamus super hoc jussionem, dicimus ut efficiaris penitus inexcusabilis. Duas fatemur operationes ob diversitatem, et unam propter unitionem. Duas propter unitatem asseritis factas, an præter has, dixi, aliam? Non, inquiunt, sed duas unam propter unitionem. Caruimus, dixi, rebus, nobismetipsis sine subsistentia fidem, et sine existentia Deum fingentes. Si enim in unam confundimus duas propter unitionem, et rursus in duas separamus unam propter differentiam, non erit unalitas, neque dualitas, operationibus invicem separatis semper et patrantibus inoperativum et penitus insubstantivum eum cui inerant. Quod enim ex natura nullum habet qui auferri possit, vel aliqua ratione vicissitudinis commutari et intercidere, motum, omni caret substantia, secundum Patres, non habens operationem substantialiter se characterizantem. Hoc itaque dicere nequeo. Neque enim sic edoctus sum a sanctis Patribus confiteri. Quod libuerit vobis, potestativi cum sitis, facite. Ergo audi, dixerunt : Visum est dominatori et patriarchæ per præceptum papæ Romani ut anathematizeris nisi obedias, et destinatam ab eis perferas mortem. Quod a Deo ante omne diffinitum est sæculum finem acciviat, feren

τα, παρακολῶν τῷ κυρίῳ Θεῷ, καὶ τοῖς ἐκεῖ σὺν αὐτῷ Πατράσιν ὑμῶν ἁγίοις γνώριμα κατασταῦσαι ταῦτα, τῆς αὐτῆς χάριν αἰτίας.

A sibi gloriam ante omne sæculum scitam, illis, cum hæc audirem, respondebam. Et ut cognoscas et additamentum orationis et deprecationis facias Deo, manifesta tibi quæ denuntiata sunt mihi exhibui: rogans quatenus hæc domno Thio, et sanctis Patribus qui illic simul cum eo sunt, nota constituas ejusdem rei gratia.

Anastasius

Hæc jussit mihi transcribere et nota facere sanctissimis vobis: quo et ex his motione comperta, communem omnes pro communi matre nostra, catholica videlicet Ecclesia, et nobis indignis servis vestris afferatis Domino precem, ad roborandum omnes et nos quoque in illa vobiscum perseverantes, secundum pie in ipsa prædicatam a sanctis Patribus

B

orthodoxam fidem. Magnus enim in toto mundo timor habetur, cum hæc persecutionem consonanter ab omnibus patiatur, nisi sua gratia consuete præstet auxilium is qui semper auxiliatur, semen pietatis saltem seniori Romæ relinquens, nobis non mentientem ad apostolorum habitam principem repromissionem suam confirmans.

EJUSDEM S. ANASTASII MONACHI

Discipuli S. abbatis Maximi

Ad commune monachorum apud Caralim constitutorum collegium.

Multa scribere nos etiam præter votum tempus prohibuit. Omnia vero in uno nota facimus verbo sanctissimis vobis. Hi qui alterius sunt partis, diffinitione immobili, ut est, et propriæ maxime professionis constitui paternam non malunt doctrinam, sed alterius impelluntur opinionibus quas et dinumerare operosum de cætero duco. Modo ergo ab inexistentia ad inconvenientiam translati sunt: id est, ex eo quod neque unam, neque duas dicunt, ad prædicandum duas et unam, id est tres in uno eodemque Christo voluntates et operationes traducti, quod neque patrius, neque synodicus, neque physicus sermo decrevit: sed neque priscorum et deinceps hæreticorum furor eatenus adinvenit, sciens inanem tanquam vitio proprio corruptam eamdem opinionem. Si enim diversæ ex diversis compositum substantiis characterizant naturaliter proprietates, utpote nullatenus adempta naturarum diversitate propter unitionem, sed salva potius proprietate utriusque naturæ et in unam personam et unam subsistentiam concurrente, quemadmodum sancta Chalcedonensis synodus ait: et is Deus ex Deo Patre, et homo ex homine semper virgine matre, idem ipse existens cognoscitur juxta naturam natus, quanquam incorporaliter et sine causa; corporaliter autem ex hac propter causam, salutem videlicet nostram: quomodo possibile est unam eamdemque personam, id est unum eumdemque Christum Dominum nostrum et Deum, super duas etiam alia secundum ipsos proprietate naturaliter figurari, ad certitudinem eorum ex quibus, et in quibus et quæ est? Si enim eædem creduntur etiam per aliam, id est per tertiam, quæ et per dualitatem voluntates et operationes ejus quæ secundum naturam sunt: necesse est ut identitate exhibitionis indissimilitas

C

D

cognoscatur existentiæ, et sit idem duabus una, id est alterutris tres, sive naturales, sive substantiales.

Verum, naturales quidem non, sed, secundum illos, subsistantiales, aggregentque ob hoc adversus eum jam aut tres substantias, aut totidem subsistentias, et secundum ipsum æqui numeri proprietates, increatam videlicet et creatam, et neutram, id est inexistentem. Inexistens enim est quod neutrius per naturam participatur, ita ut etiam identitate quæ ad eam, id est tertiam, est, secundum illos inexistentes sint et duæ naturæ, et naturales ipsius voluntates et operationes. At vero si non eadem, sed alia, exceptis his ex quibus est credendus, in eo per tertiam aiunt, eumdem secundum, eamdem, rursus proferunt inexistentiam, velut is qui medius inter neutram harum existat, increatam scilicet natura sua, et creatam substantiam atque virtutem: aut enim subsistentialem volunt hanc esse, aut compositam, aut deivirilem, aut unitoriam propter adunationem. Nam non solum, ut dictum est, hanc non existentem introducunt, quod secundum nihil eorum ex quibus est naturam hunc characterizet: verum etiam a naturali cognatione, quam habet cum Deo et Patre, reddunt externum. Minus enim dicendum, quia perhibent eum, etiam a congenita proprietate quam habet ad intemeratam matrem et virginem, alienum: quasi secundum neutrum horum habeat compositam, aut subsistentialem, aut deivirilem, aut unitoriam propriam voluntatem et operationem. Verum Patris quidem incompositam sine principio habet, et substantialem atque divinam; matris vero creatam natura et humanam.

Deinde etiam divisas naturas ex quibus ipse est inferunt, quasi per operationem, et non per sub-

sistentiam sibi unitas innotescat, si propter unitatem unam operationem dogmatizent : quod hi qui in divisione corrupti sunt dicunt, affectuosam hanc esse operationem fabulose fingentes. Sic autem et confusioni locum tribuentes et deivirilem secundum Severum male interpretantur, unam hanc, sed non duas secundum unitionem divinam natura et virilem significare contendentes, et hanc Deiviri quamdam naturam, sed non virum factum Deum sibimet subindicunt, præsertim cum hoc prævidens etiam vere deiphantor Dionysius [a], non unam vocaverit hanc, sed nova quadam deivirili nobis eum dixerit operatione conversatum. Ostendens non alteram ab altera disjunctam, sed ambas per alterutras connaturaliter adunatas, in eorum ex quibus, et in quibus et quæ erat, certitudinem proferendas, et, ut [b] paterne dicamus [c], cum alterius communione horum utrumque. Ita ut mirabiles quidem passiones, compassibilia vero, procul dubio miracula cognoscantur per omnimodam coaptationem eorum, quæ ab eo naturaliter gesta sunt. Dupla enim omnia, et vera omnia, et unita omnia prædicant in eo qui duplici est natura, ea quæ secundum naturam sunt Dei præcones et Patres nostri. Quibus, ut dictum est, suum corrigere nolentes sermonem, adhuc et senioris Romæ propriæ consentire sectæ coegerunt apocrisiarios, unam super duas, id est tres secum prædicandi in eodem Domino nostro Jesu Christo voluntates et operationes, similem scientiæ ligno gustum commiscentes, A quemadmodum et isti fidem ex bono et malo proferunt affectantibus. Unde et talibus circumvenientes litteris ei qui miserat mittunt. Quia ergo in magno propter hæc periculo sunt res pene totius catholicæ et apostolicæ Dei Ecclesiæ constitutæ, pro ea deprecamur et obsecramus sanctissimos viros, ne hanc despiciatis periclitantem, sed adjuvetis tempestatibus laborantem, scientes in tempore tribulationis dilectionem, quæ in Spiritu sancto est, nasci : et si possibile est vos transire citius, quasi alia pro causa, ad senioris Romæ pios et firmos ut petram viros : qui videlicet vobiscum tutores nostri sunt semper, et propugnatores ferventissimi veritatis, obsecrare hos supplicatoriis vocibus et lacrymis pro omnibus Christianis, quatenus mercedem a Domino sortiantur : omnibus similiter et sibimet absque novitate recens super ea minus plusve suscipientes vel approbantes, præter quæ diffinita sunt a sanctis Patribus ac synodis, ut boni studii sui æmulatione hoc maximum cum Deo auxilio directe prosequentes opus, cum illis sive nunc, sive in die judicii, Dominum habeant debitorem, quem nimirum habuerunt in talibus creditorem, non aliud quid præter se, sed ipsum totum, totis vobis atque illis in æternas delicias et refectionem donantem : quem et nos habere adversus Arianos qui continuantur hic, supplicate Deo, beati et nostræ ad Deum deductionis prævii, cum simus egeni, pauperes, et indigni servi vestri. B C

[a] Epist. ad Caium.
[b] *Paterne.* Patrum more sive verbis.
[c] Leo papa epist. ad Flavianum.

ΤΟΜΟΣ Β. ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ καὶ ὁμολογητοῦ Μαξίμου, περὶ τῶν πραχθέντων ἐν τῇ πρώτῃ αὐτοῦ ἐξορίᾳ, ἥτοι ἐν Βιζύῃ· τὰ παρὰ τοῦ Θεοδοσίου ἐπισκόπου Καισαρείας Βιθυνίας, καὶ αὐτοῦ διαλεχθέντα.

TOMUS [a] continens relationem de dogmatibus, quæ mota sunt inter S. Maximum et Theodosium episcopum Cæsareæ Bithyniæ, seu consules qui cum eo erant.

Τὰ κεκινημένα περὶ τῆς ἀμώμητου ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν πίστεως, καὶ τῆς τῶν δι' ἐναντίας παρεισάκτου καινοτομίας, μεταξὺ τοῦ ἁββᾶ Μαξίμου, καὶ Θεοδοσίου ἐπιτκόπου Καισαρείας ἀναγκαῖον ἡγησάμην κατάδηλον ποιῆσαι πᾶσιν ὑμῖν τοῖς ἐν ὀρθοδοξίᾳ διατελοῦσιν, ἵνα ἀκριβέστερον τὰ περὶ τούτων εἰδέναι ἔχοντες, δοξάζητε μᾶλλον τὸν φιλάνθρωπον Θεὸν, τὸν διδόντα λόγον ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματος τῶν φοβουμένων αὐτόν. Μήπως συνήθως οἱ ἐχθροὶ τῆς ἀληθείας, τἀναντία ταύτης διαφημίζοντες, ἐταράξωσιν ὑμῶν τὰς καρδίας.

Quæ mota sunt de immaculata nostra Christianorum fide, atque subintroducta contrariorum novitate inter abbatem Maximum et Theodosium episcopum Cæsareæ Bithyniæ, necessarium duxi manifesta facere omnibus vobis qui in orthodoxia consistitis : ut, cum certius de his scire visi fueritis, glorificetis magis ac magis amatorem hominum Deum qui dat verbum in apertione oris timentium se : ne forte, more solito veritatis inimici huic contraria diffamantes, corda vestra conturbent.

Τοιγαροῦν τῇ εἰκοστῇ τετάρτῃ τοῦ Αὐγούστου μηνὸς τῆς νυνὶ παρελθούσης τεσσαρεσκαιδεκάτης ἐπινεμήσεως, ἐξῆλθε πρὸς αὐτὸν ἐν ᾗ παρεφυλάττετο ἐξορίᾳ, τουτέστιν ἐν κάστρῳ Βιζύης, ὁ προρηθεὶς ἐπίσκοπος Θεοδόσιος, ὡς εἶπεν, ἐν προσώπου Πέτρου τοῦ προίδρου Κωνσταντινουπόλεως πεμφθείς· καὶ Παῦλος, καὶ Θεοδόσιος οἱ ὕπατοι, ὡς εἶπον καὶ αὐτοὶ ἐκ προσώπου βασιλέως πεμφθέντες. Καὶ ἀνελθόντες πρὸς τὸν εἰρημένον μοναχὸν Μάξιμον, ἐν ᾧ τόπῳ ἀπεκέκλει-

Igitur nono Kal. Septembrias, quæ nunc transacta est quartæ decimæ indictionis, exivit ad eum in exsilium, in quo positus servabatur, id est ad castrum Bizyæ, prædictus episcopus Theodosius, ex persona, ut dixit, Petri Constantinopolitani præsulis missus, necnon et Paulus ac Theodosius consules, ut fassi sunt, et ipsi ex persona imperatoris directi. Et, cum ascendissent ad prædictum monachum Maximum in locum in quo retrusus habebatur, sede-

[a] *Tomus alter sancti Patris nostri Maximi ac confessoris : quæ gesta sunt in primo ejus exsilio, id est Bizyæ : quæ scilicet inter Theodosium Cæsareæ Bithyniæ episcopum ipsumque fuerunt disputata.* Sirm.

στό, ἐκάμισαν, καὶ ἐπέτρεψαν καὶ αὐτὸν καθίσαι, συνόντος αὐτοῖς καὶ τοῦ ἐπισκόπου Βιζύης· καὶ λέγει πρὸς αὐτὸν ΘΕΟΔΟΣΙΟΣ ὁ ἐπίσκοπος· Πῶς ἔχεις, κῦρι ἀββᾶ; ΜΑΞΙΜΟΣ. Ὡς προώρισεν ὁ Θεὸς πρὸ πάντων τῶν αἰώνων τὴν περὶ ἐμὲ προνοητικὴν διεξαγωγήν, οὕτως ἔχω. ΘΕΟΔ. Τί οὖν, πρὸ παντὸς αἰῶνος περὶ ἑκάστου ἡμῶν, ὥρισεν [a] ὁ Θεός, ΜΑΞ. Εἴπερ προέγνω, πάντως καὶ προώρισε. ΘΕΟΔ. Τί ἐστιν αὐτὸ τὸ, προέγνω, καὶ προώρισεν, ΜΑΞ. Ἡ πρόγνωσις τῶν ἐφ' ἡμῖν ἐννοιῶν καὶ ἔργων ἐστίν, ὁ προορισμὸς δὲ τῶν οὐκ ἐφ' ἡμῖν συνβαινόντων ἐστί. ΘΕΟΔ. Ποῖά ἐστι τὰ ἐφ' ἡμῖν, καὶ ποῖα τὰ οὐκ ἐφ' ἡμῖν; ΜΑΞ. Ὡς ἔοικε, πάντα γινώσκων ὁ δεσπότης μου, δοκιμαστικῶς διαλέγεται πρὸς τὸν δοῦλον αὐτοῦ. ΘΕΟΔ. Μὰ τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ, ἀγνοῶν ἠρώτησα, καὶ μαθεῖν θέλων τὴν B διαφορὰν τῶν ἐφ' ἡμῖν, καὶ οὐκ ἐφ' ἡμῖν· καὶ πῶς τὰ μὲν ὑπὸ τὴν πρόγνωσιν τοῦ Θεοῦ ὑπάρχουσι, τὰ δὲ ὑπὸ τὸν προορισμὸν ὦσιν. ΜΑΞ. Ἐφ' ἡμῖν ἐστι τὰ ἐκούσια πάντα, τουτέστιν ἀρέται καὶ κακίαι· οὐκ ἐφ' ἡμῖν δέ, αἱ ἐπιφοραὶ τῶν συμβαινόντων ἡμῖν πολαστικῶν τρόπων, ἢ τῶν ἐναντίων· οὔτε γὰρ ἐφ' ἡμῖν ἐστιν ἡ κολάζουσα νόσος, οὔτε ἡ εὐφραίνουσα ὑγεία, καὶ αἱ ποιότητες καὶ αἱ τούτων αἰτίαι. Οἷον αἰτία νόσου ἀταξία, ὥσπερ καὶ ὑγείας εὐταξία· καὶ βασιλείας οὐρανῶν αἰτία, ἡ τῶν ἐντολῶν φυλακή, ὥσπερ καὶ πυρὸς αἰωνίου, ἡ τούτων παράβασις. ΘΕΟΔ. Τί οὖν, διὰ τοῦτο θλίβη ἐν τῇ ἐξορίᾳ ταύτῃ, ἐπειδὴ ἄξιά τινα ἐποίησας ταύτης τῆς θλίψεως; ΜΑΞ. Παρακαλῶ, ἵνα ὁ Θεὸς ταύτῃ τῇ θλίψει περιορίσῃ τὰς ἐκτίσεις, ὧν ἥμαρτον C αὐτῷ ἐν τῇ παραβάσει τῶν αὐτοῦ δικαιωτικῶν ἐντολῶν. ΘΕΟΔ. Οὐκ ἔστι δοκιμῆς ἕνεκεν ἐπαγομένη θλῖψις πολλοῖς; ΜΑΞ. Ἡ δοκιμὴ τῶν ἁγίων ἐστίν, ἵνα φανερωθῶσι διὰ τῆς θλίψεως τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων αἱ περὶ τὸ φύσει καλὸν διαθέσεις αὐτῶν, ἑαυταῖς συνεισφαίνουσαι τὰς ἠγνοημένας πᾶσιν ἀρετάς, ὡς ἐπὶ Ἰὼβ καὶ Ἰωσήφ. Ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ φανερώσει τῆς κεκρυμμένης ἀνδρείας ἐπειράζετο· ὁ δέ, ἐπ' ἐπαινέσει τῆς ἁγιαστικῆς σωφροσύνης ἐδοκιμάζετο. Καὶ πᾶς τῶν ἁγίων ἀκουσίως ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ θλιβείς, ἐπί τισι τοιαύταις οἰκονομίαις ἐθλίβετο, ἵνα διὰ τῆς ἀσθενείας τῆς συγχωρουμένης αὐτοῖς ἐπαχθῆναι, τὸν ὑπερήφανον καὶ ἀποστάτην πειρατήσωσι δράκοντα, τουτέστι τὸν διάβολον. Ἡ γὰρ ὑπομονὴ, δοκιμῆς ἔργον ἐστὶν ἐφ' ἑκάστου τῶν ἁγίων. ΘΕΟΔ. Μὰ τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ, καλῶς εἶπας· καὶ ὁμολογῶ D τὴν ὠφέλειαν, καὶ ἐζήτουν ἀεὶ ἐν τοῖς τοιούτοις συνδιαλέγεσθαι ὑμῖν. Ἀλλ' ἐπειδὴ ἐπ' ἄλλῳ κεφαλαίῳ κἀγὼ καὶ οἱ δεσπόται μοῦ οἱ μελλοπατρίκιοι πρὸς σὲ γεγόναμεν, καὶ τοσαῦτα διαστήματα ἤλθομεν, παρακαλοῦμέν σε τὰ παρ' ὑμῶν προτεινόμενα δέξασθαι, καὶ χαροποιῆσαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. ΜΑΞ. Ποῖα ταῦτά εἰσι, δέσποτα, καὶ τίς ἐγὼ, καὶ πόθεν εἰμί, ἵνα ἡ ἐπὶ τοῖς προτεινομένοις μοι συγκατάθεσις χαροποιήσῃ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην; ΘΕΟΔ. Μὰ τὴν ἀλήθειαν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἅπερ λέγω σοι, ἐγώ τε καὶ οἱ δεσπόται μου μελλοπατρίκιοι, ἐκ τοῦ στόματος τοῦ δεσπότου ἡμῶν τοῦ πατριάρχου, καὶ τοῦ εὐσεβοῦ δεσπότου τῆς οἰκουμένης ἠκούσαμεν. ΜΑΞ. Κελεύσατε οἱ δεσπόται μου εἰπεῖν ἅπερ βούλεσθε, καὶ ἅπερ ἠκούσατε.

runt et præceperunt etiam et ipsum sedere. Aderat autem cum illis etiam episcopus Bizyæ. Et dicit ad eum Theodosius episcopus: Quomodo habes, abba? Et Maximus ad eum; Sicut prædestinavit Deus ante omnia sæcula provisoriam fore circa me dispensationem, sic habeo. Theod. Ergone prædestinavit Deus ante omne sæculum quæ circa singulos sunt? Max. Si præscivit, utique et prædestinavit. Theod. Quid est hoc ipsum quod asseris, præscivit et prædestinavit? Max. Præscientia est cogitationum, et sermonum et operum quæ ex nobis sunt: prædestinatio vero eorum est quæ ex nobis non accidunt. Theod. Quæ sunt illa, quæ ex nobis sunt, et quæ ex nobis non sunt? Max. Ut liquido patet, omnia sciens dominus meus probando interrogat servum suum. Theod. Per veritatem Dei ignorans, et discere volens, percontatus sum differentiam eorum quæ sunt ex nobis, et quæ non sunt ex nobis, et qualiter quædam sub præscientia Dei, quædam vero sub prædestinatione consistunt. Max. Ex nobis sunt voluntaria omnia, id est virtutes et vitia. Non ex nobis autem sunt illationes accidentium nobis pœnalium modorum, vel his contrariorum. Neque enim ex nobis est vel nocens langnor, vel lætificans sanitas, licet operatrices horum causæ ex nobis existant: utputa intemperantia causa est languoris, quemadmodum temperantia causa est sanitatis. Et regni cœlestis causa mandatorum custodia, quemadmodum et ignis æterni horum transgressio. Theod. Ergone propter hoc tribularis in exsilio isto, quoniam digna quædam hac tribulatione gessisti? Max. Rogo, ut Deus hac tribulatione remediatur excessus meos, quibus ei peccavi in prævaricatione justificationum mandatorum suorum. Theod. Non est etiam probationis causa tribulatio multis illata? Max. Probatio sanctorum est, ut scilicet per tribulationes vitæ hominum manifestentur affectus eorum, qui sunt circa id quod est naturaliter bonum, sibimet insinuantes ignotas omnibus virtutes suas, ut in Job et Joseph. Siquidem alter ad manifestationem absconsæ fortitudinis tentabatur, alter vero ad declarationem sanctificatoriæ pudicitiæ probabatur. Et omnis sanctus non sponte tribulatus ad quasdam hujuscemodi dispensationes tribulatur: ut per infirmitatem qua permittitur molestiam pati, superbum et apostatam draconem conculcet, id est diabolum. Patientia enim probationis opus est in unoquoque sanctorum. Theod. Per veritatem Dei bene dixisti, et confiteor utilitatem, et quærebam in talibus semper disputare vobiscum. Sed quia pro alio capitulo ego et domini mei futuri patricii profecti sumus, et per tot intervalla locorum advenimus, rogamus te quæ a nobis proferuntur suscipere, et totum orbem lætificare. Max. Quæ sunt hæc, domine? vel quis ego et unde sum, ut in his quæ protenduntur mihi, consensus meus totum lætificet orbem? Theod. Per veritatem Domini nostri Jesu Christi, quod dico tibi ego et domini mei futuri patricii, ex ore domini nostri

[a] *Forte* προώρισεν

ΘΕΟΔ. Παρακαλεῖ ὁ βασιλεὺς καὶ ὁ πατριάρχης δι' ἡμῶν, μαθεῖν παρὰ σοῦ, διὰ ποίαν αἰτίαν οὐ κοινωνεῖς τῷ θρόνῳ Κωνσταντινουπόλεως; ΜΑΞ. Ἔχετε περὶ τούτου ἐπιτροπὴν ἔγγραφον παρὰ τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως, ἢ παρὰ τοῦ πατριάρχου; ΘΕΟΔ. Οὐκ ὤφελες, δέσποτα, ἀπιστῆσαι ἡμῖν· κἂν γὰρ ταπεινὸς εἰμι, ἐπίσκοπος ἀκούω, καὶ οἱ δεσπόται μου συγκλήτου μέρος τυγχάνουσι, καὶ οὐκ ἦλθομεν πειράσαι σε· μὴ δόῃ Θεός. ΜΑΞ. Οἱῳδήποτε τρόπῳ ἦλθατε πρὸς τὸν δοῦλον ὑμῶν, ἐγὼ χωρὶς πάσης ὑποστολῆς λέγω τὴν αἰτίαν, δι' ἣν οὐ κοινωνῶ τῷ θρόνῳ Κωνσταντινουπόλεως. Πλὴν κἂν ἄλλων ἦν τὸ ἐρωτᾶν με διὰ ποίαν αἰτίαν, ὑμῶν οὐκ ἔστι, τῶν γινωσκόντων ἀσφαλῶς πλεῖον ἐμοῦ τὴν αἰτίαν.

Γινώσκετε τὰς γενομένας καινοτομίας ἀπὸ τῆς ἕκτης ἐπινεμήσεως τοῦ διελθόντος κύκλου, ἀρξαμένας ἀπὸ Ἀλεξανδρίας διὰ τῶν ἐκτεθέντων ἐννέα κεφαλαίων παρὰ Κύρου, τοῦ οὐκ οἶδα πῶς γεγονότος ἐκεῖσε προέδρου, τῶν βεβαιωθέντων ὑπὸ τοῦ θρόνου Κωνσταντινουπόλεως· καὶ τὰς ἄλλας ἀλλοιώσεις, προσθήκας τε καὶ μειώσεις, τὰς γενομένας συνοδικῶς ὑπὸ τῶν προεδρευσάντων τῆς τῶν Βυζαντίων Ἐκκλησίας, Σεργίου λέγω, καὶ Πύῤῥου, καὶ Παύλου, ἃς τινας καινοτομίας πᾶσα γινώσκει ἡ οἰκουμένη. Διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν οὐ κοινωνῶ ὁ δοῦλος ὑμῶν τῇ Ἐκκλησίᾳ Κωνσταντινουπόλεως. Ἀρθῶσι τὰ προσκόμματα τὰ τεθέντα ὑπὸ τῶν εἰρημένων ἀνδρῶν, μετ' αὐτῶν ἐκείνων τῶν θεμένων αὐτά, καθὼς εἶπεν ὁ Θεός· « καὶ τοὺς λίθους ἐκ τῆς ὁδοῦ διαῤῥίψατε, » καὶ τὴν λείαν καὶ τετριμμένην, καὶ πάσης ἀκανθώδους αἱρετικῆς κακίας ἐλευθέραν ὁδὸν τοῦ Εὐαγγελίου, καθάπερ καὶ ἦν εὑρίσκων, εὐθὺς πάσης δίχα προτροπῆς ἀνθρωπίνης. Ἕως δὲ ἂν τοῖς τεθεῖσι προσκόμμασι, καὶ τοῖς τεθεικόσιν αὐτὰ σεμνύνωνται οἱ πρόεδροι Κωνσταντινουπόλεως, οὐδεὶς ἐστιν ὁ πείθων με λόγος ἢ τρόπος κοινωνεῖν αὐτοῖς.

ΘΕΟΔ. Τί γὰρ κακὸν ὁμολογοῦμεν, ἵνα χωρισθῇς τῆς κοινωνίας ἡμῶν; ΜΑΞ. Ὅτι μίαν ἐνέργειαν λέγοντες θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, συγχέετε τὸν τε τῆς θεολογίας, καὶ τῆς οἰκονομίας λόγον. Εἰ γὰρ πιστεῦναι δεῖ τοῖς ἁγίοις Πατράσι, λέγουσιν, ὧν ἡ ἐνέργεια μία, τούτων καὶ ἡ οὐσία μία· τετράδα ποιεῖτε τὴν ἁγίαν τριάδα, ὡς ὁμοφυοῦς τῷ λόγῳ γενομένης τῆς αὐτοῦ σαρκὸς, καὶ ἐκστάσης τῆς πρὸς ἡμᾶς, καὶ τῆς αὐτὸν τεκούσης συγγενοῦς κατὰ φύσιν ταυτότητος.

Καὶ πάλιν, ἀναιροῦντες τὰς ἐνεργείας, καὶ μίαν κυροῦντες θέλησιν θεότητος τοῦ αὐτοῦ καὶ ἀνθρωπότητος, ἀφαιρεῖσθε αὐτοῦ τὴν τῶν ἀγαθῶν διανομήν. Ἐὰν γὰρ ἐνέργειαν οὐκ ἔχῃ, κατὰ τοὺς τοῦτο θεσπίσαντας, δῆλον ὅτι κἂν θέλῃ, ἐλεῆσαι οὐ δύναται, ἀφαιρεθείσης αὐτῷ τῆς τῶν ἀγαθῶν ἐνεργείας, εἴπερ ἐνεργείας ἀγαθῆς χωρὶς, οὐδὲν τῶν ὄντων ἐνεργεῖν ἢ πράττειν πέφυκεν.

Ἄλλως τε δέ, καὶ τὴν σάρκα ποιεῖτε τῷ θελήματι συνδημιουργὸν πάντων τῶν αἰώνων, καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς Πατρί τε καὶ Υἱῷ καὶ Πνεύματι· Τῇ δὲ φύσει κτιστὴν,

A patriarchæ ac pii domini orbis audivimus. MAX. Jubete, domini mei, dicere quæ vultis et quæ audistis.

THEOD. Rogat imperator et patriarcha per nos, cognoscere a te, qua pro causa non communices throno Constantinopolitano? MAX. Habetis super hoc præceptionem in scriptis a piissimo imperatore, vel patriarcha? THEOD. Non debueras, domine, nobis incredulus esse. Licet enim exiguus sim, sed episcopus audior, et isti domini mei pars senatus existunt. Nec venimus ad tentandum te, absit. MAX. Quoquomodo venissetis ad servum vestrum, ego absque omni reverentia dico causam ob quam non communico throno Constantinopolitano. Verumtamen etsi aliorum esset fas percontandi qua pro causa, vestrum

B non esset qui me causam certius nostis.

Scitis novitates quæ factæ sunt a sexta indictione transacti circuli, incœptas ab Alexandria per novem Capitula a Cyro qui, nescio quo pacto, illic factus est præsul, quæ videlicet firmata sunt a throno Constantinopolitano; necnon et alias immutationes, additionesque ac diminutiones, quæ factæ sunt in concilio a Sergio, Pyrrho, ac Paulo, qui Ecclesiæ Byzantii præfuerunt: quas videlicet novas adinventiones esse omnis noster orbis agnoscit. Hac pro causa non communico ego servus vester Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Tollantur offendicula quæ posita sunt a prædictis viris, cum eisdem ipsis qui posuerunt hæc, quemadmodum dixit Deus: *Et lapides a via projicite* (*Jer.* L, 26), et planam et detri-

C tam, atque ab omni spinosæ hæreseos pravitate liberam viam Evangelii gradiantur: et tum inveniens quemadmodum erat, incedo et ipse absque omni hortatu humano. Donec autem super offendiculis positis, et his qui posuerunt ea gloriantur præsules Constantinopolitani, nullus sermo vel modus est qui mihi persuadeat illis communicare.

THEOD. Nunquid malum quid confitemur, ut separare te hujus rei causa conveniat a communione nostra? MAX. Quia, unam operationem docentes deitatis et humanitatis Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, confunditis tam theologiæ quam dispensationis sermonem. Si enim credere oportet Patribus, qui asserunt, quorum est operatio una, horum et

D substantia una, quaternitatem facitis sanctam Trinitatem quasi congenita Verbo facta carne ipsius: quæ etiam careat cognata identitate, quam nobiscum et cum ea quæ se peperit, naturaliter habet.

Et rursus perimentes operationes, et unam voluntatem asseverantes deitatis ipsius et humanitatis, adimitis ejus bonorum distributionem. Si enim nullam habet, secundum illos qui hoc sanxerunt, operationem, perspicuum est quod, licet velit, misereri non possit; detruncata nimirum ejus operatione bonorum, sed duntaxat operatione naturali excepta, nihil eorum quæ sunt operari vel agere constat.

Alias autem et carnem facitis voluntate quidem concreatricem omnium sæculorum, et eorum quæ sunt in eis, Patri, et Filio ac Spiritui sancto: natura

ἢ τὸ ἀληθέστερον εἰπεῖν, ἄναρχον τῇ θελήσει, ἐπείπερ ἡ θεία θέλησις ἄναρχός ἐστιν, ὡς ἀνάρχου θεότητος, τῇ δὲ φύσει πρόσφατον· ὅπερ πᾶσαν οὐκ ἄνοιαν ὑπερβαίνει μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀσέβειαν. Οὐ γὰρ λέγετε ἁπλῶς μόνον ἓν θέλημα, ἀλλὰ καὶ τοῦτο θεῖκὸν, θείας δὲ θελήσεως οὐδεὶς δύναται ἀρχὴν ἐπινοῆσαι χρονικὴν, ἢ τέλος, ἐπειδὴ μαθὶ τῆς θείας φύσεως, ἧς ἐστιν οὐσιώδης ἡ θέλησις.

Πάλιν δὲ ἑτέραν εἰσάγοντες καινοτομίαν, ἀφαιρεῖσθε παντάπασι πάντα τὰ γνωριστικὰ καὶ συστατικὰ τῆς θειότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος τοῦ Χριστοῦ, νόμοις καὶ τύποις θεσπίζοντες μήτε μίαν, μήτε δύο ἐπ' αὐτοῦ θελήσεις ἢ ἐνεργείας λέγεσθαι· ὅπέρ ἐστι πράγματος ανυπάρκτου. Οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων, εἴτε νοερόν ἐστιν, ἀφῄρηται θελητικῆς δυνάμεως καὶ ἐνεργείας, εἴτε αἰσθητικὸν αἰσθητικῆς ἐνεργείας, εἴτε φυτικὸν, αὐξητικῆς καὶ θρεπτικῆς ἐνεργείας· εἴτε παντελῶς ἄψυχον, καὶ πάσης ἄμοιρον ζωῆς, τῆς καθ' ἕξιν λεγομένης ἐνεργείας καὶ ἐπιτηδειότητος. Καὶ δηλοῦσι πάντα τὰ οὔτως ὄντα, ἀντιληπτὰ τυγχάνοντα ταῖς τῶν αἰσθητικῶν αἰσθήσεσιν. Ἐνέργεια γὰρ τῶν τοιούτων, τὸ ὑποπίπτειν πάντως ὁράσεσι διὰ τῆς ἰδίας ἐπιφανείας· ἀκοῇ, διὰ κτύπου· ὀσφρήσει, δι' ἀτμοῦ τινος προσφυοῦς· γεύσει, τισὶ χυμοῖς· καὶ ἁφῇ, διὰ τῆς ἀντιτυπίας. Ὥσπερ γὰρ ἐνέργειαν λέγομεν τῆς ὁράσεως τὸ ὁρᾶν, οὕτως καὶ τῶν ὁρωμένων τὸ ὁρᾶσθαι· καὶ τὰ λοιπὰ πάντα κατὰ τὸν αὐτὸν θεωροῦμεν γενόμενα τρόπον. Εἰ τοίνυν οὐδὲν τῶν ὄντων ἐστὶ πάσης ἔρημον παντελῶς φυσικῆς ἐνεργείας, ὁ δὲ Κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς, ἰλάσθητι Κύριε, οὐδεμίαν ἔχει φυσικὴν θέλησιν ἢ ἐνέργειαν καθ' ἑκάτερον τῶν ἐξ ὧν, ἐν οἷς τε, καὶ ἅπέρ ἐστι, πῶς δύνασθε ἢ εἶναι ἢ καλεῖσθαι θεοσεβεῖς, κατ' οὐδένα τρόπον ὑπάρχοντα θελητικὸν ἢ ἐνεργητικὸν, παρ' ὑμῶν προσκυνούμενον λέγοντες; Τρανῶς γὰρ ὑπὸ τῶν ἁγίων Πατέρων διδασκόμεθα, λέγόντων· τὸ γὰρ μηδεμίαν δύναμιν ἔχον, οὔτέ ἐστιν, οὐτέ τί ἐστιν, οὔτέ ἐστί τις αὐτοῦ παντελῶς θέσις.

ΘΕΟΔ. Τὸ δι' οἰκονομίαν γενόμενον, μὴ λάβῃς ὡς κύριον δόγμα. ΜΑΞ. Εἰ μή ἐστι κύριον δόγμα τῶν δεχομένων, ὁ θεσπίζων τύπος καὶ νόμος μηδεμίαν λέγεσθαι τοῦ Κυρίου θέλησιν ἢ ἐνέργειαν, ὧν ἡ ἀφαίρεσις τὴν ἀνυπαρξίαν δηλοῖ τοῦ ταύτας ἀφῃρημένου, διὰ ποίαν αἰτίαν βορβάροις ἔθνεσι καὶ ἀθέοις ἀπέδοσθέ με ἄνευ τιμῆς; Διὰ ποίαν αἰτίαν κατεκρίθην εἰκῆσαι Βιζύην, καὶ οἱ συνδοῦλοί μου, ὁ μὲν Πέρβεριν, ὁ δὲ Μεσεμβρίαν; ΘΕΟΔ. Μὰ τὸν Θεὸν μέλλοντά με ἐτάσαι· Καὶ ὅτι γέγονεν, εἶπον, καὶ νῦν τὸ αὐτὸ λέγω, ὅτι κακῶς γέγονεν ὁ τύπος, καὶ ἐπὶ βλάβῃ πολλῶν. Πρόφασις δὲ γέγονε τὸ ἐκτεθῆναι αὐτὸν, ἡ πρὸς ἀλλήλους τῶν ὀρθοδόξων περὶ θελημάτων καὶ ἐνεργειῶν ζυγομαχία. Καὶ διὰ τὸ πρὸς ἀλλήλους εἰρηνεῦσαι πάντας, συνεῖδόν τινες τὰς τοιαύτας κατασγασθῆναι φωνάς. ΜΑΞ. Καὶ ποῖος πιστὸς δέχεται οἰκονομίαν κατασγάζουσαν φωνὰς, ἅπερ λαλεῖσθαι δι' ἀποστόλων καὶ προφητῶν καὶ διδασκάλων ὁ τῶν ὅλων Θεὸς ᾠκονόμησε; Καὶ σκοπήσωμεν, κῦρι ὁ μέγας, εἰς ποῖον κακὸν καταντᾷ ψηλαφούμενον τὸ κεφάλαιον

A vero creatam, vel, ut verius dicamus, non habentem initium voluntate, si divina voluntas sine initio est, utpote quæ sit deitatis sine initio existentis, natura vero recens. Quod non solum omnem sensum excedit, sed et omnem impietatem. Non enim dicitis absolute tantum unam voluntatem, sed et istam divinam. Divinæ vero voluntatis nemo potest initium excogitare temporale, vel finem; nam nec divinæ naturæ, cujus est substantialis voluntas.

Rursus autem aliam introducentes novitatem adimitis omnimodis omnia significantia et commendantia divinitatem et humanitatem Christi, legibus et typis sancientes neque unam neque duas in eo voluntates aut operationes dicendas: quod rei est essentiam non habentis. Nihil enim eorum quæ sunt, B si intellectuale est, privatur voluntatem habente virtute ac operatione; si sensuale, sentiente operatione, si germinale, crescente ac alente operatione; si penitus inanimale est, et ea quæ ex more dicitur vita caret, operatione ac opportunitate. Et indicant omnia quæ sic sunt opitulativa sensibus sensualium: operatio enim talium est, subjici utique visui per apparitionem suam; auditui, per sonum; odoratui, per odorationem quamdam amplexibilem; gustui, per quosdam humores; et tactui, per reciproquam impressionem. Sicut enim operationem visus dicimus videre, ita et visorum videri, et cætera omnia secundum eumdem aspicimus fieri modum. Si igitur nihil eorum quæ sunt, est omni penitus operatione destitutum, Dominusque noster et Deus (propitius esto, Domine!) nullam habet naturalem voluntatem C vel operationem in utrisque, ex quibus, et in quibus et quæ est, quomodo poterimus aut esse aut vocari Dei cultores, secundum nullum modum existere cum voluntate vel operatione dicentes, qui adoratur a vobis, Deum? Expresse namque a sanctis Patribus edocemur, cum dicunt: [a] Quod enim nullam virtutem habet, neque est, neque aliquid est, neque est quævis ejus omnino positio.

Theod. Quod factum est per dispensationem ne accipias ut ratum dogma. Max. Si non est ratum eorum dogma qui hunc recipiunt, Typus qui sancit et lex nullam dicendam Domini voluntatem vel operationem, quarum detruncatio existentiam indicat ejus, qui fuerit his privatus; qua pro causa barbaricis et sine Deo gentibus me absque honore tradidistis? Qua pro causa damnatus sum ad habitandum Bizen, et conservorum meorum alter quidem Perberim, alter vero Mesembriam? Theod. Per Deum qui me judicaturus est! et quando factus est, dixi et nunc idipsum dico, quia male et ad læsionem multorum factus est Typus. Verum occasio facta est ut exponeretur alterna lis orthodoxorum super operationibus et voluntatibus altercantium: et, ut omnes pace mutua fruerentur, consideraverunt quidam hujusmodi voces silentio comprimendas. Max. Et quis fidelis suscipit dispensationem taceri facientem voces, quas dici per apostolos, et prophetas, atque

[a] Dionys. de div. Nom.

τοῦτο. Εἰ γὰρ Θεὸς ἔθετο ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, πρῶτον μὲν ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλους πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων· Εἰρηκὼς ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ τοῖς ἀποστόλοις, καὶ δι' αὐτῶν, καὶ τοῖς μετ' αὐτούς· « Ὑμῖν λέγω, πᾶσι λέγω. » Καὶ πάλιν· « Ὁ δεχόμενος ὑμᾶς, ἐμὲ δέχεται, καὶ ὁ ἀθετῶν ὑμᾶς, ἐμὲ ἀθετεῖ. » Δῆλον ὅτι καὶ προφανές, ὃς ὁ μὴ δεχόμενος τοὺς ἀποστόλους καὶ προφήτας καὶ διδασκάλους· ἀλλ' ἀθετῶν αὐτῶν τὰς φωνάς, αὐτὸν ἀθετεῖ τὸν Χριστόν.

A doctores Deus omnium dispensavit? Et inspiciamus, domine magne, in quod malum deveniat tractatum capitulum istud. Si enim Deus posuit in Ecclesia primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores ad perfectionem sanctorum, dicens in Evangelio apostolis, et per eos his qui post ipsos sunt : *Quod vobis dico, omnibus dico* (*Marc.* XIII, 37); et iterum : *Qui recipit vos, me recipit : et qui vos spernit, me spernit* (*Matth.* X, 40; *Luc.* X, 16); manifestum est ac perspicuum, quod qui non recipit apostolos, et prophetas et doctores, sed spernit vocem eorum, ipsum Christum spernit.

Καὶ ἄλλο δὲ σκοπήσωμεν. Ὁ Θεὸς ἐκλεξάμενος ἐξήγειρεν ἀποστόλους καὶ προφήτας καὶ διδασκάλους, πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων. Ὁ δὲ διάβολος, ψευδαποστόλους καὶ ψευδοπροφήτας καὶ ψευδοδιδασκάλους κατὰ τῆς εὐσεβείας ἐκλεξάμενος ἐξήγειρεν, ὥστε καὶ τὸν παλαιὸν πολεμηθῆναι νόμον, καὶ τὸν εὐαγγελικόν. Ψευδαποστόλους δὲ καὶ ψευδοπροφήτας καὶ ψευδοδιδασκάλους μόνους νοῶ τοὺς αἱρετικούς, ὧν οἱ λόγοι καὶ οἱ λογισμοὶ διεστραμμένοι εἰσίν. Ὥσπερ οὖν ὁ τοὺς ἀληθεῖς ἀποστόλους καὶ προφήτας καὶ διδασκάλους δεχόμενος, Θεὸν δέχεται. Οὕτως καὶ ὁ τοὺς ψευδαποστόλους καὶ ψευδοπροφήτας καὶ ψευδοδιδασκάλους δεχόμενος, τὸν διάβολον δέχεται. Ὁ τοίνυν συνεκβαλὼν τοὺς ἁγίους τοῖς ἐναγέσι καὶ ἀκαθάρτοις αἱρετικοῖς· δῆλα ἐστὶ λέγοντα τὴν ἀλήθειαν· τῷ διαβόλῳ προφανῶς τὸν Θεὸν συγκατέκρινεν.

B Inspiciamus autem et aliud. Deus eligens excitavit apostolos et prophetas atque doctores ad perfectionem sanctorum. At vero diabolus falsos apostolos, et falsos prophetas, et falsos doctores contra pietatem eligens excitavit; quo et vetus lex impugnetur et evangelica. Falsos autem apostolos, et falsos prophetas et falsos doctores solos hæreticos intelligo, quorum sermones et cogitationes perversæ consistunt. Sicut ergo is, qui veros apostolos, et prophetas et doctores recipit, Deum recipit : ita, et qui falsos apostolos, et falsos prophetas et falsos doctores recipit, diabolum recipit. Igitur qui pariter cum scelestis et immundis hæreticis sanctos ejecit, (suscipite me dicentem veritatem), Deum liquido cum diabolo pariter condemnavit.

Εἰ τοίνυν γυμνάζοντες τὰς γενομένας καινοτομίας ἐν τοῖς ἡμετέροις χρόνοις, εἰς τοῦτο καταντούσας αὐτὰς εὑρίσκομεν τὸ ἀκρότατον κακὸν, ἐρᾶτε μήπως εἰράνην προφασιζόμενοι, τὴν ἀποστασίαν εὑρεθῶμεν νοσήσαντες, καὶ κηρύττοντες, ἣν πρόδρομον εἶπεν ἔσεσθαι τῆς τοῦ Ἀντιχρίστου παρουσίας ὁ θεῖος ἀπόστολος. Ταῦτα χωρὶς ὑποστολῆς εἶπον ὑμῖν, δεσπόται μου, ἵνα φείσησθε ἑαυτῶν τε καὶ ἡμῶν. Κελεύετε ἵνα ταῦτα γεγραμμένα ἔχων ἐν τῇ βίβλῳ τῆς καρδίας, ἔλθω κοινωνήσων ἐν ᾗ ταῦτα κηρύττεται Ἐκκλησίᾳ, καὶ γένωμαι κοινωνὸς τῶν ἀληθῶς μὲν τὸν Θεὸν, δῆθεν δὲ τὸν διάβολον τῷ Θεῷ συνεκβαλλόντων; Μὴ γένοιτό μοι παρὰ τοῦ Θεοῦ, τοῦ δι' ἐμὲ γενομένου χωρὶς ἁμαρτίας. Καὶ βαλλὼν μετάνοιαν εἶπεν· Ἐγὼ, εἴ τι κελεύετε εἰς τὸν δοῦλον ὑμῶν ποιῆσαι, ποιήσατε· ὅτι] ταῦτα δεχομένοις, οὐδέποτε γένομαι συγκοινωνός.

C Itaque si examinantes novitates quæ temporibus nostris effectæ sunt, eas ad hoc devenisse inveneri-mus summum malum, videte ne forte pacem prætendentes, apostasia reperiamur languere et prædicare; quam præcursuram fore Antichristi adventum sacratissimus dixit Apostolus. Hæc absque subtractione dixi vobis, domini mei, ut parcatis vobismetipsis et nobis. Jubetis ut hæc scripta in libro cordis mei habens ingrediar et communicem in Ecclesia in qua hæc prædicantur, et fiam communicator eorum qui veraciter quidem Deum, falso vero diabolum cum Deo ejiciunt? Ne fiat mihi a Deo qui propter me secundum me factus est absque peccato. Et genu flexo dixit : Quidquid jusseritis in servum vestrum facere, facite. Ego his, qui hæc recipiunt nunquam communicabo.

Καὶ ἀποπαγέντες ἐπὶ τοῖς λαληθεῖσι, κάτω βαλόντες τὰς κεφαλὰς ἐσίγησαν ἐπὶ ὥραν ἱκανήν. Καὶ ἀνακύψας, καὶ τῷ ἀββᾷ Μαξίμῳ ἀτενίσας ΘΕΟΔ. ὁ ἐπίσκοπος, εἶπεν· Ἡμεῖς ἀντιφωνοῦμέν σοι, τὸν δεσπότην ἡμῶν τὸν βασιλέα, ὅτι, σοῦ κοινωνοῦντος, κουφίζει τὸν τύπον. ΜΑΞ. Πολὺ ἀπεχόμεθα ἀπ' ἀλλήλων ἀκμήν· τί ποιοῦμεν περὶ τῆς συνοδικῶς βεβαιωθείσης φωνῆς, τοῦ ἑνὸς θελήματος, ἐπ' ἐκβολῇ πάσης ἐνεργείας ὑπὸ Σεργίου καὶ Πύρρου; ΘΕΟΔ. Ἐκεῖνος ὁ χάρτης κατηνέχθη καὶ ἀπεβλήθη. ΜΑΞ. Κατηνέχθη ἐκ τῶν λιθίνων τοίχων, οὐ μὴν ἐκ τῶν νοερῶν ψυχῶν. Δέξονται τὴν κατάκρισιν τούτων, τὴν ἐν Ῥώμῃ συνοδικῶς ἐκτεθεῖσαν δι' εὐσεβῶν δογμάτων τε καὶ κανόνων, καὶ λέλυται τὸ μεσότοιχον, καὶ προτροπῆς οὐ δεόμεθα. ΘΕΟΔ. Οὐκ ἔῤῥοται ἡ συνόδος ἡ ἐν Ῥώμῃ, ἐπειδὴ χωρὶς κελεύσεως γέγονε βασιλέως.

D Et ceu gelidi facti super his quæ dicta fuerant, deorsum capita submittentes siluerunt per multam horam. Et annuens, atque abbatem Maximum Theod. intuitus, dixit : Nos fide dicimus tibi dominum nostrum imperatorem, quod te communicante tollat Typum. Max. Multum adhuc distamus ab invicem. Quid faciemus de confirmata synodice voce unius voluntatis in ejectionem omnis operationis a Sergio, Pyrrho, ac Paulo? Theod. Illa charta deposita est, et projecta. Max. Deposita est ex lapideis parietibus, non tamen ex intellectualibus animabus. Suscipiant damnationem horum, quæ Romæ synodice prolata est per pia dogmata, seu regulas, et solvitur medius paries, atque hortatione non indigebimus. Et ait Theod. episcopus : Non est

ΜΑΞ. Εἰ τὰς γενομένας συνόδους αἱ κελεύσεις τῶν βασιλέων κυροῦσιν, ἀλλ' οὐχὶ εὐσεβὴς πίστις, δέξωνται καὶ τὰς κατὰ τοῦ ὁμοουσίου γενομένας συνόδους, ἐπειδὴ κελεύσει βασιλέων γεγόνασι· φημὶ δέ, τὴν ἐν Τύρῳ, τὴν ἐν Ἀντιοχείᾳ, τὴν ἐν Σελευκείᾳ, τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐπὶ Εὐδοξίου τοῦ Ἀρειανοῦ, τὴν ἐν Νίκῃ τῆς Θράκης, τὴν ἐν τῷ Σερμίῳ· καὶ μετὰ ταύτας πολλοῖς ὕστερον χρόνοις, τὴν ἐν Ἐφέσῳ δευτέραν, ἧς ἦρξε Διόσκορος· ὅλας γὰρ ταύτας κέλευσις βασιλέων ἤθροισε, καὶ ὅμως πᾶσαι κατεκρίθησαν διὰ τὴν ἀθεΐαν τῶν κυρωθέντων ἀσεβῶς δογμάτων. Διὰ τί δὲ οὐκ ἐκβάλλετε τὴν καθελοῦσαν Παῦλον τὸν Σαμοσατέα ἐπὶ τῶν ἁγίων καὶ μακαρίων πατέρων, Διονυσίου τοῦ πάπα Ῥώμης, καὶ Διονυσίου τοῦ Ἀλεξανδρείας, καὶ Γρηγορίου τοῦ Θαυματουργοῦ, τοῦ τῆς αὐτῆς ἄρξαντος συνόδου, ἐπειδὴ μὴ γέγονε κελεύσει βασιλέως; Ποῖος δὲ κανὼν διαγορεύει, μόνας ἐκείνας ἐγκρίνασθαι συνόδους, τὰς κελεύσει βασιλέως ἀθροισθείσας, ἢ ὅλως κελεύσει βασιλέως πάντας τὰς συνόδους ἀθροίζεσθαι; Ἐκείνας οἶδεν ἁγίας καὶ ἐγκρίτους συνόδους ὁ εὐσεβὴς τῆς Ἐκκλησίας κανών, ἃς ὀρθότης δογμάτων ἔκρινεν. Ἀλλὰ καθὼς οἶδεν ὁ δεσπότης μου, καὶ ἄλλους διδάσκει, δεύτερον γίνεσθαι σύνοδον κατὰ πᾶσαν ἐπαρχίαν τοῦ ἔτους ὁ κανὼν διαγόρευσε, κελεύσεως βασιλικῆς μνεῖαν μνήμην πεποιημένος, ἐπ' ἀσφαλείᾳ τῆς σωτηρίου ὑμῶν πίστεως, καὶ διορθώσει πάντων τῷ θείῳ τῆς ἐκκλησίας νόμῳ [μὴ συναινούντων] κεφαλαίων.

ΘΕΟΔ. Ὡς λέγεις ἐστίν· ἡ τῶν δογμάτων ὀρθότης ἐγκρίνει τὰς συνόδους· πλὴν οὐ δέχῃ τὸν λίβελλον Μηνᾶ, ἐν ᾧ μίαν θέλησιν καὶ μίαν ἐνέργειαν τοῦ Χριστοῦ ἐδογμάτισεν; ΜΑΞ. Μὴ δῷ Κύριος ὁ Θεός. Ὑμεῖς οὐ δέχεσθε, ἀλλ' ἐκβάλλεσθε πάντας τοὺς διδασκάλους, τοὺς μετὰ τὴν ἁγίαν ἐν Χαλκηδόνι συνόδον, τοὺς ἀγωνισαμένους κατὰ τῆς τοῦ Σεβήρου μιαρίας· κἀγὼ ἔχω δέξασθαι τὸν λίβελλον Μηνᾶ, τοῦ γενομένου μετὰ τὴν σύνοδον, ὃς οὐ συνηγορεῖ προφανῶς Σεβήρῳ, καὶ Ἀπολιναρίῳ, καὶ Μακεδονίῳ, καὶ Ἀρείῳ, καὶ πάσῃ αἱρέσει, καὶ κατηγορεῖ τῆς συνόδου; μᾶλλον δὲ τελείως ἐκβάλλει, ὃς ὧν ἐδογμάτισε; ΘΕΟΔ. Τί οὖν, ὅλως οὐ δέχῃ μίαν ἐνέργειαν; ΜΑΞ. Καὶ τίς λέγει μίαν ἐνέργειαν τῶν ἐγκρίτων διδασκάλων;

Καὶ ἤγαγε Θεοδόσιος τὰς ψευδωνύμως παρ' αὐτῶν περιφερομένας Ἰουλίου τοῦ Ῥώμης, καὶ τοῦ Θαυματουργοῦ Γρηγορίου, καὶ Ἀθανασίου τῶν ἁγίων χρήσεις, καὶ ἀνέγνω αὐτάς. ΜΑΞ. Φοβηθῶμεν δὴ τὸν Θεόν, καὶ μὴ θελήσωμεν παροργίσαι αὐτὸν, ἐπὶ τῇ παραγωγῇ τῶν αἱρετικῶν χρήσεων. Οὐδεὶς ἀγνοεῖ ταύτας εἶναι τοῦ δυσσεβοῦς Ἀπολιναρίου. Εἰ μὲν ἄλλας ἔχεις, δεῖξον. Ἐπεὶ ταύτας προφέροντες, πλείων πείθετε πάντας, ὅτι κατ' ἀλήθειαν Ἀπολιναρίου τοῦ δυσσεβοῦς, καὶ τῶν ὁμοφρόνων αὐτῷ κακοδοξίαν ἐνοσήσατε.

Καὶ προφέρει ὁ αὐτὸς ἐπίσκοπος Θεοδόσιος, ἐπ' ὀνόματι τοῦ Χρυσοστόμου δύο χρήσεις, ἃς ἀναγνοὺς ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. ἔφη· Αὗται Νεστορίου εἰσὶ τοῦ νοσήσαντος ἐπὶ

A firmata synodus quæ Romæ celebrata est, quoniam sine jussione facta est imperatoris. Max. Si synodos quæ factæ sunt jussiones imperatorum firmant, et non pia fides; recipe synodos quæ contra homousion factæ sunt : nam jussione principum sunt patratæ. Primam videlicet in Tyro, secundam in Antiochia, tertiam in Seleucia, quartam in Constantinopoli sub Eudoxio Ariano, quintam in Nice quæ est in Thrace, sextam in Sirmio; et, post hæc multo post, septimam, in Epheso secundam cui Dioscorus præfuit : omnes enim has imperatorum jussio aggregavit. Attamen omnes damnatæ sunt propter impietatem infidelium dogmatum ab eis confirmatorum. Quare autem non abjicitis eam quæ deposuit Paulum Samosatenum sub
B sanctis et beatis Dionysio papa Romano, et Dionysio Alexandrino, atque Gregorio miraculorum patratore qui eidem præfuit synodo, quoniam non est jussione facta imperatoris? Qui præterea canon promulgat solas illas approbandas synodos quæ imperatoris jussione sunt congregatæ? [a] Verum etsi omnino jussione imperatorum synodos aggregetis, illas novit sanctas et probabiles synodos pius Ecclesiæ canon quas rectitudo dogmatum approbavit. Sed et bis, quemadmodum novit dominus meus et alios docet, fieri synodos in omni provincia per singulos annos regula sancit, jussionis imperialis nullam memoriam faciens, ad tuitionem salutaris fidei nostræ et correctionem omnium capitulorum quæ divinæ non conveniunt Ecclesiæ legi.

C Et dixit Theod. episcopus : Ita est, ut asseris. Dogmatum quippe rectitudo synodos roborat. Verumtamen non recipis libellum Mennæ, in quo unam voluntatem et unam operationem Christi dogmatizavit? Max. Ne det Dominus Deus! vos non recipitis, sed ejicitis omnes doctores qui post sanctum Chalcedonense concilium decertaverunt adversum Severi exsecrabilem hæresim : et ego habeo recipere libellum Mennæ qui post concilium fuit, per quem liquido sentire dignoscitur cum Severo, et Apollinario, et Macedonio, et Ario ac omni hæresi, et accusat concilium, imo perfecte rejicit per ea quæ dogmatizavit? Theod. Quid ergo? penitus non recipis unam operationem? Max. Et quis dicit unam operationem ex probabilibus magistris Ecclesiæ?

D Et attulit Theodosius scripta quæ falso ab eis ferebantur esse sanctorum Julii Romani et miraculorum factoris Gregorii, atque Athanasii testimonia, et legit ea. Et dixit Max. Timeamus nunc Deum, et ne velimus irritare illum in hæreticorum prolatione testimoniorum. Nullus enim ignorat hæc impii esse Apollinarii. Ergo si alia forsan habes, ostende. Nam hæc proferentes plus credere cunctis persuadetis, quod secundum veritatem impii Apollinarii et nequam cum eo sentientium opinionem renovassetis.

Et profert idem episcopus Theod. sub nomine Chrysostomi duo testimonia, quæ agnoscens abba Max. ait : Hæc Nestorii sunt qui personalem in

[a] Græca hic ita sonant : *aut omnino jussione imperatoris universas synodos cogere? Illas*, etc.

Χριστοῦ τὴν προσωπικὴν ἑνάδα. Καὶ εὐθέως θυμῷ ζέσας ὁ ἐπίσκοπος εἶπε· Κύριε μοναχέ, ὁ Σατανᾶς ἐλάλησε διὰ τοῦ χυλεύσου σου. ΜΑΞ. Μὴ λυπηθῇ ὁ δεσπότης μου πρὸς τὸν δοῦλον αὐτοῦ. Καὶ λαβών, εὐθέως ἔδειξεν αὐτῷ τὰς αὐτὰς φωνὰς οὔσας Νεστορίου, καὶ ἐν ποίοις λόγοις αὐτοῦ κειμένας. ΘΕΟΔ. Ὁ Θεὸς οἶδεν, ἀδελφέ, τὰς χρήσεις ταύτας ὁ πατριάρχης μοι δέδωκε· πλὴν ἰδοὺ, τὰς μὲν Ἀπολιναρίου εἶπας, τὰς δὲ Νεστορίου· καὶ παραγαγὼν τὴν τοῦ ἁγίου Κυρίλλου χρῆσιν τὴν λέγουσαν· « Μίαν τε καὶ συγγενῆ, καὶ δι' ἀμφοῖν ἐπιδεικνὺς ἐνέργειαν, » εἶπε· Τί πρὸς ταῦτα λέγεις; ΜΑΞ. Εἰσί τινες δειξάντες αὐτὴν κατ' ἀλήθειαν κατὰ προσθήκην τεθεῖσαν ἐν τῇ ἑρμηνείᾳ τοῦ Εὐαγγελίου, τῇ γενομένῃ ἐκ τοῦ ἁγίου τούτου Πατρὸς, ὑπὸ Τιμοθέου τοῦ Ἐλούρου· ἔστω δὲ καθ' ὑμᾶς αὐτοῦ· ἐξετάσωμεν τοίνυν τὴν διάνοιαν τῶν πατρικῶν φωνῶν, καὶ γνωσόμεθα τὴν ἀλήθειαν. ΘΕΟΔ. Τοῦτο οὐ συγχωρῶ γενέσθαι. Ἁπλᾶς γὰρ τὰς φωνὰς ἀνάγκην ἔχεις δέξασθαι. [a] ΜΑΞ. Εἰπέ μοι τὴν διαφοράν, ἐπίσιος γενόμενος, τῶν ἁπλῶν φωνῶν πρὸς τὰς ποικίλας. ΘΕΟΔ. Ἵνα ὡς ἴστε τὴν φωνὴν δέξῃ, καὶ μὴ ἐρευνήσῃς τὴν διάνοιαν αὐτῆς.) ΜΑΞ. Προφανῶς καινοὺς καὶ ξένους τῆς Ἐκκλησίας καὶ περὶ τῶν φωνῶν εἰσάγετε θεσμούς. Εἰ καθ' ὑμᾶς οὐ δεῖ ἐρευνᾶν τὰς φωνὰς τῶν γραφῶν καὶ τῶν πατέρων, ἐκβάλλομεν πᾶσαν τὴν γραφὴν τὴν παλαιὰν καὶ τὴν καινήν. Ἠκούσαμεν γὰρ λέγοντος τοῦ Δαβίδ· « Μακάριοι, οἱ ἐξερευνῶντες τὰ μαρτύρια αὐτοῦ, ἐν ὅλῃ καρδίᾳ ἐκζητήσουσιν αὐτόν· » ὡς μηδενὸς χωρὶς ἐρεύνης δυναμένου ἐκζητῆσαι τὸν Θεόν. Καὶ πάλιν· « Συνέπισόν με, καὶ ἐξερευνήσω τὸν νόμον σου, καὶ φυλάξω αὐτὸν ἐν ὅλῃ καρδίᾳ μου, » Ὡς τῆς ἐρεύνης ἀγούσης ἐπὶ τὴν γνῶσιν τοῦ νόμου, καὶ τῆς γνώσεως πόθῳ πειθούσης τοὺς ἀξίους ἐν καρδίᾳ αὐτῶν φυλάξαι, διὰ τῆς πληρώσεως τῶν ἐν αὐτῷ κειμένων ἁγίων ἐντολῶν. Καὶ πάλιν· « Θαυμαστὰ τὰ μαρτύριά σου, διὰ τοῦτο ἐξηρεύνησεν αὐτὰ ἡ ψυχή μου· » Τί δὲ, παραβολὰς καὶ αἰνίγματα καὶ σκοτεινοὺς λόγους ἐρευνᾶν ὑμᾶς βούλεται ὁ παροιμιακὸς λόγος; Τί δὲ ὁ κύριος ἐν παραβολαῖς λαλῶν βούλεται νοεῖν τοὺς μαθητὰς, διδάσκων τῶν παραβολῶν τὴν διάνοιαν; Τί δὲ προστάσσων· « Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, » ὡς μαρτυρούσας περὶ αὐτοῦ; Τί δὲ ὁ τῶν ἀποστόλων κορυφαῖος Πέτρος διδάσκειν βούλεται· « Περὶ ἧς σωτηρίας ἐξεζήτησαν, καὶ ἐξηρεύνησαν προφῆται, » λέγων; Τί δὲ Παῦλος ὁ θεῖος ἀπόστολος, λέγων· « Εἰ κεκαλυμμένον ἐστὶ τὸ Εὐαγγέλιον, ἀλλ' ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις, ὧν ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐτύφλωσε τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας αὐτῶν, εἰς τὸ μὴ διαυγάσαι αὐτοῖς τὸν φωτισμὸν τῆς γνώσεως τοῦ Χριστοῦ; » Ἵνα ἔοικεν, ἐξομοιωθῆναι ἡμᾶς βούλεσθε τοῖς Ἰουδαίοις, οἵτινες ἁπλαῖς ταῖς φωναῖς, ὡς λέγετε, τουτέστι μόνῳ τῷ γράμματι ὥσπερ τινὶ φορυτῷ ἐγχώσαντες τὸν νοῦν, ἐξέπεσαν τῆς ἀληθείας, τὸ κάλυμμα ἔχοντες ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, τοῦ μὴ νοῆσαι τὸ κύριον πνεῦμα, τὸ ἐγκεκρυμμένον τῷ γράμματι, περὶ οὗ φησί· « Τὸ μὲν γράμμα ἀποκτέινει, τὸ δὲ πνεῦμα, ζωοποιεῖ. » Πληροφορηθῇ ὁ δεσπότης μου, ὅτι ἐγὼ οὐκ ἀνέχομαι δέξασθαι φωνὴν χωρὶς τῆς ἐγκειμένης αὐτῇ διανοίας, ἵνα μὴ γένωμαι προφανὴς Ἰουδαῖος.

A Christo dualitatem vesane dogmatizavit. Et statim furore fervescens Theod. dixit : Domne monache, Satanas locutus est per effrenatum os tuum. Max. Ne tristetur dominus meus contra servum suum. Et mox sumens ostendit ei easdem voces esse Nestorii, et in quibus sermonibus ejus jacerent. Theod. Deus novit, frater, hæc testimonia patriarcha mihi dedit. Verum ecce, alia quidem horum dixisti Apollinarii, alia vero Nestorii. Et producto sancti Cyrilli testimonio, quod ait : *Unam atque cognatam per utramque demonstrans operationem*, dixit : Quid ad hæc dicis? Max. Sunt quidam ostendentes illud in veritate per additionem positum in interpretatione Evangelii, quæ facta est ex hoc sancto Patre a Timotheo Eluro. Verum, sit secundum vos ejus. Scrutemur
B igitur sensum paternarum vocum, et cognoscamus veritatem. Theod. Hoc non permitto fieri. Simplices enim voces necessarium habes recipere. Max. Dic mihi differentia, deprecabilis factus, vocum ad varias. Theod. Ut sicuti est recipias vocem, et ne scruteris sensum ipsius. Et Max. Evidenter, inquit, novas et extraneas Ecclesiæ etiam super vocibus introducitis leges. Si secundum vos non oportet scrutari voces Scripturarum ac Patrum, abjicimus omnem Scripturam, Veterem scilicet atque Novam. Audivi enim dicentem David : *Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum* (*Psal.* XVIII, 2) : præsertim cum nemo sine scrutinio possit exquirere Deum. Et rursus : *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo* (*ibid.*, 34). Tanquam scrutinio agente ad cognitionem legis atque scientiæ, cum desiderio persuadeat
C dignis ex corde eam custodire per completionem sanctorum quæ in ea posita sunt mandatorum. Et iterum : *Mirabilia testimonia tua : ideo scrutata est ea anima mea* (*ibid.*, 129). Quid autem parabolas, et ænigmata et obscuros sermones scrutari nos vult proverbialis sermo? Quidve Dominus in parabolis loquens vult intelligere discipulos suos, parabolarum edocens sensum? Quid etiam præcipiens : *Scrutamini Scripturas* (*Joan.*, V, 39), utpote testimonium perhibentes de se? Quid et primus apostolorum Petrus docere vult, *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ* (*Petr.* I, 10), dicens? Quid vero Paulus divinus apostolus dicens : *Si opertum est Evangelium, sed in his qui pereunt est opertum, in quibus sæculi hujus excæcavit oculos mentis eorum, ut non luceat eis illuminatio scientiæ Christi?* (*II Cor.* III, 6.) Ut apparet, similes nos vultis esse Judæis, qui simplicibus, ut dicitis, vocibus,
D id est sola littera, veluti quadam mole mentem obruentes, evulsi sunt a veritate velamen habentes in cordibus suis, ut non intelligant spiritum qui proprie est et occultatur in littera. Unde et ait : *Littera quidem occidit, spiritus vero vivificat* (*II Cor.* III, 6). Certus efficiatur dominus meus, quia ego nullatenus patiar suscipere vocem absque sensu qui rejacet in ipsa, ne fiam manifestus Judæus.

[a] Hæc ex Anastasii versione in Græcum transtulit Sirmundus, ut videtur, apud quem tamen Latine legendum esset *differentiam*.... *simplicium vocum*.

Τοῦτο δὲ ἀκούσας ΘΕΟΔ. εἶπεν· Μίαν ἐνέργειαν τοῦ Χριστοῦ ὑποστατικὴν ὀφείλομεν λέγειν. ΜΑΞ. Σκοπήσωμεν τὸ τικτόμενον ἐκ τούτου κακὸν, καὶ φύγωμεν τὴν ξένην ταύτην φωνήν. Μόνων γὰρ αἱρετικῶν πολυθεούντων ἐστίν. Εἰ γὰρ ὑποστατικὴν λέγομεν τοῦ Χριστοῦ τὴν μίαν ἐνέργειαν, οὐ συμβαίνει δὲ κατὰ τὴν ὑπόστασιν τῷ Πατρὶ καὶ Πνεύματι ὁ Υἱὸς, δῆλον ὅτι οὔτε κατὰ τὴν ὑποστατικὴν ἐνέργειαν· ἀναγκαζόμεθα δὲ ὥσπερ τῷ Υἱῷ, οὕτω καὶ τῷ Πατρὶ καὶ τῷ Πνεύματι ὑποστατικὰς ἐνεργείας ἀποκεῖμαι· καὶ καθ' ὑμᾶς, τέσσαρας ἐνεργείας ἕξει μακαρία θεότης· τρεῖς ἀφοριστικὰς τῶν ἐν οἷς ἐστι προσώπων, καὶ μίαν κοινὴν σημαντικὴν τῆς κατὰ φύσιν τῶν τριῶν ὑποστάσεων κοινότητος· Καὶ κατὰ τοὺς Πατέρας, εἴπερ αὐτῶν δεχόμεθα τὴν διδασκαλίαν, τετραδίταν νοσήσομεν. Φυσικὴν γὰρ, ἀλλ' οὐχ ὑποστατικὴν πᾶσιν εἶναι διαγορεύουσιν ἐνέργειαν. Καὶ εἰ τοῦτο ἔστιν ἀληθῶς, ὡς οὖν καὶ ἔστι, τέσσαρας φύσεις, τέσσαρας θεοὺς, διαφέροντας ἀλλήλων ὑποστάσει τε καὶ φύσει δειχθησόμεθα λέγοντες. Πλὴν, τίς εἶδεν ἢ ἐθεώρησεν ἰδιάζουσαν ἐνέργειαν οἱουδήποτε, τῶν ὑπὸ τὸ εἶδος ἀγομένων, καὶ ὑπὸ τὸν κοινὸν ὁρισμὸν τοῦ εἴδους φύσει ταττομένων; Οὐδέποτε γὰρ γίνεται τὸ φύσει κοινὸν, ἑνὸς καὶ μόνου τινὸς ἴδιον, τὰ γὰρ ὑποστατικὰ σήμαντρα, οἷον, γρυπότης, ἢ σιμότης, ἢ γλαυκότης, ἢ ψεδνότης, καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἀφοριστικά εἰσι συμβεβηκότα τῶν ἀριθμῶν ἀλλήλων διαφερόντων. Πᾶς γὰρ ἄνθρωπος ὢν τι τὴν φύσιν ὢν, ἀλλ' οὐχ ὢν τις τὴν ὑπόστασιν, ἐνεργεῖν πέφυκε, κατά τε τὸν ἰδιώτατα καὶ κοινῶς νοουμένον τε καὶ λεγόμενον κατηγορικὸν λόγον. Οἷον τὸ ζῶον, τὸ λογικὸν, τὸ θνητὸν, ὅπερ ἐστὶ τοῦ καθ' ἡμᾶς γενικοῦ λόγου. Πάντες γὰρ τῆς αὐτῆς μετέχομεν ζωῆς, τῆς αὐτῆς λογικότητος, καὶ τῆς αὐτῆς ῥοῆς καὶ ἀπορροῆς· καὶ τοῦ καθέζεσθαι, καὶ ἵστασθαι, καὶ λαλεῖν, καὶ σιγᾷν, καὶ ὁρᾷν, καὶ ἀκούειν, καὶ ἅπτεσθαι· ἁπέρ εἰσι τοῦ κοινοῦ ἐφ' ἡμῶν νοουμένου λόγου. Οὐ δεῖ οὖν καινοτομεῖν φωνὰς μὴ ἐχούσας ἰσχὺν ἢ γραφικὴν ἢ πατρικὴν ἢ φυσικὴν, ἀλλὰ ξένην, καὶ διαστροφαῖς ἀνθρώπων ἐξηυρημένην. Πλὴν δεῖξόν μοι ταύτην κειμένην ἐν οἱῳδήποτε Πατρὶ, καὶ πάλιν τὸν νοῦν τοῦ ταύτην εἰρηκότος ἐπιζητοῦμεν.

ΘΕΟΔ. Τί οὖν; οὐ δεῖ παντελῶς ἐπὶ Χριστοῦ λέγειν μίαν ἐνέργειαν; ΜΑΞ. Κατὰ τὴν ἁγίαν γραφὴν, καὶ τοὺς ἁγίους Πατέρας, οὐδὲν τοιοῦτον λέγειν παρειλάβομεν· ἀλλ' ὥσπερ δύο φύσεις τὸν Χριστὸν τὰς ἐξ ὧν ἐστιν, οὕτως καὶ τὰς φυσικὰς αὐτοῦ θελήσεις καὶ ἐνεργείας καταλλήλως αὐτῷ, ὁμοῦ τε φύσει θεῷ καὶ ἀνθρώπῳ ὄντι τῷ αὐτῷ, πιστεύειν καὶ ὁμολογεῖν ἐπετράπημεν. ΘΕΟΔ. Ὄντως, δέσποτα, καὶ ἡμεῖς ὁμολογοῦμεν καὶ τὰς φύσεις καὶ διαφόρους ἐνεργείας, τουτέστι, θείαν τε καὶ ἀνθρωπίνην· καὶ θελητικὴν αὐτοῦ τὴν θεότητα, καὶ θελητικὴν αὐτοῦ τὴν ἀνθρωπότητα· ἐπειδὴ οὐκ ἄνευ θελήσεως ἦν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. Δύο δὲ οὐ λέγομεν, ἵνα μὴ μαχόμενον αὐτὸν αὐτῷ εἰσαγάγωμεν. ΜΑΞ. Τί οὖν; δύο φύσεις λέγοντες, μαχομένας αὐτὰς

A At vero THEOD. hoc audito, ait: Unam operationem Christi subsistentialem debemus dicere. MAX. Inspiciamus malum quod ex hoc gignetur, et fugiamus externam hanc vocem: hæreticorum enim est tantum qui deorum multitudinem colunt. Si enim subsistentialem Christi dixerimus unam operationem, cum non aptetur aliquando secundum subsistentiam Patri et Spiritui Filius, haud dubium quin nec secundum subsistentialem operationem: cogemur quemadmodum Filio, ita et Patri et Spiritui subsistentiales operationes tribuere: et, secundum vos, quatuor operationes habebit beata divinitas, tres segregativas personarum in quibus est, et unam communem significativam societatis quæ est secundum naturam trium subsistentiarum: et, secundum Patres, si duntaxat eorum doctrinam recipimus, quadripertita erimus
B deitate languentes. Naturalem quippe, non subsistentialem, omnem esse decernunt operationem. Et, si hoc verum est, sicut re vera est, quatuor naturas, et quatuor natura deos differentes ab invicem subsistentia et natura dicere apparebimus. Verumtamen quis dixit, aut contemplatus est seorsum habitam operationem cujuspiam eorum, quæ sub aliqua specie rediguntur, et sub communi diffinitione speciei natura taxantur? Nunquam enim aliquando fit id quod natura commune est, unius et solius cujuslibet proprium. Subsistentialia namque indicia, utpote nasi prolixitas seu brevitas, aut oculorum albedo aut calvitium, et quæcunque sunt talia, deputativa accidentia sunt numeris ab invicem differentibus.
C Omnis enim homo, ut aliquid natura existens, et non ut quis, subsistentia dignoscitur operari secundum categoricam rationem, quæ tam singulari quam communiter intelligitur, necnon et dicitur. Utputa, animal rationale quod est generalis secundum nos rationis. Omnes enim eamdem percipimus vitam, et eamdem rationabilitatem, et flexum, et flexum, et sedere, et stare, et loqui, et tacere, et dere, et audire, et tangere, quæ sunt rationis, communiter in nobis intelliguntur. Non itaque oportet innovare voces non habentes vim, vel sacræ Scripturæ, vel Patrum, aut naturalem, sed extera versutiis hominum adinventam. Verumtamen o de mihi hanc positam in quovis Patre, et in
D sensum ejus qui hanc dixit inquiremus.

THEOD. Quid ergo? non oportet omnimod Christo dicere unam operationem? MAX. Secu sanctam Scripturam sanctosque Patres, nil dicendum suscepimus. Sed quemadmodum duturas Christum ex quibus et est, ita et naturale voluntates et operationes convenientes sibi, natura Deus idem ipse simul et homo, credere sumus et confiteri. THEOD. Vere, domine, confitemur et naturas et operationes diversas divinam et humanam, atque ipsius cum v deitatem, sed et cum voluntate humanitatem niam sine voluntate nullatenus erat anima ej autem non dicimus, ne hunc sibimet pugn rentem introducamus. MAX. Ergone duas na

εἰσάγετε διὰ τὸν ἀριθμόν; ΘΕΟΔ. Οὔ. ΜΑΞ. Τί οὖν; φύσεσιν ἐπιφημιζόμενος ὁ ἀριθμὸς οὐ διαιρεῖ, ἀλλ' ἐπὶ θελήσεων καὶ ἐνεργειῶν λεγόμενος, διαιρέσεως ἔχει δυνάμιν; ΘΕΟΔ. Πάντως· καὶ οἱ Πατέρες ἐπὶ θελήσεων καὶ ἐνεργειῶν οὐκ εἶπον, φεύγοντες τὴν διαίρεσιν, ἀλλ' ἄλλην καὶ ἄλλην, καὶ θείαν καὶ ἀνθρωπίνην, καὶ διπλῆν καὶ διττήν· καὶ ὡς εἶπαν λέγω, καὶ ὡς εἰρήκασι λέγω.

ΜΑΞ. Διὰ τὸν Κύριον. Ἐάν τίς σοι εἴπῃ, ἄλλην καὶ ἄλλην, πόσας νοεῖς; Ἢ, θείαν καὶ ἀνθρωπίνην, ποσὰς νοεῖς; Ἢ διπλῆν καὶ διττήν, πόσας νοεῖς; ΘΕΟΔ. Οἶδα πῶς νοῶ, δύο δὲ οὐ λέγω. Τότε στραφεὶς ὁ ἀββᾶς ΜΑΞΙΜΟΣ πρὸς τοὺς ἄρχοντας, εἶπε· Διὰ τὸν Κύριον· ἐὰν ἀκούσητε μίαν καὶ μίαν, ἢ ἄλλην καὶ ἄλλην, ἢ δὶς δύο, ἢ δὶς πέντε, τί νοοῦντες τοῖς λέγουσιν ἀποκρίνεσθε; Καὶ εἶπαν· Ἐπειδὴ ὥρκισας ἡμᾶς, τὸ μίαν, δύο νοοῦμεν· καὶ ἄλλην καὶ ἄλλην, δύο νοοῦμεν· καὶ δὶς δύο, τέσσαρα νοοῦμεν· ὁμοίως καὶ δὶς πέντε, δέκα νοοῦμεν. Καὶ ὥσπερ αἰδεσθεὶς ΘΕΟΔΟΣΙΟΣ τὴν ἀπόκρισιν ἐκείνων, εἶπε· Τὸ μὴ εἰρημένον τοῖς Πατράσιν, οὐ λέγω. Καὶ λαβὼν εὐθέως ὁ ἀββᾶς ΜΑΞΙΜΟΣ τὴν βίβλον τῶν πεπραγμένων τῆς ἁγίας ἀποστολικῆς συνόδου, ἔδειξε τοὺς ἁγίους Πατέρας τὰς δύο θελήσεις καὶ ἐνεργείας τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν καὶ Θεοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ διαῤῥήδην λέγοντας. Ἣν λαβὼν βίβλον τῶν πεπραγμένων ἐξ αὐτοῦ Θεοδόσιος ὁ ὕπατος, ἀνέγνω καὶ αὐτὸς πάσας τὰς χρήσεις τῶν Πατέρων. Καὶ τότε ἀποκριθεὶς ΘΕΟΔ. ἐπίσκοπος εἶπεν· Ὁ Θεὸς οἶδεν, εἰ μὴ προσωπικῶς τὰ ἀναθέματα ἔθετο ἡ σύνοδος αὕτη, πλεῖον παντὸς ἀνθρώπου ἰδεχόμην αὐτήν. Ἀλλ' ἵνα μὴ χρονοτριβῶμεν ἐνταῦθα, εἴ τι εἶπαν οἱ Πατέρες, λέγω, καὶ ἐγγράφως εὐθέως ποιῶ, δύο φύσεις, καὶ δύο θελήματα καὶ δύο ἐνεργείας· καὶ εἴσελθε μεθ' ἡμῶν κοινωνήσων, καὶ γενέσθω ἕνωσις.

ΜΑΞ. Δέσποτα, ἐγὼ οὐ τολμῶ δέξασθαι συγκατάθεσιν παρ' ὑμῶν ἔγγραφον περὶ τοιούτου πράγματος, ψιλὸς ὑπάρχων μοναχός· ἀλλ' ἐὰν κατένυξεν ὑμᾶς ὁ Θεὸς, τὰς τῶν ἁγίων Πατέρων δέξασθαι φωνάς, καθὼς ἀπαιτεῖ ὁ κανών, πρὸς τὸν Ῥώμης περὶ τούτου ἐγγράφως ἀποστείλατε· ἤγουν ὁ βασιλεύς, καὶ ὁ πατριάρχης καὶ ἡ κατ' αὐτὸν σύνοδος. Ἐγὼ γὰρ οὐδὲ τούτων γινομένων κοινωνῶ, ἀναφερομένων τῶν ἀναθεματισθέντων ἐπὶ τῆς ἁγίας ἀναφορᾶς. Φοβοῦμαι γὰρ τὸ κατάκριμα τοῦ ἀναθέματος. ΘΕΟΔ. Ὁ Θεὸς οἶδεν, οὐ κατηγορῶ σου φοβουμένου· ἀλλ' οὔτε ἄλλος τις. Ἀλλὰ δὸς ἡμῖν βουλὴν διὰ τὸν Κύριον, ἐὰν ἐστι τοῦτο δυνατὸν γενέσθαι. ΜΑΞ. Ποίαν βουλὴν ἔχω ὑμῖν περὶ τούτου δοῦναι; Ὑπάγετε, ψηλαφήσατε ἐάν τι τοιοῦτον γέγονέ ποτε, καὶ μετὰ θάνατον ἀπελύθη τίς τοῦ περὶ τὴν πίστιν ἐγκλήματος, καὶ τοῦ ἐξενεχθέντος κατ' αὐτοῦ κατακρίματος. Καὶ καταδέξηται ὁ βασιλεὺς καὶ ὁ πατριάρχης μιμήσασθαι τοῦ Θεοῦ τὴν συγκατάβασιν. Καὶ ποιήσωσιν, ὁ μὲν κέλευσιν παρακλητικὴν, ὁ δὲ συνοδικὴν δέησιν πρὸς τὸν πάπαν Ῥώμης· καὶ πάντως εἴπερ εὐρεθείη τρόπος ἐκκλησιαστικὸς, τοῦτο ἐπιτρέπων διὰ τὴν ὀρθὴν ὁμολογίαν τῆς πίστεως, συμβιβάζεται ὑμῖν περὶ τούτου.

centes, repugnantes eas infertis propter numerum? THEOD. Non. MAX. Ergone naturis designatus numerus non dividit, sed, cum in voluntatibus et operationibus dicitur, divisionis habet virtutem? THEOD. Utique in his divisionem habet, et Patres numerum in voluntatibus et operationibus non dixere, fugientes divisionem; sed alteram et alteram, atque divinam et humanam, duplam, duplicem, et, ut dixerunt dico, et, ut fassi sunt fateor.

MAX. Propter Dominum! si quisquam tibi dixeri alteram et alteram, quot intelligis? vel duplam aut duplicem, quot intelligis? THEOD. Novi qualiter intelligam: duas autem non dico. Tunc conversus abba MAX. ad principes, dixit: Propter Dominum! Si audieritis unam et unam, et aliam ac aliam, aut bis duas, aut bis quinque, quid intelligentes his qui hoc dicerent responderetis? Et dixerunt: Quoniam adjurasti nos, unam et unam, duas intelligimus, et alteram et alteram, duas intelligimus, et bis duas, quatuor intelligimus: similiter et bis quinque, decem. Et quodammodo reveritus THEOD. responsionem eorum, ait: Quod non est a Patribus dictum, non dico. Et accepto protinus abba MAX. libro gestorum sanctæ ac apostolicæ synodi Romanæ, monstravit sanctos Patres duas voluntates et operationes Salvatoris nostri et Dei Jesu Christi aperte dicentes. Quem acceptum ab eo Theodosius consul legit, sed et omnia sanctorum testimonia Patrum. Tuncque respondens THEOD. episcopus dixit: Deus scit, nisi quia personaliter anathemata posuit synodus hæc, plus quam omnis homo recepissem illam. Sed ne moras hic faciamus. Quidquid dixerunt Patres dico, et in scriptis continuo facio duas naturas, et duas voluntates, et duas operationes: et ingredere, nobiscum communica, et fiat unitas.

MAX. Domine, non audeo ego suscipere consensum a vobis in scriptis super hujuscemodi re, cum sim monachus purus. Sed postquam Deus ad compunctionem vos excitavit, [a] in scriptis transmittite; id est imperator, et patriarcha synodusque ipsorum. Ego enim nec his peractis communico, dum recitantur anathematizati inter sanctam oblationem: timeo enim condemnationem anathematis. THEOD. Deus novit, non reprehendo te quia times, nec alius quisquam. Sed da nobis consilium propter Dominum, si est hoc possibile fieri. MAX. Quod consilium habeo super hoc dare vobis? Ite, perscrutamini, si tale quid aliquando factum sit, et post mortem solutus sit quispiam a crimine quod in fidei causa contraxit, atque ab illata contra se querela seu damnatione; et consentiant imperator ac patriarcha imitari Dei condescensionem, faciatque imperator quidem jussionem rogatoriam, patriarcha vero synodicam deprecationem ad papam Romanum: et profecto si repertus fuerit mos procul dubio ecclesiasticus hoc præcipiens, ob rectam confessionem conveniet vobiscum super hoc.

Insere ex Græco, *ut sanctorum Patrum voces acciperetis, sicut poscit regula Ecclesiæ, ad Romanum episcopum de ea re in scriptis*, etc. SIRM.

ΘΕΟΔ. Τοῦτο πάντως γίνεται, ἀλλὰ δός μοι λόγον, ὅτι ἐὰν ἐμὲ πέμπωσιν, ἔρχῃ μετ' ἐμοῦ. ΜΑΞ. Δέσποτα, συμφέρει σοι τὸν σύνδουλόν μου τὸν ἐν Μεσημβρίᾳ λαβεῖν μεθ' ἑαυτοῦ, ὑπὲρ ἐμέ. Ἐκεῖνος γὰρ τὴν γλῶσσαν οἶδε, καὶ αἰδοῦνται αὐτὸν ἀξίως, τοσούτους χρόνους κολαζόμενον, διά τε τὸν Θεὸν, καὶ τὴν κρατοῦσαν ὀρθὴν πίστιν ἐν τῷ κατ' αὐτοὺς θρόνῳ. ΘΕΟΔ. Ἀψιμαχίας διαφόρους πρὸς ἀλλήλους ἔχομεν, καὶ οὐχ ἡδέως ἔχω μετ' ἐκείνου ἀπειλθεῖν. ΜΑΞ. Δέσποτα, ἐπὰν ἔδοξε τοῦτο γενέσθαι, ἔκβασις γίνηται τῶν δοξάντων, καὶ ὅπου βούλεσθε, ἀκολουθῶ ὑμῖν. Καὶ ἐπὶ τούτῳ ἀνέστησαν πάντες μετὰ χαρᾶς καὶ δακρύων καὶ ἔβαλον μετάνοιαν, καὶ εὐχὴ ἐγένετο· καὶ ἕκαστος αὐτῶν τὰ ἅγια Εὐαγγέλια, καὶ τὸν τίμιον σταυρὸν, καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ Θεοῦ, καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς δεσποίνης ἡμῶν, τῆς αὐτὸν τεκούσης παναγίας θεοτόκου ἀσπάσαντο, τεθεικότες καὶ τὰς ἰδίας χεῖρας ἐπὶ βεβαιώσει τῶν λαληθέντων.

Εἶτα μικρὸν ὁμιλήσαντες πρὸς ἀλλήλους περὶ τοῦ κατὰ Θεὸν βίου, καὶ τῆς θείων ἐντολῶν τηρήσεως, στραφεὶς ΘΕΟΔ. ὁ ἐπίσκοπος πρὸς τὸν ἀββᾶν Μάξιμον, εἶπεν· Ἰδοὺ, πάντα διαλέλυται τὰ σκάνδαλα, καὶ γέγονεν εἰρήνη διὰ τοῦ Θεοῦ, καὶ γενήσεται· Ἀλλὰ διὰ τὸν Κύριον, μὴ κρύψῃς με· οὐ λέγεις καθ' οἱονδήποτε τρόπον μίαν θέλησιν, καὶ μίαν ἐνεργείαν ἐπὶ Χριστοῦ; ΜΑΞ. Οὐκ ἐνδέχεταί με τοῦτο εἰπεῖν ποτε· καὶ λέγω τὴν αἰτίαν, ἐπειδὴ ξένη ἐστὶν ἡ φωνὴ τοῖς ἁγίοις Πατράσι, δύο φύσεων μίαν λέγειν θέλησιν καὶ ἐνέργειαν. Εἶτα δέ, διὰ παντὸς τρόπου ὁ τοῦτο λέγων, εὑρίσκει εὐβυβόλως ὑποκειμένην αὐτῷ τὴν ἀτοπίαν. Ἐὰν γὰρ εἴπω φυσικὴν, φοβοῦμαι τὴν σύγχυσιν. Ἐὰν εἴπω ὑποστατικὴν, διαιρῶ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Πνεύματος τὸν Υἱὸν, καὶ τρεῖς θελήσεις εἰσάγων φανήσομαι, μὴ συμβαινούσας ἀλλήλαις, ὥσπερ καὶ τὰς ὑποστάσεις. Ἐὰν εἴπω τὴν ὡς ἑνὸς μίαν θέλησιν καὶ ἐνέργειαν, ἀναγκάζομαι καὶ τὴν ὡς ἑνὸς τοῦ Πατρὸς, καὶ τὴν ὡς ἑνὸς τοῦ Πνεύματος εἰπεῖν, κἂν μὴ θέλω, θέλησιν καὶ ἐνέργειαν· καὶ εὑρεθήσεται εἰς πολυθεΐαν ἐκπίπτων ὁ λόγος. Ἐὰν εἴπω σχετικὴν, τὴν Νεστορίου εἰσάγω προσωπικὴν διαίρεσιν. Ἐὰν εἴπω παρὰ φύσιν, φθείρω τὴν ὕπαρξιν τοῦ θέλοντος· φθορὰ γὰρ τῇ φύσει, τὸ παρὰ φύσιν ἐστὶ, καθὼς οἱ Πατέρες εἰρήκασι.

ΘΕΟΔ. Μίαν διὰ τὴν ἕνωσιν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν θέλησιν, πάντῃ τε καὶ πάντως ὀφείλομεν λέγειν, καθάπερ Σέργιος καὶ Πύρρος, ὡς οἶμαι καλῶς νενοηκότες γεγράφασι. ΜΑΞ. Εἰ κελεύεις, δέσποτα, δέξαι μου περὶ τούτου δύο ῥήματα· εἰ διὰ τὴν ἕνωσιν μία τοῦ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν, καθάπερ Σέργιος καὶ Πύρρος καὶ Παῦλος γεγράφασι, γέγονε θέλησις, ἑτεροθελὴς κατ' αὐτοὺς ἔσται ὁ Υἱὸς τῷ Πατρὶ, διὰ τὴν φύσιν, ἀλλ' οὐ διὰ τὴν ἕνωσιν, μίαν κατὰ τὸν Υἱὸν ἔχοντι θέλησιν, εἴπερ οὐ ταὐτὸν ἐστιν ἕνωσις καὶ φύσις. Εἰ διὰ τὴν ἕνωσιν μία κατ' αὐτοῦ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν γέγονε θέλησις, αἰτίαν οὐκ ἔξει πάντως τὴν ἕνωσιν, ἀλλ' οὐδετέραν τῶν ἐξ ὧν ἐστι φύσιν, καὶ σχέσεως κατ' αὐτοὺς ἔσται προ-

A Theod. Hoc profecto fit. Sed da mihi verbum, quod, si me miserint, venias mecum. Max. Domine, expedit tibi conservum meum qui est Mesembriæ accipere tecum magis quam me. Ipse enim et linguam novit, et verebuntur eum dignius, eo quod per tot annos cruciatus fuerit propter Deum et rectam fidem quæ tenetur in sede ipsorum. Theod. Jurgia diversa habuimus ad invicem modo, et ideo non gratanter accipio pergere cum illo. Max. Domine, jam quia visum est hoc fieri, exitus fiat eorum quæ putata sunt, et sequor quocunque jusseritis. Et in his surrexerunt omnes cum gaudio et lacrymis, positisque in terra genibus, oratio facta est, et unusquisque ipsorum sancta Evangelia, pretiosamque crucem, et imaginem Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi,
B atque dominæ nostræ, quæ illum peperit, sanctissimæ Dei genitricis salutaverunt : ponentes nihilominus manus suas ad certificationem eorum quæ facta sunt.

Deinde cum pusillum confabulati fuissent ad invicem de vita quæ secundum Deum agitur, et divinorum observantia mandatorum, conversus Theod. episcopus ad abbatem Maximum dixit : En omnia soluta sunt scandala, et facta est pax per Deum, et fiet. Sed propter Dominum ne celes me. Non dicis per quemcunque modum unam voluntatem et operationem in Christo? Max. Non mihi possibile est hoc aliquando dicere. Et dico causam, quoniam extranea vox est sanctis Patribus duarum diversarum naturarum unam dicere voluntatem et operationem. Deinde vero et per omnem modum, qui dicit hoc invenict
C jure occurrentem sibi pravitatem. Primo, quoniam si dixero naturalem, timeo commistionem. Secundo, quia si dixero subsistentialem, divido a Patre ac Spiritu sancto, et tres voluntates inducere apparebo mutuo sibimet congruentes, quemadmodum et subsistensias. Tertio, quoniam si dixero velut unius unam voluntatem et operationem, cogor et velut unius Patris, et velut unius Spiritus dicere, licet nolim, voluntatem et operationem ; et invenietur sermo in multitudinem deorum cecidisse. Quarto, si dixero affectualem, Nestorii infero personalem divisionem. Quinto, si dixero præter naturam, corrumpo existentiam voluntatis. Corruptio quippe est naturæ id
D quod præter naturam est, quemadmodum Patres dixerunt.

Theod. Unam propter unitionem Salvatoris nostri voluntatem per omnia et omnino dicere debemus, sicut et Sergius et Pyrrhus, bene, ut reor, intelligentes, scripserunt. Max. Si jubes, domine, suscipe duo super hoc verba mea. Primo, quia si propter unitionem una Dei et Salvatoris nostri, sicut Sergius, Pyrrhus, et Paulus scripserunt, voluntas effecta est, alterius voluntatis secundum illos erit Filius Patri propter naturam, sed non propter unitionem, secundum Filium habenti voluntatem, si non idipsum est unitio et natura. Secundo, quia si propter unitionem una secundum ipsos Salvatoris nostri voluntas effecta est, causam profecto suam unitionem habebit, et

δῆλος ἡ θέλησις, ἀλλ' οὐ φήσεως· σχέσιν γὰρ, ἀλλ' οὐ φύσιν ὁ τῆς ἀληθείας τὴν ἕνωσιν ἐπίσταται λόγος. Εἰ δὲ διὰ τὴν ἕνωσιν, ὡς ἔφασαν, μία τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν γεγένηται θέλησις, ποίαν θελήσει φασὶν αὐτὴν γεγενῆσθαι τὴν ἕνωσιν; Οὐ γὰρ δήπου τῇ δι' αὐτὴν γενομένῃ φαῖεν ἂν ἀληθείας φροντίζοντες, καὶ τὸ παράλογον φεύγοντες. Εἰ διὰ τὴν ἕνωσιν μία τοῦ Σωτῆρος γεγένηται θέλησις, δῆλον ὅτι πρὸ τῆς ἑνώσεως, ἡ πολυτελὴς ἦν, ἡ παντελῶς ἀθελής. Καὶ εἰ μὲν πολυθελὴς ἦν, μείωσιν τῶν πολλῶν, πρὸς μίαν σταλεῖς ὑπέμεινε θέλησιν, καὶ τροπῆς προφανῶς ἐδέξατο πάθος, τὴν τῶν πρόσουσῶν αὐτῷ φυσικῶς πολλῶν θελήσεων μείωσιν. Εἰ δὲ παντάπασιν ἦν ἀθελής, κρείττονα τῆς φύσεως ἀπέφηνεν οὖσαν τὴν ἕνωσιν ἐξ ἧς ἐπορίσατο θέλησιν, ἣν ἡ φύσις ἠπόρησε. Καὶ πάλιν τρεπτὸς ἀπέφηνε, τὸ μὴ τῇ φύσει πρόσὸν αὐτῷ, σχέσει κτησάμενος. Εἰ διὰ τὴν ἕνωσιν μία τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν καθ' ἕτερον τῶν ἐξ ὧν ἐστι γέγονε θέλησις, πρόσφατος γέγονε θελήσει Θεὸς, ὁ αὐτὸς διὰ τὴν ἕνωσιν τῇ φύσει μένων ἀΐδιος· καὶ ἄναρχος ἄνθρωπος τῇ θελήσει, μένων τῇ φύσει πρόσφατος· Ὅπερ ἀδύνατον, ἵνα μὴ λέγω δυσσεβές. Εἰ διὰ τὴν ἕνωσιν μία τῶν φύσεων γέγονε θέλησις, τί δήποτε διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν, μία τῶν φύσεων οὐ γέγονε φύσις;

non aliam eorum naturam ex quibus existit, et affectus, non naturæ, secundum ipsos erit aperte voluntas : naturam enim, non affectum, veritatis ratio novit. Tertio, si propter unitionem, ut fassi sunt, una Salvatoris nostri voluntas effecta est, qua voluntate aiunt ipsam fuisse unitionem effectam? Non enim ea quæ per illum effecta est fatebuntur utique, si duntaxat veritati operam dederint et quod est irrationabile fugerint. Quarto, si propter unitionem una Salvatoris voluntas effecta est, liquet profecto quod ante unitionem aut cum multis voluntatibus fuerit, aut penitus absque voluntate. Et si quidem multarum erat voluntatum, diminutionem multarum pertulit, ad unam nimirum voluntatem contractus, et convertibilitatis perspicuæ passionem suscepit, multarum quæ sibi naturaliter inerant voluntatum diminutionem. At vero, si modis omnibus erat absque voluntate, meliorem natura esse monstravit unitionem, ex qua acquisivit voluntatem, qua natura carebat. [a] Et iterum convertibilis palam profecto fecit quod natura sibi non inerat, sed acquisivit affectu. Quinto, si propter unitionem una Salvatoris nostri secundum utraque ex quibus est voluntas effecta est, recens factus est voluntate Deus, idem ipse propter unitionem natura permanens sempiternus, et voluntate homo sine principio permanens natura recens : quod est impossibile, ne dixerim impium. Sexto, si propter unitionem una naturarum voluntas effecta est, [b] non est quidpiam propter eamdem causam una naturarum effectum natura?

Καὶ διακόψας ἐπὶ τούτοις τὴν τοῦ λόγου φοράν ΘΕΟΔ. ὁ ἐπίσκοπος, εἶπε· Τί τοίνυν διὰ τὴν ἕνωσιν γέγονεν, εἰ μηδὲν τούτων γεγένηται δι' αὐτήν; ΜΑΞ. Ἔνσαρκον ἔδειξεν ἀψευδῶς γεγονότα τὸν ἄσαρκον· αὐτὸν φύσει Θεὸν, καὶ τὸν τῶν ὅλων δημιουργὸν, φύσει γενομένον ἄνθρωπον ἀριδήλως παρέστησεν, οὐ τροπῇ φύσεως, ἢ μειώσει τινὸς τῶν τῆς φύσεως, ἀλλ' ἀληθεῖ προσλήψει νοερῶς ἐψυχωμένης σαρκὸς, ἤγουν ἀνελλιποῦς ἀνθρωπότητος, παντὸς προπατορικοῦ καθαρᾶς κατὰ φύσιν ἐγκλήματος. Καὶ τῷ κατ' ἀπαλλαγὴν λόγῳ, τὸ θαυμάσιον ὄντως καὶ πᾶσι κατάπληκτον, ὅλον ἐν τοῖς ἀνθρωπίνοις Θεὸν τὸν αὐτὸν ὁλοκλήρως μένοντα τῶν ἰδίων ἐντὸς, ὅλον ἐν τοῖς θείοις ἄνθρωπον, ὁλοκλήρως μένοντα τῶν ἰδίων ἀνέκπτωτον. Περιχώρησις γὰρ εἰς ἀλλήλας τῶν φύσεων καὶ τῶν αὐταῖς προσόντων φυσικῶν, κατὰ τὴν τῶν θεηγόρων Πατέρων ἡμῶν διδασκαλίαν, ἀλλ' οὐ μεταχώρησις ἡ μείωσις διὰ τὴν ἕνωσιν γέγονεν, ὅπερ ἴδιόν ἐστι τῶν σύγχυσιν κακούργως ποιουμένων τὴν ἕνωσιν, καὶ διὰ τοῦτο τοῖς καινισμοῖς πολυτρόπως ἐμφυρωμένων, καὶ δι' ἀπορίαν τοῦ κατ' αὐτοὺς λόγου σταθηρότητος διωκόντων τοὺς εὐσεβεῖς.

Et reciso inter hæc THEOD. episcopus sermonis super his habiti impetu, dixit : Quid igitur sit propter unitionem, si nihil horum factum est propter eam? MAX. Incarnatum sine mendacio factum eum qui sine carne fuerat demonstravit, ipsumque natura Deum et omnium conditorem, natura factum hominem evidenter ostendit, non conversione naturæ, aut diminutione cujusquam eorum quæ naturæ sunt, sed vera susceptione intellectualiter animata carne, id est indiminuta humanitate, ab omni progenitorio secundum naturam crimine munda : et quod est secundum liberationis rationem mirabile revera et cunctis ingenti stupore habendum, totum in hominibus Deum, eumdem integrum manentem intra sua, totum in divinis hominem, eumdem ipsum integre manentem, a propriis non decidentem. Receptio enim in invicem naturarum et naturalium quæ sibi insunt, juxta deiloquorum Patrum nostrorum doctrinam, et non translatio vel casus propter unitionem effecta est, eorum qui confusionem maligne faciunt unalitatem, et ideo innovationibus multimode confusionem inducunt, et propter defectionem constantiæ rationis suæ persequuntur pios.

Ὧν ἀκούσας ΘΕΟΔ. ὁ ἐπίσκοπος, ἔδοξε μετὰ τῶν λοιπῶν τῶν σὺν αὐτῷ παραγενομένων, τὸ λεχθὲν ἀποδέχεσθαι. Καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς ἐπίσκοπος πρὸς τὸν ἀββᾶν Μάξιμον φησιν· Ποίησον ἀγάπην· τί ἐστιν ὅπερ εἶπας

Quibus auditis, THEOD. episcopus visus est cum reliquis, qui secum venerant, quod dictum fuerat suscepisse. Et iterum idem episcopus ad abbatem Maximum : Fac, inquit, charitatem : quid est

[a] Græca sic : *rursusque se mutabilem ostendit, habitu acquirens id quod natura sibi non inerat.*

[b] Lege ex Græco, *cur non, eamdem ob causam, una naturarum natura facta est.* SIRM.

ἡμῖν, ὅτι οὐδεὶς ὡς τις τὴν ὑπόστασιν, ἀλλ' ὡς τι τὴν φύσιν ἐνεργεῖ; προΐσται γάρ μοι νοήσαντι τὸ λεχθέν. ΜΑΞ. Οὐδεὶς ὡς τις τὴν ὑπόστασιν ἐνεργεῖ, ἀλλ' ὡς τι τὴν φύσιν· οἷον, Πέτρος καὶ Παῦλος ἐνεργοῦσιν, ἀλλ' οὐ Πετρικῶς καὶ Παυλικῶς, ἀλλ' ἀνθρωπικῶς. Ἄμφω γὰρ ἄνθρωποι φυσικῶς κατὰ τὸν κοινὸν καὶ ὁριστικὸν τῆς φύσεως λόγον· ἀλλ' οὐχ ὑποστατικῶς κατὰ τὸν ἰδίως ποιόν. Ὡσαύτως Μιχαὴλ καὶ Γαβριὴλ ἐνεργοῦσιν, ἀλλ' οὐχὶ Μιχαηλικῶς καὶ Γαβριηλικῶς, ἀλλ' ἀγγελικῶς. Ἄμφω γὰρ ἄγγελοι. Καὶ οὕτως ἐπὶ πάσης φύσεως, πολλῶν τῷ ἀριθμῷ κατηγορουμένης, κοινὴν, ἀλλ' οὐχὶ μόνην τὴν ἐνέργειαν θεωροῦμεν. Οὐκοῦν ὁ λέγων ὑποστατικὴν ἐνέργειαν, αὐτὴν τὴν φύσιν μίαν οὖσαν, ἄπειρον ταῖς ἐνεργείαις εἰσάγει γεγενημένην· καὶ κατὰ τὸ πλῆθος τῶν ὑπ' αὐτὴν ἀγομένων ἀτόμων, ἑαυτῆς διαφέρουσαν· ὅπερ εἰ δοξόμεθα καλῶς ἔχειν, πάσῃ φύσει τὸν ἐπ' αὐτῇ τοῦ πῶς εἶναι λόγον συνδιαφθείρομεν.

A quod dixisti nobis, quia nullus ut quis subsistentiam, sed ut quid naturam operatur? astat enim mihi non intelligenti quod dictum est. MAX. Nullus ut quis subsistentiam operatur, sed ut quid naturam: utputa Petrus et Paulus operantur, sed non Petrice, et Paulice, sed humane, ambo quippe homines naturaliter juxta communionem et diffinitivam naturæ rationem, sed non subsistentialiter secundum id quod proprie facit. Similiter Michael et Gabriel operantur, verum non Michaelice vel Gabrielice, sed angelice, ambo quippe angeli. Et ita in omni natura multa numero prædicante, communem, sed non annihilatam, operationem aspicimus. Ergo qui dicit subsistentialem operationem, ipsam naturam, cum una sit, infinitam operationibus inducit effectam, secun- B dum multitudinem atomorum quæ sub ipsam rediguntur a semet differentem: quod si admiserimus bene se habere, in ipsa omni natura quomodo existendi rationem corrumpimus.

Καὶ τούτων εἰρημένων, ἐν τῷ ἀσπάζεσθαι ἀλλήλους, εἶπε ΘΕΟΔ. ὁ ὕπατος· Ἰδοὺ γέγονε τὰ πάντα καλῶς· ἆρα καταδέχεται ὁ βασιλεὺς παρακλητικὴν ποιῆσαι κέλευσιν; ΜΑΞ. Βάντως ποιεῖ, ἐὰν θέλῃ μιμητὴς εἶναι τοῦ Θεοῦ, καὶ συνταπεινωθῆναι αὐτῷ, διὰ τὴν κοινὴν πάντων ἡμῶν σωτηρίαν, λογιζόμενος ὡς εἴπερ ὁ φύσει σώζων Θεὸς, οὐκ ἔσωσεν ἕως ἐταπεινώθη θέλων, πῶς ὁ φύσει σωζόμενος ἄνθρωπος ἢ σωθήσεται, ἢ σώσει μὴ ταπεινούμενος; Καὶ εἶπε ΘΕΟΔ. ὁ ὕπατος· Ὅτι ἐλπίζω τοῦ Θεοῦ σώζοντός μοι τὴν μνήμην, τοῦτον αὐτῷ τὸν λόγον λέγω, καὶ πείθεται. Καὶ ἀσπασάμενοι ἀλλήλους ἐπὶ τούτοις, ἀπῆλθον μετ' εἰρήνης, δεδωκότος τοῦ ἐπισκόπου τῷ ἀββᾷ Μαξίμῳ πεμφθὲν αὐτῷ ποσὸν μικρὸν, καὶ στιχάριον καὶ καμάσιν· καὶ τὸ μὲν στιχάριον εὐθέως κατ' αὐτὴν τὴν ὥραν Βιζύης ὁ ἐπίσκοπος· ἐν τῷ Ῥηγίῳ δὲ οὐ τὸ δοθὲν αὐτῷ ποσὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄλλο εἴ τι δήποτε ἐξ εὐποιΐας εἶχε, μετὰ τῶν λοιπῶν οἰκτρῶν αὐτοῦ πραγμάτων καὶ ἐσθημάτων, ἀφείλαντο.

Et his dictis, dum invicem oscularentur, THEOD. consul dixit: En facta sunt omnia bene: putasne consensurus est imperator rogatoriam facere jussionem? Et dicit abba MAX. Utique facit, si voluerit imitator esse Dei et humiliari cum eo propter communem omnium nostrum salutem: perpendens quia si Deus, qui natura salvat, non salvavit donec volens humiliaretur, quomodo is qui natura salvandus est homo, aut salvabitur aut salvabit non humiliatus? Et dixit THEOD. consul: Spero, quia Deo salvante mihi memoriam, hunc eumdem ei dicam sermonem, C et acquiescet. Et cum in his se mutuo salutassent, abierunt cum pace, data ab episcopo abbati Maximo quadam pecuniæ quantitate, et tunica, et casula, quæ fuerant sibi transmissa. Et tunicam quidem statim eademque hora tulit Bizyensis episcopus. Ast in Regio non solum quantitatem sibi pecuniæ datæ, verum etiam et aliud quodcunque ex beneficentia quorumdam habere videbatur, una cum reliquis ejus vilibus rebus ac vestibus abstulerunt.

Μετὰ δὲ τὸ ἀπελθεῖν τοὺς εἰρημένους ἄνδρας τῇ ὀγδόῃ τοῦ Σεπτεμβρίου μηνὸς τῆς παρούσης πεντεκαιδεκάτης ἰνδικτιῶνος, ἐξῆλθεν αὖθις Παῦλος ὁ ὕπατος ἐν Βιζύῃ πρὸς τὸν ἀββᾶν Μάξιμον, κέλευσιν ἐπιφερόμενος περιέχουσαν οὕτως· « Κελεύομεν τῇ σῇ ἐνδοξότητι ἀπελθεῖν ἐν Βιζύῃ, καὶ ἀγαγεῖν Μάξιμον τὸν μοναχὸν μετὰ πολλῆς τιμῆς καὶ κολακείας, διά τε τὸ γῆρας καὶ τὴν ἀσθένειαν· καὶ τὸ εἶναι αὐτὸν προγονικὸν ἡμῶν, καὶ γενόμενον αὐτοῖς τίμιον· καὶ θέσθαι τοῦτον ἐν τῷ εὐαγεῖ μοναστηρίῳ τοῦ ἁγίου Θεοδώρου, τῷ διακειμένῳ πλησίον τοῦ Ῥηγίου· καὶ ἐλθεῖν, καὶ μηνύσαι ὑμῖν. Καὶ πέμποιμεν ἐκ προσώπου ἡμῶν δύο πατρικίους, ὀφείλοντας διαλεχθῆναι τὰ παραστάντα ὑμῖν, φιλοῦντας ἡμᾶς ψυχικῶς, καὶ φιλουμένους παρ' ἡμῶν· καὶ ἐλθεῖν, καὶ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν τὴν παρουσίαν αὐτοῦ. » Ἀγαγὼν οὖν ὁ αὐτὸς ὑπατος, καὶ θεὶς ἐν τῷ προειρημένῳ μοναστηρίῳ, ἀπῆλθε ἀναγγείλαι.

Postquam vero abierunt prædicti viri sexto Idus septembrias præsentis quintæ decimæ indictionis, exivit rursus Paulus consul in Bizyen, ad abbatem Maximum jussionem ferens continentem secundum hanc formam: « Jubemus gloriæ tuæ ire Bizyen, et adducere Maximum monachum cum honore multo D atque blanditie, tam propter senectam et infirmitatem, quam eo quod sit a progenitoribus noster fueritque illis honorabilis. Et ponite hunc in venerabili manasterio sancti Theodori, quod rejacet juxta Regium: et venire, et nuntiare nobis: et mittemus ad eum ex persona nostra patricios duos qui debeant illi declarare quæ nobis placuerint, nos ex animo amantes, et a nobis amatos: et venire nuntiaturi nobis adventum ejus. » Igitur, cum idem consul adduxisset eum et posuisset in jam nominato monasterio, regressus est nuntiare.

Καὶ τῇ ἡμέρα ἐξῆς ἥξέρχονται πρὸς αὐτὸν Ἐπιφάνιος καὶ Τρωΐλος, οἱ πατρίκιοι μετὰ πολλῆς περιβολῆς καὶ φαντασίας, καὶ Θεοδόσιος ὁ ἐπίσκοπος, καὶ ἀνίσχονται

Et in crastinum veniunt ad eum Epiphanius et Troilus patricii, cum multo amictu et phantasia, necnon et Theodosius episcopus: et ascendunt ad

πρὸς αὐτὸν ἐν τῷ κατηχουμενίῳ τῆς ἐκκλησίας τῆς αὐτῆς μονῆς· καὶ τοῦ συνήθους ἀσπασμοῦ γενομένου, ἐκάθισαν, βιασάμενοι καὶ αὐτὸν καθίσαι· καὶ ἀπαρξάμενος τοῦ πρὸς αὐτὸν λόγου ΤΡΩΙΛΟΣ, εἶπεν· Ὁ δεσπότης ἡμῶν ἐκέλευσεν ἡμᾶς πρὸς σὲ γενέσθαι, καὶ λαλῆσαι ὑμῖν τὰ δόξαντα τῷ αὐτοῦ θειοτάτῳ κράτει. Ἀλλ' εἰπὲ ἡμῖν πρῶτον, ποιεῖς τὴν κέλευσιν τοῦ βασιλέως, ἢ οὐ ποιεῖς; ΜΑΞΙΜΟΣ εἶπε· Δέσποτα, ἀκούσω τί ἐκέλευσε τὸ εὐσεβὲς αὐτοῦ κράτος, καὶ δεόντως ἀποκρίνομαι· ἐπεὶ πρὸς τὸ ἀγνοούμενον, ποίαν ἔχω ἀπόκρισιν δοῦναι; ΤΡΩΙΛ. ἐπίμενε λέγων· Οὐκ ἐνδέχεται ὅτι λέγομέν τί ποτε, ἐὰν μὴ πρῶτον εἴπῃς εἰ ποιεῖς, ἢ οὐ ποιεῖς τὴν κέλευσιν τοῦ βασιλέως. Καὶ ὡς οἶδεν αὐτοὺς ἐνισταμένους, καὶ ἐπὶ τῇ ἀναβολῇ αὐτοῦ πικρότερον βλέποντας, καὶ τραχύτερον ἀποκρινομένους μετὰ πάντων τῶν συνόντων αὐτοῖς, καὶ τῶν ἀξιωμάτων κόσμοις ἐπηρμένων, ἀποκριθεὶς ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. εἶπεν· Ἐπὰν οὐκ ἀνέχεσθε εἰπεῖν τῷ δούλῳ ὑμῶν τὰ παραστάντα τῷ δεσπότῃ ἡμῶν καὶ βασιλεῖ, ἰδοὺ, λέγω ἀκούοντος τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων, καὶ πάντων ὑμῶν, ὅτιπερ εἴ τι δήποτε κελεύει μοι περὶ οἱουδήποτε πράγματος τῷ αἰῶνι τούτῳ συγκαταλυμένου καὶ συμφθειρομένου, ποοθύμως ποιῶ. Καὶ εὐθέως ἀναστὰς ΤΡΩΙΛ. εἶπεν· Εὔξασθέ μοι, ἐγὼ ὑπάγω. Οὗτος γὰρ οὐδὲν ποιεῖ. Καὶ πολλοῦ πάνυ γενομένου θορύβου, καὶ πολλῆς ταραχῆς καὶ συγχύσεως, εἶπεν αὐτοῖς ΘΕΟΔ. ὁ ἐπίσκοπος· Εἴπατε αὐτῷ τὴν ἀπόκρισιν, καὶ γνῶτε τί λέγει· ἐπεὶ τὸ οὕτως ἐξελθεῖν μηδὲν ἐρηκότας καὶ μηδὲν ἀκούσοντας, οὐκ ἔστιν εὔλογον. Τότε ΕΠΙΦ. ὁ πατρίκιος εἶπε· Τοῦτό σοι δηλοῖ δι' ἡμῶν ὁ βασιλεύς, λέγων· Ἐπειδὴ πᾶσα ἡ δύσις, καὶ οἱ ἐν τῇ ἀνατολῇ διαστρέφοντες εἰς σὲ θεωροῦσι, καὶ ἅπαντες διὰ σὲ στασιάζουσι, μὴ θέλοντες συμβιβασθῆναι ἡμῖν διὰ τὴν πίστιν· κατανύξοι σε ὁ Θεὸς κοινωνῆσαι ἡμῖν ἐπὶ τῷ παρ' ἡμῖν ἑκτεθέντι τύπῳ, καὶ ἐξερχόμεθα ἡμεῖς δι' ἑαυτῶν εἰς τὴν Χαλκήν, καὶ ἀσπαζόμεθά σε, καὶ ὑποτιθέμεθα ὑμῖν τὴν χεῖρα ἡμῶν, καὶ μετὰ πάσης τιμῆς καὶ δόξης εἰσάγομεν ὑμᾶς εἰς τὴν μεγάλην Ἐκκλησίαν, καὶ μεθ' ἑαυτῶν ἱστῶμεν ἐν ᾧ κατὰ συνήθειαν οἱ βασιλεῖς ἵστανται, καὶ ποιοῦμεν ἅμα τὴν σύναξιν, καὶ κοινωνοῦμεν ἅμα τῶν ἀχράντων καὶ ζωοποίων μυστηρίων τοῦ ζωοποιοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. Καὶ ἀνακηρύττομέν σε πατέρα ἡμῶν, καὶ γίνεται χαρὰ οὐ μόνον τῇ φιλοχρίστῳ καὶ βασιλίδι ἡμῶν πόλει, ἀλλὰ καὶ πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ. Οἴδαμεν γὰρ ἀσφαλῶς, ὅτι σοῦ κοινωνοῦντος τῷ ἁγίῳ τῶν ἐνταῦθα θρόνῳ, πάντες ἑνῶνται ἡμῖν, οἱ διὰ σὲ καὶ τὴν διδασκαλίαν ἀποσχίσαντες τῆς κοινωνίας ἡμῶν.

Καὶ στραφεὶς πρὸς τὸν ἐπίσκοπον ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. μετὰ δακρύων εἶπεν αὐτῷ· Κύριε ὁ μέγας, ἡμέραν κρίσεως ἐκδεχόμεθα πάντες. Οἶδας τὰ τυπωθέντα, καὶ δόξαντα ἐπὶ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων, καὶ τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ, καὶ τῆς εἰκόνος τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν, καὶ τῆς αὐτοῦ τεκούσης παναγίας ἀειπαρθένου μητρός. Καὶ βαλὼν κάτω τὸ πρόσωπον ὁ ἐπίσκοπος, συγνοτέρᾳ τῇ φωνῇ λέγει πρὸς αὐτόν· Καὶ τί ἔχω ποιῆσαι ἐγὼ, ἐπὰν ἕτερόν τι παρίστῃ τῷ εὐσεβεστάτῳ βασιλεῖ; Καί φησι πρὸς αὐτὸν ΜΑΞ. καὶ διὰ τί ἤψω τῶν ἁγίων εὐαγγελίων, καὶ οἱ μετά σου, οὐκ οὔντες ἐφ' ὑμῖν τῆς τῶν λαληθέντων ἐκβάσεως;

A eum in catechumenium ecclesiæ ipsius monasterii, factaque consueta salutatione sederunt cogentes et ipsum sedere, et orsus habitum ad eum sermonem Troilus, dixit : Dominus orbis jussit nos venire ad te, et dicere vobis quæ visa sunt divinitus roborato imperio suo. Sed dic nobis primitus, si facias jussionem imperatoris, an non? Maximus dixit : Domine, audiam quod jusserit pium ejus imperium, et necessario respondebo. Nam ad id quod ignotum est mihi, qualem responsionem daturus sum? At vero Troil. perseverabat asseverans : Non potest esse ut dicamus aliquid, nisi primum dicas utrum facias vel non facias jussionem imperatoris. Et cum vidisset eos insistentes peramplius dilationi suæ, et amarius intuentes, ac asperius respondentes cum omnibus qui B cum eis erant et ipsis quoque dignitatibus sæcularibus elevatis, respondens abba Max. ait : Quia non patimini dicere servo vestro quæ placent domino et imperatori nostro, ecce dico, audiente Deo, ac sanctis angelis et omnibus vobis, quoniam, quidquid jusserit mihi super quacunque re cum hoc sæculo destruenda et corrumpenda, prompte faciam. Et confestim surgens Troil. dixit : Orate mihi, ego vadam. Hic enim nihil facit. Et multo vehementique facto tumultu, ac multa turbatione et confusione, dixit eis Theod. episcopus : Dicite illi responsa, et cognoscite quid fateatur. Nam sic regredi, nihilque dicere et nihil audire, rationabile non est. Et tunc Epiphanius patricius ait : Hoc tibi per nos significat imperator, dicens : Quoniam totus Occidens et qui C in Oriente subversiones operantur ad te spectant, et omnes propter te simultates exagitant, nolentes convenire nobiscum in causa fidei; Deus compungi te faciat, ut communices nobiscum in Typo qui expositus est a nobis, et exibimus per nos ipsos ad Chalem, et osculabimur te, et supponemus vobis manum nostram, cumque omni honore ac gloria introducemus vos in magnam Ecclesiam, et cum nobis ipsis sistemus ubi ex more imperatores stant, et faciemus pariter synaxim, et participabimur intemeratorum et vivificorum sacramentorum vivifici corporis et sanguinis Christi, et prædicabimus te denuo patrem nostrum, fietque gaudium non modo amatrici Christi et regiæ urbi nostræ, sed et in toto terrarum orbe. Scimus enim certissime quod, te communicante sancto huic throno, cuncti uniantur nobis, D qui propter te tumque magisterium se a communione nostra sciderunt.

Et conversus ad episcopum abba Max. cum lacrymis ait : Domine magne, diem judicii exspectamus omnes, nosti quæ ordinata sunt et diffinita supra sancta Evangelia, et vivificam crucem, atque imaginem Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, et sanctissimæ quæ illum genuit semper Virginis matris. Et submisso deorsum vultu, episcopus mitiori voce dicit ad eum : Et quid habeo facere, postquam aliud quid placuit? Et dixit ad eum Max. [abbas] : Et quare tetigisti sancta Evangelia, et hi qui tecum erant, cum non sit in vobis eorum quæ dicta sunt exitus? Vere

Ὄντως πᾶσα ἡ δύναμις τῶν οὐρανῶν, τοῦτο οὐ πείθει με ποιῆσαι. Τί γὰρ ἀπολογήσομαι, οὐ λέγω τῷ Θεῷ, ἀλλὰ τῇ ἐμῇ συνειδότι, ὅτι διὰ δόξαν ἀνθρώπων, τῆς κατ' αὐτὴν λόγῳ μηδεμίαν ἐχούσαν ὕπαρξιν, τὴν σώζουσαν τοὺς στέργοντας αὐτὴν πίστιν ἐξωμοσάμην;

A omnis cœli virtus hoc mihi facere minime persuaderet. Quam enim rationem redderem, ut non dicam Deo, conscientiæ meæ, quod si propter humanam gloriam, quæ secundum sui rationem nullam habet salvandi substantiam, fidem abnegarem ejus qui fovet eam?

Καὶ ἐπὶ τῷ λόγῳ τούτῳ ἀναστάντες, θυμοῦ στρατηγήσαντος πᾶσιν αὐτοῖς, τιλμοῖς καὶ ὀδισμοῖς καὶ σφαιρισμοῖς παρέλυσαν αὐτὸν, ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ὀνύχων κατακλύσαντες αὐτὸν πτύσμασιν· Ὥνπερ, μέχρις ἂν ἐπλύθησαν ἅπερ ἐβέβλητο ἱμάτια, διεπνέετο ὁ βρόμος. Καὶ ἀναστὰς ὁ ἐπίσκοπος εἶπεν· Οὕτως οὐκ ἔδει γενέσθαι, ἀλλ' ἀκοῦσαι μόνον παρ' αὐτοῦ τὴν ἀπόκρισιν, καὶ εἰσελθεῖν ἀναγγεῖλαι τῷ δεσπότῃ ἡμῶν τῷ ἀγαθῷ. Τὰ γὰρ κανονικὰ πράγματα, ἑτέρῳ διοικοῦνται τρόπῳ. Καὶ μόλις πείσας αὐτοὺς ὁ ἐπίσκοπος ἡσυχάσαι, πάλιν ἐλάθησαν, καὶ μυρίαις ὕβρεσι καὶ ἀραῖς ἀνεπινοήτοις μωμώσαντες αὐτὸν, μετὰ θυμοῦ καὶ τραχύτητος εἶπεν Ἐπιφ. Εἰπέ, πανίσχατε φαγοπόλις, ὡς αἱρετικοὺς ἔχων ἡμᾶς, καὶ τὴν πόλιν ἡμῶν, καὶ τὸν βασιλέα, τούτους εἶπας τοὺς λόγους; Ὄντως πλεῖόν σου χριστιανοὶ ἐσμεν καὶ ὀρθόδοξοι· καὶ τὸν κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν ὁμολογοῦμεν ἔχειν καὶ θεϊκὴν θέλησιν καὶ ἀνθρωπίνην θέλησιν, καὶ νοερὰν ψυχήν· καὶ ὅτι πᾶσα νοερὰ φύσις, πάντως ἔχει τὸ θέλειν ἐκ φύσεως, καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ἐπειδὴ ζωῆς ἴδιον ἡ κίνησις, καὶ νοῦ ἴδιον ἡ θέλησις· καὶ θελητικὸν αὐτὸν οἴδαμεν, οὐ θεότητι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀνθρωπότητι. Ἀλλὰ καὶ τὰς δύο θελήσεις αὐτοῦ καὶ ἐνεργείας οὐκ ἀρνούμεθα.

Et in sermone isto surgentes omnes furore instabiles redditi, evulsionibus, et impulsionibus atque direptionibus debilitaverunt eum, a capite usque ad ungues sputis certatim madefacientes. Quorum usquequo lota sunt vestimenta quibus circumamictus erat, fœtor longius exhalabat. Et surgens episcopus dixit: Non oportebat ita fieri, sed audire ab eo tantummodo responsionem, et ingredi, et nuntiare domino nostro bono. Canonicæ quippe res alio disponuntur modo. Et, cum vix eis episcopus ut quiescerent persuasisset, rursus sederunt: et denis millibus injuriis et maledictionibus inexcogitabilibus dehonestantibus eum, cum furore multo et asperitate dixit Epiphanius: Dic, malorum extreme, vorax civium, quasi nos et civitatem nostram, sed et imperatorem, hæreticos habeas, hæc prosecutus es verba? Vere plus quam tu Christiani sumus atque orthodoxi, et Dominum nostrum ac Deum confitemur habere et divinam voluntatem, et humanam voluntatem, et animam intellectualem: et quia omnis intellectualis natura utique habet ex natura velle ac operari, quoniam vitæ proprium motus est, et intellectus proprium voluntas: et voluntatis ejus capacitatem novimus, non secundum deitatem tantum, sed et secundum humanitatem. Quin et duas ipsius voluntates et operationes non abnegamus.

Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. εἶπεν· Ἐὰν οὕτω πιστεύετε, καθὼς αἱ νοεραὶ φύσεις, καὶ ἡ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία, πῶς με ἀναγκάζετε κοινωνῆσαι ἐπὶ τῷ Τύπῳ, τῷ μόνην τούτων ἔχοντι ἀναίρεσιν; Ἐπιφ. Διὰ οἰκονομίαν τοῦτο γέγονεν, ἵνα μὴ βλαβῶσιν οἱ λαοὶ ταῖς τοιαύταις λεπτομερέσι φωναῖς. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. εἶπε· Τοὐναντίον, πᾶς ἄνθρωπος ἁγιάζεται διὰ τῆς ἀκριβοῦς ὁμολογίας τῆς πίστεως, οὐ μὴν διὰ τῆς ἀνειρέσεως, τῆς ἐν τῷ Τύπῳ κειμένης. Καὶ εἶπε ΤΡΟΙΑ. Καὶ ἐν τῷ παλατίῳ εἶπόν σοι, ὅτι οὐκ ἀνεῖλεν, ἀλλὰ κατασιγασθῆναι ἐκέλευσεν, ἵνα εἰρηνεύωμεν πάντες. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. εἶπεν· Ἡ σιγὴ τῶν λόγων ἀναίρεσις τῶν λόγων ἐστι. Διὰ γὰρ τοῦ Προφήτου λέγει τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· « Οὐκ εἰσὶ λαλιαὶ, οὐδὲ λόγοι, ὧν οὐχὶ ἀκούονται αἱ φωναὶ αὐτῶν. » Οὐκοῦν ὁ μὴ λαλούμενος λόγος οὐδὲ λόγος ἐστί. Καὶ εἶπε ΤΡΩΙΑ. Ἔχε ἐν καρδίᾳ σου, ὡς θέλεις· οὐδείς σε κωλύει. Ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. εἶπεν· Ἀλλ' οὐ περιώρισεν ὁ Θεὸς τῇ καρδίᾳ τὴν ὅλην σωτηρίαν, εἰπών· « Ὁ ὁμολογῶν με ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὁμολογήσω αὐτὸν ἔμπροσθεν τοῦ Πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς. » Καὶ ὁ θεῖος ἀπόστολος διδάσκει, λέγων· « Καρδίᾳ μὲν πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν. » Εἰ οὖν ὁ Θεὸς, καὶ οἱ τοῦ Θεοῦ προφῆται καὶ ἀπόστολοι κελεύουσιν ὁμολογεῖσθαι τὸ μυστήριον φωναῖς ἁγίων, τὸ μέγα καὶ φοβερὸν, καὶ παντὸς τοῦ κόσμου σωτήριον, οὐκ ἔστι χρεία οἱῳδήποτε τρόπῳ κατασιγασ-

Et respondens abba Max. dixit: Si ita creditis, quemadmodum intellectuales naturæ, ac Dei Ecclesia, quomodo me cogitis communicare in Typo qui solam eorum habet divisionem, quæ vos profitemini? Et dixit Epiph. Ob dispensationem factum est hoc, ne lædantur populi hujuscemodi subtilioribus vocibus. Et respondens abba Max. dixit: E contra omnis homo sanctificatur per districtam fidei confessionem, non autem per divisionem quæ in Typo est posita. Et dixit Troil. Et in Palatio dixi tibi, quia non interemit, sed taceri jussit, ut pace fruamur omnes. Et respondens abba Max. dixit: Silentium verborum interemptio est verborum. Per Prophetam enim dicit Spiritus sanctus: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum* (*Psalm.* XVIII, 3). Ergo sermo qui locutione non prædicatur, nullatenus est. Et dixit Troil.: Habe in corde tuo ut vis, nemo te prohibet. Et dicit abba Max.: Sed non circumclusit Deus corde totam salutem, dicens: *Qui non confitetur me coram hominibus, nec ego confitebor eum coram Patre meo, qui est in cœlis* (*Matth.* X, 33). Et sacer Apostolus docet, dicens: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 10). Si ergo Deus, ac Dei propheta atque apostoli jubent confiteri mysterium sanctorum vocibus, quod est magnum, et

θῆναι τὸν τοῦτο κηρύττουσαν φωνὴν, ἵνα μὴ μειωθῇ A horrendum atque totius mundi salutare, non est
τῶν σεγόντων ἡ σωτηρία. opus quoquomodo taceri vocem id prædicantem, ut
non imminuatur tacentium salus.

Καὶ ἀποκριθεὶς τραχυτάτῳ λόγῳ ΕΠΙΦ. εἶπεν· Ὑπέγραψας ἐν τῷ λιβέλλῳ; καὶ εἶπεν ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. Ναί, ὑπέγραψα. Καὶ πῶς ἐτόλμησας, εἶπεν, ὑπογράψαι, καὶ ἀναθεματίσαι τοὺς ὁμολογοῦντας καὶ πιστεύοντας ὡς αἱ νοεραὶ φύσεις, καὶ ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία; ὄντως τῇ ἐμῇ κρίσει εἰσάγομέν σε εἰς τὴν πόλιν, καὶ ἱστῶμεν εἰς τὸν φόρον δεδεμένον, καὶ τοὺς μιμοὺς καὶ τὰς μιμάδας, καὶ τὰς προϊσταμένας πόρνας, καὶ πάντα τὸν λαὸν φέρομεν, ἵνα ἕκαστος καὶ ἑκάστη καὶ ῥαπίσῃ καὶ ἐμπτύσῃ τὸ πρόσωπόν σου. Πρὸς ταῦτα ἀποκριθεὶς ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. εἶπεν· Ὡς εἶπατε, γένηται, ἐὰν τοὺς ὁμολογοῦντας δύο φύσεις ἐξ ὧν ὁ κύριός ἐστι, καὶ τὰς καταλλήλας αὐτῷ δύο φυσικὰς θελήσεις καὶ ἐνεργείας, Θεῷ φύσει δὲ ἀληθείαν ὄντι καὶ ἀνθρώπῳ, ἀναθεματίσαμεν. Ἀνάγνωθι, δέσποτα, τὰ πεπραγμένα, καὶ τὸν λιβελλον, καὶ ἐὰν ὡς εἶπατε εὕρητε, ποιήσατε ὅπερ βούλεσθε. Ἐγὼ γὰρ, καὶ οἱ σύνδουλοί μου ὅσοι ὑπέγραψαν, τοὺς κατὰ τὸν Ἄρειον καὶ Ἀπολιναρίου μίαν θέλησιν καὶ ἐνέργειαν λέγοντας ἀνεθεματίσαμεν, καὶ μὴ ὁμολογοῦντας τὸν κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν καθ' ἕτερον τῶν ἐξ ὧν, ἐν οἷς τι καὶ ἄπειρ ἐστι, φύσει νοερόν· καὶ διὰ τοῦτο κατ' ἄμφω θελητικὸν καὶ ἐνεργατικὸν τῆς ἡμῶν σωτηρίας. Καὶ λέγουσιν· Ἐὰν τούτῳ συνεπαχθῶμεν, οὐ τρώγομεν, οὐ πίομεν· ἀλλ' ἀναστῶμεν, καὶ ἀριστήσωμεν, καὶ εἰσέλθωμεν, εἴπωμεν ἃ ἠκούσαμεν, οὗτος γὰρ πέπρακεν ἑαυτὸν τῷ Σατανᾷ. Καὶ ἀναστάντες ἀρίστησαν. Καὶ εἰσῆλθον μετ' ὀργῆς τῇ καραμονῇ τῆς ὑψώσεως τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ. C

Καὶ τῇ ἑξῆς ἑωθεν ἐξῆλθε Θεοδόσιος ὁ ὕπατος πρὸς τὸν προειρημένον ἀββᾶν Μάξιμον, καὶ ἀφεῖλε πάντα ὅσα εἶχεν, εἰπὼν αὐτῷ ἐκ προσώπου τοῦ βασιλέως· Ὅτι οὐκ ἠθέλησας τιμήν, καὶ μακρυνθήσεται ἀπὸ σοῦ, καὶ ὕπαγε ὅπου ἑαυτὸν ἄξιον ἔκρινας εἶναι, ἔχων τὸ κρίμα τῶν μαθητῶν σου, τοῦ τε ἐν Μεσημβρίᾳ, καὶ τοῦ ἐν Περβέροις, τοῦ γινομένου νοταρίου τῆς μακαρίας ἡμῶν μάμμας. Ἦσαν δὲ καὶ οἱ πατρίκιοι, τοὐτέστι τρώϊλος καὶ Ἐπιφάνιος εἰρηκότες· Ὅτι πάντως φέρομεν καὶ τοὺς δύο μαθητάς, τόν τε ἐν Μεσημβρίᾳ καὶ τὸν ἐν Περβέροις, καὶ δοκιμάζομεν καὶ αὐτούς, καὶ βλέπομεν καὶ τὴν ἐπ' αὐτοῖς ἔκβασιν. Πλὴν ἵνα εἰδῇς, κῦρι Ἀββᾶ, ὅτι μικρὰν ἄνεσιν ἐὰν λάβωμεν ἐκ τῆς συγχύσεως τῶν ἐθνῶν, ἀσμόσασθαι ὑμῖν ἔχομεν μὰ τὴν ἁγίαν τριάδα, καὶ τὸν πάπαν τὸν νῦν ἐπαιρόμενον, καὶ πάντας τοὺς ἐκεῖσε λαλοῦντας, καὶ τοὺς λοιποὺς σου παθητάς, καὶ πάντας ὑμᾶς χωνεύομεν ἕκαστον ἐν τῷ ἐπιτηδείῳ αὐτοῦ τόπῳ, ὡς ἐχωνεύθη Μαρτῖνος· καὶ λαβὼν αὐτὸν ὁ ῥηθεὶς ὕπατος Θεοδόσιος, παρέδωκεν αὐτὸν στρατιώταις, καὶ ἤγαγον αὐτὸν ἕως Σαλεμβρίας.

Καὶ ἔμειναν ἐκεῖ δύο ἡμέρας, ἕως οὗ ἀπῆλθεν εἰς τὸ φοσσᾶτον ὁ εἷς τῶν στρατιωτῶν, καὶ εἶπεν ὅλῳ τῷ στρατῷ, ὅτι ὁ μοναχὸς βλασφημῶν τὴν Θεοτόκον ὧδε ἔρχεται, ἵνα κινήσωσι τὸν στρατὸν κατὰ τοῦ ῥηθέντος ἀββᾶ Μαξίμου, ὡς βλασφημοῦντος τὴν Θεοτόκον. Καὶ μετὰ δύο ἡμέρας ἐπανελθὼν ὁ στρατιώτης, ἔλαβεν αὐτὸν ἐν τῷ

Et respondens asperiori verbo Epiph. dixit : Subscripsisti in libello? Et dixit abba Max.: Etiam, subscripsi. Et quomodo, inquit, ausus es subscribere et anathematizare confitentes atque credentes sicut intellectuales naturæ et Ecclesia catholica? Vere judicio meo introducimus te in urbem, et sistemus te in foro vinctum, et mimas ac mimas et prostitutas meretrices, et omnem plebem, adducemus, ut unusquisque ac unaquæque, et alapis cædat et conspuat in faciem tuam. Et ad hæc respondens abba Max. ait : Sicut dixistis fiat, si confitentes duas naturas, voluntates et operationes ei qui est Deus natura in veritate simul et homo, anathematizavimus. Lege, domine, gestorum seriem ac libellum : et si ut dixistis inveneritis, facite quod vultis. Ego enim, et conservi mei, et quotquot subscripserunt, eos qui secundum Arium et Apollinarium unam voluntatem et unam operationem dicunt, anathematizavimus, et non qui confitentur Dominum nostrum et Deum in utrisque ex quibus, et in quibus, et quæ est, natura intellectualem, et ideo secundum utramque cum voluntate ac operatione nostræ salutis. Et dicunt : Si cum hoc conferimus, neque manducabimus, neque bibemus. Sed surgamus, et prandeamus, et ingrediamur atque dicamus quæ audivimus. Iste quippe venundavit se Satanæ. Et, cum surrexissent, prandebant. Et ingressi sunt cum ira, vigilia Exaltationis pretiosæ ac vivificæ crucis.

Et in crastinum diluculo exivit Theodosius consul ad prædictum abbatem Maximum, et abstulit ab eo quidquid habebat, dicens ei ex persona imperatoris : Quia noluisti honorem, prolongatus est a te, et vade ubi dignum temetipsum fore judicasti, habens quoque judicium discipulorum tuorum, tam scilicet ejus qui est Mesembriæ quam ejus qui est Perberis, quique fuit notarius beatæ memoriæ aviæ nostræ. Dixerant autem et patricii, Troilus videlicet et Epiphanius, quia modis omnibus adducemus etiam ambos discipulos tuos, id est tam eum qui est Mesembriæ quam illum qui es Perberis, et probabimus etiam ipsos, ac videbimus et ipsorum quoque proventum. Verumtamen ut scias, domine abba, quoniam si saltem modicam requiem sumpserimus a confusione gentium, conjungi vobis habemus per sanctam Trinitatem, et papam qui nunc est tollemus, et omnes ibidem loquentes, et reliquos discipulos tuos et omnes vos conflabimus, unumquemque in apto sibi loco, ut conflatus est Martinus. Et sumptum eum jam dictus Theodosius consul militibus tradidit, et duxerunt eum usque Salambriam.

Et manserunt ibidem per duos dies, quousque perrexerit ad castra unus ex militibus et dixit cuncto exercitui, quia monachus qui blasphemat Dei Genitricem huc venit. Hoc autem egerunt, ut commoverent exercitum adversus prædictum Maximum abbatem, quasi blasphemaverit Dei Genitricem. Et

φοσατω, καὶ κατανυγεὶς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ὁ στρατηγὸς, ἦγουν ὁ τοποτηρητὴς τοῦ στρατηγοῦ, ἔπεμψεν ἐγγὺς αὐτοῦ τοὺς προβιβάκοτας τῶν βάνδων, πρεσβυτέρους τε καὶ διακόνους, καὶ τοὺς εὐλαβεῖς σηγνοφύλακας· οὓς ἰδὼν παραγενομένους ὁ ῥηθεὶς ἀββᾶς Μάξιμος, ἐγερθεὶς ἔβαλε μετάνοιαν. Καὶ ἀντέβαλον κἀκεῖνοι, καὶ ἐκάθισαν, κελεύσαντες καὶ αὐτῷ καθίσαι. Καί τις πάνυ γέρων τίμιος εἶπε πρὸς αὐτὸν μετὰ πολλῆς τῆς εὐλαβείας.

Πάτερ, ἐπειδὴ ἐσκανδάλισαν ἡμᾶς τινες εἰς τὴν σὴν ἁγιωσύνην, ὡς οὐ λέγεις Θεοτόκον τὴν δέσποιναν ἡμῶν τὴν παναγίαν παρθένον, ὁρκίζω σε κατὰ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου καὶ ζωοποιοῦ τριάδος, εἰπεῖν ἡμῖν τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἀποτρίψασθαι τῶν καρδιῶν ἡμῶν τοῦτο τὸ σκάνδαλον· ἵνα μὴ βλαπτώμεθα ἀδίκως σκανδαλιζόμενοι. Καὶ βαλὼν μετάνοιαν, ἀνέστη, καὶ ἐκτείνας τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν μετὰ δακρύων εἶπεν· Ὁ μὴ λέγων τὴν δέσποιναν ἡμῶν, τὴν πανύμνητον καὶ παναγίαν ἄχραντον, καὶ πάσῃ τῇ φύσει τῇ νοερᾷ σεπτὴν, φυσικὴν ἀληθῶς μητέρα τοῦ Θεοῦ γενομένην, τοῦ ποιήσαντος τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, ἔστω ἀνάθεμα καὶ κατάθεμα ἀπὸ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, τῆς ὁμοουσίου καὶ προσκυνητῆς τριάδος, καὶ πάσης ἐπουρανίου δυνάμεως, καὶ τοῦ χοροῦ τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ προφητῶν, καὶ τοῦ ἀπείρου δήμου τῶν μαρτύρων, καὶ παντὸς πνεύματος ἐν δικαιοσύνῃ τετελειωμένου, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς ἀπείρους αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. Καὶ κλαύσαντες ηὔξαντο αὐτῷ, λέγοντες· Ὁ Θεὸς ἐνδυναμώσει σε, Πάτερ, καὶ ἀξιώσει σε ἀπρόσκοπον τελειῶσαι τὸν δρόμον τοῦτον. Καὶ τούτων εἰρημένων, ἠθροίσθησαν πολλοὶ στρατιῶται, πολλῶν καλῶν κινηθέντων λόγων ἀκροώμενοι· καὶ θεωρήσας τις τῶν δομεστίκων τοῦ στρατηγοῦ, ὅτι πολὺς ἐπισωρεύεται στρατὸς, καὶ οἰκοδομεῖται, καὶ κατεγινώσκει τῶν εἰς αὐτὸν γενομένων· Τί ὑπονοήσας ὁ Θεὸς οἶδεν· ἐπέτρεψεν ἀνάρπιστον αὐτὸν γενέσθαι, καὶ βληθῆναι ἀπὸ δύο μιλίων τοῦ φωσάτου, ἕως ἂν τὴν σύναξιν ποιήσωσι, καὶ ἔλθωσιν οἱ ἐριλλιοντες ἀπαγαγεῖν αὐτὸν ἐν Περβέροις. Πλὴν ὅτι θείᾳ ἀγάπῃ νικώμενοι οἱ κληρικοὶ, ἐπέζευσαν τὰ δύο μίλια, καὶ ἦλθον, καὶ ὑπάσαντο αὐτὸν, καὶ ηὔξαντο αὐτῷ. Καὶ χερσὶν ἰδίαις βαστάσαντες αὐτὸν, ἔθηκαν ἐπὶ τὸ κτῆνος, καὶ ὑπεστρεψαν μετ' εἰρήνης εἰς τοὺς τόπους αὐτῶν, καὶ αὐτὸς ἀπεκάθη ἐν Περβέροις, ἐν τῇ συνεχούσῃ αὐτὸν φρουρᾷ.

Καὶ τοῦτο δὲ ἰστέον, ὅτι ἐν τῷ Ῥηγίῳ ἀποτεινόμενος Τρώϊλος πρὸς τὸν ἀββᾶν Μάξιμον, εἶπεν· Ὡς ὁ κονσιλάριος Ἰωάννης ἔγραψεν αὐτῷ περὶ συμβάσεως προτεθείσης αὐτοῖς, καὶ τοῦτο γενέσθαι τέως, ἡ τῶν σῶν μαθητῶν ἀταξία διεκώλυσε, οἶμαι δὲ, ὅτι οὐκ ἔγραψεν ὁ εἰρημένος κονσιλάριος Ἰωάννης πρὸς τὸν Τρώϊλον, ἀλλὰ πρὸς Μεννᾶν τὸν μοναχὸν, κἀκεῖνος εἶπε τισὶ τοῦ παλατίου.

Καὶ μετὰ ταῦτα ἄγαγον αὐτοὺς ἐν Κωνσταντινουπόλει,

A post duos dies rediens miles ille, tulit eum in castra, et compunctus divinitus prætor, imo loci servator Prætoris, misit ad eum primores [a] bandorum, presbyterosque, ac diaconos et reverendos signorum custodes. Quos cum intuitus esset jam nominatus abba Maximus advenisse, surrexit, et [b] misit metanœam: et miserunt et illi vice reciproca, et sederunt, jubentes et ipsi sedere. Et quidam valde senex honorabilis dixit ad eum cum reverentia:

Pater, quoniam scandalizaverunt nos quidam in sanctimoniam tuam, quod non dicas Dei genitricem dominam nostram sanctissimam Virginem, adjuro te per sanctam et consubstantialem Trinitatem, quo veritatem dicas nobis et detergas a corde nostro scandalum hoc, ne lædamur injuste scandalizati. B Et missa metanœa surrexit, et extensis in cœlum manibus cum lacrymis dixit: Qui non dicit dominam nostram superlaudabilem, sanctissimam, intemeratam, et omni naturæ intellectuali venerandam, naturalem veraciter matrem Dei effectam, qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, sit anathema, et catathema a Patre et Filio et Spiritu sancto, consubstantiali et supersubstantiali Trinitate, ac omni supercœlesti virtute, atque a choro sanctorum apostolorum, prophetarum, et infinita plebe sanctorum martyrum, omnique spiritu in justitia consummato, nunc et semper et in sæcula sæculorum, amen. Et flentes omnes oraverunt ei dicentes: Deus confortet te, Pater, et dignum te faciat absque offensa hunc perficere cursum. C Et his dictis, congregati sunt multi milites auscultaturi multa bona verba quæ movebantur. Et cum contemplatus esset quidam domesticorum prætoris, quod multus coacervaretur et ædificaretur exercitus, ac reprehenderet quæ fiebant; quid suspicatus Deus scit; præcepit eum rapi et emitti extra castra duobus millibus, donec collectionem fecissent et venissent qui deberent ducere illum Perberis. Verum clerici divina moti dilectione pedites duobus illis milliariis abierunt, et venerunt, et salutaverunt eum, et oraverunt illi, et manibus suis gestantes imposuerunt eum supra jumentum, et reversi sunt cum pace ad loca sua, et ipse adductus est Perberis in custodiam qua continuis vexationibus tenebatur.

D Et hoc quoque sciendum, quia in regio prætendebat Troilus ad abbatem Maximum dicens, quod consiliarius Joannes scripserit sibi de accidentibus quibusdam, quæ sibi consulerent ac placerent: licet hoc fieri interim discipulorum tuorum inordinatio prohibuerit. Æstimo autem quod non scripserit jam dictus consiliarius Joannes ad Troilum, sed ad Mennam monachum, et ille deinceps id dixerit palatinis.

[c] Exinde adductis illis Constantinopolim, adver-

[a] Hoc est vexilliferorum. Hinc est *bandera* seu vexillum.

[b] *Misit metanœam.* Μετάνοιαν ἔβαλε, hoc est *genuflexit, cernuus procubuit.*

[c] Hæc Anastasius non dedit, nec vero pertinent ad Collationem: tamen, quia conjuncta sunt, adjicimus ex edit. Combefis. Operum sancti Maxim. Sirm.

καὶ ἐποίησαν κατ' αὐτῶν πρᾶξιν, καὶ μετὰ τὸ ἀναθεμα- A
τίσαι καὶ ἀνασκάψαι αὐτοὺς τὸν ἐν ἁγίοις Μάξιμον, καὶ
τὸν μακάριον Ἀναστάσιον τὸν μαθητὴν αὐτοῦ, τόντε
ἁγιώτατον πάπαν Μαρτῖνον, καὶ τὸν ἅγιον Σωφρόνιον
τὸν πατριάρχην Ἱεροσολύμων, καὶ πάντας τοὺς ὀρθο-
δόξους, καὶ σὺμμορφους αὐτῶν, ἤγαγαν καὶ τὸν ἄλλον
μακάριον Ἀναστάσιον, καὶ τοῖς αὐτοῖς ἀναθέμασι καὶ
ὕβρεσι χρησάμενοι καὶ ἐπ' αὐτὸν, παρέδωκαν τοῖς
ἄρχουσιν, εἰπόντες οὕτως· Σὺ μὲν οὖν Ἀνάστασιε, τὸ
φαῖον τῆς πανδήμου τῶν ἀναθεμάτων τῆς ἀρᾶς ἐνδυσά-
μενος περιβόλαιον, ἀπαλλάσσου τῆς κανονικῆς ἀκροά-
σεως, πρὸς ἣν ἠρτίσω στάσιν τῆς γεέννης, ἀποφερό-
μενος, συνούσης ἡμῖν τῆς εὐκλεοῦς καὶ πάντα συνδιαι-
τησάσης τιμίας τε καὶ ἱερᾶς συγκλήτου, παραχρῆμα
τὴν μεθ' ἡμᾶς παραληψομένης κρίσιν, καὶ τὰ τοῖς
πολιτικοῖς δοκοῦντα νόμοις ἐπὶ σοὶ διαπραξομένης, ὡς B
αὐτοὶ δοκιμάσειεν, τῶν τηλικούτων σου βλασφημιῶν
ἕνεκα καὶ τυραννίδων. Ὕβρος γὰρ κατ' αὐτῶν τῆς πα-
ρούσης συνόδου, καὶ συνεργείᾳ τοῦ παντοδυνάμου Χρι-
στοῦ τοῦ ἀληθινοῦ ἡμῶν Θεοῦ κανονικῶς ψηφισαμένης τὰ
θέοντα καθ' ἡμῶν, Μάξιμε, Ἀναστάσιε καὶ Ἀναστάσιε,
ἐπεὶ τὸ λειπὸν ὑπῆρχε πρὸς τὰ παρ' ὑμῶν λεχθέντα τε
δυσσεβῶς καὶ πραχθέντα, ταῖς αὐστηραῖς τῶν νόμων
καθυποβληθῆναι ποιναῖς. Εἰ καὶ ἀξία ποινὴ τῶν τοιού-
των ὑμῶν πλημμελημάτων καὶ βλασφημιῶν οὐχ ὕπεσχη,
τῷ δικαίῳ ὑμᾶς περὶ τῆς μείζονος καταλείποντες κριτῇ,
ἐν τῷ παρόντι βίῳ, καὶ ἐν τούτῳ τὴν τῶν νόμων κι-
νοῦντες ἀκρίβειαν, κερδανόντων ὑμῶν τὸ ζῆν, ψηφιζό-
μεθα ὑμῖν, τὸν παρόντα ἡμῖν πανεύφημον ἔπαρχον, αὐ-
τίκα παραλαμβάνοντα ὑμᾶς ἐν τῷ κατ' αὐτὸν πολυαρχι-
κῷ πραιτωρίῳ, καὶ νεύροις τὰ μετάφρενα τύπτοντα, C
[Μάξιμον καὶ Ἀνάστασιον καὶ Ἀναστάσιον, τὸ ὄργανον
τῆς ὑμῶν Μαξίμου καὶ Ἀναστασίου καὶ Ἀναστασίου]
ἀκολασίας, τουτέστι τὴν βλάσφημον ὑμῶν γλῶσσαν
ἔδοθεν ἐκτεμεῖν. Εἶτα δὲ, καὶ τὴν διακονήσασαν τῷ
βλασφήμῳ ὑμῶν λογισμῷ σκαιοτάτην δεξιὰν σιδήρῳ
διατεμεῖν, περιαχθησομένων ἅμα στερήσει τῶν αὐτῶν
βδελυκτῶν μερῶν, τὰ δύο καὶ δέκα τμήματα ταύτης τῆς
κυρίας τῶν πόλεων περινοστεύσας, ἀειφυγίᾳ τε καὶ φυ-
λακῇ πρὸ ἐπὶ τούτοις διανεκεῖ παραδοῦναι ὑμᾶς, πρὸς
τὸ μετέπειτα ὑμᾶς καὶ εἰς τὸν ἅπαντα τῆς ζωῆς ὑμῶν
χρόνον, τὰ οἰκεῖα οἰμώζειν βλάσφημα σφάλματα, τῆς ἐπι-
νοηθείσης καθ' ἡμῶν ἀρᾶς περιτραπείσης τῇ ὑμῶν
κεφαλῇ. Παραλαβὼν οὖν αὐτοὺς ὁ ἔπαρχος, καὶ κολάσας,
ἔτεμε τὰ μέλη αὐτῶν, καὶ περιαγαγὼν ὅλην τὴν πόλιν D
ἐξώρισεν αὐτοὺς ἐν Λαζικῇ.

sumque eos actione habita, ac cum anathematizas-
sent essentque exsecrati sanctum Maximum ejusque
discipulum beatum Anastasium, necnon sanctissi-
mum papam Martinum, sanctumque Sophronium
patriarcham Hierosolymitanum, ac omnes orthodo-
xos, quotquot denique ejusdem ac illi sententiæ
essent : alterum quoque beatum Anastasium addu-
xerunt, iisdemque in eum diris ac contumeliis usi
tradiderunt judicibus, ita dicentes : Sane igitur, tu
Anastasi, pullum populi universi maledictionis di-
rarumque indutus amictum, canonica liberatus au-
ditione eaque extrusus, ad eam quam delegisti de-
veharis gehennæ stationem ac sedem ; qui nobiscum
est parique consilio cuncta moderatur prænobili
sacroque senatu, statim a nobis judicium arre-
pturo, ac quæ civilibus constituta legibus sunt, prout
visum illi fuerit, justa in te animadversione factu-
ro, ob tantas tuas illas blasphemias rebellisque animi
molitiones. Adversus hæc enim sententiam tulit
præsens synodus : cumque illa, omnipotentis Christi
veri Dei nostri ope, quæ par erat, adversum vos,
Maxime, Anastasi Anastasique, decreto sanxerit,
sitque reliquum ad ea quæ a vobis impie dicta gesta-
que sunt, ut severioribus legum pœnis subjiciamini (quanquam idcirco quod nulla ejusmodi pœna
suppetit, quæ delictis vestris ac blasphemiis con-
digna videri possit, justo vos judici qui majora sit
inducturus permittimus) in præsenti sæculo, ceu
in lucri partem, vitæ vobis usura concessa, hacque
ipsa lenitate tantisper vacuata accurata legum disci-
plina ac districtione ; sancimus, ut statim assump-
tis, qui nobis præsto est clarissimus Præfectus, in
suum amplissimi dominatus prætorium, Maximo ac
utroque Anastasio, eorum flagris dorsa cædat, ves-
træque Maximi amborumque Anastasiorum procaci-
tatis organum (vestram scilicet blasphemam lin-
guam) ab imo intus abscindat ; tumque etiam, quæ
blasphemæ vestræ rationi mentique ministravit dex-
teram ferro auferat : ac, ubi sic exsecrandis mem-
bris mutilos pariter circumducens, urbis augustæ
regiones duodecim totas lustraverit, sempiterno ex-
silio jugique præterea custodiæ tradat : ut deinceps,
ac quandiu vita superstes erit blasphemiæ plenos
errores vestros lugeatis, versa scilicet in vestra
capita, quam in nos maledictionem dirasque excogi-
tastis. Tulit itaque præfectus, aliisque excruciatis
tormentis, membra amputavit : totaque urbe pro
pudiosa circumductione traducens, Lazicem relegavit.

[a] Gloria tibi, unigenite Deus Verbum Patris, et une consubstantialis Trinitatis, qui eos qui propter te cum te pelluntur et patiuntur, verbo et opere confortas et sapientes facis in Spiritu sancto. Eos vero qui tui, et re vera proprie semper Virginis matris tuæ inimici et veritatis calumniatores sunt, semper confundis. Gloria tibi, Trinitas sancta, increata, sempiterna, sine initio, infinita, inconvertibilis, et supersubstantialis, ac impartibilis, Deus noster. Gloria tibi, gloria tibi, gloria tibi, eadem et sola Trinitas, spes et salus universorum qui in orthoxa fide adorant te et serviunt tibi in veritate usque in finem. Sola intemerata et sanctissima, proprie natura, sine mendacio ac veraciter Dei mater, et post partum iterum vere Virgo casta, juva.

[a] Hæc Anastasius aut ipse addidit, aut ex alterius Græcis Latina fecit. Sirm.

ANASTASII

PRESBYTERI ET APOCRISIARII ROMÆ

EPISTOLA

AD THEODOSIUM PRESBYTERUM GANGRENSEM.

Exemplar propriæ scriptionis epistolæ sancti Patris nostri, ac doctoris Anastasii, presbyteri et apocrisiarii magni nominis senioris Romæ, novi confessoris, vel, quod magis fatendum est, multum certatoris et martyris veritatis, scriptæ una cum subjacentibus testimoniis sacris, et syllogismis, quæ abscisa est ejus sancta dextera manu, admirabili prorsus ingenio, imo divina virtute et gratia, postquam passus est ipse et Patres qui cum eo fuerunt in misero Byzantio propter verbum tantummodo veritatis, et quod noluissent, vel etiam, ut verius dicatur, non potuissent eis communicare in tam publica ipsorum perfidia et manifesta impietate, secundum sanctum et magnum in theologia Gregorium [a] qui, in sermone suo quem in se fecit, et adversus Arianos affatur : « Quasdam dimisimus bestias sanctorum corporibus, quod quidam inhumanitatem publicaverint, unum accusantes tantum, ne impietati cederent, nec communione polluerentur : quam ut venenum serpentis fugientes, non corpus lædentem, sed profunda quæque animæ offuscantem. » Missa præterea est a tertio exsilio, id est Lazico, ad Theodosium presbyterum Gangrensem et monachum in sancta Christi nostri civitate constitutum.

SUPERSCRIPTIO.

Domino meo per omnia sanctissimo Deo honorabili Patri spirituali ac magistro Theodosio presbytero, Anastasius exiguus misericordia Dei presbyter et monachus servus servorum Dei.

Memoriam justorum cum laudibus divinitus inspiratum nobis facere jubet Proverbium. Ego igitur exiguus memoriam justorum illorum, et præcipue Maximi revera megisti (hoc enim Maximus nomen insinuat), sermone meo in præsentiarum facere volens, et digne illius virtutem atque scientiam, sicut et pro Christo Deo gestum martyrium ejus laudare minime valens, hoc solum significare per hanc epistolam Deo honorabilibus vobis consideravi, quod et ipsi maxime nosse, prout didici, desiderastis, id est, quando beati illi in Domino dormierint. Notum igitur facio vobis, pluribus ex his quæ hic nobis illata sunt malis, silentio, ob multitudinem eorum, et sermonis fastidium, necnon et tempus incongruum, traditis : quod, cum venissemus ad amicorum Christi regionem Lazorum A sexto Idus Junias quintæ indictionis, statim separaverunt nos ab invicem præceptione illius qui tunc præesse his qui illic erant forte meruerat, diripientes omnia usque ad unam acum et filum, quæcunque ad necessarias utilitates tam ex vobis quam ex aliis Christi amicis acquisieramus. Et sacratissimum quidem illum virum, dominum aio Maximum abbatem, neque in subjugali, neque in vehiculo sedere valentem pro eo quod in infirmitate positus esset, cum plectentes virgulas ex eis quasi lectulum texuissent, bajulantes detulerunt, et incluserunt in castro Schemari vocitato juxta gentem eorum qui dicuntur Alani : dominum vero Anastasium abbatem et me peccatorem super equos impositos duxerunt ; et incluserunt illum quidem in castro Scotori dicto B Apsiliæ quæ est prope Abasgiam, me autem in altero castro cujus nomen Buculus erat, regionis quæ Mesimiana vocabatur, in jam dictorum confinibus Alanorum : quod videlicet castrum iidem Alani captum nunc retinere noscuntur. Dein post paucos dies, sumptis tam me quam beato Anastasio a prædictis castris, illum quidem miserunt ad castrum nuncupatum Suanias, cum jam semivivus esset, tam ex multitudine tormentorum ac verberum quæ in Byzantio sustinuimus, quam ex necessitatibus atque angustiis quæ hic sunt nobis illata. Unde, et in medio viæ, ut quidam aiunt, ut autem alii asserunt, mox ac retrusus est in castro Suaniæ ad quod destinatus fuerat, obiit. Argumentor igitur quod circa C undecimo vel nono Kalendas Augustas dormierit in Domino. Quintodecimo namque Kalendarum Augustarum deducti sumus utrique, per jussionem tunc principis, in id quod dicebatur Mocurisin, præsentandi in medio amici Christi exercitus, cum ille jam, ut prætulimus, semivivus exsisteret, et ex tunc eum ultra non vidi. Continuo quippe destinaverunt ipsum quidem, ut dictum est, in castrum Suaniæ, me autem in castrum quod dicitur Thacyria juxta Hiberiam. Hinc igitur conjicio quod circa undecimo Kalendas, vel nono Kalendas Augustas quintæ indictionis in Domino, sicut dictum est, obdormierit.

Porro Christi Dei martyr, domnus videlicet abba Maximus, cum esset custodiæ mancipatus in castro D superius memorato, divina sibi facta visione, advocavit quosdam ex his qui erant in castro et dixit ad

[a] Orat. 25.

eos: Tertio decimo die Augusti mensis hujus instantis quintæ decimæ [a] indictionis, feria septima assumet me Dominus: quod et factum est. Igitur tertio decimo die prædicti Augusti mensis præteritæ quintæ indictionis secundum divinum ejus vaticinium, feria septima, præsentibus derelictis, perrexit ad Dominum. Porro, et aliud miraculum quod divinitus in sancto ejus monumento efficitur, quodque usque in præsens, qui castrum illud et ejus circa regionem inhabitant intuentur et prædicant, et ad quosdam etiam principum atque magnatum pervenit, dignum est et vobis quoque sanctissimis, et per vos omnibus qui ibidem sunt sancti, per litteras fieri manifestum in gloriam et laudem Dei qui facit mirabilia in sanctis suis et glorificat memoriam eorum qui se orthodoxe ac sincere glorificant. Id est, tres lampades luciferæ per singulas noctes sanctum sancti illius martyris Maximi monumentum illustrant. Hæc de memorabili hoc viro, beatoque Anastasio Deo honorabilibus vobis, et per vos omni sanctæ Dei, quæ illic in recta fide degit, Ecclesiæ breviter annotavi: quatenus et vos, his cognitis, glorificetis Deum, qui est mirabilis in sanctis suis.

Interea et quæ mihi peccatori et exiguo post hæc contigerunt, et in quibus sim, pari modo perpaucis manifestabo. Cum enim fecissem duos menses in castro prædictæ Thacyriæ in infirmitate rejacens, et pauxillum quid requiem fuissem adeptus, rursus misit me tunc princeps ad partes Apsiliæ et Misimianæ custodiæ mancipandum in castro Phustas: et, ut absolute dicam, septem mensibus duxit et circumduxit me per omnes prædictas regiones nudum et discalceatum, et peditem, et frigore ac fame et siti depressum, volens profecto et me quoque ab hac detergere vita. Sed nescio quid super me huprævidens Deus, qui omnia salubri providentia sua producit, usque nunc conservavit me in hac multarum tribulationum et miseriæ vita. Post aliquot itaque dies pellitur illinc prædictus princeps. Deindeque succedens alius visus est compati. Inter quæ duxit me juxta domum suam receptum a jam memorato castro Phustensium. Et post annum ex diabolica operatione motus destinat me ad prædictum castrum. Sed Deus remetitur his qui aliis remetiuntur: eadem die qua me pepulit, pulsus est hinc, et efficitur profugus in Christi amatorum regione Abasgorum. Et consilio accepto a Christi amicis qui illic erant principibus, magis compatiendi quam me minimum persequendi, et orationem a me potius quam gemitum percipiendi (ipsi quippe amici Christi principes Abasgiæ compatiuntur humili mihi, quanquam nescierint me), repromisit quidem illis, quod si exiret inde, et restitueretur in principatu, omnia quæ forent ad solatium et refrigerium meum perficeret. Dein post paucos dies, nescio unde adjutus, egreditur quidem A iterum, et recipit principatum: nil tamen eorum quæ pollicitus est Deo et crebro dictis Dei amicis principibus in opus perduxit. E contrario autem manibus nequam deductus virorum, repromissionum quidem oblitus est, tolli autem me a castro Phustensium et maturius in Schemareos castrum mitti præcepit.

Factum interea est, cum ducerent me in jam nominatum castrum, ut ille iterum pelleretur et esset profugus ubi et primum fuerat. Excitavit autem Deus spiritum suum in viro boni æmulatore, qui Dei habeat in se timorem pariter et amorem, et vere pheronyme [b] vigilantem secundum Deum possideat mentem, qui cum Deo nunc præest regioni, et, Deum imitante condescensione seu compassione motus, reduxit me a via crebro dicti Schemareos castri et constituit me quasi quinque [c] signis longius a divinitus custodienda domo sua in loco monachos veraciter condecente, præbens necessarias largissime corporis utilitates. Pro quibus omnibus Christus verus Deus, per intercessiones, quæ illum secundum carnem genuit, Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, ac omnium sanctorum protegat eum una cum amandis filiis suis, atque bonorabili horum ac prorsus laudabili matre, ab omni caterva malignantium et multitudine operantium iniquitatem, donans illis bonorum refectionem, ut semper omnem sufficientiam habentes abundent in omne opus bonum, et statione faciat eos, quæ a dextris futura est, dignos, atque divinam illam et mirem vocem expertos, quæ dicet: *Venite, benedicti Patris mei, hæreditate percipite præparatum vobis regnum ab origine mundi, quia hospes fui, et collegistis me* (*Matth.* XXV, 34, 35); et cætera, amen. Obsecro autem sanctissimos vos eadem pro ipsis postulare in sanctis orationibus vestris, et maxime cum in sanctis et colendis oraveritis. Digni quippe sunt quibus hæc præstetis. Filii enim germani existunt sanctæ Christi Dei nostri Anastaseos. Denique Stephanum qui in sanctis est, filium videlicet beati Joannis presbyteri qui cimiliarcha sanctissimæ illius Ecclesiæ fuit, venientem in hanc regionem, ut asserui, ad requisitionem humilitatis meæ ipsi cum omni studio et gaudio susceperunt et honoraverunt, et omnem subvectionem [d] ad requisitionem mei tribuerunt, tanquam homini profecto sanctæ Christi Dei nostri Anastaseos. Unde et subsidium eorum habens invenit me sanctus ille Stephanus, cui faciat Dominus Deus misericordiam in illa die justus judex, sed et his qui miserunt eum, quoniam revera opus evangelistæ fecit. Sicut enim equus spiritualis ascensorem habens, ipsum scilicet Deum, Deum, juxta Scripturam quæ ait: *Ascendens super equos tuos, et equitatus tuus sanitas* (*Habac.* III, 8), totam Lazicam, et Apsiliam, et Abasgiam discurrens, sine timore, tam quæ veritatis quam quæ subintroductæ novitatis erant, an-

[a] *Quintæ dictæ*, ut emendat Combefis.

[b] φερονύμως: conveniente ipsi nomine *Gregorii*, quod idem est ac *vigil*.

[c] Notis milliarium.

[d] Combefisius legit *suventionem*.

nuntiavit, ac multorum utilitatis atque salutis, et meæ ipsius quietis et consolationis causa viri est facta præsentia, et nequam nomen, quod veri apostatæ veritatis nobis imposuerunt, et tunc dissipatum est, et evidens multis veritas facta est.

His itaque bonis hic proprio adventu correctis, nobilis ille vir, Kalendis Januariis octavæ indictionis quæ modo præteriit, apud Christi amicum Abasgiæ principem dormivit in Domino. Cui omnes, qui hunc noverunt, ut sancto requiem exoptarunt. Quapropter oportebat quosdam ex vestratibus Dei amatoribus et secundum scientiam zelum Dei habentibus huc venire, et quæ veritatis et pro veritate sunt testificari, ut et orthodoxia magis convalesceret et introducta novitas per amplius argueretur. Sed et ego humilis consolatione ac refectione potirer, et venientes bonam a Christo Deo, pro quo etiam causa est, mercedem perciperent; et maxime cum usque ad Hiberiam illinc, ut didici, veniant, cujus rei gratia et huc minime veniunt. Obsecro igitur sanctissimos vos, si possibile fuerit, transmitti mihi per quemquam fidelem virum, ex his qui ad Hiberiam veniunt, codicem eorum quæ canonice gesta sunt a sancta et apostolica synodo quæ per sacram præceptionem sancti martyris et apostolici ac summi papæ Martini in seniore Roma est celebrata : quatenus multo magis sacra sanctorum Patrum dogmata, et quæ olim et nunc exortæ sunt hæreticorum abominationes, evidentiores hic positis efficiantur. Hoc enim tantummodo etiam inviti et nolentes faciunt bonum, qui Deum et nos injuste persequuntur; quia in diversa loca et regiones nos exsulantes agunt, ut et sanctorum Patrum orthodoxia, quam et nos prædicamus, per amplius manifestetur, et propria cacodoxia in omni loco et regione publicetur et arguatur, secundum illum sancti Dionysii [a], Athenarum episcopi et martyris, veritatis affatum, quod ait : *Novit Deus malum vel bonum, id est, ut bonum; et apud eum causæ malorum virtutes sunt benefacientes.* Bonum enim veraciter est, paternam quidem orthodoxiam, ut dixi, manifestare et confirmare, hæreticam vero cacodoxiam publicare ac redarguere, cum per exsilia id et alias tribulationes gignatur. Sic enim ab initio verbum quidem dilatatum est veritatis; porro impietatis minoratum disparuit, persecutionem et exsilia, seu alia dira patientibus tam sanctis prophetis, quam apostolis, cæterisque magistris. Ergo si, ut flagitavi, a Deo compuncti sacrum codicem miseritis, siquidem voluerint qui hunc portaturi sunt huc venire, ad famosissimum et Deo custodiendum patricium, et cum Deo magistrum Gregorium sponte occurrant, suscipientes ad eum palam epistolam a laudabili patricio et prætore Hiberiæ. At vero, si fortassis huc usque venire noluerint, tribuant eum prædicto laudabili prætori Hiberiæ, qui debeat illum mittere prælato domino nostro et amplissimo patricio et cum Deo magistro Gregorio. Quatenus hoc facientes, percipiatis qui ex ipso profecerint bonam a Christo Deo nostro mercedem.

Præterea misi ad præsens cum hac epistola mea Deo honorabilibus vobis, et per vos sanctissimæ ac orthodoxæ quæ illic est Ecclesiæ, rotulam habentem testimonia ex dictis sancti Hippolyti episcopi Portus Romani, ac martyris Christi Dei nostri : quo et per ea nosse habeatis quam concorditer cum aliis omnibus sanctis Patribus et arduæ duas salvatoris nostri Jesu Christi prædicet naturas et operationes; refellat autem eos qui unam operationem et naturam unam divinitatis et humanitatis ejus dogmatizant : utpote convertibilitatem simul et commistionem, confusionemque ac divisionem utriusque ipsius naturæ annuntiantes. Quærite sane diligenter hujuscemodi sacrum Patris illius librum, secundum superscriptionem quæ testimoniis præeminet. Si enim inveneritis eum, multa et necessaria poteritis ex ipso legere testimonia super eisdem Salvatoris nostri naturis et operationibus. Hunc quippe librum Byzantii nobis, antequam passi fuissemus, delatum, cum hunc totum vellemus transcribere, subito juxta consuetudinem suam insistentes adversarii latronum more rapuerunt, et non valuimus ex ipso plusquam hæc octo testimonia tollere. Quod vero me in medio eorum quæ dicta sunt latuit dicere non pigritabor. Hoc plane est, quia cum evangelizatum fuisset a sanctæ memoriæ domno Stephano de unitate atque concordia, quæ ibidem omnium per orthodoxam confessionem ad invicem et ad Deum effecta est, spirituali, ac si coram Deo dico, lætitia sum repletus, et gratificos hymnos pro tali ac tanto bono misericordi Deo licet peccator retuli, et referens non cessabo : petens hanc usque in finem immobilem conservari ad benignissimæ misericordiæ suæ gloriam et salutem nostram. Vosque Deo honorabiles, et omnes qui vobiscum sunt sanctos, ac per vos totam sanctam, quæ illic est, Dei catholicam et apostolicam saluto ecclesiam : postulans mei peccatoris scilicet et vincti memoriam fieri in sanctis ad Deum directis orationibus vestris in sanctis atque colendis locis : ac pretiosis mihique desiderandis syllabis vestris fulciendo, ac me minimum consolando atque orando ut dignus efficiar visione vultus vestri, quamvis sit temerarium dictu, priusquam et ipse hanc miseram et multarum tribulationum vitam excedam.

[a] De Divinis Nominibus.

SCHOLION.

Obiit autem et ipse sanctus Pater noster et martyr Anastasius, qui hanc scripsit epistolam, die Dominico, hora tertia, quinto Idus Octobrias cum in sancta Collecta diceret, *Sancta sanctis*, indictione decima.

PROLOGUS SUBJACENTIUM SACRORUM TESTIMONIORUM.

Testimonia sacra et divinitus inspirata per quæ liquidius discimus, duas per unitionem inconfusam et indivisam sicut naturas, ita etiam et duas voluntates, ac duas operationes, aptas et congruentes naturis, id est divinam et humanam, non incœptam et incœptam, ut Dei simul et hominis unius et ejusdem Domini nostri Jesu Christi, corde credere ad justitiam, ore confiteri ad salutem. Non autem, sicut nothi, qui nothas nunc Ecclesias docentes et perturbantes, unam et nec unam, nec duas et iterum unam, et duas voluntates ac duas operationes in eodem dogmatizant. Hoc enim super instabilitatem et absurditatem sensus eorum qui hujusmodi dogmata exponunt, impium omnino et alienum immaculatæ fidei nostræ Christianorum consistit. Eos enim qui unam voluntatem et operationem, vel etiam naturam unam deitatis et humanitatis ejus dogmatizant, inclyti institutores nostri et præceptores repellunt et detestantur. Hæreticorum quippe est hujuscemodi dogma, qui in confusione, et phantasia, et divisione oberrant. Ergo et hi, qui nunc unam tantum duarum voluntatem et operationem dogmatizant, nonne cum illis et secundum illos supersubstantialis Theologiæ, ac in carne factæ dispensationis subvertunt et diffitentur mysterium? A quaternitatem quidem personarum Trinitatem astruentes, ipsum vero unum ejusdem, id est Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum, juxta quod secundum nos factus est homo, inanimalem simul et irrationalem atque sine intellectu subscribentes, et conjecturam, et phantasiam, confusionemque ac divisionem utriusque naturæ ipsius introducentes. Hi vero, qui nec voluntatem aut operationem in eo confiteri volunt, inessentialem et inexistentialem secundum utramque naturam ejus denuntiant; et jam dictis hæreticis magis impios ipsi seipsos esse per propria dogmata monstrant. Porro, hi qui unam et duas voluntates et operationes in incarnata ejus dispensatione supra novam fabulam et figmentum hujusmodi dogmatis dogmatizant, non B solum orthodoxæ ac Paternæ confessioni hæreticam opinionem, veluti aquam vino, secundum illud quod dicitur, miscentes, simul prædicare volunt: sed et tres voluntates, et tres operationes, totidem ex necessitate etiam naturas, id est essentias habentem eum inducunt, cum nec naturam esse sine operatione, nec rursus operationem sine natura possibile sit. Habeant enim se prædicta testimonia quemadmodum subinfertu

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΠΠΟΛΥΤΟΥ

Ἐπισκόπου Πόρτου, ἤγουν τοῦ λιμένος Ῥώμης, καὶ μάρτυρος τῆς ἀληθείας, ἐκ τοῦ κατὰ Βάρωνος καὶ Ἡλικος [a] τῶν αἱρετικῶν, περὶ θεολογίας καὶ σαρκώσεως κατὰ στοιχεῖον λόγου, οὗ ἡ ἀρχή, Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος Κύριος Σαβαὼθ, ἀσιγήτῳ φωνῇ βοῶντα τὰ σεραφὶμ τὸν Θεὸν δοξάζουσι.

C *SANCTI HIPPOLYTI episcopi Portus Romani et martyris veritatis, ex sermone qui est per elementum de Theologia et Incarnatione contra Beronem et Heliconem hæreticos, cujus initium est,* Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος Κύριος Σαβαὼθ, *incessanti voce clamantes seraphim Deum glorificant.*

α'.

Ἀπειροδυνάμῳ γὰρ θελήσει τοῦ Θεοῦ καὶ γέγονε πάντα, καὶ σώζεται τὰ γενόμενα, κατὰ τοὺς ἑαυτῶν εὐκαίρως ἕκαστα συνταρούμενα λόγους, αὐτῷ τῷ κατὰ φύσιν ἀπειροδυνάμῳ Θεῷ, καὶ ποιητῇ τῶν ὅλων· τῆς θείας αὐτοῦ θελήσεως, ᾗ τὰ πάντα πεποίηκέ τε καὶ κινεῖ, τοῖς ἑαυτῶν ἕκαστα φυσικοῖς διεξαγόμενα νόμοις, ἀκινήτου συνδιαμενούσης. Τὸ γὰρ ἄπειρον κατ' οὐδένα τρόπον, ᾗ λόγον, ἐπιδέχεται κίνησιν, οὐκ ἔχον ὅποι, καὶ περὶ ὃ κινηθήσεται. Τροπὴ γὰρ τοῦ κατὰ φύσιν ἀπείρου, κινεῖσθαι μὴ πεφυκότος, ἡ κίνησις. Διὸ καὶ καθ' ἡμᾶς ἀληθῶς γενόμενος ἄνθρωπος χωρὶς ἁμαρτίας ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, ἐνεργήσας τε καὶ παθὼν ἀνθρωπίνως ὅσα τῆς φύσεώς ἐστιν ἀναμάρτητα, καὶ φυσικῆς σαρκὸς περιγραφῆς ἀνασχόμενος δι' ἡμᾶς, τροπὴν οὐχ ὑπέμεινεν, μηδ' ἑνὶ παντελῶς ὃς ταὐτὸν ἐστι τῷ πατρὶ,

1.

Immensæ quippe virtutis voluntate Dei facta sunt omnia, et salvantur quæ facta sunt, secundum suas ipsorum opportune singula conservata rationes, ei qui est secundum naturam immensæ virtutis Deus et factor universorum, divina voluntate, quæ omnia fecit ac movet suis unaquæque naturalibus producta legibus, immobili permanente. Quod enim immensum est nulla ratione vel modo recipit motum, non D habens quo et circa quod moveatur. Vertibilitas enim ejus qui est inexpers motionis motus est. Propter quod, secundum nos veraciter factum homo absque peccato Dei Verbum, operatumque ac patiens humanitus quæcunque naturæ sunt sine peccato, et naturalis carnis circumscriptionem propter nos sustinens [b], nullam omnino propter exinanitionem vi-

[a] Ἡλείωνος in Nicephori ms. regio et in Colbertino.

[b] Mutila ibi Anastasii versio est. Ita vertendum videtur: *Nulla re omnino Verbum, quod idem est cum Patre, factum est idem cum carne propter unionem.* SIRM.

γένομενος ταύτὸν τῇ σαρκὶ διὰ τὴν κένωσιν [a]. Ἀλλ' ὥσπερ ἦν ὅλα σαρκὸς, πάσης ἔξω πέριγραφῆς μεμένηκε· καὶ διὰ σαρκὸς θείκῶς ἐνεργήσας ἅπερ θεότητός ἐστιν. Ἀμφότερα δεικνὺς ἑαυτὸν, δι' ὧν ἀμφοτέρως, θείκῶς δὸ φαμι καὶ ἀνθρωπίνως, ἐνέργησι, κατ' αὐτὴν τὴν ὄντως ἀληθῆ καὶ φυσικὴν ὑπαρξιν· Θεὸν ἄπειρον ὁμοῦ καὶ περίγραπτον ἄνθρωπον ὄντα τε καὶ νοούμενον, τὴν οὐσίαν ἑκατέρου τελείως τελείαν ἔχοντα, μετὰ τῆς αὐτῆς ἐναργείας, ἤγουν φυσικῆς ἰδιότητος· ἐξ ὧν μένουσαν ἀεὶ κατὰ φύσιν ἄῤῥικα τροπῆς τὴν αὐτῶν ἴσμεν διαφοράν. Ἀλλ' οὐχ ὥς τινές φασι, κατὰ σύγκρισιν, ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν ἑαυτῷ κατὰ τὸ αὐτὸ, παρ' ὃ δεῖ, μείζονα καὶ μείονα λέγωμεν. Ὁμοφυῶν γὰρ, οὐχ ἑτεροφυῶν αἱ συγκρίσεις. Θεῷ δὲ ποιητῇ τῶν ὅλων ποιατὸν, ἀπείρῳ περατὸν, καὶ ἀπειρίᾳ πέρας, κατ' οὐδένα συγκρίνεται λόγον, ἀεὶ κατὰ πάντα φυσικῶς, ἀλλ' οὐ συγκριτικῶς ἀλλήλων διαφέροντα, κἂν ἄῤῥητός τις καὶ ἄῤῥακτος εἰς μίαν ὑπόστασιν ἀμφοτέρων γέγονεν ἕνωσις, πᾶσαν παντὸς γενητοῦ παντελῶς διαφεύγουσα γνῶσιν. Τὸ γὰρ θεῖον, ὡς ἦν πρὸ σαρκώσεως, ἔστι καὶ μετὰ σάρκωσιν, κατὰ φύσιν ἄπειρον, ἄσχετον, ἀπαθὲς, ἀσύγκριτον, ἀναλλοίωτον, ἄτρεπτον, αὐτοσθενὲς, καὶ τὸ πᾶν εἰπεῖν, ὑφιστὼς οὐσιῶδες, μόνον ἀπειροσθενὲς ἀγαθόν.

A cissitudinem pertulit. Cui idipsum est Patri factum, id ipsum carni. Sed sicut erat sine carne, omni etiam excepta circumscriptione permansit, et per carnem deifice operans quæ deitatis sunt', utraque ostendens se per quæ dupliciter, divine scilicet et humane, operatum est secundum eamdem quæ vera citer vera est et naturalis substantia; Deum immensum simul et circumscriptum hominem exsistentem et intellectum, utriusque perfecte perfectionem habentem, cum eadem operatione, id est naturali proprietate, ex quibus manentem semper secundum naturam sine convertibilitate earum differentiam scimus. Sed non, sicut quidam aiunt, secundum comparationem, ne eumdem sibi secundum ipsum præter quod oportet majorem ac minorem dicamus. B Connaturalium quippe, et non eorum quæ alterius sunt naturæ, comparationes existunt. Deo enim factori omnium factorum, infinitoque finitivum, et infinitati finis secundum nullam comparatur rationem, cum semper et per omnia naturaliter ab invicem, sed non comparative, differant. Quanquam ineffabilis quædam et indirumpibilis in unam subsistentiam utriusque facta sit unitas, omnem penitus omnis facti scientiam fugiens. Divinitas enim, ut erat ante incarnationem, est et post incarnationem, secundum naturam infinita, incomprehensibilis, impassibilis, incomparabilis, inconvertibilis, per se potens, et, ut totum dicamus, subsistens substantialis, sola infinitæ virtutis bonum.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ λόγου β'.

C *Ejusdem, ex eodem sermone* 2.

Σέβομεν οὖν ἀληθῶς, κατὰ τὰς Γραφὰς, μὴ τραπεὶς, ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, ἄνθρωπος ἀναμάρτητος, ὡς οἶδεν αὐτὸς μόνος ὑπάρχων τεχνίτης φυσὸς τῶν ὑπὲρ ἔννοιαν· κατ' αὐτὴν ἅμα τὴν σωτήριον σάρκωσιν, τῆς ἰδίας θεότητος ἐμποιήσας τῇ σαρκὶ τὴν ἐνέργειαν, οὐ περιγραφομένην αὐτῇ διὰ τὴν κένωσιν· οὐδ' ὥσπερ τῆς αὐτοῦ θεότητος, οὕτω καὶ αὐτῆς φυσικῶς ἐκφυομένην, ἀλλ' ἐν οἷς ἂν σαρκωθεὶς θεϊκῶς ἐνέργησε δι' αὐτῆς ἐκφαινομένην. Οὐ γὰρ γέγονε φύσει θεότης, μεταβληθεῖσα τὴν φύσιν, ἡ σὰρξ γενομένη τῇ φύσει θεότητος σάρξ· ἀλλ' ἅπερ ἦν, καὶ θεότητι συμφυεῖσα μεμένηκε τὴν φύσιν καὶ τὴν ἐνέργειαν· καθὼς εἶπεν ὁ Σωτήρ· « Τὸ μὲν Πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής· » Καθ' ὃν ἐνεργήσας τε καὶ παθὼν ἅπερ ἦν ἀναμαρτήτου σαρκὸς, D τὴν ὑπὲρ ἡμῶν ἐπιστώσατο κένωσιν θεότητος, θαύμασι καὶ σαρκὸς παθήμασι φυσικῶς βεβαιουμένην. Διὰ γὰρ τοῦτο γέγονεν ἄνθρωπος ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, ἵνα σαρκὶ παθητῇ πάσχων, ἅπαν ἡμῶν τὸ τῷ θανάτῳ πρεσβὺ λυτρώσηται γένος· ἀπαθεῖ δὲ θεότητι διὰ σαρκὸς θαυματουργῶν, πρὸς τὴν ἀπάρατον αὐτοῦ καὶ μακαρίαν ἐπανάγῃ ζωήν· καὶ τὰ κατ' οὐρανοὺς ἅγια τάγματα τῶν νοερῶν οὐσιῶν στομώσῃ πρὸς ἀτρεψίαν τῷ μυστηρίῳ τῆς αὐτοῦ σωματώσεως, ὃς ἔργον ἡ τῶν ὅλων ἐστὶν εἰς αὐτὸν ἀνακεφαλαίωσις. Μεμένηκεν οὖν καὶ σαρκωθεὶς κατὰ τὴν φύσιν Θεὸς ὑπεράπειρος, τὴν ἑαυτῇ συγγενῆ καὶ κατάλληλον ἔχων ἐνέργειαν, τῆς μὲν θεότητος οὐσιωδῶς ἐκφυομένην, διὰ δὲ -ῆς αὐτοῦ

Factus ergo veraciter secundum Scripturas, non conversus, universorum Deus homo sine peccato, ut novit ipse solus, cum sit artifex naturalis eorum quæ sunt supra sensum; in ipsa simul salutari incarnatione deitatis suæ coaptans carni operationem, non circumscriptam ea propter evacuationem, nec sicut ex deitate sua, ita et ex ipsa naturaliter cognatam, sed in quibuscunque incarnatus deifice operatus est per ipsam declaratam. Non enim caro facta est per naturam deitas translata natura, facta videlicet secundum naturam deitatis caro, sed quod erat, etiam deitati coaptata mansit, id est caro infirma, et passibilis natura et operatione, quemadmodum Salvator ait: *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI, 41). In qua operatus et passus quæ erant carnis absque peccato, exinanitionem pro nobis indicavit [b] divinitatis, miraculis et carnis passionibus naturaliter roboratam. Propter hoc enim factus est homo universorum Deus, ut carne quidem passibili patiens totum nostrum morti venditum redimeret genus: impassibili vero deitate per carnem mirabiliter operans, ad immortalem illud et beatam reduceret vitam de qua ceciderat diabolo parens. Atque sanctos intellectualium substantiarum cœli ordines ad inconvertibilitatem mysterio suæ stabiliret incorporationis: cujus opus omnium est in eum recapitulatio. Mansit ergo etiam incarnatus secun-

[a] In ms. Nicephori ἕνωσιν.

[b] Probavit, persuasit.

παναγίας σαρκὸς ἐν τοῖς θαύμασιν οἰκονομικῶς ἐκφαινο-
μένου· ἵνα πιστευθῇ Θεὸς εἶναι, δι' ἀσθενοῦς φύσει
σαρκὸς αὐτουργῶν τὴν τοῦ παντὸς σωτηρίαν

A dum naturam Deus superimmensus, sibi cognatam et convenientem habens operationem, ex deitate quidem substantialiter natam, per sanctissimam vero carnem in miraculis dispensatorie declaratam : ut credatur Deus esse, per infirmam natura carnem per se operans universitatis salutem.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου γ'.

Καμοὶ γὰρ, ἵνα τρανώσω παραδείγματι τὸ περὶ σω-
τῆρος λεχθὲν· ὁ φυσικός μου λόγος συγγενὴς ἐστι καὶ
κατάλληλος ὄντι λογικῷ τε καὶ νοητῷ τὴν ψυχὴν· ὃς
κατὰ φύσιν ἐστὶν αὐτοκίνητος ἐνέργειά τε καὶ πρώτη
δύναμις, ἀεικίνητος, ὁ λόγος φυσικῶς αὐτῆς πηγαζόμε-
νος· ὃν ῥηματίσας τι καὶ γράμμασι εὖ χαράξας,
γλώσσῃ μὲν ὀργανικῶς, ὅτε χρὴ προφέρω, καὶ γράμμασι
τεχνικῶς διὰ τῶν ἀνομοίων μὴ τραπέντα δεικνὺς αὐτὸν
ἐξακουόμενον. Οὐ γὰρ γλώσσης καὶ γραμμάτων ὁ φυσι-
κός μου λόγος ἐστι· κἂν δι' αὐτῶν αὐτοῦ ποιῶμαι τὴν
προφοράν. Ἀλλ' ἐμοῦ, τοῦ κατὰ φύσιν λαλοῦντος, καὶ
δι' ἀμφοῖν αὐτὸν ὡς ἐμὸν ἐκφωνοῦντος· τῆς μὲν νοερᾶς
μου ψυχῆς φυσικῶς ἀεὶ πηγαζόμενον, διὰ δὲ τῆς
σωματικῆς μου γλώσσης ὀργανικῶς, ὡς ἔφην, ὅτε χρὴ
προφερόμενον. Ὥσπερ οὖν ἐφ' ἡμῶν, ὅσον εἰκάσαι τὸ
παντελῶς ἀνείπαστον, διὰ τῆς σωματικῆς ἡμῶν γλώσ-
σης ἀτρέπτως ἡ κατὰ φύσιν τῆς ψυχῆς λογικὴ προ-
φέρεται δύναμις, οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς ὑπερφυοῦς τοῦ Θεοῦ
σωματώσεως. Διὰ τῆς αὐτοῦ παναγίας σαρκὸς, ἐν οἷς
ἂν θεϊκῶς ἐνήργησε, δίχα τροπῆς ἡ παντοκρατορικὴ,
καὶ τῶν ποιητικὴ τῆς ὅλης θειότητος ἐνέργεια
διαδείκνυται, πάσης ἐκτὸς κατὰ φύσιν περιγραφῆς δια-
μένουσα, κἂν διὰ σαρκὸς διϋλαμψε φύσει πεπερασμένης.
Οὐ γὰρ πέφυκε περιγράφεσθαι γενητῇ φύσει τὸ κατὰ
φύσιν ἀγένητον, κἂν συνέφυ αὐτῷ κατὰ σύλληψιν
πάντα περιγράφουσαν νοῦν· οὔτε μὴν εἰς ταὐτὸν αὐτῷ
φέρεσθαι φύσεώς ποτε καὶ φυσικῆς ἐνεργείας, ἕως
ἂν ἑκάτερον τῆς ἰδίας ἐντὸς μένει φυσικῆς ἀτρεψίας·
Ὁμοφυῶν γὰρ μόνων ἡ ταὐτουργὸς ἐστι κίνησις, ση-
μαίνουσα τὴν οὐσίαν, ἧς φυσικὴ καθέστηκε δύναμις,
ἑτεροφυοῦς οὐσίας εἶναι κατουδένα λόγον, ἢ γενέσθαι
δίχα τροπῆς δυναμένης.

B Etenim et mihi, ut paradigmate quod de Salvatore dictum est, exprimam, naturalis sermo meus cognatus est et competens, cum sim rationalis et intellectualis anima, cujus secundum naturam est a se mobilis operatio ac prima virtus, semper mobilis sermo naturaliter ex ea profluens, quem verbis prolatum, et lineis exaratum, lingua quidem organice cum oportet produco, et litteris artificiose per indissimilia non existentem, et dissimilibus non fugientem ostendens eum subauditum. Non enim linguæ ac litterarum naturalis sermo meus est, licet per eas ipsius faciamus pronuntiationem : sed meus, qui secundum naturam loquor, et per utrasque illum ut meum pronuntio. Ab intellectuali quidem anima mea semper naturaliter dirivatum : per corporalem vero linguam meam organice, ut dixi, cum oportet, productum. Sicut ergo in nobis, quantum æstimare possumus quod modis omnibus est inæstimabile, per corporalem linguam nostram inconvertibiliter, quæ secundum naturam est, animæ rationabilis producitur virtus : ita et in gloriosa Dei incarnatione, per sanctissimam carnem suam in quibuscunque divine operaretur, sine convertibilitate omnipotentiva et cunctorum factiva totius deitatis operatio monstrabatur, absque omni secundum naturam circumscriptione permanens, licet per carnem fulgeret natura circumfinitam. Non enim circumscribitur factitia natura quod secundum naturam factum non est, licet cooriatur ei per conceptionem omnem sensum circumscribentem : nec etiam in eodem ipso sibi natura differtur aliquando et naturalis operatio, donec utrumque intra propriam manet naturalem inconvertibilitatem. Connaturalium enim tantum per se operans est motus, manifestans substantiam cujus naturalem constat esse virtutem : diversæ naturæ proprietatis substantia nulla ratione esse vel fieri sine convertibilitate valente.

C

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου δ'.

Τὸ γὰρ μυστήριον τῆς θείας σαρκώσεως, ἀποστόλοις
τε, καὶ προφήταις, καὶ διδασκάλοις διττὸν, καὶ διάφορον
ἔχον διίγνωσται τὴν ἐν πᾶσι φυσικὴν θεορίαν· ἀνελ-
λιποῦς ὑπάρχον θειότητος, καὶ πλήρους ἐνδεικτικὸν
ἀνθρωπότητος ὄν. Ἕως ἂν οὐχ εἷς κατὰ τὴν οὐσίαν
γνωρίζεται λόγος μιᾶς ἐνεργείας, οὐδέποτε καθ' ὁτιοῦν
ἀμφοτέρων γνωσθήσεται κίνησις. Ὁ γὰρ ἀεὶ κατὰ φύσιν
ὑπάρχων Θεὸς, ὑπεραπείρῳ δυνάμει γενόμενος ὡς
ἠθέλησεν ἄνθρωπος ἀναμάρτητος, ὅπερ ἦ, ἔστι, μεθ'
ὅσων νοεῖται Θεὸς· καὶ ὅπερ γέγονεν, ἔστι, μεθ' ὅσων
νοεῖται καὶ γνωρίζεσθαι πέφυκεν ἄνθρωπος. Ἑαυτοῦ
καθ' ἑκάτερον ἀεὶ μένων ἀνίκητος, οἷς θεϊκῶς ὁμοῦ

Ejusdem, ex eodem sermone 4.

Mysterium namque divinæ incarnationis apostolis et prophetis atque doctoribus duplam ac diversam in omnibus habere naturalem theoriam dignoscitur, cum sit perfectæ deitatis et plenæ demonstrativum humanitatis. Quarum donec unum secundum substantiam non cognitum fuerit Verbum unius operationis, cum utriusque sit, nunquam aliquando cognoscetur motus. Cum enim semper secundum naturam existat superinfinita virtute factus, sicut voluit, homo sine peccato, quod erat est, cum quantis cognoscitur Deus : et quod factus est, est cum quantis esse cognoscitur homo : secundum

καὶ ἀνθρωπίνως ἐνάργησε, τέλειον κατὰ τὸν ἑκατέρου λόγον σώζων ἑαυτοῦ φυσικῶς ἀναλλοίωτον.

A utrumque suum semper permanens sine casu, quibus divine pariter et humane operatus est, perfectionem per omnem utriusque rationem sibi naturaliter incommutabilem salvans.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου ε'.

Βάρων γάρ τις ἔναγχος, μεθ' ἑτέρων τινῶν, τὴν Βαλεντίνου φαντασίαν ἀφέντες, χείρονι κακῇ κατεπάρυσαν, λέγοντες· Τὴν μὲν προσληφθεῖσαν τῷ Λόγῳ σάρκα γενέσθαι ταὐτουργὸν τῇ θεότητι, διὰ τὴν πρόσληψιν, τὴν θεότητα δὲ γενέσθαι ταὐτοπαθῆ τῇ σαρκὶ διὰ κένωσιν· τροπὴν ὁμοῦ, καὶ φύσιν, καὶ σύγχυσιν, καὶ τὴν εἰς ἀλλήλους ἀμφοτέρων μεταβολὴν δογματίζοντες. Εἰ γὰρ προσληφθεῖσα ἡ σὰρξ γέγονε ταὐτουργὸς τῇ θεότητι, δηλονότι καὶ φύσει Θεός, μεθ' ὅσων φυσικῶς νοεῖται Θεός. Καὶ εἰ γέγονε κενωθεῖσα τῇ σαρκὶ ταὐτοπαθὴς ἡ θεότης, δηλονότι καὶ φύσει σὰρξ, μεθ' ὅσων φυσικῶς γνωρίζεσθαι πέφυκε σάρξ. Τὰ γὰρ ἀλλήλοις ὁμοεργᾶ, καὶ ταὐτουργά, καὶ ὁμόφυλα πάντως, καὶ ταὐτοπαθῆ, διαφορὰν οὐκ ἐπιδέχεται φύσεως. Καὶ φύσεων αὐτοῖς συγκεχυμένων, ἔσται δυὰς ὁ Χριστὸς, καὶ προσώπων μεμερισμένων τετρὰς, τὸ φευκτότατον. Καὶ πῶς αὐτοῖς εἰς καὶ ὁ αὐτὸς, Θεὸς ὁμοῦ φύσει καὶ ἄνθρωπος, ὁ Χριστός; Ποίαν δὲ κατ' αὐτοὺς ἕξει τὴν ὑπαρξιν, μεταβολῇ θεότατος γενόμενος ἄνθρωπος, καὶ σαρκὸς μεταποιήσει Θεός; Ἡ γὰρ εἰς ἀλλήλας τούτων μετάπτωσις, παντελής ἐστιν ἀμφοτέρων ἀναίρεσις. Ἐκποιείσθω δὴ πάλιν ἡμῖν ἑτέρως ὁ λόγος.

B cum, quotquot est, intelligatur Deus. Et si facta est exinanita compassibilis carni divinitas, liquet quod et natura caro: cum quotquot est naturaliter esse intelligatur caro. Ea quippe quæ mutuo sunt cooperantia, et eadem operantia, et ejusdem originis, profecto et compassibilia, naturæ non suscipientia differentiam. Et, naturis sibi confusis, erit dualitas Christus; et, personis separatis, fiet quaternitas: quod est nimium fugiendum. Et quomodo illis unus et idem ipse erit Deus natura simul et homo Christus? Quam etiam secundum ipsos habebit essentiam mutatione divinitatis factus homo, et carnis translatione Deus? Casus enim in alterutras omnimoda est utrarumque peremptio. Inspiciatur itaque a nobis aliter sermo.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου ς'.

Εὐσεβὲς κεκύρωται δόγμα χριστιανοῖς, κατ' αὐτὴν τε φύσιν, καὶ τὴν ἐνάργειαν, καὶ πᾶν ἕτερον αὐτῷ προσφυὲς, ἴσον ἑαυτῷ καὶ ταὐτὸν εἶναι τὸν Θεὸν, μηδὲν ἑαυτῷ τῶν ἑαυτοῦ παντελῶς ἄνισον ἔχοντα, καὶ ἀκατάλληλον. Εἰ τοίνυν κατὰ Βάρωνα, τῆς αὐτῆς αὐτῷ προσληφθεῖσα φυσικῆς ἐνεργείας γέγονεν ἡ σὰρξ, δῆλονότι καὶ τῆς αὐτῆς αὐτῷ γέγονε φύσεως, μεθ' ὅσων ἡ φύσις, ἀνυπαρξίας, ἀγεννησίας, ἀπειρίας, ἀϊδιότητος, ἀκαταληψίας, καὶ τῶν ὅσα τούτων καθ' ὑπεροχὴν ὁ θεολογικὸς ὑπερφυῶς ἐνορᾷ τῇ θεότητι λόγος. Καὶ τροπὴν ἀμφότερα πέπονθεν, μηδετέρου τὸν τῆς ἰδίας φύσεως οὐσιώδη λόγον ἔτι σῳζόμενον ἔχοντος. Ὁ γὰρ ἑτερουσίων εἰδῶς ταὐτουργίαν, σύγχυσιν ὁμοῦ φυσικὴν, καὶ διαίρεσιν αὐτῶν εἰσαγείτω προσωπικὴν· ἀδιακρισίαν παντελῆ, τῇ τῶν ἰδιωμάτων μεταβολῇ, τῆς φυσικῆς αὐτῶν γενομένης ὑπάρξεως.

C

Ejusdem, ex eodem sermone 6.

Pium Christianis constitutum est dogma credentibus, secundum eamdem naturam ac operationem, et omne aliud sibi conveniens, æqualem sibi et eumdem ipsum esse Deum, nihil omnino eorum quæ sua sunt inæquale habentem et inconveniens. Si igitur, secundum Beronem, assumpta sibi caro ejusdem operationis effecta est, haud dubium quin et ejusdem facta est sibi naturæ, cum quotquot est natura, id est, inprincipalitate, infactione, infinitate, sempiternitate, incomprehensibilitate et quæcunque horum secundum magnitudinem theologica amplissime in deitate ratio contemplatur; et vicissitudinem utraque passa sunt neutro naturæ suæ substantialem rationem ultra salvandam habente. Qui enim eorum quæ alterius sunt naturæ sentit eamdem operationem, confusionem simul naturalem et divisionem eorum personalem introducit; incognita prorsus, idiomatum commutatione, naturali eorum facta existentia.

D

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου ζ'.

Εἰ δὲ τῆς αὐτῆς αὐτῷ μὴ γέγονε φύσεως, οὐδὲ τῆς αὐτῆς αὐτῷ ποτε γενήσεται φυσικῆς ἐνεργείας, ἵνα μὴ δειχθῇ τῇ φύσει τὴν ἐνέργειαν ἄνισον ἔχων, καὶ ἀκατάλληλον, καὶ τῆς αὐτοῦ δι' ὅλων τῶν ἑαυτοῦ φυσικῆς ἔξω γεγονὼς ἰσότητος, καὶ ταυτότητος· ὅπερ ἀσεβές.

Ejusdem, ex eodem sermone 7.

Si vero ejusdem sibi non fuit naturæ, nec ejusdem sibi aliquando fiet naturalis operationis, ne appareat secundum naturam operationem inæqualem habere et inconvenientem, et suæ ipsius per omnia eorum quæ sua sunt naturalis extraneus factus æqualitatis et identitatis, quod est penitus impium.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου ή. A

Εἰς ταύτην δὲ τὴν πλάνην κατάχθησαν, κακῶς πεισθέντες ἰδίαν γενίσθαι τῆς σαρκὸς τὴν δι' αὐτῆς ἐκφανθεῖσαν ἐν τοῖς θαύμασι θείαν ἐνέργειαν· ἣ τὸ πᾶν ὁ Χριστὸς οὐσιώσας καθ' ὃ νοεῖται Θεὸς συνέχει κρατούμενον. Οὐ γὰρ ἔγνωσαν, ἀδύνατον εἶναι θείας ἐνέργειαν φύσεως ἑτεροφανοῦς οὐσίας ἰδίωμα γενέσθαι δίχα τροπῆς· οὐδὲ συνῆκαν, ὡς οὐ πάντως ἴδιόν ἐστι σαρκὸς, τὸ δι' αὐτῆς μὲν ἐκφαινόμενον, οὐκ αὐτῆς δὲ φυσικῶς ἐκφυόμενον, καίτοι σαφοῦς αὐτοῖς οὔσης, καὶ προφανοῦς τῆς ἀποδείξεως. Ἐγὼ γὰρ γλώσσῃ λαλῶν, καὶ χειρὶ γράφων, μίαν καὶ τὴν αὐτὴν δι' ἀμφοῖν τῆς νοερᾶς μου ψυχῆς ἐκφαίνω διάνοιαν, ἐνέργειαν αὐτῆς ὑπάρχουσαν φυσικήν. Μηδενὶ λόγῳ δείξας αὐτὴν γλώσσης, ἢ χειρὸς φυσικῶς ἐκφυομένην· μήτε μὴν γενομένην B αὐτῶν, ἢ λεγομένην διάνοιαν, διὰ τὸ τὴν δι' ἀμφοῖν αὐτῆς ἔκφανσιν. Γλῶσσαν γὰρ, ἢ χεῖρα διανοητικὴν συνετὸς οἶδεν οὐδείς· ὥσπερ οὐδὲ τὴν παναγίαν τοῦ Θεοῦ σάρκα, διὰ τὸ προσληφθῆναι, καὶ τὸ δι' αὐτῆς ἐκφανθῆναι τὴν θείαν ἐνέργειαν, γενομένην κατ' αὐτὴν φύσει δημιουργόν. Ἀλλ' εὐσεβῶς ὁμολογεῖ πιστεύων, ὅτι διὰ τὴν ἡμῶν σωτηρίαν, καὶ τὸ θέσαι πρὸς ἀτρεψίαν τὸ πᾶν, ὁ τῶν ὅλων δημιουργὸς ἐκ τῆς παναγίας ἀειπαρθένου Μαρίας, κατὰ σύλληψιν ἄχραντον, δίχα τροπῆς ἑνουσιώσας ἑαυτῷ ψυχὴν νοερὰν μετὰ αἰσθητικοῦ σώματος, γέγονεν ἄνθρωπος φύσει, καίτοι ἀλλότριος, ὁ λόγος Θεὸς ὁ αὐτ ς· θεότητι μὲν τὰ θεῖα διὰ τῆς αὐτοῦ παναγίας σαρκὸς, οὐκ ὄντα φύσει τῆς σαρκὸς, ἐνεργῶν· ἀνθρωπότητι δὲ τὰ ἀνθρώπινα, οὐκ ὄντα φύσει θεότητος, ἀνοχῇ πάσχων θεότητος· μηδὲν θεῖον γυμνὸν σώματος ἐνεργάσας· μηδὲ ἀνθρώπινον ὁ αὐτὸς ἄμοιρον δράσας θεότητος. Τηρῶν ἑαυτῷ καθ' ὃν ἐνέργησιν ἀμφότερα καινοπρεπῆ τρόπον, τὸ κατ' ὄμῳ φυσικῶς ἀναλλοίωτον, εἰς πίστωσιν τῆς ἑαυτοῦ τελείας ἐνανθρωπήσεως, τῆς ὄντως ἀληθοῦς, καὶ μηδὲν ἐχούσης φαυλότητος. Ὁ μὲν οὖν Βήρων, οὕτως ἔχων ὡς ἔφην, ἐνεργείας μονάδι τὴν θεότητα τοῦ Χριστοῦ καὶ τὴν ἀνθρωπότητα συγχέας, ὁμοῦ φυσικῶς καὶ προσωπικῶς μερίζων, καταλύει τὸν βίον· ἀγνοήσας μόνης τῆς τῶν ὁμοφυῶν προσώπων ὁμοφυοῦς ταυτότητος τὴν ταυτουργίαν εἶναι δηλωτικήν.

Ejusdem, ex eodem sermone 8.

In hunc autem errorem illati sunt male credentes propriam carnis effectam divinam operationem, quæ per ipsam in miraculis manifestata est, qua, totum Christus substantians secundum quod intelligitur Deus, tenet retentum. Non enim cognoverunt impossibile esse divinæ operationem naturæ alterius naturæ substantiæ idioma fieri absque convertibilitate; neque intellexerunt quod non utique proprium sit carnis quod per eam quidem ostensum est, non ex ea naturaliter ortum, præsertim cum claræ sit eis et manifestæ probationis. Ego enim lingua loquens et manu scribens, unam et eamdem per utramque intellectualis animæ meæ profero cogitationem: operationem ejus existentem naturalem nulla ratione ostendens eam lingua vel manu naturaliter ortam, sed nec effectam earum vel dictam cogitationem propter ejus ex utraque manifestationem. Linguam enim vel manum cogitativam sapienter novit nemo; sicut nec sanctissimam Dei carnem, pro eo quod assumpta sit, et per eam divina sit operatio clara effecta, secundam naturam conditricem. Sed pie confitetur credens, quia propter salutem nostram, et ut ad inconversibilitatem ligaret universitatem, universorum conditor ex sanctissima semper Virgine Maria per conceptionem inviolabilem, sine conversibilitate substantians sibimet animam intellectualem cum sensivo corpore, natura factus est homo malitiæ alienus: totus Deus ipse, totus homo idem ipse, totus Deus pariter natura, et homo idem ipse: deitate quidem, divina per suam ipsius sanctissimam carnem, non existentia natura carnis, operans, humanitate vero, humana, non existentia natura deitatis [a]. Nil divinum nudum corpore operatur, nil humanum idem ipse privatum divinitate gerens: servans sibimet modum secundum utrumque immutabilem, per quem operatus est utraque decenti more, ad approbationem perfectæ ac veræ nihilque habentis pravitatis inhumanationis suæ. Itaque Bero quidem sic se habens, ut dixi, operationis monade deitatem Christi et humanitatem naturaliter simul confundens, et partiens personaliter, dissolvit vitam, ignorans solius connaturalium personarum connaturalis identitatis eamdem ipsam operationem esse significativam.

[a] In Græco additur *suspensione patiens divinitatis.*

EJUSDEM ANASTASII SYLLOGISMI

De suppositis divinitus sapientibus testimoniis et aliis.

Ecce nunc et sacratissimus hic et magnus doctor, veritatisque testis fidelis, concorditer cum aliis omnibus sanctis catholicæ Dei ac apostolicæ institutoribus Ecclesiæ, duas secundum unitionem inconfusam et impartibilem quemadmodum naturas, ita etiam duas voluntates et duas operationes congruentes et convenientes naturis, divinam, ut dictum est, et humanam, increatam et creatam, non incœptam et cœptam, tanquam Dei simul et hominis unius ejusdem Domini nostri Jesu Christi, magna voce confitetur ac prædicat, et confiteri nobis sine prævaricatione jubet. Difficillimum autem esse, ac modis

omnibus impossibile diffinit, ut unam voluntatem et operationem, aut naturam unam deitatis et humanitatis ejus confiteantur hi qui pie vivere volunt. Propter quod et tale quid in eo dogmatizantes, tanquam impios et alienos immaculatæ nostræ Christianorum fidei, abjicit et condemnat, nosque hoc facere protestatur.

De duabus enim salvatoris nostri Christi naturis et operationibus, ut breviter pauca ex sacris illius eloquiis expediam, hæc evidenter affatur : « Utraque ostendens super quæ dupliciter, divine scilicet et humane operatus est secundum eamdem, quæ veraciter vera est et naturalis substantia, Deum immensum simul et circumscriptum hominem existentem et intellectum, substantiam utriusque perfecte perfectam habentem cum operatione sua, id est naturali proprietate. » Et rursus : « Non enim facta est natura deitas transmutata natura caro, facta natura divinitatis caro : sed quod erat etiam deitati coaptata mansit caro, infirma et passibilis natura et operatione, sicut ait Salvator : *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI, 4). » Et iterum : « Per quam operatus et patiens quæ erant carnis sine peccato, pro nobis indicavit exinanitionem deitatis, miraculis et carnis passionibus naturaliter roboratam. » Et iterum : « Mysterium divinæ incarnationis apostolis et prophetis atque doctoribus duplam et diversam habere dignoscitur naturalem in omnibus theoriam, indiminutæ deitatis existens et plenæ demonstrativum humanitatis. » Et iterum : « Quibus divine pariter et humane operatus est, perfectionem, per omnem utriusque rationem, sibi naturaliter incommutabilem salvans. » Et iterum : « Nil divinum nudum corpore operatus, nil humanum idem ipse privatum dignitate gerens : servans sibimet modum secundum utrumque immotabilem, per quem operatus est utraque decenti more, ad approbationem perfectæ ac veræ nihilque habentis pravitatis inhumanationis suæ. » De his vero qui unam deitatis et humanitatis ejus operationem et naturam unam dogmatizant, dicit : « Non enim circumscribitur facultia natura id quod per naturam factum non est, licet cooriatur ei per conceptionem omnem circumscribentem sensum : nec etiam in eodem ipso sibi natura differtur aliquando et naturalis operatio, donec utrumque intra propriam manet naturalem inconversibilitatem. » Et item : « Connaturalium quippe tantum est eadem ipsa operans motus, essentiam indicans, cujus naturalem constat esse virtutem, alterius naturæ proprietate substantiæ secundum nullam rationem esse vel fieri sine convertibilitate valente. » Item : « Ea quippe quæ mutuo sunt cooperantia, et eadem operantia, et ejusdem originis, profecto et compassibilia naturæ non suscipientia differentiam, et naturis sibi confusis erit dualitas Christus, et personis separatis fiet quaternitas, quod est nimium fugiendum. » Et iterum : « Si igitur, secundum Beronem, assumpta sibi caro ejusdem operationis effecta est, haud dubium quin et ejusdem facta est sibi naturæ, cum quotquot est natura, id est inprincipalitate, infactione, infinitate, sempiternitate, incomprehensibilitate, et quæcunque horum secundum magnitudinem theologica amplissime in deitate ratio contemplatur : et vicissitudinem utraque passa sunt, neutro naturæ suæ substantialem rationem ultra salvandam habente. » Et rursus : « Qui enim eorum quæ alterius sunt naturæ, eamdem ipsam sentit operationem, confusionem pariter naturalem, et divisionem eorum inducit personalem, incognita prorsus idiomatum translatione naturali eorum facta essentia. » Item : « Si vero ejusdem sibi non fuit naturæ, neque ejusdem sibi fiet naturalis operationis. » Et iterum : « In eumdem autem errorem illati sunt, male credentes propriam factam carnis divinam operationem, quæ in miraculis per ipsam apparuit, qua totum Christus substantians secundum quod intelligitur Deus, continet retentum. » Et iterum : « Non enim cognoverant impossibile esse divinæ operationem naturæ idioma fieri sine convertibilitate. » Et iterum : « Quarum donec unum secundum substantiam cognoscatur Verbum unius operationis, nunquam aliquando eo quod utriusque sit cognoscetur motus. » Et iterum : « Itaque Bero quidem sic se habens, ut dixi, operationis unalitate deitatem Christi et humanitatem simul confundens naturaliter, et partiens personaliter, dissolvit vitam, ignorans solius connaturalium personarum connaturalis identitatis eamdem ipsam operationem esse significativam. »

His igitur ita et ab hoc quoque sacratissimo et magno doctore ac martyre veritatis (id ipsum autem est, si dicamus a sanctissimo, qui in eo loquitur, Spiritu) manifestius dictis, diligenter intendant qui volunt, et maxime qui communicant his qui novitates nunc operati sunt : et sciant certissime, quia, qui duas salvatoris nostri Christi voluntates naturales et operationes denegant et abjiciunt, et impiam ac alienam Christianici dogmatis tam sacram et orthodoxam confessionem appellant, unamque deitatis et humanitatis ejus voluntatem et operationem dogmatizant, eos qui taliter sibi consone non confitentur anathematizantes, liquido, absque ullo tegente velamine sanctos prophetas, et apostolos, atque doctores ; vel etiam, ut verius dicatur, sanctissimum Spiritum qui illis locutus est, quinimo et loquitur, anathematizant, et ab eo per illos traditam nobis sacram et orthodoxam confessionem abnegant et abjiciunt atque impiam et alienam a Christiano dogmate esse asseverant, et æque, ut prædictus hæreticus, quin potius, ut omnes simul profani hæretici qui in confusione et phantasia et divisione decepti sunt, solum supersubstantialis theologiæ ac incarnatæ dispensationis non abnegant et subvertunt mysterium, quaternitatem quidem personarum sanctam confitentes Trinitatem : at vero unum hujus, id est Dominum nostrum Jesum Christum, inanimatum, et sine intellectu ac sine ratione, secundum quod propter nos factus est homo, introducentes, et convertibilitatem simul et conspersio-

nem ac mutabilitatem, confusionemque ac phantasiam et divisionem utriusque naturæ ipsius pronuntiantes, et puri per hoc hominis, vel prodigii cujusdam matrem sanctam semper Virginem ac Dei genitricem matrem scribentes. Deinde vero hanc, quæ videlicet in eo ab illis dogmatizata est, unam voluntatem et unam operationem respuentes, et neque unam, neque duas, id est divinam et humanam voluntatem vel operationem in eo, vel quamdam ex omnibus confiteri volentes, non solum instabiles et tergiversatores, sed et hæreticis, qui in confusione ac phantasia et divisione erraverunt, magis impios ipsi seipsos propriis verbis et dogmatibus monstrant. Nam illi quidem vel unam, illi vero nec unam voluntatem vel operationem cum habere volunt, ac per hoc insubstantialem illum et inessentialem; minus enim est dicere sine voluntate, ac impotem, secundum utrasque naturas pronuntiant: cum juxta sacras diffinitiones et rationes corruptio, id est interemptio et inexistentia naturæ, naturalium habitudinum et operationum atque virtutum infirmitas et defectus existat, et quod universaliter voluntate naturali ac substantiali operatione privatur, neque est, neque aliquid est, neque est quævis ejus essentia. Et non ipsum tantum, sed et Patrem, et Spiritum sanctum, insubstantivum astruunt, et inexistentem. Ejusdem enim utrisque illis substantiæ, id est deitatis, et voluntatis, ac operationis salvator existit, secundum quod est et dicitur natura Deus : ita ut subsequenter, et dominam nostram vere sanctissimam super omnes sanctos venerandam scilicet et laudandam, ut proprie ac non fallaciter, veraciter Dei genitricem semperque Virginem, non proprie ac veraciter matrem Dei describant, sed ejus qui nullomodo secundum ipsos existit. Et isti quidem talibus ac tantis impietatibus capti, per sua ipsorum dogmata propalantur.

Hi vero, qui simul cum duabus voluntatibus et operationibus, quæ sanctis catholicæ institutoribus Ecclesiæ pie in salvatore nostro Christo dicuntur, aliam unam nescio unde fingentes confiteri volunt, et anathematizant eos qui non consone sibi unam et duas, id est tres voluntates et operationes in eo confitentur : nihilominus et isti sanctos prophetas et apostolos ac doctores, quin et super hos qui in ipsis locutus est, imo et nunc per eos affatur, sanctissimum Spiritum anathematizant, et traditam per eos nobis ab illo sanctam et immaculatam fidem novis adulterantes adinventionibus abnegant, et aliam in salvatore Christo naturam præter divinam et humanam, extraneam quamdam et omnium alienam existentium fingunt [a], cujus esse volunt a se dictam in illo unam voluntatem et operationem : quoniam omnis voluntas naturalis et substantialis operatio naturæ profecto voluntativæ ac operativæ idiomata sunt. Et omnis operatio naturalis substantiam indicat, ex qua procedit et inest [b] : et indicativum uniuscujusque naturæ operatio, et est, et cognoscitur naturalis. Et omnis natura propriæ operationis substantiali ratione cognoscitur, et omnis natura convenientem sibi seque significantem habet operationem hanc ab aliis discernentem, diffinitionesque substantiarum naturales earum operationes vera ratio novit. Et, ut compendiose dicatur, nec naturam sine operatione quæ illam substantialiter characterizet, nec rursus voluntatem vel operationem constat esse sine quadam substantia, id est possibile [c], quemadmodum divina concionantur eloquia, et ipsa rerum natura clamat. Igitur voluntatem et operationem unam præter duas circa Salvatorem Christum fingentes, et necessitate [d] etiam aliam naturam præter divinam, ut dictum est, et humanam extraneam quamdam existentium omnium alienam plasmantes applicant ei, cujus esse [e] jam dictam a se unam voluntatem, quæ inane figmentum fictæ cogitationis est, et germen quod ab idololatria nil penitus differt.

Deus enim simul et homo salvator existens, duas tantum congruentes sibi naturas et voluntates et operationes, id est divinam et humanam habet, quemadmodum inclyti præceptores nostri ac doctores affirmant : non unam et duas, id est tres, ut adversarii dogmatizant, quo illud evidentissime gerant, quod olim a Deo per Isaiam prophetam in calumniam dicitur, id est : *Caupones tui vinum aqua miscent* (*Isa.* I, 22). Ut enim apparet, et isti, verbum veritatis cauponum more adulterando, naturalem dualitatem voluntatum et operationum salvatoris nostri Christi una voluntate ac operatione quæ, in ipso ab hæreticis qui in confusione ac divisione seu phantasia decepti sunt, impie dogmatizata est, velut vinum aqua miscentes, utrasque sectas confiteri compellunt : quod impium veraciter est et alienum immaculatæ fidei nostræ Christianorum. Qui ex diametro, similiter ut præcessores sui, etiam per hunc a veritate decidunt modum. Æquale quippe ex diametro et simile malum est cum hæretica opinione paternam projicere ac reprobare orthodoxiam, et e diverso cum hac pariter et illam confiteri et approbare. *Quæ enim participatio justitiæ et iniquitati? aut quæ societas luci ad tenebras? aut quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis?* divinus ait Apostolus (*II Cor.* VI, 14, 15, 16). Inquam vero et ipse : Quæ participatio, vel communicatio, aut conventio, aut pars, aut consensus Paternæ orthodoxiæ ad nequam hæreticorum opinionem, ut cum altera altera prædicetur vel etiam respuatur?

Et hoc quoque diligenter intendant, quia, si

[a] Ab omnibus quæ sunt in rebus a. fingunt. Combef
[b] Cui inest. Id.
[c] Constare sine quadam substantia, est possibile. Id.
[d] Ex necessitate. Id.
[e] Cujus velint esse. Id.

quemadmodum magnus ab immortalitate cognominatus, imo vero cunctus sanctorum chorus affirmat, quod pene fides salvatoris nostri non admittat, cum hoc instabile quiddam secundum suam ipsius rationem existat. Quod si hoc fuerit passa, et quod huic est contrarium procul dubio sustinebit, additamentum scilicet, et quomodo manebit ulterius fides defectibus ac profectibus immutata? Dicant, inquit, nobis, qui per singulos dies fides creant, imo deos sibi diversos fingunt, quoniam cum fidei verbo mutatur atque multiplicatur a talibus id quod creditur. Ergo et adversarii fides sibi condentes diversas, absque omni contradictione secundum qualitatem, et quantitatem atque immutationem dogmatum suorum immutant simul et multiplicant id quod creditur, et quinque Christos eatenus plasmasse monstrantur. Hunc quidem unam operationem, illum vero nec unam operationem et alium unam voluntatem, et alterum nec unam voluntatem : porro quintum unam et duas, atque unam et duas, id est tres operationes et tres voluntates, ut aiunt, habentem. Et dicant, si volunt illi ipsi qui talia exponunt dogmata et qui communicant eis, in quem talium ac tot Christorum a se fictorum credentes baptizati sunt, vel baptizantur : aut cujus eorum corpus et sanguinem sumunt atque distribuunt? utrum ejus qui unam, an qui nec unam operationem; ejus qui unam voluntatem, an ejus qui unam et duas, et unam et duas, id est tres operationes et tres voluntates, et propterea jam ex necessitate tres etiam naturas habet? Sed *non erat vox, et non erat auditio* (*III Reg.* XVIII, 26), quemadmodum ait propheta magnus Elias scelestos sacerdotes et pseudoprophetas confusionis redarguens. Nam, quidquid horum dixerint, illinc cum impietate etiam redargutionem sermo eorum circumferet, quoniam non in verum et veraciter existentem Christum credunt atque baptizant, nec illius corpus et sanguinem accipiunt et distribuunt. Illum enim, verum scilicet et qui vere consistit, Christum Deum simul et hominem inclyti magistri nostri ac præceptores scientes, duas et tantum quemadmodum naturas, sic etiam et duas voluntates, et totidem operationes congruentes sibi, divinam scilicet, ut jam dictum est et comprobatum est, et humanam, increatam, sine incœptione et cum incœptione, in ipso confitentur et confiteri nobis præcipiunt. Non autem, ut hi nunc novitates fecerunt, unam et nec unam nec duas, et rursus unam et duas, id est tres voluntates et operationes habere illum fatentur.

Super hæc autem omnia quæ dicta sunt, et illud quoque certissime noverint, quoniam unam nec unam, neque duas, et iterum unam et duas voluntates et operationes, et omnia cum anathematibus, et depositionibus, ac excommunicatione dogmatizantes, aperte sibi et alterutris repugnare probantur : et ipsi per seipsos et invicem subvertunt ac destruunt, alterna verba et dogmata, seque ipsos et alterutros, et eos qui sibi communicant, anathematizant, et ab omni sacra dignitate ac ministerio pellunt atque deponunt. Necnon a perceptione illibatæ communionis vivifici corporis et sanguinis magni Dei et salvatoris nostri Jesu Christi sequestrant. Et hæc liquido nos, et nullo intuente et sciente obstantis velamine, non solum propter multiformem errorem, verum etiam et propter instabilitatem, et absurditatem, ac reciprocationem talium virorum et dogmatum, omni custodia nosmetipsos ab illorum impietate et communione servemus, quotquot in veritate esse ac dici Christiani volumus. Alienum quippe a Christianis est, cum orthodoxia etiam impietatem suscipere, aut confiteri quidem orthodoxam fidem, communicare vero his qui hanc per novas inventiones abnegant et adulterant. Propter quod divina nobis lex simul et apostolica jubet, eos qui, aliud præter quod a Christiferis viris accepimus, docere ac introducere conati fuerint, avertere et anathematizare, non tantum si homines fuerint, sed et licet angeli fortassis e cœlo descendentes exstiterint. Et si hoc fecerimus et divinam sine prævaricatione adimpleverimus præceptionem, sacramque ac orthodoxam fidem absque adulteratione simul et innovatione posseserimus et confessi fuerimus, ad vitam salvi efficiemur æternam in Christo Jesu Domino nostro : cum quo Deo et Patri, una cum sanctissimo et bono ac vivifico Spiritu, gloria, honor, imperium, et adoratio nunc et semper, et in omnia nunquamque finienda sæcula sæculorum. Amen.

POSTERIORA S. HIPPOLYTI TESTIMONIA.

(*Ex Combefisii editione Operum S. Maximi.*)

..... Hæc evidenter effatur. Utraque ostendens se, eo quod dupliciter (divine scilicet et humane) operatus est, secundum eamdem quæ veraciter vera et naturalis substantia est, Deum immensum simul et circumscriptum existere ac intelligi hominem; utriusque perfecte perfectam essentiam habentem, cum illius operatione, id est naturali proprietate. Et rursus : Non enim caro facta est natura deitas, translata natura, facta videlicet secundum naturam Divinitatis caro; sed quod erat, etiam deitati coaptata, mansit, id est caro infirma et passibilis natura et operatione, sicut ait Salvator : *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma.* (*Matth.* XXVI, 41.) Et rursus : Qua operatus et passus, quæ erant carnis ab omni peccato immunis, divinitatis pro nobis exinanitionem miraculis et carnis passionibus naturali-

ter confirmatam probavit. Et rursus: Mysterium divinæ incarnationis, apostolis, et prophetis atque doctoribus duplam ac diversam in omnibus habere compertum est naturalem considerationem; cum perfectæ deitatis et plenæ vim habeat ostendendæ humanitatis. Et iterum: Quibus divine pariter et humane operatus est, perfecte utroque sui rationem natura servans immutabilem. Et iterum: Nihil divinum nudum corpore operatus, nihil humanum idem ipse gerens quod expers esset deitatis: qua ipsa nova decentique ratione utraque operatus est, utriusque ratione immunem se a mutatione servans, ad perfectæ suæ humanitatis quæ plane vera sit nihilque aut vitii aut labis admittat, fidem adstruendam.

De his vero qui unam deitatis et humanitatis ejus operationem, et naturam dogmatizant, dicit: Non enim circumscribi natura genita comparatum est, quod secundum naturam ingenitum est, tametsi ei coaluit per conceptionem, quæ vim omnem mentis circumscribit: ac nec unquam in eamdem naturam naturalemque virtutem seu operationem vertantur, donec utrumque intra propriam naturalem inconvertibilitatem manet. Et item: Eorum enim duntaxat quæ ejusdem naturæ sunt, motus ejusdem virtutis ac efficaciæ est, substantiam designans cujus est naturalis virtus, cum substantia diversæ naturæ proprietatis nulla ratione esse possit aut fieri absque convertibilitate. Item: Etenim, quæ ejusdem inter se virtutis sunt, et operationis, ejusdemque prorsus originis ac earumdem passionum, ea naturæ distinctionem non admittunt, confusisque secum naturis erit Christus dualitas, personisque divisis fiet quaternitas: quod omnium maxime cavendum. Et iterum: Si quidem igitur, ut auctor Bero est, assumpta illi caro ejusdem ac ipse virtutis seu operationis facta est, plane etiam ejusdem facta est naturæ, cum quibus omnibus natura est, quod principii expers, quod ingenita, quod infinita, quod sempiterna, quod incomprehensa, et si qua ejusmodi secundum excellentiam theologicus sermo eximie in deitate contemplatur: et vicissitudinem utraque passa sunt, neutro substantialem naturæ suæ rationem ultra incolumem servante. Et rursus: Qui enim eorum quæ sunt diversæ naturæ eamdem sentit operationem, confusionem pariter naturalem divisionemque ipsorum inducit naturalem: ignota prorsus ac obscurata per idiomatum commutationem naturali eorum substantia existentiaque. Item: Si vero non ejusdem ac ille facta est naturæ, nec ejusdem unquam fiet operationis. Et iterum: In hunc autem errorem impegerunt, credentes male propriam carnis effectam divinam operationem quæ per ipsam in miraculis manifesta est; qua Christus, rerum hac universitate condita, secundum quod intelligitur Deus, quod ita conditum est tenet ac conservat. Et iterum: Non enim cognoverunt fieri non posse, ut divinæ naturæ operatio alterius diversæque substantiæ proprietas fieret absque convertibilitate. Et iterum: Quandiu non unum secundum essentiam unius nescitur verbum operationis, nulla unquam ratione fiat, ut amborum motus cognoscatur. Et iterum: Itaque, Bero, qui sic habeat, ut dicebam, una operatione Christi pariter deitatem et humanitatem natura confundens ac personis dividens, vitam dissolvit; qui nempe nesciat, eamdem operationem, personarum quæ ejusdem naturæ sint, identitatem duntaxat designare.

SCHOLION sive HYPOMNESTICUM,

His qui desiderio ac zelo divino legere voluerint breviter declarans quæ paucis sunt agnita [F. agitata], id est cum athleticis certaminibus, quot exsilia, et in quibus locis ac tempore pertulerint martyrium, diemque fide ad Deum profectionis, et exhibitionis, sanctorum et deiferorum Patrum nostrorum ac magistrorum, novorum revera confessorum, et magnorum martyrum; præcipue illius qui positam hic epistolam digito Dei scripsit, eo quod ipse quidem eorum, qui ante se defuncti sunt, Maximi scilicet et Anastasii discipuli ejus, significaverit diem, ut prælatum est: de se autem, et germanis fratribus ejus, Theodoro scilicet ac Euprepio, nemo. Insuper et Martini sanctissimi et summi apostolici papæ ac martyris, qui omni, quæ sub sole est, præcellit hieraticæ dignitati, atque quorumdam aliorum quorum præsens epistola mentionem non facit, nec quæcunque, ut reor, alia charta, vel homo.

Oportet eos qui hæc legerint exemplaria præsentis sacræ illius sacri epistolæ, Deo parentibus, qui scrutatur renes et corda, firmissime credere, quia in ea, Deo teste veritatis, ex ipsa epistola, quæ propria manu ejus, imo ut verius propter miraculi dicamus insigne, digito Dei scripta est, sancti videlicet Patris et magistri nostri domni abbatis Anastasii, presbyteri et apocrisiarii senioris et opinatissimæ urbis Romæ, multumque certantis magni et novi revera martyris veritatis transcripta sunt, scripta ab eo postquam passus est, quemadmodum dictum est, in Byzantio, una cum concertatore suo et vere philosopho, imo deosopho magnopere commartyre Christi veri Dei et salvatoris nostri Maximo, id est cum ab intus abscissæ fuerint pretiosæ ipsorum ac sacræ, divinitusque veraciter mobiles linguæ ac manus, cum verberibus et tormentis amarissimis, ex quibus sanguinis fluorem et pompam per totam urbem perpessi sunt, quod nec malæ unquam vitæ revera quisquam sustinuit. Et nisi solus Deus qui ex nihilo ut essent cuncta produxit et mortuos suscitat, ex hujuscemodi crudelitate ipsorum et tanto sangui-

nis fluxu, cauterio nullomodo illis indulto, vel constipatorio aliquo abscisionibus manuum atque linguarum ad cessationem sanguinis juxta morem apposito, hos conservasset ad verecundiam adversariorum, tradidissent ex tunc desiderato a se Deo suas ipsorum sanctas revera et beatas procul dubio animas. Hæc autem omnia ob nihil aliud in eos gesserunt vere profanissimi et miserrimi apostatæ veritatis, nisi propter pessimam veraciter et solam invidiam quam antiquus hostis dæmon in eis seminavit, quemadmodum et in similibus suis Judæis, cum non potuissent saltem ad modicum quid resistere sapientiæ, quæ illis merito fuerat a Deo donata, (pro vera scilicet veritate, et solum pro eo quod noluissent illi communicare cum his in tam publica et sine Deo impietate ipsorum) eum ipsa sancta dextera manu sua, quæ abscissa fuerat, cujusque truncus tantum remanserat, id est sine planta et digitis inopinato argumento, cum videlicet duo sibimet parvissima ligna et tenuia colligaverit, imo, ut verius dicatur, virtute et gratia divina et invisibili expedite penitus et sine prohibitione loquebatur, quanquam ab intus ex ipso fuerit fundo rescissa, sicut Lebarnicius patricius Laxicæ cum juramentis terribilibus enarravit nobis, dispensatione Dei in hoc ipso per semet inspector effectus, diffidens super hoc glorioso et ingenti miraculo. Quin et Theodorus protosecretarius prætorii præfecti Constantinopolitani ante hunc enarravit mihi, et ipse cum horribilibus juramentis, cum conscius fuisset sanctarum passionum ipsorum, tanquam dominus et magister hujuscemodi rerum, glorificans et laudans ac gratias agens Deo super tali miraculo et tam fiduciali virtute ipsorum. Quoniam, sicut canis vel cervus excursu multo et siti vel caumate, ita laxaverunt et tradiderunt linguas suas ut etiam manus, quanquam brevi valde statura sanctus et infirmus esset corpore Maximus, sicuti cunctis est manifestum.

Quocirca et abundantius adversarii sauciantes semina suos super tanta et tali alacritate sanctorum, intrinsecus nequissimi et veraciter inhumani, ut revera feræ agrestes has abscindebant. Non solum ista sic ab eo epistola scripta, sed et aliis multis libris ac tomis studiorum ipsius. Quorum ipsi non solum inspectores divina providentia facti sumus, sed et partim in sortem gratia Dei ex eis accipere illima perceptione meruimus, et ipsis quoque simili argumento et manu, imo, ut verius dictum est, digito scriptis Dei, sicut magni Moysi tempore legitur factum : providentia videlicet et cooperatione solius omnipotentis Dei qui, cum sit amator bonitatis et hominum, facit mirabilia magna in sanctis suis et glorificat vere glorificantes se, tam indeclinabili opere quam verbo et veritate : cum adhuc degeret in ultimo, id est tertio exsilio suo Laxicæ, in castro Thusumes nuncupato, sito supra villam Mochoes, climatis Apsilæ termini, ad Orientem Pontici maris, apud ipsum pedem Caucasiorum montium, juxta Christi amicorum regionem Abasgorum, et gentem Alanorum, quasi signis quinque a prædio Zichachorio, id est prima domo Gregorii veri amici Christi patricii et Magistratus ejusdem regionis Alanorum. Cujus et optimam memoriam merito facit in hujusmodi epistola, translati videlicet vi et præceptione miserorum principum qui illic ante se usque ad se præfuerunt, in eodem tertio exsilio septies, in difficilioribus locis et tribulatione multa, in prædicto castro Thusumes dormivit in Domino, cum et ipse certamine bono certasset, orthodoxam revera fidem servasset, et cursum martyrii consummasset, mensis Octembrii die undecima, feria prima, hora tertia, cum diceretur inter sancta officia, *Sancta sanctis*, indictione decima, cum prædixisset et ipse diem sanctæ depositionis suæ quibusdam qui sibi aderant ante menses tres.

Et aliis quoque pluribus miraculis sanctissimi et omnis efficientis Spiritus cooperatione, tam ibidem quam in duobus exsiliis suis, Trapezunti videlicet, et Mesembriæ patratis, plurimisque conversis ad veritatem et illuminatis. Qui cum conversati fuissent et perdurassent in hoc sancto et beatissimo et multorum sudorum certamine, id est coronam ferente confessione ac testimonio, prædictus quidem sanctus Anastasius presbyter et apocrisiarius Romanus, a sexta indictione præteriti cycli usque ad decimam indictionem, in omnibus prædictis tribus exsiliis suis, traductionibus diversis affectus, tribulationibusque ac necessitatibus, et angustiis non mediocribus nec modicis, permansit annis viginti. Discipulis vero ejus Theodoro et Euprepio germanis et sanctis fratribus, filiis Plutini beatissimi imperatorii pistoris, id est qui super omnes pistores publicos est, eorum videlicet qui annonas scholarum omnium solvunt, quod appellatur Tetransiton, divitiis pretiosis et dignitatibus diversis, divinisque virtutibus, et virginitate, quæ his omnibus major est, adornatis; per quam scilicet, ut opinor, etiam sanctis pro Christo agonibus et coronis honorari meruerunt, ut casti et mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Post primum magistri sui et nostri apud Trapezuntem exsilium multis eleemosynis et oblationibus factis, volentibus Romam confugere protinus et ipsis in eadem persecutione prope Abydum comprehensis, propter eamdem et solam causam, et pro eo quod noluissent cum eis contaminari tam evidente impietate in profano et penitus sine Deo imperatorio Typo qui ex submissione factus est eorum qui erant Ecclesiæ Constantinopoleos, et publicatis, id est denudatis omni substantia quæ inerat sibi, et dignitatibus quas habebant : flagellaque mortalia a prædicto suscipientibus, et Chersonem in exsilium missis, et illic vi sæpius ab invicem separatis, et in castris gentium ibidem adjacentium deputatis : junior quidem frater, qui, ut vere in cunctis pheronymus, Euprepes nominatus est, completo in hujuscemodi Dei amico agone, anno nono, ad Dominum abiit mense Octobrio, die vicesima sexta indictione XIV.

Alter vero, qui et prior frater, quique Dei donum merito a Domino est vocatus, perdurans ab eadem sexta indictione usque ad jam dictam decimam indictionem instantis cycli, id est usque ad sanctissimi Patris et magistri eorum ac nostri Anastasii presbyteri, qui revera miserrimus, et orphani propter tam raritatem, et inopiam verbi veritatis et omnis spiritualis escæ, ita ut nunc etiam adimpletum sit quod a Domino de malis novissimorum temporum dicitur, non famem panis mittendam, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Domini, sicuti dictum est, sanctam in Domino requietionem, annum vicesimum agit adhuc perseverans in athleticis sudoribus et agonibus, in eodem Chersonis exsilio, jam memoratus videlicet frater Theodorus qui et propria manu multa sanctorum opuscula dignatus est exhibere nobis, qui pergebamus illuc ad visitationem et adorationem ejus, et pretiosæ memoriæ Martini summi et vere universalis papæ et magni martyris veritatis. Cujus et miracula nobis copiosa quæ ibidem facta sunt, cum illatis quoque illis importabilibus, retulit, donata etiam particula sancti orarii, id est facialis, quæ sibi fuerat ab eo dimissa : et uno ex campagis ejus, id est caligis : quos nullus alius inter homines portat, nisi sanctus papa Romanus : eo quod et ipse illic fuerit exsilio relegatus, postquam omnia dira passus est, cum abduceretur ab urbe Roma, qui seipsum tradiderat, gestiens atque desiderans admodum pro Christo subire martyrium, ut imitator et successor sancti et apostolorum principis Petri, tam in navigio, quam in ipso Byzantio, ita ut palam alapis cæderetur ab inimicis Dei.

Dignum autem patre suo diabolo perpetrantes opus in eum, tam veste illum sua exuerunt, quam ferreorum gravamina vinculorum et catenarum sancto ejus collo et pretiosis reliquis membris imposuerunt. Deinde cum eisdem ferreis compedibus pompantes per totam plateam traxerunt a palatio usque ad prætorium præfecti, cum vigiliæ magistro, id est primo carnificum, colligatum, et cum gladio præcedebat eum quidam, ut membratim concideret, deliberante ac præcipiente Bucoleonte detestabili sacellario, et digne sanguinem devorantis bestiæ cognominato, tanquam qui et opera bestiali furore referta possideret, scientia et consilio Constantini imperatoris, qui et prædictum obscenum et pessimum Typum condidit, Gregorio eunucho et præfecto miseræ illius urbis. Quod utique jam et factum fuisset quantum ad temerariam ejus alacritatem et propositum pertineret, nisi misericordissimi et benignissimi Dei præsidium hos inhibuisset, et non hujus robustissimam fortitudinem hostes erubuissent. Noverunt enim hoc pati frequenter etiam tyranni truces et inhumani, licet nimis immisericordes sint et crudeles, secundum eum qui operatur in illis Satan : martyrio ejus forsitan invidentes, secundum similem sibi apostatam, et idolorum vesaniæ deditum Julianum illum famosum et vere sapientem in malis. Aut certe Deo meliori quadam et sibi soli nota, qui omnia nimirum ad utilitatem dispensat, immensa hunc et ineffabili providentia conservante. Cum fecisset in duobus carceribus, in excubitu scilicet et custodia præfecti, in tribulatione multa et infirmitate gravissima dies centum octoginta ; omnem vero tribulationis suæ agonem in annis tribus et ultra, sicuti, ex his quæ de ipso conscripta sunt, et a Romanis militibus, et propriis ejus hominibus qui cum eo multis tormentis affecti per diversa loca exsilium pertulere, scire potuimus. Porro dormivit et ipse in Domino, cum unam semper et solam sanctam catholicam et apostolicam gloriosam Dei nostri Ecclesiam sacratissimis et veracibus dogmatibus synodice illustrasset, et tam sanctarum ac universalium quinque synodorum, Nicænæ videlicet, Constantinopolitanæ, Ephesinæ prioris, Chalcedonensis, et rursus Constantinopolitanæ sub Justiniano imperatore, quam omnium sanctorum divinitus sapientum, et probabilium Patrum nostrorum, ac veracium magistrorum sacra et piissima dogmata roborasset, quemadmodum hi, qui amore pio legere voluerint, in sacris gestis sanctæ ac apostolicæ piissimæque synodi quæ ab eo Romæ celebrata est, invenient, cum in omnem locum et omnem regionem transmissa sint : et ardue veritatem manifestasset ac prædicasset, et flagitia hostium relevasset, atque liquidius publicasset bono multumque sibi amabili agone agonizans, et ad desideratum Dominum, pro quo et proprium sanguinem, quantum in ipso fuit, effudit, in lætitia copiosa profectus mense Septembrio, die sexta decima, indictione quarta decima, qua et custodientis pietatem, copioseque certatricis, et castæ virginis ac martyris Euphemiæ honoranda memoria per annos singulos celebratur, reconditus inter tumulos sanctorum in domo percolenda sanctissimæ intemeratæ ac semper laudandæ gratiosæ vereque semper gloriosæ dominæ nostræ, utpote quæ proprie natura et absque mendacio ac veraciter est Dei genitrix, et semper virgo Maria, quæ appellatur Blachernes, extra muros a stadio uno ipsius de cætero benedictæ urbis Chersonis. In qua sancta domo etiam jam memoratus sanctus Euprepius requiescit, juxta eumdem perornatum ac vere magistrum, qui Evangelicam vocem opere adimplevit, qua dicitur : *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis* (*Joan.* xi, 11).

Porro, sanctus et memorabilis ac optimus et per omnia sapiens, imo divinitus sapiens, magnusque veritatis propugnator et commartyr eorum Megistus, qui et Maximus, (hoc enim, ut antea indicavimus, dictione Latina Maximi nomen insinuat,) cujus et sanctum monumentum per singulas noctes lampades exhibet a die qua dormisse dignoscitur, usque in præsens et in perpetuum omnibus illucescens, et patefaciens confidentiam suam quam obtinet apud Deum, sicuti præposita commendat epistola : et nos ipsi per nosmet auditores a multis illius loci principibus et habitatoribus, qui cum juramentis hujusmodi mirabile vere miraculum fideliaiter prædica-

bant. effecti sumus. Eorum vero qui obtutu proprio viderant has, unus etiam ipse comes ejusdem Chemareos castri, nomine Mistrianus, existit, qui et vigilans cum militibus has non semel nec bis, sed et multoties contemplatus est, et primus patenter de his omnibus prædicavit, nobis illuc pergere non valentibus propter montis illius ascensum, id est verticis Caucasiorum, quo excelsior mons super terram non est, difficultatem, et tempus hiemis, insuper et confusionem gentium quæ fit in partibus illis. Pariter et Anastasius discipulus ejus ab undecima indictione præteriti cycli per tria exsilia, Bizyes scilicet, et Perberei Thracensium regionis, atque prædictum Lazicum, in multis contritionibus et intolerabilibus necessitatibus, atque hujuscemodi athleticis certaminibus, annis decem peractis, ad regnum migravere supernum. Sanctus quidem Maximus, sicut dictum est, mense Augusto, die tertia decima, indictione quinta, cum prædixisset ex divina revelatione suam in Domino ante dies quindecim dormitionem futuram, sicuti jam præmissum est; sanctum vero suum pro veritate in Christo Deo nostro martyrium ante non paucos annos. Discipulus vero ejus Anastasius mense Julio, die vigesima quarta, indictionis ejusdem.

Igitur missa nobis est hujusmodi sacratissima et præposita propriæ manus imo divinitus exarata epistola, una cum suppositis sibi deiloquis testimoniis et syllogismis, ab eodem ipsorum exsilio, id est Lazico, quam et habemus et conservamus, cum eodem quo scribebat tradito sibi divinitus argumento, id est prædictis duobus exsilibus fusticulis, et aliis benedictionibus ac muneribus ejus sanctisque ac venerabilibus, necnon et omnibus post Deum bonis, librorum videlicet ejus studiis et propriæ manus compositionibus, tanquam revera sacrosanctis laudibus et reliquiis. Data vero est nobis vere minimis, Theodoro, germanis et sine dolo fratribus humilibus et peccatoribus monachis, per Gregorium monachum et abbatem monasterii sancti Joannis Baptistæ regionis Albanorum, quod appellatur Bavararu, mensis Augusti die vicesima, indictionis undecimæ quæ præteriit nos qui revertebamur a regione sæpe dicta Lazorum. Illuc enim profecti fueramus, licet valde infirmi et pauperes et indigni essemus, secundum consuetudinem ad visitationem eorum, non solum propter jam dictum creditum nobis pondus conscriptum, id est præceptionem sæpe memorati sancti ac summi apostolici papæ Romani Martini, personaliter ad eum in eadem magni nominis urbe advenientibus, et certitudinem propriæ manus de his quæ ab eo synodice confirmata sunt, ex ipso sumentibus et audientibus papa et alio ex his qui simul aderant. Sed et quoniam ore proprio mandaverat nobis de hoc, postquam passi sunt, cum adhuc essent Byzantii in custodia prætorii præfecti, quæ appellatur Diomedis, ex qua et præmisimus eos in jam sæpedictum tertium eorum exsilium Lazicæ mœrentes illis, et in reliquis eorum exsiliis et custodiis, laboribus et sollicitudinibus, angustiisque non mediocribus, secundum quod nobis possibile fuit, per deos acceptas eorum preces, nobis cooperante ipso qui eripuit nos sæpius de iniquis manibus impiorum, marisque periculis ac diversis tempestatibus, ministrare de paupercula quæ inerat nobis ex parentum benedictione sicut in Domino, ut autem verius dicamus, Dei munere, et non ex alienis, sed et reliquis nil minus eorum concertatoribus et commartyribus: et ut fieremus inspectores stigmatum ipsorum et passionum quæ propter Christum verum Deum nostrum pertulerunt. Quin imo et auditores per nos effecti, divinitus quoque sapientis atque salvantis expertes eorum constitueremur doctrinæ, et Deo persuadibilibus et bene acceptis ipsorum orationibus frueremur, et quædam vestimentorum quæ in passione sibi scissa sunt propriis manibus ab eis accepta deferremus, una cum sanctificatis pannis pretiosoque sanguine rubricatis; qui circumpositi fuerant sanctis eorum quæ abscissæ fuerant manibus, causa sanguinem medicinaliter restringendi. Utrosque autem complecti ac memorari, non sine consideratione, ut reor, perpendimus, pro eo quod unum et idem ipsum in certamine sanctæ revera et orthodoxæ fidei, et in vinculo pacis et charitatis dignoscantur effecti.

De cætero infinita multitudo eorum qui in prædicta non ferenda et intolerabili persecutione diversis verberibus et tribulationibus palam et occulte martyrium inferebant, astuto ac versuto molimine, has illius aliter atque aliter, quasi non pro fide, sed sub prætextu aliarum ingerebant occasionum atque damnorum, adeo ut hæc simplicioribus quibusque, qui facile decipiuntur, ignorantibus, soli Deo qui occultorum est cognitor, et his qui studiosiores erant hos et quamobrem passi sint procul dubio deserentes. Pro quibus omnibus universos qui in veritate quæ revera sunt veritatis relegitis, ac si præsentes et procidentes tam cordis genu cum corporalibus genibus quam cordis sensu cum lacrymis inclinati, et ante vestigia omnium vestrum provoluti, deprecamur et exoramus quo primum quidem veniam in omnibus tribuatis exiguitati ac indisciplinationi nostræ, qui ad certitudinem et satisfactionem tanquam vere fideles fideliter talia prorsus recipimus: et ne oblivio velet tantos et tales sacros agones, eo quod valde a paucis et raris hæc cum diligentia cognoscantur. Nos autem, ut dictum est, cum voluntate Dei horum ipsis visibus conscii ex parte maxima facti fuissemus, et discrimen quod ex desidis generatur metuissemus, et non ob aliud, ut coram Deo dico, nisi propter hoc, quoquomodo hæc scribere præsumpsissemus, et vitam vel laudes depromere minime valuissemus, talium et tot pro pietate certaminum ac sudorum vere mirabilium, et magnorum illorum in Domino sacratissimorum virorum, propter collectaneam scilicet et rudem rusticitatem nostram, et omnimodam indisciplinationem, per quas nobis et sermonis inest inopia super omnes. Quibus sufficere arbitramur pro magnæ vitæ actibus et præconiis, si

qui veritatis et studii amore legere voluerint divina illorum, et veraciter sine fastidio contra impietatem, et pro pietate labores plurimos, et conscripta, quæ et cum omni solertia et diligentia una cum his etiam quæ sunt ex adversariorum exsecrabilibus scriptis, licet humiles et veraciter viles super omnes in omnibus simus. Juxta virtutem tamen quæ inest nobis, in diversis libris ac tomis conscripsimus et amatoribus veritatis tradidimus, in gloriam et indesinentem laudem et gratiarum actionem omnipotentis Dei et vere mirabilis in sanctis suis, ac zelum et alacritatem eorum qui pro pietate certare voluerint, confusionemque ac inevitabile opprobrium inimicorum veritatis, et ipsius Dei universorum, instantiasque ac oppositiones illatarum sibi falsarum calumniarum, et decretorum inanium ac instabilium, et absolute omnes eorum sacratissimos ac pios agones atque sudores, qui ab eis qui ex adverso erant diverso modo sunt acti, id est a subintroducta nova et hæretica omnia recipiente adinventione [a] Heracliano Cyro, Sergio, Pyrrho, Paulo, petritarum, et involuntativo inoperatistarum, vel, ut verius dicamus, novorum epicureorum, id est penitus carentium Deo, ut ipsa rerum et ipsa contrariorum conscripta demonstrant his qui hujuscemodi discernere norunt. Quatenus hi, qui post nos studiosi et in verbo potentes fuerint, et his inventis ex his occasionem acceperint, Deo ac sanctis ejus gratiarum actiones debitas reddant. *Da enim sapienti occasionem, et sapientior*, inquit, *erit* (*Prov.* IX, 9).

A

B

Secundo vero, indesinentibus orationibus et supplicationibus, cum operibus bonis ac lacrymis benignissimum natura et misericordissimum placetis Deum, ut compatiatur infirmitatibus nostris, sedetque de cætero instantem adhuc dolosam, et versutam et penitus argumentosam, atque gravissimam super omnes præcedentes paganas et hæreticas persecutiones : quippe cum sciat pulveris nostri fragilitatem, et facilem lapsum propter nimiam fraudem eorum atque nequitiam, et finis seditionis fiat, et terminus hujuscemodi atrocissimi mali, pretiosum scilicet illorum sanguinem effundentium, veluti sub impiis et Dei exsortibus Arianis, pro roseo sanguine sancti Petri Alexandrini patriarchæ ac martyris gestum est. Propter quod et prædicti sancti Patres nostri, et veraciter pietatis doctores, præcipueque apostolicus et verticalis papa noster Martinus similiter semetipsum in sacrificium pro fideli populo tradidit, in omnibus agonothetam Christum Deum nostrum, et verticem apostolorum Petrum imitatus, et in cunctis secutus, cujus et successor ut revera dignus effectus est : pacemque firmam et indissolubilem unitatem ubique sanctis suis donet Ecclesiis, nec permittat de reliquo usque in finem hæresim quamlibet suscitari, tam propter multitudinem miserationum suarum, quam ob infirmitatem et mobilitatem naturæ nostræ, quæ super omnes præteritas generationes excrevit.

C

Tertio autem, ut immobiles usque in finem conservemur, non solum nos, sed et omnes pii, in sancta revera et orthodoxa atque immaculata nostra Christianorum sola catholica et vera fide, remissionemque peccatorum et salutem percipiamus, qui veraciter peccatores sumus et servi omnium, qui vere orthodoxi et proprii adoratores sunt Christi veri Dei et salvatoris nostri, qui revera glorificantes se magnifice in veritate et glorificat : cuique decora est omnis gloria, honor, imperium, magnificentia, in cœlo et in terra, adoratio et gratiarum actio in sensu cordis et ipsa veritate, timoreque ac tremore pariter et exsultatione, secundum propheticum eloquium, una cum immortali et miserationum amatore, compatientissimoque ac misericordiosissimo super naturam Patre, atque sanctissimo et consubstantiali, vivificoque ac omnipotente divino Spiritu, nunc et semper, et in universa et infinita sæcula sæculorum. Amen.

[a] *Heracliano, Cyro, Sergio*, etc. Nomen videtur unum ex pluribus conflatum, Heracliano-Cyro-Sergio-Pyrrho-Paullo-Petritæ : sicut Inoperativo-Inoperatistæ, id est voluntatem et operationem, humanam scilicet, adimentes Christo.

ACTA SINCERA SANCTI PETRI

EPISCOPI ALEXANDRINI ET MARTYRIS

Anastasio Bibliothecario interprete.

(Apud Maium, Spicilegii tomo III, pag. 671.)

MAII MONITUM.

Anastasium Bibliothecarium transtulisse e Græco passionem sancti Petri Alexandriæ episcopi, affirmat primum ipsemet Anastasius in prologo suo ad passionem martyrum MCCCCLXXX, quem Mabillonius in Museo Italico tom. I, part. II, p 80, vulgavit : *post translatam a me ad petitionem sanctitatis tuæ* (loquitur cum Petro episcopo Gavinensi) *passionem præcipui doctoris et martyris Petri Alexandrinæ urbis episcopi*. Deinde anonymus biographus Joannis VIII PP. apud Muratorium R. I. S. tom. III, part. I, p.

269, id ipsum confirmat: *Anastasius Rom. Ecclesiæ bibliothecarius transtulit etiam de Græco in Latinum passionem sancti Petri Alexandrini archiepiscopi.* Verumtamen ex diversis quæ habentur sancti Petri passionibus, quamnam Anastasius transtulerit, conjectura cognoscendum est. Etenim Surius ad diem 26 Novembris quædam breviora Acta recitat, eaque ab Anastasio esse arbitratus est, propterea quod in codicibus legerat prologum ad martyrum MCCCCLXXX passionem, cujus supra meminimus; itaque iisdem verbis utitur Surius quibus Anastasius in dicto prologo, nempe *præcipui doctoris et martyris Petri Alexandrinæ urbis episcopi* (vel *patriarchæ*, ut Surius et codex Vat. reginæ Suecorum 542, *f.* 72 b). Surii tamen sententiæ, nulli certo argumento innixæ, non acquievit Baronius in adnotationibus ad Martyrologium dicta die. Sic enim ait: « Habemus alia ejusdem Petri Acta pleniora in vet. cod. ms., quæ quoniam accuratius conscripta noscuntur, Anastasio, mea sententia, potius tribuenda videntur. Est illorum exordium: *Si omnes mei sensus.* » (labitur memoria Baronius qui scribere debuit, *Si omnes mei corporis artus*, uti legitur apud nos.) Eamdem de istis Actis sententiam præsetulerat Baronius in Annal. ad an. 310, qui et ipsis ad contexendam Petri Historiam naviter usus est. Ego igitur auctoritate Baronii fretus, prætereaque bonitate captus Actorum horum, quæ in pervetusto codice reperi Vaticano 602, passionem hanc celeberrimi Alexandrinæ urbis episcopi et martyris exhibeo.

Præter hæc sincera et Anastasiana, de quibus hactenus dixi, Acta, Latina alia legebam in codice Vat. 622, æque ferme antiquo; hæc tamen illa ipsa sunt quæ Combefisius in lectis Triumphis martyrum, p. 189 seqq., Græce edidit et Latinitate nova donavit, quia veterem codicis Vaticani textum ignorabat. Tria sunt igitur sancti Petri Alexandrini martyris Acta; 1. Sincera nostra et omnium optima, Baronio judice; 2. breviora illa Latina apud Surium; 3. Græca Combefisiana, quæ sunt eadem Latine in codice, ut diximus, Vat. 622. Nos vero prima et præstantia atque inedita recitabimus.

INCIPIUNT ACTA.

Si omnes mei corporis artus verterentur in linguas, omnesque membrorum compages articulatas ederent voces, quis vel qualis, quantusve fuerit beatissimus Pater noster Petrus Alexandrinæ sedis archiepiscopus, exprimere nullatenus sufficerem. Præsertim quanta tyrannorum pericula, quantosque gentilium atque hæreticorum subierit conflictus, papyris omnia tradere, vel maxime incongruum ducimus, ne favoris illius panegyricum commendare potius videamur quam passionum, cujus præclaro annisu populum Deo acquisitum salvum facere viriliter cucurrit. Verumtamen quia ad intimæ conversationis ac mirificæ ejus actionis narranda præconia ratio succumbit, et sermo sufficere nullatenus valet, ideo commodum æstimamus ea solummodo describere, quibus utique ad pontificatus apicem conscendisse pandatur, et, Ario a catholica unitate præciso, martyrialibus laureis sit coronatus. Hunc tamen gloriosum finem ac magnifici certaminis speculum, operæ pretium eis sufficere credo, qui nostram attendunt devotionem, ac sine mendacii fuco veridicam non ambigunt, narrationem. Hujus itaque sanctissimi viri episcopale inchoantes exordium, ipsius flagitemus orationem, ut nos eam nostro stylo cooperatricem habere gaudeamus.

Alexandria igitur urbs copiosæ magnitudinis est, quæ non Ægyptiorum solummodo, sed etiam Thebæorum atque Libycorum haud procul ab Ægypto principatum tenet. Salutiferæ autem Jesu Christi Domini nostri incarnationis ducentorum octoginta et quinque annorum circulus volvebatur, cum venerabilis Theonas ejusdem civitatis papa æthereo volatu cœlestia regna conscendit [a]. Cui profecto memoratus Petrus ad ministranda Ecclesiæ gubernacula succedens, ab omni clero et Christiana plebe ordinatus est pontifex, sextus decimus scilicet a Marco evangelista simulque archiepiscopo ejusdem civitatis. Hic enim velut Lucifer inter astra consurgens, sanctarum radiis virtutum emicans, arcem fidei magnificentissime gubernabat. In Scripturis vero divinis priorum nullius inferior, ad Ecclesiæ utilitatem atque instructionem nobiliter insistebat; prudentia quoque singularis, et in omnibus perfectus, vere sacerdos et hostia Dei erga omnem sacerdotii curam diebus ac noctibus vigilanter desudabat.

Sed quia semper zelo percutitur virtus, feriuntque summos fulgura montes, æmulorum hinc inde multifarios patiebatur conflictus. Quid plura? pene omni tempore vitæ suæ in persecutione degit. Ordinavit interea quinquaginta et quinque episcopos. Meletius denique, nomine et mente nigerrimus, apud Lycopolitanam urbem schismaticus factus est præsul; multa quidem contra canonum agens regulam, superansque etiam cruentorum militum feritatem, qui in Domini passione veriti sunt Dominicam scindere tunicam; adeo laxatis insaniæ raptabatur habenis, ut catholicam scindens Ecclesiam, non solum per civitates Ægypti, sed etiam per villas ejus, suos sequaces ordinaret episcopos, et nihil ei curæ de Petro erat, imo nec de Christo qui erat in Petro. Huic præfatus Arius adhuc laicus adhærebat, necdum clericali tonsura notatus, eratque illi ejusque domui admodum charus; nec immerito: omne animal, ut ait Scriptura, simile sibi diligit. His autem cognitis, vir Domini mœrore confectus hanc persecutionem aiebat pejorem esse priore. Et licet quibusdam latebris absconsus, tamen pro viribus exhortatorios ubique dirigens apices, prædicansque Ecclesiæ unitatem, non obitus, sed initium episcopatus Theonæ refertur.

[a] Apud Eusebii Chronicum, in utraque mea editione Mediolanensi ac Romana, ad hunc fere annum

vegetabat eos adversus imperitiam et nefariam Meletii temeritatem. Unde factum est ut non pauci ejus salutaribus monitis animati, a Meletiana discederent impietate.

Per idem fere tempus Arius, viperea armatus versutia, quasi deserens Meletianos confugit ad Petrum, qui rogatus ab episcopis sublimavit eum diaconii honore, nesciens quippe tantam ejus hypocrisin. Erat enim instar colubri pestifero suffectus veneno. Neque enim hujusmodi manus impositio huic sancto in crimen deputari potuit, sicut nec Simonis magica ars simulata ascribitur Philippo. Meletianorum interea detestabile nefas supra modum crescebat, pavensque beatissimus Petrus ne hæretica pestis totum sibi creditum invaderet gregem, simulque sciens quod nulla societas est luci cum tenebris, nullaque concordia Christo et Belial, Meletianos ab Ecclesia per litteras segregavit. Et quia mala voluntas diu occultari non valet, illico nefandissimus Arius, propterea quod suos fautores ab Ecclesiæ dignitate cerneret divisos, tristitiæ mancipatus gemebat. Quod sanctissimum virum minime latuit. Denudata namque ejus hypocrisi, protinus evangelico utens ferro, *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te*, Arium ab Ecclesiæ compage, utpote putridum membrum detruncans, foras expulit et a fidelium communione extorrem esse mandavit.

His ita gestis, subito admodum ablata persecutionis procella, pax, licet exigua, refulsit. Tunc elegantissimus Domini pontifex populo manifestus illuxit, cœperuntque fideles ad martyrum memorias catervatim currere, et ad Christi laudem cœtum congregare; quos divinæ legis antistes divino oraculo vivificabat, erigebat, atque roborabat, crescebatque jugiter in Ecclesia multitudo credentium. Sed hæc non æquis oculis ille antiquus aspiciens humanæ salutis hostis *haud* in longum quievit. Nam subito paganitatis turbo ex adverso intonuit, et more hibernalis imbris Ecclesiæ serenitatem perculit, eamque procul fugavit. Sed hoc ut manifestius intelligi possit, necessario ad impiissimi et Deo rebellis Diocletiani atrocitatem, pariterque Maximiani Galerii reflectimus articulum, qui eo tempore cum filio suo Maximino tyrannico dominatu Orientales vexabat regiones.

Hujus namque temporibus in tantum Christianæ persecutionis æstuabat incendium, ut non solum in uno mundi climate, sed etiam per universum orbem terra marique impietatis procella tonaret. Discurrentibus itaque hinc inde imperialibus syllabis atque crudelissimis decretis, Christicolæ nunc palam nunc clandestinis jugulabantur insidiis; nullus enim dies nullaque nox ab effusione Christiani cruoris transibat immunis. Nec typus interfectionis horrebat simplex; alii quidem diversis et acerrimis necabantur suppliciis; alii vero, ut etiam parentum humanitate patriaque carerent sepultura, ad alia tranferebantur loca, novis quibusdam et sæculo inauditis pœnarum machinationibus ad martyrii compellebantur metam. Proh nefas! tanta erat illorum impietas, ut etiam divini cultus sanctuaria a fundamentis everterent, sanctosque libros igni cremarent. Defuncto itaque exsecrabilis memoriæ Diocletiano, Constantinus Major ad regni gubernacula electus est, et Occiduis partibus principatus sui cœpit moderari habenas.

His profecto diebus Maximino [a] a quibusdam de præfato archiepiscopo relatum est, videlicet quod ipse Christianitatis dux atque signifer esset; qui solita inflammatus nequitia, e vestigio jussit comprehendi Petrum et in carcerem retrudi. Quam ob rem quinque tribunos stipatos militum catervis Alexandriam destinavit; qui venientes juxta quod sibi fuerat imperatum, subito rapientes Christi pontificem carceris custodiæ manciparunt. Mira fidelium devotio! Ubi compertum est quod tantus vir carceralibus clauderetur ergastulis, cucurrit supra modum incredibilis multitudo, præcipue monachorum ac virginum chorus, et non materialibus armis, sed lacrymarum rivulis et piæ mentis affectu circumdederunt carceris ambitum, et tanquam boni filii erga bonum patrem, imo Christiana membra Christianissimo capiti, totis compassionum visceribus adhærebant, erantque illi murus, observantes ne quis paganorum ad eum ingrediendi copiam haberet. Unam nimirum omnium vota, consona vox, eademque compassio, mori potius quam sanctum quidpiam mali perpeti viderent [b]. Vir autem Domini cum paucos dies eodem nervo teneretur retrusus, tribuni fecerunt de ipso regi suggestionem; ille autem juxta morem suæ ferocitatis destinavit sententiam, ut beatissimum patriarcham capitali punirent discrimine. Porro dum hoc per aures Christianorum serperet, cœperunt omnes unanimiter carceris aditum cum luctu et gemitu custodire, et obsistentes neminem gentilium illum ingredi permittebant. Tribuni vero cum ad eum jugulandum nullatenus haberent ingressum, habito consilio statuerunt ut cuncti milites nudatis mucronibus populares irrumperent turbam, et sic eum duntaxat ad decollandum foras extraherent; mox vero si quis obsistere vellet, gladio interiret.

Arius interea adhuc levitico tantum honore coloratus [c], metuens ne post exilium tanti Patris reconciliari nullatenus valeret, adiit eos qui nobiliores erant in clero, et luctuoso precario blandoque sermone utpote simulator conabatur sancto suadere archiepiscopo, ut illi misericordia indulgeret, eumque ab hujusmodi solveret obligatione. Verum quid simulato corde fallacius? Quid sancta compositione simplicius? Haud mora; ingressi sunt qui rogati fuerant

[a] Rectissime noster ponit Petri passionem sub Maximino, non sub Diocletiano, quod facit Græcus ille biographus a Combefisio vulgatus, quo loco doctus editor p. 222 errorem hunc coarguit.

[b] Sic prorsus excubabat Mediolanensis pia plebs circa Ambrosium episcopum suum, cui furor Justinæ Arianæ imperatricis imminebat, teste oculari Augustino Confess. lib. IX, cap. 7.

[c] Recte hoc dicitur, secus ac Græca Acta Combefisii et cod. Vat. 922, in quibus falso dicitur presbyter Arius sub Petro.

ad Christi pontificem, et post consuetam orationem, consternati solo cum gemitu et lacrymis sacras ejus deosculantes manus, flagitabant eum dicentes : Te quidem, beatissime Pater, secundum fidei dignitatem Dominus ad martyrii coronam vocavit, quam te celerius accipere nequaquam ambigimus. Idcirco justum putamus ut solita pietate indulgeas Ario, ejusque fletibus veniam tribuas.

Quibus auditis vir Domini cum indignatione submovit eos, et elevatis sursum manibus exclamans dixit : Pro Ario me audetis supplicare? Arius et hic et in futuro sæculo a gloria Filii Dei Jesu Christi Domini nostri semper erit segregatus semperque manebit extorris [a]. Hæc illo protestante, omnes qui aderant, timore perculsi, tanquam muti reticebant. Porro suspicati sunt eum non sine divino nutu talem in Arium proferre sententiam. Quos dum clementissimus Pater cordis compunctione silentes ac mœstos aspiceret, noluit austerus permanere, vel eos quasi contemnens sine satisfactione relinquere; sed assumens Achillam et Alexandrum, qui in sacerdotibus seniores ac sanctiores esse videbantur, unum ex eis habens ad dexteram, alterum quoque ad lævam, paululum eos segregavit a cæteris, et clauso sermone dixit ad eos : Nolite me, fratres, tanquam inhumanum ac rigidum accipere; revera enim et ego homo sum sub lege peccati degens; sed credite meis sermonibus. Latens Arii dolus omnem superat iniquitatem, omnemque supergreditur impietatem; et hoc non a memetipso asserens, ejus sancivi segregationem. Hac etenim nocte dum solemniter preces ad Deum funderem, astitit mihi quidam puer quasi duodecim annorum, cujus faciei claritatem ferre non poteram, nam tota hæc cella in qua stamus immenso lumine radiabat. Ipse autem linostimum erat indutus colobium, scissum in partes utrasque a collo usque ad pedes, tenensque gemina manu colobii scissuras, applicabat eas pectori suo, quatenus propriam tegeret nuditatem. Ad hanc quippe visionem ego miratus obstupui. Mox ubi data est mihi loquendi fiducia, exclamans dixi : Domine, quis tibi hoc scidit indumentum? Et ille : Arius me scidit, sed præcave omnino ne eum in communionem recipias; ecce enim crastina die venturi sunt qui te pro eo postulabunt. Vide ergo ne suasus acquiescas illis; quin potius jubeto Achillæ pariterque Alexandro presbyteris, qui post tuum transitum recturi sunt Ecclesiam meam, ne aliquatenus illum recipiant. Tu autem futurus es martyrii sortem velocius explere. Hujus autem visionis causa nil amplius fuit. Ecce satisfeci vobis, et quæ jussa sunt prorsus annuntiavi. Cæterum quid ex his facietis, vos videritis. Et de Ario quidem hæc.

Nostis præterea, charissimi, et bene nostis, qualiter huc usque vobiscum conversatus sum, quantasque conflictationes ab idololatris sustinui gentilibus, qui dominum Salvatorem ignorantes, multitudinem deorum qui non sunt, insanientes diffamare non cessant. Scitis profecto quomodo persecutorum declinando rabiem, de loco ad locum profugus ibam. Plurimum namque in Mesopotamia latitans degi, ac perinde apud Syriam Phœnicis delitui, in utraque etiam Palæstina diutius peregrinationem sustinui; et exinde, ut ita dicam, in alio elemento, hoc est in insulis non parvo tempore moratus sum. Et in his omnibus degens calamitatibus Dominico gregi qui meæ parvitati commissus est, die noctuque scribere non desinebam, confirmans eos in Christi unitate. Horum enim anxia sollicitudo cor meum sedule instigabat, et me quiescere non sinebat; solummodo levius me habere putabam quando eos supernæ potestati committebam.

Jam vero propter fortunatos pontifices, Phileum dico, Hesychium [b] atque Theodorum, qui digne a divina gratia sunt vocati, quam gravis me tribulatio quatiebat! Hi enim, ut ipsi scitis, ob Christi fidem cum reliquis confessoribus diversis macerabantur suppliciis. Et quia in tali agone non solum clericorum, sed etiam laicorum ipsi erant signiferi et præceptores, propterea valde verebar, ne longis deficerent cruciatibus, et eorum defectio, quod dictu grave est, plurimis negandi foret offendiculum; erant enim ultra sexcentos sexaginta, qui cum eis carceralibus arctabantur ergastulis. Unde magno labore magnoque satagens sudore, non cessabam de prædictis locis scribere omnibus illis, exhortans eos ad martyrii palmam magisterio divini affatus. Quando vero omnium eorum magnificam audivi perseverantiam et passionis gloriosum finem, cadens in terram adoravi Christi majestatem, qui eos inter martyrii catervas annumerare dignatus est.

Quid etiam vobis de Meletio Lycopolitano [c] commemorem? qui quantas persecutiones, quantosque dolos mihi sit jaculatus, vos omnimodo scire nullatenus ambigo. Proh nefas! scindere sacrosanctam Ecclesiam non metuit, quam Dei Filius pretioso sanguine redemit, eamque ut de diaboli tyrannide liberaret, animam ponere non titubavit. Hanc, ut dicere cœpi, nequissimus Meletius scindens, etiam sanctos episcopos, qui ante paululum per martyrium cœlos penetrarunt, in carceris custodia expugnare atque affligere non desinebat. Cavete igitur ab ejus insidiis. Ego enim, ut ipsi videtis, alligatus divina charitate proficiscor, voluntatem Dei omnibus anteponens. Scio nempe quia tribuni de mea nece trepidantes mussitant, sed nullum ex hoc eis sermonem

[a] Addunt hic Acta Combefisiana, *quemadmodum ille Dei Filium a paterna gloria et substantia sequestravit*. Male, quia nondum Arius suam hæresim patefecerat, sed ob schisma tantummodo Meletianum, et suspectam agendi rationem exclusus fuerat. Hoc additamentum ne alter quidem codex Vat. 622 agnoscit.

[b] Acta Combefisiana et cod. Vat. 622 addunt *Pachomium*.

[c] Optime noster; erat enim Meletius Lycopoleos in Thebaide episcopus. Pessime Acta Combefisiana *in Lycaonia*. Jam res Meletii late scribuntur a priscis historicis et a Baronio ad ann. 306, n. 45 seqq.

interam, neque enim animam meam pretiosiorem me ipso faciam. Quin imo paratus sum perficere cursum quem mihi Dominus meus Jesus Christus polliceri dignatus est, et ministerium quod ab ipso accepi, ei fideliter assignare. Orate pro me, fratres; ulterius me in hac vita vobiscum vivere jam non videbitis. Quapropter testificor coram Deo et vestra fraternitate, quod omnibus vobis mundam servavi conscientiam. Non enim subterfugi annuntiare vobis quæ mihi a Domino sunt injuncta, et quæ deinceps necessaria erunt pandere minime recusavi.

Quocirca attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus seriatim episcopos posuit. Te quidem Achillam primum, Alexandrum vero secundum. En vobis viva voce protestor, quoniam post meum transitum insurgent quidam de Ecclesia loquentes perversa, rursusque divident eam, ut Meletius, trahentes populum post suam vesaniam. Ecce prædixi vobis. Sed, deprecor vos, o viscera mea, vigilate: oportet enim vos multas subire tribulationes. Neque enim meliores sumus quam patres nostri. An ignoratis quanta a gentilibus perpessus est pater meus, qui me nutrivit, sanctissimus Theonas episcopus, cujus pontificalem cathedram regere suscepi? O utinam et mores! Quid etiam de magno Dionysio ejusdem præcessore referam? qui profugus de loco in locum multas calamitates ab insano sustinuit Sabellio? Nec vos prætereama, sanctissimi Patres ac divinæ legis antistites, Heracli atque Demetri, quibus fabricator perversi dogmatis Origenes multifarias tentationes incussit; qui conjecit in Ecclesiam detestabile schisma, quod usque hodie confundit eam. Sed gratia Dei, quæ illos tunc protegebat, credo enim quod et vos proteget. Sed quid vos ultra demoror, charissimi fratres, prolixi sermonis affatu? Superest ut ultima apostoli oratione vos prosequar ita precantis: et nunc commendo vos Deo et verbo gratiæ ejus, qui potens est gubernare et vos et ovile suum. Hæc ubi dicta dedit, positis genibus oravit cum eis. Expleta itaque oratione, osculantes manus ejus ac pedes Achillas atque Alexander conversi in lacrymas singultu amarissimo quatiebantur, maxime quia audierant eum dicere quod ex tunc temporalem ejus vitam amplius visuri non essent. Dehinc doctor dulcissimus veniens ad reliquos clericorum, qui, ut præmissum est, pro Ario ingressi fuerant, locutus eis verba novissima atque consolatoria et quæ necessaria erant; deinde, fusis ad Deum precibus vale faciens illis, dimisit omnes in pace.

His ita peractis, longe lateque ubique vulgatum est quod Arius a catholica unitate absque deifico nutu non sit abscisus. Ille autem fallendi artifex et totius nequitiæ seminator, in sui pectoris labyrintho vipereum virus occultare non desinebat, sperans se ab Achilla vel Alexandro reconciliari. Hic est ille Arius hæresiarches, consubstantialis et individuæ Trinitatis divisor. Hic est qui ore temerario Dominum Salvatorem super omnes hæreticos blasphemare non metuit, Dominum, inquam, Salvatorem, qui humanos miseratus errores, mortiferæ damnationis interitu condoleus perire sæculum, pro omnibus nobis carne pati dignatus est. Neque enim divinitas, quæ utique impassibilis est, passionem incurrisse credenda est. Sed quia theologi Patres hujusmodi blasphemias a catholicis auribus meliori stylo procul amovere curarunt, et nobis aliud imminet, redeamus ad propositum.

Sagacissimus igitur pontifex, animadvertens cruentissimam tribunorum stropham, quod ob ejus perpetrandam necem, omnem Christianorum qui tunc aderant multitudinem gladio interimere vellent, noluit eos pariter secum subire mortis acerbitatem; sed fidelis servus imitans Dominum Salvatorem, qui dixit et fecit, Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis, ex pietatis argumento vocavit unum seniorem ex his qui ibidem responsis ejus inhærebant, et dixit ei: Vade ad tribunos qui me interficere quærunt, et dicito eis: Cesset omnis anxietas, ecce promptus sum ultroneum me illis ingerere. Hac etenim nocte veniant post tergum domus carceris hujus, et in quo loco audierint signum in pariete ab intus factum, ibi effodientes excipiant me, perficiantque quod sibi est imperatum. Senior vero, obtemperans jussionibus sanctissimi viri (neque enim tanto Patri contradicere poterat), abiit ad tribunos et intimavit eis quod sibi fuerant injunctum. Quod illi audientes valde gavisi sunt, et assumentes latomos circa noctis hujus matutinum tempus venerunt sine militibus ad locum qui sibi fuerat ostensus. Vir autem Domini vigil in oratione et vigiliis totam noctem insomnem duxerat. At ubi eorum cognovit adventum, cunctis qui secum aderant sopore quiescentibus, lento gradu ingressus est in interiorem carceris partem, et juxta condictam sponsionem sonum faciebat in pariete; quem illi forinsecus audientes, facto foramine susceperunt Christi athletam non ærea lorica, sed virtute Dominicæ crucis undique munitum, paratumque implere divinum sermonem qui dicit: *nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Mira res! Tam validus imbrium turbo collisionesque ventorum in eadem strepuere nocte, ut nemo eorum qui observabant carceris fores, posset audire effodiendi sonum. Constantissimus autem martyr urgebat homicidas illos: Facite, inquiens, quod facturi estis, prius quam hoc sentiant qui me custodiebant.

At illi tollentes eum duxerunt in locum qui dicitur Bucolia, ubi et sanctus Marcus martyrium pro Christo suscepit. Stupenda sanctorum virtus! Cum eum ducerent, et tantam illius constantiam circa funereos casus tantumque animi robur inspicerent, subito horridus pavor timidusque tremor eos invasit

a Rursus recte noster vitat errorem biographi Græci Combefisiani, qui Heraclium ac Demetrium post Sabellium ac Dionysium fuisse diserte dicit.

in tantum ut nullus ex eis in faciem ejus intendere auderet. Rogabat præterea martyr beatissimus ut sinerent eum ad sancti Marci evangelistæ memoriam ire; cupiebat enim ejus se patrociniis commendare. At illi præ pudoris confusione terram despectantes, Facito, inquiunt, quod vis, tantum velocius. Accedens itaque complexus est sacratissimum evangelistæ cœmeterium, et veluti in carne viventi atque audienti loquens, hoc modo precabatur: Pater honestissime, tu evangelista unigeniti Salvatoris, tu testis passionum illius, te primum pontificem et firmamentum cathedræ ejus liberator omnium Christus elegit, tibi fidei præconium per totam Ægyptum et circum terminos ejus insonare commisit. Tu, inquam, ministerium humanæ salutis, quod tibi creditum fuerat, vigilanter explesti; hujus nimirum laboris mercedem martyrii palmam percipere meruisti. Unde non immerito dignus es evangelista simul et episcopus prædicari. Tui nempe successor fuit Anianus, et reliqui [a] per succiduam seriem usque ad beatissimum Theonam qui meæ infantiæ colaphos dare, et meam indolem nutrire dignatus est. Cui etiam ego peccator et indignus ultra meritum hæreditario gradu successor effectus sum. Et quod potissimum est, ecce Dominicæ pietatis largitio me pretiosæ crucis ac festivæ anastasis martyrem fieri condonavit, tribuens meæ devotioni suæ passionis jucundum odorem, ut et ego hostiam mei cruoris libare illi dignus efficiar. Et quia istiusmodi libationis urget articulus, ora pro me ut, divina opitulante virtute, stadium hujus agonis corde robusto ac fide promptissima perficere merear. Commendo etiam tuæ gloriosæ paternitati Christicolam gregem, qui mihi pastorali regimine commissus est; tibi, inquam, eum suppliciter commendo, qui omnium præcedentium ac subsequentium in hoc pontificali throno auctor atque tutor esse probaris, quique hujus primatum habens, non hominis, sed Dei et hominis Jesu Christi, successor existis. Et hæc dicens, haud longe a sacro tumulo remotis vestigiis manibusque in cœlum extensis, voce magna precatus: Unigenite, inquit, Verbum æterni Patris Jesu Christe, exaudi me tuam interpellantem clementiam; pacifica, quæso, tempestatem Ecclesiæ tuæ, effusione sanguinis mei servi tui conclude persecutionem populi tui. Tunc quædam virgo Deo dicata, quæ asceteriolum hujus evangelistæ cœmeterio conterminum habebat, pernoctans in oratione audivit vocem de cœlo dicentem: Petrus initium apostolorum, Petrus finis martyrum episcoporum Alexandriæ.

Completa oratione deosculans tumbam beati evangelistæ et reliquorum pontificum qui inibi tumulati erant, exivit ad tribunos. At illi videntes faciem ejus tanquam faciem angeli, terrore perculsi, verebantur ei aliquid de instanti agone loqui. Verumtamen quia Deus non deserit sperantes in se, noluit martyrem suum in articulo tanti discriminis absque solatio relinquere. Ecce quidam senex et quædam virgo vetula venientes ex oppidis properabant in civitatem, quorum unus quatuor venalicias deferebat pelles, altera quoque geminas sindones. Cernens eos beatus antistes, cognovit erga se divinam dispensationem. Illico percontatus est dicens: Christiani estis? qui dixerunt Etiam. Et ait, quo pergitis? Et illi: Ad nundinas, inquiunt, urbis ut venundemus hæc quæ deferimus. Clementissimus autem Pater subjunxit: Filioli mei fideles, Deus vos destinavit, perseverate mecum. Qui protinus eum agnoscentes, dixerunt: Ut jussisti, domine. Et conversus ad tribunos, Eia agite, inquit, quod acturi estis, complentes regiam jussionem, quoniam dies jam illucescere cœpit. Ipsi autem ob nefaria principis decreta quasi vim patientes, tulerunt eum e regione sanctuarii evangelistæ in vallem juxta sepulcra. Et sanctus, Expandite, inquit, o senes, pelles quas advectatis, simulque tu, vetula, sindones. Quibus expansis, robustissimus martyr desuper ascendens, palmas utrasque sursum extendit, ac proinde poplites humi fixus, animum quoque cœlo intentus, gratiarum actiones omnipotenti agonotheiæ persolvit, muniensque se crucis signaculo dixit, Amen. Dein omophorium relaxans a collo, cervicem tetendit: Quod vobis, inquiens, jussum est, maturius deliberate.

Obriguerunt interea tribunorum manus, atque invicem se aspectantes ad hoc facinus provocabant; sed omnes formidine capti stupebant. Tandem ex consensu placuit ut de communi ære interfectionis præmium apponeretur, et si quis istiusmodi scelus perpetrare ausus esset, ipse homicidii lucraretur quæstum. Haud mora; unusquisque eorum quinque protulit solidos. Verum, ut gentilis ait poeta: Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames! unus ex eis ritu proditoris Judæ, pecuniæ cupiditate audax effectus, exerto gladio Christi pontificem capite obtruncavit sub die scilicet VII Kalendarum Decembrium [b], cum haberet in pontificatu annos XII, quorum tres ante persecutionem, reliquos vero novem in diversis persecutionum generibus exegit. Exinde sublato ab speculatore sanguinis pretio, mali emptores vel potius cruenti homicidæ cito citius recesserunt, metuebant enim populi multitudinem, quoniam, uti prælatum est, absque militari præsidio erant. Corpus autem beatissimi martyris, quemadmodum patres affirmabant qui illuc primi convenerant, permansit astans tanquam orationi incumbens, donec plurimi concurrentes invenirent illud eodem modo consistens; nimirum quod vivens sæpius egerat, caro etiam exanimis testabatur. Senem quoque atque anum illam repererunt observantes cum luctu et gemitu pretiosissimum Ecclesiæ monile. Redinantes [c], itaque triumphale funus, sacrumque

[a] Bene noster per hanc reticentiam vitat nominum perturbationem quæ occurrit in Actis Combefisianis et in cod. Vat. 622.

[b] Cod. vat. 622, *nona et vicesima die Athyr mensis.* Acta Combef., πέμπτην ἐπὶ εἰκάδα τοῦ Νοεμβρίου μηνός.

[c] Notemus vocabulum. Supra quoque, col. 699, lin. 32, lege *Christicolum* ut est in codice, non *Christicolam*. Nam et prior terminatio habet aliud exemplum in v. cl. Furlanetti additamentis.

caput cervici opponentes, cooperuerunt sindonibus; sacrum vero cruorem qui secus effluxerat, peniculo reverenter collegerunt [a].

Convolans interea ex populosa urbe promiscui sexus innumerabile vulgus, plorans et ejulans invicem se sciscitabatur ignorans qualiter hoc evenisset. Revera enim a minimo usque ad maximum acerrimus fletus omnes rigabat. Primarii namque civitatis cum cernerent multitudinis laudabilem importunitatem, qui sacras ejus exuvias lipsanorum gratia scindere satagebant, involventes eum pellibus atque sindonibus illis tutius perstrinxerunt. Semper enim sanctissimus Dei minister vestes sacerdotales albi coloris erat amictus, hoc est tunicam et colobium necnon et omophorium. Post hæc igitur orta est inter eos non parva contentio; quidam enim sacratissimos artus in ecclesiam quam ipse ædificaverat, ubi et nunc requiescit, advectare satagebant; alii autem ad sanctuarium evangelistæ, ubi et martyrii metam complevit, deferre nitebantur : et dum neutra pars alteri cederent, religionis obsequium vertere cœperunt in pugnæ litigium. Quorumdam interea senatorum animosa phalanx, ex his qui cursus [b], vocantur, videntes quæ acciderant, nam secus mare erant, præverunt scapham, subitoque arripientes sanctas reliquias imposuerunt naviculæ, et ascendentes retro Pharum, per locum cui Leucado vocabulum est, venerunt in ecclesiam beatissimæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, quam, ut dicere cœperamus, ipse ob martyrum cœmeteria ad occidentalem partem in quodam prosatio [c] construxerat. Tunc populorum agmina ceu rapto sibi cœlesti thesauro, alii per itinera, alii per devia quæque properis cursibus insequuntur. Qui tandem venientes non jam ubi poneretur altercabantur, sed communi et non improbando consilio, prius eum decreverunt in sua cathedra ponere, et sic demum sepulturæ tradere.

Et hoc, prudentissime lector, nolo tanquam otiosum deliramentum attendas; quoniam si causam hujusce novitatis didiceris, mirans laudabilem populi zelum factumque probabis. Hic enim beatus antistes quando divini mysterii sacramenta celebrabat, non, sicut ecclesiasticus mos habet, in pontificali throno, sed in ejus subpedaneo scabello residebat; quod populi aspicientes, ægre accipiebant, et conquerentes acclamabant : Oportet, o Pater, in tua te sedere cathedra; et cum crebro id ipsum repeterent, surgens Domini minister ejusmodi querelas tranquilla voce sedabat, et iterum in eodem scabello residebat. Cunctis autem humilitatis gratia hoc agi videbatur. Quodam autem magnæ festivitatis die cum sacra missarum solemnia ageret, et tale quid facere vellet, non solum populus, sed etiam clerus consona voce inclamantes dixerunt : Sede in sede tua, o episcope. Ille autem, cujusdam mysterii conscius, hoc audire dissimulavit; datoque reticendi indicio, neque enim ei quisquam obsistere pertinacius audebat, silere omnes fecit, et nihilominus ejusdem sedis scabello subsedit; celebratisque ex more missarum solemniis, unusquisque fidelium ad propria repedavit.

Vir autem Domini, clericis accersitis, intima serenitate tranquillus, arguens eos temeritatis, Cur, inquit, laicorum vocibus admisti me objurgare non erubuistis? Attamen quia talis objurgatio non de jactanciæ cœnoso torrente, sed de purissimo fonte dilectionis manavit, aperiam vobis hujus mysterii secretum. Plerumque enim cum throno illi approximare volo, video quamdam in eo sedere virtutem [d], fulgore luminis admodum radiantem. Mox ergo inter gaudium et pavorem suspensus, agnosco me tantæ sessionis prorsus indignum; et nisi scandali seminarium populo inferre titubassem, haud dubium quin nec ipsi scabello assidere ausus fuissem. Inde est, charissimi filii, quod vobis in hoc pontificalem regulam excedere videor. Verumtamen multoties quando eam vacantem aspicio, sicut ipsi festes adestis, more solito sedere in illa non abnuo. Quapropter hujusmodi scientes arcanum, et pro certo expertum habentes, quia si mihi fuerit indultum, scabello super eam, non parvipendens ordinis dignitatem, omittite jam popularibus ulterius favere inclamationibus. Hæc nimirum Pater sanctissimus dum adhuc viveret ad sacrum clerum coactus exposuit.

Horum ergo Christi fideles pia devotione reminiscentes, tulerunt ejus sacratissimum corpus, et episcopali solio supersedere fecerunt. Tanta denique lætitia tantaque exsultatio cœlitus populo collata est, ac si eum animatum ac viventem attenderent. Deinde odoriferis condientes aromatibus induerunt illum sericis indumentis; unusquisque enim quod anticipare ferendo poterat, hoc sibi maximum lucrum deputabat. Tum victricia signa palmas gerentes, flammantibus cereis, concrepantibus hymnis, flagrantibusque thymiamatibus, cœlestis victoriæ triumphum celebrantes, deposuerunt sanctas reliquias, et sepelierunt eas in cœmeterio, quod dudum ab eo fuerat constructum, ubi ex tunc et usque in hodiernum diem miraculorum virtutes fieri non deficiunt. Pia etenim vota felici exauditione lætantur, infirmantium sanitates restaurantur, expulsiones immundorum spirituum, martyris meritum testificantur. Hæc munera, Domine Jesu, tua sunt, cui consuetudinis est martyres tuos post mortis exitium sic magnificare felicius; qui cum Patre et consubstantiali sancto Spiritu vivis et regnas per infinita sæcula sæculorum. Amen. *

[a] En novum testimonium de veterum Christianorum cura devota sanguinem martyrum conservandi, de qua re diu Boldettus in Cœmeteriis MM. lib. I, cap. 27 seqq.

[b] Intellige cursum publicum vehicularem vel navicularem.

[c] Græcismus, pro *suburbio*.

[d] Intellige vel ipsum Deum vel angelum.

* Quæ sequuntur de Ario infeliciter ad presbyteratum assumpto a successore Petri Achilla, absunt omnino ab Actis Combefisianis et a cod. Vat. 622.

Post hæc qualiter doli artifex lupus, hoc est Arius, ovina pelle contectus, Dominicum ovile dilaniare intraverit, vel quo pacto sacerdotii dignitatem usurpare valuerit, brevi relatu insinuare satagemus. Et hoc non ad eorum suggillationem qui lolium apostaticæ contagionis cœlesti ventilabro ab Ecclesia projectum ad aream Dominicæ messis revocare sunt ausi; hi enim sanctitate procul dubio insignes habentur, sed tamen tanto viro credere parvipendentes, divinæ jussionis interdicta transgressi sunt. Quid ergo? reprehendimus eos? minime. Quandiu enim nos hoc corruptibile aggravat corpus et deprimit terrena inhabitatio sensum nostræ infirmitatis, multi cogitantes facilius falluntur, putantes justum esse quod est iniquum, castum quod est incestum. Gabaonitæ cœlesti comminatione penitus delendi, cum aliud haberent in voto, et aliud in voce habituque prætenderent, Jesum repromissionis terræ justissimum divisorem celerius fallere potuerunt. David quoque

[a] Puto vel Absalomum vel Sibam, II Reg. xiv, 33; xvi, 3.

A prophetali flamine plenus cum verba mentientis pueri [a] audisset; licet investigabili justoque Dei judicio, tamen longe aliud egit quam esse res habuit. Quid etiam apostolis sublimius, qui se a nostra imbecillitate sequestrare nutaverunt? Nam unus eorum describit: *In multis offendimus omnes.* Alter quoque: *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est.* Sed cum horum nos pœnitet, tanto facilius veniam promeremur, quando non voluntate sed ignorantia vel fragilitate peccavimus. Et certe hujusmodi offensa non de prævaricationis affectu, sed de compassionis indulgentia processit. Cæterum super his apologeticum describere aliis relinquimus [b]; nos autem quod instat agamus. Postquam igitur B magnificus propugnator Petrus, nomine suo dignus, per martyrii triumphum...

Reliqua desiderantur.

[b] Pulchra sane defensio; ex qua etiam conjicio, Græcum Petri biographum prope abfuisse ab ejusdem temporibus, quandoquidem ipsius successori, quasi adhuc recentis memoriæ, tam studiose patrocinatur.

MAII MONITUM AD PROLOGUM SUBSEQUENTEM.

(Spicilegii Romani tom. IV, pag. 226.)

Post editam in superiore volumine copiosam S. Sophronii de SS. MM. Cyro ac Joanne eorumque miraculis historiam, placuisse mihi videbatur, si duas alias in eodem codice, et quidem priore loco, scriptas historias omitterem; quarum ambarum, vel certe alterutrius, auctor fuit idem Sophronius, ut in sequentibus patefiet. Prima incipit: Ὁ θεαρχικὸς ἡμῖν λόγος; secunda in codice est acephala; in utraque autem commemorantur S. Cyrilli de iisdem martyribus orationculæ, antehac incognitæ et ineditæ, quæ reapse in codice inter utramque historiam sunt interpositæ. Atque hæc quidem omnia in codice Græco pervetere, qui fuit olim in monasterio Cryptæ ferratæ, nunc vero in Vaticana bibliotheca sub numero 1607 custoditur. In Latino autem æque Vaticano 5410, prior quidem historia non legitur, quia codex est acephalus, neque a prædicto Græco sumptus id quod diversus materiæ ordo quantitasque demonstrant); secunda autem ibidem legitur, sed initio carens, Cyrilli tamen orationculis terminata. Græce utraque historia inedita est; Latine vero primam edidit abs se elaboratam, sed cum ingenti varietate, Otho Zylius apud Bollandum, ut deinde dicemus. Secundam ne Latine quidem quisquam ediderat; nam et illa, quam recitat Surius ad diem 31 januarii, plane diversa est.

Commode autem accidit ut Joan. Mabillonius in C suo Museo Italico, tom. I, part. II, p. 83-84, præfationis, quamdam particulam evulgaverit in universum opus Sophronianum, quam esse Anastasii Bibliothecarii non sine causa judicavit; cui præfationis fragmento subtexuit initium Historiæ illius incipientis Ὁ θεαρχικὸς ἡμῖν λόγος, Latino interprete Anastasio; quæ quidem Anastasii lucubratio a Mabillonio vix indicata in Vaticanis codicibus non occurrit. Cæteroquin alteram historiolam cum adjunctis Cyrilli dictionibus ex Vaticano codice sumpsimus, quam item ab interprete Anastasio profectam demonstrat distichum coronidis loco additum, in quo se ipse Anastasius nominat. Sic ergo Mabillonius op. cit. p. 84 scribit: *Superioribus Anastasii præfationibus* (quas in eodem opere Mabillonius exhibet) *visum est etiam hanc, tametsi mutilam, subjicere ex veterrimo codice bibliothecæ nostræ sancti Petri apud Carnutas. Hujusce passionis historiam, ab Othone Zylio soc. Jesu ex Græco Latine redditam, cum Anastasii versionem non vidisset, Bollandus edidit ad* D *Januarii diem* 31. *Sed quem ille incertum auctorem existimavit, is est sanctus Sophronius Hierosolymorum antistes, ut ex hac præfatione constat. Anastasii nomen, quod in vitioso atque ex situ corrupto exemplari oblitteratum erat, ex conjectura restituimus, quod tempus atque stylus Anastasio conveniant.*

ANASTASII BIBLIOTHECARII

PROLOGUS MUTILUS

IN VERSIONEM PASSIONIS SS. CYRI ET JOANNIS.

Non me... pusillitatem meam cogere volueris, passionem sanctorum Cyri atque Joannis ex Græco in Romanum vertendi sermonem: et qua pro causa, tanta nos ad hoc instantia in aliis multis implicitos

orseris, mecum tractavi. Sed aliud nihil prorsus occurrit, nisi quia charitatis fraternæ teneris affectu, gestientis profecto, non solum Græce sed et Latine accedentes proximos salutaris pabulo verbi reficere, et ad pia exempla, et horum fortes pro Christo agones accendere : præsertim cum Ecclesia, in qua divinis penes Urbem cultibus et obsequiis incumbis [a], horum victoriosissimorum martyrum memoria, imo miraculis fulgeat, et horum annuæ celebritatis en dies festus immineat. Ergo prout potui, charitati tuæ satisfeci, et omisso parumper opere præ manibus habito, votis parere tuis etiam languidus malui. Sane passionis horum duas editiones.... Hujus autem scriptor sanctus Sophronius, qui post Hierosolymitanus claruit episcopus, exstitit, cujus celebris memoria in multis majorum conscriptionibus, sed et in sancta sexta et universali synodo reperitur [b]; præsertim cum nonnulla ad instructionem multorum opuscula ediderit, et sana orthodoxæ fidei dogmata

[a] Ædem intellige SS. MM. Cyri et Joannis, prope urbem Romanam adhuc superstitem.

[b] Nimirum in eo concilio recitata est synodica Sophronii epistola, quæ adhuc superest.

A prædicaverit. Sed et horum insignium martyrum non tantum passionem, verum etiam septuaginta, qui numerus apud nos sacratus est [c], capitula miraculorum ipsorum conscripserit; quin potius principibus mundi non solum Christianæ, sed et externæ religionis pro domo Domini murum expugnabilis veritatis opposuerit, et constantia fortis invectioni arguerit. Quorum videlicet miraculorum Bonifacius consiliarius ad petitam Theodori primicerii, defensoris Ecclesiæ Romanæ duodecim cum præfatione capitula olim interpretatus est. Cætera si, Deo auctore, vita fuerit comes, nostri.... Deum orare... dissime Christi.... sacerdotis sacerdos. Data IV Kalendas Februarii, indictione 8, anno vero domini nostri (Joannis) octavi papæ.

B

Sume sacer tandem sanctorum lætus agones,
Qui fuerunt facti Graii, nunc arte Latinos.

[c] De hoc numero multa disserit ipse Sophronius in sanctorum laudatione.

INCIPIT TEXTUS PASSIONIS.

Divinus nobis sermo, qui vere veritas est, Christus C videlicet Deus noster, in Evangeliis altisone prædicat, dicens : *Omnia possibilia credenti.* Beatus quoque Paulus. . . . . .

Pergit vero Mabillonius dicere. « *Anastasii versio magis litteræ inhæret, quam illa Bollandiana, in qua omissum est nomen loci in Arabia ubi Cyrus et Joannes monasticam vitam professi sunt, de quo sic Anastasius :* « *Ad Arabiam quæ est Ægypti maritima ve-* « *nit, et in castello quod vocatur Cetzo habitavit, et* « *cum habitatione etiam habitum commutavit.* » *Idem artis medicæ officinam vocat* ergasterium, *quod nos laboratorium appellamus.*

Vides igitur duas fuisse operis de SS. Cyro et Joanne editiones, cujusmodi reapse sunt in nostro codice, quarum utramque interpretatus est Anastasius, ut de prima Mabillonius, de secunda distichum Vaticani codicis fidem facit. Nos autem prioris interpretationem in Vaticano codice non habemus; quare ejus initium tantummodo ascripsimus ex Mabillonio; alterius tamen partem maximam in Vaticano codice invenimus. Cæteroqui neque prioris interpretationem Zylianam damus, quia gravissime variat; neque secundæ defectum Latine supplemus, quam tum Græce tum Latine acephala est. Et quidem Vaticanus Latinus codex non fuit desumptus ex Græco Cryptæ ferratæ, qui paulo altius incipit, sed ex Latino vetere Canonicorum S. Mariæ in via Lata, qui nusquam jam apparet, ut dixi alibi.

HISTORIA ACEPHALA

SS. MM. CYRI ET JOANNIS.

INTERPRETE ANASTASIO BIBLIOTHECARIO.

3...., re minime valuisset, paciscitur dicens se desiderium habere tribus pueris ecclesiam dedicandi, et juvenem hunc velle pii operis fore præpositum, quo completo, rursus pollicebatur eum adepturum fore petitionem. Ergo cum haberet apud Doryzin, qui locus est ita vocitatus, gerocomium, deindeque adjacentem gerocomio aulam emisset, in cujus aulæ medio sancti ergasterium, id est locus medicinalis, habebatur; destructa aula, et ad ecclesiæ speciem D designata, ergasterium absidam mirabilem dedicavit. Porro ne segnitia hinc factæ transeamus utilitatis narrationem, juvene insistente cooperatione divina opus consummatum, et amplissimum templum ædificatum est. *Diligentibus* enim *Dominum omnia cooperantur in bonum*, dicentem sapientissimum Paulum audimus. Igitur gerocomio pariter et nosocomio summus sacerdos constitutis, accersit abbatem virum præclarum, sicut certus sum, et ad beneplacitum

Dei, oppido prædicabilem; cui litteris datis ad sanctos tres pueros, hunc dirigit Babylonem. Litteræ vero deprecatoriæ ad eosdem sanctos erant, mitti sibi reliquias per ipsum efflagitans, quæ in templo poni debuissent, quod eis ipsis desiderio multo erexerat. At vero hic venerabilis et ornatus vir, nihil religiosæ negligens præceptionis, Babylonem pervenit, et sanctis egregias litteras dedit, hæc illis affatus : Sancti, Dei almus et summus sacerdos ac servus vester, hanc vobis transmisit deprecatoriam epistolam, qua suscepta, date responsum. Hæc autem cum hic ita dixisset, medius ex illis resedit, et extensa manu ad semet epistolam traxit, et iterum recumbens, sine responso virum dimisit. Cum autem tota hebdomada supplicans abbas responsum minime percepisset, ad eum qui se miserat inefficax rediit, et quod sibi contigerat enarravit.

4. At ille amantissimus summusque Dei sacerdos, fide sine offensa, et conscientia bona, iterum eis destinat hunc ipsum Deo placentem virum, hæc dicens : Vade, inquit, adhuc, et pete pro me sanctos. Saltem impræsentiarum exaudient deprecationem meam. Nam epistolam receptam fer, quam pro reliquiis suscipiam, tanquam jam ab eis acceptam et sanctificatam. Cedens autem Patri, Christo per omnia et actu et theoria obediens, Babylonem iterum abiit, et supplicans rursus sanctis dicebat : O ter beati martyres, summus sacerdos Dei me ad vos iterum misit; ne ergo eum inhonoretis, quia tale vobis templum dedicavit, magnum scilicet, et præclarum, amore divinæ quo circa vos flagrat. Cum autem adhuc absque responso eum sancti dimitterent, mandatum ad finem perducere summi sacerdotis, ex quodam divino adorsus est motu, et pectori manum superimponens, ibi enim habebat epistolam, hanc manu retinens sanctus, hanc acceptam traxit ad se pie beatus : sequebatur autem sanctissima manus quæ tenebat; quam cultu vehementi amplexatus, cum hoc quoque intemerato et adorando thesauro, Alexandri pervenit ad urbem, opere sacratissimi ad se lati præcepti spem in Deum habitam ostendens inconfusibilem.

5. Qua suscepta magnus summusque Dei sacerdos, gaudens pariter et exsultans, filium fratris sui ad præparationem nuptiarum incitavit. Cum autem populo templi encænia prædicasset, divinoque gaudio refertus fuisset, sequenti die una cum toto clero, recondita pretiosa illa et venerabili manu sancti, una cum deprecatoria epistola quæ tenebatur ab ipsa, quemadmodum dicebat recondi, et sanctificata ecclesia, fratris sui filium consecravit diaconum, dicens ad eum : Ecce mulier tua, ecclesiam dicens : et ait : Curam illius habe, ut decens est. Quod nimirum factum, multum juveni præstitit in Deum profectum secundum spem : denique et castitatis eum amatorem fecit, et divinarum virtutum operationem ostendit; atque voluntatem timentis se summi sacerdotis, Deus exaudiens fecit.

6. Sanctus ergo cum esset medicus, quem paulo ante prædiximus, sæculari quidem habitu, sed non animo, medicinas peragebat; non enim corporibus tantum laborantium medebatur, sed et animabus, dignas has ex indignis educens; et fideles ex alienis a fide instituens, non ex his quæ Galeni et Hippocratis, et his similibus conscriptorum, infirmos in visitationibus consolans, sed et prophetiis et apostolicis ac evangelicis admonitionibus, ad eam quæ vere incolumitas vita est pertrahens, et Christi ovili connumerans, atque regni cœlorum hæredes ostendens.

7. Hunc cum odiens bona diabolus multos offerre Christo vidisset, principi urbis per nequam homines nuntiavit dicens : Galilæus quidam medicus disciplina universam civitatis plebem seduxit, et a deorum adoratione removit, et Jesum, quem Judæi crucifixerunt, ut Deum colere fecit, servitutemque nostram diis exhibendam universam exterminat. His verbis infelix supra modum effervescens scelesto furore, comprehendi celeriter sanctum præcepit. Cum autem beatus hoc didicisset, fugit; et ad Arabiam, quæ est Ægypti maritima, venit; et in castello quod vocatur Cetzo habitavit, et cum habitatione etiam habitum commutavit; caput enim radens, induit monachicum habitum. Et terrena æmulantem ac temporalia vitam transiens, et ad sublimiora transcendens, supremus hinc tam actione quam contemplatione prorsus effectus est, non jam languores variis medicaminibus sanans, nec herbarum usus auxiliis, sed sola oratione piaque doctrina, a mœroribus animas liberabat et corpora.

8. Tunc ergo Diocletiano humanorum sceptra imple moderante, et ubique persecutionem Dei Ecclesiis excitante, hæc beatissimus Joannes cognoscens, qui Edessenus quidem genere secundum carnem, sed cœli civis ut fidelis agnoscebatur, cum militari polleret dignitate, Hierosolymam proficiscitur, et Deo beneplacente reddito voto, venit Ægyptum, fama ad sanctum Cyrum trahente, et cum beato Cyro veluti unius fidei habitavit, et ad virtutem videns sanitates proficere, ad has per amplius incitabatur. Cum autem persecutio vehementius grassaretur, Cassiano gentili apud Canopum fungente sacerdotio vanitatis, virgines tres locum habitantes, Christoque desponsatas, hi qui ad capturam hanc fuerant segregati, comprehendunt, et has una cum matre Syriano urbis principi obtulerunt. De quibus audiens sanctus Cyrus, timore ut amicus Christi depressus est, ne tormenta ut pusillæ formidantes, Christum abjurarent, fidemque negarent : pusillæ quippe admodum erant istæ; etenim Theoctiste, harum senior, quindecim erat annorum; secunda vero ab ea Theodote, tertii decimi erat anni; ast Eudoxia, harum novissima, annum agebat undecimum. Porro mater harum Athanasia merito dicebatur : vere namque immortalitatis cum desiderabilibus suis filiabus hæres effecta est. De quibus dicendo ad ista pervenimus [a], metuens sanctus

[a] Imo vero, *de quibus, ut supra diximus.*

Cyrus cum Joanne, urbem ingressus est, et prædictas ad agones delineens, super naturam erexit; et tormenta intrepide subire, propter multam Christi sponsoris dilectionem, admodum persuasit, castitatis eis coronas gaudii ascribens, et lætitiæ terminum non habentes.

9. Sed infelix inimicus, iterum per truces ministros suos, manifestos fecit sanctos hos principi, obtenebrantes mentem ipsius, et suggerentes quod duo quidam, monachus scilicet et miles, virgines sibi oblatas seducentes, diis offerre debitam non permitterent servitutem, et tyrannidem agere contra Cæsarem suaderent, minime parentes præceptis ejus, et Jesum dicentes regem æternum. Syrianus autem hic divinitus fulminandus præses, dentibus frendens ad ea quæ dicta sunt, adduci etiam ipsos præcepit ante tribunal, et dixit ad eos : O miseri, et beatorum inimici deorum, morteque dignissimi, quare virgines parere Cæsaris non dimittitis sanctionibus? An potius decrevistis eas resultare? velut etiam vos ipsos qui manifesti tyranni Romanorum imperatoris existitis, pro abominabili profecto Christianorum religione pugnantes. Igitur pœnitentiam agentes, maximos dominos nostros vobis exhibete propitios, et honores ab imperatore non qualescunque percipietis. Illi ad eum respondentes : Nos inquiunt, o Syriane, honores inhonorabiles non admittimus, temporalia enim sunt quæ videntur, neque dæmonum simulacris cultum qui Deum solum decet offerimus; sed nec abnegabimus eum, qui omnia fecit, quem regem æternum habentes, donationes ab ipso repromissas tenemus meliores, et ad finem non aspicientes, coronis ac deliciis immortalibus plenas.

10. Ad quos ingemiscens Syrianus, et dentibus frendens, dixit, hos ignitis obtutibus intuens : Oportebat quidem vos misericordiæ acquiescentes legis lucrari salutem; quia vero typho detinemini, plagis vos cædere imperatoris præceptionibus persuadebo. Et his dictis, virgines ad spectaculum eorum quæ gerebantur assistere fecit, et omnem tormentorum sanctis speciem intulit. Cum autem flagris hos cæcidisset, et clavis igneque inflammasset, atque ex salsugine membra quæ inflammata fuerant infudisset, cilicinis pannis confricare præcepit; pice vero bulliente pedes implevit, omnique specie, ut dictum est, tormentorum abusus, robustiores martyres aspiciebat, et quasi in alienis pati corporibus, validius contradicentes, ac multos attrahere ad imitationem et ad fidem adducere, dum constantia perseveranti resisterent. Ex tot enim tolerantia plagarum, ac martyrum sine mœstitia hilaritate, multi futuræ vitæ præmia incorruptionis imaginabantur. Itaque cum removeri jussisset martyres, virgines verberibus effecit, una cum Deo amabili matre. Ut autem contra stimulos calcitrans, et ab his quoque superabatur; fuerant enim per martyres confortatæ; postremo infelix sententiam promulgavit, et capita Christi sponsarum una cum genitrice abscidi mandavit.

[a] Ita codex; referturque ad Theophilum.

11. Cyrum autem et Joannem martyres suppliciis iterum subjiciebat, et iterum solvebatur, more fluctuum ad lapides illisorum. Cum autem sanctos non blanditiis, non precibus, non minis, non honorum protensionibus maximorum, ut æstimabat, non flagellis, non pice ferventi, non aqua bulliente, non igne, non tortis membrorum organis inflectere valuisset, fatigatus, et his quoque sententiam intulit dicens : Cyrum Galilæorum patronum, et consentaneum ejus Joannem, sanctionibus imperatorum non acquiescentes, et maximos deos colere nullatenus proponentes, capitali animadversioni submittimus. Et hoc decreto, incorruptionis induerunt coronam pridie Kalendas Februarias; quando fidem servantes, cursum sancti bonum consummaverunt, virgines videlicet Christi sponsæ tres Theoctiste, Theodote, Eudoxia, et quas has germinavit ac pie nutrivit Athanasia; Deo etiam amabilis Cyrus abbas atque Joannes miles, qui unius cum eo fidei et æqui erat honoris. Et sanctas quidem tres virgines ad orientalem partem templi sancti Marci posuerunt, templum eis dedicantes decorum; Cyrum autem dulciloquum, et Joannem Cyri commartyrem in templo apostoli et evangelistæ Marci condiderunt in una theca.

12. Procedente vero tempore non pauco, cum depositio paganæ fuisset effecta tyrannidis, et Christiani sceptra Romanorum principatus tenerent, Theodosius Major imperium obtinuit, qui fidem operibus adornavit, et opera fide condecoravit, sicut etiam libri ecclesiasticorum testantur historiographorum, et ipsæ quoque res omnibus clamitant. Hujus et nos quoque unius virtutis memoriam ad ostensionem eorum quæ dicta sunt faciemus. Bellum quippe adversus eum ex occidentalibus motum fuisse partibus aiunt ex quadam concordia insurgentium nationum gentibus mistarum, et præcedentibus commistarum, torrentium more invicem influentium, et mare multitudine aquarum efficientium, vel instar locustarum, atque arenæ numerum non habentium. Verum pius inter hæc Theodosius hic non ad aliarum gentium patrocinium venit, aut legationem misit, aut pacta spopondit, qualia fieri ab invalidis in commotionibus bellorum amantur; sed sicut ei moris erat, ad Deum cucurrit, et fidem auxiliatricem arripuit.

13. Cum enim didicisset in Scete, quæ est eremus penes Ægyptum ita vocitata, virum genere quidem Ægyptium, virtute autem omni Deo placita comptum degere, qui divinam gratiam mernisset, et maximorum operator miraculorum existeret, ad Theophilum continuo scribit; hic enim Christi ovilia moderari per idem tempus agnoscebatur; ut prædictus mirabilis vir ad se mitteretur, rogantem auxiliari sibi, supplicationibus ad Deum effusis, in prælio recte credenti [a]. Ad quem currens episcopus, et causam edicturus, ascendit ad eum, et admonens implorabat. At vero Senuphius, hoc enim erat beato viro nomen, indulgere sibi summum sacerdotem op-

pido supplicabat, se peccatorem pronuntians, et inutilem Domini servum appellans. Quia ergo utdimitteretur ab eo impetrare non valuit, ad orientem stetit, et pallium quod portans super humeros habebat, cum baculo, manibus ad cœlum extensis, hæc ad Deum exclamans dixit : Domine Jesu Christe Deus noster, fortitudinem quam mihi peccatori servo tuo dedisti, præsta et huic baculo meo et pallio isti. Et vdatis his summo sacerdoti, hæc ad eum dixit : His imperatori transmissis, scribe ut pallium quidem capiti circumponens, dextera vero manu baculum retinens, ante omnem exeat exercitum, præeminens adversus hostium aciem. Nam si me Christus Deus noster in servum suum deputavit, et deprecationem quoque meam exaudiet, atque victoriam per eam fidem, qua circa Deum flagrat, percipiet.

14. Cum autem fuissent transmissa quæ dicta sunt, ornatur a Deo coronatus Theodosius pallio in galeam spei salutis. Porro dextera manu baculo accepto, ad bellum progressus est, et primus fidelem præcedebat exercitum ; quem cum barbari vidissent, ad fugam statim conversi sunt, et semetipsos cædé mutua trucidarunt, sagitta seu ictu ab exercitu nullo prorsus accepto. Et usque in finem hac salutari galea pius ac Dei amicus imperator pro omni adornatus est diademate ; cujus rei etiam publicam festivitatem Alexandriæ per singulos annos concelebrant, hanc iconium nominantes : iconam quippe habent ipsius pii scilicet imperatoris, caput quidem pallio coopertum habentis, dextera vero manu baculum retinentis, et jugiter miraculum omnibus prædicantis, per annuam solemnitatem suam.

15. Divina vero gratia, et cooperatione fidelis ac pii principis Theodosii, Ecclesiæ præsul, et ovilium quæ Alexandriæ sunt pastor cautissimus, ac divino zelo plenus Theophilus, omnes, ut ita dicamus, gentilium culturas deposuit, et oratoriis totam urbem domibus adornavit, et in loco qui dicitur Canopus, templum apostolis amplissimum et ingens erexit. Extra urbem autem est hoc, signis ab ea duodecim distans, insigne ut perhibetur, et pueris gentilium venerabile. Illic enim ab eis deorum cœtus, ut ferunt, esse putabatur ; ita ut omnis simul via quæ illuc ab urbe ducebat, strata tabulis esset lapideis, prædiisque ac balneis consisteret : viginti autem et quatuor in ea esse hinc inde balnea conscribuntur, quæ adhuc autem nondum erant suffossa, ut multi dicunt qui noverunt, sed et usque ad ipsum locum qui dicitur Canopus, urbis fanum, forumque omne præpositum putaretur, a quo duobus signis distans castellum, idolum habebat Menuthin vocitatum, in quo manifeste cooperabantur nequissimi spiritus. In quo videlicet castello, rursus templum ædificavit evangelistis sacer Theophilus.

16. Post dormitionem vero Theophili, cum Cyrillus suscepisset ecclesiæ gubernacula, Cyrillus inquam ille magnus, pietatis amator, et fidei violatorum depositor, cura erat ei non qualiscunque destruendi

A phantasmata Menuthæos, Christianosque quosdam ex simplicioribus illuc causa recipiendæ sanitatis suapte concurrentes removit. Super quo multum Deo misericordissimo postulato, angelum videt a Deo cunctorum, susceptam ejus deprecationem evangelizantem, et præcipientem sibi, ut Cyri corpus in martyribus magni, de templo sancti Marci sumeret, et in Ecclesia evangelistarum quæ est in Menuthin decollaret [collocaret]. Sic enim et castellum nominabant, reverentia et amore dæmonis. Sane per unum nomen ambos martyres significaverat angelus, sicut etiam ex beati Cyrilli sermonibus ostendetur. Nihil negligens amabilis summus Dei sacerdos, egit quod sibi fuerat imperatum, quarto Kalendas Julias martyricarum translationem reliquiarum faciens, et sermo-
B nes populo breves hujus rei causa pronuntians, quos interponemus ad legentium credulitatem simul et utilitatem, gratia Domini nostri Jesu Christi, cum quo est Patri una cum Spiritu gloria, honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Salve, sacer, amate Deo, sine margine [a] salve.

Et memor esto tui fratris Anastasii.

BEATI CYRILLI

ACCLAMATIO AD TABENISIOTAS MONACHOS,

QUI SUNT IN CANOPO, QUAE DICITUR PŒNITENTIA,

DE SANCTIS MARTYRIBUS CYRO ET IOHANNE.

EPIPHI SECUNDA, QUOD EST OCTAVO KALENDAS AUGUSTAS.

Fortitudo et patientia bona, atque visionabilis dua-
C litas virtutum, sanctos condecet maxime ; quibus beatus quidem David acclamat : *Viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* Salvatoris autem discipulus : Patientia vobis est necessaria, ut voluntatem Dei facientes, percipiatis promissum. Oportet quippe nos in exordio bonorum fieri sed finem exquirere, ut regnum cœlorum hæreditemus, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et potestas. Amen.

EIUSDEM

EPIPHI SEPTIMA ID EST PRIDIE KALEND. AUGUST.

RELATIONES DUAE IN SANCTOS MARTYRES

ABBA CYRUM ET IOANNEM, QUI HIC REQUIESCUNT ;

PER QUAS HIC PATER INSINUAT ET HONORABILEM EORUM PASSIONEM,

D ET DEPOSITIONEM SANCTARUM RELIQUIARUM.

DICTA EST AUTEM PRAESENS PRIMA NARRATIO IN METANŒA,

QUOD INTERPRETATUR POENITENTIA,

SIVE IN ECCLESIA SANCTORUM APOSTOLORUM.

Pigri non fuimus circa consuetum sermonem, sed, ut dixit Salvator, *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma ;* credimus enim per sanctas orationes vestras, miserante Deo, minuetur afflictio. Quod autem et cogitavimus, et egimus propter utilitatem, iterum vobis necessarium dicere prosdeximus. Etenim regiones istæ medicis indigebant ex Deo curantibus. Ut ergo omnia loca adjuvaremus, et maxime

[a] ita cod., id est *fine*.

quæ adjacent ecclesiæ sanctorum evangelistarum; ibant enim non habentes oraculum ad altera quodam loca, et dum Christiani essent, errabant; necessario inquisivimus sanctorum martyrum reliquias. Comperimus ergo et accurate didicimus quod tempore quo martyrium pertulerant sanctæ virgines, quarum et fontem habemus apud sanctum evangelistam Marcum, duo quidam, quorum unus monachus abstinens, et alter miles, aderant excitantes easdem virgines, et ad certamen aptantes, quatenus cum virili sensu pro Salvatore nostro sustinuissent periculum. Requiescunt autem etiam ipsi cum eis in oratorio. Ingressi sunt fortiter, et Christi martyrium pertulerunt, posueruntque pro eo animas suas. Fuerunt autem simul corpora sanctorum martyrum in uno loco jacentia: et quia indiscretæ erant eorum reliquiæ, nec enim manifeste dignoscebatur quis hic, quisve ille; necessario utrosque assumentes, transtulimus et reposuimus in ecclesia evangelistarum, facientes ut martyribus solet memoriam. Conveniamus igitur, Deo volente, crastino pariter, tam sanctos evangelistas honorantes, quam beatos martyres, qui vocantur Cyrus et Joannes.

EIUSDEM.

EPIPHI OCTAVA, ID EST KALENDAS AUGUSTAS APUD ECCLESIAM EVANGELISTARUM, UBI IN MONUMENTO RECONDIDIT RELIQUIAS SANCTORUM CYRI ET IOHANNIS, A DUOBUS MILIBUS DE PARTE ORIENTIS CANOPI IUXTA MENUTHEOS.

Proficiscebantur autem cum eo turbæ multæ; et conversus dixit ad eos: Quicunque venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et filios, et uxorem, et fratres, et sorores, insuper et animam suam, non potest meus esse discipulus; quicunque non portaverit crucem suam et venerit post me, non potest meus esse discipulus. Ferventes nos esse ad reverentiam Salvatoris expetunt verba; et qui diligere eum voluerint, nihil pretiosius æstimare persuadent, non affectum corporis, non amorem patrum, non reverentiam matrum et sororum; scit enim quia hæc contemnentes, magnam et præclaram mercedem invenient. Et ut quid aliud ad hæc dicam, innotescent quantam in nos dilectionem habeat, dum nec ipse quæ circa se sunt, meliora nostris rebus efficit [a], non præposuit quæ circa se sunt vitæ omnium et saluti. Cum sit Deus, pro nobis factus est homo, et pertulit, crucem confusione contempta. Sed qui compatiuntur, et conregnabunt; qui simul dehonorati sunt, per omnia et conglorialuntur.

Sic profecisse credimus etiam sanctos martyres Cyrum et Joannem: devoti quippe subierunt, pro pietate certamen. Et pessima bestia in eos insiluit, hoc est mors; sed memores fuerunt Domini sui dicentis: Qui non tulerit crucem suam, et sequitur me, non potest meus esse discipulus. Expleverunt mandatum, tulerunt etiam ipsi crucem, secuti Dominum suum. Ducebantur autem tunc non soli ad certamina, sed et chorus sanctarum virginum, quæ mulieres quidem erant, sed mentis fuerant incorruptæ. Consummata est igitur cum eis et hæc optima duorum athletarum parilitas, et mercedem charitatis quæ in Christo est obtinent, conculcandi Satanam, et expellendi maligna dæmonia. Adsint igitur qui olim errabant, veniant ad veram et incauponabilem medicinam. Nullus apud nos fingit insomnia; nec advenientibus dicit: Dixit domina, Fac hoc aut illud; omnino domina et Deus esse potest, et adorari vult. Apud dæmones non est masculus neque femina. Et vide quale habent propositum, ut et mulierum nominibus vocari velint. Proculcantes igitur has aniles fabulas, et divinantium effetata colludia, veniant ad veros desuper medicos, quibus omnipotens Deus ut curare possint tribuit potestatem dicens: *Infirmos curate, gratis accepistis, gratis date.* Omni itaque medela, quæ a Salvatore condonata est perpotiti, collaudemus Dominum nostrum, ut et regnum cœleste mereamur in Christo Jesu Domino nostro, per quem et cum quo Deo Patri cum sancto Spiritu gloria, honor et potestas, nunc et semper in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Imo dic: *haud sua pluris quam nostra æstimavit.*

VITA JOANNIS ELEEMOSYNARII

AUCTORE LEONTIO NEAPOLEOS CYPRORUM EPISCOPO,

INTERPRETE, ANASTASIO BIBLIOTHECARIO.

(Vide Patrologiæ tom. LXXIII, col. 337 et seq.)

INCIPIT
[a] PASSIO SANCTI DEMETRII MARTYRIS,
Auctore Anastasio Bibliothecario.

(Apud Mabill., Vet Analect., pag. 172.)

Domino pilssimo imperatori CAROLO semper Augusto ANASTASIUS exiguus coronam et regnum cum Christo.

Beati Demetrii Thessalonicensis martyris passionem atque miracula hortantibus fratribus, et maxime viro perilissimo Joanne diaconò, vestræ fidei puritate ac scientiæ claritate notissimo, nuper de Græco in Latinum transtuli sermonem. Qui præfatus Joannes hujus martyris, in domo quidem sua, miræ antiquitatis et pulchritudinis oratorium habebat: tamen qualis iste martyr Christi esset ignorabat. Ego vero, sicut expertus sum apud Thessalonicam, ubi pretiosum corpus ejus conditum redolet, et splendore miraculorum refulget, innotui ei per ordinem. Sed quia imperium vestrum tanti agonistæ fraudari notitia novi, vobis quoque idipsum opportune mittere procuravi; qualenus vestra magnitudo cum intercessionibus sanctorum et amicorum Dei, istius quoque prece apud Deum obtinere gratiam valeat, et perfrui mereatur gloria sempiterna. Rex regum et Dominus dominantium regnum vestrum dextera sua protegat, et de temporali ad æternum transferat regnum.

Cum imperator Maximianus in Thessalonicensium degeret civitate, homo superstitiosus piæ religionis auditores persequebatur, et interficiebantur ab eo. Inter quos erat beatus Demetrius, manifestum faciens semetipsum absque ullo timore, qui a juventute et bona egerat opera et alios docuerat. Docebat enim qualiter divina Sapientia descenderat ad terram de cœlo, ut hominem qui mortuus fuerat peccato, vivificaret sanguine proprio. Cum hæc et alia multa prædicaret, quidam ministri imperatoris, qui ad capiendos Christianos fuerant deputati, tenentes sanctum Demetrium imperatori obtulerunt Maximiano. Contigerat enim ire imperatorem ad stadium civitatis, propter eos qui ad singulare certamen fuerant congressuri. Illic enim parabatur per quasdam tabulas circulus circumseptus, ubi suspecturus erat eos qui ex adverso invicem theatrice se impugnarent, quia delectatio erat ei aspicere humani sanguinis fusionem. Verumtamen non sine cura et sollicitudine habebat quod esse sibi delectabile cernebatur. Flagrabat autem desiderio circa quemdam, Lyæum nomine, monomachum, qui jam multos, virtute ac mole corporis abusus, exstinxerat, occidendi experimentum per meditationem et consuetudinem possidens. Hunc eo quod omnes formidarent, et nullus ei qui resisteret videretur, inter primos Maximianus habebat, et diligebat, et libenter in eum respiciebat. Laudabat autem et mirabatur, et quasi super magna re in superbia viri gloriabatur. Porro cum prope stadium pervenisset, tunc adducunt ei qui cœperant beatum Demetrium. Audiens autem imperator quod Christianus esset, quia se totum ad præsentiam spectaculi contulerat, beatum Demetrium jussit ibidem juxta stadium existere, et penes publicum balneum custodiri. Ipse vero imperator residens, Lyæo introducto, interrogabat quis singulare cum eo vellet inire certamen, dona promittens et proponens. Et quidam adolescens nomine Nestor, a superioribus exsiliens gradibus, adversus Lyæum stabat, singularem conflictum arripere cupiens, ita ut obstupescens Maximianus vocaret ad se Nestorem, qui ad hoc exsilierat, illique daret consilium dicens: Novi quod te pecuniarum egestas ad tantum phantasiæ fecerit elevari, ut aut superans divitias repentinas acquiras, aut voto fraudatus, cum vita molestante careas egestate. Ego autem tibi ob miserationem qua adornaris ætatis, dabo etiam pro solo ausu condigna et sufficientia dona, et vade, habeas cum vita etiam dona. Lyæo vero temetipsum ne objicias, quoniam multos te potentiores devicit. His Nestor auditis, nec recipit monita imperatoris, neque formidavit de virtute Lyæi. Imperatori autem respondit: Nec pecuniis, ut asseruistis, ad hunc agonem veni, sed ut meliorem Lyæo memetipsum reddam. Mox ergo

[a] Hujus Vitæ meminit Vincentius in Speculi historialis lib. XII, cap. 150. Ab Anastasio scripta est anno 876, utpote Carolo Calvo tum imperatori nuncupata. Scripta vero est hortatu Joannis S. R. E. diaconi, in cujus gratiam idem Anastasius Collectanea Græca Latine reddidit, a Sirmondo edita, ut scilicet Joanni ecclesiasticam historiam meditanti adjumento esse possent. Is est Anastasius quem *fidissimum fratrem et religiosum abbatem* vocat Hincmarus in epistola quadam ipsi directa. Qui quidem Anastasius nepos erat Arsenii Ortensis episcopi, Nicolai papæ legati et consiliarii, uti Anastasius ipse auctor est in epistola encyclica de morte Nicolai papæ primi; quæ epistola in editis Adoni Viennensi archiepiscopo inscripta est. Porro apud Surium ad diem 8 Octobris habetur libellus de Passione sancti Demetrii martyris a Metraphaste editus: verum Anastasii lucubratio et auctoritate præstat, et rerum singularium commemoratione.

tam imperator, quam hi qui circa erant, Lyæo faventes, in iram dictis Nestoris consurgunt, jactantiam ejus non ferentes; imperator vero confortabat Lyæum et fidum eum reddebat. At ille dignum se imperatorio judicio festinabat ostendere. Cumque facta fuisset congressio, mortalem Lyæus suscepit ictum, et protinus mortuus est, et extremam fecit imperatori confusionem. Unde nec ullis pactis et repromissis pecuniis Nestori recompensans, sed mox in suo solio resilivit, et tristis ad palatium reversus est. Cum autem ei quidam de Demetrio suggessissent, statim in ira permotus in ipso loco in quo fuit retentus, jussit eum lanceis perforari. Ita beatus Demetrius bonæ confessionis martyrium consummavit. Corpus vero ejus ab interfectoribus parvipensum est; sed quidam religiosi viri noctu latenter venerunt, et sumentes illud ex ipsis in quibus projectum fuerat pulveribus, et comportata terra, quantum potuerunt, abscondere curaverunt, ne læsionem ab aliquo de trucibus et cruentis animalibus sustineret. Nulli autem post hæc curæ fuit transferre corpusculum sancti, sed manebat sub signo. Porro ut modicum celebraretur, non pauca in eodem loco facta sunt virtutum ac sanitatum insignia his qui fide eum invocabant. Cum jam fuisset meritum martyris divulgatum, Leontius quidem Deo amabilis, vir adornans thronum Illyricorum præfecturæ, domum quæ sanctissimum continebat martyris corpus, cum humillima esset et undique obruta et coangustata porticibus publici balnei ac stadii, universa nocentia mundavit et expurgavit, prædiisque amplioribus dilatavit eam, et erexit ibi oratorium in honore sancti martyris Demetrii ad laudem Domini nostri Jesu Christi, cum quo est Patri et Spiritui sancto gloria, honor et imperium in sæcula sæculorum.

Marianus quidam, unus de senatoribus, ab imperatoribus jussus est dominari gentibus quæ in Illyrico erant more præfectorum. Qui veniens Thessalonicam pie præfecturæ gubernabat habenas, Deoque et hominibus erat acceptus. Tunc diabolus, invidens ejus opibus, uti Job expetiit eum ut tentaret. Et in primis cœpit eum tentare septem vitiis. At ille, gratia Dei suffultus, cuncta ejus machinamenta superavit. Cumque nec sic proficeret diabolus, cunctas illi hujus mundi divitias abstulit; et nec sic vincere potuit, supernum enim cum illo erat auxilium.

Ad ultimum ergo diabolus, permittente Deo, tam gravi eum percussit infirmitate, ut de nullo membrorum habebat potestatem, nisi solius linguæ, de qua Deum assidue laudabat. Cumque diu hanc infirmitatem cum patientia sustinuisset, venit diabolus in civitatem in specie hominis, ferens membranam quamdam in manibus, et dixit uni servorum ejus : Si hanc super se tulerit dominus tuus, ab infirmitate liberabitur sua. At ille ingressus ante dominum suum dixit ei : Quæ est tua patientia? audi ergo me, et sanaberis. Est homo ignotus in civitate quamdam habens membranam, qui dicit quod si eam super te ferre volueris, ab infirmitate liberaberis. At ille inquit : Quid scriptum habet? Nescio, ait, sed nomina deorum angelorumque dicit. Marianus dixit : Deus, absque cujus nutu nihil fit, potest me sanum reddere sine charta; habeat quod suum est, de me fiat voluntas Dei. His dictis, confestim somno corripitur præ dolore et tristitia. Qui cum obdormisset, apparuit ei beatus Demetrius dicens : Surge, et servis tuis impera, quod te deferant in domum Demetrii; nam ibi juvante Deo recipies sanitatem. Cumque evigilans, a circumstantibus domum Demetrii martyris requireret, ait quidam : Est domus vilissima prope stadium, in qua dicunt jacere Demetrium, qui dudum lanceis interfectus est jussu Maximiani imperatoris. Tum ille : Illuc me ferte, quia in visu dictum est mihi illic sanitatem me posse recipere. Tunc famuli tulerunt dominum suum ubi jussi fuerant; et jussit se ponere solummodo in pavimento. Cumque jaceret, somno subito arripitur; et ecce beatus Demetrius iterum apparuit ei dicens : Per me sanari potes, sed timeo ne forte post sanitatem curis hujus mundi te implices. At Marianus : Tu scis, domine, quia nunquam hoc egi nec agere cupio. Et ille : Christus te sanat qui erigit elisos. Et evigilans Marianus cœpit narrare visionem. Cumque ad hoc ventum fuisset ubi martyr dixit : Christus te sanat qui erigit elisos, sanus surrexit gratias agens Deo cum omnibus qui illic aderant, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Fuit item quidam præfectus Thessalonicæ civitatis qui fluxum sanguinis patiebatur et velut mulier, quæ tactu fimbriæ vestimenti Domini sanata est, pene omnem censum in medicos expenderat, et a nemine sanari poterat. Tandem ergo inspiratus divina clementia, quadam die ait servis suis : Portantes portate me ad domum protectoris nostræ civitatis. At illi cum timore respondentes dicunt ei : In cujus protectoris domum jubes ducere te? Dicit eis : Primi. Qui aiunt : Cujus primi? Dic nobis, domine, nomen. Ille vero intuitus eos dixit : Proh dolor! ego semivivus jacens illum cognosco, et vos cum sani sitis, ignoratis eum? Nescitis quod multos protectores habet hæc civitas, sed unus supereminet cunctis, qui pro ea semper alacriter pugnat; quem ut murum inexpugnabilem non solum civitas, sed et habere tota promeruit regio? Deferte igitur me in domum ejus. Aut enim visitans miserebitur mei; aut certe, cum illic defunctus fuero, suscipiet animam meam, et in futura me horrendi tribunalis Christi præsentia intercedens, eripiet ab æterno supplicio. Quibus illi auditis, intellexerunt quod de sancto diceret Demetrio, qui frequenter sanitates infirmis reddebat; et celeriter elevatum tulerunt eum illuc. Quæ autem lingua, fratres charissimi, hunc martyrem dignis laudibus potest venerari, qui tantam operatus est virtutem, ut illum quem multiplices et varii non poterant sanare medici, sub unius horæ momento redderet sanum? Nam ut fores ejus ecclesiæ intravit, non solum cor-

poris, sed et animæ promeruit sanitatem per virtutem Domini nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Amicum veritatis, scilicet summum sacerdotem, audivimus narrare de Demetrio martyre, quæ Deo adjuvante in subsequentibus edisserere satagemus. Contigit, inquit, incendi noctu ciborium, quod in sancto ejus fuerat templo totum ex argento splendidum, ita ut totum solveretur. Sanctissimus ergo episcopus satagebat fabricare prædictum ciborium, et non inveniebat integrum pondus argenti, quod conflatum fuerat ad consummationem tanti operis. Meditabatur namque apud se ut argenteum thronum, qui in eodem erat venerabili templo, dissolveret, et inde opus perficeret. Cumque hoc statuisset apud se, alio nemine sciente consilium, apparet in somnis Christi martyr Demetrius presbytero cuidam, viro optimæ vitæ, Demetrio nomine, dicens : Vade, dic episcopo civitatis : Ne præsumas thronum domus meæ destruere. Cum hoc presbyter episcopo retulisset, primo quidem præsul miratus est pro eo quod sua cogitatio erat manifestata ; deinde putavit eum aliqua suspicione hæc finxisse, qui erat dispensator templi venerabilis martyris. Et dixit ei episcopus : Nunquam ex me hoc audisti, frater. Post multos vero dies iterum scrutatis causis, nulloque reperto consilio ex quo perficeretur opus ciborii, consilio primo se confirmavit, quod de throno faceret ciborium. Cum vero jussisset argentarium vocari, ut præciperet ei tollere thronum, renuntiavit ei quidam dicens : Demetrius presbyter ad sanctitatem tuam ingredi postulat. Qui cum intrasset dicit ei : Demetrius martyr, qui prius apparuit mihi peccatori, iterum in visu apparuit mihi tristi quodammodo vultu, et præcepit nuntiare beatitudini tuæ hæc verba : Propter charitatem ne contristes me in destructione throni. At ille audiens indignatus est adversus presbyterum, putabat enim illum fingere talia. Quem et austerius a se dimisit, et manifestam suam fecit intentionem, dicens : Abunde dari judicas quod argenti minus est ponderis. Ne temere judices, philosophatus in aliorum tribulationes. Tunc ille presbyter confusus exivit. Nondum quippe dixerat ei sanctus quid fieri oporteret, sed tantum : Meum ne dissipes thronum. In ipsa autem nocte apparuit sanctus Demetrius presbytero Demetrio, et dixit ei : Vade, dic archiepiscopo : Noli curare de meo ciborio, ego enim illud perficiam per memetipsum. Implevit namque presbyter jussa martyris, et suo hæc dixit præsuli. Hoc cum audisset præsul, laudes reddidit Deo et sancto martyri Demetrio. Dum adhuc de his loquerentur ad invicem, ecce ostiarius advenit Dicens : Sancte præsul, prædives Mennas stat ante januam tuam cupiens tecum loqui. Dicit ei : Veniat. Veniens prædictus Mennas obtulit et LXXV libras argenti in adjutorio ciborii. Et deinde venit Joannes, scilicet dulcedo pauperum, offerens ei quadraginta librarum pondus argenti ; et cives advenientes, prout poterant, offerebant, ut ciborium restrueretur. Taliter restructum est opus sæpe nominatum meritis sancti martyris, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Sed nec illud omittendum credimus quod a sanctissimo archiepiscopo audivimus. Referebat enim de quodam mansionario templi martyris Demetrii, nomine Honesiphoro. Cum pergerem quodam die ad ecclesiam prædicti martyris, inveni præfatum Honesiphorum mansionarium jacentem ante sancti martyris ostium semivivum. Cumque turbatus lamentarer pro amici infirmitate, in se reversus Honesiphorus me flere videns, ait : Quare tristaris propter me, domine Eusebi ? si me diligis, noli turbari, sed præcipe monumentum meum præparari, et me in eo vivum obrue. Qua re turbatus mœstus dixi ei : Cujus rei causa, frater? Ille respondit : Quia irritavi mea culpa ad iracundiam sanctum martyrem. Apparuit mihi peccatori sanctus namque martyr in somnis, et dulci voce locutus est ad me : Frater Honesiphore, non placet mihi quod operaris. Placet mihi magis animæ salus quam millia pondera auri. An nescis quia cereus qui offertur pro peccatis, quanto apparet ardens, tanto sanctos manet pro peccatoribus ad intercedendum. Sine igitur cereos majores et minores ardere, quia oportet omnino cereis resplendere domum meam. Ego autem infelix, expergefactus æstimavi me phantasiam videre, et dixi apud me : Sanctus non apparet peccatoribus. Bis vero et ter eadem monita in somnis suscepi, et hæc custodire volui, et usque in finem conservare desidero. In hac vero nocte venit quidam devotus vir ad ecclesiam magnos cereos offerens. Post orationem suam recessit de ecclesia. Cogitavi ego ut exstinguerem illos, oblitus decretum sancti martyris. Cumque impetum fecissem ut cereos exstinguerem, sanctus Demetrius de argenteo cubili suo voce magna et terribili clamans ad me dixit : O cupide ! et iterum, o cupide ! Ego vero miserrimus, nimis perterritus, ad terram elisus, extra valvas monasterii ejectus, ubi invenisti me jaceo pene mortuus. Hæc quidem sæpe enarravit Pater noster archiepiscopus. Nos autem obaudire oportet ea quæ à sanctis ejus divina auctoritate præcipiuntur. Eorum namque benignitas nos semper custodiat, et in præceptis Christi perseverabiles reddat. Amen.

Accidit habitatoribus Thessalonicæ civitatis, pro peccatis videlicet suis, ut gens barbarica eorum deprædaretur terram, domos illorum ardebat, et vineas stirpabat, filios et filias, equos et asinos, oves et boves in captivitatem transferebat; frumentum et vinum et oleum in obsidionem civitatis devastabat. Persecutioni subsecuta est fames valida in tota regione illa. Qua propter primates civitatis miserunt legatos ad imperatorem ut ab obsidione barbarorum et ab imminenti fame liberaret civitatem. Interea gloriosissimus martyr Demetrius ita ut in imaginibus pingitur, apparuit in parte insulæ Chyi cuidam nauclero, nomine Stephano, onus frumenti ducen-

torum modiorum ad urbem regiam ducenti, et dixit ei : Audi me, et Thessalonicam celeriter naviga. Qui cum esset factus velut in excessu mentis propter martyris visionem, vix loqui valens ait : Domine, audivimus eam captam fore à barbaris. Sanctus respondit : Illuc ergo naviga, et navibus tibi occurrentibus nuntia quod miseratione Dei salvata sit Thessalonica. His dictis, cœpit sanctus præire Stephanum ambulans per maria. Stephanus autem navigans Thessalonicam, quibuscunque obviavit, visionem martyris narravit. Prævenit autem cum multis negotiatoribus legatos, quos ad imperatorem cives direxerant, convertens luctum civitatis in gaudium, narrans etiam qualiter illi martyr apparuerat. Nam divino terrore perterriti hostes paulo ante ab obsidione discesserant.

Omnes nostis famem quæ dudum facta est non solum in hac Thessalonica civitate, sed etiam pene ubique, in tantum, ut ipsam quoque civitatum reginam occuparet, non solum frumenti, sed etiam aliarum rerum. Cum ergo tanta afflictione famis premeretur civitas, ille sanctus martyr Demetrius, divino nutu ex multis diversisque regionibus naves plenas variis frugibus, humidis scilicet et siccis, atque omni bonitate ciborum humanorum refertas illis transmisit, ita ut statim spes illorum de necessitatibus dirupta esset, qualiter jam audietis. Vir erat quidam constitutus a suo domino super insulam Chyum, ut frumentum quod naves afferebant, illuc emeret. Cum autem naves minime inveniret, et gravi mœrore teneretur, audivit vocem dicentem sibi : Quid anxiaris? scito quod Demetrius ante omnes arrhas tribuit, ut Thessalonicam mittat. Qui surgens perrexit ad ecclesiam sanctorum Victoris et Isidori, volens discere a rusticis quis iste esset Demetrius. Cum autem hoc quæreret, et nullum indicium posset invenire, suspicabatur aliquem hominem fore missum, Demetrium nomine, a præfecto civitatis Thessalonicæ. Qui statim misit epistolam suo domino, narrans qualiter a Demetrio frumenta emerentur. Hæc eadem dominus retulit imperatori; qui scrutatis causis, invenit nullum fore missum a præfecto Thessalonicæ, nec etiam habere hominem Demetrium nomine. Cognovit autem tam imperator quam populus, quia nullus alius prædicto homini apparuit nisi martyr Demetrius. Et cuncti qui audierunt, glorificaverunt Deum, qui per merita martyris liberavit civitatem Thessalonicam a periculo famis.

Præfectus quidam civitatibus Illyricensibus præerat, cujus nomen non opus est dicere, quia in opprobrium sempiternum permanet. Qui superbia inflatus, quibusdam qui civitati Thessalonicæ præerant, accersitis, exigebat ab eis quamdam dispositionem fieri. At illi genibus ejus provoluti, dicebant se non posse ejus parere jussis. At ille illos fingere dicebat. Tum illi inquiunt : Si nos non creditis, ante sancti Demetrii sepulcrum jurabimus non posse hoc a nobis impleri. At ille in blasphemiam martyris irrupit, dicens delusionem quamdam concivibus suis de glorioso martyre. At illi blasphemiam non ferentes, obturatis auribus exierunt. Post duos autem dies tanto languore corpus præfecti correptum est a planta pedis usque ad verticem, ut nec a medicis posset infirmitas agnosci; in qua infirmitate octo mensibus permansit. In octavo vero miser in hanc venit miseriam, ut dimidia pars corporis ejus solveretur, ita ut haberet quidem visu omnia membra, sed licentiam movendi non haberet. Mira est potentia Dei quæ per servos suos talia operatur!

Eusebius Thessalonicæ civitatis archiepiscopus visionem vidit quam narrare cupio vobis. Antequam super civitatem Thessalonicam barbarici irruerent nimbi, vidit se prædictus pontifex in somnis sedere in theatro civitatis cum magna turba famulorum. Cumque hæsitaret cujus rei gratia in tam obsceno loco sederet, et surgens proficisci vellet, vidit tragœdum stare in logio ubi fabulæ recitantur, dicentem sibi : Exspecta, quia te et filiam tuam habeo lamentari. Qui dixit ei : Ne labores, ego enim neque filiam habeo, neque in me est lamentum. At ille : Vere et filiam habes, et multorum filiorum matrem; et oportet te illam lamentari. Tunc intellexit præsul quod civitatem diceret filiam ejus, et ait : Adjuro te per Deum ut non me nec illam lamenteris. Cumque tertio repetere vellet lamentum, et ab episcopo non sineretur, a somno excitus, intellexit tragœdiam non bonam habere significationem. Paucis vero interpositis diebus, innumerabilis barbarorum multitudo Thessalonicam circumdedit, et cognovit episcopus veram esse quam viderat visionem. Cum Thessalonicensem, ut supra vidimus, pagum gens barbara devastaret, ob illorum persecutionem fame premebantur incolæ per proxima. Ad ultimum vero mortuis habitatoribus pene tam gladio quam fame, inito barbari consilio, subito irruunt super civitatem, putantes illam vacuam præsidiis hominum, quod se res habebat, et fame desolatam. Nam nos pauci eramus : illi vero l custarum excedebant numerum. Tunc ædificatis aggeribus, machinis, arietibus ferreis, balistis, ingentibus testudinibus, cuncta pellibus bovm et camelorum cooperuerunt, ne a civibus igne immisso destruerentur. Insistebant autem civibus tam graviter, ut nemo spem vitæ haberet. Tandiu autem obsederunt civitatem, quousque cuncta cibaria dissiparent, tam hominibus quam jumentis apta. Inito autem consilio ut futura die primo mane unanimiter debellarent civitatem, undique circumdederunt illam cum instrumentis bellicis. Cumque jam capienda foret urbs, visum est illis quasi examen apum multitudinem armatorum egredi de civitate, quam præcedebat quidam juvenis rufus, pulcherrimus aspectu, signum crucis ferens in manibus, quem ferebat equus albus, et cum impetu irruere super illos. Qui terrore concussi relicta civitate, præsidium arripiunt fugæ. Pauci tamen, fugere non valentes, permanserunt illic semivivi; qui a civibus comprehensi, quæsitum est ab

eis cur tanta multitudo absque ulla re fugeret. Tunc barbari : Multitudo virorum, quam occultastis, cum duce fortissimo nostrorum fugavit catervas. At illi intellexerunt ducem esse Demetrium martyrem, cum exercitu angelorum hostes effugantem. Tunc collectis hostium spoliis conglobati ad ecclesiam beati Demetrii immensas Deo gratias retulerunt, qui per ejus intercessionem eorum ab hostibus liberavit civitatem. Cum plures plura loquerentur de barbarorum fuga, exsurgens quidam ex nostris fratribus dixit nobis : Cum quadam nocte hujus hebdomadæ, post matutinos, perstarem in templo sancti Demetrii martyris, et orarem ante sanctum sepulcrum ejus, invasit me sopor nimius, ita ut nec omnino dormirem, nec ex toto vigilarem. Et ecce duo viri visu terribiles apparuerunt, et dixerunt custodi templi : Ubi est dominus hujus templi? Respondit : Sub illo ciborio manet. At illi : Vade, dic illi quia ad eum sumus missi. Ivit ille, et isti secuti sunt eum. Et vocavit eum dicens : Sancte Demetri, adsunt duo milites a domino suo ad te missi. Et statim apparuit ab intus sanctissimus Christi martyr, et stetit juxta januas, et mihi quoque indigno apparuit. Ego vero corrui in faciem, non ferens intueri angelicum vultum ejus. Erat enim species ejus non juxta speciem quæ in antiquioribus ejus imaginibus est depicta, sed sicut sol facies ejus radios emittebat. Quamvis pronus jacerem, tamen diligenter intendebam quæ loquerentur ad invicem. Audivi namque quia salutaverunt viri benigne sanctum. At ille dixit ad eos : Gratia Dei vobiscum. Cur autem missi estis ad me? Dicunt viri : Dominus nos misit ad sanctitatem tuam, hæc tibi denuntians : Celeriter exiens veni ad me, civitas enim inimicis tradetur. Ego vero cum audissem, turbatus præ dolore sermonis, surrexi super manus meas, et suspiciens sursum paulisper, vidi faciem piissimi martyris nimis mœstam. Et cum præterisset hora, vidi lacrymas ab oculis ejus decurrentes super genas ipsius. Tunc dixit custos templi ad duos juvenes quos introduxit : Cur dominum meum tribulastis? Si vere præscissem vestram intentionem, non vos ad eum deduxissem. Deinde sanctus Dei dixit ministro : Hi servi mei sunt, et quæ jussa sunt eis, hæc et mihi annuntiaverunt. Deinceps inquit sanctus martyr alta voce : O Domine Jesu Christe, tu dixisti : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat;* et item : *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Nam et tu cum esses Dominus omnium angelorum, dedisti animam tuam pro redemptione hominum iniquorum. Tu, Domine, commisisti mihi civitatem istam et concives ejus, ut habitarem perenniter cum eis, custodiens illos. Quomodo ergo possum derelinquere illos in tanta necessitate? aut quo vultu contemplabor excidium patriæ meæ? Quæ autem vita mihi erit perditis civibus meis? Sicut epulantibus eis spiritaliter eram cum illis, sic periclitantibus eis non desero illos. Quidquid eis dignum pati fuerit, melior etiam ego pati cum ipsis. Sed tu, omnipotens et misericors Deus, qui exaudisti Jonam de ventre ceti, et tres pueros de camino ignis ardentis, et Susannam de falso crimine, exaudi populum tuum, et libera eum de interitu barbarorum. Et illico audita est vox missa a Domino : Fiat eis secundum voluntatem tuam. Et continuo cum magno gaudio salutavit duos juvenes ad se missos, gratias agens Deo, quia exaudivit eum. Sine dubio sciatis quia per istum sanctum vitam et victoriam recepistis, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Miraculum quod temporibus nostris gessit sanctus martyr Demetrius, inter cætera miracula et hoc inserere volo. Erat quidam episcopus de regione Afrorum, nomine Cyprianus, veri sacerdotii sollicitudinem et vitam Deo dignissimam ducens. Procuravit ire ad reginam civitatum Byzantium, urgente quoque causa rei necessariæ. Cumque navigassent multis diebus, et jam partibus Græciæ appropinquassent, a ferocissimis Sclavis captus est cum omnibus suis. Quos captivos inter se cum divisissent, simul cum eis et prædictum episcopum in servitutem sibi diviserunt. His ita gestis redeuntes ad propria loca, prout quisque barbarus voluit suo captivo onus servitutis imposuit. Episcopus namque Cyprianus cophinum domini sui servabat, per providentiam sapienter cibos ejus distribuebat, vitamque suam in orationibus, vigiliis et jejuniis laudabiliter confortabat. Considerans absentiam populi sibi commissi, Dominum principem pastorum deprecabatur, ut ejus regimine salvaretur. Dicebatque ad Dominum : Cum essem sine aliquo merito, pastorem gregis tui me constituisti ; quomodo nunc communicatus sum, ut a tali ordine ad servitium barbarorum sim deputatus? Sed reminiscor quia pro peccatis meis hoc accidit mihi, et ideo hac tribulatione irretitus retineor. Quis ovibus meis indicabit quod pastor earum a barbaricis bestiis captus sit? Hæc et horum similia deflenti astitit adolescens pulcher et forma decorus, militarem speciem et habitum ferens, dixitque ad eum : Si vis a servitute qua detineris liberari, et a barbaricis eripi, surge et sequere me. Observa autem apud te, ambulantibus nobis, ne omnino loquaris mihi ; sed silentio studentes utrique iter agamus in mente Deum orantes. Tunc episcopus respondit ei : Quis es tu, et unde egressus huc advenisti? At ille dixit ad eum : Demetrius dicor, et miles sum imperatoris magni : domus autem mea in medio Thessalonicæ civitatis consistit, ad quam si me secutus fueris, sine dispendio te ducam. Surgens ergo secutus est eum, et incedebant ambo tacentes. Noctibus quidem iter agebant, per diem autem quiescebant. Porro recedebat Demetrius mane ab episcopo, et iterum appropinquante vespere regrediebat, deferens secum ex diversis arboribus fructum cum oleribus herbarum, unde alebat socium suum, et sumpto cibo carpebant iter. Post dies octo cum appropinquassent muros jam dictæ civitatis, sistens Demetrius Cyprianum ante portas civitatis

disparuit. Cum autem fidelem ductorem et comitem bonum episcopus requireret, et non inveniret, ingressus est civitatem. Requirebat vero ab eis qui obviam sibi veniebant et alloquebantur, ubi esset domus Demetrii militis. Cumque multos faterentur esse in civitate Demetrios, et ipsos militari ordine fungi, ille perhibebat : Ejus, inquiens, qui requiritur a me domus est in medio civitatis. Ergo cum omnes hæsitarent cum eo, is qui quærebatur, nusquam inveniebatur. Habitatores vero civitatis deduxerunt episcopum ad martyris ecclesiam. Ut autem introivit, statim se in orationem dedit, et laudes gratificas Salvatori Deo retulit ; et surgens sursum extensis manibus cum obtutibus oculorum, vidit imaginem Demetrii martyris in habitu sui comitis et conductoris. Tunc coram omnibus clamavit, affirmans absque dubio ipsum esse Demetrium, qui duxerat atque salvaverat eum ; et hanc esse domum martyris, quam mihi apparens ab initio ipse manifestavit. Tunc enim episcopo civitatis præsentia viri denuntiatur, et quæ illi acciderant nota efficiuntur. Qui statim susceptum comministrum in episcopio suo recepit, et benigne tractabat eum. At ille nec ad horam passus est ab ecclesia sancti martyris separari, sed omni tempore quo in civitate mansit, commoratus est in eadem ecclesia. Cum illic hiemasset, et tempus navigationis exspectasset, illico dum tempus advenit, ascendit in navim sumpta secum imagine martyris Demetrii, navigavitque prospere ad urbem Constantinopolim ; et negotio suo apte disposito, cooperante victoriosissimo martyre Demetrio, suæ se regioni et gregi deinde remeans dedit, copiosum ex his quæ acciderant promittens martyri cultum. Porro talionem inde reddere cogitans, et pro libertate gratiam tribuere satagens, templum dedicare in civitate sua collegæ suo et martyri Demetrio cœpit. Desiderium autem habebat simile ciborium et similem ambonem, quem vidit, construere cum marmoreis columnis, in honore sancti Demetrii martyris. Inde erat valde sollicitus, quia horum apparatum, qualiter et unde hoc faceret, modis omnibus ignorabat. Quadam denique nocte, cum fatigatus esset ob nimiam incursionem cogitationum episcopus, sopor invasit eum et continuo obdormivit. Et ecce astitit ante eum sanctus martyr Demetrius, dicens illi : Quare contristaris, frater ? nonne audisti Dominum Jesum dicentem discipulis suis : *Amen dico vobis, si quis dixerit huic monti : Tollere, et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei ?*

A Ubi est fides tua ? O homo, noli sollicitus esse columnarum vel ambonis causa. Navigium quippe hodie a pelago descendit, omnia quæ ad præparationem templi opus habere videris portans. Est namque episcopus in Galliarum partibus, in civitate Massilia, populum sibi commissum conservans, qui ædificat templum in honore sancti martyris Victoris, nostri consocii vel fratris, et cupit ei ædificare ambonem et ciborium, sicut tu in mea domo. Quapropter misit navigium cum servis suis ad montem porphyreticum, ut emerent ei columnas et tabulas satis porphyreticas ad opus sancti martyris Victoris perficiendum. Sed intercedente jam sancto martyre, jam adinvenit prædictus episcopus infra civitatem, columnas et tabulas porphyreticas miro ordine de-

B pictas, in terra dudum repositas. Navigium cum columnis et tabulis porphyreticis emptis suis legatis Christi martyr transmittit nobis, ut ex eis facias opus quod mihi facere cupis. Exsurgens denique a lectulo præsul, retulit per ordinem suis clericis visionem. Hujus rei gratia misit eos ad portum maris. Qui cum navigium invenissent, et cum nauclero locuti fuissent, rogaverunt quatenus dignum pretium pro columnis et marmoreis tabulis reciperent, desideriumque episcopi adimplerent. Sed nauclerus et qui cum eo erant, abnegatores effecti sunt, nihil penitus eorum asseverantes se habere quæ quærebantur. Nuntiantes autem clerici hæc qui missi fuerant suo episcopo, tristem eum inde

C reddiderunt, et mœrens incedebat frustratus consilio. Iterum namque martyr sanctus Demetrius apparuit ei in visione, dicens : Vade tu ipse ad prædictum nauclerum, et dic ei : Noli esse mendax ; in propria enim navi habes instipatum ambonem et reliqua marmora absconsa. Nihil vero dubites ad hæc mihi tribuenda, propter episcopum qui misit te ad hæc perquirenda. Frater enim meus invenit in civitate Massilia qualiter proprii oratorii perficietur opus. Cumque abisset episcopus, et hæc dixisset nauclero, et narrasset has mirabiles visiones, persuasit ei quatenus pretium pro marmoribus datum reciperet ab eo. Et ita factum est. Dedicavit igitur episcopus templum, quod sancto martyri Demetrio construxit, cum ambone et ciborio ad laudem Christi et

D gloriam martyris sæpe dicti. Per orationes ejus si quis infirmus in eodem templo devotus advenerit, si perunctus fuerit de oleo lampadis ejus, illico sanabitur per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ACTA SANCTÆ CRISPINÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS,

AUCTORE ANASTASIO BIBLIOTHECARIO.

(Apud Mabill., Vet. Analect., ex manuscripto codice cœnobii sancti Theoderici prope Rhemos.)

Diocletiano II et Maximiano Augusto consulibus, die Nonarum Decembrium, apud Coloniam Thebestinam, in secretario pro tribunali assidente Anulino proconsule, Commentariense officium dixit : Thagarensis Crispina, quæ legem dominorum principum contempsit, si jusseris audiatur. Anulinus proconsul dixit : Inducatur. Et inducta beata Crispina, Anulinus proconsul dixit : Præcepti sacri jam cognovisti sententiam ? Beata Crispina respondit : Quid præceptum sit nescio. Anulinus proconsul dixit : Ut omnibus diis nostris pro salute principum sacrifices, secundum legem datam a dominis nostris Diocliciano et Maximiano piis Augustis, et Constantio nobilissimo Cæsare. Beata Crispina respondit : Nunquam ego sacrificavi, nec sacrifico, nisi uni Deo et Domino nostro Jesu Christo Filio ejus, qui natus est et passus. Anulinus proconsul dixit : Amputa superstitionem, et subjuga caput tuum ad sacra deorum nostrorum. Beata Crispina respondit : Cottidie veneror Deum meum, præter quem alium non novi. Anulinus proconsul dixit : Dura es et contemptrix, et incipies vim legum invita sustinere. Beata Crispina respondit : Quidquid emerserit pro fide mea quam teneo, libenter patiar. Anulinus proconsul dixit : Vanitas est animi tui, ut jam non dimissa superstitione sacra nomina venereris. Beata Crispina respondit : Cottidie veneror, sed Dominum meum, præter quem alium non novi. Anulinus proconsul dixit : Ego sacrum præceptum offeram quod observes. Beata Crispina respondit : Præceptum observo, sed Domini mei Jesu Christi. Anulinus proconsul dixit : Perdes caput, si non obediens fueris jussis imperatorum dominorum nostrorum, quibus deservire cogeris subjugata ; quod et omnis Africa fecit, nec tibi dubium est. Beata Crispina respondit : Nunquam sit illis bene, ut me dæmoniis faciant sacrificare : sed sacrifico Domino, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Anulinus proconsul dixit : Ergo isti dii non sunt a te accepti, quibus exhibere cognosceris [*f.* cogeris] famulatum, ut salva pervenias ad devotionem. Beata Crispina respondit : Nulla devotio est quæ opprimi cogit invitos. Anulinus proconsul dixit : Sed utinam devota sequaris, ut in templis sacris flexo capite diis Romanorum thura immoles. Beata Crispina respondit : Hoc non feci aliquando ex quo nata sum, nec novi, nec facio usquequo vita vixero. Anulinus proconsul dixit : Sed fac, si vis a legum severitate immunis evadere. Beata Crispina respondit : Quod dicis non timeo, hoc nihil est. Deum autem qui in cœlis est si contempsero, sacrilega ero, et semel me perdet, ut non inveniar in illo die venturo. Anulinus proconsul dixit : Sacrilega non eris, si sacris obtemperes jussionibus. Beata Crispina respondit : Quid vis ? ut sim sacrilega apud Deum, et apud imperatores non sim ? Absit. Deus magnus, qui fecit mare, et herbas virides, et aridam terram ; homines autem facti ab ipso, quid mihi possunt præstare ? Anulinus proconsul dixit : Cole religionem Romanam, quam et domini nostri invictissimi Cæsares et nos ipsi observamus. Beata Crispina respondit : Deum novi tantum : nam illi lapides sunt, et figmenta manuum hominum facta. Anulinus proconsul dixit : Blasphemiam loqueris, nam non prosequeris quæ saluti tuæ conveniunt. Et adjecit Anulinus proconsul, et Commentariense officio dixit : Ad omnem deformitionem deducta, a novacula ablatis crinibus decalvetur, ut ejus primum facies ad pompam perveniat. Beata Crispina respondit : Loquantur ipsi dii, et credam : ego si salutem non quærerem audiendam, ante tribunal tuum non essem. Anulinus proconsul dixit : Diu vivere desideras, aut mori in pœnis, sicut et cæteræ consortes tuæ Maxima, Donatilla, et Secunda. Beata Crispina respondit : Si mori vellem, et in interitum animam tradere, et in ignem æternum, tuis dæmoniis darem voluntatem meam. Anulinus proconsul dixit : Caput tibi incidam, si deos venerabiles adorare dispexeris. Beata Crispina respondit : Gratias ago Deo meo, si hoc fuero consecuta. Caput meum perdo semel : sed si thurificavero idolis... Anulinus proconsul dixit : Et omnino in isto sensu tuo stulto persistis ? Beata Crispina respondit : Deus meus qui est, et qui fuit, ipse me jussit nasci ; ipse dedit mihi salutem per aquam baptismi ; ipse mecum est, ut anima mea, sicut tu vis, non faciat sacrilegium. Anulinus proconsul dixit : Quid pluribus sufferimus impiam Crispinam ? Acta ex codice quæ dicta sunt relegantur. Et cum relegerentur, Anulinus proconsul sententiam de libello legit : Crispina, in superstitione indigna perdurans, quæ diis nostris sacrificare noluit, secundum Augusti legis mandata a cœlesti... locum tendit, eam gladio animadverti jussit. Beata Crispina respondit : Christo laudes ago, benedico Dominum, qui sic me de manibus tuis dignatus est liberare

Passa est beata Crispina apud Coloniam Thebestinam, die Nonarum Decembrium, imperante Anulino proconsule, regnante Domino nostro Jesu A Christo in unitate Spiritus sancti in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO S. THEODORI STUDITÆ

DE S. BARTHOLOMÆO APOSTOLO,

Interprete Anastasio Bibliothecario.

(Apud Acherium, Spicilegii t. II.)

EPISTOLA ANASTASII NUNCUPATORIA.

Sancto ac venerabili Aioni antistiti Beneventino Anastasius sanctæ sedis apostolicæ bibliothecarius, in Domino salutem.

Fervens sanctimonia tua circa Bartholomæum apostolum multi amoris affectu me nuper hortata est, quia jam ejus penes se celebris habebatur memoria, si quid in laude ipsius saltem Græce inveniretur, quod vel Latine vel Græce sit interpretatum, sibi misissem. Verum quamvis in laude ipsius multa inveniantur quæ vel Latine vel Græce descripta sunt, unus tamen sermo nuper editus est, qui utrum Latine reperiatur nullo hactenus declaratur indicio. Hunc ergo interpretari et paternitati tuæ destinari decrevi. Si autem quæris quis tanti sermonis habeatur expositor, libenter aperiam. Theodorus videlicet quidam sacerdos apud Constantinopolitanam urbem temporibus fuit Adriani et Leonis Romanorum pontificum, vir valde mirabilis, qui non solum fidei constantia, verum etiam scientiæ gratia et signorum polleret virtutibus; duorum imperalium insigniumque cœnobiorum, Studii scilicet et Saccudiorum, constitutus est 'abbas. Qui semper in apostolicæ sedis communione persistens, hæreticorum nænias et imperatorum vesaniam fidei constantia, etiam tormentis affectus, mentis virtute repressit; necnon et sancti Spiritus gratia plenus opuscula nonnulla composuit inter quæ et sermonem hunc de B. Bartholomæo satis B utilem, obscuris dictionibus (quem interpretari tibi voluisti) Græco edidit famine, qui Græco vocabulo Ἐγκώμιον dicitur, quod Latine *præconium*, sive *laus* exprimitur. Qui ad Latinitatis notitiam fideliter translatus, ut scrupulum omnem de nutantium pectoribus auferat, et improbas invidorum ac detrahentium linguas comprimat, atque ignorantiam instruat insciorum, consequenter legendus est. Et revera, quia Salomon ait: *Memoria justorum cum laudibus*, scio quosdam non scientes utriusque idiomata linguæ interpretationi meæ derogaturos, et me ea passurum quæ quondam ille cœlestis bibliothecæ cultor a suis æmulis pertulit. Verum quisquis ille fuit, ejus salubribus monitis eruditus non se ad detrahendum velut improbus ingerat, sed ad corri- C gendum quasi probus accedat; nec post dorsum fratris carnes invidentiæ dente decerpat, sed palam, si potest, quod a vero discrepat, affectu charitatis emendet. Non enim majorem gratiam consecutum invideo, sed grates auctori rependo, qui, etsi non per me, per quoscunque tamen Latinos, de die in diem donis replet, quibus se Græci ditatos esse magnopere gloriarentur. Tu tamen, obsecro, si hæc translatio parva placet, eam legendam Ecclesiæ trade, et pro me Deo hanc legenti saltem semel *Kyrie eleyson* dicere jube. Salve, præsul amate Deo. Sine margine * salve et memor esto fratris tui Anastasii.

* Id est fine.

PRÆFATIUNCULA.

Beati Bartholomæi apostoli venerabile omniumque D laudum solemni attollendum corpus præconio, qualiter de Armenia Indorum provincia post decessum Polimii regis atque pontificis, aliquantis elabentibus annis per iniquorum atque infidelium perfidiam, imo divinæ dispensationis nutum, Lippareos mirabiliter sit evectum in insulam, unde hodierna solemnitas celebratur, cujusdam Theodori reverendissimi sacerdotis veridica est relatione reseratum; habet enim sic hujusmodi narratio illius.

SERMO S. THEODORI.

Maximus quidem labor, et, ut addam, gloria est sanctorum laudes contexere, virtutes prædicare; sed majori devotione martyr quisque debet attolli, in cujus beatificatione omnis sermo non sufficit.

At vero et apostolum irreprehensibiliter collaudare, quantæ, putas, esse poterit etiam insignium magistrorum industriæ, scilicet quem spiritus ad contemplationem laudibus et modulatis vocibus extulit? Cujus enim sonus in omnem terram exivit, ut verborum virtute fines ordinaret orbis, oportet utique ut et laus ejus ex æquo intelligatur et fideliter proferatur : et ad hæc quis tam idoneus, quis sufficiens, quis robustus? Nunquidnam quia nec Petrus, nec Joannes est divinus Bartholomæus, idcirco paucioribus est sermonibus prædicandus, et quasi non sit multi præconii, minus aliquid efferendus? Apostolum Christi audis ex toto, et non pertimescis eum qui misit illum? Testem veritatis sensu capis, et non miraris eum qui est digne canendus? Quin et si multorum unus erat, nulli tamen famulorum Dei minori laude comparandus. An quia est divini duodenarii numeri medius? Est enim et hic duodenarii, in senario medietas, sicut in citharæ harmonia similis, æquum et ab utraque parte sonum divinæ sermocinationis similem dans. At vero si volueris ut in apostolico ordine, sicut in annuali circulo uniuscujuscunque mensis, ex æquo utilis omnimodis conferatur numerus, et propria alter alterius quantitate et qualitate suam habeat differentiam, non plane nobis is qui laudatur exiguus, sed et nimis sublimis virtute Spiritus apparebit, habens quid in ipsa supputatione mysticum Dei verborum typum secundum arithmeticam artem. Solus enim senarius numerus a prima monade perfectus partibus suis complens ex his ipsis medietatem quidem suam quæ est tria, tertiam vero partem suam perficiens ex duobus, sextam autem ex monade consummans. In quo vero numero hic apostolus, si secundum evangelicum dinumeraverimus catalogum, sextus reperitur. Porro et si secundum Actuum apostolorum catalogum numeraverimus, septimum ponemus Bartholomæum, eritque ipse iterum principium et vertex secundæ hexados. Ita ut hinc possimus argumentari eum ad Petrum habere comparationem, dum ex prima quidem hexade principium reputatur in Petro, ex secunda vero, quia summitas est eorum qui post ipsum sunt, dinumeratur, principium taxatur in Bartholomæo. Nota, dilectissime, Petrus docet nationes; sed et Bartholomæus consequenter paria investigat. Petri speciosi pedes bona evangelizantis, sed et Bartholomæi æque jucundi sublimia de Deo loquentis. Petrus operatur prodigia magna, sed et Bartholomæus facit miracula valida. Petrus deorsum capite crucifigitur, sed e diverso Bartholomæus pœnas pro Christo sustinens, postquam vivens excoriatus est, capite plectitur. Quotquot igitur Petrus agit, totidem operatur et Bartholomæus. Ad quot valet Petrus mysteria capessenda, ad tot Bartholomæus sufficit penetranda, æqualiter exsequitur divini verbi rationem, æqualiter fundat Ecclesiam, æqua lance habuit et cætera divina charismata.

Veni ergo placatus, esto ferax verbi, o beate, re- A sera linguam meam mutam, da mihi materiam præconia tuæ magnitudinis enarrandi, non ut ipse proficias aliquid, habens intrinsecus beatitudinum plenitudinem, sed ut quoquomodo declaretur amor circa te divinitus prædestinatus, ut et ego pauperrimus puer tuus paternis orationibus fruar in laude celebritatis tuæ. Non enim poterit sine participatione illuminationis permanere, qui ad splendorem radii solis accesserit vel pupillas erexerit.

Alius igitur apostolorum hic, alius vero alibi percepit partem orbis in prædicatione cognitionis Dei, et omnes universitatem sibi dispertientes; prædicatores Regis regum Christi constituti sunt: *Constitues* enim *eos principes super omnem terram* (*Psal.* XLIV, 17), Scriptura pronuntiavit. Ei autem qui B nunc celebri fama laudatur sors et portio Armeniæ locus, qui est ab Evilath usque Gabaoth, et in multis gentibus et civitatibus est distributus. Iste ergo cum mitteretur mystice verbum Dei annuntiare, hæc divinitus audivit a Domino: Vade, discipule, ad prædicandum, exi ad pugnam, capax esto periculorum; consule figmento meo, cujus misertus homo factus sum, et pro quo mortis dedecus elegi. Ego paternum opus consummavi; primus veritatis testis factus sum; vos quod necessarium est implete, et quæ post verba prædicationis meæ mundo desunt, ad similitudinem meam supplete. Imitare Magistrum tuum, æmulare Dominum tuum, æqua passione sanguinem pro me pone, et carnem cruciatibus trade; patere quæque sustinui pro te passus. Ostende in C teipso manifestas actiones characteris mei. Arma tibi sint benignitas in sudoribus, mansuetudo inter maledicos, patientia in his qui te peremerint. Ut ovis in medio luporum efficere, virtutibus armatus ad bella acuere. Non resultavit apostolus; non dixit: Quomodo lupos nancisci poterit agnus unus decem millia? Quomodo præcipiet peregrinus primis civium, exsul ducibus, regibus is qui unam possidet tunicam? Sed ut famulus fidelis, Dominico acquiescens præcepto, pergit gaudens, nihil deferens secum, nisi tantum Christi pretiosum nomen pro omni armatura.

Itaque aggrediens verbo prædicationis provinciam sorte perceptam, quanta illic gesserit, quanta subiens pertulerit, sequens sermo depinget; quorum quidem sunt quædam secundum traditionem anti- D quæ relationis acta, quædam vero secundum rationem evangelicarum doctrinarum gesta consistunt. Si enim lux mundi est juxta quod Veritas discipulis ait: *Vos estis lux mundi*, profecto ea quæ lucis sunt operatus est in his qui in tenebris et umbra mortis sedebant. Et si sal terræ est, manifestum est quia gentes irrationabiles veritatis ratione saliens emundavit. Et si operarius evangelice nominatus est, consequenter et agriculturam spiritualem perfecit; quod enim a magistra Veritate communiter omnibus dicitur, et per singulas personas rationabiliter accipiendum est. Itaque vide eum secundum allegoriam aliquando quidem non terram arare bobus trahentibus ferrum, sed linguæ aratro rationabilia rura sulcantem, jugo

videlicet contemplationis et actionis, nec seminantem aliquid defluentium et corruptibilium, sed fidei verbum in profundum cordis recondentem; aliquando vero plantantem paradisos et vineas Domini, illos scilicet qui jam receptione verbi ad meliora incrementum fecerunt, et ab ineunte ætate per singula tempora fructus multiplices ediderunt; aliquando autem medicinaliter exhibita singulis passionum remedia conferentem.

Verum eumdem nosse velis cæcos oculos illuminantem, leprosos mundantem, febres expellentem, claudis vadere, surdis audire præbentem, atque reliquorum languorum multimodas expellendo species, duplici sanitate naturæ propriæ languidos restituentem et certe pastoralem morem suscipientem, et semitas, Deo perficiente, deducentem, revocantem, pugnantem, propellentem bestias hæreseos, dæmoniumque phalanges: imperfecta rigare manu, educare crescentes in ætate Christi, spinas intelligibiles evellere, vel silvas impactas secare, sepes dogmaticas circumponere, et quidquid eorum deesse constiterit quæ opportune sunt sequenda, facile prævidere. Ipse autem ædificator et architectus ædificii ac fabricationis non manufactæ, templorum videlicet Domini, quæ per Spiritum et veritatem construuntur, ac perficiuntur in populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Intuere mecum, o homo, civitates et habitacula, quæ olim populus seductus infidelitate possedit, nequiter turrim ponens, in Dei cognitione, et adversariorum insidias facile dimissas, campos florentes, vineas condensitate pullulantes, hortos odorem dantes, ægrotantes omni languore et omni infirmitate sanitati pristinæ reformatos; quæ talia sunt, ut ita quis dicat, prima spolia et exuviæ. Tanti agonis labores et in fame et in siti, in frigore et nuditate, in contumeliis et opprobriis, in carceribus et vinculis, in persecutionibus et adductionibus de loco in locum, de civitate in civitatem, de theatro in theatrum; in tormentis et verberibus; et ad extremum in occisione et gladio. Propter quæ namque oportuerat eos remunerare bonis Magistrum, Salvatorem et Medicum pro his operantur atrocia, conviciantur, detrahunt, percellunt, torquent, rodunt. Quid non discentes? quid non agentes? quid non excogitantes? quid non adinvenientes eorum quæ ad acriorem afflictionem et tribulationis augmentum proficere crediderunt? Papæ, crudelitatem! O feralem insaniam! Quales mercedes Creatori obtulerunt, qui visum, qui auditum receperant! pro honore inhonorantiam, pro benedictione maledictionem, pro requiescibili vita amarissimam mortem!

Legitur etiam in gestis ejus antiquioribus et emendatioribus quod Lycaoniæ verbum vitæ prædicavit. Dehinc Indiæ evangelizans, ad ultimum in Armenia Majori, quæ ejusdem est provinciæ, in Albano ipsius Armeniæ urbe postquam multa et intolerabilia tormenta subiit, decoriatus ab impiis in modum folus, capite plexus est; sicque demum a fidelibus ibidem sepultus. Qui videlicet gloriosus fidelium patronus, etiam post obitum apparuit magnus Dei prædicator. Non enim vel postquam migravit ex hoc mundo neglexit occisores; sed ut pastor bonus quantum temporis erat, invitabat miraculis perditos, et prodigiis admittebat aversos. Sed bestialem mentem et inhumanum cor nil erat quod compesceret, nil quod retraheret usquequo in profunda malorum deciderent. Quid ergo de cætero faciunt? Insaniunt contra sacrum illud corpus; furunt contra diversas jugiter præstantem sanitates sacri corporis arcam. Respuunt remedium ægroti; orbi manum ducentem, cæci lucis datorem, naufragi gubernatorem, morte affecti vivificatorem. Et hoc quomodo? Projiciunt in pelagus ipsam, qua sacrum tegebatur corpus, lapideam arcam, ut in profundum penitus demersa ulterius non compareret tanquam eis tantus apostolus nulla præstiterit beneficia. Invidorum etenim vitium hujusmodi est, ut voluntaria perditione sua nec aliarum fieri salutem patiantur. Sed is qui per David longe ante clamavit: *In mari viæ tuæ, et semitæ tuæ in aquis multis; et vestigia tua non cognoscentur* (*Psal.* LXXVI, 20): et hic tumidum mare meabile et pervium lapideæ arcæ præbuit. Et Petrus magnus clamante ad eum Christo in mari ambulasse dignoscitur. Quod et divinus Bartholomæus similiter arcæ corpus suum gestanti gradiens contra fluctus exhibuit. O miraculum divinum! o opus magnificum! Mota est enim impetu ipsa arca de regione Armeniæ, cum quatuor aliorum martyrum arcis, quæ similiter dum signa operarentur cum ea in mare fuerant projectæ, et per tantum spatium maris quatuor his ambulantibus et præcedentibus, et obsequium apostolo quodammodo facientibus venerunt in ulteriores partes Siciliæ, in insulam quæ vocatur Lipparis, facta revelatione ad sanctissimum Agathonem qui illic erat episcopus Hostensis. Quis audivit tantum prodigium? quis didicit tam magnificum opus? O miraculum in miraculo! Lipparis autem, id est, *pinguis*, quodammodo insula Lipparis ferens ipsa sibi pinguedinis futuræ nomen. Ipsa forsitan hæc ineffabilibus vocibus clamabat: Veni ad me, pauperculam, thesaure ditissime sancti Spiritus. Veni ad me quæ sum inhonorabilis, pretiosissima margarita. Veni ad me supplicem, qui a perfidis abjectus es iniquissime; inhabita me, et multipliciter inhabitabor. Salva me, et populosa ero; nomine fungar et ubique personabo. Si alii te magnum cœli luminare contempserunt et repulerunt, sed ego splendorem tuum desidero hactenus tristis et mœsta. Si alii mensa vivorum eloquiorum tuorum potiti sunt, sed ego reliquiarum tuarum, ut catellus, micas colligere gestio.

Post hæc quasi quosdam ministros suos, alium martyrum hic, alium vero illic relinquens apostolus retrorsum, Papinum quidem dimisit in civitate Siciliæ quæ dicitur Mylas; Lucianum vero destinavit Messinam; reliquos autem duos in Calabritidem terram direxit: Gregorium quidem in civitatem quæ

dicitur Columna; Acatium autem in civitatem quæ vocatur Cale; quatenus unusquisque eorum in unaquaque civitate protector esset habitatorum, qui etiam usque hodie splendent suffragiis suis. Ipse præterea velut quis rex domus propriæ requie potitus, profectus est ad civitatem ad quam cœlitus vocabatur, susceptus præclare cum multis luminaribus, odoribus atque hymnis; cunctis etiam, qui illic aderant, ei obviam in exsultatione procedentibus.

De cætero dum perventum esset ad urbem, non progrediebatur arca; quidam enim summopere trahebant, illa autem erat immobilis. Et cum esset populus in multa dementatione, resumpsit tandem gaudium tristitia, quia obtinuit quod petierat a Domino; *prope est* enim *Dominus invocantibus eum* (*Psal.* CXLIV, 18). Super duas itaque vitulas castas assumpta, reposita ubi sacrum ejus templum protinus est locatum; facto etiam cum consummatione miraculo præcipuo. Denique cum mons qui Vulcanus vocatur, pene contiguus esset insulæ, nocivus erat his qui circumquaque morabantur. Tunc recessu invisibili motus est quasi stadiis septem circa mare suspensus, ita ut usque hodie appareat videntibus quasi figuratio tractus fugientis ignis. Porro quot et quanta deinceps mirabiliter operatus sit, aut mira faciens operetur hactenus circa eos qui a diversis langoribus et infirmitatibus obstricti ad ipsum fide confugiunt, nec necessarium est dicere ob prolixitatem tractatus, nec incredibile audienti, cum pignus ex uno habeat aliorum exhibitiones mire gestorum. Sed ave, o beate beatorum, terque quaterque beate Bartholomæe. Ave, qui es Dei amator et imitator, boni scilicet Magistri; ave, qui es divinæ lucis, splendor sanctæ Ecclesiæ; ave qui es bene sonans organum spiritualis melodiæ; ave, artificiose rhetor veræ sapientiæ; ave, qui es peritæ capturæ piscator rationabilium piscium; ave, qui es multi chori et dulcis fructus palmes, Christi vividæ et paternæ culturæ vitis; ave, digne meritis famule Domini universorum; ave merito desiderabilis amice cœlestis sponsi; ave, qui es sapientiæ fluentis et multiplicis potationis ac lumen spiritualis paradisi; ave, qui es divina virtute vulnerator diaboli, mundum suo latrocinio vulnerantis; ave, qui multipliciter appares mundo Lucifer Dei cognitionis. Gaudeas, divinitus illustrata et ignea columna orthodoxiæ; gaudeas, sol orbis terræ, qui cuncta illuminas; gaudeas, os Dei sapientiæ linguam habens ignitam; gaudeas, jugiter emanans fons sanitatum; gaudeas, dæmonum terribilis insecutor; gaudeas qui es multipliciter optabilis formositas Armeniæ; gaudeas, qui ab oriente ad occidentem per mare ambulasti gloriose; gaudeas, qui es Lippareos salutabilis et multimodis adorabilis gloriatio; gaudeas, qui mare sanctificasti meabilibus gressibus; gaudeas, qui terram purpuream fecisti rubore sanctissimi sanguinis tui; gaudeas, qui aerem suavitatis odoribus replesti sacris spiraminibus divinorum eloquiorum tuorum; gaudeas, qui ad cœlos commeasti, et medius in choro divinæ aciei tuæ refulges in gloriæ inaccessibilis splendore, in exsultationis insatiabili jucunditate. Illinc nos, benignissime, intuearis; illinc benedicas te beatificantes; illinc glorifices te glorificantes; illinc concordes orbem terræ pacatum. Sacerdotes justitia in sanctitate induantur; reges bonis operibus in orthodoxia contra barbaros armentur; monasticam vitam tenentes conversationem æqualem angelorum ac sine dolo custodiant; viri mulieribus et rursum mulieres viris competentem legem conservent; patres cum filiis, prælatos cum subditis, dominos cum servis, mutuum dantes cum debitoribus, venundantes cum emptoribus; cæteraque omnia benevolentiæ tuæ effectu ad utilitatem reipublicæ protege, et cuncta quæ secundum beneplacitum Dei dirigi debent, patrocinio tuo defende: et præcipue alumnos decoratæ Lippareos, pastorem quoque ac gregem qui construxit sacrum templum tuum, et eum qui te, licet breviter, ex se laudare præsumit in Christo Jesu Domino nostro, quem decet omnis gloria, honor et adoratio, cum omnipotente Patre, ac sanctissimo et vivifico Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

Hæc de Bartholomæi laudibus ejusque mirabiliter advecto in Lipparim corpore Theodorus, fama sanctitatis hac sacerdotii dignitate conspicuus, fido relatu explicuit. Qua vero deinceps occasione quove sit ordine de eadem insula Lipparitana transvectum, cum ibidem usque ad annum octingentesimum octavum ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi requiesceret corpus ejusdem beati apostoli, de reliquo dicendum est.

Supervenientes itaque Saraceni deprædati sunt et depopulaverunt prædictam insulam, et rumpentes sepulcrum apostoli, disperserunt ossa ejus per diversa. Mox illis discedentibus per visionem apparens isdem apostolus Dei cuidam Græco monacho qui fuerat ecclesiæ ipsius custos, ait illi: Surge, collige ossa mea quæ dispersa sunt. Cui ille respondit: Quare ossa tua colligere, aut aliquem tibi honorem impendere debeamus, cum tu permiseris nos et populum istum a paganis deleri et nobis nequaquam auxiliatus es? At ille dixit: Per longa annorum curricula pro hoc populo Dominum deprecatus sum, ac meis cum precibus unde nunc usque securi constiterunt, concessit omnipotens Deus; sed quia multiplicata sunt mala illius, crevitque iniquitas nimis, non jam obtinere pro eo valui ut amplius salvus persisteret, idcirco periit. Tu surge tantum et collige, ut dixi, ossa mea, eaque ut tibi præcepero diligenter reconde. Cui ille monachus ait: Et quomodo ea invenire potero, qui nescio ubi dispersa sunt? Dicit ei apostolus: Nocte vade ad colligendum ea, et quæ videris resplendere ut ignem, hæc leva, quia vere ipsa sunt ossa mea. Qui statim surgens perrexit ad locum, et invenit sicut apostolus dixerat, et collegit ea indubitanter, et recondita in loculo diligenter abscondit et abiit relicto ibi socio suo. Cumque pro

exquirendis Saracenis illuc Longobardorum irent navigia, nutu Dei inventum ibi monachum et sancti apostoli corpus tulerunt, et abierunt. Supervenientes autem Saraceni circumdederunt navim illam in qua sanctum apostoli corpus ducebatur, ita ut spes evadendi nequaquam esset. Tunc subito factæ sunt densissimæ tenebræ ante Saracenorum naves, ita ut nescirent quo pergerent. Sicque liberata est navis illa. Quibus adhuc in mare commeantibus, unum ex nautis ejusdem navis a gravi valetudine obtentu ipsius apostoli divina salvavit clementia. Exeuntes autem ad terram ingenti cum honore Beneventum duxerunt sanctum corpus apostoli, atque in altario recondiderunt, anno ab incarnatione Domini octingentesimo nono, vicesimo quinto videlicet die mensis Octobris. Cujus prior quidem ex Indorum parte transvectio in Lipparitanam insulam celebratur decima tertia die mensis Junii; dormitionis vero ejus festiva celebritas colitur, ut præmissum est, nono Kalendas Septembris; sicque ter in anno sacratissima digne celebratur solemnitas ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANASTASII BIBLIOTHECARII EPISTOLÆ TRES.

EPISTOLA PRIMA.

AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

Contra falsas quorumdam opiniones, asserentium beatum Dionysium, Parisiorum primum episcopum, non esse Areopagitam.

(Apud Surium, Act. Sanct. ad 8 Oct.)

Domino piissimo et serenissimo CAROLO imperatori, Deique vere cultori, semper Augusto, ANASTASIUS exiguus apostolicæ sedis bibliothecarius, in Domino æternum cum Christo imperium.

Ecce imperatorum solertissime et Christianissime qui effodis et rimaris sapientiam sicut thesaurum, cui nihil sinistrum est, cum utraque nimirum manu pro dextera utaris. Nam sic humana Reipublicæ commissa secundum legem Dei gubernacula moderaris, ut divina quæque non deseras, sed præferas. Passionem sancti hieromartyris Dionysii quondam Areopagitæ, postque Athenarum antistitis, quam Romæ legi cum puer essem, quamque a Constantinopolitanis legatis audieram, secundum jussionem vestram diu quæsitam, tandemque in maximo cœnobiorum Romæ sitorum repertam, etiam inter diversos langores positus, arrepto interpretandi certamine, Latino eloquio tradidi, quantum potui, auxiliante Deo, et si non ex toto verbum e verbo, sensum tamen penitus hauriens. Cesset ergo jam quorumdam opinio, perhibentium non esse Areopagitam Dionysium eum, qui prope Parisium corpore ac virtutibus redolet: cum hoc et Græcorum quoque stylus, cum Latina lingua concordans, testetur et prædicet, in qua profecto natus est, et qua celsa scripta sua contexuisse probatur: præsertim cum manifeste sciamus, præcipuos tractatores Ecclesiæ, qui Latino stylo scripsere, quid dubium in sancta Scriptura reperientes, mox ad Græca exemplaria currere, et ad eorum sensum, protinus a se omne nubilum ambiguitatis excludere.

Nec mirum, si quisquam doctorum erga plurima occupatus, nec Græcorum scripta rimatus, aliter senserit, cum ipse apostolus Petrus quædam sic tenenda esse putaverit, ut merito coapostolus ejus Paulus eum reprehensibilem judicaverit. Beatus etiam Cyprianus doctor et martyr, quiddam de rebaptizatione definivit, quod tota Ecclesia rejecit. Quid autem de sancto Augustino dicemus, qui etiam libros Retractationum, conficiens nonnulla, quæ se bene sensisse dudum putaverat reprehendit. Nam Deus omnipotens nonnunquam dispensatorie gerens, cui multa revelat, quiddam operum deserit, et quod alteri obserat, alteri reserat: ne tamen sine remunerationis dono relinquit, quod ex radice charitatis prodire non nescit: quia cum cor scrutetur, non tam dictum quam intentionis admittit effectum. Verum hinc multa, docente Deo, dicere possem, si non mihi præfationem, sed apologiam faciendi propositum exstitisset. Suscipe itaque, piissime imperator, Dionysium, ex Græcia iterato volatu venientem, et qui gaudes eo Latino eloquio habito, gaude et ab Achivo sermone donato.

Sane quia nonnulli beatum Dionysium πτερύγιον τοῦ οὐρανοῦ a Græcis appellari commemorant: notandum quod hunc beatus Joannes Chrysostomus πτετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ, id est *volucrem cæli* in ultimo sermonum describat. Quorum duorum nominum differentiam, sacri Evangeliorum atque psalmorum Græce scriptorum, libri demonstrant: nam in altero quidem Græce πτερύγιον scriptum, codex Latinus non *alam*, sed *pinnaculum* interpretari declarat. In altero vero πτετεινὸν crebro sermone Romano translatum, volucrem sonare designat. Hujus autem passionis textum beatus Methodius, qui a sede apostolica Constantinopolim presbyter missus, ejusdem urbis tenuit pontificium, et ex tunc inter sanctos ab omnibus ob suæ confessionis et agonis certamen veraciter veneratur et colitur, edidit, pauca de multis præcedentibus scriptis excerpens. Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter, et qui dedit amplum in terris imperium, tribuat in cœlestibus ditissimum regni præmium.

Actum mense Junio, indictione nona, anno pontificatus viri beatissimi domini nostri Joannis octavi

papæ quarto, imperii vero domini clementissimi Caroli semper Augusti primo.

EPISTOLA II.

AD EUNDEM.

De Areopagiticis et Joanne Scoto eorum interprete.

(Apud Usserium, Vet. Epist. Hibern. Sylloge.)

Inter cætera studia quæ tam laudabilis actio quam saluberrima commonitio, quin etiam odorifera volans opinio de virtutum ac morum quantitate tuorum (o dictator inclyte!) mortalium mentes excitat, et ad effodiendum sapientiæ hortatur velut thesauros; illud quoque non mediocriter est admiratione stupendum, quod non solum Latinos Patres, sed et Græcos rimari non cessas, et Romana lingua pollentes Pelasgarum facis rerum non expertes. Tu quippe facis, qui ad faciendum suscitas et hortaris: quia et nos sæpe magnam domum fecisse dicimur, non tamen manibus, sed affatibus. Beatus itaque Areopagita Dionysius Atheniensis antistes (quem inter cætera constat industria tua, præstantissime principum, in Romanum sermonem translatum) tantum est, ut ipse patentius nosti, ad intelligendum difficilis, quantum sermone sublimis: imo quanto difficilia sunt intellectu et alta mysteriis, quæ ipse perscrutatus, superna revelante gratia, didicit; et arcana theologiæ (divina se ducente manu) ingressus in sanctuarium Dei ablato velamine penetravit.

Mirandum igitur est, quia pietas tua nec talia indiscussa reliquit. Sed hic licet in terra ambulat, tanquam in cœlis conversans ambit: ita ut, veluti quidam (ut ita fateamur) angelus vel cœlestis homo, Sancta sanctorum ingredi contemplatione videaris, et ad abdita et adyta divinæ ineffabilitatis, quantum possibile est mortalibus, acutis spiritualium oculorum visibus accessisse credaris. Mirandum est quoque quomodo vir ille barbarus (qui in finibus mundi positus, quanto ab hominibus conversatione, tanto credi potuit alterius linguæ dictione, longinquus) talia intellectu capere in aliamque linguam transferre valuerit. Joannem innuo Scotigenam virum, quem auditu comperi per omnia sanctum. Sed hoc operatus est ille artifex Spiritus, qui hunc ardentem pariter et loquentem fecit. Nisi enim ex gratia ipsius igne charitatis flagrasset, nequaquam donum linguis loquendi procul dubio suscepisset. Nam hunc magistra charitas docuit, quod ad multorum instructionem et ædificationem patravit.

Verum etsi ad mensuram datus est ei Spiritus, ipse tamen, paternis doctrinis imbutus, quantum potuit fecit, et prodesse proximis ultra vires tentavit. Si quidem præter illa quæ hunc latuisse probantur, ex his quæ sparsim a quibusdam de prædicti Patris sermonibus et epistolis ante nos interpretata inveniuntur, plurimum utilitati subtraxit; quia tanto studio verbum de verbo elicere procuravit, quod genus interpretationis (licet et ipse plerumque sequar) quantum illustres interpretes vitent, tua profecto solers experientia non ignorat. Quod eum non egisse ob aliam causam existimo, nisi quia cum esset humilis spiritu, non præsumpsit verbi proprietatem deserere; ne aliquo modo a sensus veritate decideret. Unde factum est ut tantum virum, qui per se (quia intima et ardua quæque utriusque philosophiæ penetralia rimari proposuit) perplexus nostris intellectibus videbatur, intra cujusdam labyrinthi difficilia irretiret, et in antris profundioribus invisibiliorem quodam modo collocaret; et quem interpretaturum susceperat, adhuc redderet interpretandum.

Quapropter ipse merito anxius, cœpi sedulo quærere si forte reperiri potuisset præceptor quisquam, vel aliquod scriptum, quo enucleante, tantus Pater nobis liquidius illuscesceret; et quia jam per interpretis industriam linguæ nostræ fuerat traditus, nostris quoque patulis [*al.*, patulus] redderetur perfectius intellectibus: cum ecce repente paratheses sive scholia in eum (quæ Constantinopoli positus videram) ad manus venere, quibus utcunque interpretatis, mihi aliquantulum magis emicuit, quæ videlicet in marginibus interpretati codicis ejus, ut in Græco reperi, mox interpretata utcunque (donec a docto melius interpretarentur) respondentibus signis interpres ego satis imperitus apposui, vestræque gloriosæ sapientiæ potissimum fore mittenda non immerito judicavi; ut scilicet, quæ fuit alterius interpretationis hortatrix et auxiliatrix, sit etiam nostræ qualiscunque susceptrix et approbatrix. Ipsorum autem scholiorum sive paratheseon quæcunque in calce sui signum vivificæ crucis habent, a beato Maximo confessore et monacho inventa narrantur; cætera vero sancti Joannis Scythopolitani episcopi esse feruntur. Sane ubi a verbis interpretis scholia ipsa dissentire vidi, ut lector quid de apposita dictione interpres senserit, quid scholion insinuet indifficulter agnoscat, et verba interpretis scholio inserui, et qualiter ea scholii compositor prætulerit, innui.

Sed et, sicubi opportunum fore conspexi, ex me quoque (quoniam esse aliter non potuit) paucissima quædam, et quæ facilius ab intelligente agnosci poterant, interposui.

Præterea notandum est quod, licet tantæ gloriæ tantæque scientiæ sive antiquitatis iste sanctus Dionysius fuerit, nunquam tamen aliqua opuscula eum edidisse (nisi fallor) quæcunque orthodoxorum scripta traditio prodit, priusquam Romani pontifices (videlicet Gregorius, Martinus, et Agatho) dictorum ejus in conscriptis suis mentionem fecerint, et ea per hæc probabilia judicantes admiserint, Gregorius scilicet in homilia capituli Evangelii de centum ovibus et decem drachmis; Martinus in synodo sua quam Romæ contra hæreticos celebravit; et Agatho in epistola quam ad sextam synodum destinavit. Unde ego verum esse Græcorum opinionem conjicio, perhibentium libros ejus a prioribus hæreticis occultatos, donec longo post tempore ex opusculis ejus solus codex qui nunc habetur, est Romæ repertus, cæterisque nondum inventis, in Græciam asporta-

tus. Edidit enim alios, ut ipse innuit, libros; quos nec Græcus quisquam, nec adhuc potuit invenire Latinus.

Et quidem Lucas in Actibus apostolorum XVII, 34, Eusebiusque Pamphili et Dionysius Corinthi antistes, de eo quædam miranda tradunt; quæ vero scripserit (nisi me oblivio fallat) omnino non tradunt. Suadet autem ad hoc ita credendum etiam illud, quod nemo probabilium tractatorum, sicut eis moris est priorum dicta excerpendi, et suis opusculis inserendi scriptis ipsius utitur, aut horum cujuspiam reminiscitur. Denique vir magnus et apostolicæ sedis [*al.*, vitæ] præceptor Constantinus [a] philosophus, qui Romam sub venerabilis memoriæ Adriano Juniori papa veniens, sancti Clementis corpus sedi suæ restituit (quique totum codicem memorati et memorandi : Patris memoriæ commendaverat, et quantum utilitatis medulla ejus habebat, auditoribus commendabat, solitus erat dicere : Quod si sanctos, videlicet priores institutores nostros, qui hæreticos quosque vix et quodam modo cum fuste decollaverunt, Dionysium contigisset habere; cum acuto illos gladio procul dubio trucidassent; innuens profecto hujusmodi dicto, quia quorum os laboriosius et forte tardius obstruxerunt, facilius et acutius sive velocius (ὀξὺ quippe et *acutum* significat et *velox*) obmutescere coegissent. At vero post prælatorum sanctorum sedis apostolicæ præsulum memoriam, tam sanctæ septima et octava synodus, quam Latini et Græci doctores, non solum quia venerabilis hic Pater scripserit innuunt, sed testimonia ex Scripturis ejus frequenter assumunt; ut scilicet sensus suos et dicta tanti viri reddant auctoritatis pondere gravida, et cunctis mortalibus approbanda pariter et sectanda.

Deus omnipotens gloriam tuam a terrenis ad cœleste regnum transferat quandoque.

Data VIII Kal. Aprilis, indictione 8.

EPISTOLA III.

AD ADONEM ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM.

Mortuum Nicolaum papam nuntiat, electum vero in ejus locum Adrianum II.

(Apud Labbeum, Conc. tom. VIII.)

Domino sancto Patri ADONI venerando mihi et valde diligendo archiepiscopo, ego ANASTASIUS sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarius plurimam opto salutem.

Triste tibi nuntium, proh dolor! nimium tristis, et gemens transmitto. Venerabilis quippe recordationis Pater et papa noster Nicolaus ab hac misera vita Idibus Novembris ad cœlestem beatitudinem, ut credimus, ductus nos miseros et valde desolatos reliquit. Intrant enim post discessum ejus lupi rapaces non parcentes Dominico gregi, quibus obsecro et per Deum contestor ut fortis [b] minas resiste, simulque deprecor ut orationes pro illo Domino sedulas dirigatis. Eheu! quam sero talem virum Ecclesia meruit, quam cito reliquit. Vere fateor, expedierat ut sol radios suos absconderet magis quam illa os vel oculos divideret, quos usque ad punctum decessus sui ad divinum obsequium aperuit, et ad Ecclesiæ profectus intentos semper exhibuit. Verum nunc congregatio omnis, quos ille vel pro diverso adulterii genere, vel pro aliis criminibus redarguit, ad hoc exarserunt, ut universa ejus opera destruere et cuncta scripta delere meditari non metuant. Quorum conatus idcirco creditur ad effectum venire, quia imperatoris cum his manus esse, falso ut credimus, dicitur. Hæc ergo cunctis fratribus nuntiate, et in quibus prodesse posse confiditis, laborare pro domo Dei curate. Nam si tanti pontificis acta cassantur, vestra, quæso, ubi parebunt? Verum scio quia licet apud nos paucos, apud vos tamen reliquit sibi Dominus plurimos qui non curvaverant genua ante Baal. Habemus autem præsulem Adrianum nomine, virum per omnia, quantum ad bonos mores pertinet, valde strenuum et industrium. De quo adhuc utrum ecclesiastica negotia omnia, an partem curare velit, ignoramus. Penetret autem anima ejus ex anima avunculi mei; vestri vero Arsenii, quamvis idem eo quod inimicitias multas obeuntis præsulis pertulerit, ac per hoc imperatori faveat, a studio ecclesiasticæ correctionis paululum refriguisset. Quem cito, quæso, vestris sacris monitis rursus inflectite, ne diebus suis dum valet apud suum imperatorem et summum pontificem Ecclesia Christi [b], at maxime prima. Taliter merear vestra de prosperitate semper gaudere.

EMBOLUM.

Adjuro autem ut omnibus metropolitis Galliarum intimetis ne si hic factum fuerit concilium, sic quasi recuperationem sui status assequantur, ut in derogationem defuncti præsulis prosiliant. Præcipue vero cum hunc nullus redarguerit, et modo qui objectis respondeat non supersit, quamvis ille nec eo... publicam gesserit, nec hæresi unquam, ut fingunt, annuerit, sed zelo Dei quod operatur... Unde etiam scribo vobis et per Deum contestor ne consentiatis neque approbetis, imo resistatis iis quæ contra Nicolaum papam agi tentantur, quoniam auctoritas hujus Ecclesiæ mox dissolvitur, si præsul e... addicitur.

[a] De quo vide Anastasii nostri præfationem in octavam synodum, supra.

[b] Deest aliquid.

INCIPIT

PROLOGUS ANASTASII S. R. E. BIBLIOTHECARII

IN PASSIONEM SANCTORUM M CCCC LXXX MARTYRUM.

(Apud Bolland., 22 Junii.)

Petro egregio episcopo sanctæ Gavinensis Ecclesiæ, Anastasius summæ et apostolicæ Ecclesiæ bibliothecarius, apostolicam salutem.

Post translatam a me ad petitionem sanctitatis tuæ passionem præcipui doctoris et martyris Petri, Alexandrinæ urbis episcopi, mihi præcipere voluisti, quod passionem sanctorum mille quadringentorum octoginta martyrum apud Græcos habitam Latino traderem eloquio. Quod, considerata imperitia scientiolæ meæ, primum quidem hoc aggredi non præsumpsi : deinde vero, paternitati tuæ inobediens apparere refugiens, parui, et, quod jussisti, cœlitus adjutus explevi, malens penes doctos de inscientia reprehendi, quam apud paternitatem tuam pro inobedientia culpabilis exhiberi : præsertim, cum sanctitas tua in amore martyrum flagrans, non rusticitatem, qua et apostolos ante vocationem non caruisse manifestum est, sed triumphos eorum, qui ex ipsa minus urbana peritia utrumque sciri possunt, attendat, et ad venerationem multorum enucleatos habere desideret. Bene valens diutius in Domino paternitas tua pro nobis orare dignetur !

Sume, Pater placidus, multorum gesta piorum.
Rusticus est sermo, calamus quem vertit Achivo.

ANNO DOMINI D CCC XC.

ERCHEMBERTUS

CASSINENSIS MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA IN ERCHEMBERTUM.

(Apud Pertz, Monum. hist. Germ.)

Erchembertus, natione Langobardus, ut Leo Ostiensis (*a*) refert, patre Adelgario, Pilano castro comitatibus Teanensis, ut videtur, oriundus (*b*), x Kalendas Septembris anno 881, ibi a Pandonulfo ejusque sociis Neapolitibus captus et omnibus bonis a pueritia acquisitis exutus, atque, ut ipse scribit, pedester ante equorum capita usque ad urbem Capuanam exsul evectus est. Deinde Capuæ commoratus et sancti Benedicti regulam professus (*c*), in itinere (*d*) a Monte Cassino Capuam iterum a Græcis captus et cum sociis, quos inter præceptorem commemorat, male habitus ; deinde vero per Neapolim Capuam reversus ibique cellæ cuidam sancti Benedicti præpositus est. Anno sequenti, cum Atenolfus possessiones sancti Benedicti infra urbem Capuanam sitas fratribus exsulantibus auferri præcepisset, ab Angelario abbate Cassinensi et episcopo Romam ad Stephanum V papam missus est, a quo benedictionem fratribus privilegium cœnobii sui et litteras ad Atenolfum exhortatorias attulit. Quibus monasterio possessiones reddi impetravit, sed iram Atenolfi incurrit atque cella ab abbate tradita vi privatus est (*e*). Licet autem nec alia Atenolfi facta approbaret, sed dominandi habendique cupiditatem et severum ejus in filios sancti Benedicti imperium abhorreret, tantus tamen patriæ et gentis amor Erchembertum tenuit, ut victoriam ad sanctum Cartium ab Atenolfo de Græcis reportatam, qua Bardorum imperium stabilitum est, celebrandam sibi sumeret. Amicis igitur flagitantibus, ut historiam Langobardorum in ducatu Beneventano degentium inde ab ortu præcipueque a tempore Adelgisi principis conderet, opus aggressus est, et non solum, ut modeste præfatur (*f*), Marcum et Lucam evangelistas imitatus, magis quæ auditu percepit, quam quæ ipse vidit, sed tempus etiam suum descripsit (*g*). Fecit id posteritatis ad exemplum, et ex opere ipso virum justum piumque, patriæ amantissimum, miserias ejus dissidio principum ortas ex intimo corde lugentem, tum gloriæ ejus pacis et securitatis studiosissimum agnoscat (*h*). Substitit in historia anni 889 ; fortasse morte præventus, cum se res Widonis et Berengarii additurum in fine operis promisisset (*i*).

Liber a compluribus sæculorum x, xi et xii ineuntis scriptoribus in subsidium vocatus, in uno tantum codice Salerni circa annum 1300 exarato, ad nostra usque tempora devenit. Asservatur iste 1) in bibliotheca Vaticana n. 5001 signatus, et verus omnium tam codicum recentiorum quales Romæ et in inferiori Italia exstant, quam editionum fons agnoscitur. Nam antequam Romam afferretur, anno 1560 a Marino Freccia exceptus est, cujus deinde exemplar complures viri litterati exscripserunt (*j*). Est membranaceus in 4°, littera Langobardica exaratus,

(*a*) Lib. I, 47.
(*b*) C. 44.
(*c*) C. 61.
(*d*) C. 69.
(*e*) C. 1, 22.
(*f*) Cf. c. 21, 31 et secundam historiæ partem.
(*g*) C. 1.
(*h*) C. 74.
(*i*) C. 82.
(*j*) Vide Peregrini præfationem ad Erchembertum.

sed radendo corrigendoque, Frecciæ ut videtur manu, certe sæculo XVI ita fœdatus, ut legendi discernendique magnam mihi interdum difficultatem objiceret. Quare haud raro scriptoris (*a*) et correctoris 2) manus distingui eo magis necesse fuit, quod hæc in editiones anteriores omnes derivata sit. Sed prima etiam manus tam scribendorum vocabulorum quam textus ipsius ratione a vera lectione, qualem ex prioribus capitibus et locis ex Erchemberto derivatis divinari licet, tantum recedit, ut reliquis præterea subsidiis uti oportuerit. Adhibuimus igitur : 3) Chronicon Salernitanum, quod in eodem codice exstat, sed eodem modo depravatum est. 4) Leonis Ostiensis librum I, cujus capitibus 9-47, nostri capita 2, 3, 9, 11, 14, 16, 17, 19, 20, 23, 29, 33, 35, 37, 39, 44, 46-48, 61, 65, 66, 69 exscripta habentur. 5) Joannis Chronicon sancti Vincentii ad Vulturnum, unde antiqua capitum 4, 20, 29, 32-36, 38, 39 lectio haud raro agnoscitur.

Quibus inter se collatis, cum scribendi rationem, qualem in codice Vaticano sæculi XIII exeuntis offendimus, a sermone chronicorum antiquiorum Cassinensium præcipue in usu litteræ *c*, quæ tum loco *t*, *g*, *p*, *s*, tum plane superflua ponitur aut omittitur, recedere vidissem, in ea re codicis auctoritatem relinquendam esse censui, reliquis quam fideliter fieri poterat servatis.

Editiones anteriores, ope apographorum codicis Vaticani institutæ, hæ fuerunt : A) Carracciolii inter antiquos chronologos quatuor Neapoli an. 1626 a Muratorio SS. V. p. 13 repetita ; B) Camilli Peregrini, ope lectionum nonnullarum codicis Vaticani ab Holstenio subministratarum correcta, in Historia principum Langobardorum, Neapoli 1643, tom. I ; unde a Burmanno in Thesauro IX, P. I, Eccardo SS. I. 49, Muratorio SS. II. 237, et Pratillo I. 46 sqq., iterum expressa atque in SS. Gallicis Bouqueti tom. V, 324, VI, 205, VII, 155, excerpta est.

Adnotationes editorum anteriorum, præcipue Pratilli, paucas tantum servandas duximus. Excerpta ex Gestis Romanorum pontificum de regibus Liutprando, Hilprando, Ratchiso, Aistulfo et Desiderio, auctoritate capitis 1 Erchemperti perperam invocata, eidem ab editoribus nonnullis tributa, Pauli Diaconi Historiæ Langobardorum subjicienda statuimus.

(*a*) *Codex sæpius scribit* Racchis (Ratchis), gencium, conticuum (contiguum), corructum (corruptum), dissencio (dissensio), scitus (situs), abscente (absente), procintu (procinctu), seles (scelus), silicet, defunto, cunti ; *litteram* h *interdum omittit in* aut (haud), yems, ystoria, ausi (hausi), alitus, exalaverat, veatur (vehatur), traens (trahens), *scribit in* harena, *hac* (ac), habilit, habeuntibus, hedificare, his (is), hovile, honestatus ; ubi et nos id servavimus. *Præterea* b *et* v *commutantur in* valbus (balbus), Vari (Bari), velvis (belvis), improvitas, prævito, basis (vassis) fribolum, b *et* g in Liguria (Liburia, b *et* s in assumitur (abeumitur) ; d *omittitur in* animavertat, aiuvandum quemamodum ; *commutantur* s *et* x in estremitas, iusta, iuxit (iussit) exitare (hæsitare) ; ph (f) *et* v in Vari (Phari) ; o *et* a *in* Langobardi, i *et* e *in* declevis et congemescit ; i *et* g *in* agebat (aiebat), gurgium ; u *et* o *in* commatio ; u *omittitur in* Agustus. *Scribitur etiam semel* frebis *pro* febris. Sed omnia ea haud constanter.

ERCHEMBERTI HISTORIA LANGOBARDORUM.

1. Langobardorum [1] seriem, egressum situmque regni, hoc est originem eorum, vel quomodo de Scandanavia insula egressi ad Pannoniam, iterum a Pannonia Italiam transmigraverint regnumque susceperint, Paulus, vir valde peritus, compendiosa licet brevitate set prudenti composuit ratione, extendens nichilominus a Gammara et duobus liberis ejus hystoriam Ratchis pene usque regnum. In his autem non frustra exclusit ætas loquendi [a], quoniam in eis Langobardorum desiit regnum ; mos etenim hystoriographi doctoris est, maxime de sua stirpe disputantis, ea tantummodo retexere quæ ad laudis cumulum pertinere noscuntur. Ultimo autem compulsus [2] a compluribus ego Erchempert quasi ab [b] ortu [3] præcipueque ab Adelgiso [4], insigni sagacique viro, hystoriolam condere Langobardorum Beneventum degentium, de quibus quia his diebus nil dignum ac laudabile repperitur quod veraci valeat stilo exarari, idcirco non regnum [5] eorum, set excidium, non felicitatem, set miseriam, non triumphum [6], set perniciem, non quemadmodum profecerint, set qualiter defecerint [7], non quomodo alios superaverint, set quomodo superati ab aliis ac devicti fuerint, ex intimo corde ducens alta suspiria, ad posteritatis exemplum succincto licet et inerti prosequar calamo [8]. Hac quoque flagitatione devictus, non tantum ea quæ oculis, set magis quæ auribus [9] hausi, narrare me fateor, imitans ex parte dum-

VARIÆ LECTIONES.

[1] Longobardorum *plerumque codex.* [2] *add.* sum. 2 [3] abort : : : : *c.* abortivus A. ab ortu B. [4] Algelgiso *c.* [5] regen:um *c.* [6] triumphum *cod.* [7] deferint *cod.* [8] calomo *cod.* [9] aribus *corr.* auribus *c.*

NOTÆ.

[a] Id est, non sine causa ætas provecta Paulum a finienda Historia prohibuit.

[b] Sequentia interpretes vexarunt. Peregrinus et Pratillus intelligunt, Erchembertum ab « Algelgiso » Langobardo, quem eumdem fortasse qui cap. 68 occurrit fuisse credunt, excitatum historiam scripsisse ; sed tunc quid voces *quasi ab ortu* significent haud video. Igitur alia ratione explicanda sunt ; Erchembertus dicit se a compluribus compulsum esse, ut Historiam Langobardorum in ducatu Beneventi degentium inde ab ortu principatus, præcipueque ab Adelgiso principe, scriberet. Quod ita esse, opus ipsum indicat ; incipit enim ab Arichis duce et inde ab Adelgiso ampliori sermone procedit.

taxat Marci Lucæque evangelistarum præconiis, qui auditus potius quam visus Evangelia descripserunt.

2. [1] Igitur capta ac subjugata Carlo Italia (774), Pipinum filium suum illoc [2] regem constituit, cumque illo stipatus innumerabili exercituum agmine crebrius Beneventum adiit capessendam. (781.) Quo tempore Arichis, gener jam fati Desiderii, vir Christianissimus et valde illustris atque in rebus bellicis strenuissimus, Beneventum ducatum regebat. Qui audiens eos super se adventare, Neapolitis qui a Langobardis diutina oppressione fatigati erant pacem cessit, eisque diaria [a] in Liburia [a] [b] et Cimiterio [c] per incolas sancita [b] dispensione misericordiæ vice distribuit, titubans, ut conici valet, ne ab eorum versutiis Franci aditum introeundi Beneventum repperirent. (787.) Super Beneventum autem Gallico exercitu perveniente [c], prædictus Arichis viribus quibus valuit primo fortiter restitit, postremo autem, acriter præliantibus universa ad instar locustarum radice tenus corrodentibus, magis civium saluti quam liberorum affectibus consulens, geminas [d] soboles vice pigneris jam dicto tradidit Cæsari, hoc est Grimoaldum et Adelchisam, simulque cunctum thesaurum suum; ex quibus Adelchisa multa cum prece proprio restituta suo [7] genitori, Grimoaldum vero secum remeans detulit Aquis [e], collata Arichis pace sub fœdere pensionis.

3. Nanctus itaque hanc occasionem, et, ut ita dicam, Francorum territus metu [8], inter Lucaniam [d] et Nuceriam [e] urbem munitissimam et præcelsam in modum tutissimi castri idem Arichis opere mirifico exstruxit [f], que [10] propter mare contiguum, quod salum appellatur, et ob rivum qui dicitur Lirinus [g] ex duobus corruptum [h] vocabulis Salernum appellatur [11], esset scilicet futurum præsidium principibus superaiventante exercitu Beneventum. [Hic [12] Arichis primus Beneventi principem se appellari jussit, cum usque ad istum qui Benevento præfuerant duces appellarentur; nam et ab episcopis ungi se fecit, et coronam sibi imposuit, atque in suis cartis: *scriptum in sacratissimo nostro palatio*, in finem scribi præcepit.] Infra Beneventi autem mœnia templum Domino opulentissimum ac decentissimum condidit, quod Græco vocabulo Agian Sophian, id est sanctam sapientiam, nominavit; ditatumque amplissimis prædiis et variis opibus sanctimonialium [13] conobium statuens, idque sub jure beati Benedicti in perpetuum tradidit permanendum. Pari etiam modo in territorio Alifano [14] Deo amabili viro ecclesiam in honorem Domini Salvatoris construxit, et monasterium puellarum instituit, atque ditioni sanctissimi Vincentii martiris subdidit.

4. Defuncto dehinc Arichiso, consilio habito Beneventanorum magnates [15] legatos ad Karlum destinarunt multis cum flagitantes precibus, ut jam fatum Grimoaldum quem a genitore obsidem jam pridem [16] susceperat sibi præesse concedere dignaretur. Quorum petitionibus rex annuens illic continuo prædictum contulit virum, simulque jus regendi principatus largitus est, set prius eum sacramento hujusmodi vinxit, ut Langobardorum mentum tonderi faceret, cartas vero nummosque sui nominis characteribus superscribi semper juberet [17]. Accepta denique licentia repedandi a Beneventi civibus magno cum gaudio exceptus est. In suos [18] aureos ejusque nomine aliquandiu figurari placuit, schedas vero similiter aliquanto jussit exarari tempore, reliqua autem pro nichilo duxit observanda; nox rebellionis jurgium initiavit.

5. Hac etiam tempestate idem Grimoalt neptem Augusti Achivorum [19] in conjugium sumpsit, nomine Wantiam; set nescitur, quam ob rem ad fructum minime pervenit. In tantum enim odium primus eorum avidus prorupit amor, ut sumta occasione Francorum circumquaque se repugnancium, more Hebreico sponte eam a se sequestraret; dato ei libello repudii, ad proprios lares eam vi transvexit. Hoc quidem callide licet egerit, efferitatem tamen supradictarum barbararum gentium sedare minime quivit; nam tellures Teatensium et urbes a dominio [20] Beneventanorum tunc subtractæ sunt usque in præsens, nec non et Nuceriæ urbs tunc capta est, set celeriter a fato Grimoaldo acquisita est (802), apprehenso in ea Guinichiso duce Spolitensium cum omnibus bellatoribus inibi repertis.

6. Frequenter autem Karlus cum cunctis liberis, quos jam reges constituerat, et cum immenso bellatorum agmine Beneventum præliaturus aggreditur; set, Deo decertante pro nobis, sub cujus adhuc regimine fovebamur, innumerabilibus de suis peste perditis, cum paucis nonnunquam inglorius revertebatur. Unde factum est, ut Pipino regnante in Ticino et Grimoaldo præsidente in Benevento, frequentis-

VARIÆ LECTIONES.

[1] *capitum divisionem Codex ante caput* 44 *haud agnoscit.* [2] *Ita aut* illis 1. *habere videtur;* illic 2. [3] liguria *c. qui constanter* liguria *scribit.* [4] sancita : : *c.* [5] *deest* 1. *manu* 2. [6] *ita* 4 (1. 12); gemina *c.* [7] su : : *c.* fuit 2. [8] a quo *c.* [9] met : : *c.* [10] *ita* 1 *scripsisse videtur;* munivit et nova fabrica reparavit, quæ civitas 2. [11] corruct : : *c.* [12] *ita* 1?; appellatum, quam civitatem sic idem princeps fortificavit ut 2. [13] Hic *usque* præcepit *ex* 4. (1. 9., *qui ea ex Herchemperto laudat, adsumta, in codice desunt.* [13] *ita* 4.; sanctimonial *c.* [14] *ita restituendum videtur*, prediito alfano 2. aliphano 5. [15] magnantes *c.* [16] *ita correxi;* pridie *c.* [17] juberet muros Salerni Acherentiæ et Consiæ funditus everteret. Accepta. *edd. ex* 3. [18] suo *c.* [19] acivorum *c.* [20] *ita* 2. dominis 1?

NOTÆ.

[a] Pensiones.
[b] *Leburia, terra di Lavoro.*
[c] Ager Nolanus.
[d] Pæstum.
[e] Nocera.
[f] Arichis Salernum jam ante adventum Caroli munierat. Cf. Mon. G. SS. 1, 118, 168, 169.
[g] Ab occidente Salerni.

simum bellum vexaret Beneventanos, ita ut nec ad momentum pax interfuerit illis viventibus. Erat enim uterque juvenili ætate nitentes et ad commotiones [1] et bella declivi [a]. Pipinus autem, fultus suorum [2] præsidio bellatorum, jugi continuoque prælio exagitabat eum; Grimoalt vero et civitatibus munitis et primoribus quam plurimis constipatus, parvipendens ac despectui ducens illius persecutionem, in nullo cedebat ei. Aiebat [3] itaque per legatos suos Pipinus: *Volo quidem, et ita potenter disponere conor, ut sicuti Arichis genitor illius subjectus fuit quondam Desiderio regi* [b] *Italiæ, ita sit mihi et Grimoalt!* Quibus econtra Grimoalt asserebat:

Liber et ingenuus sum natus utroque parente;
Semper ero liber, credo, tuente Deo!

7. (807.) Et hoc quidem ita de hac luce subtracto, Grimoalt alter suscepit jura Beneventi tuenda, thesaurarius [4] videlicet divæ memoriæ Grimoaldi prioris, vir quoque sat mitis et adeo suavis, ut non solum cum Gallis, verum etiam cum universis circumquaque gentibus constitutis pacis inierit fœdus, et Neapolitis supra memoratis gratiam pacemque donavit (808). Set quia antiquus hostis semper invidet pacatis et piis viris, atque bella et discordiæ semina in eis serere molitur, Dauferium quendam, virum spectabilem, suæ artis malicie ignivit, et cum nonnullis filiis Belial horrendum fecit inire consilium adversus principem fatum, hoc modo depositis quippe in itinere insidiis, ut dum per pontem proficisceretur Veterrimæ urbis [b] ad prædictam urbem Salernum properans, impulsus a membris Satanæ profundum, fluctibus [6] marinis immergeretur, esset beluis in pastum. Set revelante sibi occultorum cognitore Deo, suis ad se accersitis, jam dictum incolumis pertransiit pontem; eos autem, qui suæ salutis hostis fuerant, cepit et vinculis injecit. (816.) Dauferius vero quia tunc non aderat illic, hoc agnito, fugam arripuit et Neapolitis susceptus est.

8. Quo comperto, Grimoalt non segniter egit, set confestim iter Neapolim agreditur, exercitumque post se accelerare jubet. At ubi juxta memoratam perapplicuit [c] urbem [7], juventutis populus ejusdem civitatis armis evectus, obvius illi audacter eminus exivit in prælium; quod ille ut intellexit, protinus itinera eorum revertendi prius irretire molitus est, et ita demum in eos insurgere voluit. Tantam denique hostium stragem cœpto bello mari terraque fecit, ut fretum adjacens vix per septem et eo amplius dies cruore occisorum purgaretur; in terra vero tumuli nunc usque interfectorum conspiciuntur cadaverum, et ut ab eisdem incolis referentibus compertus sum quinque milia fere hominum eadem tunc in acie occubuere. Idem enim Dauferius una cum magistre militum qui tunc finibi regnabat, soli elapsi, fugibundi mœnia illius urbis tandem ingressi, nec ibi sic quidem requiem capiunt; nam egressæ conjuges virorum peremptorum gladiis, insequebantur illos, dicentes: *Reddite nobis, o caduci viri proditori* [8], *quos nequiter interfecistis! Quare*, inquit [9], *adversus eos prælium insurgere conati estis, quem pro certo invictum scitis?* Grimoalt vero acrius eos insecutus est usque ad portam que dicitur Capuana, ita ut proprio conto eam percuteret; nec erat quispiam qui resisteret. Clausis tantum obseratisque foribus, qui remanserant infra muros se tutaverunt. Reverso igitur Grimoaldo ad castra cum suo exercitu incolume, altera die pro fatigio sumpto et pro interemptis affinibus, jam dictus perfuga dux dedit in exenium octo milia aureos supradicto principi, et memoratum Dauferium ad pristinam reduxit gratiam. Statim denique ob solitam misericordiam prædicto viro donationem de rebus suis præcepto firmavit, gratiam vero familiaritatemque primam non denegavit. Interea Radechis comes Consinus, Sico Agerentinus casteldeus, quem Grimoalt dudum proselitum [d] receperat honoribus plurimis deferens, sub dolo insurgentes in eum, cum jam extremum spiritum traheret, gladio eum peremerunt (817).

9. Interfecto igitur eo innocenter, prædictus Radechis Siconem loco illius principem subrogavit. Ipse vero non multum post tempus cuncta viriliter mundana metu gehennæ abdicans, ad beati se contulit Benedicti suffragia, catenaque cervice tenus vinctus, ejus cœnobium Christo militaturus adiit, se reum quoque clamitans et impium, se male egisse ac crudeliter vociferans, sicque monachicum scema [10] sumens, in tanta se districtione corporis animique coram oculis internis arbitris in eodem monasterio coartivit, ut nulli scrupulum adsit omnium facinorum suorum veniam adipisci meruisse. Circuibat ille sæpe diabolus girans septa sacri monasterii, et voce perspicua et multis audientibus clamitabat inquiens:

Heu, Benedicte, mihi! Cur me undique rodis? Inique
Me prius hinc pulso, nunc mea membra lucras!

10. (818.) Suscepto itaque Sico principatu, fœdus cum Francis innovavit, Beneventanos bestiali efferitate persequitur, atque se superstite filium suum, Sicardum nomine, heredem principatu effecit, virum satis lubricum, inquietum et petulantem [11], animique elatione tumidum. (821.) Per idem tempus Neapolitis, quorum superius mentionem feci, bellum a Sicone [12] creberrimum motum est, et civitate valide

VARIÆ LECTIONES.

[1] comutiones *c.* [2] *ita emendari*; fultorum *c.* [3] Agebat *c.* [4] regis *l.* [5] thesarius *c.* [6] fructibus *c.* [7] peramplicuit *c.* [7] u. continuo multe *i.* 2. [8] *i. e.* proditores; ppitori *c.* [9] *i. e.* inquiunt. [10] sema. [11] petulante *c.* [12] sicione *c.*

NOTÆ.

[a] Id est declives.
[b] Vietri prope Salernum.
[c] Id est, circumcirca applicuit.
[d] Id est advenam.

obsessa tellure pontoque ac fortiter jaculis et scorpionibus oppugnata, pene capta esset, si defuisset ingenium. Nam juxta ora maris muro [1] arietibus et machinis funditus eliso, jam cum catervatim populus ingredi urbem niteretur, dux jam dictæ civitatis, data mox obside genitrice sua ac duobus propriis liberis, magnopere eum callida arte exflagitans per nuncios misit ita : *Tua est urbs cum universis quæ infra se retinet; placeat ergo pietati tuæ, ne inter prædem detur; crastina autem die cum trofæo victoriæ gloriosissime ingredere, possessurus* [2] *nos omniaque nostra!* His ergo suggestionibus fidem accomodans, diem sustinuit venturum. Subsequenti vero nocte interrupta urbs muro firmissimo solidata [3] est, et crepusculo quo se suamque tradere pollicitus est civitatem, arma bellica suscipiens, contra eum se erexit ingenti certamine. Oppressi igitur durius a genitore et filio per sedecim continuos annos cives præfatæ urbis, cum jam ad extremitatem maximam pervenisset, ad Francorum se contulere præsidium. Hic denique diebus præerat illis cæsar Lodoguicus cognomento Almus, filius Karli superioris augusti, qui Lotharium natum suum consortem dum regni sciret, ab eo una cum socia sua captus ac custodiæ [4] mancipatus est, set ab optimatibus [5] suis ereptus, ad pristinam sublimatus est gloriam; quibus anitentibus, obsidio ab illis aliquandiu sublevata est (831).

11. Circa hæc tempora gens Agarenorum a Babylonia et Africa ad instar examinis apum manu cum valida egrediens, Siciliam properavit (832), omnia circumquaque devastans; tandem civitatem insignem Panormum nomine captam, nunc usque commoratur, plurimasque in eadem insula urbes et oppida dirruens, jam pene tota illarum gentium ditioni substrata congemiscit. (840.) Inter hæc moritur Lodoguicus, qui secundus in Gallia augustali præerat imperio, Lotharius supradictus illius regni hæres [7] effectus est, atque ab hoc Francorum divisum est regnum, quoniam Lotharius Aquensem et Italicum, Lodoguicus autem Bajoarium, Karlus vero, ex alia ortus genitrice, Aquitaneum regebat imperium.

12. (833.) Sed ut retro vertam sermonem, mortuo Sicone, Sicardus monarchiam solum optinuit, qui jam cum patre sæpius memorato per aliquot feliciter imperaverat annos; cœpitque populum sibi commissum ex levitate animi beluina voracitate insequi ac crudeliter laniare. Inter hæc, ut Asverus Aman, ita iste prætulit cæteris Rofridum quendam, filium Danferii cognomento Prophetæ, cujus consilii sub versione multa sacrilega ac blasima [8] patrabat. Fuit autem idem vir in mundanis rebus prudens, et nimium versutus, et ultra quam credi potest callidus; adeo enim circumvenit præstigiis suis fallacibus supradictum [9] virum, ut illo absente et dissentiente nil unquam [10] exercere vel ad momentum [11] auderet [12]; sicque ab eo deceptus et inlaqueatus est, ut germanum suum, Siconolfum nomine, gratis perpetuo dampnaret exilio (834), cunctosque Beneventanæ gentis proceres aut custodiis aut morti indideret; ad hoc nimirum tendens, ut dum relictus ac destitutus solacio esset optimatum, citra suam suorumque sanguinis effusionem facillime interimeretur. Quamobrem et Maionem cognatum suum tonderi jussit et monasterium retrudi, Alfanum [a] denique, quo nemo fidelior eo tempore fuit, virum illustrem et fortissimum robore, laqueo suspendi fecit. Tuncque factum est ingens perjurium in Benevento, ex quo conicitur iram Dei primum fore provocatam ad perdendam terram.

13. Talia eo tractante, divina actum est dispensatione, ut dum alium innocenter conaretur extinguere, prævenientem interim langorem ipse cœlitus spiritu pariter et carne perculsus interierit. Prius enim quam obiret, ut cumulus suæ perditionis justius augeretur, pro amore pecuniæ spectabilem et Deo dignum virum sanctitate conspicuum, Deusdedit nomine, beatissimi Benedicti vicarium [b], a pastorali [12] monasterio monachorum secùlari [14] magis potentia quam congrua ratione deposuit ac custodiæ mancipavit; cujusque nunc usque cineres, [15] quo recubat humatus, nonnullos febre detentos variisque langoribus oppressos ex fide poscentes creberrime curare noscuntur. Quid enim dicam de hujus viri nequitiis, quando quidem distractis ecclesiarum cœnobiorumque prædiis, nobilibus ac mediocrum rebus violenter ablatis, secundum subputacionem dierum anni embolismi [c] curtis [d] opulentissimas aggregavit. (839.) Hoc quoque misero ita obeunte, paulo post a filii vel Adelferio [16] nomine, Sicardus supradictus princeps gladio perimitur; Deo juste retribuente, qui plerumque reddit iniquitatem patris in filios carnem solummodo feriens ulciscitur; ut quia Sico, genitor suus, Grimoaldum, seniorem suum, indebite occideret, ulciscente Deo, filius illius a subditis interficeretur. Et isto hoc modo decedente, percussor non diu lætatus est. Nam parvo post tempore a Sicone notho, cognomento Albo, prædictus homicida extinctus est, scilicet ut juxta verbum Domini, qui gladio corpus proximi transverberavit, justo valde judicio talionem, hoc est similem ultionem [17], in se ipso expertulit.

14. Decedente itaquo Sikardo ab hac luce corpo-

VARIÆ LECTIONES.

[1] muros *c.* [2] sit *c.* [3] possesuros 1. [4] solida *c.* [5] acustodie *c.* [6] ab timatibus *c.* [7] heredes 1. [8] blasmia 1 blasma 2. [9] supraditum *c.* [10] inquam 2. [11] monimentum 1. [12] afferre auderet 2. [13] apostorali *c.* [14] secularis 1. [15] quos *c.* [16] adelferio nomine nomine *c.* [17] ulcicionem *c.*

NOTÆ.

[a] Abbatem.
[b] Id est abbatem Montis Casini.
[c] Anni embolismalis, 380 dies excedentis.
[d] Id est curtes.

rea, Radelgisus principatus regimen suscepit, the- A saurarius [1] prædicti viri, in cujus electione omnis ut ita dicam Beneventi provincia consensit, vir autem blandus ac bonis moribus pollens. (840.) At ubi isdem primatum promeruit, Siconolfus, quem superius exulem præmisi, a custodia carceris elapsus fugere latibulum cœpit, et ab Urso, comite Consino cognatoque suo, aliquandiu latuit occultatus. Quo etiam tempore liberi Dauferii Balbi [2], videlicet Romoalt, Arichis et Grimoalt, nec non et Guaiferius, Beneventi mœnia relinquentes, Salernum invasere, Siconulfumque quo latebram fovebat repertum, seniorem sibi unanimiter constituerunt; factaque tunc talis dissensio, qualis nunquam fuit in Beneventum ex eo quo Langobardi in ea ingressi sunt. Ante adventum itaque Siconolfi in Salernum missus est B Adelmarius a supradicto Radelgiso principe, ut filios Dauferii ad suam fidelitatem converteret; qui illuc abiens, astu doloso principem [3] deseruit et se illis sociavit [4], eosque igaivit deterius.

15. Eodem quoque tempore Landolfus jam Capuæ præerat gastaldeus, vir quippe ad bella promtissimus debellator. Hic autem vetustam exercens inimicitiam cum quibusdam de genere Seductorum, animo et gente crudelibus viperis, interfici fecit ex primis eorum septem viros, uni eorumque manibus abscidi; reliqui præsidium fugæ sumentes, Benevento adeunt Radelgisum, adfinem suum. Landulfus autem Sicopolim ingressus, a Radelgisi dominatione se subducens Siconolfo sociatus est, ac primum cum Neapolitis pacis conjunxit fœdera. Fretus itaque Siconolfus hujus ac liberorum ejus auxilio, totam Calabriam suo subdidit famulatui maximamque partem Apuliæ; dein adversus Beneventum præliis insurgere nititur, plurimasque urbes et nonnulla oppida ab ejus dominio auferens suoque juri [5] subjecit; et quia erat vir bellicosissimus, partimque metu, pene cunctum populum cum ambiens sequebatur. Prius enim quam Siconolfus Salernum obtineret, a prædicto Adelmario [6] Radelgisus invitatus et a suis stratoribus fraude suasus, Salernum quasi capturus adventavit. Quo dum pervenisset, castrametari grandi cum audacia placuit, set subito velud turbæ civitate isdem vir cum satis Dauferii filiis egressus, eos inaudita cæde mactaverunt, bonaque eorum cuncta diripientes ditati sunt; et Radelgisus vix cum paucis inglorius fugiens evasit, nec ultra ausus est Salerni metas gressibus attingere.

16. (848.) Illis quoque diebus Pando quidam [8] Barim regebat, qui jussis optemperans Radelgisi, Saracenorum phalaugas in adjutorium accitas juxta murum urbis et oram [7] maris locavit commorandas. Illi autem, ut sunt natura callidi et prudentiores aliis in malum, subtilius contemplantes munitionem loci, intempesta noctis Christicolis quiescentibus per abdita loca penetrant urbem, populumque insontem partim gladiis trucidarunt, partim captivitati [9] indiderunt. Supradictum vero proditorem gentis et patriæ, variis multisque suppliciis debachantes, postremo, ut vere dignum fuit, marinis sugillarunt gurgitibus. Quo comperto Radelgis, quia eos urbe nullatenus evellere quibat, cœpit tamen quasi familiares amicos excolere et ad suum adjutorium sensim provocare; ac primum castrum Cananense [9] una cum Urso filio suo illis destinavit oppugnandum. Confestim igitur intimatur hoc Siconolfo; perstatim mora seposita eos debellaturus properavit, atque super eos audacter irruens, cunctos qui fugere pe- B quiverant armis stravit, tantoque victoriæ positus est trophæo, ut ex innumerabili [10] acie paganorum vix pauci elapsi essent, qui urbe residuis casum [11] percuntium explicarent. Rex vero eorum, Gælfo nomine, solus cum dedecore fugiens, equo in itinere jam fesso amisso, tandem valde lassus plantis propriis urbem introgressus est.

17. Interea Siconolfus Beneventum crebris præliis graviter affligebat, atque ut dici solet *mala arbor, modo malus infigendus est cuneus*, contra Agarenos Radelgisi Libicos Hismaelitas Hispanos accivit, hisque invicem intestino et extero altercantibus bello, ultramarina loca captivis nostræ gentis diversi [12] sexus et ætatis fulciebantur. (843.) Quadam vero die convenere utræque acies in Furculas Caudinas [13], commissumque est belli certamen, ac primo impetu Ra- C delgisi pars victrix existens, Siconolfi exercitum totum in fugam vertit. Siconolfus autem in loco tutissimo tunc constitutus, cum paucis suorum mox super Beneventanos triumphantes ac suos [14] insequentes virili irruit animo, et non minima cæde prostravit; patrataque victoria, plurimos eorum gladiis extinxit [15], nonnullos cepit, reliquos vero in fugam compulit. Fretus itaque frequentissimis victoriis, omnes urbes et castella a Radelgisi abstrahens jure excepto Siponto, Beneventum circumdedit oppugnandum; cumque telis et lue famis non mediocriter coarteretur, mandatum ilico est Guidoni ut properaret urbem. Erat autem idem Guido dux Spolitensium, Siconolfi cognatus, pro cupiditate tamen pe- D cuniarum, quibus maxime Francorum subicitur genus, postposito vinculo parentali in adjutorium ilico profectus est Radelgisi, atque per nuncios suggessit Siconolfo obsidente urbem, ut obsessione [16] relicta ad propria remearet, adiciens inter cætera: *Permitte [16] me loqui cum Radelgiso, quia tuæ magis parti farebo.* Recessit igitur Siconolfus a loco illo; Guido interim applicuit, et accepta a Radelgiso unam sel-

VARIÆ LECTIONES.

[1] thesausararius *c.* [2] batui *c.* [3] principe *c.* [4] illisociavit *c.* [5] juris *c.* [6] aldemario *c.* cf. c. 13. [8] quidem *corr.* quidam *c.* [7] ora *c.* [8] captu *ceteris erasis c.* [9] *in margine manu sec. XV vel XVI scriptum est* civitas fuit, set nunc est destructa, prope barolum et hodie locus dicitur prior ad canno. [10] numerabili *c.* [11] urbem r. casu *c.* [12] diversis *c.* [13] ferculas caudina *c* [14] suo *c.* [15] extinexit *c.* [16] obssessione *c.* [16] permicte *c.*

fam pro septuaginta milibus nummis aureis, dirrupit quodcumque pollicitus fuerat suo cognato, et alienatus ab eo via qua venerat redilt.

18. Post hæc prædictus Guido suasit Siconolfo, ut datis quinquaginta milia nummis aureis pro adunatione provinciæ Beneventanæ, *Et optinere te*, inquid, *faciam eam hinc et inde, quasi palmo meciaris eam!* Cujus tunc consilio consenciens [1] Romam adiit, aureos tribuit, sacramenta dedit, jusjurandum suscepit, nichil proficiens inanis abscessit. Erat autem adhuc inter Siconolfum et Radelgisum frequentissima pugnæ concertatio et cotidiana litium seditio, unde et ex diversa parte quibus via justitiæ displicebat alternatim ab uno in alterum confugiebant, fiebantque crebra par [2] rapinæ incestæque fornicationes. Erant siquidem universi erranei et ad malum prompti, quasi bestiæ sine pastore oberrantes in saltum. Set cum jugiter civili bello invicem inter se lacerarentur, essetque omnium pernicies et, ut ita dicam, animæ et cordis extrema perditio, maxime quia Saraceni Benevento degentes, quorum rex erat Massari, infra extraque omnia funditus devastavit [3] ita ut etiam optimates illius pro nichilo ducerent atque ut ineptos servulos taureis duriter flagellarent [4].

19. (855.) His quoque diebus mortuo jam dicto Luthario, regnum Gallicum pentifarie [5] divisum est, quoniam Lodoguicus et Karlus, germani ejus, Bajoariam et Aquitaniam regebant, primogenitus ejus filius Lodoguicus nomine Italiam, secundus Lutharius Aquis, tertius Carlicius Provinciam tuebantur. Huic ergo Lodoguico augusto suppliciter relatum est per Landonem [6] comitem Capuanum, filium [7] Landolfi supradicti viri, et per Ademarium jam fatum virum [8]. Qui licet erat admodum parvuli [9], pro Dei tamen zelo eorum humilibus precibus aures accommodans, etiam consensum [10] præbuit; et celeriter veniens, universos prophanæ gentis hostes [11] ab urbe vi distrahi ac [12] framea necari fecit (849); et præsentibus omnibus Langobardis, inter duos prædictos viros totam provinciam Beneventanam æquitatis discrimine sub jurejurando dispertivit. Hoc autem facto, non diu supervixit Siconolfus, set debitum mortis munus exolvens, filium suum adhuc lactantem ministerii sui reliquid heredem. Cui superstes parum qui extitit Radelgis. Quo migrato, Radelgarius filius ejus in principatum loco ejus electus est, vir plane fortis viribus et animo pius, ac corpore cunctis gratus.

20. Per idem tempus Agareni Barim incolentes, cœperunt devastantes stirpitus deprædare totam Apuliam Calabriamque, ac pedetentim [*] Salernum ac Beneventum depopulare initiarunt [13] (852). Tunc iterum sugestum est lamentabili supplicatione jam sæpe dicto piissimo augusto per Bassacium [14] venerabilem virum, beati Benedicti vicarium, et per Jacobum sancti Vincentii abbatem, ut properare quantocius dignaretur, et suo adventu eriperet quos ante jam misericorditer redemerat: *Et simus*, inquinnt, *fidissimi famulis illius, constituatque nos subesse cuilibet ultimo suorum!* Qui sine mora veniens, cum incredibili multitudine Barim perrexit, set pro [15] omnibus obliti Capuani suam ultroneam sponsionem [16], urbibus se recondentes, Landulfum tantum antistitem vice sua illuc destinarunt. Videns autem supradictus cæsar et illorum fallacium et se nil proficere, sine emolumento [17] recedens abiit, concesso principato Salernitano Ademario, fortissimo et illustre viro, Siconolfi filium exulem fecit. (854.) Interea obiit Radelgarius Benevento; cui successit germanus ejus nomine Adelchis, vir quippe mitissimus et amabilis cunctis [18], tantaque mansuetudinis, ut etiam ab exteris diligeretur. Set, quod pejus, provincia in multis divisa ad exitium magis quam ad salutem de die in diem a dominatoribus ducebatur.

21. Subtracto vero ex hac luce Landulfo Capuano comite (843), ut post tergum [19] redeam, quatuor reliquit liberos, Landonem videlicet jam fatum virum, Pandonem, Landonolfum et Landolfum futurum pontificem, viros singularis prudencia virtutisque [20] efficacia valde compotes [21]; ex quibus Lando Capuam, Pando marepahissatum [22], Landonolfus Teanum regebat, Landulfus vero adhuc juvenis [23] palatinis [24] excubabat obsequiis. Hic autem novissimus, ut * post in patulo claruit, cum adhuc viscere gestaretur genitricis, eadem mater, cum se quadam die sopori juxta viri dorsum dedisset, facem igneam peperisse visum experta est. Quæ fax cum humi solo cecidisset, in maximum ignis globum aucta est, visaque est totius Beneventi confinium concremare, sicque cum sompno pariter et visio [25] elapsa est. Quæ nimium perterrita, proprio mox conjugi mœsta curavit indicare [26]; cujus visionis finem genitor ut audivit, in paucis [27] sillabarum dictionibus futura ejus dira opera complexus est, dicens:

Heu me, dulcis amans, quæ nos tunc fata [28] secuntur,
Augurium sævum monstrat tua visio dira!
Hac tuus hic ortus [29] tegitur qui clausus in alvo,
Diliget haut ullum [30] spernet qui sanguine caros,
Postremo cives viperino devoret [31] ore,
Ac velud ignis edax rectorum pectora buret.

VARIÆ LECTIONES.

[1] concencient *c.* [2] pariter? [3] devastaverunt? [4] flagarent *c.* [5] *ita* 4. (l. 29.) pentifari *c.* [6] est. pandonem *c. cf. c.* 21. [7] filii *c.* [8] virum nec non per venerabilem abbatem Bassacium, ut ad has partes venire eosque a nefandorum Saracenorum devastatione eripere tantisque calamitatibus finem dignaretur imponere *pergit Leo I.* 29. [9] parvulus? [10] consensensum *c.* [11] hoste *c.* [12] distrai hac *c.* [*] pededentim *c.* [13] intrarunt 5. [14] bassicium *c.* [15] præ 5. [16] sposionem *c.* [17] emolumento 4. [18] Adelgis omni bonitate deformis, sed quod pejus est etc. 5. [19] postergum *c.* [20] viros tutisque *c.* [21] compotens *c.* [22] mare pahissatum *c.* marepahis Suram *ed.* [23] *ita emendavi*; indolis *c.* teneræ indolis *ed.* [24] palatis *c.* [*] et *c.* [25] viso *c.* [26] indagare *c.* [27] *ita corrigo*; in pacis 1. in facis 2 infatis *ed.* [28] fatta *c.* [29] orcus c. [30] *ita cum editis lego*, aut illum *c.* [31] duret 1. devoret 2.

Quod ille, in extasi mentis licet, prædixerit, nos quoque propriis intuiti sumus optutibus, qui innumerabiles insontes homines illius facto conspeximus pro igne [a] gladiis corruisse. Ignis itaque ille ipsum humani [1] generis sanguinem, qui postea eo operante fundendus erat, sub quadam ymaginis specie portendebat; quod nequi incredibile hoc aut ymaginarie forte confictum videatur, tot mihi testes sunt quot pene homines versantur in urbe. Hujus enim actio finisque exitus in subsequenti propalabitur.

22. Horum denique genitor cum jam diei ultimæ appropinquaret, ut a referentibus audivi, vocatis liberis suis hoc in edictum illis tradidit, ne unquam, quantum ad se pertineret, [2] sinerent Beneventum cum Salerno pacisci: *quia non erit*, inquid, *vobis profuturum* [3]. Cujus monitum filii audientes, opere pariter patrarunt, atque suis heredibus in jus perpetuum sicut a patre susceperant reliquerunt. Magnum sanum [4] hereditarium [5] suæ reliquerunt soboli, adversus divinum dumtaxat præceptum gerentes quod ait Jesus discipulis suis: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Accepto itaque jure regnandi, modo [6] Siconolfo obsecuntur, parvipendunt imperiis ejus, set præ omnibus Landonolfus contrarius illi semper et ingratus extitit, adeo ut etiam filio illius natam suam necessitate ductus arraret. Hoc autem tempore Paulinus, Deo dignus et carus vir, Capuæ præsul, ab hac carnea subtractus est fæce, atque Landone supradicto viro viriliter decertante, Landolfum, fratrem suum, episcopum ordinavit; set incongruam vicissitudinem filiis ejus post patris intulit obitum, quos velud durissimos hostes vario ac perpetuo multavit exilio.

23. (851.) Mortuo itaque Siconolfo, ut unusquisque quod sibi habile videretur ageret, filium ejus adhuc anno carentem [7] loco ejus subrogarunt [8]. Tunc cœperunt prædicti fratres concives suos, partim ambitu, partim metu agitati, ferina persequi inguvie et, custodiis mancipare; quamobrem et a Pandulfo consanguineo suo Suessulam ingenio auferentes, suæ ambitioni nexerunt, ipsum et liberos illius extorres fecerunt, de quibus dehinc unum gladio [9], alium igne perdiderunt, duosque superstites jugi continuoque dampnarunt exilio. Suessulam autem postea a Landulfo Landonis filio captam, annitente sibi Sergio magistro militum, quia socer erat illius, nunc usque retinet [b] eam.

24. (856.) Hac tempestate, casu an judicio superno actum sit, tota urbs Sicopolis igne cremata est, ita ut ne una domus remaneret insta præter episcopalis aula. Qua reperta occasione, Landulfus præsul et Landonolfus, germanus ejus, consilio inierunt, ut deserta angusti montis cohabitatione, ad plana et præclara campestria descenderent ad commanendum: *Non sumus*, inquiunt, *caprearum hovile, ut in saxorum cavernis tueamur, ad humiliaque denique descendamus, ut altos nos et inhumiles circumspicientibus præbeamus!* Quibus tunc adsensum Lando minime præbuit, quia delirum ac frivolum erat, inter tot procellas urbem munitissimam deserentes ut suillo cœno locarent.

25. Hiis invicem ita altercantibus, duo prædicti viri cœperunt hædificare murum supra pontem qui vulgo Casilinum dicitur [c]; quorum opera ut perspexit Lando, inchoavit ac mirifice perfecit hædificandam urbem. Ut autem munita est et habitari cœpta, supervenit Guido jam dicto cum universis Tuscis, et obsedit eam hinc et inde graviterque angustiavit (858), quia nolebant subici Ademario jam fato viro ob improbitatem Landolfi præsulis et Landonolfi, quoniam illum præ cæteris affectu favebat fraterno, aliis quasi exteris spretis. Dum enim valide intus affligerentur cotidiana pugna, et foris sata delerentur, tandem robore et violentia devicti colla subdiderunt famulatui, excepto Landonolfus; quamobrem Suram, cuncta oppida confinia a Landonolfo domino subtracta et Guidoni sunt tradita, sicut promissum fuerat. Quo facto in tantam animi tristitiam corruit prædicatus vir, ut in proximo spiritum exhalaverit.

26. Per idem tempus veterem inimicitiam vindicare volens Ademarius, filium [10] Marini Malfitani, cognatum videlicet Pandonis, dolo cepit, et Sergio magistro militum, cum quo fœdus inierat, exulem tradidit; qua pro causa ab eodem Sergio etiam Marinus fraude captus est. Hinc etenim æternum jurgium inter Ademarium et Pandonem ortum est; unde factum est, ut inscio Landone Landulfus episcopus et Pando suaserint Gualferio filio Dauferii Balbi, et fecerunt apprehendere Ademarium principem, et Gualferium sponte [11] sibi seniorem elegerunt, juranles ei gravi sacramento. (861.) Set ocius ad consueta vitia defluentes, et huic statim post excessum Landonis, soceri illius, mentiti.

27. Mortuo denique Landonolfo (859), non multum post Lando [12] dira paralisi percutitur, lectum per annum integrum fessus detinebatur. Hoc agnito, Sergius magister militum præsidiis illectus Ademarii, ut priora replicem, dirrupit juramentum quod cum Landone pactum fuerat, et adversus filium illius bellum excitavit. Nam octavo Ydus Maias (8 *Maii*) quo beati Michaelis archangeli sollempnia nos sollempniter celebramus, quo etiam die priscis temporibus a Beneventanorum populis Neapolites fortiter cæsos legimus, hac ergo die, nullum honorem

VARIÆ LECTIONES.

[1] humanum *c.* [2] pertinerent *c.* [3] profurum *c.* [4] consilium? [5] M. sane hereditarium scelus *s. ed.* [6] nullo modo *ed.* [7] carente *c.* [8] subrogarent *c.* [9] gladium *t.* [10] filius *c.* [11] spontem *c.* [12] Landonem *c.*

NOTÆ.

[a] CF versum ultimum.

[b] Landolfus quo anno obierit, ignoratur.

[c] Scilicet Capuam recentem.

dana Deo, misit duos liberos suos Gregorium magistrum militum et Cæsarium, nec non et Landulfum generum suum Suessulanum, cum quibus Neapolitum et Malfitanorum exercitum tam pedestrem quam et equitum pene ad septem milia viros misit, dans ei in præceptum ut Capuam obsideret. Quibus audacter occurrit ceu leo fervidus Lando junior, repperitque eos transvadatos pontem Teodemundi suos acriter expugnantes; totis viris super eos irruit, atque cuneum eorum scindens gladiis ventilavit, captumque Cæsarium et ferme octingentos alios, reliquos in fugam vertit; sicque triumphans reversus est. Pando autem, illius avunculus, Ademarii metuens adventum, ad monumentum quondam Trasarici interim observabat excubias. Post hæc Pando, erepto Marino vinculis, Cæsarium cum universis libertati [1] restituit.

28. (860.) Iliis quoque diebus Lando senior, crescente interim langore, ad extrema perductus est, vocatisque duobus fratribus suis, Pando scilicet et Landolfo antistite [2], Landonem filium suum eis supplici prece commendare studuit, atque in manus eorum tradidit dicens : *Teste Deo sanctaque ejus ecclesia, vobis eum commendo, ut eodem in judicio futuro judicemini, quo eo in præsenti abusi fueritis !* sicque humanum faciens obiit. Quo migrato, non diu ad juramentum perstitit fraternum; nam subdole pro cupiditate castaldatus et Landonem et ceteros fratres urbe repulerunt, et a Gualferio alienati sunt, cui sacramenta recentia dederant, præcipueque Landolfus per evangelia missarumque sollempnia nec non et per manus sacratas suas ille non semel juraverat. Hoc facto, Lando Caiaziæ ingressus est, capto in ea Aiooldo, qui a prædictis viris eam ad custodiendum fuerat directus. Eodem igitur tempore Landolfus [3], frater Landonis, Casam Irtam [a b] cepit; set superveniens Pando, cepit eum cum quadraginta primoribus, quibus redditis, castrum Caiaziæ recepit, et receptis filiis Landonis a Guaiferio et Landolfo fratre eorum in Suessulam [b]. Quibus exterminatis [c d], minime quievit eorum rabies, set cœperunt eos persequi jugiter etiam terminos Suessulam expugnantes. Hos siquidem Guaiferius princeps non segniter [4] adjuvabat, et multotiens locum cedebat eis, nolens frustra [5] Christicolum fundere cruorem. Set Landolfus præsul non hoc religionis gratia set imbecillitati deputans, vi suum germanum contra Christum Domini pugnare cogebat. Fretus ergo filiorum trium, Maionis, et Maienolfi nec non et Radelgisi filii Adelgisi Beneventani principis, eum adversus jam dictum principem suum nisit; set justo Dei judicio, a quo omnis potestas et ordinatio consistit, ipse primus occubuit; nonnulli [6] ex eis capti, reliqui autem fugati sunt.

29. (862.) Inter hæc Saugdan [7], nequissimus ac sceleratissimus rex Hismahelitum, totam terram Beneventanam igne gladiis et captivitate crudeliter devastabat, ita ut non remaneret in ea halitus [10]. Quamobrem et Gallorum exercitus crebrius adveniens [11] eorum efferitatem opprimendam, set nil proficiens, via qua venerat repedabat. Unde factum est, ut Adelgisum Beneventi principem, coactata pensione et obsidibus, pacem eo [12] firmaret. Quo tempore Maielpotus [13] Telesinus et Guandelepert Bovianensis [14] castaldei multa cum prece conduxerunt Lambertum ducem Spolitensium, et Gararduin comitem [15], et obviantes eidem Saugdan, cum de Capuæ depopulatione reverteretur, in Arvium [16] tellure irruerunt super eum. Set exurgens jam dictus vir, et super Beneventanos et Francos fortiter se injecit, ac dirruptis cuneis, plurimos eorum interemit, nonnullos cepit et crudeliter extinxit; Gararduis vero comes, Maielpotus, et Guandelpertus, supra dicti viri, eadem in acie tunc occubuere. Qua de re audaciam ex illo die potiorem sumens, Beneventum ejusque confinia funditus delevit, ita ut nullus locus præter urbes præcipuas ejus efferitati [17] evaderet. Quibus diebus [18] et castrum Benefranum [19] cepit et cœnobium sancti Vincentii martiris deprædavit, et pro hædificiis non combustis tres milia aureos accepit. Hoc facto, et a vicario beati Benedicti totidem nummos accepit [d].

30. (862.) Mortuo denique Pandone, Landolfus episcopus solus superstes remansit. Qui Pandonolfum, nepotem suum, vice patris sui Pandonis comitem in Capuam constituit, qui vulneratus ex prælio quo genitor occubuerat semivivus evaserat. Hic autem in familiaritate sua habebat Dauferium cognatum [20] Maionis; cujus versutias metuens Landulfus præsul, monuit Pandonulfum, ut, dato ei adjutorio, alibi eum ad commanendum destinaret; qui nolens illius consilio acquiescere, clam egressi tres germani ex urbe Potensi, cum eodem Dauferio castella invasere. Nam Pandonolfus Suessulam, Landulfus autem Casam Irtam, Landonulfus Caiaziæ [21] ab illius genitore castrum jam dudum quassatum intraverunt, et cœperunt deprædare omnia in circuitu. Quos Landulfus ingenio decepit, simulque Gualferium et Adelgisum principes delusit, nec non et Landonis filios nepotes suos, quos jam pridie ex-

VARIÆ LECTIONES.

[1] libertatis *f.* [2] antiste *c.* [3] landonlfus *c.* [a] casam irtam *c.* [b] ex tminatis *c.* [4] signiter *c.* [5] fustra *c.* [6] nonnullis *c.* [7] Saugdan *c. sed cf. c.* 29. Saogdan 5. [10] alitus *c.* habitus 5. [11] a. ob e. 5. [12] p. cum eo *f.* 5. [13] Magelpertus 5. [14] boviansis *c.* [15] Gerandum comitem Marsorum 5. [16] Barium B. [17] feritatem 5. [18] d. Telesiam, Aliphas, Sepinium, Bovianum et Hiserniam, castrum quoque Benafranum cepit funditusque delevit. Monasterium vero etc. 5. [19] Ififranum *c.* [20] c. suum M. *c.* [21] scaiazie *f.*

NOTÆ.

[a] Caserta.
[b] *Castello di Sessola.*
[c] Id est ejectis.
[d] Cf. Chron. Casin. c. 30.

torres [1] fecerat a solo proprio, dolo evocavit, fratrumque suorum confinia deprædare fecitque succendi. Dumque cotidie Capuæ ruina excresceret, hortatus est idem vir filios Pandonis cum filiis Landonis [2], nexo fœdere utrique urbem introirent ad commanendum. At illi [3] ex diverso in unum coeuntes, sacramento juncti sunt, adieruntque urbem; quos statim [4] prædictus vir arte sua fefellit et perjurare fecit, illisque divisis, mentitus est. Qua pro causa etiam Pandonulfus ad imperialem celsitudinem misit; epistolis ac jussionibus ablatis, in urbe memorata non est ingressus, quousque venirent Lodoguicus plissimus augustus, a multis per varia tempora invitatus.

31. Fuit autem idem Landolfus, ut pollicitus inseram (*cap.* 21), ex natura prudens, set ex consuetudine callidus, lubricus nimium et petulans, ambitiosior omni homine, elatus supra quam credi potest, monachorum quoque infestor et prædator [5], de quibus in tribunal tumidus sedens solitus erat dicere circumstantibus : *Quotiens monachum visu cerno, semper mihi futura dies auspicia tristia* [6] *subministrat*, justo valde judicio Dei, ut ab hiis incommoda tolleraret, quos velud nefandissimos hostes execrabat et persequebatur, a quibus etiam in futuro torquendus erat. Principis sui quoque derisor et perjurus, nepotumque suorum perosor, quippe qui neminem dilexit præter suæ carnis incentiva, pacem nunquam, nec in die obitus sui, amplexatus est. Sic ubi fœderata sensit, totus se strenue iniciens, zizaniorum semina sevit; quod si cui incredibile videtur, animadvertat, quot vicibus Guaiferium fefellit, cui per ter juravit ipsumque ipse sibi principem instituit. Multo enim libentius cupiebat captivari animas hominum innocentium, quam vel parem eum habere, non dico seniorem, contra præceptum Apostoli gerens, qui ait : *Subditi*, inquid, *estote omni dicioni, sive regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis* (*I Petr.* II); et alibi : *Non præest potestas nisi a Deo, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (*Rom.* XIII). His [7] igitur, postposita ecclesiastica dogma juraque episcopalia, semiviros [a] solummodo dilexit eosque cunctis prætulit, implevit nichilominus prophecia Ysayæ dicentis (*cap.* III) : *Effœminati dominabuntur eis.* Hujus enim ego facta viri minuatim explicare si voluero, facilius ut reor tempus absumitur [8], quam fandi sermo terminetur; tamen si quis medullitus nosse desiderat, versus a memet constructos [9] requirat. Ante diem vero exitus sui Capuam trium fratrum suorum filiis ita divisit, ut omni tempore inter eos gladius rixæ nunquam omnimodo abesset; ut fateor si quis corde non percipit, oculis videat.

32. (866) Invitatus itaque Londoguicus cæsar, ut prædixi [10], in commune a Beneventanis, Capuanis cunctisque cummarcanis ad tuitionem perditæ patriæ — a Guaiferio minime hoc, quia pro Ademari [11] captione execrabatur — Beneventi fines per Suram ingreditur, atque prius monasterio Benedicti beati applicuit. Quo ad eum legati de diversis urbibus venerunt; inter quos Landulfus jam dictus et nepotes sui ex diverso venerunt. Susceptis igitur augustis, hoc est vir et conjux, a Berthario venerabili abbate officiocissime, Landulfus ad solitam vergens fallaciam, Capuanos quos cæsari præsentaverat fugere compulit; ipse solus cum eo remansit, quasi satisfaciens, se nil culpabile penes eum gessisse. Prædictus itaque augustus Landulfum [12] tunc pro nichilo ducens, Capuam adiit, obsessamque tribus hinc inde mensibus [13] funditus [14] delevit, et cum civibus illius quodcumque placitum dare nollet, Lamberto comiti illius se tradiderunt; putantes se facere rectius, pessime corruerunt. Unde postea pro nichilo ducti, omni fere mense diversis judicibus dabantur in prædam. Hoc quoque ita peracto [15], Guaiferio omni sine sponsione prius Salernum, et sic demum ab Adelchiso Beneventum exceptus est.

33. (867.) Sequenti autem anno multis fultus auxiliatoribus Barim perrexit, atque cum sæpe dicto Saugdane [16] augustalis exercitus pugnam commisit, a quibus et superatus aufugiit, ammissa non modica parte bellatorum. Dehinc omnia eorum circumquaque sata comburens, Materiam adiit, quam et sine mora igne cepitque. Tunc venit Venusiam, castrametatusque in ea cœpitque renovare, et Barim hinc et inde graviter expugnans demolitus est; positoque præsidio pugnatorum in Canusia, vicissim eos cornibus ventilabat. Quo terrore perculsi [17], multi ad augustalem confugientes clementiam, dari sibi petebant dextras; quibus tunc solitam misericordiam non [18] denegat. Post hæc itum est Oream [b] urbem, sicque itidem reversus est Beneventum, atque annitente sibi dextera superna, cum jam ad extremitatem maximam pervenissent Saraceni, misso exercitu Barim cepit, capto in ea Saugdan effero rege cum aliis nonnullis satellitibus suis. Deinde (871 *Febr.*) Tarentum obsidere jussit.

34. Quibus ita patratis [19], ut superius promissa promam [20], videns diabolus suos eliminari Christoque universa restaurari [21], principia recolens et dampna inferni dolens, suo instincto cœperunt Galli graviter Beneventanos persequi ac crudeliter vexare. Qua de re et Adelgisus princeps adversus Lodo-

VARIÆ LECTIONES.

[1] extorrens *c.* [2] *Ita* B, Pandonis *c.* [3] ille *c.* [4] quo statim *c.* [5] predor 1. [6] tristicia *c.* [7] *I. e.* Is. Hiis *c.* [8] assumitur *c.* [9] constructus *c.* [10] predixit 1. [11] Ademario 1. [12] Landulfus *c.* [13] *deest in c. sed restituendum ex* 4. (l. c. 36.) *et* 5. (402.) [14] fundi *c.* [15] *ita* 5. pacto *c.* [16] Saudagne *c.* [17] proculsi *c.* [18] *deest in codice;* non negavit 5. [19] *Ita* 5. paratis *c.* [20] pronam *c.* [21] restauri *c.*

NOTÆ.

[a] Id est eunuchos.

[b] Uria, Orea.

guicum augustum erectus, cum suis Beneventi infra mœnia degentem ac secure quiescentem astu [1] doloso [2] sanctissimum virum, salvatorem scilicet Beneventanæ provinciæ, cepit et custodiis mancipavit; bonaque ejus diripiens ditatus est, cunctosque viros exercitales spoliavit et fugere compulit, et de exuviis [3] eorum onustatus est; impletusque est sermo Domini ex prophetia sumptus [4]: *Percute*, inquid, *pastorem, et dispergentur oves gregis* (*Zach.* XIII.) Consistente itaque augusto in custodia, excitavit Deus spiritum Ilismaelitum, eosque ab Africa regione protinus evexit, ut ulciscerentur augusti obprobrium, sicuti filii Dei passionem Vespasianus et Titus ulti sunt. Set defensio Domini dilata [5] est in annos 42, juxta prophetiam Elisæi, qui 42 pueros, a quibus illusus est, duobus ursis dedit in commestionem; hujus autem contemptum nec in 40 distulit dies; ex quo datur intelligi, qualis quantusve vir iste fuerit, qui tam cito defensus est.

35. Absolutus [6] autem, Domino jubente, cæsar insons, statim Saraceni Salernum applicuerunt quasi 30 milia; quam graviter obsidentes, hinc et inde cuncta forinsecus [7] stirpitus [8] deleverunt [9], occisis in ea innumerabilibus colonis; et depopulati sunt ex parte Neapolim, Beneventum et Capuam. Quo tempore ambo Lamberti comites, augusti furorem metuentes, Beneventum recesserunt, et ab Adelgiso honorifice suscepti sunt; quorum auxilio fretus, super Saracenorum scaram [10] irruit et viriliter stravit, occisis ex eis pene tribus milibus viris. Quibus etiam diebus Capuam juxta Suessulam mille ex eis peremerunt. (872) Cumque in hac obsidione prope terminaretur annus, misso exercitu jam dictus augustus per sugestionem Landulfi præsulis — hoc enim solummodo memorabile bonum gessit a die ortus sui — et perdidit [11] ex prophanis in Capua ferme novem milia viros. (873.) Post hæc per semetipsum dignatus est advenire [12] Capuam; cujus advento cognito, Saraceni Salernum relinquentes, Calabriam adeunt, eamque intra se divisam repperientes, funditus depopularunt, ita ut deserta sit veluti in diluvio. Prius enim quam fugam arriperet nefanda gens, hujusmodi signum de cœlo Deus multis ostendit: faculam igneam permaximam præpete [13] cursu in medio navium jecit, quam mox secuta est tempestas, quæ cunctas liburnas frustatim dirrupit. Guaiferius vero pro sua obsessione primum Petrum cognatum suum et Guaimarium filium suum legatos ad jam fatum augustum misit; quos ille consilio Landulfi retinuit et exilio destinavit. Cujus etiam postea duos filios obsides suscepit et Langobardiam misit.

36 Per idem tempus jam dictus cæsar Landulfum in familiaritatem asciscens [14], tertium in regno suo constituit; qua electione illectus [15], archiepiscopatum totius Beneventi omni aviditate, et ut Capua metropolis fieret, quæsivit; set, non Domino sinente, ad profectum minime pervenit. Lodoguicus autem volens Beneventum acquirere, set minime valuit, ad propria recessit, conjugem natamque suam Capuam relinquens; qua occasione reperta, idem Landulfus Guaiferium principem, cui noviter juraverat, apprehendi fecit et in custodia detrudi [16]. (874.) Set quia non ea contigit illis quæ putabant, dimissus est, et filios Landonis, Landonem scilicet et Landonulfum [17], cognatos suos, pro se obsides dedit; quos secum remeans augusta detulit, Ravennam exilio reliquit. Proles autem ipsius augustæ Capuæ remansit, illaque abeunte, non multum post genitor illius, divæ memoriæ Lodoguicus, diem clausit extremum (875), sicque filii Guaiferii et Landonis absoluti sunt. Qui dum ad proprium solum repedassent [18], filios Pandonis extra urbem suam exules invenerunt, sociatique sunt illis, quorum nexionem [19] Landulfus ut intellexit, doluit, Guaiferium principem mox evocavit ad solatium suum; qui sine mora veniens, utrosque fratres subdidit famulatui illius.

37. Cur autem jam dicto augusto supradictum opprobrium Domino permittente Beneventani inferre quiverint, de multis duo inferam. Primum quia veniens quodam tempore Romam, ut duos episcopos condempnatos ad pristinam reduceret dignitatem, et dum nollet ei consentire [20] Nicolaus papa, vir Deo plenus, secundum antiquum morem obviam ei venit candidatum sacerdotalem agmen; at ille, spreto timore Dei, fustibus clerum cædi fecit, cruces vero omniaque sacrata ministeria pedibus calciari, Romamque pene miliari spatio deprædatus [21] est, vicariumque Petri beati quasi vile mancipium ab officio sui ministerii, nisi Dominus restitisset, privare voluit. Secundo quia capta Bari et Saugdan, omnium hominum flagitiosissimo [22], non juxta voluntatem Domini eum protinus, ut dignum erat, crudeliter interfici fecerit; oblitus videlicet, quid Samuel coram Saule de Agath pinguissimo rege Amalechitarum egerit, quomodo eum in frusta discerpi fecerit (*I Reg.* XV); quemammodum etiam quidam propheta Samaria regi de quodam scelerato viro dixerit: *Quia dimisisti*, inquit, *virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius* (*III Reg.* XX).

38. Dimisso igitur Adelgis Lodoguico cæsare, thesaurum omne retinuit, et Saugdan et Annosum, nec non et Abadelbachi. Receptis [23] etenim viribus, Saraceni in Tarentum, quos pene captos reliquerat augustus [24], ceperunt pedetemptim Barim et Canense [25] territorium deprædare; quibus ter occurrit Adelgis in finibus Apuliæ. Quibus nil prævalens,

VARIÆ LECTIONES.

[1] actu 5. [2] *ita* 2. 5. : : : : : 1. [3] *ita* 5. ex : : : : : *c.* [4] suptus *c.* [5] dilatata *c.* [6] *ita correxi*; A solo *c. cf.* 5. [7] fori : : eus *c.* [8] stirpatus 1. [9] delauerunt *c.* [10] sacram *c.* [11] peremit 5. [12] aduenire *c.* [13] *ita* 3. pbē *c.* [14] ascicens 1. alcicens 2 alliciens A. B. [15] innectus *c.* [16] retrudi 4. [17] Landolfum 3. [18] repedasset *c.* [19] nescione *c.* noxionem 3. [20] consentiret 1. [21] deprædata *c.* [22] flagissimo *c.* [23] *ita* 5 reptis *c.* [24] augustum *c.* [25] cumense 5.

invictus et intriumphator [1] abscessit Quo tempore (876) Utmagnus [2] [a], quia Saugdan exul fuerat, ab Africa cum Annoso veniens, Tarentum intravit, rex effectus est, egressusque, Beneventum graviter deprædavit et Talesam et Alipiam; tantaque victoria adeptus est, ut Saugdanem jam sæpe dictum potestatem ab Adelgiso recolligeret; nam Annosum et Abadelbach ante apocrisarios [3] miserat. Hoc audientes qui Barim residebant, Gregorium, bajulum imperiale Græcorum, qui tunc in Odronto [4] [b] degebat, cum multis exercitibus asciverunt, et Barim introduxerunt ob Saracenorum metum; qui statim apprehensum gastaldeum illiusque primores Constantinopolim misit, ut quibus jurejurandum fidem dederat.

39. Interea ipsi Græci crebrius legatos cum scedis [5] Benevento, Salerno et Capua dirigebant, ut ab his auxiliarentur contra Saracenos; set hi [6] uno animo eorum spernebant flagitationes. Tunc Salernum, Neapolim, Gaietam et Amalfim pacem habentes cum Saracenis, navalibus Romam graviter angustiabant depopulacionibus [7]. Set cum Carlus filius Judittæ sceptrum [8] insigne Romam suscepisset (875), Lambertum ducem et Guidonem, germanum illi [9], Johannis papae in adjutorium dedit, cum quibus [10] Capuam et Neapolim profectus est (876). Guaiferius in cunctis optemperans [11], et fœdus dirrupit et multos ex eis [c] peremit. Sergius vero magister militum, consilio Adelgisi et Lamberti deceptus, noluit se ab illis alienare, qui statim anathematizatus est, et cum Guaiferio bellijerare cœpit (877). Unde contigit ut ipso octavo die anathematis 22 [12] Neapolites milites apprehensos decollari fecit; sic enim monuerat papa. Quo [13] etiam anathemate multatus idem Sergius, non multo post a proprio germano captus est, et Romam mittitur [*] suffosis oculis, ibique miserabiliter vitam finivit; ipse autem frater ejus in loco illius se ipsum principem instituit. Adelgis vero dum castrum Trebentensem [14] obsidens [15] caperet (878), ad propriam remeans urbem a generibus [d], nepotibus et amicis [16] extinctus est, et in loco ejus Gaideris, filius Radelgari [17], nepos extincti, ordinatus est; ejectusque [18] est Cailo et Dauferius, generi [19] illius. Hic etiam principare voluit, cujus cupiditate socerum suum peremit. Hic quoque susceptus est ab Athanasio, episcopo et magistro militum.

40. (879) Hiis quoque diebus Landulfus jam fatus præsul percussus interiit; qua die suæ correctionis ab omnibus presbyteris sancti Benedicti cavallos expectabat, ut in baratrum non absque equis rueret. Videntes autem nepotes illius depositionem, in unum collati diviserant inter se sub jurejurando Capuam æqua distributione. Pandonulfus urbem Tianensem et Casam Irtam, Lando Berelais [e] et Suessam, alter Lando Calinum et Caiaziæ, Atenolfus cœpit hædificare castrum in Calvo, Landulfum autem adolescentulum Landoni filium alii sacramento, nonnulli assensu unanimiter [20] pontificem constituerunt. Set segnitie proprii genitoris, qua naturaliter torpet, detentus, non est mox sacratus, sacramentum autem fraternum non diu extitit illæsum; nam a quarto Ydus Martii usque 7. Ydus Madii vix perduravit. Cupiditate etenim extorti, filii Pandonis Landenulfum et Atenulfum fratres [f] suos, filios videlicet Landonulfi, dolo ceperunt et custodiæ indiderunt, rapto ab eis Caiaziæ castro, quod eis sacramento sponte ipsi in sorte cessarunt.

41. Set, ut cœpta breviter persequar, filii Landonulfi juncti cum filiis Landonis, ad auxilium Guaiferii principis se contulerunt, a quo aliquando et tutati sunt. Similiter Pandonulfus ad eundem Guaiferium legatos cum chirographis variis misit; set ab eo minime receptus est, favens supradictis [21] fratribus. Cernens autem prædictus vir omnino se destitutum, Gaiderisum principem et Gregorium, augustorum bajulum, qui tunc cum dicto Guaiferio Nolam ad colloquendum in unum convenerant, ad Beneventum properabant, legatis invitabat [22], ut qui via primum veniret eum ad adjuvandum, et esset illi subditus. Quibus ex diverso sine mora per Caiaziam Sicopolimque adventantibus, ab occasu juxta urbem Capuanam resederunt; Guaiferius autem econtra ab ortu solis adveniens, Berelais, hoc est amphitheatrum, perapplicuit [23] [*] cum suis, et vallata est civitas hostilibus.

42. Inter hæc Pandonulfus renuit subdi Gaiferiso, sicut promiserat, renitente maxime Landone filio Landonolfi, cognato eiusdem Gaideris; qua de re et dictus bajulus et idem Gaideris alienati sunt ab eo. Mox alii per urbem Capuanam, nonnulli lintris [24] fluvium [25] transierunt partem [26] ad alteram, Guaiferio sociati sunt; et recollectis Landonulfo et Atenolfo fratribus junctis [27], volentes Pandonulfum

VARIÆ LECTIONES.

[1] triumphator 5. [2] Atmanus 3. Athmannus 5. [2] antea pocrisarios 1. [4] Idronto 3. Ydronto 5. [5] sedis *c.* [6] *ita* 4. 5. in p. [7] pacem habentes, cum saracenis navalibus. romam g. a. depopulacio *c.*, pacem habentes cum Saracenis, navalibus Romam gravi angustiabant depopulacio 3., *cui Leo Ostiensis* l. c. 40 *suffragatur;* pacem h. cum Saracenis navalibus, Romam gravis coangustabat depopulatio 5. [8] septrum *c.* [9] illius 3. 5. [10] q. idem apostolicus Neapolim Salernumque p. est 4. [11] papae o. 3. [12] XXV. 3. 5. [13] quod *c.* [*] mictitur *c.* [14] Trivensem *c.*; *in margine codicis nostri legitur:* civitas est et vocatur Triventum et de novo hodie est ei... coïcatum. [15] obsidē *c.* [16] amicis in via non longe ab urbe interfectus est anno principatus sui mediante vigesimo quinto, et 5. [17] radelgari: : *c.* [18] electusque *c.* 3. [19] gener 3. [20] unamiter *c.* [21] supradict' *c.* [22] *ita* 3, legatos invitabant *c.* [23] peramplicuit. [24] luntris *c.* [25] fluvi' *c.* [26] parte *c.* [27] iunct' *c.*

NOTÆ.

[a] An *Othman, Osman*?
[b] *Otranto.*
[c] Id est Saracenis.
[d] Id est generis.
[e] Regionem Capuæ veteris.
[f] Fratrueles.

subdere Gualferio ; set non quiverunt, eo quod nolebat fratrueles suos recipere intra urbem; idcirco Gualferio respuebatur. Cognoscentes autem supradicti viri versutias Pandonolfi, reversi sunt ad propria; Gualferius autem tunc remansit Capua urbe. Hac quippe tempestate pene omnes Capuani illustres et omne vulgus cum uxoribus et liberis omnique [1] cum supellectili [2] urbe egredientes, alii filiis [3] Landonis, nonnulli autem ex eis filiis [3] Landonulfi adhæserunt, factaque est inter eos valida concertatio et pessima desolatio. Nam Gualferius hostiliter juxta murum urbis residens, obsidebat eam ; ultra fluvium vero cum Francis Lamberti comitis Landonem constituit.

43. Alio quoque anno (880) superveniens jam fatus Gualferius princeps cum Amelfitanis tempore messionis, et obsedit dictam [4] urbem undique; factaque pace inter se fratres sub sacramento, ita dumtaxat ut neuter eorum triticum de agris prius recolligeret in urbibus suis, quam ab apostolica autoritate anathema mitteretur super eos; ut ingressis dictam in urbem, nullus eorum super alios auderet insurgere. Gualferio igitur reverso ad solum proprium, ilico Pandonulfus sacramento oblitus, perjurus effectus est; nam Romam ut spoponderat minime missos destinavit, et contra animam suam agens, triticum omne recepit; quem statim ultio divina subsecuta est; nam cœlitus ignis immissus est et pene mediam [5] funditus consumpsit memoratam civitatem.

44. Per idem tempus Athanasius præsul Neapolis magister militum præerat; qui, ut præmisimus, exulato fratre proprio cum Saracenis pacem iniens, ac primum infra portum æquoreum et urbis murum collocans, omnem terram Beneventanam simulque Romanam necnon et partem Spoletii dirruentes, cuncta monasteria et ecclesias omnesque urbes et oppida, vicos, montes et colles insulasque deprædarunt. A quibus etiam sanctissimi Benedicti cœnobia decentissima, toto orbe veneranda, et sancti Vincentii martiris monasterium igne exusta sunt, aliaque innumerabilia, excepta Suessula, quam veraciter Christianorum fraude miserabiliter suffossa est. Huic igitur sociatus est Pandonulfus, cujus amminiculo fretus, acrius cœpit persequi fratrueles suos; ac primo tempore labores eorum hinc et inde vastans abstulit, atque cum Neapolitibus, Caietanis ac Saracenis unitus, biduo super castrum Pilense irruens expugnavit; nichilque proficiens, inanis abscessit. Sequenti vero anno (881) generaliter motionem faciens cum suis, Neapolitibus, et Saracenis, super colossum [a], quo filii Landonis degebant, insedit, prius tamen illos qui residebant in termis juxta arenam pecuniata deposuit et Capuam remisit; illis vero, videlicet filiis [6] Landonis, in amphiteatro [7] circumseptis, pacem cessit, accipiens ab eis Liburiam sub sacramento. Qua etiam vice memoratus Pandonulfus denuo super Pilanum castrum [b] cum Neapolitibus improvise irruens, fraude cepit, ab eis qui interius morabantur traditum; ubi et ego captus sum et omnibus bonis a pueritia acquisitis [8] exutus. Ipse pedester ante equorum capita usque ad urbem Capuanam exul evectus sum, decimo Kal. Septembris anno Domini 881.

45. Pandonulfus autem confestim exercitaliter super Calvum profectus est, stipatus agmine Neapolitum, ibique munitionem extruens residebat; sed filii Landonolfi cum suis viriliter eis resistentes, subito inde recessit, a filiis Landonis jampridem ablata [9] Suessa, sacramento eis olim largita. Sed ut ad priora nunc calamum vertam, apprehensus Atenolfus a suprafato viro, Lando germanus ejus non segniter egit, nam mox Calvense castrum, propter quod captus est idem Atenulfus, cum suis cœpit hædificare. Pars autem nobilium parata erat ad prælium, et pars vulgi vallis et parietibus construebat, sicque consumatus est. Post biennium ferme igne consumptum, ab eodem Landone reparatum est memoratum castrum, quo abiens cum universis suis et casis datis per singulos concives oppidi de ministerio suo, et vasis vinariis, victualium quoque et vinum, omni vigilantia desudans ad pristinum statum dictum oppidum erexit.

46. Et hoc in superiori parte non est prætereundum annectere, quod in principio rixæ, cum idem Pandonulfus fratrueles suos persequebatur bestiali efferitate, Landulfum electum filium Landonis, de quo supra mentionem fecimus (*cap.* 40), cui sedem sancti Stephani episcopalem ipse sub jurejurando tradiderat, a claustro [10] episcopii expellens et humili loco [11], in cellula scilicet ministeriorum, degere constituit, et sibi in zetula [c] episcopali mansionem exhiberi jussit; quod et factum est. Hoc cernens fatus [12] Dei electus, metuens dicti viri versucias, egressus ex urbe, episcopalem ad sedem propriam beati protomartiris properavit, quo possit quietam ducere vitam. Interea, occasione reperta, Landonulfum germanum suum conjugatum clericum fecit [d], mittensque Romam Johanni papæ, episcopum fieri exposcit; in quo et exanditus est.

47. Hac pro insania et fraterna civilique expugnatione enixius flagitati, Bertar sagacissimus abbas monasterii supradicti sanctissimi Benedicti, et Leo venerabilis præsul Teanensis [13], Urbem profecti sunt,

VARIÆ LECTIONES.

[1] omnique cum omni s. *c.* [2] suplectili *c.* [3] filii *c.* 3 [4] dictum *c.* [5] media *c.* [6] filii *c.* [7] amphitheatro *c.* [8] exquisitis *c.* [9] ablatam *c.* [10] caustro *e.* [11] humilico *c.* [12] factus 1. [13] teneanensis *c.*

NOTÆ.

[a] Capuæ veteris amphitheatrum. PRATILL.

[b] In comitatu Theanensi haud longe a castro Conca, in monte *Piano*. PRATILL.

[c] Mansioncula.

[d] Scil. Pandonolfus.

adieruntque dictum pontificem, obsecrantes eum suppliciter, ut tam grave piaculum non ageret, unde ruina terræ et sanguinis effusio procul dubio fieret. Cui etiam dictus abbas expresse inquid : *Certe* [1] *si hoc exercuerit* [2] *tua potestas, talem ignem illuc accendis ad te usque pertingentem.* Prævalens tamen voluntas pontificis, Landonulfum episcopum ordinavit. Hoc ideo factum est, quia Pandonulfus prius se subdiderat dicto papæ, in cujus vocamine et cartæ exaratæ et nummi figurati sunt. Juxta præsciencia dicti abbatis talis itaque ignis exortus est, ut [3] omnis Beneventana tellus et ipsa Romana a Saracenis funditus depopulata sit. Qua pro causa dictus papa bis venit Capuam. Ac primo dum resedisset juxta urbem in loco qui Antenianus dicitur, omnes Langobardi hostiliter illum adeunt; nam ex una parte Athanasius episcopus cum Pandonulfo aderant, ex alia vero parte utriusque fratrueles [4] cum Gaiderisio et Guaimario [5] principibus habentibus Græcis [6] advenerant, et cotidie, præsente papa, utræque acies in procinctu prosiliebant. Qua honoratus intentione, Laudonulfum [7] ... pridem electum consecravit episcopum in ecclesia beati Petri Capuam, cunctumque episcopatum inter ambos æqua sortione dividi præcepit; ecclesia vero in qua consecratio celebrata est, paulo post a Saracenis, a Pandonulfo advocatis et ab Athanasio missis, igne media exusta est.

48. Circa hæc tempora Guaiferius princeps monachus effectus est; langore depressus gravi, diem clausit extremum. Et quia ob incursione Hismaelitarum corpus illius ad cœnobium Benedicti patris ferri non valuit, Teanensi [8] in castro ejus in ecclesia humatum est, donec cœlitus requie præstita sanctum ad locum vehatur. Per idem tempus Iserniam, Suessulam uno mense, castrum etiam Bovianum eodem anno, capta et combusta sunt. Quo tempore suasus Gaideris, a Landone cognato suo alienatus, Pandonolfo [9] sociatus est, filiamque ipsius suo tradidit filio; set in proximo a contribulibus dicti [10] Landonis captus ac custodiæ mancipatus est, ejusque in loco Radelgis, filius Adelgisi, princeps est constitutus [11] (882). Qui tribus vix annis imperans, a Beneventanis ejectus, et Ajo, frater ejus, loco illius [12] subrogatus est (885). Gaideris vero Francis traditus in custodia, fuga lapsus pervenit urbem Barensem, quo morabantur Græci; a quibus missus [13] est urbem ad regiam Basilio pio augusto, a quo honoratus ditatusque donis imperialibus, Œream urbem accepit ad convivendum.

49. (883.) Hac tempestate Pandonolfi nimietatem non ferens Athanasius, relinquens eum, filiis Landonolfi et Landonis copulatus est in societatem. Iliis diebus idem præsul missis [14] apocrisariis Siciliam, Saracenis ad radicem montis Vesuvii [15] residentibus Suchaymum regem [16] exposcit, illisque veniens præfecit. Sed justo Dei judicio primo omnium super eum insurgens, cœpit Neapolim graviter affligere, et devorare [17] omnia exterius, ac puellas, equos et arma [18] vi expetere. Hac turbine exactus, et ut apostolicum anathema, quo erat innodatus, a se et urbe sua expelleret, Guaimarium principem omnesque Capuanos ex urbibus et oppidis cunctosque maritimos suum in adjutorium advocavit, et Saracenos ab eodem loco vi pepulit. Illi autem abeuntes, Agropolim [19] castra metati sunt. Hoc facto non multo post prædictus præsul una cum filiis Landonis et filiis Landonolfi super Capuam, Pandonolfum capturus, advenit, dictamque urbem, hinc et inde obsidens, affligebat. Qua necesitate compulsus, Pandonulfus Radelgisum principem cognatumque suum in auxilium invitavit. His [*] autem, segnitie sepositа, mox Ajonem [20] germanum suum advocans, in comitatu suo Capuam, qua residebat, expugnatam [21] audacter ingressus est. Post hæc Ajo cum Beneventanis et Capuanis egrediens, cum filiis Landonolfi Amalfitanos habentibus certamen iniit; et aliquandiu pugnatum est juxta portam urbis. Cumque neutra [22] pars alteri cederet, utræque acies ad sua reversa sunt.

50. Repedante itaque Radelgiso ad propria, Athanasius ad solita recurrens arma, simulavit universos fratrueles pacisci; cohortatus est videlicet eos, ut dato sacramento ad alterutrum, omnes ingrederentur urbem communiter habitaturi. Set Pandonolfus ab eodem præsule sacramentum accipiens, ne ullas [23] contra eum moliretur insidias, tunc omnes fratres in unum adunati Capuam adierunt, dato prius amphitheatro eidem Athanasio [24], et ille Guaiferio ad cohabitandum tradidit ad perpetuum Capuanorum jurgium. Cum vero adessent universi, ut diximus, omnes jurarunt, ut pacifici et sine ulla molestia dicti viri intrarent ad commorandum. Pandonolfus autem recepit eos ovans cum clericis veste amictis candida; mox autem ingressi intro, apprehenderunt Pandonolfum et Landonolfum fratrem ejus, quem supra (*cap.* 46) episcopum descripsimus, cum omnibus consentaneis, sequacibus et fautoribus suis, et hii duo missi sunt Neapolim; post hæc et [25] uxores, filii et filiæ missæ sunt illuc.

51. Inter hæc Saraceni totam supradictam terram crudeliter laniabant, ita ut desolata terra cultoribus,

VARIÆ LECTIONES.

[1] carte *c.* [2] exercuerit 1. [3] et *c.* [4] fratreules *c.* [5] guaimaimario *c.* [6] crecis 1. [7] Landonulfum ecclesiæ Capuanæ præesse constituit, Landulfum vero pridem etc. *legendum videtur; cf. Leon, Ost. I* 42. [8] teanensis 1. [9] Pandonolfus *c.* [10] dicti di 1. [11] constitus *c.* [12] ilius *c.* [13] misus *c.* [14] missi *c.* 3. [15] besubii *c.* [16] regem *c.* [17] devora *c.* [18] arva 3. [19] *in marg. manu rec.. :* castrum in principatu Salerni. [*] *i e* is. [20] aione *c.* [21] expugnatem *c.* [22] ne ultra *c.* 3. [23] ulla *c.* [24] athasio *c.* [25] et ut *c.*

sentibus [1] et vepribus repleta fatiscat. Guaiferius autem colosso residens, suasus ab Athanasio, immo et Athanasius ab illo coactus, bellum cœpit inferre [2] dictis fratribus, atque cum Saracenis nimium eos affligebat et acrius insequebatur. Tunc nutu Dei, a quo omne procedit bonum, quendam Agarenum ab Africa evocans, regia de stirpe generi sui procreatum [3] Agropolim, inde Garilianum, quo residebant agmina Hismaelitica, misit, atque omnium illorum mentem accendens, ejus hortatus universi Saraceni tam de Gariliano quam de Agropoli comuniter collecti, Calabriam, qua residebat Græcorum exercitus super Saracenos in sancta Severina commorantes, properarunt; ubi et omnes Graiorum gladiis extincti sunt. Dehinc Amanteum castrum [4] captum est. Deinde et dictæ beatæ Severinæ oppidum apprehensum est (881).

52. Basilio serenissimo augusto hiis diebus defuncto (886), duo filii ejus in imperio sunt electi, id est [5] Leo primogenitus et Alexander subsequens; tertius vero, Stephanus nomine, archiepiscopatum ejusdem urbis — ejecto [6] Focio, qui olim a Nicolao primæ sedis pontifice ob invasionem episcopatus Ignatii adhuc superstitis perpetuo anathemate fuerat multatus, et a Joanne papa, ut ita dicam ignaro, ad pristinum gradum resuscitatus — regendum suscepit.

53. (884.) Interea Athanasius solita fraude cupiens supradictos fratres sequestrare ab invicem, hinc Landoni seniori, filio videlicet Landonis singularis et præstantissimi viri, neptem suam adhuc lactantem in conjugium cessit, ob hoc, ut filia feminarum illaquearet eum; adscitoque eum, monuit serpentino ore, ut confratrueles suos caperet vel [7], quod magis ambiebat, occideret [8]; scilicet ut inter se rixantes aut omnino interirent aut deficerent, et ille Capuam caperet. Et quoniam Lando, licet segnicie torpore naturaliter frueretur, immobilis et constans persistebat re inchoata, hoc advertens Athanasius doluit, protinus consilium repperit sibi adcommodantissimum tunc, set non in longum perniciosus. Competenti etenim festinatione inter ista Atenolfum ascivit, eique secrecius [9] intit: *Ex omni gente Langobardorum* [10] *Capuam elegi mihi habilem, et e Capuam gentem vestram et ex omnibus fratribus tuis te solummodo prætuli, consentientem mihi et in cunctis optemperantem* [11], *virum industrium. Idcirco si meis verbis aures tuas accomodaveris, in cunctis prosperaveris.* At ille cuncta se patrare respondit imperata; cui ille: *Cape filios Landonis, et esto tu solus imperans Capuam, sicut avus tuus* [12] *singulariter imperasse dignoscitur.* Ille vero hoc fratrum [13] consilio distulit, qui reversus rem venenose insitam [14] propriis innuit fratribus. At illi obstupefacti, signo se crucis Christi munierunt, dicentes: *Ante moriamur aut exulemus, quam super fratres nostros juste aut injuste insurgamus unquam; donec enim erit* [a] *in naribus nostris, non insidiabimur sanguini nostro.* Mox etenim juncti [15] filii Landonolfi, munierunt se horribili et pene inaudito sacramento cum filiis Landonis clanculo sub gravi anathematis interdictione; statimque Atenolfo abiens, Athanasio retulit, voluntatem fratrum suorum ratam fore fratruelibus [16] suis, et in nullo penitus moveri. At ille, durius hoc accipiens, extus [b] factus est illis.

54. Eodem tempore Guaimarius, supradictus princeps, cum nimium affligeretur ab Athanasio episcopo cum Saracenis, essetque ex toto depopulata tellus ipsius, ita ut capi possit nisi divina pietas restitisset, ad Græcorum se contulit suffragium; a quibus nobiliter est adjutus. Nam et auro et frumento adjutus est, et auxiliatoribus stipatus, qui custodirent urbem et populum ejus; quod actenus servatur, ut dictum est. Alo autem, princeps Beneventi, et ante principatum et postea partim imbecillis, partim roboreus [17] extitit.

55. Ut autem post tergum redeam, habeuntibus Saracenis Calabriam illucque [17] pereuntibus, Decivilis dux Cajetæ centum pene quinquaginta [18] ex eis secum retinuit, ut sine sacerdotali officio non remaneret; ad instar Judaycorum regum qui, diviso inter se bifarie regno, ut fertur, Levitæ ex maxima parte Jerusolimam, quo inerat templo toto orbe authenticum, congregati sunt. De quo numero ex parte fati [19] fere ad centum viginti Saraceni urbem Teanensem audenter adierunt, sicuti prius agere conspexerant, quando prope duo milia quingenti erant; super quos Lando, ceu leo, audacter cum suis irruens, usque ad ultimam internicionem protrivit eos, ita ut de tanto numero non amplius quam quinque evaderent, ceteris interfectis [20] ni fallor, centum quindecim.

56. Athanasius autem cernens se delusum ab utrorumque responsionibus fratrum, tristior effectus est solitus, set ocius invenit consilium habile sibi; missis siquidem legatis, trecentos Græcos suum in auxilium ascivit, Chasano [21] eos præeunte. Tunc callide pace facta cum Capuanis, mox quando vindemia legitur, cum esset Capua valide afflicta et a foris depopulata, omnes certatim egressi sunt, tam primores quam et mediocres, ad vindemiandum. Ille vero, sugerente hoc vel maxime Guaiferio Collossense, ex

VARIÆ LECTIONES.

[1] *ita correxi;* uestibus *c.* sterpibus *et* serpibus *Mur.* [2] inferret *c.* [3] procratum *c.* [4] *in margine manu recenti:* in Calabria. [5] idē *c.* [6] electo *c.* 3. [7] ut *c.* [8] ut q. m. a. occidere *c.* [9] secrencius *c.* [10] longibardorum *c.* [11] optemrantem *c.* [12] sicontuus tuus s. impetrasse *c.* [13] fratrem *c.* [14] inscitam *c.* [15] juncti *c.* [16] fratulibus *c.* [17] illicque 2. [17] *ita* 3., roboreus *c.* [18] quinquagita *c.* [19] i. e. præfati. — facti *c.* [20] *ita* 3, infectis *c.* [21] chasanos 1.

NOTÆ.

[a] *Scilicet halitus.*

[b] id est alienus; *hostis*, ut editi.

abditis Græcos Neapolites una cum theatralibus viris [1], et deprædavit totam Capuam, apprehensis in ea multis et præstantissimis viris peculiisque non modicis. Ab illo igitur tempore omnia circumquaque devastans, Liburiam vindicabat sibi. Nam et Saracenos Agropolitanos, qui nuper de illius magnatibus juxta rivulum Lanii [2] non procul a Suessula [3], qua ille nefandum perpetraverat scelus, ferme ducentos peremerunt viros, clam evocavit et Capuam misit; ubi tunc egredientes Capuani, valde resisterunt eis; ob hoc et absque præda ad castra repedarunt. Lando autem senior tunc apoplexia percussus interiit.

57. (885.) Dictus itaque vir, prout mente conceperat, novis et inauditis machinis insurgebat adversus Capuanos, adeo ut tempore quadragesimali, cum omnis plebs Christicola et præterita defleret mala et poscit a Deo ut flenda minime committat [4] ipso mediante [5] festo Dominico subsequente crepusculo, collectis Græcis Materensibus, Ægipciis et Neapolitibus, conscio [6] Guaiferio duce, præeunte Chasano urbem Capuanam temptavit invadere. Atque ascensis muro acsi trecentis viris armatis diversorum generibus telorum; set omnes in Domino adjuvante, alii sponte ex eo dissilierunt, quidam cervice tenus imis jacti sunt, nonnulli vero gladio occubuerunt. De nostris unus solummodo Onericus nomine, et, ut fertur, a suis, extinctus est. Bellum quippe hoc narratum in muro arbiter Judex non per [7] belligerantes et armipotentes egit viros, set per [8] quatuor impubes mirifice gessit ad laudem nominis sui. Confractis itaque viribus, quod conceperat minime cessavit; nam et Salernum per Saracenos prius, et postea per Græcos, multotiens capere molitus est, set non est permissus a Domino.

58. Eodem quoque tempore Guido, filius Guidonis senioris, super Saracenos in Gariliano [9] castrametatos [9], ut retro redeam, hostiliter irruens, castra eorum dirrupta [10] deprædavit, et aliquantos eorum gladiis interfecit; reliqui montis per opaca ut aqua diffusi sunt. His autem Capuam appropians [11], ultra transvadavit, et ad pontem qui Teudemundi vocatur castrametatus [12], resedit aliquandiu, et ablato ex Liburia frumento et aliis victualiis, Capuani refocillati sunt. Cum eodem duce non sunt fœderati; set cum retrorveretur urbemque transiret, metu coacti subdiderunt se illi. Ipso ad sua remeante, erexit sæpefatus Athanasius viriliter contra eos, tulitque illis, adjutus auxilio Græcorum, omnia a foris sata, quæque videbantur possidere a parte Capuæ nec non et superius, illaque replicata sunt. Post reditum supradicti ducis per Chasanum multipliciter patrata sunt, quæ a me strictim sunt dicta.

59. (886.) Post hæc sugestum est eidem duci, ut veniret quantocius et liberaret confidentes ipsi; sin [13] autem, omnino perdicioni subirent. Qui mox veniens Capuam, Ajonem principem a Benevento ad se venientem consilio Capuanorum cepit, et sub custodia Beneventum duci fecit; in qua [14] introiens, ordinavit eam. Inde proficiscens [15], Sepontum ingressus est, Ajonem foris reliquid in castris. Cum autem cognovissent Sepontini Ajonem seniorem suum captum, supradictum ducem unanimiter irruentes, clausernnt quodam in templo, captis ejus optimatibus. Hac illaque tunc missum [16] est, et adductus est Ajo redditusque [17] est [18] suis; alio vero die sacramento dato, vix cum dedecore elapsus est.

60. Dehinc Chasano Constantinopolim abeunte, quidam stratigo augustalis Johannem candidatum, quem lingua Pelasgica [19] Janniccio vocant, cum trecentis belligeratoribus direxit Athanasio episcopo, cum quo idem vir Capuam hinc et inde prædavit; atque hoc præsidio [20] istorum Pandonolfum ex vinculis ereptum libertati restituit, et a Magiperto receptus est Suessam. Qui junctus est Græcis, et universa animalia Capuæ ablata sunt. Qua de re Lando, filius Landonolfi, et Landolfus episcopus adierunt dictum ducem in Spolecium, petentes ab eo auxilium. Landolfus præsul a Spolecio reversus est, Lando autem cum eodem duce per Sepontum Capuam advenit; qui per aliquot dies Atellæ residens, Capuam frumento implevit. Accepto nuntio, repente Romam profectus est, Capuanos reliquid in manibus dicti præsulis. Is autem statim super sanctum Heremum Græcos et Neapolitanos direxit; quem diu obsidentes, eos qui in sublimibus [a] residebant cepit, et deinde Capuam ex utraque parte graviter [21] affligebant, ita ut quasi obsessa videretur. Nam juxta Sicopolim Græce cum Neapolitibus et Pandonolfo residentes, omnia circumquaque stirpitus [22] devorabant; unde contigit, ut octoginta ex eis Calinulum advenientes [23], super Teanum latenter irruperunt. Quibus ex diverso Lando cum Teanensibus et Atenolfus cum aliquantis Capuanis occurrerunt juxta sanctam Scolasticam prope castrum Teani; a quibus et victi sunt.

61. (886.) Per idem tempus monasterium beati Benedicti a Saracenis prius dirrutum [24] anno Domini 884 [25], ab Angelario venerabili abbate cœptum est rehædificari juso [a] [26] anno 886, mense Augusti. A

VARIÆ LECTIONES.

[1] immisit *vel tale quid*. [2] *in margine manu recenti:* inde dicitur terra lanie. [3] assuessula *c.* [4] commictat *c.* [5] mediante festo. dominico *c.* [6] consio c. [7] *deest c. adest* 3. [8] gariliano : *c.* [9] castrametatus 2. [10] dirructa *c.* [11] approprians *c.* 3. [12] castrametus *c.* [13] confidentes ipse sin *c.* [14] quam 3. [15] *ita* 3, proficiens *c.* [16] missus 3. [17] reditusque *c.* [18] est a suis *c.* [19] pelastica *c.* [20] *ita correxi*; perfidiam *c.* [21] sullimibus *c.* [22] glaviter *c.* [23] stripitus *c.* [24] advenies *c.* [25] dirrucium *c.* [26] DCCCLXXXIIII. 1. [a] de jusso 3.

NOTÆ.

[a] Id est *ginso*, infra.

quo [1] reversi dum Capuam repeteremus, a Græcis capti exutique sumus et exequitati [2]; ablatisque equis et spoliis et ministris cunctis, homines argento redempti sunt; equos recollegimus 5. Ego autem solus cum præceptore pedestre remansi; a Capuanis delati sumus in urbem, inde Neapolim pertranseuntes nichilque proficientes, infructuosi [3] remeavimus Capuam. Dehinc tria plaustra onerata victualiis multisque opulentiis juxta Anglenam, quo prius capti sumus nos, apprehensa et deprædata sunt.

62. Hiis ita crudeliter gestis, Atenolfus Spolecium [4] pergens, dato pretio Suabilum, gastaldeum Marsorum, cum aliis sociis vassisque [5], quasi ad trecentos armatos, secum advexit; cum quibus et consilium iniit, ut gastaldatum Capuanum illi firmarent. Set ingredientes Capuam, cum hoc adimplere nequivissent, dicti Franci, resistente ac contradicente præcipue Landone germano ejus, quem dudum ipse cum ceteris fratribus gastaldeum in his quæ [6] ad eos pertinebant instituerat, ab eodem Atenolfo absoluti, via qua venerant repedarunt. Tunc dictus Atenolfus consilio habito cum suis, Sadi cognatum suum ad Athanasium sæpius dictum subdole misit, poscens ab eo auxilium, ut adjuvaretur singulariter fieri comes in Capua. Hoc autem audiens, gavisus est, et spopondit se in omnibus illum [7] auxiliaturum; cumque hoc a plurimis et maxime terque quaterque Landoni fuisset relatum, ille solita segnitie et torpore detentus, parvipendens pro nichilo ducebat hujusmodi nuncium.

63. Exin memoratus Lando febris [8] ardore succensus, Teanum habiit, curandus a langore quo detinebatur. Atenolfus interim a re cœpta [9] nec gressumque neque mentem ammovit, sed promtus et fervidus existens parturire quod jamdudum corde conceperat, ob hoc Neapolim ire anxiabat festinus. Hoc ergo cum ad aures Landonis pervenisset, ilico Alcisum et Adelfridum Capuam misit, ut dictum virum suo hortatu cœpto itinere deviaret, et adjecit: *Ego autem, missa audita et comestione finita, subsequar vos.* Illi enim abientes, fatum virum invenientes retinere nequiverunt; erat enim dies dominicus. Deinde Lando proficiscens, eum minime reperit; jam enim abierat. Quo facto [10], sustinuit Lando redditum ejus, illique revertenti dixit Lando et cæteri fratres: *Quid egisti illuc, quo isti?* Quibus ille respondit verba bona verbaque consolatoria et deceptionibus plena. Hiis auditis et nimium creduli, acquieverunt credentes ei. Proinde Lando advertens fraternum dolum, set sompno sopitus et neglegentia depressus, non intelligens telum quo jaculabatur, donec transfigeretur fibræ [11]coris eius, Teanum reddiit sanaturus, ad quem Landonolfus frater suus invisere veniens, Landonolfus solus urbem relictus est.

64. Cernens autem hoc Atenolfus, et videns sibi tempus adesset congruum, prius simulavit se cum conjuge et liberis e [12] civitate egredi et Calvum quasi habitaturus [13] adire. Inter ista cum juvenulis et pecunia ambitiosis paciscens, dato sacramento et promissis multis muneribus, dirrumpens jusjurandum quod cum filiis Landonis ter juraverat, cum sompni tempus advenisset sabbatum post epyphaniam [14], hoc est 7. Ydus Januarii, advocatis sodalibus [15] suis, super filios Landonis irruit bellaturus (887). Filii autem Landonis non segniter se præparaverunt adversus hujusmodi conamen, set fugientibus eis his in quidem confidebant, concussi sunt valide. Maxime ex hoc turbabantur, quia putabant, quod Lando cum omnibus germanis suis in hoc adesset discidio. Videntes autem hii, destituti essent ab omnibus, cesserunt Atenolfo, et egredientes noctu ex urbe, Teanum advenerunt, Landonolfus, Pando et nepos eorum Gualferius, clamitantibus eis a tergo de civitate: *Nolite ire Teanum, quia certissime capiemini!* At illi Teanum appropiantes [16], hæsitare [17] cœperunt, ne forsan a Landone tenerentur astricti; nunciato itaque adventu suo, officiosissime sunt suscepti.

65. Atenolfus gastaldatum Capuanum singulariter suscipiens, continuo se comitem appellari jussit, moxque filium suum Athanasio obsidem direxit, sicut sacramento [18] pollicitus fuerat, Liburiam et Capuam sub jurejurando illo concessit. Athanasius vero retinuit illius sobolem, quousque pactum illi a Guidone duce repromissum susciperet dictus Atenulfus, acceptoque fœdere Gallico, reddidit illi filium suum, et cutodita est pax inter utrumque anno uno et mensibus tribus. Per idem tempus missis legatis idem Atenolfus Romam, Majone venerabili abbate et Dauferio diacono, ut subderetur Stephano pio papæ, esseique illi proprius famulus; et promisit reddere Cajetanos, quos pridem callide ceperat, adjuvaretque eum contra Saracenos Garillano residentes. Quæ postea cuncta oblitus, ex his quæ promiserat nichil omnino adimplevit.

66. His quoque diebus Theophilactus stratigo a Bari Teanum hostiliter advenit hiemis tempore, Saracenos temptans impugnare; nichilque proficiens, infructuosus abscessit; abiensque Neapolim, Marinum gastaldum castri [19] sanctæ Agathæ [20] Ajoni rebellem percepit [21], et Apuliam rediens nonnullas munitiones ejusdem Ajonis vi apprehendit. Unde occasione accepta, idem Ajo adversus augustale domi-

VARIÆ LECTIONES.

[1] Herchempertus cum aliis septem fratribus a Teano Capuam tendens juxta Anglenam omnes a Græcis exequitati et expoliati pariter sunt 4. [2] exequietati 1. [3] infrutuosi *c.* [4] spolencium *c.* [5] bassisque *c.* [6] hisque *c.* [7] illi 3. [8] frebis *c.*, *ita et hodie Neapolites* la frebbe *dicunt.* [9] arepta *c.* [10] fatto *c.* [11] et *c.* [12] habitarus *c.* [13] sabbato pre epyphania 3. [14] solalibus *c.* [15] apropriantes *c.* [16] exitare *c.* [17] si cõsacramento *c.* [18] castris *c.* [19] *in margine manu recenti:* castrum nobile est in capitinata prope esculum. [20] *ita* 3, præcepit *c.*

nium rebellionis furgium initiavit, quod suo in loco inseretur [1].

67. Ante hoc sane tempus Guaimarius princeps Constantinopolim ad angustorum vestigia confisus accessit; a quibus benigne susceptus est, et patritius ab eis factus, cum honore ad propria remissus est. Cum autem adhuc illo moraretur, Athanasius dolorem conceptum [2] in opus erumpens, Græcos et Neapolites seu omnes Capuanos generaliter movens super Abellanum [a] misit castrum, quo tunc præerat Landolfus Suessulanus. Mox autem ut illic supervenit exercitus, fraude illorum qui intro erant [3] captum est, apprehenso in eo Landolfo et filio ejus juniore nurumque illius, uxore [4] videlicet Landonis, qui cum Guaimario profectus [5] fuerat.

68. His ita decursis, suasus Lando ab Algegiso [b] aliisque Capuanis, una cum Guaiferio quandam tractoriam plaustro vehentem [6] intromissus, Capuanam urbem ingressus est, atque ad episcopalem abiit aulam; ubi pauci ex suis [7] congregati sunt, Atenolfo accelerante. Tunc commissum est prælium, mortuoque Valane illustri viro, dissolutum est cor eorum qui in parte Landonis erant, et cœperunt illum relinquere et Atenolfo sociari. Tunc, licet fincte, pacis osculum sibi mutuo fratres optulerunt, quod in arca cordis minime retinebant. Lando autem post ista cum Guaiferio ad propria remeantes, reliqui consantanei illorum capti sunt et vinculis innexi; inter quos et Landolfus præsul captus est et custodiæ trusus. Post non multum tempus per singulos dies omnes absoluti sunt.

69. In diebus illis quando Atenolfus gastaldatus regendi jura adeptus est, omnia quæque Benedictus infra urbem Capuanam possedit, fratribus exulantibus auferri præcepit. Qua de re missus ab Angelario venerabili abbate ego ipse vestigia apostolorum [8], adii Stephanum summum pontificem, postulaturus pro rebus nostris abbatis; a quo et benedictionem fratribus detuli et privilegium nostri cœnobii, et supradicto viro litteras [9] exhortatorias attuli. Dominicalis res ablata reddita est, mea [10] autem ex toto subtracta; in proximo etiam cellam mihi ab abbate traditam, concepto dolore, vi abstulit.

70. Interea cum Atenolfus jam memoratus Capuanos cepisset, advertens Athanasius Capuam fortiter concussam, cœpit occasionem quærere adversus Atenolfum, et obsides ab eo seu et pacem innovare. Decurrentibus inter alterutros missis, Maio [11] supradictus abbas et Ausencius Neapolim profecti sunt, quos Athanasius ad amphiteatrum ire præcepit, simulque Atenolfum illuc adesse voluit, quatenus firmato fœdere una cum Guaiferio consule, filium suum cum aliquantis e Capua obsidem mitteret. Hoc autem faciens, insidias tetendit latenter cum Græcis et suis ad capiendum eos [12]. Set quia, ut conjicitur, adhuc non erat completa malitia, quæ post paulluum divinitus punienda est, facta morula; set et filium suum infra urbem clausit, supradictos viros misit arenam; egressusque statim Graiorum cuneus, supradictos apprehendit viros cum aliis, et deprædavit totam Capuam graviter; moxque sine delatione cunctum equitatum et pedestrem exercitum mittens, omnia sata Capuæ succidi exterminariquo fecit funditus.

71. (888.) Præsciens [13] autem Deus dicti viri malitiam et volens præstare Capuanis misericordiam in tam crudeli impiaque persecutione, permisit eundem Athanasium in tantam elationem prorumpere, ut etiam Beneventi fines bis terque prædari faceret. Aio autem tunc Bari degens, impugnabat Græcos impugnantes se; qui hoc audiens, ilico segnitie deposita, ferme cum tribus milibus bellatoribus clanculo veniens castrum in Abellinum; ubi autem intellexit, Græcos cum Neapolitibus residere super Capuam radicitusque eam devastare, ilico recto itinere super eos audacter adventare studuit. Set quidam naturaliter zizaniorum sator Dauferius, Dauferii nostri genitor, urbe Beneventi egressus subdole acsi secuturus principem, ex diverso Capuam cursim [14] properavit et dicto exercitui adventum indicavit Aionis. At illi, relicta Capua, præcipites [15] Neapolim reversi sunt; Aio autem iter quod cœperat peregit, illisque minime repertis, Liburiam ingressus est, cum quo et Atenolfus abiit; et exusta tota pene Liburia ac deprædata, populisque et bestiis ablatis, puteisque saxo oppilatis, amphiteatrum profectus est. Quo residens per aliquot dies, machinis et diversis telis fortiter expugnavit illud [16]. Indeque [17] habiens, super castrum sanctæ Agathæ insedit, atque Marinum gastaldum sibi rebellem in fide ad se remeantem suscipiens, abscessit; aliquandiu Benevento commorans per Sepontum Barim reversus est.

72. Atenolfus autem Aioni se subdens per sacramentum, ab eodem in adjutorium sui centum viginti ferme bellatores viros suscepit, cum quibus graviter totam Liburiam deprædavit. Sed quia nonnunquam desperatio periculum gignere solet, generaliter moti Materenses e Calvo [18] et aliquanti Capuani [19] cum dictis Apuliensibus juncti, Liburiam circumeuntes, Suessulam deprædarunt, et reverti cœperunt. Quibus occurrit Græcorum Neapolitumque exercitus juxta rivulum Lanii, atque in unum mixti, supervalebat [20] pars Atenolfi partem Gragicam; set superveniens scara theatralis a tergo et in medio, circumsepti, de-

VARIÆ LECTIONES.

[1] inferetur 3. [2] dolore conceptus 3. [3] introyerant 3. [4] uxorem. [5] prophectus *c*. [6] vehementem 1 [7] paucis ex ui *c*. [8] *ita distinguit c*. [9] licteras *c*. [10] *ita corrigo*; me *c*. [11] missis maio *c*. [12] suos *c*. [13] præscens 3. [14] *ita* cursum *c*. [15] precipientes *c*. [16] illi *c*. [17] idemque 3. [18] ecalvo *c*. [19] capuanis *c*. [20] supervale valebat *c*.

NOTÆ.

[a] *Avellino.*

[b] Id est Adelgiso.

victi sunt, partim capti, partimque gladiis extincti sunt. Hac de causa audaciam sumens Athanasius, bellum cœpit expetere; unde Atenolfus, non segnis redditus, continuo cum suis Atellam abiit, dumque prælium non invenisset, reversus est ad sua

73. Cum non multo post, instigante inimico humano generi, collecto Athanasius multitudine exercitu mixto Græcorum, Neapolitensium et Hismaelitarum, equitantium et pedestrium, misitque illos adversus Capuam pugnaturos. Quibus occurrit Atenolfus ultra rivulum Lanii juxta sanctum Carcium [a], habens in comitatu suo auxiliatores ab Ajone missos necnon et Saracenos. Saraceni vero ex utraque parte juncti steterunt, nulli eorum præbentes auxilium. Atenolfus talia cernens, acrius super inimicos suos insurgens, ac primo impetu potenti virtute superans, protrivit eos usque ad ultimam perniciem, occisis ex eis plurimis multisque captis, reliquos oppido fugere compulit, victorque triumphans ad castra honustatus ac lætus cum suis omnibus repedavit; de suis autem præter unum ammisit Alderico nomine, et ipsum a suis, ut fertur, occisum. Ab hoc sane die cœpit jam quasi potens esse Atenolfus, et Athanasius impotens. Hinc inchoavit omnia sata eorum qui in colossum [1] morabantur diripere, cunctaque bona eorum vehiculis diversis ad urbem trahi.

74. Hoc quoque quod narro omnes audiant aures, prout Dominus sæpe parabolice sequacibus suis dicebat: *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XIII), ut omnis pavescat homo, stupeat et ad Deum revertatur vel sero [2], ne, si [3] obstinatus animo remanserit, contingat illi illud quod Dathan et Abiron superbientibus advenit, necnon et Choræ cum fautoribus suis evenisse dinoscitur. Guaiferius enim præfectus harenarum, qui pene omnia mala quæ facta sunt in diebus ejus ipse opere suo gessit fecitque patrare, cujus præstigio Romana tellus depopulata est, Beneventana regio funditus desolata est, ab hoc et inicium et finem [4] accepit; idcirco Dei judicio hoc modo illius scelus [5] facinorosus finis explevit. Nam subito superna inspirante gratia, a quo bonum omne procedit, in [6] illum excitati illi, a quibus ipse putabatur salvari, mutata mente in eum surgentes apprehenderunt, bonaque ipsius diripientes vincxerunt, revertentes nichilominus ad solum, de quo nunquam diabolice abscisi sunt, ipsumque proconsulem despicabilem Capuam, Atenolfo consencientes [7], remiserunt, pane tribulationis et aqua angustiæ suggillaturum. Hoc facto, universi qui a propria sede olim fuerant superbe exulati, ad sua obedienter reversi sunt, factumque gaudium magnum, pax et securitas; cœperuntque præesse [8] qui subesse soliti erant, et qui per trecentos et eo amplius annos [9] imperaverant legibus, præesse cœperunt his qui cum Saracenis vicerant per aliquod soles. Tunc cœpit cohors Bardica [b] triumphans regnare super eos, quos semper armis subegerant.

75. Interea videns Athanasius se in omnibus superatum, pudore objectæ [10] pacis expetiit fœdus; quod adeptus est, prælitoque [11] jurejurando, pacti sunt ad invicem. Primum tamen sacramentum sistebat roboreum vel [12] mensem aut tempus annotinum; istud autem nec ad diem duravit duodecimum. Denique Hismaelitæ, hac illacque discurrentes, invitantur [13] ab omnibus, omnia devorant, universa consumunt, et contra Neapolim unanimiter consurgunt. Æquo valde examine ipsumque supernum jaculatus est solium, ab his procul dubio percelleretur, cum quibus Christicolum genus pene omne protriverat; prout Johannes dicit in Apocalipsis, immo et Dominus per Johannem, de Babilone: *Quantumcunque ministravit vobis, ministrate illi; in poculo quo miscuit, miscite illi duplum* (*Apoc.* XVIII). Hæc autem audientes, nolite cor apponere, quod Deus hoc meritis alicujus prælati fecerit, set sua misericordia et miseriis hominum egerit nanctus, ut ipse per psalmistam dicit: *Invoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te et magnificabis me.* Nam peccatori dicit: *Quare tu enarras justitias meas*, etc., quousque ait: *Hæc fecisi et tacui, existimasti iniquitatem; in quo ergo ero tibi similis?* (*Psal.* XLIX.) In una tamen re moveor, quod cum dicat Apostolus: *Nonne qui prædat et ipse prædaverit?* (*Isa.* XXXIII.) Quid ergo ero de his qui prædant proximos et proximas, traduntque prostibulo [14]? itane prædabuntur deinde? Sicuti enim Neapolites vastantur, qui vastarunt, ita et nos forsan devorabimur, qui nunc devorantes sumus. Beati ergo qui, Domino custodiente, immunes ab hac sæculi procella existunt, ubi omne malum et nullum sine Domino bonum regnat, et in æterna numerantur vita, qua omnis felicitas et beatitudo perempnis floret in sæcula sæculorum. Amen.

76. Aio denique a Benevento per Sepontum Barim profectus, super quam Constantinum augustorum aulicum [15] et patritium insidentem repperit, rebelles imperatorum viriliter impugnantem; adversus quem dictus Aio, fultus auxilio Hismaelitarum et vallatus agmine pedestrium Apuliensium, audacter insurgens primo impetu victor existens, de hostibus plures interfecit. Dehinc [16] Constantino [17], qui cum tribus milibus equis in tuto consistebat in loco [18], valide contritus, vix cum aliquantis urbem ingredi valuit Barim; reliquos aut gladiis aut tradidit captivitati. Ipse autem Græcorum obsitus vallo, infra urbem

VARIÆ LECTIONES.

[1] colosso 2. [2] fero *c.* [3] *vox deest in c.* [4] finis *c.* [5] selus *c.* [6] *in loco raso.* [7] consenciente *c.* [8] *ita* 3, esse *c.* [9] anno imperaverat 1. [10] objecte 1, objecto 2. [11] prævitoque *c.* prævintoque 3. [12] ut *c.* [13] invitantantur *c.* [14] pros ribulo *c.* [15] aulicet *c.* vaiulus 3. [16] *ita* 1? 3, deinde 2. [17] a const. 2. 3 [18] const. locum 3.

NOTÆ.

[a] *San Carzio* in agro Ave sano.

[b] Id est Langobardica.

occultatur [1], sustinens suffragium Atenolfi, quem pridem protexerat, et non invenit; nam et Gallos et Agarenos promissis aureis sæpius mixtim invitans [2], optinere nequivit.

77. Atenolfus ergo cum Athanasio pacem interim custodita fere bis senis [3] diebus, scisso fœdere, utraque pars ad prædam prorupit. Set Capuani [4] prævalidiores effecti, per se et cum Saracenis graviter Neapolim circumquaque vastantes lacerant, ut ignis consumantes omnia, æquo Dei judicio, ut qui Saracenis innumerabiles Christicolas gladiis et captivitatibus tradidit bonisque eorum ditatus est, non immerito ab his flagelletur, rodatur et deprædetur, ut Salomon ait: *Quis medebitur incantatori a serpente semel percusso?* (*Eccli.* XII.)

78. Interea Atenolfus post episcopi captionem cunctumque clerum sacramento revinctum [5] ad nova se contulit et recentia jura legis. Nam monachos beati Benedicti pro rebus perditis jurare [6] compulit, quibus cessum fuerat ab omnibus retro principibus cunctisque augustis Gallicis, sacramentum per se nulli homini dandum nisi per scariones [a]; se autem in hujusmodi negotio sapientiorem ac potiorem [b] ostendens prioribus.

79. Defuncto autem Lamberto, filio Guidonis senioris, filio suo Spoletium reliquit; quo etiam decedente, Guido junior Spoletium et Camerinum suscipiens, cum Saracenis in Sepino castrametatis pacem fecit, obsidibus datis et acceptis; cujus etiam tempore supradicta cœnobia, urbes et oppida omnia a Saracenis capta et exusta sunt. Regiam ad urbem legationem dirigens, contra jus faciens, pecuniam accepit. Quamobrem a Carlo tercio augusto captus est, et nisi fugam arripuisset, capite plecteretur. Unum quippe illius narro factum haut [7] indissimile, quod in Gariliano gestum est (883). Denique cum a Seponto idem dux Atenolfo comitante Capuam pergeret, in loco qui Caudi dicitur Arranem Hismaelitam, tirannum crudelissimum, cum trecentis pene sequacibus suis peremit (887). Cognoscens autem Guido Carlum augustum seminecem jacere, cupiditate regnandi devictus deceptusque a contribulibus suis, relinquens Beneventanam provinciam sibi subactam [8] et Spolitentium ducatum, abiit Galliam regnaturus. Beneventi quidem tellus a Græcis capitur, Spoletium deprædatur ab Agarenis, ipse autem manet invisus et inauditus. Cum vero parverit et auditus fuerit, quid dixerit [9] vel quid egerit, scire volentibus per ordinem narrabo.

80. (888.) Interea Aione obsesso infra urbem Barim a Græcis atque auxilium exflagitantem a Gallis et suis, Atepolfus titubans Athanasii minas, legatos suos ad Constantinum patricium destinavit, quo residebat super dictam urbem, et fœdus cum eo statuens pacis, vires resistendi Aionis astu doloso avertit [10]. His et hujuscemodi [11] argumentorum decipulis dictus Aio cernens se delusum, doluit; tandem necessitate cohartans cum memorato patricio pacem faciens, urbem remisit et ad propria remeavit, Atenolfo et Maioni abbati, qui supra fata [12] legatione functus fuerat, haut [13] frustra minitans. Eadem tempestate dum idem Atenolfus Dauferium [14], nostrum dyaconem, recte disponeret Tarantum et inde regiam ad urbem transmitteret [15], ipsumque questum esse adversus eum de inopia; oborta alterutrum contentione, ad invicem sequestrati sunt, et Atenolfo incubante Capuam, Dauferius Teanum commoraturus properavit. Paulo post concordia composita, ad eum a quo se separaverat regressus est.

81. Per idem tempus Græci navaliter a Constantinopolim ad Regium tellurem adventantes, ex diverso et Hismaelitæ ab Africa et Sicilia properantes, utrique junxerunt se inter Messanam, urbem Siciliæ, et Regium; et confligentes [16] parumper mutuo, victi sunt Græci, tantoque metu territi sunt reliqui Achivi qui remanserunt, ut tam viri quam fœminæ et parvuli, relictis utriusque civitatibus cum omnibus, subsidium adepti sunt, nemine contrahens [17] bella. Set ut talia permiserit divina æquitas illi belluinæ genti [18], econtra narrabo brevius. Achivi autem ut habitudinis similes sunt, ita animo æquales sunt bestiis, vocabulo Christiani, set moribus tristiores Agarenis. Hii videlicet et per se fidelium omnes prædabant, et Saracenis emebant, et ex his alios venales oceani litora farciebant, alios vero in famulos et famulas [19] reservabant. Talia et his similia animadvertens Deus, tradidit illos in opprobrium et in devorationem, ut pereant, et recogitent et intelligant quia in operibus suis diris Deum jaculati sunt. Acta sunt hæc in arto spatio maris, quod dirimit Regium [20] a Sicilia, qui locus olim tellus erat, set moderno tempore a Phari [21] æquore occupatus est. Hæc itaque gesta sunt anno Domini 888 [22] mense Octubris.

82. Hoc etiam anno revertens Guido ad Italiam, quo principare cupit set optinere nequivit, in Italia juxta civitatem Brecianam cum Berengario et ipso duce conflixit [23]; in quo nimirum conflicto utriusque partis acies crudeliter cæsa est. Spolia autem cæsorum a Berengario recollecta sunt. Pacti sunt tamen ad invicem usque in epyphania, qui celebrantur [24] 8 Ydus Januarii (889). Cum autem uterque se junxerit ad pactum vel ad bellandum, quod deinceps egerint, præsenti opusculo inseram.

VARIÆ LECTIONES.

[1] occulatur c. [2] *ita* 2. 3. : : : uutans c. [3] bis bonis c. *quod correxi; v. supra cap.* 75. [4] capuam 2. [5] revictum c. [6] jure c. [7] aut c. [8] subacta c. [9] erit c. dixerit B. [10] utuertit 1. advertit 2. [11] hujusscemodi c. [12] s. facta I. funtus c. [13] aut c. [14] dauferius c. [15] transmictteret c. [16] confringentes c. [17] constrahens c. [18] gentis c. [19] famulis c. [20] regnum A. B. [21] avari c [22] DCCC LXXX. c. [23] *ita correxi*; conflictis c. [24] celebratur 2.

NOTÆ.

[a] Idem quod scaritos, milites.

[b] Ironice dicta.

ANNO DOMINI DCCCXC.

ANGILBERTUS

CORBEIENSIS ABBAS.

NOTITIA HISTORICA IN ANGILBERTUM.

(Apud Fabricium, Biblioth. med. et inf. Lat.)

Angilbertus, sive Engilbertus, Corbeiensis abbas circa annum Christi 880. Versus quosdam elegiacos præmisit aliosque hexametros subjunxit libro S. Augustini de Doctrina Christiana, quem obtulit Ludovico regi Francorum Carolomanni fratri. Utrosque edidit Mabillonius tom. II Analector., pag. 657 seq. atque novæ in fol. pag. 425.

ANGILBERTI

ABBATIS CORBEIENSIS

VERSUS

AD LUDOVICUM REGEM FRANCORUM CAROLOMANNI FRATREM [a]

In librum S. Augustini de Doctrina Christiana

Eidem regi dono missum.

(Apud Mabillonium, Analecta vetera, pag. 425.)

Hæc Augustini Aurelii pia dogmata fulgent,
Quæ de doctrina edidit almifica.
Hæc tibi multa docent, lector, quod quæris honeste
Si replicare cupis scripta sacrata libri.
Hujus enim corpus parvum quod cernitur esse,
Continet insertos quattuor ecce libros.
Primus enim narrat Christi præcepta tenere,
Quæ servare Deus jussit in orbe pius :
Rebus uti sæcli insinuans præsentibus apte,
Æternisque frui rite docet nimium.
Edocet et signis variis, rebusque secundus,
Qualiter aut quomodo noscere signa queant.
Tertius ex hisdem signis verbisque nitescit,
Quid sint, quid valeant, quæve vitanda canit.
Tunc promit quartus librorum dicta priorum,
Quid res, quid signa, quid pia verba docent.
Qualiter et possint cuncta intellecta referre,
Magno sermone intonat ipse liber,
Submisse, pariter moderate, granditer atque.
Lector, perlecta dic, Miserere, Deus.
Hunc abbas humilis jussit fabricare libellum
Angilbertus enim vilis et exiguus :

A Quem daret ille pio cœlesti numine fulto
Hlodoico regi, qui est pius atque humilis,
Qui sanctæ sophiæ certat rimare secreta,
Nobilis ingenio, nocte dieque simul.
Quique etiam domini ac fratris præclarus amator
Ingenii dictu permanet ore pio.
Quem Deus omnipotens multos feliciter annos
Glorificet, servet, diligat, ornet, amet.

Et in fine.

Hæc perlecta pii lector doctrina patroni,
In primis Domino totam qui condidit orbem,
Devote laudes jugiter perfunde benignas.
Qui mare fundavit, cœlum, terramque creavit,
Omnia qui numero, mensura ac pondere clausit.
B Per quem cuncta manent, vel per quem cuncta ma-
[nebunt,
Quæ sunt, quæ fuerant, fuerint, vel quæque fu-
[tura.
Ipso iterum magnas Domino perfundito grates
Pro tali ac tanto, casto, doctoque magistro,
Ordine sub digno scripsit qui talia nobis.

[a] Horum versuum priores existant initio, posteriores in fine librorum S. Augustini de Doctrina Christiana in codice Corbeiensi, quem Angilbertus seu Engilbertus, ejusdem loci abbas, in gratiam Ludovici Francorum regis describi curavit anno 880, aut insequente. Id sive præstiterit Angilbertus rogatu principis, sive eo inconsulto, arguit sane Ludovicum in sacras litteras recte affectum fuisse, cui non aliud magis gratum munus quam hosce S. Augustini libros, Angilbertus fore existimavit. Ubi observare convenit lectionem sacram priscis Francorum regibus aliquando familiarem fuisse. Hinc Adalbero Laudunensis episcopus Rotbertum regem hortatur ad legendos Augustini, Dionysii dicti Areopagitæ, et Gregorii Magni libros.

Chloduici regis precibus memorare benignis,
Nomine qui est dignus divino ac munere fretus,
Laudibus almificis ingenti et mole coruscans.
Cui Deus omnipotens multos feliciter annos
Hic pie concedat felicia regna tenere.
Cum quo conjugium, prolem, cunctosque fideles
Dignetur regere cœlorum Rector ab axe,
Et post hunc cursum cœlestia scandere regna, etc.

ANNO DOMINI DCCCXC.

BERENGAUDUS.

EXPOSITIO
SUPER SEPTEM VISIONES LIBRI APOCALYPSIS.

(*Vide Patrologiæ tom. XVII, col.* 763.)

ANNO DOMINI DCCCXCI.

STEPHANUS V
PONTIFEX ROMANUS.

VITA STEPHANI PAPÆ V.

(*Vide Patrologiæ tom. CXXVIII, sub finem.*)

STEPHANI PAPÆ V
EPISTOLÆ, DIPLOMATA ET PRIVILEGIA.

(Ex Mansi, Bouquet. et collectoribus quibusdam recentioribus.)

I.

[a] EPISTOLA AD BASILIUM IMPERATOREM.

(*Anno* 88.)

Eum ob defensionem Photii redarguit, et contumelias Marino pontifici objectas refellit.

Litteras serenitatis vestræ ad Adrianum prædecessorem nostrum missas accepimus : et mirati A sumus magnificentiam tuam quomodo talia scribere potuisti, cum sis justitiæ æquilibrium, præsertim cum recte noverit pia potentia tua quod manui regiæ non subjiciatur sacerdotalis et apostolica nostra dignitas. Licet enim ipsius Christi imperatoris similitudinem in terris geras, rerum tamen mundanarum et civilium tantum curam gerere debes : quod etiam precamur ut ad multos annos

[a] Eas Basilii imperatoris litteras, quas ipse plenas blasphemiis et conviciis propter Photium a Marino et Adriano excommunicatum scripserat ad Adrianum, post obitum Adriani successor illius Stephanus accepit et legit : perstansque exemplo suorum prædecessorum in ejusdem Photii detestatione et exsecratione, rescripsit ad imperatorem epistolam qua eum redarguit quod pro Photio homine penitus laico justaque de causa excommunicato tantopere defendendo, Marinum pontificem, totamque Romanam Ecclesiam contumeliis afficeret. Reddita est epistola post obitum Basilii filio et successori ejusdem Leoni ; quam cum ille accepisset, Photium tanto lubentius et citius e throno depositum in monasterium Armeniorum relegavit, eique Stephanum germanum suum subrogari curavit, quanto Photius de suo cognato in imperatorem eligendo cum Santabareno pejus consilium iniverat. Cumque Stephanus in locum Photii substituendus a Photio ordinatus esset, Stylianus episcopus Neocæsariensis cum Leone imperatore per litteras Stephanum pontificem Romanum rogarunt, ut hac in re apostolica auctoritate cum designato Stephano patriarcha Constantinopoleos Photii successore dispensare non dedignetur : quam gratiam a sede apostolica post causæ diligentem cognitionem impetratam esse, communio utriusque sedis deinceps usurpata et frequentata satis aperte testari videtur. Ejectus sub hoc pontifice et relegatus Photius, quando obierit et quomodo diem extremum clauserit, dolo schismaticorum et secta-

præstare valeas. Quo igitur pacto a Deo largitus es nobis terrenis rebus præesse, ita etiam nos per principem Petrum spiritualibus rebus Deus præfecit. Accipe, quæso te, benigna fronte quæ sequuntur. Datum est tibi curare, ut tyrannorum impietatem et feritatem gladio potentiæ concidas, ut justitiam ministres subditis tuis, ut leges condas, ut terra marique militares copias disponas. Hæc est præcipua cura potentiæ et principatus tui. Gregis cura vero nobis commissa est tanto præstantior quantum distant a cœlo ea quæ in terris sunt. Audi Dominum dicentem Petro : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVII). De potestate vero et imperio tuo quid ait? *Nolite timere illos qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere* (*Matth.* X). Et iterum de ministerio nobis commisso ait : *Tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI), et quæ sequuntur. Oro itaque pietatem tuam, ut inhæreas decretis principum apostolorum, ut nomen eorum honores et dignitatem. Institutio enim et sacerdotium omnium quæ in orbe sunt Ecclesiarum a principe Petro ortum accepit, per quem etiam nos sincerissima et purissima doctrina monemus omnes et docemus. Regnum vero tuum non minimarum rerum argumento ad ea quæ præstantiora sunt scrutanda se erigat, sed animadvertat qua auctoritate hæc facere aggreditur. Ille quidem qui adversus sanctissimum Marinum sacras aures tuas contumeliis maculavit, adversus Dominum nostrum Jesum Christum, qui nutu suo universum orbem regit, blasphemias effutire procul dubio non dubitavit. Quis, inquam, ille fuit qui adversus immaculatum ejus sponsum et sacerdotem, et adversus matrem omnium Ecclesiarum talia dicere est ausus? Decipitur profecto quicunque putat quod discipulus sit supra magistrum, et servus supra dominum suum (*Matth.* XIX). Obstupescimus sane, dum quam perfectam et illustratam prudentiam seductam videmus, ut talia contra sanctum illum virum cogitaverit. Qualis enim ille fuerit, licet nos silentio prætereamus, lapides isti clamabunt : *Multa fiant labia dolosa quæ loquuntur adversus Deum iniquitatem, vel adversus justum* (*Psal.* XXX). Si ovis Dei existis (quod votis habemus), ne transgrediaris limites principum apostolorum. Dic, quæso te : quis te seduxit, ut pontificem œcumenicum comico more scommatibus lacesseres et sacram Romanorum Ecclesiam maledictis incesseres, cui cum omni veneratione subditus esse debes? An ignoras quod hæc omnium Ecclesiarum princeps existit? Quis te pontificum judicem constituit quorum sacris doctrinis dirigi debes, et a quibus preces pro te Deo offeruntur? Scis sacrum illud elogium, quod ait : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari* (*Psal.* CIV). Hæc de omnibus sacerdotibus dicta sunt. Deo te æqualem facis, qui ejus angelos judicare audes. Dicit enim propheta : *Labia sacerdotis loquentur judicium, et legem exquirent de ore ejus : angelus enim est Domini omnipotentis* (*Malac.* II). Quomodo judicabis sacerdotes qui solius Dei sententiæ subjiciuntur, et qui soli facultatem habent ligandi atque solvendi? Vide ad quodnam profundum te præcipitem dedisti. Audio in te, magnificentissime imperator, laudari mansuetudinem, et patientiam Job : quapropter mirari satis non possum quomodo ita turpiter lapsus sis. Scripsisti illum non esse episcopum. Quomodo id nosti? Si vero id ignoras, quomodo ita præceps in eum sententiam tulisti? Magna quidem est pontificum potentia. Non te latent res beati Ambrosii, et quid ipse fecerit adversus Theodosium imperatorem. Quicunque dicunt Marinum fuisse antea episcopum ac proinde non potuisse ad aliam sedem transferri, ostendant illi id aperte. Scito, dilecte et omni honore digne imperator, quod objicitur de canone, cum tamen id nunquam fuerit : multitudo tamen sanctorum Patrum et illorum auctoritas et judicium potuit illum constituere in primo gradu. Et divina providentia prænoscens Ecclesiæ Dei utilitatem, in sede principis apostolorum Petri illum collocavit. Quid vero magnus ille Gregorius cognomento theologus? nonne Nazianzo translatus est, et Meletius Sebaste Antiochiam, et Dositheus Seleucia Tarsum Ciliciæ, et Reverentius Archiphœnice Tyrum, Joannes Gordolia Proconnesum, Theodorus Apamea Selymbriam, Alexander Cappadocia Hierapolim? et multi alii diversis in locis translati sunt e suis sedibus ad alienas? Dicat celsitudo tua quibus accusatoribus et quibus testibus affirmantibus beatum Marinum fecisse quæ tu dicis, illum condemnasti? An ignoras, in prima Nicæna synodo quod beatus Silvester papa proclamaverit per legatos, præsente ibidem sancto Constantino : Ut prima sedes a nemine judicetur. Quid deliquit sancta Romanorum Ecclesia, ut adversus eam linguam tuam vibrare et concitare seductor iste induxerit? Num, juxta antiquum morem, de synodo Constantinopoli habenda ad te litteras non dedit? Num pro eadem synodo curam non gessit? Peto a te : Cuinam scriberet Romanorum Ecclesia? laico scilicet Photio? Si enim haberes Patriarcham, frequentius nostra Ecclesia illum litteris visitaret. Sed hei mihi, quod ista gloriosa et a Deo custodita civitas Constantinopolis pastoris solatio est orbata, et sola regia tua potentia illustratur : et, nisi amor quo te prosequimur cohibuisset ut ferremus injuriam nostræ Ecclesiæ illatam, coacti fuissemus adversus prævaricatorem Photium, qui contra nos impura evomuit verba, graviores pœnas infligere quam præ-

riorum ejusdem Photii in obscuro est. Nam cum scirent omnibus illis monumentis quæ pro Ignatio adversus Photium posteritati relicta erant, magistrum suum valde perstringi, puderetque eos talem schismatis auctorem sequi, ea omnia quæ inter Ignatium et Photium transacta erant silentio obruenda esse non tantum putarunt, verum etiam anathematis sententia, quæ exstat sessione 6 concilii Florentini, de facto exsecrati fuerunt.

SEV. BIX.

decessores nostri. Neque enim hoc dicimus ad tui contumeliam : te enim in universo orbe Deo dilectum prædicamus; sed tantum ad nostram defensionem et Marini majorem gloriam, qui eadem sensit et sapuit cum prædecessore et doctore nostro sanctissimo papa Nicolao. Et, qui dum voluit adimplere quæ illi ante visa fuerant, in maximum devenit apud vos contemptum et ludibrium divinus ille Marinus [*al.*, Marinus accerrimus defensor octavæ synodi]. Et cum noluerit simul duci cum iis qui aliena sentiebant, et, quæ ipse coram tua majestate synodice gesserat dissolvere et annullare ac irrita reddere, propterea triginta diebus carceres fuit detentus : id sibi gloriæ potius tribuens, quam contumeliæ, pro veritate pati. Sed, o junior Constantine, quomodo non es illum magnum imitatus Constantinum qui sacerdotum libellos acceptos in ignem projecit, affirmans se non esse dignum ut sacerdotes judicaret? Te itaque monemus, spiritualis noster fili, ne adversus sanctam Romanam Ecclesiam insurgas. Cum vero audivimus quod ex semine tuo filium ad sacerdotium dedicasses, magno hac de causa repleti sumus gaudio. Oramus etiam ut chelandrium munias et omnia quæ in eo sunt necessaria adhibeas a mense videlicet Aprili ad Septembrem mensem; mittas præterea qui mœnia nostra custodiant ab Agarenorum incursionibus. Reliqua vero silentio præterimus, cum neque oleum sit nobis pro luminaribus ecclesiæ juxta debitum Dei honorem. Cui gloria sit in sæcula sæculorum. Amen.

ADNOTATIO SEVERINI BINII.

In codice Græco post hanc epistolam Stephani papæ hæc subjiciuntur : « Hæc epistola ad Basilium imperatorem missa fuit, sed illam accepit Leo ejus filius, cum jam pater vita defunctus esset. Qui cum epistolæ vim intellexisset, et omnia Photii facinora cognovisset, quamprimum revocavit omnes sacerdotes veritatis, qui a Photio anathemate damnato graves passi fuerant persecutiones ; et ejecto tyranno et invasore Photio, fratrem suum germanum introduxit, advocato etiam Styliano Neocæsareæ metropolita, cognomento Mapa, et aliis ejus in persecutione commilitonibus, episcopis, præpositis, presbyteris, diaconis et aliis pietatis sectatoribus, ait illis : Nostrum ex Deo imperium perpensa veritate iniquum illum hominem Photium a sede patriarchali ejecit, et vestram persecutionem sedavit. Nec ullo pacto cogam quemquam vestrum, ut inviti cum illo communicetis ; quin potius pietatem vestram, ut communicetis cum fratre meo, et fiat unum ovile. Sin autem, inconsultis Romanis qui Photium damnaverunt, nolueritis fratri meo convenire, quoniam videlicet a Photio diaconus fuit ordinatus, venite, scribamus et mittamus una Romam ad pontificem, ut dispenset absolutionem anathematis iis qui a Photio fuerunt ordinati. Scripsit igitur propterea imperator epistolam ad pontificem, similiter etiam Mapa metropolita Cæsareæ et ejus socii. Epistola vero metropolitæ ita se habet. »

EPISTOLA STYLIANI AD STEPHANUM PAPAM V.

Sanctissimo ac beatissimo Stephano, domino ac œcumenico papæ, Stylianus episcopus Neocæsareæ Euphratesiæ provinciæ, servus servorum Dei, et qui mecum sunt episcopi, necnon omnes episcopi, et presbyteri, et diaconi sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, et omnes præpositi per Occidentem et Orientem constituti, et presbyteri monachi quietam vitam agentes.

Dei catholica et apostolica Ecclesia semper prævalet adversus eos qui illi bellum concitant. Scriptum est enim, quod Dominus imbecilles reddit ejus hostes. Et qui adversus Ecclesiam bellum gerit, Dei se hostem constituit. Variæ igitur, o sacrum et venerandum caput, humani generis hostis sunt fraudes, diversis temporibus alios aliis rationibus recta via ad vias obliquas homines subtrahentis. Hoc vero præcipue in Dei Ecclesia ille facere consuevit, ubi recta quidem agere, laude dignum est, sicut e contra a recto recedere, formidabile existit. Cum itaque in Dei Ecclesia multa iniquitatis vasa invenisset, venerationem quæ sacris imaginibus exhibetur, tum Christi, tum purissimæ ejus matris et servorum ejus, ab ecclesiastica disciplina removere conatus est ; sed divina favente gratia, nostrorum piorum imperatorum auxilio, nostra Ecclesia suum decorem nunc recepit et abominabilem illum errorem hæresis circa imagines procul abjecit. Quid vero dæmon bonorum operum osor? Novam iterum concitat tempestatem. Iterum enim Gregorium suscitat cognomento Asbestam, id est, inexstinguibilem, et Eulampium, et Petrum, et eorum socios, ac per eos Christi membra ad invicem divellere, et a sanctissimo Ignatio patriarcha abalienare non dubitavit. Hos itaque patriarcha sæpius synodice advocatos, et qua decebat humanitate tractans, ut nullo pacto a Dei Ecclesia segregati præda dæmonis fierent, efficere non potuit. Quapropter privatione tandem et anathemate ipsos damnavit. Illi vero litteras miserunt et legatos ad sanctissimum tunc temporis pontificem Romanum beatum Leonem, petentes ut ab ipso, quasi injuriam passi, vindicarentur. Pontifex vero ad patriarcham Ignatium scripsit, rogans eum ut aliquem mitteret suo nomine in urbem Romam, ut per eum discere posset quomodo res se haberet de schismaticis illis. Quod patriarcha Ignatius facere non tardavit, sed misit Lazarum monachum et confessorem una cum litteris, qui rem omnem de Gregorio recte noverat, et pontificem de singulis edocuit. Quapropter pontifex et ipse damnavit eodem modo quos Ignatius damnaverat, tanquam schismaticos. Sed beato papa Leone vita functo, iterum illi Benedicto papæ successori molestias intulerunt. At Benedictus sanctissimus, re iterum diligenter examinata, eorum damnationem cum Ignatio confirmavit. Qui deinde Photio cuidam schismatico ab Ecclesia Constantinopolitana et in dignitate constituto inhærentes, et ejus favore utentes apud Bardam principem et avunculum Michaelis imperatoris (qui et ipse arguebatur a patriarcha Ignatio turpis incestus gratia), Ignatium ipsum e patriarchali sede violenter ejiciunt, multas calumnias adversus eum fingentes, ut imperatorem ipsum ita subduxerint, ut Photium pro Ignatio in patriarchali sede collocarit, a schismaticis electum et a damnato Gregorio eo die ordinatum. Quando pontifices ipsi, et insigniores ex sacerdotibus, et quicunque in Ecclesia potiores erant, segregati sunt propter illegitimam intrusionem schismatici Photii, inter quos etiam ipse fui minimus omnium. Deinde vero multos ille ad se convulsit, alios quidem perterrefaciens, alios vero male tractans, alios muneribus decipiens. Chirographum præterea propria scripsit manu, nunquam se adversus Ignatium nec eos qui ab illo fuerant ordinati, aliquid mali tentaturum. Nec deinde magnum temporis spatium intercessit, et nulla habita ratione proprii chirographi, in celebri templo sanctorum apostolorum conciliabulo congregato, depositione et anathemate patriarcham Ignatium damnat mœchus ipse et adulter Photius. Deinde vero suam iniquitatem ex superabundanti confirmare volens, ad vestram urbem Romam, et tunc temporis pontificem

Nicolaum misit episcopos cum litteris imperatoris, et petiit ab illo legatos mitti ad Constantinopolitanam Ecclesiam, qui perpenderent quæ ipse contra Ignatium gesserat: quod factum est. Missi enim sunt Rhadoaldus et Zacharias cum commendatitiis litteris ad Michaelem imperatorem et Photium. Legati itaque cum Constantinopolim venissent, congregata est synodus, et legati subducti quidem a Photio muneribus, minis vero ab imperatore, nihil fecerunt eorum quæ ipsis fuerant mandata, sed potius Ignatium damnarunt, Photium vero contra, præter pontificis mandatum, in patriarchali sede confirmarunt; et ita ad apostolicam sedem cum litteris imperatoris et Photii sunt reversi. Quando scilicet zelo quodam motus monachus ille Theognostus, qui et archimandrita, clam etiam ipse sub mentita laicali veste Romam proficiscitur, et sanctissimum Nicolaum papam de his omnibus docet quæ adversus Ignatium gesta fuerant. Quapropter pontifex, congregata synodo, suos legatos Rhadoaldum et Zachariam damnavit quod fecissent præter illa quæ sibi fuerant demandata. Aliam item synodum congregat et Photium mœchum et invasorem anathemate damnat; Ignatium vero contra patriarcham Constantinopolitanum litteris suis declarat, necnon quæcunque gesta fuerant, tum Michaeli imperatori, tum Photio aperte significavit. Cum vero post Michaelem ad Basilium imperii sceptrum devenisset, divino zelo motus ille, acta quæ in urbe Roma a papa Nicolao gesta sunt, de Photii ejectione et de Ignatii restitutione confirmavit, et Ignatium ab exsilio revocavit, et Photium patriarchali sede ejecit, et ab utraque parte, Ignatii videlicet et Photii, legatos una cum litteris suis ad apostolicam sedem destinavit, mittens præterea figmentum illud Photii pseudosynodi adversus Nicolaum papam qui inventus est a legatis vita functus. Adrianus vero Nicolao cum successisset, ostensa sunt illi quæ missa fuerant. Iterum igitur Adrianus papa localem synodum congregavit; et, eadem quæ beatus papa Nicolaus, adversus Photium, decrevit. Et cum elegisset pios viros, Constantinopolim misit, et œcumenica synodo congregata, præsentibus etiam legatis Orientalium sedium, iterum sententia promulgatur adversus Photium, quod ut mœchus et adulter Ecclesiam Constantinopolitanam invaserit. Quapropter deponitur et anathemate damnatur, et Ignatius restituitur. Nec tamen propterea Photius quietem habuit, sed iniquos homines et maleficos et deceptores congregavit, et calumnias falsas fingendo non destitit, quousque beatissimum Ignatium vitam misere relinquere procuravit. Neque hoc solum, sed etiam dum jam Ignatius in propria sede resideret, Photius ab œcumenica synodo damnatus et anathematizatus, in Constantinopolitana diœcesi varias habuit ordinationes. Quin etiam cum militari manu, sicut quondam impius ille Macedonius, in sanctam Dei Ecclesiam prosiliit, dum nos comministri sacrum in celebri templo sanctæ Sophiæ faceremus. Qui cum vidissemus Photium ita impudenter in Dei tabernaculum ingredientem, relicto imperfecto sacro aufugimus; Photius vero sacerdotes Domini et comministros nostros magna vi et multis verberibus vel invitos ad se convulsit. Ego vero, et qui mecum erant episcopi, presbyteri, et diaconi, et omnes per Occidentem et Orientem præpositi monachorum et quietam vitam agentes, infinitus videlicet numerus, divina gratia inconcussi permansimus, quamvis neque antea neque postea Photio communicavimus. Qui cum illegitime (ut dictum est) Ecclesiam invasisset, dubitationem multis injecit dicentibus, quod hunc Photium videlicet non recipimus, nisi illum confirmaverit Romæ apostolica sedes: quod cum ille didicisset, simpliciores ita decepit: Paulum enim et Eugenium episcopos a Joanne papa ad Ignatium patriarcham missos, ut cum illo de rebus Bulgarorum provinciæ agerent. Qui cum invenissent quod beatus Ignatius jam demortuus erat, Photius illos muneribus corruptos decepit, et imperatoris minis coegit, ut dicerent coram omni clero et episcopis, et reliquo populo quod contra Ignatium a Joanne papa essent missi, ut illum anathemate damnarent, et Photium patriarcham promulgarent. Quapropter plerique comministrorum nostrorum sunt decepti. Ille vero etiam vestram apostolicam sedem fraudibus eludere volens, litteras composuit nomine Ignatii patriarchæ et comministrorum ejus, quibus orabat beatitudinem apostolicæ sedis, ut Photium reciperet; et has litteras ad nos miserunt. Quapropter Petrus presbyter a vobis in urbem regiam cum venisset cum Paulo et Eugenio, Photium ab apostolica sede receptum promulgarunt. Hinc capta occasione etiam politicas curas in se suscepit, et ita regiam potestatem usurpare contendebat. Abbatulum enim quemdam ignobilem, et humilem atque maleficum, sibi familiaritate conjunxit, cujus pater Santabarenus cognomento dicebatur, Manichæus quidem secta, et veneficus professione, qui cum agnitus esset, et capi dubitaret, ad Bulgaros confugit adhuc impietatis morbo laborantes, ubi ille Christianorum fidei abrenuntiavit. Hujus itaque filius abbatulus prædictus Constantinopoli adhuc juvenis manens traditur Studitarum monasterio a Barda Cæsare, et ibi alitur. Cum vero ad perfectam venisset ætatem, et omnem iniquitatem calleret, adhæret Photio suo simili, quem Photius sacerdotem ordinavit in priori illa sua intrusione ad patriarchalem dignitatem. Cum vero Photius a patriarchali sede fuisset ejectus post œcumenicæ synodi promulgationem, Santabareni filius prædictus abbatulus suggerit Photio ut aliquem inveniret domesticorum imperatoris: affirmabat enim per hunc iterum Photium se posse restituere. Inventus itaque Nicetas, cognomento Plorans, qui multis muneribus deceptus, quæ a Santabareno venefico magica pocula et esculenta fuerant parata apponens imperatori, fecit, ut Photius ille exosus amicus videretur: et sanctissimo Ignatio patriarchalem sedem tenente, Photium ad palatium revocavit ex eo loco qui Augustus dicitur, et in palatio contubernalem Photium habebat, ut Photius magis esset patriarcha quam Ignatius ipse, licet in patriarchali sede ipse Ignatius resideret. Quapropter, ut supra diximus, ordinationes habebat, et ita imperatorem adversus Ignatium irritavit, ut ei vitam male abstulerit. Qui cum ita male fuisset mortuus, statim Photius ejusdem sedem occupavit secum habens Santabarenum illum quem imperatori familiarissimum reddidit, et Euchaitarum episcopum constituit; insignia etiam monasteria in aliis diœcesibus constituta et aliis episcopis subdita ab illis abstulit, eaque tradita Santabareno, ut illa Euchaitarum Ecclesiæ aggregarentur, et episcopi in illis a Santabareno ordinarentur. Santabarenus præterea iste una cum Photio adversus piissimum imperatorem nostrum Leonem, qui nunc rerum potitur, malum consilium iniit, et ejus patrem Basilium adversus eum irritant affirmantes Leonem insidiari et adversari paternæ voluntati. Cum vero insanabili morbo laboraret Basilius, et jam morti propinquus esset, putaverunt quod illo volente, et filio jam procul absente, facile ipsi imperium obtinerent, ut per se, vel per alium quem vellent, illud administrarent. Sed Dei providentia non permisit eorum iniquitatem impleri. Licet enim Leo filius a patre Basilio inter privatos homines haberetur, quinimo carcere detineretur custoditus, post patris obitum ad imperiale solium evectus est. Qui Photium quamprimum ejecit, tanquam multarum iniquitatum auctorem. Nos vero qui illi non obediamus et præterea multa mala passi sumus, illis miseriis idem Leo imperator liberavit. Quoniam vero scimus quod a vestra apostolica sede corrigi et juxta canones corripi debemus; hac de

causa humilibus his nostris litteris tuam oramus venerabilitatem, ut misericorditer nobiscum agas, cum populo videlicet qui non sine rationabili causa Photii ordinationem recepit, ut ne qui apostolicæ sedis legatos Rhadoaldum et Zachariam qui initio Photium confirmarunt in Constantinopolitana sede, deinde Eugenium et Paulum qui secunda vice cum Photio communicarunt, excepit, una cum Photio interitu damnetur, nec alius infinitus numerus ab Ecclesia pellatur; hoc enim facere consuevit Ecclesia. Œcumenica enim synodus quarta Dioscorum iniquitatis principem et actorem, Flaviani interfectorem, beati videlicet patriarchæ Constantinopolitani, damnavit et homicidam et hæreticum, ut qui ausus est sanctissimo papæ Leoni excommunicationem irrogare: eos vero qui a Dioscoro fuerant ordinati, vel lapsi fuerant, cum tamen pietatis sectatores fuissent, per pœnitentiam illos suscepit. Nicæna etiam septima synodus auctores hæresis œconomachorum damnavit, illorum vero sequaces per pœnitentiam admisit. Quapropter decet etiam tuam singularem virtutem, Photium quidem tanquam ab initio schismaticum, et a schismaticis illegitime ordinatum, et propter alia multa quæ operatus est mala, expellere: eos vero qui ab ipso decepti sunt, misericorditer cum illis dispensari rogamus, ut Ecclesiæ Constantinopolitanæ pax et tranquillitas ita restituatur, et non alii quidem Apollo, alii Cephæ sint, et alii Pauli (*I Cor.* I), et sic unum corpus Ecclesiæ dividatur, sed omnes unanimes, tanquam unum caput habentes Christum Deum et salvatorem omnium nostrum, omnes communiter illi laudes offeramus et ejus præcepta similiter prædicemus: neque propter unum hominem peccatorem tantus numerus pereat. Nos enim, ut diximus, imperatorum Christo dilectorum nutu Constantinopolim venientes, dum multi nos ad communionem impellunt et juramento affirmant se ab apostolica sede dispensationis indultum obtinuisse, ut absque impedimento sacerdotalem dignitatem exercitare possent, nullo tamen pacto illis fidem adhibuimus a tua sanctitate exspectantes aliquid firmi et certi. Hoc autem ausim affirmare, o venerandum caput, Deum adhibens testem, quod nullus eorum qui cum Photio communicarunt propria id fecerit voluntate, sed potius principum violentia. Quapropter tuam rogamus beatitudinem, ut populum, parum abest, desperatum misericorditer suscipias. Rogat te Petrus, cujus sedem administrandam obtines, qui ab omnium Domino edoctus fuit ut septuagies septies ignosceret etiam iis qui scienter deliquerint (*Matth.* XVIII). Exaudi nos, ut etiam tu a Deo benignitatem desuper obtineas, et longo tempore ecclesiam apostolicam regere valeas precibus sanctissimæ Deo genitricis, cœlestium potestatum, apostolorum, prophetarum, martyrum, confessorum et omnium sanctorum. Amen.

A

II.

AD GUIDONEM COMITEM.

(*Anno* 886.)

[Apud Gratianum, *Decr.* I, d. 63, cap. 18.]

STEPHANUS GUIDONI comiti.

Lectis sagacitatis vestræ apicibus, qui defuncto Ecclesiæ Reatinæ antistite, clerum et plebem ejusdem Ecclesiæ elegisse sibi futurum antistitem, nobisque consecrandum vestro studio directum esse ne ipsa Ecclesia diu sine proprio constet pastore, fatebantur, nos de obitu prioris dolentes, nunc ipsum electum unanimitate, et canonica ipsius Ecclesiæ electione, ut mandasti tam citissime ordinare omisimus, quod imperialem nobis, ut mos est, absolutionis minime detulit epistolam. Pro qua scilicet re ambiguum est nobis: ideo voluntati vestræ in hoc parere distulimus, ne Augustalis animus durissime hoc, quocunque modo perciperet. Sed scientes Ecclesiam Dei sine proprio diu pastore non debere consistere, gloriæ vestræ mandamus, quoniam aliter nos agere non debuimus, ut vestra solertia imperiali, ut prisca consuetudo dictat, præcepta licentia, et nobis, quemadmodum vos scire credimus, imperatoria directa epistola tunc voluntati vestræ de hoc parebimus, eumdemque electum, Domino adjuvante, consecrabimus: quod, charissime fili, moleste nullo modo suscipias.

III.

DIPLOMA PRO MONASTERIO CORBEIENSI.

(*Anno* 887).

[Apud Schaten, *Annal. Paderborn.*]

Stephanus (V) servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo WICBERTO episcopo sanctæ ecclesiæ quæ vocatur Hildesheim, patrocinio sanctæ Dei genitricis Virginis Mariæ dominæ nostræ dedicatæ, seu Bovoni abbati venerabilis monasterii quod vocatur Nova Corbeia, ex dedicatione et nomine beati Christi protomartyris sancti Stephani, ubi in sanis requiescit membris beatus Christi martyr Vitus in perpetuum.

B

Convenit apostolico moderamini pia religione succurrere pollentibus pia compassione, et poscentium animis a lucri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimi præmium a conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerunt sine dubio statum perducta. Igitur omnes sanctæ Ecclesiæ Dei fideles atque devotos, præsentes scilicet atque futuros, scire volumus, utrasque supra nominatas ecclesias cum omnibus earum familiis seu plebibus, ac rebus immobilibus, juste ad eas ubique pertinentibus, quarum una sedes vocatur ex patrocinio sanctæ et superexaltatæ Dei genitricis Mariæ dominæ nostræ, altera vero monachorum conturberniis instituta, et dedicatione beati protomartyris Stephani, ubi et B. Martyr Vitus corpore requiescit, sub B. Petri apostolorum principis tuitione et sedis apostolicæ speciali defensione, per hoc nostræ apostolicæ confirmationis privilegium omnibus modis submissas perenni jure consistere. Hujus rei gratia decrevimus, et prærogativa atque auctoritate Dei omnipotentis et ejusdem apostolorum principis, cui ligandi atque solvendi in cœlo et in terra data est potestas, cujusque nos vice divino munere fungimur, injungimus ut a nullo hominum aliqua vis aut oppressio, vel contrarietatis, seu occupationis molestia quocunque modo inferatur in rebus vel possessionibus ecclesiarum earumdem, neque illarum possessiones aut decimæ ipsis collatæ ubique ecclesiis a quolibet usurpentur, aut more tyrannico diripiantur; sed in arbitrio et jure episcopi vel abbatis utriusque ecclesiæ cuncta consistant, sub diligentissima canonicæ institutionis censura. Potius autem eædem ecclesiæ utriusque ordinis cum omnibus earum possessionibus per hujus apostolici statuti privilegium, indiminute ac

C

D

illibate ab omnibus, qui Christiano nomine censentur, sub defensione sanctæ sedis apostolicæ habeantur et observentur, ad laudem Dei omnipotentis, et sedis apostolicæ reverentiam, et stabilem etiam vigorem, et statum augmentandum profuturum ecclesiæ. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hoc nostræ auctoritatis et apostolicæ confirmationis privilegium pie a nobis concessum iri agereque præsumpserit, et in toto vel ex parte transgredi conatus fuerit, et omnem reverentiam sanctæ sedis apostolicæ non observaverit, sciat se a Deo Patre omnipotente, et Filio, et sancto Spiritu excommunicatum, et nisi resipiscat, perpetuo anathemate condemnatum. Qui vero custos et observator exstiterit, et benedictionem et gratiam a Deo et Domino nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Gregorii scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Maio, indictione quinta. Valete. Datum III Kalend. Junii per manum Leonis sacellarii sanctæ sedis apostolicæ, imper. domino piissimo principe Carolo Augusto coronato magno imper. anno sexto, et post consulatum ejus anno sexto, indictione quinta.

IV.

EPISTOLA AD EPISCOPOS ORIENTALES.

(*Anno* 888.)

Ipsis pro ordinatione Stephani patriarchæ Constantinopolitani dispensationem petentibus, eo quod a Photio diaconus ordinatus fuisset, respondet et ulteriorem informationem petit.

STEPHANUS episcopus, servus servorum Dei, universis episcopis et reliquis clericis, etc.

Catholica Christi et Dei nostri Ecclesia fundata super firmam petram, apostoli videlicet Petri confessionem, licet plurimis tempestatibus et fluctibus agitetur, nihilominus confirmatur et augetur. Nec mirum si humani generis hostis membra Ecclesiæ tentare aggreditur, qui caput ipsum Dominum nostrum Jesum Christum tentare non dubitavit. Nec igitur mirum si Photium satis exosum ab Ecclesia damnatum ejecistis, qui salutiferam Domini crucem ita delusit, per quam videlicet venerandam crucem omnia dona sacerdotalis ministerii perficiuntur, et sancti baptismatis lavacrum sanctificatur. Prædictus itaque Photius laicus homo, si regiam viam ambulasset et decretis sanctorum Patrum inhæsisset, ad tantam insaniam nunquam devenisset. Quapropter qui Christi humilitatem, venerandam scilicet crucem, contemnunt, percussi sunt tanquam primogenita Ægypti: tunc enim Israelitarum primogeniti, cum essent signati, servati sunt ac custoditi (*Exod.* XII). Quid vero erat ille sanguis agni in limine Israelitarum, nisi crux passionis Christi quæ in frontibus fidelium imprimitur? Quicunque igitur salutarem crucem parvipendit evangelico ense interimitur. Sed de Photio quidem ita vos scripsistis: illas vero imperatoris litteras cum legissemus, easdem a vestris procul abesse comperimus. Ita enim se habebant: quod Photius quietam vitam elegit. Quapropter in dubitatione versamur. Multum enim interest abrenuntiasse et expulsum esse. Nos igitur absque diligenti inquisitione qualecunque judicium proferre non possumus. Quapropter nunc sententiam prorogavimus: et opus est utriusque partis religiosissimos episcopos mitti, ut, perpensa omni dubitatione et veritate, utrimque manifesta dicere possimus quod Deus voluerit. Romana enim Ecclesia instar speculi et exemplaris reliquis Ecclesiis constituitur. Et quodcunque definierit in sempiternum manet incorruptum, et hac de causa sententias magna cum inquisitione ferre decet.

V.

[a] AD FULCONEM RHEMENSEM ARCHIEPISCOPUM PRO TEUTBOLDO LINGONENSI EPISCOPO.

Fragmentum. — (*Anno* 889.)

Nos autem qui omnium Ecclesiarum in beato Petro sulto præsumeret. Simulque et Girannum (*d*) Senogalliensem episcopum a suo latere direxerit exsecutorem. Quem deludens Aurelianus ad Pingonensem præmiserit urbem, pollicitus se citissime subsecuturum. Quo cum diu exspectaretur, nec ipse advenerit, nec moræ suæ causam innotescere, vel papæ remandare præviderit. Quo circa iterato clerus et populus cum decreto manu omnium roborato præfatum electum Romam remiserint obnixe sibimet illum consecrari petentes: sed nec tunc id agere acquieverit volens Lugdunensi Ecclesiæ collatum privilegium immutilatum consistere: ideoque jam dicto Aureliano iterato rescribens mandaverit, ut quia concordi voto clerus et populus jam dictum diaconem expetebat, aut ipsum consecraret, aut quid in eo reprehensibile judicaret, rescribere maturaret. Sed is priori inobedientiæ contumaciam adjiciens, non solum oblatum consecrare, seu quid in eo reprehensibile judicaret sibi rescribere contempserit, verum etiam contra interdicta et sacrorum canonum statuta, quemdam (*e*) extraneum, et eidem Ecclesiæ ignotum

[a] Hujus epistolæ contenta recensens Flodoardus l. IV, Hist. Rhemensis, ista scribit: « Stephanus papa ad Fulconem Rhemensem archiepiscopum scribit pro Teutbolso Lingonensi episcopo, significans ad se hujus Lingonensis Ecclesiæ querimoniam pervenisse, quod oveunte Isaac (*a*) episcopo, inconsulto clero et populo, Egilonem (*b*) quemdam monachum nuper de sæculo venientem in episcopum Aurelianus Lugdunensis ordinaverit, eisque vi illata præposuerit nolentibus, quo divina vocatione hominum excedente (*c*), ne in idipsum incurrerent, concordi voto clerus et populus Teutboldum ipsius Ecclesiæ diaconum eligentes, ab ipso papa sibimet in episcopum consecrari petierint: sed ille uniuscujusque Ecclesiæ privilegium inconcussum servare volens, id agere distulerit, eumque præfato Aureliano direxerit. Scribens ad eum, ut si cleri populique vota in eum concordarent, et sacri canones illi non obviarent, manus nuic imponere nequaquam differret. Quod fieri si ratio prohiberet, et idipsum sibi rescriberet, interim tamen alterum inibi ordinare nullo modo se inconcenses et Dabonenses.

(*a*) Anno circiter 880.

(*b*) Roberto, Sammarthanis, Vignerio nostro, aliisque dicitur Gello seu Gerlo, quem aiunt nominari in Chartulario 3 Stephani Divionensis anno 4. Carlomanni die Lunæ VIII. Idus Julias anno 883, et ann. 884, interfuisse synodo Cabilonensi XV Kalend. Jur. et XVIII. Kalend. Febr. obtinuisse confirmationem juris cudendæ monetæ apud Lingo-

(*c*) Circa finem anni 888.

(*d*) Otrannum.

(*e*) Is haud dubie Algrimus sive Argrimus quem alt Vignerius in Chr. Lingonensi dedisse Bezuensibus monachis privilegium Apr. anno 889.

tro apostolorum principe curam suscepimus, scientes inter episcopos non haberi eum qui neque a clero electus neque a populo est expetitus : sæpe dictum Teutboldum venerabilem diaconum ipsorum lamentabilibus precibus inclinati Lingonensis Ecclesiæ episcopum consecravimus, condigna sententia prævaricatoribus illata, licet et aliis prævaricatoribus fuerint impediti. Quapropter tuæ injungimus sanctimoniæ, ut his nostris apostolicis litteris perceptis, postposita dilatione, ad Lingonensem accedas Ecclesiam, et eumdem Teutboldum a nobis solemniter consecratum episcopum exinde revestias, omnibusque archiepiscopis et episcopis innotescas, pro tantæ contumaciæ ultione nos ejusdem Ecclesiæ specialem sollicitudinem suscepisse, pro tanti laboris maceratione et oppressionis illatæ revelatione. Quidquid autem idem venerabilis episcopus Teutboldus vobis ex nostra parte retulerit, credite et effectui mancipare nullo modo ambigite : utpote tuam reverentiam circa nos devotam consistere credimus.

VI.

AD [a] LEUTBERTUM MOGUNTINUM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (*Anno* 889.)

[b] Consuluisti de infantibus qui in uno lecto dormientes cum parentibus mortui reperiuntur, utrum ferro candente, aut aqua fervente, seu alio quolibet examine parentes se purificare debeant eos non oppressisse. Monendi sunt namque et protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent : ne negligentia qualibet proveniente suffocentur, vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur [c]. Nam ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet, sacri non censent canones; et quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa, sunt regimini nostro judicare ; occulta vero, et incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum. Hi autem qui probantur, vel confitentur tali reatu se noxios, tua eos castiget moderatio : quia si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est : quanto magis qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit?

VII.

AD LUYTHOBIUM [LUITBERTUM] MOGUNTINUM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (*Anno* 889.)

[Apud Ivonem, IV, cap. 232.]

STEPHANUS LUYTHOMO Moguntino episcopo.

Capitula Nicæni concilii, testimonio Athanasii, 70 ignotum, in angulo ordinatum, illis ingerere præsumpserit. At hi potius laborem subire quam subjici ignoto eligentes, ad se redierunt, implorantes ne paterentur ecclesiastica jura violari. » SEV. BIN.

[a] *Consuluisti*, 2, q. 3.

in figuram septuaginta discipulorum scripta non dubitamus. E quibus viginti tantum in Ecclesia sancta Romana habentur, sed quo neglecto reliqua defuerint ambiguum est : arbitrantur enim plurimi ea Antiocheno inserta concilio.

VIII.

AD PAULUM PLACENTINUM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (*Anno* 889.)

[d] Loci nostri consideratio nos admonet, rationis auctoritate, quæ a prædecessoribus nostris utiliter decisa fuerint roborare, et quæ a temerariis præsumpta fuerint in promptu nihilominus ulcisci. Reum quippe ante conspectum divini Judicis se noverit esse, qui nititur utiliter finita rescindere ac roborata quolibet ausu violare. Ecclesiastici quippe vigoris ordo confunditur, si aut temere illicita præsumantur, aut non concessa impune tenentur. Proinde si negligenter ea quæ male usurpantur omittimus, excessus viam procul dubio aliis aperimus.

IX.

AD ROMANUM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Fragmentum. — (*Anno* 889.)

[Apud Gratianum I *Decr.* LXIII, c. 12.]

STEPHANUS episcopus servus servorum Dei, ROMANO archiepiscopo Ravennati.

Nosse tuam fraternitatem volumus ad nostras aures fore perventum Imolensem episcopum ab hac luce migrasse, in cujus successoris electione populi divisionem provenisse audivimus. Quod quia sæpe contingere solet (quærentibus singulis quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi) non adeo miramur. Verumtamen in hoc tuam plurimum oportet adhiberi sollicitudinem, ut convocato clero, et populo, talis ibi eligatur per Dei misericordiam, cui sacri non obvient canones. Sacerdotium quippe est electio : et fidelis populi consensus adhibendus est, quia docendus est populus, non sequendus.

X.

AD DOMINICUM RAVENNATEM ARCHIEPISCOPUM.

Fragmentum. — (*Anno* 890.)

Significat se consecrasse Placentinis episcopum; se nihilo tamen velle se juri Ravennatensis metropolitani officere.

STEPHANUS episcopus, servus servorum Dei, rev. sanctissimo confratri nostro DOMINICO archiepiscopo S. Raven. Ecclesiæ.

Divina majestas, pastorale ministerium nobis.... sollicitudinem gerentes, cura pervigili, nostrum apostolicum impendere suffragium ; idcirco omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium agnoscat notitia, quia cum Ravennas Ecclesia, per obitum Romani quondam archiepiscopi ejusdem Ecclesiæ viduata, sine pastore

[b] Male in editis *Humbertum*. Ivo, epist. 74.

[c] Vide Alexandrum III, ep. 19 primæ appen. apud Labbe, tom. XIII, p. 132.

[d] Cap. *Loci nostri* 33, q. 9.

consisteret, repente, et sancta Placentina Ecclesia, illius suffraganea, a suo pastore quondam Paulo episcopo exstitit denudata. Quapropter diversis Italici regni fluctuantibus procellis, quia per eamdem sanctam Ravennatem Ecclesiam proprio destitutam pastore, ipsa sancta Placentina Ecclesia de pastore proprio remedium recuperandi minime adipisci valebat; ad apostolicam sedem, nostrumque apostolicum, utpote ad caput omnium Ecclesiarum, et matrem, refugium visi sunt..... fecisse offerentes nobis proprium electum, Bernardum nomine, diaconatus officio utentem, et suggerentes una cum decreto ab eis in eum facto, hunc a nobis sibi consecrari antistitem, ne ipsa Ecclesia diu sine pastore annihilaretur, et eligentes, atque petentes acephali et vagabundi incederent. Nos autem, ut diximus, cum proprius metropolitanus deesset, satis ab eis rogati, prædictum Bernardum in eadem Placentina Ecclesia prævidimus consecrare episcopum, dantes illi in mandatis atque jubentes expresse, ut in omni subjectione et fidelitate se sub jure sanctæ Ravennatis Ecclesiæ observaret, quia sic nobis placuit; ita scilicet, ut omnem obedientiam, omnemque devotionem atque consuetudinem et usum, antecessores fecisse probantur, et ipse devote adimplere satagat in sancta Ravennate Ecclesia. Unde volumus et a præsenti octava indictione decernimus, eumdem sanctam Ravennatem Ecclesiam nullam deinceps pro eadem a nobis consecratione concessa.... perpeti; sed a nobis, nostrisque successoribus pontificibus sit..... omnimodis; quinimo eadem prædicta sancta Placentina Ecclesia in jus, et consecrationem, atque debitam obedientiam, ejusdem sæpe dictæ sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, quemadmodum antiquitus fuisse recolitur, omnibus consistat temporibus: volentes uniuscujusque jus et privilegium Ecclesiæ indiminutum haberi, et irrefragabiliter custodiri. Script. per manum Benedicti Notarii et scriniarii sanctæ sedis apostolicæ in mense Martio, indictione supra scripta octava. Bene valete. Dat. octav. Kal. April., per manum Zachariæ Dei pietate primicerii sanctæ sedis apostolicæ anno, Deo propitio, pontificatus Domini Stephani summi pontificis et universalis papæ, pro sacratissima beati Petri apostoli sede; quinto, Ind. 8 suprascripta.

A

B

C

D

XI.

AD CLERUM ET POPULUM PLACENTINUM.

Fragmentum. — (*Anno* 890.)

Dat illis pontificem Bernardum, commendat submissionem metropolitano Ravennati.

Stephanus episcopus servus servorum Dei, omnibus sacerdotibus, atque judicibus, clero, et populo, seu universæ generalitati Placentiæ commorantibus, salutem.

Qualiter sancta Ravennas Ecclesia privata proprio pastore, in obitum vestri episcopi, viduata existeret, vos nosse per omnia scimus; sed ad supplementum, et sublevationem vestræ Ecclesiæ nostrum apostolicum subsidium visi fuimus impartiri, ita ut Bernardum diaconum, pastorem vestrum, per nostram consecrationem institueremus: et ideo fidelitati omnium vestrum injungimus et decernentes sancimus, ut tam ipse Bernardus quamque omnes decessores sui in perpetuum sub Ravennatis Ecclesiæ pontificatu plenam observantiam totamque fidelitatem viriliter custodiat, et more antecessorum ejus, devotissimus tam ipse, quam successores sui existant, observando in omnibus omnium obedientiam, omnemque consuetudinem sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, suisque archiepiscopis, absque omni contradictione, vel molestia, prout irrefragabiliter pollicitus est. Nam si ipse, vel aliquis decessor ejus, aut aliquis vestrum, tam de sacerdotali ordine quam de laicali cœtu, contemptor, vel transgressor apparuerit per inobedientiam, sacerdos qui exstiterit, ex Dei omnipotentis, sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, et nostra apostolica auctoritate, maneat suspensus a proprio ministerio, quousque solutionis gratiam a Ravennate archiepiscopo perceperit. Laicus vero, qui contradictor apparuerit, a vino et cocto suspensus existat, quousque ad prædictæ solutionis gratiam pervenerit. Insuper noscat se nostro Lateranensi palatio quinque libras auri obrizi esse compositurum, et anathematis vinculo innodatus, in ævum permaneat. Hanc nostram epistolam vel testificationem sanctam Ravennatem Ecclesiam habere decernimus.

XII.

EPISTOLA AD EPISCOPOS PROVINCIÆ COLONIENSIS.

(*Anno* 890.)

[Apud Lappenberg, *Hamburgisches Urkundenbuch*, p. 777.]

Stephanus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Herimanno, Agrippinensis Coloniæ archiepiscopo, seu venerabilibus Franconi Tungrensi, Odibaldo Trajectensi, Wolfelmo Mimigernafardensi, Druoconi Mimidonensi, Egilmaro Osnabruggensi episcopis..... De cætero Bremensis Ecclesiæ sedem Agrippinæ Coloniæ subjectam in ecclesiasticæ disciplinæ officio fuisse scripsistis, cujus fines barbaris contiguas gentibus significastis. Quam ob rem Guntarii quondam benevolentiam a sede apostolica usum pallii promereri, ut verbum Dei honoratius prædicare et suo archiepiscopo parere, vos scripsisse, legentes risimus, mirati prudentiam vestram arbitrari, non ad ministerii sacratissimi, sed ad sæcularis dignitatis honorificentiam pallii usum pro libitu cuilibet tribui. Scilicet si provincia et suffraganei, quibus præsit, deest, qualiter usum pallii promeruit, ambiguum habetur. Verumtamen ut auferatur ambiguitas et justo examine rectitudo libretur, utrarumque partium disceptatores in nostram præsentiam venire commonemus, ut liberius quæ ratio dictat, agnita veritate, apostolica censura decernat; quia et ad eum similiter scripsimus. Nulla itaque ratio sinit, duorum liti ad unius vocem imponere finem.....

XIII.

AD ZUENTOPOLCUM REGEM.

[Ex Wilhelm Wattenbach, *Beitræge zur Geschichte der Christilichen Kirche.*]

STEPHANUS episcopus servus servorum Dei, ZUENTOPOLCO regi Sclavorum.

Quia te zelo fidei sanctorum apostolorum principi Petro videlicet regni cœlestis clavigero, omni devotione devovisti, ejusque vicarium pæ cunctis hujus fluctivagi sæculi principibus principalem patronum elegisti, ejusque te cum primatibus ac reliquo terræ populo tuitioni pariter commisisti : continuis precibus Deum bonorum omnium largitorem exoramus, ut ipsius muniaris suffragio, in cujus manu sunt omnia jura regnorum quatenus ejus vallatus auxilio et interventionibus apostolorum principum Petri et Pauli et a diabolicis muniaris insidiis, et corporali sospitate læteris, ut anima et corpore tutus ab æterno judice bonis operibus decoratus, perpetua felicitate doneris. Nos etiam qui ejus vicariatione fungimur, debitam sollicitudinem pro te gerentes, in quocunque indigueris negotio, in his quæ ad salutem tuam pertinent, Deo auxiliante, protectorem invenies in omnibus. Quem ob fidei dignitatem cum omnibus tuis fidelibus, nulla terrarum obsistente intercapidine, spiritualibus ulnis quasi præsentem amplectimur amore ut spiritualem filium. Igitur quia orthodoxæ fidei anhelare te studio audivimus, et certo indicio ex hoc agnoscimus, quod ad matrem tuam, sanctam videlicet Romanam Ecclesiam, recurrere voluisti, quæ caput est omnium Ecclesiarum collato sibi privilegio in beato Petro principe apostolorum, cui suas oves verus pastor commisit dicens : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* portas inferi, ora orthodoxam fidem blaspbemantium appellans; quæ auctore Christo omnes hæreses destruxit, et vacillantes omnes in fide solidavit Creatoris sui munita auxilio, dicente Domino nostro Jesu Christo : *Simon, ecce Satanas expetit vos ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogari pro te ne deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quis, rogo, nisi insipiens, in tantum audeat blasphemiæ baratrum mergi ut Petri fidem infamet? pro quo Verbum Dei in duobus naturis existens, quod natura servi autem natura contulit deitatis. Tuam devotionem amplectimur, volentem discere ut, prudentiam tuam digna attollamus laude, quæ non alibi vagari, sed ipsam quæ caput est studuit consulere, a qua etiam omnes Ecclesiæ sumpserunt exordium. Verumtamen fundamentum fidei super quod suam Christus constituit Ecclesiam istud est : Tres certe personæ subsistentes, Patris, et Filii, et Spiritus sancti coæternæ sibi sunt et coæquales, et istarum trium personarum una est deitas natura, una substantia, una divinitas, una majestas. In quibus personis discretio est non confusio, distinctio non separatio. Distinctionem dico, quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; Pater enim a nullo, Filius a Patre, Spiritus sanctus ab utroque, unius ejusdem substantiæ cujus Pater et Filius est. Et hæc sancta Trinitas, unus, et verus, Deus est, quæ nec initio incipit, aut fine clauditur, nec loco comprehenditur, nec tempore variatur. Pater enim solus de alio non est, et ideo solus ingenitus appellatur, Filius autem de Patre sempiternus Filius et ideo genitus dicitur, Spiritus vero sanctus Patris et Filii est Spiritus sine ullo intervallo, ubi nulla tempora quæque habent prius vel posterius, sunt cogitanda : et ideo nec ingenitus, nec genitus, sed procedens dicitur, nec duo patres nec duo filii credantur. Quod Filii sit Spiritus apostolus, et in evangelista testatur : *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus;* et Paulus apostolus quod Patris Filique sit Spiritus testatur : *Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Et iterum ut Patris sit Spiritus, lucidissime distinguit dicens : *Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis, vivificavit et mortalia corpora vestra.* Ut vero Filii sit Spiritus, idem Paulus testatur : *Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem* Abba, pater. Ut a Patre procedat ipsa Veritas dicit : *Spiritus qui a Patre procedit, ille me clarificavit.* Ut a Filio procedat eadem Veritas testatur : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Absit enim ut Spiritus sanctus credatur de Patre in Filium, et de Filio ad sanctificandam creaturam quasi quibusdam gradibus procedere, sed quemadmodum de Patre, ita et de Filio simul procedit. Quis enim negabit esse Spiritum sanctum vitam? et cui vita Pater, vita sit Filius; sicut Pater vitam habet in semetipso, sic dedit et Filio vitam habitare in semetipso. Hæc tibi de multis panca dixisse sufficiant, quæ te absque ambiguitate lingua confiteri et corde oportet credere, sed non ultra vires examinare. Quia solis corporei radio oculorum retunditur intuitus, quanto magis ineffabilis deitatis claritate terrena mens retunditur. Hanc fidem a Domino in apostolos et apostolis fundatam sancta catholica et apostolica Romana tenet Ecclesia : quam tu ut firmiter teneas monemus, exoramus et testificamus. In qua et Wichingum venerandum episcopum et charissimum confratrem ecclesiastica doctrina eruditum reperimus, et ideo eum vobis ad regendam sibi commissam a Deo Ecclesiam remisimus, quia fidelissimum eum tibi, et pro te satis sollicitum in omnibus agnovimus. Quem veluti spiritualem patrem, et proprium pastorem digno honore et debita reverentia sincera mente recipite, tenete et amplectimini, quia in eo exhibitum honorem Christo conferitis, ipso dicente : *Qui vos recipit, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Ipse itaque omnium ecclesiasticorum negotiorum et officiorum habeat curam, et Dei timorem præ oculis habens dispenset eadem, quia et pro his et pro animabus commissi sibi populi ipse redditurus erit districto judici rationem. De jejunio itaque scias a lege, prophetis, et ab ipso Domino in Evangelio ap-

probatum. Moyses namque ut legem acciperet, quadraginta diebus et noctibus jejunavit. Elias qui cœlum orando clausit, ut non plueret annos tres et menses sex, et rursum orando aperuit, et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum, quadraginta diebus et noctibus jejunavit. Auctor et ipse legis Jesus Christus Dominus noster quadraginta diebus et noctibus jejunavit. Si quis vero jejunium reprobat, reprobet et orationem, et blasphemet esse malum dæmones ejici, dicente Domino : *Hoc genus non ejicitur nisi in oratione et jejunio.* Præceptum quippe est jejunare, sed quibus diebus sit jejunandum, quibusve prandendum, præcepto Domini vel apostolorum non est difficultas assertione, sed antiqua Patrum consuetudine tenet Ecclesia, quia et priorum instituta et consuetudo majorum pro lege tenenda sunt. Quarta feria jejunandum est, quia considerato Evangelio quarta Sabbati Judæi consilium inierunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Sexta autem Sabbati recte jejunio deputatur, propter Dominicæ passionis reverentiam. Sabbato quoque nihilominus jejunandum est propter renovandam memoriam rei gestæ, quia discipuli Dominum humane intelligentes eo die in sepulcro quiescentem doluerunt. Quintam vero feriam quidam arbitrati sunt esse dissolutam quia eo die reconciliatio sit pœnitentium, et eo die sanctum chrisma conficitur, et eo die Redemptor cum discipulis cœnavit, et eis sacramentum sui corporis et sanguinis tradidit, eo die videntibus discipulis ad cœlos ascendit. Dominicus certe dies propter resurrectionis gloriam et adventum sancti Spiritus lætitiæ consecratus est. Duos qui remanent, proprio uniuscujusque relinquamus arbitrio; in quibus id observandum censeo, ut qui manducat non manducantem non spernat, et qui non manducat manducantem non judicet, ut quidquid agimus, in gloria Dei faciamus. Jejunium scilicet quod Quatuor Temporum dicitur, antiqui Patres celebrandum non frustra sanxerunt, dicente Psalmista: *Benedicam Dominum in omni tempore*, ut singulis quibusque temporibus anni humiliemus animam in jejunio. Primi itaque mensis jejunium Dominus in Exodo, quarti, septimi et decimi jejunium per Zachariam prophetam celebrari præcepit, utqui omni tempore de misericordia confidamus pœnitendo. Hæc tibi de jejunio pauca dixisse sufficiant, quamvis plurima dici possent ejus mysterii, quæ nunc exponere non est temporis. Hoc tamen jejunium Deo præ cæteris acceptabile credito : dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentis, dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe. Quod his adornandum est monilibus : Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam. Has scias Deo acceptabiles lampades, quibus jejunium adornandum est quotidie ut Deo sit placitum. Methodium namque superstitioni, non ædificationi, contentioni non paci insistentem audientes plurimum mirati sumus; et si ita est, ut audivimus, superstitionem ejus penitus abdicamus. Anathema vero pro contemnenda catholica fide qui indixit, in caput redundabit ejus. Tu autem et populus tuus sancti Spiritus judicio eritis innoxii, si tamen fidem quam Romana prædicat Ecclesia tenueritis inviolabiliter. Divina autem officia et sacra mysteria ac missarum solemnia quæ idem Methodius Sclavorum lingua celebrare præsumpsit, quod ne ulterius faceret supra sacratissimum beati Petri corpus juramento firmaverat, sui perjurii reatum perhorrescentes nullo modo deinceps a quolibet præsumatur. Dei namque nostraque apostolica auctoritate sub anathematis vinculo interdicimus, excepto quod ad simplicis populi et non intelligentis ædificationem attinet, si Evangelii, vel apostoli, expositio ab eruditis eadem lingua annuntietur, et largimur et exhortamur, et ut frequentissime fiat monemus, ut omnis lingua laudet Deum, et confiteatur ei. Contumaces autem et inobedientes, contentioni et scandalo insistentes, post primam et secundam admonitionem si se minime correxerint, quasi zizaniorum seminatores ab Ecclesiæ gremio abjici sancimus; et ne una ovis morbida totum gregem contaminet, nostro vigore refrenari et a vestris finibus procul excludi præcipimus.

XIV.

AD AMELIUM UCETIENSEM EPISCOPUM.

(*Anno* 891.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des historiens*, tom. IX.]

Declarat Girbertum Nemausensem episcopum excommunicatum iri, nisi resipiscat.

Stephanus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo Amelio episcopo.

Scias quia ea quæ mandasti audivimus, et statuimus, prout suggessisti et petisti; et epistolas ecce scripsimus tam archiepiscopo Teudardo quam et comiti Richardo, et vicecomiti illius Alberico : mandamus intimantes Girbertum episcopum fore excommunicatum, nisi resipuerit et ab invasione abbatiæ nostræ se subtraxerit; et, ut tibi eam liceat securiter retinere sub nostra defensione ad regendum et salvandum, et annue solitum censum beato Petro apostolo dirigendum. Tu vero esto semper sollicitus de nostra fidelitate qua nos magis te fovere in cunctis volumus, et ut ipsum censum dirigere ne prætermittas. Optamus te in Christo valere.

XV.

AD GIRBERTUM NEMAUSENSEM EPISCOPUM.

(*Anno* 891.)

[Apud D. Bouquet., *Recueil des historiens*, tom. IX.]

Monet ut nullam vim inferat monasterio S. Ægidii.

Stephanus episcopus, servus servorum Dei, Girberto episcopo.

Apostolatui nostro relatum est quod, in rebus abbatiæ nostræ quæ S. Ægidii est, quæ a nostris antecessoribus, vel a nobis Amelio Uzeticensi epi

scopo ad regendum atque ad salvandum concessa est, facere minime differas nonnulla incommoda, pluraque adversa, apostolica præcepta audire postponas et epistolas æque apostolicas observare recuses. De quo satis te redargui oportuerat; sed apostolicæ benignitatis in te huc usque exspectata est moderatio. Quapropter te monemus et apostolica auctoritate præcipimus ut, ad mentem rediens, nullam vim nullamque oppressionem in omnibus rebus ipsius abbatiæ quoquomodo facias, aut facienti consentias: quin liceat eidem Amelio venerabili episcopo quietem habere, et censum beato Petro apostolo dirigere securiterque ipsum locum regere. Quod, si temerario ausu in eadem pertinacia permanseris, scias te esse excommunicatum, donec, Romam veniens cum eodem Amelio episcopo, coram me noveris te satisfacturum, quoniam tantam temeritatem nullomodo dimittemus.

XVI.

AD WALBERTUM PATRIARCHAM [a].

Fragmentum. — (*Anno* 891.)

Miramur prudentiam vestram Comensi Ecclesiæ denegare pastorem, cum te etiam ad hoc provocatum noveris apostolica exhortatione. Nunc vero iterato tibi scribimus, nolentes alicujus Ecclesiæ privilegium infringere, licet apostolica prærogativa de qualibet Ecclesia clericum ordinare, etc.

XVII.

AD ROTBERTUM METENSEM EPISCOPUM.

(Anno 891.)

Respondet qua ratione ad ordines ecclesiasticos promovendus sit clericus cui digitus abscissus est.

STEPHANUS episcopus, servus servorum Dei, ROTBERTO Metensi episcopo.

[b] Lator præsentium Flavinus, scilicet clericus ad sanctam sedem apostolicam veniens detulit a te nobis directam epistolam, qua indagare studuisti eum a Normannis nuperrime captum sinistræ manus digitum habere abscissum, sciscitans si ob hoc ad ecclesiasticum ordinem valeret promoveri, an non. Quod et nos reperientes, quia solertia tua magis super hoc sollicita a sede apostolica edoceri flagitat normam justitiæ semper sequi exoptans, studium tuæ sanctitatis merito collaudamus, reverentiam tuam scire volentes quoniam, si ita est quod a Normannis digitum ipsum habeat abscissum, ad promovendum, si alias dignus fuerit, nihil ei nocebit, eo quod quid de his qui a dominis, vel medicis, sive a paganis, non sponte tale quid patiuntur, sacri censeant canones, dilectionem tuam latere non credimus, quam ei obviare debere, si ita est, minime reperimus, monentes religionem tuam, ut circa illum ita peragat, quatenus ut mercedem pro eo magnam incurrat et desiderium illius, canonica auctoritate ei in aliis non obviante, Deo adjuvante, perficiat.

XVIII.

AD SIGEBERTUM CORSICÆ EPISCOPUM.

Fragmentum. — (*Anno* 891.)

[c] Quia te quasi obnoxium judicas, eo quod a Saracenis captus homines interfecisse videris, bene facis. Sed quoniam non tua sponte id fecisse cognosceris, inde canonice nullo modo judicaris.

XIX.

AD LEONEM SCIANENSEM EPISCOPUM.

[d] *Fragmentum.* — (*Anno* 891.)

[Apud Mansi *ibid.*]

De manifesta et nota pluribus causa non sunt quærendi testes, ut S. Ambrosius in Epistolam ad Corinthios dicit, de fornicatione sententiam exponens Apostoli. « Judicis, inquam, non est sine accusatore damnare; quia Dominus Judam, cum fuisset fur, quia non accusatus, minime abjecit. Cognito autem opere isto, pellendum illum de cœtu fraternitatis censuit. Omnes enim crimen ejus sciebant et non arguebant. Publice enim novercam suam loco uxoris habebat. In qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen. » Et paulo post: *Absens facie, præsens autem auctoritate Spiritus qui nusquam abest, jam judicavi ut præsens eum, qui hoc admisit, tradi Satanæ in interitum carnis.*

XX.

AD LEONEM THEANENSEM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (*Anno* 891.)

De crimine sibi illato diaconus tuus verissime fatebatur se esse immunem. Verumtamen si suspicio super viaculum [*f.* piaculum] habetur, et accusatores idonei reperiuntur et testes quales sacri canones sanciunt, cum fuerit legitimis testibus approbatus, canonica sententia feriatur. [e] Quod si nec sponte confitetur, neque legitimi accusatores vel testes reperti fuerint, et mala fama crebrescit, non publico examine, sed coram te et coram reverendissimis presbyteris et diaconis secreto juramento se purget, et tu deinceps boni testimonii eum annuntia, et compesce, et commone Ecclesiæ tuæ filios, ne sacerdotem Dei ulterius infamare præsumant, timentes quod Cham maledictus est, quod patris verenda derisit.

Notant vero Romani canonis hujus correctores hanc epistolam integram exstare in collectione quadam canonum Vaticana ab anonymo digesta.

[a] *Aquileiensem* affert 130, ep. 86.
[b] Gratianus dist. 55, can. *Lator.*
[c] Can. *Quia te* 38, dist. 50.
[d] Hoc ipsum fragmentum paucis mutatis legitur in can. *De manifesta* 2. q. 1. recitaturque ex epistola Stephani papæ V ad Leonem Theanensem.
[e] Can. *De crimine* 15, q. 3, Ivo epist. 77, qui tamen pro *Theanensi* legit *Tianensi.*

XXI.

AD STILIANUM [a].

(Anno 891.)

Nunquid non omnia chrismata sacerdotalis mysterii crucis figura perficiuntur? Nunquid baptismatis unda, nisi cruce sanctificata peccata relaxantur? Et, ut cætera prætereamus, sine crucis signaculo quis sacerdotii gradus ascendit?

XXII.

AD GIRARDUM EPISCOPUM LEODIENSEM.

Fragmentum. — *(Anno 891.)*

[Apud Gratianum, *Decret.* II, part. 3, quæst. 3, c. 3.]

Ante litem contestatam violenter ablata restituantur.

Oportet ut primum vos tam de invasis civitatibus, et monasteriis, et mansis, quam de reliquis generaliter rebus redinvesturi faciatis : quia nec nudi contendere, nec inermes inimicis nos debemus opponere.

XXIII.

AD THEODOSIUM EPISCOPUM.

Fragmentum. — *(Anno 891.)*

[Apud Ivonem, *Decreti* VIII, cap. 59.]

Quod nulli liceat duas habere legitimas uxores.

STEPHANUS THEODOSIO episcopo.

Nunquidne duabus simul sponsis nubere barbaricam gentem instruis? Nunquidne sacramentum Ecclesiæ exponentem Apostolum non legisti : *Erunt duo in carne una*? An forsitan tui codices falso tres in carne una asserunt? Desine jam tali tabescere ignavia, et disce paternis obedire regulis, ne inveniaris statutos a Patribus terminos transgredi, vel per ambitionem de majori ad majorem transire Ecclesiam, quod tentantem laica etiam communione sacri privant canones.

XXIV.

AD LAMBERTUM CENOMANENSEM EPISCOPUM.

Fragmentum. — *(Anno 891.)*

[Apud Ivonem, *Decreti* parte X, cap. 186.

STEPHANUS (IV [b]) LAMBERTO episcopo Cenomanensi.

Lecta epistola a sanctitate tua nobis directa, quæ hanc feminam, nomine Hildegardam, filios suos interfecisse et septennem pœnitentiam egisse fatebatur, valde doluimus. Unde quia mandasti ut viscera pietatis ei præberemus, volumus et misericorditer mandamus, ut sacris festivitatibus, id est reverendæ Nativitatis, et sancti Paschæ, atque Pentecostes, et Natalis Apostolorum sacrum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi sumere debeat, et diebus vitæ suæ in monasterio retrusa monachicam vitam regulariter ducat.

[a] Illud *Stilianum* datur ex cod. Vatic., apud Correctores Romanos. Cap. *Nunquid de Cons.*, dist. 5.

XXV.

QUERIMONIA EGILMARI EPISCOPI OSNABRUG. AD STEPHANUM PAPAM.

(Anno 891.)

[Apud Erhard, *Regesta I, Cod. Dipl.* p. 357.]

Domino sanctissimo et egregiæ sanctitatis apice præstantissimo, papæ STEPHANO, exiguus servorum Christi servus, EGILMARUS Osnaburgensis episcopus, cum omni subjectæ congregationis caterva veræ felicitatis implorat coronam.

Dum orthodoxam Christi Ecclesiam, apostolica institutione fundatam et a sanctis Patribus firmissime roboratam rabie persequentium et fraude iniquorum dolemus dilaniatam, ac per hoc potius tepidam minusque in divino cultu fervidam, gemimus, vestræ pietatis jura quæ penes Deum sunt manifesta deposcimus, ut nos quibus ovium cura Dominicarum commissa est, fulcire et adjuvare dignemini, quo eas ab errore devio ad viam veritatis et ad lumen de tenebris reducere queamus; quod tunc recte fit, si pravitas in rectitudinem convertatur, quæ ideo diu apud nos per varias negligentias pullulat quia per multos retro annos sancta synodus minime congregata hanc non resecat. Unde audire dignetur sanctissima industria vestra rationis sententiam, de cujus controversia quatitur pusillanimitas nostra. Primitus de dicimis, quibus subditorum catervam pascere debemus, contra jus canonicum et fas ecclesiasticum injusto ordine a nobis per vim ablatis; pro qua vero re sint ablatæ, et unde processerit origo, ut decimarum, quibus tantummodo episcopatus in Saxonia sunt constituti, non nisi quarta pars ad Osnabrugensem Ecclesiam in honore S. Petri principis apostolorum consecratam inserviat, cujus etiam nos servitores sumus, cum cæteræ partes majores ex quantitate et numero ad eamdem sedem ex debito pertinentes, inter monachos Huxilienses, ubi nova Corbeia ab eis vocitatur, et puellas Herivordenses, divisæ sint, præter prædia nonnulla quæ eis ex ipso episcopatu pertinentia subjecta sunt, et ecclesias baptismales N. quæ prius episcopatui annexæ subjugatæ erant, quæ jam non requirimus, sed saltem decimas tantum debite pertinentes ad nos reddi quæ ablatæ sunt, flagitamus. Hæc veridica ratio est.

Cum dudum, inquam, magnus et admirabilis princeps Carolus qui gentem Saxonicam per strenua bellorum certamina, Deo adminiculante, ad fidem Christianitatis converterit, synodalis atque canonici jurisconsultis singulos ejusdem provinciæ episcopatus ex decimarum stipendiis constituisset, quia aliis ibi pastores et episcopi donariis carebant unde paulatim roborari Christianitas potuisset, et, post ejus excessum, filius ejus bonæ memoriæ Ludovicus diu sanctæ Ecclesiæ propagator viguisset, accidit ut tres filii ejus, maligno usi consilio, eum in custodiam mitterent, cui consilio una conspiratione consensum

[b] Pro *Stephano IV*, legendum arbitror *Stephanus VI*. JAFFÉ.

et adjutorium prædictæ sedis nostræ in honore sancti Petri apostoli dedicatæ episcopus, nomine Goswinus, præbuit, ita ut mucronem ab eo violenter ipse discingeret. Cum autem rursus ex eadem custodia, Deo volente, per adjutorium filii ejus homonymi Ludovici cum honore ad regnum remeasset, prædictus episcopus, suæ perfidiæ et infidelitatis conscius, ad cœnobium Vuldense confugiens, monasticum habitum assumpsit, et semel in anno latenter ipsius episcopatus locum invisere solebat. Sicque episcopalis cura sine præsule et rectore ea tempestate remanebat. Interim a multis invaditur, rapitur, dispergitur et dissipatur, donec, post mitissimi præfati Ludovici principis excessum, cum valida et periculosa regn. disceptatio inter tres filios immineret, et uni ex his, scilicet ejus æquivoco, hujus divisio in sortem cederet, quidam ejus fidelis comes ditissimus, Cobbo nuncupatus, de prædicto episcopatu quidquid voluit agere adeptus, germano ejus, nomine Werin, in monasterio Huxiliensi tunc temporis abbate, et sorore ejus in puellarum cœnobio Herivordensi abbatissa degentibus, quantum volnit de decimis quæ ad eumdem episcopatum pertinebant, tradi fecit ad eadem monasteria in alterius parochia alteriusque diœcesi constituta, præter synodum et conscientiam episcoporum. Cum interim Gozbertus episcopus de gente Suconum (quo ordinatus erat) persecutione ejectus esset, necessitate compulsus prædictum Cobbonem adiit, quo impetrante, et rege concedente, suscepit gratulabunde eumdem episcopatum, decimis, unde solummodo constitutus est, maxima ex parte vacuatum, eoque favente et timente ne forte ei, ad quod ordinatus non erat, auferretur, suo tempore sine aliqua contradictione ita permansit. Egilbertus vero prædecessor et coepiscopus noster crebro pro ipso negotio Guntharium et Willibertum archiepiscopos interpellavit, et variis occupationibus, quibus sancta synodus per longa transacta tempora non est congregata, obstantibus, causa finetenus non est determinata. At vero cum mihi indigno ejusdem episcopatus cura fuisset injuncta, et inter varias negligentias, quas perlongum est enucleare, plures ecclesias inconsecratas, aliquantas etiam homicidiis perpetratis infectas, variisque spurcitiis et flagitiis minime purgatas reperissem, in quibus prædictorum monasteriorum subjugati de plaga Occidentali advenientes presbyteri ignoti, de quorum consecratione ambigimus, officia celebrant, ne ibi divina mysteria ab ipsis celebrarentur inhibendo interdixi, donec vos, venerabiles Patres et magistros super hac re consulerem. Quam ob causam illico prædicti monachi et puellæ ad aures principis Arnulfi accusationem contra canonica sancita detulerunt, deferentes præceptum, ut aiunt, a Ludovico rege et Rabano Magontiacense alterius pontifice diœcesis statutum, sed non certis testificationibus fidei accommodatum, quia fraudulenter dicitur ab ipsis fictum, ut ipsi sine nostra dictione vel aliqua contradictione possideant decimas prædicti episcopii contra jus canonicum, et quod primum in fundamento ejusdem Ecclesiæ a præfato magno Carolo, coepiscopis et canonico decreto erat statutum, ut maneret ratum, hoc miro et detestabili modo, qualiter a Magontiacense alterius diœcesis præsule fore queat irritum, ignoramus. Unde an hoc quod contrarium canonicæ auctoritati videtur, an illud quod regulariter ex decimis prius statutum est, restaurando roboretur, vos judicate, domine Pater beatissime. Interea supradicti accusatores, qui me, non tamen in præsentia, de infidelitate regis accusaverunt, asserentes me hoc velle destruere quod priores Augusti vel reges sanxerunt, ad rationem me venire compulerunt, dum coram Arnulfo principe et episcopis novem, quorum hæc sunt nomina, Williberto Agrippinæ Coloniæ archiepiscopo, Arn Wirciburgense, Odilbaldo Trectense, Drogone Mindense, Godethanc Spirense, Wicberto Hildensummense, Wiberto Ferdense, Evulfo Holmorsteddense, Bisone Patharburnense, causam hujuscemodi negotii in medio proferrem, obnixis precibus in amore summi pastoris et pontificis Jesu Christi cujus vicarii esse creduntur, et S. Petri apostoli omniumque sanctorum honore postulavi ut secundum conscriptum, quod coram eis legi feci et quod penes nos habemus, et justa judicia et canonica scita, recte de hoc negotio respondendo decernerent. At illi, scientes voluntatem principis et quorumdam comitum, et ne eum offenderent renitentes, nil de causa prolata respondere præsumpserunt, sed penitus cum responsione canonica in amore Dei petita justitia mihi denegata est. Sicque adulando principi, jussus sum ab eo si ejus gratiam vellem habere propitiam, ejusque potestati non contrairem, ut hæc in decimis et reliquis hujuscemodi negotiis querulosis omnia permitterem fore sicut inveni, meaque compulsa interpellatio cassata est. Sed ne hoc impetrare quivi, ut accusatores in præsentia exhiberentur et causa recte examinaretur. Et patres benignissimi, nisi super hujus controversiæ quærimonia dexteram justitiæ porrigatis, nec episcopale ministerium ad Christianitatis observantiam quimus exercere, nec claustra monasterii, quæ nec aliqua inveni propter penuriam et decimarum abstractionem, emendare, quæ nuperrime cœpimus construere, neque clerum ad Dei servitium pascere valebimus et vestire, sed cogendum variis ærumnis dispergi dolebimus non posse rursus congregari. Ecce, Patres egregii, tot annis transactis tempore prædecessorum meorum præfatæ ecclesiæ inconsecratæ hactenus permanent, et contra voluntatem nostram, quia prohibetur in canonibus jubente lege divina, missarum officia inibi celebrantur ab his de quorum ordinatione dubitatur. Decimæ a nobis tolluntur, parvitas nostra non mediocriter in omnibus quæ digna sunt emendatione contemnitur, quia ibi unum foraminis aditum inimicus invenerit intrandi offendens ad caulas ovium hostes exhibebit. Unde vos summæ sedis apostolicæ auctorem, ceu to-

tius Christianitatis caput invocamus, et qui coram altaribus in pavimento prostrati patrocinia sanctorum imploramus, ut salutis et sanctitatis vestræ prosperitas proteletur et in æternum gloria et cornu vestrum dilatetur, pedibus pietatis vestræ mente provoluti, petimus ut super hac re quid nobis faciendum sit censeatis, aut utrum sub taciturnitatis nodo calcare et silentio hæc talia propter scandala vitanda premere debeamus, vel spem recuperandi ex decimis habeamus, sequendumve nobis sit, ut de hac censura nobis justitiam fieri reclamemus, in propatulo nobis enucleare certumque facere dignetur beatissima paternitas vestra, quam conservare dignetur ineffabilis pietas sempiterna.

XXVI.

RESPONSIO STEPHANI PAPÆ.

Stephanus sanctæ apostolicæ et universalis Romanæ Ecclesiæ episcopus, Egilmaro venerabili Osnaburgensis Ecclesiæ episcopo in Domino salutem.

Bonorum operum et spiritualium studiorum Deum auctorem esse non dubium est. Unde lætari me fecerunt scripturæ tuæ ex bono studio et ex integritate fidei et devotionis tuæ, sed ex afflictione tua magna ex parte tristari, super quo tu conquestus es et crebrior ad nos sermo commeantium perlatus est. Non oportuit quidem ab illis quibus sustentari et portari atque honorari debuisti, tot ac tantas, innocens ut credimus, oppressiones perpeti. Mandasti enim nobis sanctitatem tuam a Godescalco novæ Corbeiæ abbate et Hervordense abbatissa ipsorumque fautoribus variis calamitatibus vexari et dilaniari, et apud filium nostrum Arnulfum crebris accusationibus plus æquo infamari, Ecclesiam tuam suis dotibus et fidelium oblationibus exspoliari. Inde, frater, noli mirari si te membrum malivoli et impii persequuntur, cum ipsum Christum caput nostrum sint persecuti, sicut ipsa Veritas ait : *Si patrem familias Beelzebud vocaverunt, quanto magis domesticos ejus* (*Matth.* x, 25). Noli multum vexari, noli turbari, sed confortare in Domino et in potentia virtutis ejus. Nos vero ad supplementum fratres et coepiscopos nostros amplius quam quinquaginta vocavimus, cum quibus regulariter tractando decrevimus, quæ et qualia tibi et tecum litigantibus responsa remittamus, quia una eademque die illorum litteras super iisdem negotiis simul cum tuis suscepimus. His enim epistolis in omnium audientia prælectis, multas, ut nosti, querimonias et oppressiones super illorum temeritate tua continebat in se, sed et illorum non minor erat lamentatio de te. Quapropter necessarium esse duximus ut, remotis tergiversationibus, veritatis elucubratione adminiculum tibi a nobis impendatur atque ab apostolica sede suffragetur, ne in totius Ecclesiæ perturbationem hæc impudens procedat intentio, et ea quæ a sanctis prædecessoribus nostris dudum prohibita fuerant, denuo reviviscant. Abbati vero litteras suis respondentes remisimus in hæc verba. . . . .

XXVII.

PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA PLACENTINA.

(*Anno* 891.)

[Apud Campi, *Hist. di Piac.*, tom. I, pag. 472.]

Stephanus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo Bernardo episcopo sanctæ Placentinæ Ecclesiæ, et per te in eodem venerabili episcopio in perpetuum.

Si consacerdotum fratrumque nostrorum piis supplicationibus impertimur assensum, et Deum nobis propitium facimus, et, ipso favente, eos contra diaboli insidias, ne grex Dominicus lædatur, sollicitiores reddimus; quia status et honor Ecclesiarum Dei, quibus ipsi divinitus præesse videntur, communis omnium profectus est, et communis utique salus et gloria. Et ideo, quia specialis tua devotio in his quæ Dei sunt hærens a nobis expetit, ut sanctam Placentinam Ecclesiam sub nostra apostolica susciperemus tuitione, atque nostro privilegio stabiliremus; inclinati Deo dignis petitionibus a præsenti nona indictione in eadem sancta Placentina Ecclesia confirmamus, ac stabilimus omnia privilegia, seu debitas exhibitiones, et consecrationes monasteriorum omnium tam virorum quam puellarum, quæ constituta in ejusdem Ecclesiæ parochia esse noscuntur; seu præcepta et instrumenta chartarum, et jura, sive traditiones quas a decessoribus nostris pontificibus, vel a Christianissimis imperatoribus, seu a regibus, vel reginis, aut a catholicis hominibus quidquid ipsa Ecclesia juste promereri potuit, pacifico jure possideat, ita ut, nullius impulsu, nulliusque infausta audacia, nullius etiam favore, vel gratia, quilibet tyrannus, comes, judex, vel cujuslibet reipublicæ exactor, contra jus sibi antiquitus traditum et hactenus conservatum, eam molestare præsumat, aut præjudicium inferat, vel sine nostro consultu quoquomodo dehonestare pertentet. Et si fortassis, quod penitus abhorremus, quislibet consecrationes monasteriorum, vel monacharum in ejusdem Ecclesiæ parochia consistentium ad alteram sedem transferre voluerit; vel si fortassis, quod absit, a quibusdam quasi potentibus sæculi decimæ minime tradantur : hi, nisi resipuerint admoniti, donec canonice omnia emendent, ab Ecclesiæ liminibus censuimus esse pellendos : quominus et honor debitus, et vigor ecclesiasticus ei, sicut condecet, præbeatur, et canonicus ordo illibatus hac nostra apostolica præceptione in perpetuum conservetur : Et si quid inordinatum in prædicta Ecclesia esse dignoscetur, a tua providentia et sollicitudine ordinetur nostra plenissima auctoritate suscepta, quoniam hoc nosse unusquisque poterit. Quod si posthac postposita Patrum regula, neglectaque præsenti interdictione, contra hoc nostrum pontificale decretum peregerit, noverit se districtius vindicandum. Qui vero custos et observator hujus nostri apostolici privilegii fuerit, benedictionis gratiam et misericordiam a Domino nostro Jesu Christo consequi

mereatur. Si quis autem, quod absit, magnus, vel parvus homo hanc nostram apostolicam sanctionem in totum, sive in parte violare tentaverit, et non in omnibus custodierit, sciat se anathematis vinculo innodandum, et a regno Dei alienandum, nisi resipuerit et plenam satisfactionem præbuerit, exurendum.

Scriptum per manum Anastasii notarii regionarii et scriniarii S. R. E., in mense Februario, indictione supra scripta nona. Bene valete.

Data IV Kal. Martias per manum Zachariæ primicerii sanctæ sedis apostolicæ; imperante domno piissimo Augusto Vuido a Deo coronato magno, pacifico imperatore, anno primo, et post anno primo, indictione nona.

XXVIII.

PRIVILEGIUM HUOGCI ABBATI CONCESSUM.

(*Anno* 891.)

[Apud Dronke, *cod. Diplom. Fuld.*, 292.]

STEPHANUS, servus servorum Domini, Huogci religioso abbati venerabilis monasterii Domini Salvatoris, et per eum in eodem venerabili monasterio successoribusque suis abbatibus in perpetuum.

Summam gerentes sollicitudinem omnium venerabilium locorum, quantum ex divino adjutorio possibilitas datur, de eorum stabilitate satagere studemus. Hoc namque studio et divina placatur clementia, et laus Ecclesiæ Christi procuratur. Nam potiori et nos fiducia pro impetranda venia delictorum æternam pietatem audemus implorare. Et ideo reverentia tua postulavit a nobis quatenus jam dictum venerabile monasterium Domini Salvatoris, a sancto Bonifacio archiepiscopo constructum in loco qui vocatur Bocconia erga ripam fluminis Fuldæ, privilegii sedis apostolicæ munimine decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ constitutum nullius ulterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur. De qua re piis desideriis tuis faventes hac nostra apostolica auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus, secundum privilegii seriem quod ab antecessore nostro beatæ memoriæ Marino hujus almæ sedis præsule inibi perpetualiter statutum nobis ostendere sategisti. Et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato venerabili monasterio ditionem quamlibet habere, aut auctoritatem præter sedem apostolicam, et episcopum in cujus diœcesi idem venerabile monasterium constructum esse dignoscitur, cui licentiam concedimus, tantum cum opportunitas consecrandi altaris fuerit, prohibemus ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat omnimodo celebrare, ut profecto, juxta id quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit, inconcusse dotatum permaneat: locis etiam et rebus, tam eis quas moderno tempore tenet vel possidet, quam quas futuris temporibus, in jure ipsius monasterii, divina pietas voluerit augere ex donis et oblationibus, decimisque fidelium ubique ullius personæ contradictione firmitate perA petua perfruatur. Cæterum vero hoc deliberantes secernimus ut congruis temporibus nostræ sollicitudini ecclesiasticæ intimetur, qualiter religio monastica regulari habitu dirigatur concordiaque convenienti ecclesiastico studio mancipetur, ne forte, quod absit, sub hujus privilegii obtenta animus gressusque rectitudinis vestræ a norma justitiæ aliquo modo retorqueatur, et neque regi, neque episcopo cuilibet, vel comiti, vel alii magnæ parvæque personæ licitum sit quamlibet vim inferre, sive aliquam controversiam facere in rebus, vel familiis ejusdem sæpe dicti venerabilis monasterii. Statuentes apostolica censura decernimus per hujus decreti nostri paginam, ut quicunque cujuslibet Ecclesiæ antistes vel quacunque prædita persona dignitate, hanc privilegii B nostri auctoritatem, quam prærogativa principis apostolorum firmamus, temerare præsumpserit, nec cito resipiscat, anathema sit, et iram Dei incurrens a cœtu omnium sanctorum extorris existat, et nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat, apostolica auctoritate roborata. Qui autem custos extiterit, benedictionem et gratiam a Domino consequatur.

Scriptum per manum Gregorii scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Maio, indictione 8. Bene valete. Datum IV Kal. Junii per manum Stephani secundicerii sanctæ sedis apostolicæ, anno Dei propitio pontificatus domni nostri Stephani summi pontificis et universalis papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli 69, indictione 8.

XXIX.

PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO SANCTI LIUDGERI.

(*Anno* 891.)

[Eccard, pag. 39.]

STEPHANUS episcopus, servus servorum Dei, HERBIL religioso abbati venerabilis monasterii S. Lindgeri et per te eidem venerabili monasterio in perpetuum.

Quoties ea a nobis concedi postulantur, quæ piis et venerabilibus locis congruunt, decet nos libenter concedere et votis religiosorum apostolica sanctione favere. Et ideo religiositas tua nostro suggessit apostolatui, quatenus idem prædictum venerabile monasterium cum omnibus canonice et legaliter sibi pertinentibus et adjacentibus apostolica auctoritate muniremus, quemadmodum a piis imperatoribus, Ludovico scilicet et Carolo atque Arnulfo religiosis quondam Augustis per augustalia eorum præcepta munitum roboratumque esse dignoscitur. Hujus rei gratia tuam suggestionem congruam fore prævidentes, ratum duximus aures nostras tuis accommodare precibus, qui universalem normæ curam, divina suffragante gratia, suscepisse dignoscitur. Quapropter id ipsum sacrum monasterium hujus præsentis privilegii nostri sanctione ut prælibavimus munientes, decernimus a præsenti nona indictione ut nulli potestati nec cuilibet magnæ parvæque per-

sonæ quacunque dignitate præditæ fas sit quoquo modo illud invadere vel alii commodare, nec quidquam de famulis vel mansis necnon servis et ancillis, litis et liberis, sive quidquam de rebus mobilibus vel immobilibus deque cultis et incultis memorati monasterii sibi vindicare aut alteri donare præsumat, sed cum omnibus rebus et possessionibus ac oblationibus et redditibus, quæ canonice et legitime inibi data, largita sunt et donata ac deinceps donabuntur, juri ac utilitati crebro dicti monasterii et usibus Deo inibi famulantium perenniter confirmamus sub tua ditione degere ad regendum ac regulariter dispensandum. Imo censemus nulli fidelium licitum fore quamlibet super ejusdem monasterii homines ditionem habere aut ad aliquas exactiones contra rationem compellere vel distringere, sed sicuti a præfatis imperatoribus Deumque timentibus concessa existunt atque firmata, ita nos cum ipsis præceptis augustalibus omnia ut ea continere videntur ascripta inviolabiliter ab omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus apostolica auctoritate firmata observanda præcipimus, statuentes decernendo ut qui temerario ausu, quod non optamus, contra hoc nostrum apostolicum privilegium ire vel agere præsumpserit, et in toto vel ex parte, quod nequaquam fieri mandamus, infringere tentaverit hoc quod ad laudem Dei omnipotentis et stabilitatem ejusdem monasterii ac monachorum sustentationem ad nostræ mercedis augmentum divino tacti amore statuimus, noverit se excommunicandum et, nisi obediens fuerit, anathemate feriendum; qui vero custos fuerit ac observator, benedictionem ac gratiam consequatur. Scriptum per manum Gregorii scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio, indictione nona.

† Bene valete. †

Data IV Kal. Julii per manum Stephani secundicerii sanctæ sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus domni Stephani summi pontificis et universalis papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto, indictione 8. Amen.

XXX.

PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO HERTIENSI.

(*Anno* 891.)

[Eccard, *ibid.*, pag. 38.]

. . . . . .

quod situm est in loco. . . Hersi. . . . . et per te in eodem ven. monas. in perpetuum. Quanto nos pro piorum et venerabilium locorum statu augmentando sollicitiores existimus, et ad eorum utilitates proficiendas perpetuo pastoralibus vigiliis insistimus, tanta nobis æternæ remunerationis præmia eo largiente conquirimus, qui dixit: Beatus servus ille, quem cum venerit Dominus invenerit vigilantem. Et ideo omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus atque nostris notum fieri volumus, suggessisse nostro apostolatui Bisonem reverendissimum Padrabrunnensem episcopum, quatenus prædictum ven. monasterium, cui ipsa præesse dignosceris, situm in territorio diœceseos suæ, cum omnibus suis justis pertinentiis et adjacentiis, hujus auctoritatis nostræ privilegio muniremus. Cujus postulationi favere nitentes, præcipue cum omnium sit Ecclesiarum cura nobis commissa, hoc apostolicum nostrum privilegium fieri decrevimus, per quod et id ipsum venerandum monasterium roboramus, et apostolica auctoritate inibi ad sustentationem ancillarum Dei confirmamus omnes res, quæ a jure prædicti episcopi cum eodem sunt monasterio commutatæ legaliter, vel quæ a fidelibus et Deum timentibus sunt ibi collatæ ad usum et utilitatem earumdem sanctimonialium, nec non et decimas eidem præfato monasterio annualiter persolvi censemus, quæ de statutis villis eidem dari persolvique debent episcopali simul et synodali decreto. Imo et consultu ut intuitu sumus statutum est et canonice ordinatum, quod si ita res se habet, infringi non debet, ne synodalis et canonicus vigor... ..... in præfata sancta Padrabunnensi ecclesia, sicut statutum esse comperimus, cui de eodem ven. mon. curam esse reperimus statuentes apostolica censura decernimus, ut nulli fidelium fas sit quoquo modo contra hujus privilegii nostræ confirmationis seriem pie et misericorditer a nobis promulgatam agere aut temerario ausu de omnibus quæ eidem mon. suæque congregationi legaliter tradita sunt vel concessa sibique a modo et deinceps tradenda vel legitimo jure conferenda aliquid minuere vel auferre, sibi etiam deripere, potius autem ad utilitatem Domino illic famulantium firma potestate consistant, earum bono quæ nunc habentur vel sunt juste conquirenda . . Nam, qui timore Dei postposito, huic confirmationis nostræ privilegio in toto vel in parte contraire repertus, illudque non integriter observare distulerit sancta . . . cito admonitus resipuerit, apostolico mucrone feriendus . . . . qui autem custos fuerit et observator, a justo judice Domino Deo nostro misericordiam consequatur.

Scriptum per manum Gregorii scriniarii sanctæ Romanae Ecclesiæ in mense Maio, ind. nona.

† Bene
valete †

XXXI.

PRIVILEGIUM PRO MONASTERIO ALEXANDRI.

(*Anno* 891.)

[Apud Eccard, *hist. gen. princ. Sax.* 217].

STEPHANUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus præsentis scilicet et futuri temporis.

Cum nostro apostolatui incumbat omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerere, debemus iis qui pro augmentando servitio Dei studuerunt, ad effectum voti sui assensum et adjutorium omnino præbere. Quapropter omnibus Ecclesiæ fidelibus notum sit quod venerabilis quidam Walbertus collegium in honore sancti Alexandri martyris construxit in pago

Leri, in loco qui dicitur Wildeshusen; ejusdem constructionis intentionem, et qualiter ad idem collegium de rebus suis partem assignavit, post obitum ejusdem, venerabilis viri filius et venerabilis episcopus Wihibertus de Verdensi Ecclesia nobis suggessit, transmissa nobis pagina, in qua continebatur et votum patris ejus, plenissime digesta, et subscriptio propinquorum ejus omnium ad confirmationem ejusdem voti. Et quia idem venerabilis episcopus ipsam institutionem prælati collegii in prædicta charta digestam a nobis confirmari petiit, statuimus atque hac nostra auctoritate sub divini judicii obtestatione jubemus, ut, nec episcopus, nec aliquis de cognatione ejus, vel aliqua persona sive magna sive parva, hoc audeat infringere. Quod si quisquam, quod non optamus, contra hoc nostrum decretum venire tentaverit, sciat se in die judicii anathematis mucrone percutiendum, atque perpetuæ ultioni reum diabolica sorte damnandum. Optamus vos in Christo bene valere. Data Kalend. Junii, indictione nona.

XXXII.

AD HERIMANNUM COLONIENSEM EPISCOPUM.

(*Anno* 891.)

[Apud Lappenberg, *Hamburgisches Urkundenbuch*, p. 78.]

Stephanus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro, Herimanno, Agrippinæ Coloniæ archiepiscopo.

Litteris tuis multa prolixitate fluctuantibus sub brevitate respondere prævidemus, quia, diversarum provinciarum cum ad sedem apostolicam sine intermissione variæ confluunt quæstiones, quas sine responsione solvere non oportet, nisi succincta responderit schedula, ipsis etiam notariis verteretur in nausiam. Quereris Bremensem Ecclesiam Agrippinæ Coloniæ sedi fuisse subjectam, cujus Ecclesiæ antistes nuper ad nos dirigens et nunc per semet accedens, Ecclesiæ suæ privilegia a te vel antecessore tuo questus est violare conari. De Ecclesiarum itaque privilegio, quod terrarum longitudo obnubilat et preteritorum Patrum auctoritas non manifestat, temere judicandum pro libitu cujusquam non censemus. Scriptum quippe est: *Causam quam nesciebam, dil(ig)entissime investigabam* (*Job* XIX, 10). Qua pro re non atramento et pellibus hæc discussio concedenda est, sed alternandi sermo(ci)natione sub cautela et diligendi examinatione libranda. Unde oportet utrosque vos in nostram venire præsentiam et synodica his definitione terminum inponere, ne ulterialis rediviva quolibet odio fraternam charitatem obfuscet. Nefas quippe est, si hi, qui in specula positi sunt et alios lumine sui exempli accendere debent ad dilectionem ducatumque præbere ad justitiam, lupinis se morsibus laniant. Verum quia, veniente Adalgario, venerabili episcopo, ipse venire distulisti et a te directis, prout ipsi fatebantur, vicariationem tuam ad integrum non commisisti, finem imponere tantæ liti nolnimus, ne quippiam præpropere sanxisse videremur. Sed ut rei veritas in clariorem lucem erumpat, Folkoni, venerabili Rhemensis (Ecclesiæ) archiepiscopo, scripsimus, ut nostra vice apud Vangionem synodum convocet mense Augusto, in Assumptione Dei genitricis virginis Mariæ futuræ Deo propitio decimæ indictionis, ad quam tuam reverentiam et Sunderoldi, venerabilis archiepiscopi, utrorumque suffraganeorum et affinium sanctissimorum episcoporum cœtum convenire monemus. Cui et eumdem Adalgarium, reverentissimum episcopum, interesse injunximus, quatenus facta inibi examinatio quid cuique debeatur ostendat, nullum tamen imponat terminum. Deinde utrosque vos, si facultas suppetit, alioquin ita a vobis utrisque instructos legatos ad nostram præsentiam jubemus dirigite, vicariatione vestra commissa ut disceptandi et deliberandi habeant liberalitatem, quia et ad hoc reverendissimum Folkonem præsidere inibi instituimus, ut veridica ejus assertione per strenuum episcopalis ordinis virum noscere valeamus rei veritatem, omnia ambiguitate postposita, et ita, Deo fovente, deliberare, ut nullis ultra temporibus de hoc necessarium sit vertere quæstionem.

APPENDIX.

EPISTOLA AD SELVAM, ERMEMIRUM ET FRODOINUM.

Stephano V tributa.

Inscribitur in VV. CC.: Privilegium de archiepiscopatu de Terragona, *cum potius dicenda sit declamatio quæpiam aut sententia lata in gratiam Narbonensis archiepiscopi concinnata in Tarraconensem aliosque præsules Hispanos.*

[Apud Mansi, *Conciliorum* tomo VIII.]

Stephanus, servus servorum Dei, Selvæ, et Ermemiro atque Frodoino Barcinonensi.

Noveris, inquam, noveris, Selva frater, si fas est fraterno te vocari debere vocabulo, quod ex præcepto gloriosissimi et catholici imperatoris [a] Odonis nuper venerim Trecas, concilium inibi de multis ac diversis celebraturus negotiis, cum reliquis coepiscopis et consacerdotibus pontificalibus infulis insignitis quinquaginta duobus, qui eidem nobiscum interfuerunt concilio. Nam cum de quibusdam ecclesiasticis causis a nobis sollicite tractaretur riteque qualiter se habere deberent disponeretur, inter cætera quæ a nobis justo decernebantur atque statuebantur judicio, ventum est ad tuæ insolentissimæ nimisque præsumptuosæ arrogantiæ indecentissimum dedecorum dedecus, quo inflato elationis tuæ stomacho rebellare, imo resistere præsumpsisti Dei omnipotentis perpetuæ dispositioni, volens ipsius, sanctorumque apostolorum ejus instituta, specialiter vero beati Petri apostoli convellere ac penitus evacuare. Denique ut ejusdem rei causam tibi exponam diligenter: ipsi olim a Domino nostro Jesu Christo universalis Ecclesia, non solum generaliter

[a] Quid Trecense conc. cum Odone, et quorsum imperator? Hæc omnia valde suspecta.

ut cæteris, sed etiam specialiter præ omnibus coapostolis ejus commissa, et illius sedi credita est, sicut habes scriptum : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI). Et item cum interrogaretur ab eo, post resurrectionem ejus, an eum amaret, tertio contestatus est ab eodem Domino, ut pasceret oves ejus (*Joann.* XXI). Qua auctoritate idem fultus, et successores illius post eum, semper ecclesiastica negotia disponunt atque determinant. Tu autem adhuc perseverans in malitia tua, plenus insania, non ut sapiens sed desipientis more, existimas Dei æterni constitutionem, qui, ut scriptum est, mutat tempora et ætates, transfert regna atque constituit, etiam priscorum decreta convellere Patrum, dum Terraconensis Ecclesiæ archiepiscopatum in tuum jus ecclesiæque tuæ subripere moliris, qui Dominica dispositione in Narbonensis Ecclesiæ transit ditionem, non subreptione vel violentia qualibet, sed voluntate et electione : atque contraditione omnium ejusdem terræ indigenarum, tam nobilium quam et ignobilium; præcipue quoque episcoporum, ac comitum atque etiam regum Francorum ad quos celsitudo principatus ejusdem terræ specialiter pertinet. Adeo enim et hæc conditione jus Ecclesiæ Terraconensis in obsequium ditionis Narbonensis Ecclesiæ transit, ut nunquam a subjectione illius ullo pacto, ullave ratione recedere queat, etiam si Terraconensis provinciæ metropolis Ecclesia in pristinam reformetur staturam, eo quod Narbonensis Ecclesia tutoris loco semper fuerit Ecclesiis prædictis diœceseos, quæ vastationem paganorum evadere vix potuerunt. Porro jam dicta metropolis in antiquum redeat statum, et cunctæ ejusdem diœcesis Ecclesiæ quæ prius illi paruerant revertantur ad mancipatum obsequelæ illius juxta catholicorum Patrum determinationem : ipsa tamen metropolis, secundum Romanæ Ecclesiæ pontificum instituta atque apostolica privilegia, in hac semper Narbonensis Ecclesiæ ditione ac perpetuo famulatu succumbat, ut omnis qui pontificatus illius arcem sortitus erit, electione totius Ecclesiæ ejusdem cleri et populi, non prius ulla ratione ordinetur, vel [*cor.*, consecretur.] conferatur, donec prædictæ Narbonensis Ecclesiæ pontifex veniens, consecret eumdem qui electus fuerit in archipræsulatus honorem. Quod si aliqua difficultate compulsus venire nequiverit ad consecrandum præfatæ metropoleos episcopum, mittat vice sua aliquem ex suffraganeis suis episcopis, qui diligenter eamdem rem peragat, qui in solio pontificali collocare, et inthronizare solemniter satagat. Unde et idem qui consecratus fuerit, minus debitæ obedientiæ Narbonensi Ecclesiæ semper in omnibus cedat, tantum ut a Romano pontifice pallium cum privilegii auctoritate suscipiat. Semper enim Terraconensis pontifex, clerus quoque et populus omnis, si res ipsa effectum capiat, reminisci debebunt, quod illarum parochiarum Ecclesiæ, quæ de potestate et jure Narbonensis ditionis, sub qua diutina educatione nutricis more aliæ fuerant, postquam in maternum transierunt sinum, si res eadem quandoque capiat illud agendi effectum, nutricatus ejusdem gratia rependere largifluas gratiarum actiones debet, et insuper educationis prædictæ causa, ac si matri mercedem impenderet subjectionis atque honoris. Quod si redeamus ad antiquas priscarum institutionum a primatibus sanctæ Ecclesiæ, haud dubium quin Petro et Paulo, causas divino nutu patratas, non solum Terraconensis metropolis, verum et Hispania omnis, in quantum ad jus ecclesiasticum spectat, Narbonensi semper debet prælationi subjici, ejusque patrocinio, ac si materno lacte ali : nam sacræ sedis documenta primum ab eadem accepit, et fidei lumine illustrata, ac si de mortis perpetuæ somno excitata, in æternæ vitæ evigilavit splendorem, prout hactenus in beati Petri armario diligenter servantur reposita : quemadmodum et illa quæ a discipulo apostolorum Petri et Pauli Sergio nihilominus paulo post gesta fuisse memorantur, quæ, ut videris, prorsus ignoras. Nam si ea profecto nosses, æstimo quod non ad tam turgidæ inflationis vecordiam animatus suspirare unquam auderes. Nunc quoque quia huc usque te latuerunt, a nobis tibi, licet brevi et compendioso sermone, veridico tamen, intimanda sunt, ut non deinceps talia agere præsumas. Ut enim quomodo eadem res se habeat, evidenter ostendam : cum beatus apostolus et doctor gentium Paulus Roma egressus Hispaniam prædicationis causa proficisceretur, juxta quod idem in Epistola sua prius Romanis qui crediderant, significaverat, assumptis secum Trophimo Ephesino, necnon et prudentissimo viro Sergio Paulo, quos idem antea lucratus fuerat Christo; Torquato quoque, Secundo, et Endalatio [*in editione card. de Aguirre* Endelvio], et quibusdam aliis, Cisalpinam Ecclesiam postquam devenit, Arelatem, quæ est metropolis provincia, quantocius adiit : cumque in eadem civitate aliquandiu moraretur prædicans et annuntians regnum Dei, et multi per ejus doctrinam converterentur ad Christum, reliquit ibi ad confirmandas eorum qui crediderant animas mentesque, Trophimum a Petro apostolo prius ordinatum episcopum. Ipse vero cum cæteris Narbonam usque pergens, inde prædictum Torquatum, sexque alios illius comites et condiscipulos Galliciam ad prædicandum, juxta Petri apostoli præceptum, illico destinavit. Ipse vero postquam multos non solum ex eadem urbe, sed etiam ex nonnullis civitatibus undique ad eum confluentibus, una cum prædicto Sergio evangelizans sedule docuit et egregie convertit ad Christum. Cum autem jam fortes in fide ac penitus immobiles quos docuerat, agnovisset, misit ex eis quosdam prædicare per diversas Galliarum regiones Dominum Jesum Christum. Post hæc autem profectus inde una cum Sergio Paulo ad ulteriorem ambo usque pervenerunt Hispaniam, evangelizantes per singulas urbes, ut prædiximus, futuri gloriam regni Dei. Peracto itaque prædicationis suæ non modico tempore, contestabantur eos qui crediderant ; ut quam acceperant fidem fideliter conservarent, et cæteris quibus nondum prædicata fuerat, magnopere eam erogare studerent. Igitur post hæc Romam deliberavit reverti prædictus apostolus, atque in consolationem confirmationemque credentium se cum eis et coevangelistam suum Sergium Paulum missurum denuo repromisit : quibus et præcepit, dicens, ut illi in omnibus et per omnia obsequium præberent et monitis illius libentissime parerent. Cumque his ac talibus per singulas civitates apostolus fratres qui crediderant hortaretur, commendans eos Domino et valefaciens eis Romam redire sollicite satagebat. Qui rediens, cum venisset iterum Narbonam, dispositis omnibus quæ agi oportebat, reliquit ibi collegam suum nihilominus Paulus, præcipiens ei ut quos jam Domino per fidei gratiam ac si parturientes genuerant in diversis regionibus Hispaniæ, lacte eos consolationis tandiu nutrire studeret, donec cibo solido perfectæ credulitatis vesci indubitanter cognoscerent. Unde et totam regionem illam in apostolatus ejus officium, Domino cooperante, ipsi commisit. Galliarum autem populos idcirco prædicandos illi credidit, quoniam ad hoc ipsum agendum beatus Petrus eum miserat, et vice sua hujus rei gratia ecclesiam [*leg.* episcopum, *ut in edit. card. de Aguirre*] consecraverat, atque etiam prædictam Narbonam insignem metropolim Galliarum specialiter ad docendos evangelizandosque tradiderat populos. Namque post hæc consummatis omnibus quæ communi utriusque egregii prædicatoris intentione agenda erant, a se mutuo dilectionis [*adde*, affectu, ex ead. edit.] cum recessissent, alternis exhortationibus atque amplexibus Domino commendare se studuerunt, atque sibi valefacientes, post oscula et fletus ab invicem divisi, apostolus Romam profectus est, Sergius vero Narbonæ resedit. Neque enim [*lege*,

uterque enim ex eadem edit.] officium prædicationis sibi injunctum adeo strenue exercuit, ut nullis terroribus vel pœnis illud relinqueret, quoadusque per martyrium quisque eorum ad se vocantem Christum intrepidus accederet, ut talentum sibi creditum quinquies duplicatum offerret, et ab eo centies multiplicatum perpetuæ mercedis recompensationem perciperet. Si autem nosse vis quid post discessum apostoli Sergius Paulus commendato sibi gregi, quem cum apostolo Christo acquisierat, Domino fecerit, notum sit tibi et universis Hispaniarum utriusque sexus indigenis, quoniam tam per se ipsum quam etiam per suos, quos in fide Christi jam nutrierat docueratque discipulos, omnes Hispaniarum regiones peragrando earumque habitatores indesinenter docendo, adeo quosdam eorum in Christianæ fidei culmen cultumque subvexit, quatenus nullius, præterquam sui, indigerent, vel ipsi, vel quidam successorum eorum sanæ doctrinæ. Lege igitur beati Leandri, Isidori quoque, necne Braulionis, itemque Juliani, ac veterum ejusdem provinciæ doctorum catholicorum libros, et sic forsan me vera dicere comprobabis. Quod si nec ita satis tibi factum esse credideris, gestorum illius volumina ab ejusdem Pauli discipulis tribus voluminibus comprehensa diligentissima curiositate recense; et tunc quæ prius, nisi fallor, penitus ignorabas, patulo postmodum recognosces ejusdem rei affectu. Quod si nec ita consultum tibi probare volueris, sed semper obstinatione perversa, Romanorum pontificum censuram, quorum decreto divina auctoritate firmata [*cor.*, firmato] omnis Christi Ecclesia toto orbe regitur semper atque disponitur, plenus insania, contemptibilem duxeris, in tantum ut ab injuria quam impudenti facie et immoderata capacitate [*cor.*, rapacitate] prædicto archipræsuli Theodardo irroges, recedere nullatenus patiaris : notum sit tibi, et universis qui aliquod suffragium adjutoriumve præbent tibi super his quibus a nobis jure impeteris, quod anathematis vinculis jugiter colligati eritis atque insolubiliter innodati. Quocirca, ne injuriam tibi facere videamur, constituimus ego et qui mecum sunt quinquaginta et duo episcopi terminum tibi satisfaciendi ei, cui injuriam facis, jugiter Narbonensis Ecclesiæ pontifici, usque in festivitatem sancti Michaelis archangeli. Quod si usque ad prædictam proximam memorati archangeli solemnitatem non ei satisfeceris, ita ut in ejus proprium Ecclesiæque ipsius, totum quod abstulisti ab ejusdem pontificis jure ac ditione, integerrime et sine qualibet reservatione vel redhibitione restituas, Dei omnipotentis auctoritate, sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, necne cunctorum Romanæ Ecclesiæ pontificum, mea quoque et omnium qui huic Trecasinæ synodo intersunt episcoporum, excommunicando excommunicamus, et maledicendo maledicimus ac perpetuo anathematis vinculo insolubiliter colligamus, et te, et maledictum tuum Ermemirum, et Frodoinum perjurum et apostatam antiepiscopum, et omnes qui aliquod tibi adjutorium contra tam injustam præsumptionem præbent, ut a statuto vel præfinito a nobis tempore ab omni cœtu Christiano semper extorres habeamini et exsortes.

ANNO DOMINI DCCCXCVI.

FORMOSUS PAPA.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Mansi, Conciliorum amplissima Collectio.)

Formosus religione, morum integritate atque doctrina laudatissimus, electione tumultuaria, elevante se contra eum Sergio diacono, anno Domini 791 creatus est pontifex, vere optimus, ut constat ex Luitprando. Eumdem Stephano V immediate subrogatum fuisse, præter Luitprandum et Flodoardum libro quarto capite primo, asserunt omnes antiqui Romanorum pontificum scriptores, omniaque veterum Græcorum antiqua monumenta. Nam in codice Columnensi Græco supra sæpius citato, ubi redarguitur pseudosynodus Photiana, successorumque Nicolai et Adriani Romanorum pontificum series texitur, hæc habentur : Post Adrianum hunc Joannes; post Joannem Marinus; post Marinum Adrianus; alter deinde Stephanus V, deinde Formosus : post hunc alii quatuor, videlicet Bonifacius, Stephanus, Romanus, et Theodorus : et post hos Joannes, qui hæc scripsit. Quod igitur Leo Ostiensis Historiæ Cassinatis libro primo, capite quadragesimo octavo, Formosum Adriano subjungit, et Stephano V anteponit, nisi fortasse intermediis omissis de Stephano VII qui vulgo sextus nuncupatur, intelligi velit, erroneum est. Marianus vero et Sigebertus, eorumque imitatores recentiores historici, nonnisi per somnum excogitasse videntur, quod Agapetum et Basilium duos imaginarios pontifices nunquam visos vel auditos Stephano ejusque posteris anteponunt. Hunc Anastasius in Nicolao magnæ sanctitatis episcopum nominat. Hincmarus Rhemensis archiepiscopus, teste Flodoardo libro tertio historiæ Rhemensis capite 20, eidem scripsit, collaudans ejus quam audierat sanctitatis et scientiæ famam, quærensque ejus habere familiaritatem : et ut ipse pro se dignaretur orare, vicem rependere spondens, et quædam ei munera mittens, ut sui memoriam in orationibus habeat. Episcopatum Portuensem multo tempore pie et sancte administravit, adeo ut judicio sanctissimi Nicolai papæ I dignus habitus fuerit, qui ad Bulgaros fide orthodoxa imbuendos apostolus mitteretur : cumque ibidem annis plurimis degisset, gentemque illam ad Christi fidem convertisset, majorem sibi inde gloriam comparavit. Hunc Joannes papa VIII, qui magno suo dedecore res suorum prædecessorum bene dispositas visus est aversari (nam Photium Constantinopolitanum et Zachariam Anagniæ episcopum, quos Nicolaus et Adrianus prædecessores Joannis sæpius damnaverant, vixque ad pœnitentiam vel laicam communionem recipiendos esse juste statuerant, ille non tantum restituit, verum etiam ipsum Zachariam Anagninum honorifico munere bibliothecarii apostolicæ sedis auctum, consiliarium suum fecit, eique legationes plures credidit), episcopatu depositum, degradatum, et ad sortem laicorum redactum ab urbe relegavit,

jurareque coegit, se nunquam episcopatum suum repetiturum, sed laica communione contentum deinceps quieturum. Qua de causa Joannes in eum hac ratione animadverterit, non constat : nisi quod fortasse ob res male gestas, a Formoso correptus, et admonitus, ipsum velut rebellem ex albo episcoporum eradendum esse putaverit. Marinus, Joannis papæ successor, virum meritis supra recensitis insignem apostolatus honore condecoratum, hac ignominia obrutum, ut par erat, erexit, erectumque haud dubie a juramento per vim et metum extorto absolvit, et pristinæ dignitati restituit. Obtemperans et sententiæ et mandato pontificis Formosus, episcopatum resumpsit. Cumque hoc potissimum tempore pessimorum tyrannorum invasione Romana Ecclesia gravissime affligeretur, ipse vero Formosus Portuensis episcopus toto terrarum orbe, ut supra ex Flodoardo et Luitprando ostendimus, sanctissimus simul et doctissimus haberetur et coleretur : bono totius Ecclesiæ catholicæ, prout sæpius factum fuerat, ex episcopo Portuensi ad moderandas habenas totius orbis catholici translatus est ad episcopatum et pontificatum Romanæ Ecclesiæ : cujus initio, epistolam illam, quam Stylianus destinaverat ad Stephanum V, priusquam Romam afferretur defunctum, accepit, aliamque infra exstantem reddidit. Valde sollicitus fuit ut Carolum Simplicem filium Ludovici Balbi legitimum Galliarum regni hæredem in regno stabiliret, ut videre est ex epistolis, quas hac de re apud Fulconem. Widonem qui ante 15 annos sibi nomen imperatoris usurpaverat, ut ex quodam antiquo diplomate docet Baronius, anno pontificatus sui 2, filium vero ejusdem Widonis Lambertum sequente anno, Occidentis imperatores legitime creavit, unxit et coronavit. Quare non aliter quam per subreptionem, ut Acta concilii Romani sub Joanne IX testantur, accidisse potuit, quod idem pontifex Formosus anno pontificatus sui sexto et ultimo Arnulphum vocaverit, eique coronam imperii occidentalis imposuerit. Corrigendus est igitur communis error chronographorum, qui contra præscriptum sacrorum canonum, et auctoritatem sedis apostolicæ, post Carolum Calvum, Widone et Lamberto omissis, in serie Occidentalium imperatorum enumerant Arnulphum, qui legitime nunquam electus et coronatus, imperatoris titulo nunquam condecorandus erat. Per electiones et coronationes supra enarratas civium Romanorum invidiam et odium maximum incurrit; eorumque vivens simul et mortuus gravissimas injurias, contumelias ac sacrilegia sustinuit. De iis quæ a Romanis civibus passus est vivens, Luitprandus lib. I, cap. 8, his verbis enarrat : Hoc in tempore Formosus papa religiosus a Romanis vehementer afflictabatur, cujus et hortatu rex Arnulphus Romam advenerat. In cujus ingressu ulciscendo papæ injuriam multos Romanorum principes obviam sibi properantes decollari præcepit. Quas injurias, quæve probra successores illius Stephanus VI et Sergius III, vel per facti ignorantiam, vel per summum sacrilegium eidem pontifici intulerit, quomodo exhumatus et tribus digitis mutilatis sit, iteratis et repetitis ordinibus eorum quos Formosus ordinaverat, dicam infra ad Stephanum VI.

Anno Domini 896 pontificem a scriptoribus hujus temporis valde commendatum obiisse, postquam sex annis sedem pontificiam tenuisset, testantur Regino, Luitprandus et Adamus Bremensis. Errant ergo recentiores qui anno 895, anno pontificatus sui quinto, eumdem ex hac vita decessisse scribunt. (Baron. tom. X *Annalium.*)

INVECTIVA IN ROMAM PRO FORMOSO PAPA.

(Blanchini, Prolegomena ad Librum Pontificalem edit. Rom.-Vatic.)

. . . . . .

prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, et de civitate sancta, et de his [a] *quæ scripta sunt in libro isto* [b]. Igitur quia didicimus in sancta Romana Ecclesia, quæ est mater omnium Ecclesiarum, non habens maculam aut rugam, aut talia hujusmodi, nuper aliquid novi, et ante [c] tempora invisi et inauditi accidisse, quod flendo magis quam disputando consentimus, et nimio terrore tabescimus. Contriti namque, et contristati, ac vehementi stupore detenti, silere potius optaremus quam loqui. *Sed conceptum sermonem tenere* quis possit [d]? Tortuosus ille, proh dolor! et sævissimus anguis, qui primos protoplastos callida deceptione fraudis, ab amœnitatis paradisi gaudiis expulit, jam sibilans, colla [e] trifulcis linguis erigit; et Romanam Ecclesiam sui li...o... [f], veneni turbare non desinit. Sed divina Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi dextera, Lernæum colubrum, in Arcadiæ paludibus latitantem, cui abscisso uno, tria subercscebant capita, deifice conteret; et qui beatum Petrum per undas siccis ambulare fecit plantis, Ecclesiam suam immensis undique pelagi fluctibus agitatam, portum salutis attingere faciet; Jordaneque transmisso, abrupta Gericho, ad æterna cœlestis Jerusalem gaudia feliciter ingredi permittet. Mysterium [g] tamen, et valde mirandum est, cum omnes Ecclesiæ, tam cismarinæ, quam transmarinæ, in proprio statu permaneant, sola Romana Ecclesia procellosis ab fluctibus navitas suos mortis proximos redundat [h]. Ad propositum itaque redeamus; et scandala, quibus, Roma auctrice, pusilli et magni scandalizantur, lugendo potius, quam sermones exprimendo dinumeremus. Leges siquidem mundanæ et canonicæ, scita quoque barbarica sanciunt, et omnimodis determinant, ut violatores sepulcrorum inter infames habeantur; ita ut clerici canonicis regulis subjiciantur, laici [i] vero voce prodita : quod *lupi meruit videre*

[a] Cod., mendose, *deleas.*
[b] Apocalypsis, cap. XXII, v. 19.
[c] Supple *hæc.*
[d] Job, c. IV, v. 2.
[e] Cod.; mendose, *sybila collo.*
[f] Lege, *livore.*
[g] Secundis curis, *mirum*, pro, *mysterium.*
[h] Cod., primis curis, *redundate* : solœcum.
[i] Id est P. Virgilii Maronis.

priores [a], inter reprobos habeantur, et pœnitentiæ triennio deputentur. Heu! heu! heu!

Quomodo sedet sola civitas plena populo; facta est quasi vidua domina gentium: provinciarum princeps facta est sub tributo [b]. O Roma, conditores tuos Romulum et Remum, quos unus uterus gessit, tua mœnia, ut simul regnarent, non receperunt; sed fratricidio tabefacta [c], neci unum tradidisti, alterum quirinali gladio capitales tibi leges impertiendo [d] volvens

. . . . . .

imo totius orbis hominibus [e], dominos, Petrum et Paulum, apoli viri principes [f], unum crucifixisti, alterum gladio inter homicidas capite truncasti. Nam, ut quidam sapiens dixit:

Nam nisi te Petri meritum Paulique foveret,
Tempore tam longo, Roma, misella fores.

Hæccine est retributio quam audivimus a te? nec visu nec dictu affabilis ulli unquam dictus fuisset. Nuper itaque a fratribus audivimus, et in synodo collatum [g] percepimus, patronum tuum Formosum papam, in tuo ab ipsis cunabulis educatum gremio, ab episcopis, cleroque, et populo ad percipiendum apostolicæ sublimitatis culmen [h] electum, et ab hujusmodi officialibus pontificibus in sacrata sede inthronizatum, in subterraneo specu, post hujus vitæ terminum, quietem habere non licuisse exanimatum [i]. Nam ejus cadaver, jamque per novem menses sepultum, per pedes de sepulcro extraxisti, et quasi Saul, per Samuelem cum ab inferis revocans, consuluisti, et in synodum sedere fecisti. Credimus, si, ut spiritu [j] Samuelis, loqueretur, forsitan diceret tibi: *Cras tu et filii tui mecum eritis.* Sed quamvis ille non fuerit locutus, tu tamen et filii tui descendetis ad inferos; ille autem ab angelis susceptus, jam pridem migravit ad Superos. O facinus inauditum! o scelus invisum! o sacrilegium intemptatum! quem ab infantia lacte nutristi, cibo solido pavisti, litteris imbuisti, et per ecclesiasticos gradus ad culmen pontificale, dignis ejus moribus promerentibus, advectum recoluisti [k], atque ad paganissimam prædicandam gentem misisti, remeantem quoque gaudio suscepisti, et susceptum malo tuo, quod non debuisti, exsulem procul a patria [l] projecisti. Sed ad tempus receptus, et in pristinum gradum, a quo destitutus (nescimus zelo, an noxa fuerit), restitutus, Christi quam debuerat, militia est functus. Stephano quoque papa, Adriani filio, quem idem Formosus consecraverat, *viam universæ terræ ingresso* [m], adunati sunt episcopi proceresque tui, clerici quoque et populus, cunctaque vulgi manus, et venerunt in sedem Portuensem, infra Urbem sitam, cui Formosus præerat, papam eum summumque pontificem adclamantes. Quo renuente et contradicente, et ad altare [n] se complicante, per vim eum cum palla, qua altare opertum erat, exinde abstraxerunt, et abstractum cum laudibus et choris in sede beati Petri apostolorum principis inthronizaverunt. Qui in apostolica sede positus, multa tibi bona contulit, ecclesias reædificavit, exstruxit, ædificavit, compsit et ornavit, consecrationes fecit, diaconos, et presbyteros, atque pontifices, ex quibus postmodum summa sancta sedes apostolica infulata fuit, consecravit: clerum et populum tuum miro moderatione gubernavit, et imperatorem Lambertum [o] imperiali diademate redimivit. Consensisti, o Roma, electioni Formosi? aut ai, aut nega. Sed negare non potes. Hujus rei testis universus est mundus. Misisti ad sedem Portuensem, quæ secunda infra muros tuos ab apostolica est sedes, petens Formosum, ut ab ea migraret, et tibi antistitaret. Quem obstantem, et nequaquam invitatui tuo adquiescentem, vi ab altaris crepidine, ut jam dictum est, retractum [p] et evulsum, cum vexillo canticisque, et hymnis præconiisque et laudibus, in sublimissima apostolicæ sedis arce inthronizasti, favisti [q], adorasti, jurasti, cuique benedixit, benedixisti, et cui maledixit, maledixisti. Et, o Roma, ultra quid addes? Transcurso itaque hujus vitæ termino *appositus est ad patres suos* [r]; caroque terræ, pulvisque pulveri sociata [s], spiritus ut credimus, ductus [t], et pervectus est ad astra. Sed tu, o Roma, futurum et tremende [u] judicii diem prævenire conata, horribili congregata synodo, jam post novem menses, marcidum, et pene in pulvere redactum, de sepulcro extraxisti, et quem vivum quondam tremebas, mortuum judicio judicabas. Si Romanus pontifex vivus a nemine judicatur, mortuus a quoquam judicabitur? Si interrogabatur, quid respondebat? Si responderet, omnis illa horrenda congregatio, timore perterrita, ab invicem separata, a loco discederet, et unus post unum exiret; diceretque ei Dominus: *Formose, quis te condempnavit?* Et ille: *Nemo, Domine.* Et Dominus ad illum: *Nec ego te con-*

[a] Corrupta lectio; quæ ita restituenda est ex Virgilio, Ecloga IX, v. 54, qui ita sententiam expressit:

. . . Vox quoque Mœrim
Jam fugit ipsa; lupi Mœrim videre priores.

Dictum proverbii speciem habet; ex vulgi enim opinione noxii luporum visus sunt ei quem priores illi viderint, vocemque ad tempus adimunt. Vide Plinium Hist. Nat., l. VIII, cap. 32, et Theocr. Idil. 14.

[b] Tren., cap. I, v. 1.
[c] Cod., *fratricidio tabefactos*, mendose.
[d] Cod., *imperiendo*, item mendose.
[e] Cod., *omnibus*.
[f] Lege si placet, *apostolicos vere principes*.
[g] Lege *collocatum*.
[h] Cod., *clem.* τ.
[i] Cod., *examinatum*.
[j] Lege *spiritus*. Littera finalis *s* sæpe in codd. inservit etiam pro sequentis vocabuli initiali.
[k] Cod., secundis curis, *elegisti*.
[l] Primis curis cod., mendose, *patre*.
[m] *III Regum*, cap. II, v. 2.
[n] Primis curis, *ex altare*.
[o] Cod., *et Inipm. Landebertum*
[p] Cod., mendose, *reteptum*.
[q] Lege *fovisti*.
[r] I Machab. II, v. 69.
[s] Lege *sociatus*.
[t] Cod., *dictus est*, emendavimus, *ductus, etc.*
[u] Secundis curis, *tremendi*. Lege *tremendum*.

dampnabo. Si adesset ille mirabilis, manu fortis rex et psalmographus David, citharizaret, et diceret: *Nunquid mortuis facies mirabilia; aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditionem? Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis?* [a] sicque forsitan citharizando spiritus Formosi [b] accederet? Tamen posthabita, ut videmus, omnium Scripturarum et antiquorum Patrum reverentia, detumulasti, humum . . . . . deponere . . . . . manum abscidisti, in Tiberimque projecisti. Exclamemus igitur cum Joel propheta [c] dicamus: *Audite, senes, et auribus percipite,* [d] *omnes habitatores terræ, si factum est in diebus vestris istud, aut in diebus patrum vestrorum. Super hoc filiis vestris narrate; et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi alteri* [e]. Et item: *Accingite vos, et plangite vos, et plangite, sacerdotes; ululate, ministri altaris; ingredimini, cubate in saccis ministri Dei mei, quoniam interiit de domo vestri sacrificium et oblatio* [f]. Dicat forsitan: Formosus vixit excommunicatus: exspoliator [g], usurpator et invasor fuit; consecrationes quas fecit, irritæ sunt, et nihil habuit, nihil dedit. Et nos ad hæc. *Vivo ergo*, dicit Dominus, *non erit proverbium hoc ultra in Israel* [h]. Numquid rex, [i] optimates ejus cum procinctu bellico perduxerunt Formosum Romam; et absque consensu episcoporum, senatus quoque, et populi Romani infulatum [j] tribunali constituerunt? Absit. Principes, falanges et satrapæ tui, vulgus et scolæ tuæ, ad maximum usque ad minimum, cum elegerunt, acclamaverunt, laudaverunt et adoraverunt; et episcopi cum sacro Lateranensi ordine eum inthronizaverunt. Mundus totus ejus celebre nomen recoluit: sacerdotalis ordo festivis [k] et cotidianis missarum sollemniis, in catalogo secretalis [l] Eulogii, laudibusque publicis, per universarum [m] terrarum orbem, ejus nomen expressit. Quomodo ergo exstinguere vultis nomen Formosi, et quod per tripartita, orbis resolvit [n]; et a solis ortu usque ad terræ limitem omnibus iptonuit? Stat nomen Petri apostolorum principis? stet etiam vicarii Formosi. Permanet nomen apostolicorum [o], qui vicem beati Petri tenuerunt? permaneat et Formosi. Ut et [p] nomen Nicolai, Adriani, Marini, Joannis, Stephani, cæterorumque? vigeat et Formosi. Dicit etiam: « Non licuit ei post depositum [q] ministrare; et si ministravit, non licebat de civitate in civitatem migrare. » Discurramus ergo per singula: et ea quæ justa, possibilia, utilia, honesta et sanctorum Patrum utilitate comprobata esse videntur, summopere discutiamus. De hæsis [r] namque et dampnatis scriptum est in Psalmis: *Numquid qui cadit* [s], *non adjiciet* [t] *ut resurgat* [u]? De his vero qui sedem mutant, et de civitate in civitatem migrant, Dominus in Evangelio dicit. *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* [v]. Discretio namque est inter causam necessitatis, et utilitatis; et inter ambitum avaritiæ et præsumptionis, properæque voluntatis et invasionis. Similis distantia est inter eum qui livore et invidiæ nævo, et eum qui noxa aliqua convictus, et hæretica labe maculatus, canonicis legibus damnatur. Utilitatis [x] namque causa beatus Petrus apostolorum princeps migravit ab Antiochia, et translatus est Romam. Eusebius itaque Pamphili in sexto Historiæ Ecclesiasticæ libro [y], Alexandrum unius Cappadociæ civitatis episcopum refert, quia, cum venisset causa orationis Hierosolymam, tentus sit ab ejus civibus, et in locum Necersi episcopi sit [z] constitutus; ac de cætero omni vita sua ipsi Ecclesiæ præsedisse. Si igitur apud veteres sine ulla differentia de civitate ad aliam migrabatur [aa] episcopus, dum utilitas evocaret, oportet etiam ipsam regulam huic operi copulari, ut ostendatur quia mentiti sunt qui Proclum inthronizare prohibuerunt. Sufficiat ergo ad præsens istos memorasse; nam plures, exempli causa, ad memoriam reducemus [bb]. Interim tamen redeamus ad conloquium urbis Romæ, ut per eam cives ejus adloquamur. Et quia de Formosi papæ ratione [cc] constat, sanctorum Patrum exempla in medium ducamus; universum enim hujus ratiocinationis onus in Formosi causa pendet. Et, quia mortui a vivis non sunt judicandi, per sæcula, luce clarius, omnibus ostendamus. Atque in prima fronte cujusdam Ticinensis episcopi, Enpodii nomine, viri sanctissimi sententiam exprimamus: « Aliorum, *inquit*, hominum causas Deus per hominem designari voluit: sedis Romanæ præsulem suo, sine quæstione, reservavit judicio et arbitrio; voluit enim beati Petri successores tantæ dignitatis habere privilegium, ut Romanus pontifex a nemine judicetur. » Dicas forsitan: Talis erit in futura dispensatione

[a] Psal. LXXXVII, v. 11.
[b] Cod. *Formosus*, quæ lectio si retineatur, legendum est supra, *spiritu*.
[c] Supple *et*.
[d] Cod., *prohibite*, mendose.
[e] Joel. cap. I, v. 2 et 3.
[f] Ibidem, v. 13.
[g] Cod., *dicit excommunicatus expoliatus*. Nos emendavimus ut in textu.
[h] Ezechiel cap. XVIII, v. 3.
[i] Supple *et*.
[j] Supple *in*.
[k] Cod., mendose, *sacerdotale ordo festivus*.
[l] Cod., *secretalis*.
[m] Lege *universum*.
[n] Forte legendum *tripartita et recoluit*.
[o] Cod., mendose, *apostolorum*.
[p] Forte legendum *Et ut*.
[q] Nempe, *post depositionem*.
[r] Forte legendum *De hæreticis*.
[s] Vulg., *qui dormit*.
[t] Cod., *addiet*. Emendavimus, *adjiciet*.
[u] *Psal.* XL, v. 9.
[v] Matth. X, v. 23.
[x] Cod., mendose, *utilitas*.
[y] Cap. 11, pag. 212, editionis Valesianæ.
[z] Lege *Narcissi*.
[aa] *Migrabatur*, hoc est, *transferebatur*.
[bb] Lege *reduceremus*.
[cc] Cod. mendose, *ratio*.

omnis distributio. Non. Uni soli datum est [a] : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcunque ligaveris*, usque [b] *solutum in cœlis*. De hac enim Ecclesia mihi [c] propbetam videtur esse dictum : *Si hæc humiliatur, ad cujus fugietis auxilium; aut ubi relinquetis gloriam vestram?* Et hoc de vivis; de mortuis vero Anastasius papa ita monet : « Admonente nos beatissimo Apostolo, ne quod sit in hoc offendiculum in Ecclesia, dum, quod facere non possumus, de his qui jam transierunt judicare conemur. . . Ait enim de his qui de rebus ad solum Deum pertinentibus judicare præsumunt. . . *Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. In hoc enim Christus resurrexit* [d], *ut et mortuorum et vivorum dominetur. Tu autem quis es, qui judicas fratrem tuum? . . Non ergo amplius invicem judicemus. Sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratribus, vel scandalum* [e]. Monet igitur Apostolus ne de his nobis præsumendo judicium inferamus, de quibus nemo potest verius vel melius judicare, quam Deus. In hoc sibi quispiam temerarios usurpat ausus; et propter hoc, pax atque unitas Ecclesiæ dissipatur. [f] » Apparet ergo quod nemo, qui jam migravit de sæculo, judicio detentus sit humano. Quod si nemo subjectorum, exutus carne, est judicandus, quid de summo pontifice, qui nec vivus reprehendendus erat, et in præsidio jam mortis somno quiescens, a sepulcro evulsus anathematizari putatus est? Etenim Marcellinus papa, licet diis sacrificasset, tamen a nemine fuit judicatus; quia summus pontifex [g] nefas est a quoquam judicari. Nemo enim potest ([h] supra scriptum est) humano condempnari examine, quem Deus suo servavit judicio. Quæ res adeo valuit [i], ut non solum non judicentur, sed etiam acerba et publica seditione [j] comprehendantur. Veniamus nunc ad ordinationem Formosi papæ, a quo fandi est initium ortum : quoniam nonnulli, sicut in decretis Hilari [k] papæ legitur, episcopatum, non divinum, sed hæreditatis putant [l] esse compendium. Hinc est propterea quod temperantia moderaminis proditur, charitas negligitur, tunica illa desuper totum contexta scinditur, maleque sortita, perniciter disrumpitur; ac pastor qui putabatur, in lupum vertitur. Hoc non fecit papa Formosus. Non enim hæreditario jure sanctam Romanam Ecclesiam tenuit; neque eam, ut fertur, ambitus causa invasit : impossibile enim videtur eum tantæ sublimitatis Ecclesiam invadere potuisse. Qua enim turba, qua violentia, totius caput orbis ab inermi vilique et simplici homululo jam invadi potuisset, nisi enim imperiali [m], aut regali, vel patriciali, aut tyrannica potestate fuisset suffultus, tantæ potestatis apicem invadere [n] valuisset? Ubi ergo, o Roma, tanta tua nobilitas, et antiqua tam invicta potestas? Jam igitur, ut fertur, si sedem apostolicam præripuit, omne consilium principum tuorum, virtusque et sapientia obtimatum perniciter obdormivit. Quid igitur? Numquid eos ligavit? aut violentiam episcopis inferens, ut eum sacrarent exegit [o]? Etenim notum est quia ab ipsis episcopis sacratus est, a quibus prædecessores ejus sacrati, et ad quos jus pertinebat sacrandi. Quomodo ergo potest dici : « Nihil habuit, nihil dedit? » Ecce, cum dicatur non habuisse, liquet qualiter declaratur [p] accepisse; quod acceptum, potuit elargiri. Non enim præter [q] illorum manuum impositionem et sacrationem ausus fuit apostolicam sedem ascendere, tantæque potestatis culmen arripere [r]; imo nec erat possibile. Nunquid Marinus papa dedit quod non habuit? Habuit . . . . . certe, et dedit. Quis enim potest dare quod non habet? Cerensis [s], namque episcopus fuit unus [t] ex septem, sicut Formosus, sed ex Forensibus unus; utilitatis tamen causa et necessitatis. Non superbia [u], sed advocatione et electione [v] populi Romani, sicut Formosus, est in sancta et apostolica sede inthronizatus. Quid ergo, o Roma, asseris de Marino? Numquid de illo vis dicere? « Nihil habuit, nihil dedit. » Enimvero multum habuit, multum dedit. Et juxta Veritatis vocem : *Omni habenti dabitur, et abundabit; qui autem non habet, ipsum quod videtur habere, auferetur ab eo* [x]. Objicis fortasse, et dicis : « Marinus non fuit episcopus? » Nonne Joannes papa eum ordinavit? Qui Italiam, Germaniam et Galliam peragravit; et ea quæ prava et invia atque aspera erant, correxit, erexit et direxit; et utrumque Karolum, Gallicum, et Germanicum, Augustalibus coronis constituit [y] et redimivit. Si Joannis ordinationem et consecrationem [z], quam per annos ni fallimur... in sacratissima beati Petri sede pilleatus resplenduit, et in sacris ordinibus apostolico favore coruscavit

[a] Lege *dictum est*.

[b] Tò *usque* admonitio est continuandæ allocutionis. Integra verba Jesu Christi, ex Evangelio depromenda sunt, Matth. XVI, v. 18.

[c] Supple, si placet, *per*.

[d] Supplerimus *ut* ante *et*.

[e] Rom. cap. XIV, v. 11-13.

[f] Anastasius II, in epistola ad Anastasium Augustum, cap. 1, Conciliorum Binii tom. II, col. 270. Editio variat in multis cum nostro codice. Nos puncta adjecimus ubi auctoritas manca profertur ab antiquario.

[g] Lege *summum pontificem*.

[h] Supplerem *ut*.

[i] Cod., *volsit*, mendose.

[j] Nescio an sit addendum *non*.

[k] Cod., mendose, *Ilarii* pro *Hilari*.

[l] Cod., *putatur*.

[m] Cod., *ni enim imperatori*.

[n] Supple *non*, vel adde punctum interrogationis post *valuisset*.

[o] Cod., *exigit*.

[p] Hic locus videtur mendosus. Forte legendum, *declaretur*; et infra, *quod accepit*.

[q] Cod. mendose, *propter*.

[r] Cod., *culpnem eripere*.

[s] Lege *Cærensis*.

[t] Cod., *mnunus*. Nescio an legendum *minimus*, vel *unus*, ut reposuimus in textu.

[u] Cod., *superbe*.

[v] Cod., *electione*.

[x] Matth. XXV, v. 29.

[y] Cod., *cosett*.

[z] Cod., mendose, *ordinatio et consecratio, quam*.

irritam facis [a], similes erunt principes tui, Dathan et Abiron, eorumque complicibus, qui *irritaverunt Moysen et Aaron in castris, in sanctum Domini*; ideoque *aperta est terra, et deglutivit* [b] *Dathan et Abiron* [c]; si quidem descenderunt ad inferna viventes. Quoniam, sicut illi murmuraverunt adversus Dominum et adversus principes quos eis constituerat, ita et tu murmuras contra Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto unus et verus Deus est, et contra apostolos ejus, quibus ab eo ligandi atque solvendi in cœlo et in terra concessa est potestas. *Per te*, inquit Dominus per prophetam, *nomen meum blasphematur in gentibus* [d]. Unde datur intelligi quia satius et aptius fuisset apud summum Arbitrum, Formosianam, ut dicitur, præsumptionem [e], sub silentio dissimulando, corrigi, quam, disrupto charitatis vinculo, universo mundo scandalum inferre. O Roma, aporiaris et apostataris, atque in dementiam et phrenesim raperis [f]: convertere ad Deum, et salvaberis. Sic enim ipse per prophetam dicit: *Convertimini ad me, et salvi eritis* [g]. Sta, et contende mecum. Interrogabo te, et responde mihi: et tu percontare [h] me, et redicam tibi. Dicis itaque sæpe dictum pontificem Formosum non habuisse quod dare [i] potuisset. Habuit certe, habuit: a Marino scilicet, primum episcopo, dehinc summo papa et universali pontifice, a quo fuit absolutus et benigne receptus, et in pristinum honorem, a quo nævo invidiæ fuerat destinatus [j], digne et canonice est revocatus, non schismaticus, neque hæreticus; sed vir sanctus, et justus, atque catholicus; segregatus a peccatoribus, atque excelsior cœlis factus. Quomodo ergo dedit quod non accepit? Nicolaus consecravit Formosum ad episcopum [k] sciens eum doctorem egregium; et ideo misit eum in Bulgariam ad prædicandum. Qui strenue viam veritatis, normamque fidei, et Christianæ religionis doctrinam, gentem olim crudelissimam et paganissimam edocens, ad mœnia tua, cum crucis est et [l] triumpho reversus. Postmodum livoris oceno [m] ab urbe tua repulsus, deinde, ut dictum est, a Marino papa receptus et restitutus; sic tandem, populi acclamatu propter bonorum incrementa morum, ad summum pontificatus culmen favorabiliter est provectus. Quod si *Formosus nihil habuit, nihil dedit* (quod absurdissimum atque prophanissimum, et mente reis a capitis [n] est dicere) ergo Joannes, qui Marinum consecravit, nihil habuit, nihil dedit. Marinus quoque papa, cujus consecratio adhuc intacta permanet, nihil habuit, et nihil Stephano diacono Adriani filio, a se consecrato, dedit, qui postea papa factus est, et a jam dicto Formoso, in ordine vicis suæ, apostolicus consecratus est. Si Formosus papa nihil habuit, nihil dedit, cur proceres tui fronte ferrea et adamantina menteque Sathanica dicunt: Ergo irrita est consecratio Marini, quem Joannes papa episcopum consecravit; irrita est consecratio Stephani Adriani filii, quem Marinus ad diaconatum provexit, et postea Formosus, totius electione populi, in sancta sede apostolica consecravit? Vis fortasse dicere, o Roma, apponens iniquitatem super iniquitatem, quod Marinus episcopus non fuerit? Ergo et consecratio Joannis [o] papæ, quam Marino Cerensi episcopo, digne aut indigne, ut dicis, imposuit, irrita est. Si indigne Joannes noster apostolicus (quod nefas est ad dicendum), nec Marinus episcopus; si vero digne (pro ut omni mundo recto [p] visum est) domnus Joannes sit apostolicus, et Marinus episcopus: ac deinceps, causa utilitatis et necessitatis, universi advocatione populi, in sancta Romana et apostolica Ecclesia maneat inthronizatus, jam si profiteris Marinum episcopum non fuisse, criminaris Joannem papam (quod Deus avertat), qui eum consecravit, violatorem canonum, et omnium sacrarum legum prævaricatorem fuisse. Aut dic Marinum, qui a Joanne sacratus est, fuisse episcopum ut comprobes Joannem veraciter, sicut fuit, exstitisse papam; aut si negaveris, totam Christianitatem maculando, profiteberis Joannem irruptorem [q] Nicæni et omnium conciliorum destructorem fuisse. Insuper, et Stephani consecratio, et Sergii, quem Stephanus consecravit ad diaconatum, irrita erit. Et, ut liberius dicamus, si ordinem Romanæ consecrationis discurrendo texamus, totius sacerdotalis [r] seriem, ut asseris, ab ipso Joannis tempore, qui ante tricennium defunctus est [s], irritam et evacuatam, quod absit, perspiciemus. Quoniam, si Joannes, qui Marinum episcopum consecravit, reprobus fuerit, Marinus reprobus erit; et si non fuerit episcopus Marinus, quare in Cærensi sede ordinationes, consecrationes, baptisteria, et populi confirmationes exegit? Igitur si Marinus episcopus non fuit, Stephanus Adriani filius, qui postea apostolicus exstitit, diaconus non fuit; quia, postquam episcopus non

[a] Cod., mendose, *facit*.
[b] Cod., *degluviit*.
[c] Psal. CV, v. 16 et 17.
[d] Isaiæ XLII, v. 5.
[e] Cod., *arbitrem Formosiana. . . . præsumptio.*
[f] Cod., *in dementiam frenesim poteris.*
[g] Isaiæ cap. XLV, v. 22.
[h] Cod., *percunctare*, u pro *o*.
[i] Cod., *dari*.
[j] Pro *depositus*. Textum felicior aliquis emendet.
[k] Vel *ad* abundare videtur, vel legendum *episcoparum*; nisi illorum temporum idiotismo auctor utatur, quod in usu fuisse nullus dubito.
[l] *Et* abundat.
[m] Forte legendum *veneno* vel *cæno*.
[n] Lege, si placet, *et mente reipsa capti*.
[o] Τὸ *Joannis* mendose geminatur in codice. Ibidem lege, *Cærensi*.
[p] Cod., *reccio*, mendose, pro, *recte*, vel *recto*, ut in textu.
[q] Cod., mendose, *irriptorem*; reposuimus *irruptotem*, id est *violatorem*.
[r] Lege *sacerdotii*; vel supple, *ordinis* aut *dignitatis*.
[s] Joannes papa VIII obiit anno 882. Cum ergo auctor hujus opusculi scriberet post triginta annos a morte ejus, constat hanc apologiam fuisse confectam anno 912.

fuit, et sacrum episcopalis juris mysterium [a] usurpando tractavit, ultioni Oza, qui arcam Domini indigne tangere præsumpsit, procul dubio subjacuit. Similiter et Stephanus nec diaconus fuit, nec apostolicus existere potuit, quia indigne, si ita est ut asseris, sacri diaconatus mysterium attigit. Si dampnas Marinum, dampna Joannem, dampna etiam Stephanum, Formosum, Sergium et omnes quotquot ab ipso Joanne Marini prædecessore in sancta sede apostolica summo pontificiali jure sessionem habuerunt. Totus ergo mundus, et omnes ejus Christianæ fidei habitatores contra te clament: *Quia omnes decepisti, et ipsa decepta es.* Constantinopolis namque, Sicilia, tota Italia, Gallia, Germania, in quarum spaciis metropolitani, qui subfraganeos episcopales cœtus suæ consecrationi vindicant, degere videntur, adversus te causantur et querelantur, quia nullus metropolitanus [b] consecrationem facere potest, nisi a sede apostolica pallium [c] sumat. A quo ergo Bysancium, quæ Constantinopolis vocatur, Ravenna, Forum Julii, Mediolanum, Hebrudunum, Arelatum, Lugdunum, civitas Remorum [d], Colonia, Maguntia [e], cæteræque urbes metropolitanæ, nisi ab apostolica potestate pallium sumant [f]? Si ita est ut prodis, totus pene mundus per annos XXX in ruina positus est, non solum ad dampnationem corporum, verum etiam, quod deterius est, ad detrimentum animarum [g]. Qui dinumerare potest stellas cœli, et arenam quæ est in littore maris, hic dinumerare poterit animas et corpora eorum qui absque baptismo et sacri chrismatis unctione per tot annorum curricula ad tartara sunt demersi. Missarum etiam solemnia nisi ab antiquissimis viris minime sunt celebrata. Quis enim sacros fontes benediceret et sanctum chrisma conficeret, aut quis pœnitentes solveret aut ligaret, cum omnis ordo ecclesiasticus ita ad ima ceciderit, ut, sicut tu ausu nefario et ore temerario delatras, nihil habuerit, nihil dederit? Igitur jam tempus est ut ad conceptum, sicut sumus polliciti, redeamus eloquium; et quia Formosum papam invasorem non fuisse declaravimus; ita æque, aut inique depositum, restitui posse, et de Ecclesia ad Ecclesiam migrari valuisse, sancti Spiritus infusione dilucidemus. Plurimos enim episcoporum aliis ex civitatibus ad alias, causa necessitatis atque utilitatis, A nec non invitationis et advocationis, sanctorum utilitate Patrum didicimus esse migratos. Quorum primus, ut retulimus, beatissimus apostolorum princeps, regnique cœlestis claviger fecit; et Alexander, prout Historiæ liber Ecclesiasticæ refert, unius Cappadociæ civitatis episcopus, utilitatis ac necessitatis intuitu nobiliter [h] exstitit. Subsequamur ergo cæteros. Perigenes in Petris [i] est ordinatus episcopus; sed quoniam civitatis ejus cives noluerunt eum suscipere, Romanæ civitatis episcopus jussit eum in Corinthum metropolim, defuncto ejus episcopo, inthronizari, eique, donec advixit, Ecclesiæ præfuit. Dositheum Seleuciæ [j] episcopum, Alexander Antiochenus episcopus in Tarsum Ciliciæ demigravit. Reverentius ab Arcis [k], Phœniciæ in Tyrum migratus est: Joannes de B Gardilia [l] mutatus est in Prochoniso; Palladius ab Helenopoli mutatus est in Asponam. Alexander ab alia Helenopoli in Adrianopoli mutatus est. Gregorius Nazianzenus prius unius civitatis Cappadociæ fuit episcopus, quæ Sasima dicebatur, deinde beati Basilii et aliorum episcoporum consensu, Nazianzo; Meletius prius Sebastiæ Ecclesiæ præfuit, et postea Antiochiæ præsul est constitutus; Theosebius ab Apamia Asiæ transfertur in Eudoxiopolim, quæ prius Salambria vocabatur: Polycarpus de urbe..... ... [m] in Nicopolim Thraciæ mutatus est; Hierophilus de Trapezopoli Phrygiæ in Antiochiam mutatus est [n] Pisidiæ; Sylvanus a Philippopoli Thraciæ mutatus est Troadam; Eusebius quoque de quadam parva civitate, apostolica auctoritate, mutatus est C Alexandriam; similiter Felix de civitate qua ordinatus erat electione civium, propter doctrinam et bonam quam habebat vitam, communi episcoporum et reliquorum sacerdotum, ac populi [o], consilio translatus est Ephesum. Non enim transit de civitate ad civitatem, qui non suo libitu aut ambitu hoc facit, sed utilitate quadam aut necessitate, aliorumque ortatu et consilio populorum [p] transfertur: nec transfertur de minori civitate ad majorem, qui hoc non ambitu, aut propria voluntate facit, sed aut vi a propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci, aut populi, non superbe, sed humiliter ab aliis translatus et inthronizatus est. Quia homo videt in facie, Deus autem in corde. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem. Sufficiat nunc D de mutatione et transmigratione sedium satis dixisse;

[a] Lege, si placet, hic et paulo infra, *ministerium*.

[b] Subaudi, *licite*.

[c] Cod., *palleum*, hic et infra.

[d] Cod., *Remororum*, mendose.

[e] Cod., *Magontia*.

[f] Lege, si placet, *sumunt*. Et nota quod ab hinc usque ad verba, *solveret aut ligaret*, scriptor iste falso concludit.

[g] Hæc item, si, ut reapse videtur, intelligenda sint de metropolitis a Formoso pontifice pallio donatis, atque de eorumdem ordinationibus, noster apologista palmari errore decipitur; cum pallium, etiam ab illegitimo papa acceptum, metropolitanorum ordinationes non infirmet.

[h] Nescio an legendum sit, *mobiliter*.

[i] Vel *Patris*, ut ex Auxilio infra citato. Cod., mendose, *Petrus*.

[j] Cod., *Seleuticæ*.

[k] Cod., *Archis*.

[l] Auxilius libello I, cap. 3, et lib. II, cap. 22, *de ordinationibus a Formoso factis*, hæc nomina ejusdem scoporum qui transmigraverunt ad aliam sedem recitat fere ad unguem, ut hic. Consule Morinum, de sacris Ordinationibus, part. II, p. 349 et 371, apud quem etiam pro nonnullis variantibus lectionibus lectorem remittimus.

[m] Lacunam sic supple: *Antapristena* (vel *Antepristena*) *Mysiæ*, ex Auxilio.

[n] Hic etiam supple: *Obtimus ab Agardamia Phrygiæ in Antiochiam Pisidiæ*, etc.; ex eodem ms. *Pasidiæ*.

[o] Cod., *Apli*. Nos interpretati sumus *ac populi*.

[p] Cod., *aliorum ortatur, ex concilio pociorum*.

nunc de reconciliatione pontificum, qui juste aut injuste dampnati sunt, prout auctoritas docet, evidenter dicam modo [a]. Joannes Chrysostomus a duobus synodis orthodoxorum fuit judicatus, sed iterum Ecclesiæ suæ fuit restitutus. Nec non et Marcellus episcopus Ancyræ Galitiæ depositus fuit; sed proprium postmodum recepit episcopatum. Asclepius [b], item judicatus a synodo, Ecclesiam suam postea recepit; Lucianus episcopus Adrianopolites [c], a papa Julio dampnatus, postmodum recepit Ecclesiam sui episcopatus. Item Quirinillus [d], Hierosolymitanus episcopus depositus fuit; postea reconciliatus est Ecclesiæ suæ. Simili modo et Polychronium [e], eidem [f] Ecclesiæ suæ [g] Hierosolymitanæ pontificem, Sixtus [h] papa dampnavit, et iterum [i] idem reconciliavit. Innocentius item papa Fotinum [j] episcopum dampnavit; sed ipse postea eum in suæ Ecclesiæ proprium restituit statum. Item Miseno episcopo, a Felice papa dampnato, Gelasius papa successor [k] illius communicavit et eum Ecclesiæ suæ restituit. Leontius autem, dum esset presbyter, depositus fuit, sed postea in Antiochia patriarcha exstitit. Gregorius quartus papa Romanus, Theodosium, quem Eugenius ejus antecessor presbyterii honore privaverat, sanctæ Ecclesiæ Signinæ [l], consecravit episcopum. Ibas namque episcopus judicatus fuit, sed sancta synodus canonice suam illi restituit Ecclesiam. Nicolaus papa Zachariam episcopum [m], pro eo quod Constantinopolim directus Phocium invasorem, subito e laico clericum factum, et per ecclesiasticos ordines improvise ad patriarchatum Constantinopoleos provectum approbavit, et Ignatium patriarcham, virum sanctum et justum, reprobavit, in sua synodo merito damnavit; sed Adrianus papa eum in pristinum Ecclesiæ suæ statum revocavit. Rothadum [n] sanctæ Suessionensis Ecclesiæ episcopum [o] synodo, cui Carolus rex interfuit, condempnatum, Nicolaus papa reconciliavit, et propriæ Ecclesiæ restituit. Joannes papa Anspertum Mediolanensem archiepiscopum, pro eo quod legatos summæ sanctæ sedis apostolicæ recipere noluit [p], vocatus ad synodum venire contempsit, in synodo dampnavit; sed postea eidem [q] Ecclesiæ restituit. Quid plura? Si cunctas pontificum restitutiones ac transmigrationes in medium ducere temptabimus [r], dies ante (ut remur) quam sermo cessabit. Cui ergo comparabimus te? vel cui assimilabimus te, o Roma? *Magna enim....* [s] *mare contritio tua. Quis medebitur tibi? Prophetæ tui viderunt falsa et stulta; nec aperiebant iniquitatem tuam ut te converterent* [t], *et sanarent. Planxerunt super te omnes transeuntes per viam; sibilaverunt et moverunt caput suum, dicentes: Hæccine est urbs perfecti decoris, et gaudium universæ terræ* [u]? Scrutare ergo vias tuas, et convertere ad Dominum, et salvaberis. Quid igitur ad hæc dices? Nam vulgo dicitur, stultum esse alios coercere, cum sibimetipsi non valeat frenum imponere. Quo itaque pacto alios vis redarguere, cum tibi nulla sit potestas temetipsam [v] corrigere? Per ambitus enim et seditiones, belligerando, ad summum apicis culmen belligerando [x] principes tui contendunt subire; et adhuc [y] iniquitate sua permanentes, unusquisque, quod animo concepit, opere complere conatur. Pro hac enim re [z] diluvium supervenit universo mundo, deletaque [aa] est omnis caro de superficie terræ, exceptis octo animabus in arca salvatis; sic enim sancta in præcedentibus dicit Scriptura: *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant* [bb]. Et ad comprimendam tuæ sedulitatis temeritatem per temetipsam Veritas dicit: *Quinque enim viros habuisti*, o Roma, *et hunc* [cc] *quem habes, non est tuus vir* [dd]. Nam Formosus, quem crudelissima præsumptione de sepulcro extraxisti, et [ee] summa, sancta et apostolica sede vivus residens, consecravit Joannem [ff] ad presbyteratum; qui postea, juxta Romanam consuetudinem et consecrationem, ad apostolicatus fastigium conscendens, Kailonem Ravennatem archiepiscopum consecravit, ac postmodum in sancta synodo, eadem in urbe congregata, cui Landebertus [gg] imperator interfuit, apostolico favore viriliter resedit. Kailo vero archiepiscopus Petrum Bononiensem episcopum consecravit; Petrus autem Bononiensis episcopus, Kailonis [hh] archiepiscopi subfraganeus, Joannem [ii], (abbus viæ tuæ sedi [jj] præest) per sacrorum ordinum ascensus, ad diaconem consecravit. Defuncto vero Petro, idem Joannes Bononiensem [kk] Ecclesiam, vivente Kailone [ll] archi-

[a] Ab his usque ad verba, *Joannes papa*, etc., consule Auxilium lib. II, c. 21, qui eadem refert.
[b] Cod., *Asclipius*.
[c] Cod., *Adrianopolitis*.
[d] Lege *Cyrillus*.
[e] Cod., *Palichronium*.
[f] Lege *ejusdem*.
[g] Tò *suæ* abundat.
[h] Cod., *Sextus*.
[i] Auxilius lib. II, c. 21, *ipse eum*.
[j] Lege *Photium*.
[k] C., *Gelasio papæ successori*.
[l] Auxilius lib. II, cap. 21, apud Morinum ibidem, col. 371, legit *Seguinæ*.
[m] Cod., mendose, *episcopus*; et infra, *subito laico clericorum factus et..... provectus*.
[n] Cod., mendose, *Rochadum sanctæ Sessionis*.
[o] Supple *a*.
[p] Supple *et*.
[q] Cod., *ejusdem*.
[r] Cod., *retemptavimus*.
[s] Supple *est velut*.
[t] Vulgata, *ad pœnitentiam provocarent*.
[u] Thren. II, v. 16 seqq.
[v] Cod., *temetipsum*.
[x] Tò *belligerando* mendose geminatur.
[y] Supple *in*.
[z] Cod., *res*, solœcum.
[aa] Cod., *delectaque*, mendose.
[bb] Geneseos cap. VI, v. 2.
[cc] Vulgata, *nunc*.
[dd] Joannis IV, v. 18.
[ee] Pro *et* lege *in*.
[ff] Nempe Joannem papam IX.
[gg] Lege *Lambertus*.
[hh] Cod., *Kalionis*.
[ii] Nempe Joannem Decimum, antipapam.
[jj] Forte legendum, *qui abusive tuæ sedi*, etc.
[kk] Cod., *Bonihensem*, mendose.
[ll] Cod., *Kalone*.

episcopo, contra omnem canonum auctoritatem invadere præsumpsit; consecratus quoque missarum solemnia pontificali jure indigne exercuit, et inlicitas consecrationes exegit; qua relicta, sanctam Romanam et apostolicam Ecclesiam nefariis ausibus usurpavit. Et tun [a] pro libitu suo vult solvere et ligare; et, velut Lucifer ille, qui sedem suam in Aquilone ponere voluit, et in altum se extollens, similem Deo gloriatus est fore, catholicam et universalem Ecclesiam vult excommunicare, et justiores et sanctiores se quærit anathematizare. Quis enim ei ex hoc crediturus erit? (Ne glorietur æque distinctus aut accinctus.) Non est enim Deus, sicut homo. Si enim angelis extollentibus non pepercit, quanto magis hominibus est cavendum, ne extollantur [b]. Scriptum est enim: *Non plus sapere, quam oportet sapere*; ne forte, dum plus vult esse quam sit, sit minus quam sit. Cæterum, quamvis indigne legatione et sacerdotio Christi fungimur [c], sicut docet Apostolus, pacem deposcimus, unanimitatem petimus, et te, o Roma, quæ es caput omnium nostrum, sanari flagitamus.... et ne tam leviter in postmodum scandalizeris [d], modis omnibus exoramus; ipso auxiliante, cui est laus, honor, et virtus, et gloria cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, per interminabilia sæcula sæculorum. Amen.

[a] Lege *nunc*, vel *tamen*. Et nota etiam ex hoc loco palam fieri scriptorem nostrum hoc *Colloquium Romæ* exarasse sub Joanne X antipapa.

[b] Cod., *extollatur*.

[c] Auctor hujus apologiæ hic episcopum vel saltem presbyterum se prodit.

[d] Cod., *scandalizari*.

FORMOSI PAPÆ
EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

(Ex Mansi et Collectionibus recentioribus.)

I.

AD MONACHOS S. THEUDERII.

(*Anno* 892.)

Immunitatem et bonorum suorum firmum et stabile jus concedit.

Formosus episcopus, servus servorum Dei, venerandæ congregationi monachorum venerabilis monasterii S. Theuderii confessoris Christi, siti in territorio Viennensi, in perpetuum.

Quando nos piorum locorum, juxta quod nobis divinitus est commissum, studiosius gerimus, tanto nobis copiam mercedis acquirimus, et status illorum potiori vigebit regimine; et ideo vera devotio per Barnoinum reverendissimum archiepiscopum Viennensem nostro suggessit apostolatui, ut ipsum venerabile monasterium una vobiscum apostolica muniremus auctoritate. Unde nos omnium sollicitudinem gerentes, et maxime audientes vos de Trecassino comitatu ex monasterio Dervo a facie paganorum elapsos, et quod ab eodem venerabili archiepiscopo misericorditer suscepti estis, inclinati precibus vestris, per hujus apostolicæ nostræ auctoritatis privilegium vos inibi firmiter et quiete Deo militare confirmamus, et quæ necessaria esse videntur loco et monasterio diu noctuque instantissime operari, et canonicæ imo beati Benedicti regulæ obedire, tam in ecclesiæ restauratione, quam ubi et ubi expedit, ea scilicet ratione, ut neque eidem venerabili archiepiscopo, neque cuilibet successorum suorum licitum sit illis durum servitium imponere, neque longissimi itineris profectionem; sed neque mansionaticos onerosos, neque censum, præter id quod impositum est, in festivitate prædicti sancti Theuderii in fine anni libram argenti. Et præterea decernimus et ordinamus et constituimus et contestmur ut decedente, more humano, prædictæ congregationis abbate, neque præsens præfatus episcopus, nec quisquam successorum illius aliquo typo et fastu superbiæ, aut avaritiæ et cupiditati, et irascundiæ alium abbatem aliquo tempore et aliquo modo ipsi congregationi imponere præsumat nisi quem ipsi monachi, libera electione et devotione, secundum regulam sancti Benedicti sibi elegerint.

Sed neque ex his omnibus, quæ præsentialiter obtinent, mobilibus et immobilibus, et quæ deinceps a senioribus et aliquo modo justo remereri potuerint, ullo modo exinde aliquid auferatur ab aliquo neque minuatur; sed neque commutetur, nisi per voluntatem monachorum: quin eum si contra hanc auctoritatem quis agere tentaverit, nullatenus a quolibet nostram abeundi præsentiam, successorumque nostrorum abbati et monachis denegetur et prohibeatur, sive insidietur facultas: et propter adjutorium omnipotentis Dei imprandum, et intercessionem sancti Petri, et nostræ charitatis auxilium, abba illorum, nomine Adalricus, taliter cum reverendissimo archiepiscopo Barnoino limina sancti Petri acceleravit. Qua dilectione et apostolatus nostri auctoritate commoti rogamus et petimus, et ex Deo et per Deum et per sancti Petri meritum nostrique ministerii reverentiam adjuramus et contestamur, ut nullus nobilium et potentium vicinorum et extra advenientium, et circumquaque degentium, aliquatenus mala illis inferre præsumat, et absque lege inquietare, et mobilia et immobilia usurpare: sed neque servientes illorum destruere quisquam pertentet; et amodo volumus eos securos et quietos

permanere, apostolica protectione tutos atque munitos, cum omnibus rebus immobilibus et mobilibus ad ipsum venerabile monasterium pertinentibus. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hoc privilegii nostri statutum (quod ad laudem Dei omnipotentis, et ejusdem pii loci stabilitatem fieri decrevimus) in toto et ex parte agere præsumpserit, et in omnibus non observaverit, sciat se auctoritate beati Petri apostoli atque nostra anathematis vinculis innodandum, et a regno Dei, nisi resipuerit, alienandum : qui autem verus custos et observator exstiterit, benedictionem et gratiam a Domino consequi mereatur.

Scriptum per manum Anastasii scriniarii S. R. E. in mense Novembrio, indictione 10. Bene valete.

Data VII Kal. Decembris per manum Sergii primicerii, defensoris sanctæ sedis apostolicæ, imperante domno piissimo PP. Augusto Vidone a Deo coronato magno imperatore anno 1, et post consulatum ejus anno 1, indictione 10.

AD STYLIANUM CÆSAREÆ EUPHRASIÆ PROVINCIÆ EPISCOPUM.

(*Anno* 892.)

Respondet litteris a Styliano ad Stephanum papam V missis, quas supra descripsimus.

Litteras sanctitatis tuæ ad apostolicam sedem missas, etc. *Ita decurtata in codice habentur, et post multa brevitatis causa omissa hæc sequuntur* :) Petis misericordiam, et non scribis quomodo sit exhibenda, nempe cui, sæculari videlicet vel sacerdoti. Si enim sæcularem dixeris, venia dignus is erit, tanquam a sæculari dignitatem adeptus : si vero sacerdotem dicas, non adhibes mentem quod dignitatem præbre non potuit qui dignitatem non habebat. Nihil pluit Photius præter damnationem quam habuit, pe impositionem obliquæ manus, et damnationem prbuit. Quomodo dignitatem potuit accipere qui prticeps factus est condemnato ? Quoniam pro ornato misericordiam obtinere petis, animadverte quid ordinatorem potius foves, juxta Domini sacrum eqnium : *Vel facite arborem bonam et fructus ejus bonos : vel facite arborem malam, et fructus ejus malos. Nunquid potest ficus uvam producere, vel vitis ficus ?* (*Matth.* XXII.) Oportebat igitur istam Ecclesm, in qua talia deprehenduntur facta, gravissima dare pœnas, ut hujusmodi pœnis vestra Ecclesia urgaretur. Continet autem nos benignitas et fratrm dilectio, quæ nobis persuadet ut alia quidem teremus. Quapropter misimus e latere nostro religiosissimos episcopos Landenulfum Capuanum, e Romanum, quibuscum sanctitatem etiam tuam hrtamur convenire, necnon Theophylactum metroolitanum Ancyræ, et Petrum fidelem nostrum ; ut ita ante omnia in Photium prævaricatorem e legum eversorem sententia a prædecessoribus œcumenicis pontificibus synodice prolata, necnon a nostra humilitate confirmata, perpetuo tempore immutabilis permaneat. Cum iis vero qui a Photio fuerunt ordinati misericorditer nos gerentes, decernimus ut oblatis libellis se deliquisse fateantur, et pœnitentiam veniam deprecentur, pollicentes se nunquam tale quid commissuros. Deinde his peractis, quæ sequuntur omnia, quæ nostris litteris mandata conspiciuntur, una cum prædictis viris sanctitas tua peragat, nec aliquid addendo, nec diminuendo aut commutando. Ita enim et a nobis, et a reverentia tua in communionem fidelium receptis ut laicis, scandalum delebitur. His vero peractis, si quis ipsorum communicare renuerit, noverit seipsum a communione nostra alienum fore. In Domino valete.

III.

AD HERIMANNUM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(*Anno* 892.)

[Lappenberg, *Hamburgisches Urkundenbuch.*]

Formosus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo Herimanno, Agrippinæ Coloniæ archiepiscopo.

Litteras tuas apostolatui nostro delegatas coram nobis recitari fecimus, in quibus continebatur quod piæ recordationis Leo papa, decessor quondam noster, temporibus Caroli Magni imperatoris parœchias, monasteria, ecclesias et familias omnesque res Agrippinæ Coloniæ competentes propria auctoritate inscriptionis roboraverit et ab illo tempore Bremensis sedes eidem Ecclesiæ subjecta fuerit usque ad tempus Guntharii. Audivimus equidem et credimus fuisse ; sed relatu quorumdam didicimus eam in ultimis finibus, ubi pagani confines sunt, esse ; verum asseritur, quatenus Guntharii tempore Ludovicus quondam rex sancto studio, reverentissimorum archiepiscoporum, consultu seu et nobilium optimatum apostolico consensu, inibi decreverit instituere prælatum qui, sibi Christi favente gratia, verbum fidei seminaret in gentibus, quæ nullam ipsius habebant notitiam. Et misso Salomone, reverentissimo Constantiæ episcopo, expetivit a sanctæ recordationis domno Nicolao, decessore nostro, hujusmodi sanctum et Deo dignum roborari decretum, quatenus gentes quæ ignorabant Deum, doctrina Bremensis Ecclesiæ, quæ in affinitate posita neglecta interdum tabuerat, ad sanctum opus expergefacta assurgeret et segnitie deposita ad agriculturam accingeretur Domini Salvatoris, ac exstirpatis idololatriæ sentibus seminarium spargeret, unde multiplex fructus ad divina horrea perveniret. Præterito autem anno, cum exinde ventilaretur quæstio inter legatos tibi commissæ Ecclesiæ necnon et Bremensem antistitem, quia res in ambigno erat posita, temere deffiniri non debuit. Cujus rei gratia decretum est, ut conventus sanctissimorum episcoporum in competenti loco fieret, cui Mogontiæ archiepiscopus præsideret, apostolica auctoritate munitus, ubi et tua et præfati antistitis querimonia diligentissime

perscrutaretur et sic demum cum legatis ab eorum collegio seu quolibet episcopo utrique ad apostolicam venissetis deliberationem percipiendam. Audire quippe et discutere, non vero definire injunctum est. Ideoque id ipsum ut fiat, exspectamus et injungimus condicto tempore, mense videlicet Augusto, præsentis decimæ indictionis. Revera tunc liberius definire poterit, quia attentius ventilata quæstio in potiorem veritatis lucem erumpet, beati Job exemplo, qui ait: *Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam* (*Job* XXIX, 16). Enimvero hujuscemodi disceptatio non secundum cujuslibet libitum, sed Deo placite definienda est. Optamus reverentiæ tuæ sanctimoniam bene in Christo valere.

IV.

[a] BULLA PRO ECCLESIA GERUNDENSI.

(Anno 892.)

FORMOSUS episcopus, servus servorum Dei, R. et S. Servo-Dei sanctæ Gerundensis Ecclesiæ episcopo, et per te in eadem venerabili Ecclesia in perpetuum.

Sicut per donum sancti Spiritus beato apostolorum principi Petro et cœlesti regni clavigero ligandi atque solvendi ab ipso Domino tradita est potestas evangelica, subsequente lectione quæ ita inter cætera ait: *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI), et reliqua, etc.; ita sedes apostolica, canonica legalique auctoritate suffulta, omnibus Ecclesiis Dei per universum orbem diffusis suffragia et justa postulationis subsidia ut præbeat, tam divini quam humani juris ratio postulat. Igitur veniens, jam dicte Serve-Dei venerabilis episcope, causa orationis ad eorumdem sanctissima beatorum apostolorum limina, subjecisti nobis quatenus apostolicæ nostræ confirmationis privilegio confirmare deberemus omnes res mobiles ejusdem Gerundensis Ecclesiæ, in honorem sanctæ Dei Genitricis et semper Virginis Mariæ dominæ nostræ, ubi beatus Felix Christi martyr corpore requiescit, hoc est domos, pleves, cellas, ecclesias, villas, et insulas, Majoricam scilicet, Minoricam, curtes, parochias, terras, vineas, prata, silvas, una cum familiis utriusque sexus, cum omnibus adjacentiis suis, quæ a piis imperatoribus, regibus vel aliis Deum timentibus in eadem Gerundensi Ecclesia collata sunt, sicut ipse nunc usque legali ordine tenere videris. Unde salubribus petitionibus tuis inclinati decernimus et a præsenti hac decima indictione per hoc apostolicum nostrum privilegium roboramus, confirmamus, et in perpetuum stabilimus in usu et utilitate ejusdem Ecclesiæ Gerundensis, cui præesse dignosceris, id est omnes domos, cellas, ecclesias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, silvas, una cum famulis, et alia omnia quæ ab imperatoribus, regibus et aliis Deum timentibus in eadem Ecclesia collata sunt, seu conferenda erunt, simul cum raficum, seu pascuarium sub tua tuorumque successorum ditione potestate omnimodis confirmamus; statuentes sub apostolica censura, seu divini judicii protestatione, et anathematis interdicti, ut nulli unquam magno vel parvo homini liceat quamlibet fortiam vel oppressionem in omnibus rebus ejus facere, aut potestatem aliquam habere, vel aliquam distringere, aut qualitercunque teloneum ab eis exigere, sive . . . . . ubicunque eos pro quibuslibet causis provocare præsumat; sed a providentia sui episcopi causa illorum audiatur et canonice terminetur. Si quis autem, quod non optamus, contra hoc privilegium a nobis statutum temerario ausu agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculis innodatum, et nisi se arripuerit a re . . . . . *Cætera desiderantur.*

V.

AD ADALGARIUM ARCHIEPISCOPUM HAMMABURGENSEM.

(Anno 892.)

Decernit, ut Hammaburgensis Ecclesia Bremensem ad subsidium habeat, donec suffraganeos instituere valeat.

FORMOSUS, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo ADALGARIO archiepiscopo Hammaburgensi.

Arbitramur tuam sanctimoniam, prout injunctum fuerat, ad apostolicam sedem festinare, quatenus disceptatio, quæ inter te et Hermannum Agrippinæ Coloniæ reverendissimum archiepiscopum ventilatur, de Bremensi Ecclesia finem acciperet. Sed ipso per suos vicarios insistente et querimoniam multiplicante, cur tuam non exhibueris præsentiam, saltem per defensorem vicarium, non modicum miramur. In quo suspicare tribuitur summopere, contentionem non odire qui judicii æquitatem conatur subterfugere: præsertim cum et Maguntiæ sanctissimus archiepiscopus, cui de hac re ut veritatem inquireret per confratres et collimitaneos episcopos injunctum fuerat, ad nos scribens significaverit quatenus venientibus reverendissimis episcopis ad Frankenford, de hac eadem re diligentissima facta fuerit inquisitio, omnesque diœcesani ejusdem Coloniensis

[a] In ecclesia Gerundensi asservatur diploma Formosi Romani pontificis papyraceum, Servo-Dei Gerundensi episcopo datum. Nuper hoc diploma edidit Martenius in Collectione amplissima Anedoct. tom. I, pag. 239. Ego vero illius exemplar ex autographo Gerundensi descriptum anno 1736 accepi, et cum edito contuli, atque inveni exemplar Martenii ad ea verba: *in perpetuum stabilimus* desinere, reliqua deesse. Desiderantur autem in autographo pontificiæ datæ; in contextu tamen habetur *indictio decima*, ex quo colligitur hoc diploma anno Christi 892 datum fuisse. Petrus de Marca in appendice Marcæ Hispanicæ, pag. 384, ex chartulario ecclesiæ Gerundensis profert diploma Romani summi pontificis Servo-Dei episcopo Gerundensi, quod iisdem ferme verbis conceptum est ac illud Formosi, si pauca excipias; aliud item exhibet ejusdem Romani pro ecclesia Helenensi, et lib. III Marcæ Hispanicæ pag. 370 de epochis horum diplomatum disserit, quas ad examen vocat Pagius ad annum 897, num. 6. Interim Formosi diploma pro ecclesia Gerundensi ad fidem prototypi hic dandum censemus.

DOMINICUS GEORGIUS RODIGINUS.

episcopi, Erancho videlicet Tungrensis, Vodelbaldus Trajectensis, Wofelmus Mimigardevordensis, Druogo Mimidomensis, Egilmarus Osnabrugensis, sub testificationis prætextu testificati sunt, usque ad te nullum Brumensis Ecclesiæ præsulem modum subjectionis Coloniensi antistiti contempsisse, sed semper decessores tuos, qui eidem Bremensi Ecclesiæ præfuerunt a temporibus suæ Christianitatis, sedi Coloniensi fuisse subjectos. Verum quia tantorum virorum testimonium frustrari non expedit, et ad statutum veniendi tempus festinare vel delegare vicarium distulisti, tanti temporis querimoniam, ac legatorum constantem instantiam nihili pendere inhumanum videbatur. Quapropter arctati, hinc ne Coloniensis Ecclesia justitiam perderet, inde ne Hammaburgensis Ecclesia, quæ ad gentium vocationem instituta fuerat, subsidio destituta deficeret; dispensative censuimus, quatenus quoadusque divina suffragante gratia prælibata Hammaburgensis Ecclesia in tantum dilatetur, ut episcopiam instituere valeat, jam memoratam Bremensem Ecclesiam ad subsidium habeat; et quoties in magnis ac prænecessariis canonicis negotiis oportuerit, non subjectione aliqua, sed affectu fraternæ charitatis Hammaburgensis archiepiscopus, qui ejusdem Bremensis Ecclesiæ regimen obtinet, per se aut vicarium suam vicem gerentem, in adjutorium Coloniensis archiepiscopi invitatus accedat: dilatata autem Hammaburgensi Ecclesia, largitore omnium bonorum adminiculante, et fundatis episcopiis, sæpe memorata Coloniæ sedes Bremensem recipiat Ecclesiam. Inhumanum quippe est inter sæculares aliena jura pervadere: quanto magis sanctissimos episcopos statutos a Patribus transgredi terminos, et eos litigare, qui pacis debent subditis exempla præbere? Hæc autem ad hoc decreta est dispensatio, ut pax vigeat, cesset contentio, et justitiæ vigorem misericordiæ compassio temperet, scientes sine pacis bono nullum Deo munus fore acceptabile.

A

B

C

VI.

AD HERIMANNUM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 892.)

[Lappenberg, *Hamburgisches Urkundenbuch.*]

D

Formosus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro, Herimanno, archiepiscopo Coloniensi.

Visitatione tua, charissime confrater, lætificati sumus, a te directis venerabilibus sacerdotibus receptis. Verum cum de tua incolumitate eos per ordinem inquirere studeremus, comperimus, ipsis indagantibus, te incommoditate corporis laborare, et condoluimus plurimum. Attamen in hoc consolamur quia novimus scriptum in Eloquio: *Quem diligit Dominus, castigat, et corripit omnem quem recipit* (*Hebr.* XII, 6; *Prov.* III, 12). Sit ergo oramus infirmitas hæc ad salutem ac celerem Christo largiente mereatur consequi sanitatem. Arbitraba mur equidem, sanctimoniam tuam ad apostolorum limina, prout mandaveramus, venire et viva voce tecum de generali illius barbaricæ gentis salute tractare. Sed quia aliter quam optaveramus accidit, infirmitati imputantes, calumniam pro hoc inferre desinimus.

Contentio itaque, quæ inter te et Adalgarium, reverentissimum archiepiscopum Hamburgensis Ecclesiæ, ventilata est pro Ecclesia Bremensi, pro qua ad venerabilem archiepiscopum Moguntiæ scribere præterito anno prævidimus, quatenus ejus studio rei veritas inquisita, ablata ambiguitate, in clariorem lucem erumperet, ipso prout scribente didicimus, testificantibus sanctissimis episcopis, qui Francanorfut convenerunt, apparet, tuæ diœcesis ecclesiam esse. Ideoque dispensative id determinare oportuit eo videlicet ordine, ut et Coloniensis Ecclesia non privaretur facultatibus, et Hamburgensis Ecclesia, pio labori dedita, non patietur penuriam, unde oporteat Deo acceptabile opus cessari. Quapropter statuimus ut quousque dispensatore bonorum omnium largiente, cujus nutu omnia dispensantur, Hamburgensis Ecclesia infra paganorum terminos dilatari valeat, ubi episcopia fundari possint, Bremensem Ecclesiam teneat ad subsidium. Et ob hoc fraterno charitatis affectu, non subjectione aliqua, quoties pro majoribus ecclesiasticis negotiis librandis certa ratio exigit, invitatus ipse per se in adjutorium Coloniensis Ecclesiæ accedere non pigeat, vel si prædicationis opere implicatus per se venire nequiverit, vicarium saltem deleget, qui ejus vicem repræsentet et canonice deliberationi adjutor intersit. Divina autem ditione suffragante cum Hamburgensis Ecclesia augmentata, ceu prætulimus, fuerit, Coloniensis Ecclesia sua recipiat, quia inter sæcularia negotia non expedit cuiquam aliena jura pervadere, quanto minus religiosis episcopis, qui suo ducatu per viam justitiæ ad cœlestia regna commissum sibi populum debent perducere.

Aliter autem nostro apostolatui deliberare visum non est, ne sæpedicta Hamburgensis Ecclesia ad vocationem gentium instituta ablato annihiletur subsidio et inopia cogente a Deo digno opere cesset, præsertim cum et decessor noster recolendæ memoriæ Nicolaus, Ludovico, glorioso rege, per Salomonem reverentissimum Constantiæ episcopum, intercedente, suo privilegio Bremensem Ecclesiam Ansgario, Hamburgensi archiepiscopo, confirmaverit. Sed quia indignum censuimus, sacerdotum quempiam aliena jura pervadere propriis transgressis liminibus, proinde id dispensative instituimus, tempori consulentes, ut et justitia proprium vigorem teneat et misericordia compassionem impendat, contentio cesset et charitas inviolata persistat.

Privilegium etiam tuæ Ecclesiæ prout petiveras, renovavimus ac tuæ venerabilitudini per præsentes presbyteros delegavimus, commonentes, ut in omnibus ac præ omnibus pacem diligas et eidem semper insistas, quæ specialis est arrhabona omnium

fidelium, sine qua nullum munus Deo est acceptabile. Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat cor tuum et intelligentiam tuam in Christo Jesu, Domino nostro.

VII.

AD BERNONEM ABBATEM GIGNIACENSEM.

De privilegiis ejusdem monasterii.

FORMOSUS servus servorum Dei BERNONI religioso ac venerabili abbati cœnobitarum sito territorio Lugdunensi, quod in honore beati Petri apostolorum principis constructum esse dignoscitur in loco qui Gigniacus perhibetur, ac in eodem venerabili monasterio in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere et poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum pretium a conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur properans ipse Berno venerabilis abbas ad beatorum apostolorum limina, nostramque adiens apostolicam præsentiam, retulisti nobis ipsum memoratum cœnobium a te tuoque consobrino nomine Laifino de propriis rebus vestris duntaxat in honore sancti Petri constructum atque dicatum existere, et ut ab omnibus immutilatum servetur, per testamenti paginam, quod nobis servandum contulistis, eidem beato Petro cœlestis regni clavigero nobisque per Dei gratiam vicario obtulistis ad sempiternum vobis remedium conferendum. Ideo suggessistis nostro apostolatui ut apostolici nostri privilegii illud sanctione muniremus. Quapropter quod statuistis devote admittentes, petitionemque vestram ratam arbitrantes, inclinare precibus vestris per hujus præceptionis seriem prædictum venerabile cœnobium cum cellis seu casis, terris, vineis, casalibus, fundis, pratis, silvis, una cum colonis et colonabus, necnon et cellulam quæ vocatur Balma cum adjacentiis suis, omnia et in omnibus quæ tam a gloriosis regibus quam ab aliis Deum timentibus inibi data vel præcepta sunt, vel deinceps Domino adjuvante donanda erunt, hac præsenti tertia decima indictione apostolica auctoritate confirmamus, munimus, et in perpetuum sub jure et ditione atque potestate beati Petri apostoli et nostra confirmatum stabilimus, ita scilicet ut nulli homini quamlibet dignitatem fulcito licitum sit aut etiam de ipsis donatoribus quamcunque vim aut aliquam oppressionem ibidem inferre aut res donatas vel amodo devote donandas quoquo modo auferre : potius autem firmum et ab omnibus immutilatum custodiatur ad jus et protectione beati Petri apostolorum principis. Si autem, quod humanum est, abbas prædicti cœnobii obierit, congregatio ipsius monasterii ex seipsis secundum Deum et regulam beati Benedicti, quem idoneum prævideriut, concordi voto habeat semper eligendi et secundum morem in abbatem sibi præficiendi. De decimis autem quæsti estis, eo quod de propriis vestris a vobis persolvi quærantur. Quod si ita se res habet, hoc ne fiat interdicimus, maxime cum scriptum sit ne sacerdotes decimas dare cogantur. Quisquis autem, quod non optamus, tam ex ipsis donatoribus quam ex aliis temerario ausu de donatis rebus vel donandis aliquid auferre præsumpserit, sive quamlibet (calumniam) eidem monasterio ipsiusve monachis ingerere tentaverit, et contra hoc nostrum apostolicum privilegium agere non formidaverit, sciat se anathematis vinculis innodandum, et nisi resipuerit a regno Dei alienandum. Qui autem verus custos et observator hujus pii nostri statuti exstiterit, benedictionem et gratiam a Domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Sergii scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Novembrio, indictione suprascripta, per manum Stephani cancellarii sanctæ sedis apostolicæ, imperante Domino piissimo Augusto Arnulfo a Deo coronato. Bene valete.

IN SEQUENTEM EPISTOLAM ADMONITIO.

Sequens Formosi papæ epistola argumentum præbuit disceptationi inter eruditos, cujus definitio certa nunc etiam exspectatur. Cum vero cl. Wilkins suam ea de re exhibere conjecturam in novissima conciliorum magna Britanniæ et Scotiæ collectione voluerit, quam huc transferre, et res ipsa poscebat, et lectoribus non ingratum fore putavi ; ideo ut controversiæ argumentum melius tenentur veluti sub aspectu, tum epistolam ipsam, cum et doctissimi illius Angli dissertationem exhibendam duxi.

VIII.

AD EPISCOPOS ANGLIÆ [a].

Fratribus et filiis in Christo omnibus episcopis Angliæ, FORMOSUS.

[a] Scripta videtur fuisse hæc epistola post celebratam Anglicanam synodum, de cujus tempore non plane constat. De hac synodo Willelmus Malmesburiensis : « Sed ut ad nostrum, inquit, Edwardum revertar, quid ejus tempore de renovandis episcopatibus a papa Formoso præceptum sit, jucundum puto memoratu ; itaque verbis eisdem quibus inveni scriptum interseram.

« Anno quo a nativitate Domini transacti sunt anni nongenti quatuor, misit papa Formosus in Angliam epistolas, quibus dabat excommunicationem et maledictionem regi Edwardo, et omnibus subjectis ejus, pro benedictione quam dederat beatus Gregorius genti Anglorum a sede sancti Petri. Nam per septem annos plenos destituta fuerat episcopis omnis regio Gevissorum, id est Westsaxonum. Quo audito, congregavit rex Edwardus synodum senatorum gentis Anglorum, cui præsidebat Pleigmundus archiepiscopus Cantuariensis interpretans districte verba apostolicæ legationis. Tunc rex et episcopi elegere sibi suisque salubre consilium, et juxta vocem Dominicam : *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (*Matth.* IX), elegerunt et constituerunt singulos episcopos singulis provinciis Gevissorum ; et quod olim duo habuerunt, in quinque diviserunt. Acto concilio archiepiscopus Romam cum honorificis muneribus adiit, papam cum magna humilitate placavit, decretum regis recitavit, quod apostolico maxime placuit. Rediens in patriam, in urbe Cantuariæ uno die septem episcopos septem Ecclesiis

Audito nefandos ritus paganorum [*ms.*, auditis nefandorum ritibus paganorum] partibus in vestris repullulasse, et vos tenuisse silentium, ut canes non valentes latrare, gladio separationis a corpore Dei Ecclesia [*ms.*, Ecclesiæ] vos ferire deliberavimus. Sed quia, ut nobis dilectus frater noster Plemundus [*ms.*, Plegemundus *hic et infra*] intimavit, tandem evigilastis, et semina verbi Dei olim venerabiliter jacta in terra Anglorum cœpistis renovare, mucronem devorationis [*ms.*, devotationis] retrahentes, Dei omnipotentis et beati Petri apostolorum principis benedictionem vobis mittimus, orantes ut in bene cœptis perseverantiam habeatis. Vos enim estis fratres, de quibus loquens Dominus inter alia inquit : *Vos estis sal terræ; et si sal evanuerit, in quo salietur?* (*Matth.* v.) Et iterum : *Vos estis lux mundi* (*ibid.*) : significare volens per verbi sapientiam condiri mentes hominum a vobis debere; et in moribus, et in vita vestra bonæ actionis studium, quasi lumen a; parere fidei, per quod gradientes ad vitam, quomodo caute ambulent, videant, ut ad promissionem æternæ beatitudinis sine offensa currentes valeant pervenire.

Nunc accingimini ergo, et vigilate contra leonem qui circuit [*ms.*, circumit], quærens quem devoret; et non patiamini ulterius in regione vestra penuria pastorum Christianam fidem [*ms.*, religionem] violari, gregem Dei vagari, dispergi, dissipari. Sed cum unus obierit, alter qui idoneus fuerit canonice protinus subrogetur. Nam secundum legem plures facti sunt sacerdotes, eo quod morte prohiberentur [*ms.*, prohibebantur] permanere. Quod David considerans [*ms. add.*, et in spiritu Christi Ecclesiam futuram fore permansuram ad finem usque sæculi prospiciens] ait : *Pro patribus tuis nascentur* [ms., *nati sunt*] *tibi filii, constitues eos principes super omnem terram* [*in omnem terram* desunt in ms.] (*Psal.* XLIV). Nulla itaque mora sit subrogandi alium, cum quilibet sacerdotum ex hac vita migraverit; sed mox ut illi, qui primæ sedis principatum gerens, inter vos cæteris episcopis præesse dignoscitur, fratris obitus fuerit denuntiatus, facta electione canonica alter consecratus succedat. Quis autem inter vos principatum tenere debeat, quæve sedes episcopalis cæteris præpolleat habeatque primatum, abolitanis [*ms.*, ab olitanis] temporibus notissimum est. Nam, ut ex scriptis beati Gregorii, ejusque successorum tenemus, in Doroberniæ [*ms.*, Dorobernia] civitate metropolim sedemque primam episcopalem constat esse regni Anglorum, cui venerabilis frater noster Pleimundus nunc præesse dignoscitur; cujus honorem dignitatis nos ullo pacto imminui permittimus, sed ei vices apostolicas per omnia gerere mandamus.

Et sicut beatus Gregorius papa primo vestræ gentis episcopo Augustino omnes Anglorum episcopos ordinavit : Fridestanum [*al.*, Frethelsthanum] ad Wintoniensem, Adelstanum ad Cornurbensem, Werstanum ad Schirebornensem, Athelelmum ad Wellensem, Eidolfum ad Cridiensem in Devonia. Sed et aliis provinciis constituit duos episcopos. Australibus Saxonibus virum idoneum Bernegum, et Mer. iis Cenulphum, ad civitatem Dorcestriæ in pago Oxoniæ; hoc etiam totum papa firmavit, ut damnaretur in perpetuum, qui hoc infirmaret decretum. Misit etiam in Britanniam litteras, quarum exemplar sequitur. »

A esse subjectos constituit, sic nos prænominato fratri Doroberniæ, sive Canterberiæ [*ms.*, Cantuburiæ] archiepiscopo ejusque successoribus legitimis eamdem dignitatem confirmamus; mandantes, et auctoritate Dei, et beati Petri apostolorum principis præcipientes, ut ejus canonicis dispositionibus omnes obediant, et nullus eorum quæ ei suisque successoribus apostolica auctoritate concessa sunt, violator existat. Si autem quivis hominum contra hæc aliquando niti ac imminuere tentaverit sciat, se procul dubio multandum fore gravi anathemate, et a corpore sanctæ Ecclesiæ, quam inquietare molitur, perpetuo nisi resipuerit separandum. »

NOTA DAVIDIS WILKINS.

B « Error hic inextricabilis. Deprehendit Baronius, et medetur, uti opinatus est; sed interea non minorem ingerit. *Anno*, inquit Malmesburgius, *quo a nativitate Domini transacti sunt nongenti quatuor, misit papa Formosus in Angliam epistolas, quibus dabat excommunicationem et interdictionem regi Edwardo*, etc. Ad hoc Baronius : *Ita Willielmus*, inquit, *Malmesburiensis; sed puto vitio scriptoris, quod factum est hoc anno octingentesimo nonagesimo quarto, scriptum legi anno nongentesimo quarto, ad quod tempus certum est, non potuisse pervenire Formosum, sed longo ante esse defunctum.* Recte quoad Formosum papam; sed non minus jam erratrice quoad Edwardum regem. Uti enim Formosus mortuus est per novennium ante annum Domini 904, sic Edwardus non est salutatus rex in anno 904, nec per sexennium postea, si de nostris nostri non cæcutiant. Verum igitur si fuerit quod Formosus hoc promulgaverit interdictum, fieri necesse est in tempore Aluredi Magni, qui licet regis fruebatur titulo, ditione tamen pulsus
C est a Danis, nec hanc satis integre readeptus, cum Formosus pene pontificatum iniit. Errasse igitur videatur Malmesburius, aut scriptor aliquis, vel in regem interdictioni subjiciendo, vel Edwardum forte pro Aluredo. Sed nec hoc errorem tollit : nam septem illi quos in una die factos dicit episcopos, non electi sunt ante ann. Dom. 904, nec consecrati postmodum, donec Plegmundus archiepiscopus iter Romam expediverat, et epistolam (quam a papa ad episcopos hic dedimus) una cum absolutione detuli-set, anno scilicet 905 vel hunc circiter. Inscribitur etiam epistola illa solis episcopis Angliæ, et de rege illic ne verbum quidem; adeo ut in dubio sit an rex sub interdicto ponebatur. Certe si cum Malmesburio hujus interdicti et epistolæ auctorem susceperimus Formosum papam, in historiis nostris ingens error est, et ne ab Œdipo extricabilis; sed si Formosum subrepisse censeam pro Leone papa V, non ego video quin sana fiant omnia. » Hæc Spelmannus.

D Quibus Spelmanni notis strictiuras addidit Gabr. Cossartius in edit. Concil. vol. IX, pag. 431 : « Synodum Anglicanam attribuit Malmesburiensis non anno 904, ut ait Baronius; sed 905 : *anno*, inquit, *quo a Natiritate transacti sunt anni* 904. Quem annum quis neget esse nongentesimum quintum? Et consentiunt, ut vides, acta Cantuariensis Ecclesiæ. Sed nodus hic se offert vindice dignus, quem post Baronium animadvertit collector Anglicanus. Qui enim concilium hoc haberi anno nongentesimo quinto potuerit sub Formoso papa, qui annis ante decem obierat? Quo pacto pontificias litteras ad Edwardum senio-

rem oederit Formosus, qui pontifex Edwardo regnante non fuit; nam Formosus anno 896 obiit, Edwardus anno 901 regnare cœpit?

« Huic reparandæ labi conjecturam Spelmannus affert parum felicem. *Si Formosum*, inquit, *irrepsisse censeam pro Leone papa V, non video quin sana sint omnia.* Atqui non minus certe desperata erunt. Primum enim Leo V anno tantum 906 pontifex creatus est, et sunt qui ad 907 rejiciant. Itaque si quis esset Spelmanni divinationi locus, error esset non in Formosi tantum nomine, sed in anni ipsius nota [a]. Deinde diebus tantum quadraginta pontificatum Leo V tenuit. Nemini autem persuadebit Spelmannus, tantillo spatio temporis dedisse ipsum ad Anglos litteras, iis perlectis coactum in Anglia concilium fuisse, legatum a concilio Plegmundum Romam appulisse, placasse pontificem, litteras ab eo retulisse.

« Itaque si expungendum est Formosi nomen, longe profecto commodius substituetur ejus in locum Joannes IX, qui anno nongentesimo quinto, regnante in Anglia Edwardo, Ecclesiæ præfuit. Certe Polydorus Virgilius libro Historiæ suæ VI eo pontifice id totum contigisse narrat, sive Malmesburiensis errorem emendavit ipse per sese, sive aliis ex actis rem didicit. Quanquam Joannes X pro IX perperam in Polydori libro scriptus est; ut et in Historia Anglicana Andreæ Duchesnii, qui Polydorum, nimia fortasse fide, secutus est. Hanc enim ab eo perspectam et discussam esse difficultatem vix persuadere mihi possum, cum in sua Romanorum pontificum Historia, secundæ etiam editionis, narret anno 904 Formosi papæ et Edwardi regis tempore hæc omnia gesta esse.

« Baronii conjectura errorem omnem librario tribuit, qui annum nongentesimum quintum scripserit pro octingentesimo nonagesimo quinto. Sed animadvertere par erat pontificem quidem eo anno Formosum fuisse, Edwardum autem minime in Anglia regnasse.

« Quod si ad Baronianam hanc emendationem addatur altera, et pro Edwardo rege scribatur *Alfredus* ejus pater, qui et Alvredus et Ælfredus nuncupatur, difficultas nulla supererit, nisi quod septem illi episcopi, quorum hic mentio, creati non fuerint, nisi anno 905. At leve istud; cum id qui scripserunt Malmesburiensem sint secuti; ac proinde eodem, quo Malmesburiensis, modo emendandi.

« Erunt forte quibus hæc conjectura non displiceat; erunt qui alteram præferant, quæ Joannis nomen substituit. Nos rem in medio relinquimus. » Hæc Cossartius.

Ad bellum tot strenuis historiarum propugnatoribus, qui in palæstra chronologica paparum Romanorum egregie satis decertaverunt, indicendum apertoque cum iis marte congrediendum, ingenium viresque mihi haud suppetere libere fateor. Quia autem nullus athletarum illorum palmam sibi vindicare ausus est, pace tot illustrium in republica litteraria nominum, si non manus conserere, opinionem tamen meam porrecta fronte explicare liceat.

Si Platinæ, si Onuphrio Panvino, si Laertio Cherubino, si aliis celebribus viris horum sequacibus fides, Formosus papa anno 891 VI Kal. Junii creatus, obiit anno 895 XIX Kal. Januar., regnante in Anglia Ælfredo : et Sergius III anno 903 VIII Kal. Januar., regnante Edwardo seniore, sublato schismate papali inter Leonem V et Christophorum I et ipsum hunc Sergium (tres ejusdem anni papas) ad cathedram Romanam evectus est; qui antipapa fuit Formosi III et Joannis IX, ac contra illum in schismate sedit an. 891, et contra hunc an. 897 : ast ab utrisque fautoribus coactus abdicavit, et in exsilium actus est.

Cum igitur facies Ecclesiæ Romanæ, ineunte sæculo X tot antipapis defœdata, tot discordiis quasi distracta fuerit quid mirum si Malmesburio falsum vel mentitum papæ nomen ex tam dissitis regionibus annuntiatum fuerit, aut ex relatione aliorum, quibus Sergius exosus, innotuerit? Quid mirum si monachi Cantuarienses ex ore Malmesburii nomen Formosi pro Sergii hauserint? Quid mirum si hac opinione decepti scribæ Romani initialem epistolæ vocem, papæ nomen exprimentem perperam legerint, lectamque, reclamantibus licet omnibus paparum chronologiis hodiernis, in commentarios suos retulerint? Quapropter ante omnia nomen Formosi ex Malmesburio, primo erroris hujus auctore (quo oscitante, multi alii oscitare cœperunt), expungendum, ejusque loco Sergii III substituendum censeo; quia hoc pacto historia chronologiaque, et papæ et regis Edwardi et Plegmundi archiepiscopi Cantuariensis et septem episcoporum recto constabit calculo. Omnes alii, magni licet nominis auctores, qui Leoni V vel Joanni IX vel X, vel regi Ælfredo, vel anno 893 epistolam hanc assignant, a scopo valde aberrarunt, chronologiæque ac historiæ hodie et olim receptæ prorsus contradicunt. Si ergo cum Baronio error librario tribuendus est, non in anno, sed in nomine papæ determinando consistat necesse est.

OBSERVATIO P. ANTONII PAGII

ad an. Christi 894, *num.* 9 *et seq.*

Vartonus part. I Angliæ sacræ, pag. 554 et seq., in episcopis Barthoniensibus et Vellensibus agit de hac synodo (Anglicana), aitque se incidisse in excerpta quædam historiæ a monacho quopiam Abendoniensi ante exitum sæculi X, conscriptæ, in quibus habetur : « Anno 904, cum per annos plene septem tota Westsaxonia vacasset episcopis, Australium etiam Saxonum provinciæ, et Australium Merciorum, rex cum archiepiscopo Plegmundo singulis provinciis Gevissorum singulos episcopos ordinari constituit, in quinque scilicet parochias sedem distribuens, quod antea duo possederant. Ordinati sunt ergo septem una die. Erithestanus ad Wintoniensem, Æthelstanus ad Cornubiensem primus, Wersthanus ad Schireburnensem, Æthebelmus ad Fontanensem primus, Eadulfus ad Cridiatunensem primus, Suthsaxonibus quoque Beornocus, et Suthmercils Cenulfus apud Dorcacestram nostram. » Nullum hujus synodi antiquius documentum superest, cum Malmesburiensis ad medium circiter sæculum XII pervenerit, et hæc exeunte sæculo X a monacho illo litteris mandata fuerint.

Verum magna controversia est de epocha hujus concilii. Opinio quidem Baronii anno 894 synodum illam consignantis ab omnibus rejicitur; sed alii eam cum anno 904, alii, ut Alfordus in Annal. Britan. et Cossartius, cum anno 905, Wartonus, adhærens Radulpho de Diceto, cum anno 909, connectunt. Apud me tamen pene certum, concilium anno 904 congregatum, annoque 905 episcopos illos septem juxta decretum ejusdem concilii a Plegmundo Cantuariæ consecratos fuisse. Hæc diversis annis contigisse Alfordus recte vidit; sed ordinationem illam male in annum 906 distulit. « At, inquit Cossartius, Malmesburiensis annum diserte indicavit, cum scripsit : *Anno quo a Nativitate transacti sunt anni* 904, quem annum quis neget esse 905. » Verum jam alibi tanquam certam chronologiæ regulam statui, historicos annum currentem, vel tantum incœptum, sæpe appellare annum transactum, et apud eosdem idem sæpius esse *post annum quartum*, ac *anno quarto*, et sic de aliis. Innititur etiam vir doctissimus narratione quadam hujus synodi ex tabulario Cantuariensis Ecclesiæ desumpta, quæ his verbis inchoatur : *Anno Dom. Incarnat.* 905, *Formosus papa misit in terram Anglorum ad regem Eduardum*, etc. At Anonymus ille respicit ad ordi-

[a] At sanior supputatio Pagii et aliorum, Leonis V exordium cum anno 903 componit. Mansi.

nationem septem episcoporum, quam refert postea factam esse, postquam *acto illo concilio* Plegmundus Roma rediit, et *rediens*, ait, *ad patriam in urbe Dorobernia septem episcopos septem Ecclesiis in uno die ordinavit*. Certe Malmesburiensis, quem sequitur, satis indicat ordinationem illam ann. 905 contigisse, ut legenti patet.

Wartonus, tam loco citato quam pag. 209 et seq., ait se arbitrari, non solum Formosi epistolam, sed et integram de consecratione septem episcoporum a Plegmundo facta, et de septennali vocatione episcopatuum, quam Malmesburiensis et Florilegus narrant, historiam commentitiam esse. Verum non tantum Malmesburiensis et Wigorniensis, sed etiam Ingulphus, Gervasius Dorobernensis, Westmonasteriensis, et potiores Angliæ historici eam referunt; neque mirum si in aliqua circumstantia peccarint, cum hoc eis non solum hoc in capite et diversis aliis, sed etiam oculatissimis historicis non raro acciderit. Primum suppositionis argumentum vir pereruditus deducit ab Assero Schirebornensi episcopo, quem dicit ab Ælfredo rege episcopum Schireburnensem renuntiatum, anno 903 adhuc sedisse, et vitam produxisse usque ad an. 969. Sed ex iis quæ anno 884 in medium attulimus ac ex mox dicendis constat Asserum illum, qui ab Ælfredo rege episcopus Schireburnensis constitutus est, obiisse anno 883 et plane diversum fuisse ab Assero Vitæ hujus regis scriptore, quem Eduardus rex episcopum Schireburnensem dixit post Werstani, qui anno tantum 904 episcopatum illum adeptus est, mortem, ideoque tam Werstanum quam Asserum II brevi tempore Ecclesiam illam rexisse. Confirmantur hæc ex Westmonasteriensi ad ann. 899, ubi loquens de Ethelwaldo Asseri I et Sighelmi successore ait: *Eodem anno defuncto Ethelwaldo Schireburnensi episcopo, remansit provincia Occidentalium Saxonum sine episcopis et cura pastorali, vi hostilitatis, septem annis*, Danis tam mari quam terra provinciam illam affligentibus. Magno ergo errore duo Asseri episcopi Schireburnenses in unum conflati a Wartono, aliisque.

Ait secundo Wartonus Deneulphum episcopum Vintoniensem creatum juxta aliquos rerum Britannicarum historicos an. 879, et vita functum an. 909; indeque infert ante an. 904 vel 905 sedem Vintoniensem per annos septem non vacasse, ideoque concilium Anglicanum, de quo agitur, vel commentitium, vel alio anno congregatum esse. Respondeo negari non posse quin Deneulphi episcopi Vintoniensis obitus in utraque chronologia Saxonica cum ann. 909 connectatur, sed inde tantum consequens, utriusque auctorem in eo consignando errasse, sicuti et quando Frithestani ejus successoris ordinationem in an. 910 conferunt. Errarunt itaque uterque chronologus tam in anno emortuali Deneulphi, quam in anno consecrationis S. Frithestani; cum scriptores utroque illo chronologo longe vetustiores, et multo plures ac potiores fidem faciant, Frithestanum, electum fuisse episcopum Vintoniensem cum sex aliis episcopis ad alias Ecclesias promotis; postquam per septennium Ecclesia Vintoniensis aliæque vacassent.

Ait tertio Wartonus sedem Vintoniensem plenam fuisse anno 900 et seqq., et Deneulphum rebus gerendis toto illo septennio interfuisse, quod probat chartis eo tempore datis pro novo monasterio Vintoniensi, et in registro Hidensi, ut vocant, recitatis. Illas non exhibet Wartonus, sed exstant apud Alfordum, qui ann. 901, n. 1 et seqq., refert donationem Eduardi regis factam novo monasterio Vintoniæ, cui inter alios episcopos subscribunt Asser episcopus et Deneulf episcopus. Sed recte respondet Alfordus, cum omnis Westsaxonia episcopo caruerit, e subscribentium hoc anno episcoporum serie oblitterandos esse Asserum et Deneulphum. Neque dubitari potest, quin subscriptiones illæ additiliæ sint, et forsan tota charta commentitia; cum Asserus primus Scirnbournæ episcopus, imo et Sigelmus successor ejus eo anno jam mortui fuerint, et Asserus II successerit Werstano anno tantum 904 episcopo Schireburnensi dicto. Laudat etiam Wartonus donationem regis Eduardi eidem monasterio factam anno 904, cui inter alios subscribunt Deneulf episcopus et Asser episcopus. Eam integram refert Alfordus eo anno num. 6 et seq. ac scite respondet, imperite admodum fingi Deneulphum Vintoniensem et Asserum Schireburnensem (hujus scilicet nominis primum, quem solum agnoscit) superstites esse, et anno 904 subscripsisse.

Sed non solum Schireburniam et Vintoniam ante an. 904 pastoribus viduatas fuisse constat; verum etiam Dorcestriam, cui eo anno Cenulphus episcopus præfectus est; in utraque enim chronologia Saxonica anno 897 dicitur Ealhardum episcopum Dorcestrensem obiisse; quare Cenulphus seu Kenulphus nonnisi post septennalem vacationem ad Dorcestriæ præsulatum evectus fuit. Restat quarta sedes, quæ ante concilium istud per annos septem vacavit; aliæ enim tres ex Vintoniensi et ex Schireburnensi evulsæ. Ea est Seolsiensis, vulgo *Selsey*, qui locus peninsula tunc erat, nunc marinis fluctibus hausta, sedesque sub an. 1070 Cicestriam translata. Australium Saxonum, apud quos Selseya posita, Bernegus seu Beornocus anno 904 episcopus designatus; sed cum Seolseiensium, seu, ut nunc loquimur, Cicestrensium episcoporum per hæc tempora successio in obscuro sit, ex tempore, quo aliæ tres sedes sine episcopis fuere, facile est intelligere Seolseiensem ante annum 904 sine episcopo etiam fuisse, ideoque et concilium hoc Anglicanum ab eo Christi anno removeri non posse. Animadvertens Wartonus traditionem septennalis vacationis episcopatuum præfatorum ab historicis Anglicis constanter affirmari, concludit se ei fidem tamen abrogare nolle, sed septem illorum episcoporum ordinationem uno die a Plegmundo factam ad an. 909, uti jam monui, rejecit. At hoc pacto ipsemet evertit quod jam astruxerat, cum antea asseruerit Deneulphum Vintoniensem, et Asserum Schireburnensem (primum scilicet hujus nominis, quem solum, uti Alfordus, aliique, agnoscit) usque ad ann. 909 superstites fuisse, quo casu sedes Vintoniensis et Schireburnensis ante annum 909 per septennium non vacassent. Certum itaque manere debet Plegmundum in concilio anno 904 celebrato septem uno die episcopos constituisse, postquam septem ante annos in regno Westsaxonum nulli episcopi fuissent.

Neque aliquem movere debet, quod ait Wartonus, annum nempe 905 novorum episcopatuum fundationi et parochiarum distributioni minus fuisse accommodum, quod Dani Northumbriam et Eastangliam tunc insederint; Mercii ad Eduardi regis nutum adhuc non spectarint; utrosque Eduardus frequentibus præliis illo ipso anno debellarit; sequentique pace facta in ditionem acceperit. Eduardus enim, qui omnes illas ditiones sibi subjicere decreverat, episcopos in antecessum instituere voluit, eo fere modo quo Gelasius II, anno 1118, Cæsaraugustæ adhuc in Saracenorum potestate existenti episcopum dedit, cujus rei alia non desunt exempla. Hujus concilii epocha tot controversiis implicata, nunc tandem indubitata esse debet, solutis quæcunque adversus eam adduci possunt rationibus.

Cossartius uno tenore refert synodum laudatam et epistolam Formosi papæ ad episcopos Angliæ, quæ est de Ecclesia Anglicana bene ordinanda, quasi hæc illius concilii pars fuerit. Ea revera a Formoso papa data, ideoque ab anno 894 non removenda, cum annus quo scripta fuerit ignoretur. In illa Formosus ait: *Audito, nefandos ritus paganorum partibus in vestris repullulasse, et vos tenuisse silentium*, etc. Quare hæc epistola data a Formoso papa post an. 891, quo hic pontifex Romanus ordinatus

est, et postquam Fulco archiepiscopus Rhemensis duas mox memoratas litteras, quarum meminit Flodoardus ad Alfredum regem, et ad Plegmundum archiepiscopum Cantuariensem scripsisset; cum in iis verba faciat *de perversissima secta paganicis erroribus exorta*, memoretque *incestuosa luxuriæ fomenta*, uti ab Alfordo citato observatum, qui addit Eadmerum monachum Cantuariensem auctorem accuratum et Malmesburiensi antiquiorem Formosi nomen his litteris præfixisse in lib. v Novorum. Hinc non male scripsit Parkerus, vir e secta Protestantium, in Antiq. Britan. dum de Plegmundo loquitur: *Tempus effeminatum hoc fuisse Varnerus in Fasciculo temporum pronuntiat: Fides*, inquit, *tum valde deficere cœpit, et clerici maleficiis erant dediti, consurgentibus sectis.* Sacerdotes enim alii, ui feminarum commercio usi et abusi sunt; quos ab episcopis moniti obstinate defendere perrexerunt. Porro hæc ad Anglicanos episcopos epistola, non in libris Regum a Malmesburiensi recitata, uti laudata synodus, sed lib. I de Gestis Pontif., pag. 211, dum de primatu archiepiscopi Cantuariensis disserit, ideoque Formosi papæ tempore dari potuit, sed inter eam et synodum Anglicanam nulla est connexio; post mortem enim Formosi, bellis in Anglia omnia turbantibus, regnum Westsaxonum per annos septem sine episcopo fuit, et post illud septennium concilium Anglicanum coactum.

ANNO DOMINI DCCCXCVII.

STEPHANUS VI

PONTIFEX ROMANUS.

NOTITIA HISTORICA IN STEPHANUM VI.

(Apud Mansi, Conciliorum ampl. Collectio.)

Stephanus sextus successit Formoso. Bonifacius enim qui invadens sedem apostolicam tenuit eam diebus quindecim, non est numerandus inter pontifices; utpote qui velut homo nefarius jam antea bis gradu depositus, primum a diaconatu ac deinde a presbyteratu, in Romana synodo sub Joanne papa IX, damnatus fuit. Et quanquam uterque per vim, metum et tyrannidem sedem adepti fuerint, adeoque intrusus pariter intrusum expulerit, tamen Stephanus in numero et serie pontificum communi sententia numeratur, quia ad periculum schismatis avertendum, illum, quanquam homo scelestissimus esset, universus clerus approbavit, totaque Ecclesia catholica pro Christi vicario et successore Petri agnovit. Nam cum Fulco Rhemensis archiepiscopus eum Formoso subrogatum intellexisset, obsequiis et officiis, quæ recens creatis pontificibus exhiberi solent, scriptisque ad eum litteris, teste Flodoardo, eum veneratus est: non ignorans se etiam in successoribus indignis Petrum ac Christum venerari, si iisdem debitum cultum et obedientiam deferret: contra vero in iisdem eosdem spernere, si quam debebat reverentiam non exhiberet.

Pontificatum auspicatus est a sacrilegio illo, quo corpus Formosi exhumatum, sacerdotalibus indumentis indutum, tribusque digitis mutilatum, in Tiberim projecit, omnesque ab eodem ordinatos iterato consecrari et ordinari præcepit. Miror qua ratione Onuphrius, in annot. ac Platinam, hanc rei gestæ historiam tanquam fabulosam plane rejiciat; cum præter antiqua monumenta et synodalia acta, de quibus infra sub Joanne IX, Luitprandus libro primo, capite octavo, eamdem his verbis manifestissime describat et detestetur: Formoso defuncto, inquit, atque Arnulpho in propria reverso, is qui post mortem Formosi papa constitutus est (Bonifacius nimirum de quo supra) expellitur, Sergiusque papa (memoria lapsus Luitprandus in nomine erat) per Adelbertum constituitur. Quo constituto, ut impius doctrinarumque sanctarum inscius, Formosum e sepulcro extrahi, atque in sede pontificatus sacerdotalibus vestimentis indutum collocari præcepit, cui et ait: Cum Portuensis esses episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem sedem usurpasti? His expletis, sacratis exutum vestimentis, digitisque tribus abscisis, in Tiberim jactari præcepit cunctosque quos ipse ordinaverat gradu proprio depositos iterum ordinavit. Quod quam male egerit, Pater sanctissime, animadvertere poteris; quoniam et hi, qui a Juda Domini nostri Jesu Christi proditore, ante proditionem, salutem seu benedictionem apostolicam perceperunt, ea post proditionem, propriique corporis suspensionem minime sunt privati, nisi quos improba forte defœdarant flagitia. Benedictio siquidem, quæ ministris Christi impenditur, non per eum, qui videtur, sacerdotem infunditur: neque enim qui rigat est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat, Deus. Quantæ autem auctoritatis, quantæque religionis papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus, quoniam dum a piscatoribus postmodum esset inventus, atque ad beati apostolorum principis ecclesiam deportatus, sanctorum quædam imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Hoc namque a religiosissimis Romanæ urbis viris persæpe audivi.

Addidit culpam culpæ Stephanus papa, quando collecta synodo nefarium, impium et detestandum facinus approbavit. Ipsi enim lapides tale portentum exsecrati, sua tunc voce mutua collisione clamarunt, spontaneam libentius pati ruinam, quam ut Romana ecclesia tanto scandalo depressa maneret. Accidit tunc ut sacrosancta basilica Lateranensis, primaria pontificis sedes, impulsore angelo malo ab altari usque ad portas prostrata corrueret, quia nequaquam stare poterant parietes, dum prima cardinis petra tanti facinoris terræmotu concussa fuisset. Sacrilegi pontificis facinus, quo a defuncto pœnam inique exegit, quove legitime collatos ordines contra Christi institutionem et Dei mandatum repetivit, novatores hæretici nostri temporis vobiscum recte quidem redarguunt et detestantur; verum contra promissiones Christi Petro et Ecclesiæ factas, propter illud factum impium male insurgunt, et præmature nimis de victoria gloriantes triumphum agunt. Omnia enim quæ Stephanus contra Formosum dixit vel egit, homo furore percitus egit, implens id quod exæstuans rabies suasit. Pontificia vero auctoritate legitime usurpata nihil contra fidem vel bonos mores definivit. Nam qui hac de causa ad synodum convocati sunt episcopi et presbyteri Stephano non dissimiles, simili

odio Formosum prosequebantur, adeoque in eamdem sententiam pronuntiarunt, quam homini furore percito gratam fore præsciebant. Unde hac in re violentam quidem tyrannidem in facto agnoscimus : errorem autem in fide per Stephanum pontificiam auctoritatem legitime usurpantem definitum vel approbatum fuisse constanter pernegamus ; quanquam nihil sedi apostolicæ præjudicaretur, si daremus invasorem non legitime electum, sed intrusum pseudopontificem in articulis fidei asserendis aberrasse. Hujus temporibus, post Arnulphum regem Germaniæ pediculari morbo exstinctum, Widonem imperatorem obiisse testatur Luitprandus lib. 1, cap. 9. Stephanus sedis apostolicæ invasor, ab optimatum factione adversus Adelbertum Etruriæ principem prævalente, detrusus est in carcerem anno Christi 900, et postquam sedem apostolicam sex annis tenuisset, in eodem carcere strangulatus, Deo vindice, exitu infami vitam clausit. *Hæc ex antiquis monumentis et diplomatibus de Stephano Baronius, tom. X Annalium.*

STEPHANI PAPÆ VI
EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

(Ex Conciliis Mansi et Acherii Spicilegio.)

EPISTOLA PRIMA.

AD ARNUSTUM ARCHIEPISCOPUM NARBONENSEM.

Privilegium archiepiscopatus Narbonensis.

Stephanus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Arnusto archiepiscopo primæ sedis sanctæ Narbonensis Ecclesiæ, et per te in eadem venerabili Ecclesia in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur reverentia vestræ fraternitatis postulavit a nobis quatenus hujus apostolicæ nostræ auctoritatis privilegio confirmare deberemus omnes res immobiles ejusdem sanctæ primæ sedis Ecclesiæ Narbonensis, constructæ in honore sanctorum Justi et Pastoris, ubi beatus Paulus confessor Christi corpore requiescit, hoc est, omnes domos, cellas, ecclesias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, silvas, atque medietatem salinarum, et telonei, seu Raficani [Rafiam], ac naufragii, monasterio sancti Laurentii, et cellis, cum omnibus adjacentiis earum ac pertinentiis, una cum famulis utriusque sexus, et alia quæ a piis imperatoribus et regibus, et ab aliis Deum timentibus in eadem sancta Ecclesia Narbonensi collata sunt, et consistunt, tam in ipso comitatu Narbonense quam et Reddense, seu Minerbense atque Ausonense, necnon et Biterrense, sive etiam Nemausense. Unde salubribus petitionibus vestris inclinati, decrevimus, ut a præsenti die quarta decima indictione, per hujus nostræ apostolicæ confirmationis privilegium roboramus, stabilimus, et in perpetuum nostra apostolica auctoritate confirmamus, in usu et solatio ejusdem sanctæ primæ Ecclesiæ Narbonensis, cui præesse dignosceris, id est, omnes domos, cellas, ecclesias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, silvas, atque medietatem salinarum, et telonei, seu raficani, atque naufragii, monasterio sancti Laurentii, et cellis, vel cum omnibus adjacentiis et pertinentiis earum, una cum familiis utriusque sexus, et alia omnia quæ a piis imperatoribus et regibus, vel ab aliis Deum timentibus, in eadem ecclesia collata sunt, vel collatura [conferenda] erunt, tam in ipso comitatu Narbonensi, quam in Reddense, seu et Minerbense, atque Ausonense, necnon et Bitterense, sive etiam Nemausense. Hæc vero omnia ita jure firmissimo a te tuisque successoribus possideri ac dominari volumus, sicut olim possessum est a sanctæ memoriæ decessore tuo Daniele episcopo, sed et reverendo Sigebodo, ejusdem primæ sedis Narbonensis præsule, sub tua tuorumque successorum ditione, potestate, ac utilitate omnimodis confirmantes. Statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione et anathematis interdicto, ut nulli unquam magno vel parvo homini liceat quamlibet forciam vel oppressionem in omnibus rebus ejus facere, aut potestatem aliquam habere, vel aliquem distringere, aut qualecunque teloneum ab eis exigere, sive ad placitum eos ubicunque pro quibuscunque causis proprio jure præferunt, nisi in providentia [præsentia] archiepiscopi causa illorum audiatur, et regulariter finiatur [firmetur]. Illud quoque nostra auctoritate juxta canonicam sanctionem nobis addere placuit, ut si quando divina vocatione vos vestrique successores ex hac luce migraveritis, quandiu in ipsa Ecclesia Narbonensi repertus fuerit qui dignus sit officio pontificatus ipsius fungi, nulli liceat ex alio loco inibi ingredi, nec jam dictam sibi prædictus [prædictus *mendose*] quacunque dignitate aut regia auctoritate usurpare sedem, sed conventum vicinorum coepiscoporum occurrere volentium [valentium] facto absque alicujus potestatis interdicto, benedictionis cleri vel plebis percipiat dignitatem. Si vero aliquem de suffraganeis coepiscopis contigerit mori, perquirens metropolitanus episcopus electionem plebis ipsius, eam visitare studeat, utpote viduatam Ecclesiam. Quod si forte ibi

talis non repertus fuerit, qui onus sacerdotale ferre A quæat, per canonicam auctoritatem et nostram apostolicam permissionem licentia sit illi absque ulla retractatione de sua Ecclesia talem inthronizare, qui suffraganeæ suæ Ecclesiæ dignus præesse valeat pastor. Si quis, quod non optamus, contra hoc nostrum apostolicum privilegium, pie a nobis statutum, temerario ausu agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculis innodatum, et a regno Dei alienus existat. Qui autem verus custos et observator exstiterit, benedictionem et gratiam a Domino consequatur.

Scriptum per manum Nicolai scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Augusto, indictione 14. Bene valete. Datum XIII Kalendas Septembris, per manum Stephani episcopi sanctæ Ecclesiæ Nepesinæ, B arcarii [in arcario] sanctæ Ecclesiæ sedis apostolicæ, imperante domino piissimo Augusto Arnulpho a Deo coronato magno imperatore anno primo.

EPISTOLA II.

AD ARIBERTUM NARBONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Queritur factam esse Judæis potestatem allodia possidendi.

STEPHANUS papa ARIBERTO archiepiscopo Narbonæ, et omnibus potentatibus Septimaniæ et Hispaniæ salutem.

Convenit nobis, qui clavem cœlestis horrei vicibus apostolicis suscepimus, etiam omni pestilentiæ C gregis divini fidei medicinam porrigere : quod si non possumus modios tritici, at saltem cestarium [sextarium] valeamus impendere. Quapropter sumus dolore tacti, usque ad mortem anxiati, cum cognovissemus per teipsum, quod plebs Judaica Deo semper rebellis, et postris derogans cæremoniis infra fines et territoria Christianorum allodia hæreditatum in villis et suburbanis, quasi incolæ Christianorum, possideant per quædam regum Francorum præcepta : quia ipsi inimici Domini quæ.... sunt, ei periculose mercati sunt : et quod vineas et agros illorum Christiani homines excolant : et infra civitates et extra, masculi et feminæ Christianorum cum eisdem prævaricatoribus habitantes, diu noctuque verbis blasphemiæ maculantur, et cuncta obsequia quæ dici D aut excogitari possunt, miseri miseræve prænotatis canibus indesinenter exhibeant : præsertim cum hujusmodi patribus Hebræorum promissa ab electo juris latore illorum Mose, et successore ejus Josue, his conclusa et terminata finibus, ab ipso Domino jurata et tradita istis incredulis, et patribus eorum sceleratis, pro ultione crucifixi Salvatoris merito sint ablata. Et revera præceptor Ecclesiæ gregibus orthodoxis significat inquiens : *Quæ societas luci et tenebris ? quæ conventio Christi ad Belial ? aut quis consensus templo Dei cum idolis ?* (*II Cor.* VI.) Et summi consiliarius verbi admonet, dicens : *Si quis dixerit ei Are* (*II Joan.* XI), etc. *Desunt cætera.*

EPISTOLA III,
sive
Privilegium pro monasterio Vizeliacensi.

STEPHANUS episcopus, servus servorum Dei, EUDONI venerabili abbati monasterii Vizeliacensis, omnique congregationis ejusdem monasterii in perpetuum.

Quoties illa tribui a nobis optantur, quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos debet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Atque ideo quia postulasti a nobis quatenus privilegium sedis apostolicæ monasterio Vizeliaco, cui præesse dignosceris, quod constat olim a Gerardo nobilissimo et Christianissimo viro, necnon et Berta uxore ejus, in honore Domini et B Salvatoris nostri Jesu Christi et veneratione beatissimæ semper Virginis Mariæ genitricis ejusdem Domini nostri Jesu Christi constructum ; in regno scilicet Burgundiæ, in pago Avalensi, quodque a præfatis fundatoribus beato Petro apostolorum principi pia devotione et testamenti pagina collatum est, facere deberemus : inclinati precibus tuis libenter decrevimus, per quod nimirum apostolicæ sedis privilegium confirmamus, atque statuimus, ut nulli regum, nulli antistitum, nulli comitum, nulli cuiquam alii liceat ipsum monasterium perturbare, vel ea quæ ibi a jam dictis fundatoribus, vel ab aliis fidelibus oblata sunt, vel in futurum offerri contigerit, sub cujuslibet causæ, occasionisve specie, minuere, vel auferre, sive suis usibus applicare, sed sine inC quietudine in sustentatione ejusdem monasterii, et usibus abbatum et monachorum sub regula sancti Patris Benedicti ibi Deo militantium volumus ea et præcipimus possideri : ea videlicet conditione, ut nullus successorum nostrorum pontificum in hac sancta sede, cui auctore Deo servimus, unquam vel usquam quiddam ex eisdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut sub censu quolibet concedere per futura tempora patiatur, sed censum tantummodo in testamento traditionis a fundatoribus qui ex eodem monasterio hanc sanctam hæredem Romanam fecerunt Ecclesiam, etiam delegatum, unam videlicet libram argenti annis singulis successores nostri accipientes, per paternitatis suffragium eidem monasterio sollicitudine pastorali vigilanter contra D omnes infestantes impendere studeant. Item constituimus, ut obeunte abbate prædicti monasterii, non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem consensus monachorum secundum timorem Dei, et institutionem Regulæ sancti Benedicti elegerit, et hujus apostolicæ sedis pontifex prævideriit ordinandum, aut suggestione monachorum consenserit ordinatum.

Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nullum de regibus, nullum de episcopis vel sacerdotibus, vel de quibuscunque fidelibus, per se, suppositamve personam, de ordinatione ejusdem abbatis, vel clericorum, aut presbyterorum, vel de largitione chrismatis, aut

consecratione basilicæ, vel de quibuscunque causis ad idem monasterium pertinentibus, audere in qualibet specie exenii loco quidquam accipere, neque eumdem abbatem pro ordinatione sua aliquid dare præsumere, ne hac occasione, ea quæ a fidelibus pio loco offeruntur, consumantur. Neque episcopus civitatis ipsius parochiæ nisi ab abbate ipsius monasterii invitatus, ibidem publicas missas agat, neque stationes in eodem cœnobio indicat, ne servorum Dei quies quoquomodo populari conventu perturbari valeat, neque paratas, aut mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium et religiosorum virorum atque beneficentiam, quam jubet Apostolus cunctis exhibendam pro possibilitate loci et facultatum, non modo ibidem fieri [non] denegamus, verum etiam suademus : seu et modus in numero congregationis adeo conservetur, ut nec pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium destitutionem loci inducere valeat. Privilegium quoque a prædecessore nostro piæ memoriæ papa Nicolao eidem monasterio collatum nostra auctoritate confirmamus, excepto duntaxat quod ipse sub nomine ancillarum Dei quæ ibidem pro crebris infestationibus sæculi nunc ordinabiliter manere nequeunt, illud delegavit : nos vero aptioris utilitatis gratia sub habitu monachorum esse congruenter decernimus. Si quis vero regum, episcoporum, sacerdotum, abbatum, judicum, comitum, aut sæcularium personarum, contra hanc nostræ institutionis paginam venire tentaverit, percussus apostolico anathemate, potestatis honorisve sui dignitate careat, reumque se coram divino judicio cognoscat, et nisi ea quæ a se male acta sunt defleverit, a sacratissimo corpore Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque æterno examini districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Scriptum per manus Samuel notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, mense Januario, indictione 15.

Datum x Kalendas Februarias per manum Samuelis notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, imperante Domino nostro Landeberto piissimo Augusto a Deo coronato, magno impe... indict. 15.

ANNO DOMINI DCCCXCVII.

ROMANUS PAPA.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Mansi, Conciliorum amplissima Collectio.)

Romanus patria Galesianus, patre Constantino natus, factus est pontifex anno Domini 900. Sedit menses quatuor et dies viginti. Acta Stephani contra Formosum habita plane improbavit, et Ludovicum IV filium Bosonis, post fugatum Berengarium, imperatorem coronavit. (Ex Luitprando.)

ROMANI PAPÆ EPISTOLÆ.

(Mansi ubi supra.)

EPISTOLA PRIMA.

AD RICULFUM EPISCOPUM HELENENSEM.

Romanus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo Riculfo episcopo sanctæ Rossilionensis Ecclesiæ et per te in eadem venerabili Ecclesia in perpetuum.

Quoties illa a nobis concedi postulantur quæ sanctarum Ecclesiarum utilitatibus congruunt, decet nos libenti concedere animo et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Et ideo, prædicte Riculfe sanctissime episcope, ad sanctorum apostolorum Petri ac Pauli sanctissima limina causa orationis veniens, nostro apostolatui suggessisti quatenus eamdem sanctam, cui præesse dignosceris, Rossilionensem Ecclesiam cum cellula sancti Felicis et villa quæ vocatur Torrente, seu et villa quæ vocatur Alamannis atque Spedulia, et pro congruentia Ecclesiæ tuæ, a Tetrafita super suam claustram, atque cellulam sancti Juliani, cum aquis, molendinis, necnon terris de monte qui vocatur Auriolum, cum omnibus generaliter ad eas pertinentibus, et quidquid Miro qui dicitur comes in eamdem tuam Ecclesiam concessit, necnon et villare quod vocatur

Nogaretum, et cætera omnia quæ a piis imperatoribus ac regibus vel ab aliis Deum timentibus viris in eadem Ecclesia collata sunt vel collatura erunt, tam in ipso comitatu quam in aliis locis, in ipsa prænominata sancta Rossilionensi Ecclesia confirmantes, apostolatus nostri privilegio muniremus. Unde nos, cui omnium Ecclesiarum Dei cura commissa est, salubri tuæ petitioni faventes, inclinati precibus tuis, quia ecclesiasticam rem per vigorem immutilatam servari cupimus, per hoc nostrum apostolicum privilegium suprascriptam sanctam quam Rossilionensem Ecclesiam cum cunctis rebus prædictis apostolica auctoritate nobis in beato Petro apostolorum principe concessa munimus, perpetuoque illæsam permanendam confirmamus, una cum Ecclesia sanctæ Mariæ a quadam femina nomine Anastasia, quæ et Mater vocabatur, constructa, tuæque Ecclesiæ subita consistente, ad annue persolvendum in præfata tua Ecclesia penset solidum unum : confirmamus etiam inibi juste et canonice medietatem telonei et traficæ seu mercati cum pascuario, et medietatem salinarum, omnesque ecclesias ad eamdem Ecclesiam in Rossilionense pertinentes et confluentibus a portu Jardonis usque ad mare, et a termino Narbonensi usque Basillunense, et quidquid, ut prædictum est, idem Miro memoratus comes inibi concessit, necnon et villare ipsum quod vocatur Nogaretum, et alia quæ piorum imperatorum ac regum cæterorumque Christi fidelium ibi decretis collata sunt vel ubicunque collatura erunt, juste et canonice stabilimus ; si tamen juste et rationabiliter a nobis petistis, et ab aliis hominibus minime detinentur. Ita quoque ut nulli homini fas sit in iis omnibus quamlibet tibi tuisque successoribus episcopis generare calumniam aut qualescunque contrarietates facere : quia nos volumus ut uniuscujusque ecclesiæ privilegium inconvulsum servetur. Nam de monasteriis eidem tuæ Ecclesiæ canonice competentibus similiter statuimus subdita existere justa petenti. Si quis autem comes aut judex publicus vel qualiscunque alius homo contra hoc nostrum apostolicum privilegium qualicunque tempore, quod non optamus, agere vel contendere præsumpserit, sive ea quæ pro divini cultus amore statuimus in aliquo frangere tentaverit, sciat se anathematis vinculis innodatum et a regno Dei alienum. Qui autem verus custos et observator exstiterit, benedictionem et gratiam a Domino Deo nostro conequi mereatur. Bene valete.

Scriptum per manum Gregorii scriniarii S. R. E. in mense Octobrio, indictione prima, Idibus Octobris, per manum Stephani nomine Calatoris sanctæ sedis apostolicæ, imperante D. N. piissimo PP. Aug. Lamberto a Deo coronato magno imperante [*leg.*, imperatore] anno VI, et pontificatus [*leg.*, consulatus] anno VI, indictione prima.

EPISTOLA II.

AD SERVUM-DEI EPISCOPUM GERUNDENSEM.

ROMANUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo SERVO-DEI sanctæ Gerundensis Ecclesiæ episcopo et per te in eadem venerabili Ecclesia in perpetuum.

Sicut per donum sancti Spiritus beato apostolorum principi Petro et cœlestis regni clavigero ligandi atque solvendi ab ipso Domino tradita est potestas, evangelica subsequente lectione, quæ inter cætera ait : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, et reliqua, ita sedes apostolica canonica regalique auctoritate suffulta omnibus Ecclesiis Dei per universum orbem diffusis suffragia et justa postulationis subsidia ut præbeat, tam divini quam humani juris ratio postulat. Igitur veniens, jam dicte Serve-Dei venerabilis episcope, ad sedem apostolicam, et Ecclesia Gerundensi juste et canonice recepta, expulso inde Hermomiro deposito et excommunicato, suggessisti nobis quatenus hujus apostolicæ nostræ confirmationis privilegio confirmare deberemus omnes res immobiles ejusdem sanctæ Dei Ecclesiæ Gerundensis in honore sanctæ Dei genitricis semper virginis Mariæ dominæ nostræ : ubi beatus Felix Christi martyr corpore requiescit, hoc est, domos, plebes, cellas, ecclesias, villas, et insulas, Majorica scilicet et Minorica, seu curtes, parochias, terras, vineas, prata, silvas, una cum familiis utriusque sexus, cum omnibus adjacentiis seu pertinentiis suis, quæ a piis imperatoribus vel religiosis viris vel ab aliis Deum timentibus in eadem Ecclesia Gerundensi collata sunt, sicut ipse nunc usque legali ordine tenere videris. Unde salubribus petitionibus tuis inclinati decernimus et a præsenti prima indictione per hoc apostolicum nostrum privilegium roboramus et confirmamus et in perpetuum statuimus et in usu et utilitate ejusdem Ecclesiæ Gerundensis, cui præesse dignosceris, id est omnes domos, cellas, ecclesias, villas, curtes, parochias, terras, vineas, prata, silvas, una cum familiis, et alia omnia quæ ab imperatoribus et religiosis viris vel ab aliis Deum timentibus in eadem Ecclesia collata sunt vel conferenda erunt tam in ipsis comitatibus quam in aliis locis, simul cum rafica seu pascuario, sub tua tuorumque successorum ditione ac potestate omnimodis confirmamus, statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione et anathematis interdicto ut nulli unquam magno vel parvo homini liceat quamlibet forciam vel oppressionem in omnibus rebus ejus facere aut potestatem aliquam habere vel aliquem distringere aut qualitercunque teloneum ab eis exigere sive ad placitum ubicunque eos pro quibuslibet causis provocare præsumat, nisi in providentia sui episcopi causa illorum audiatur et canonice finiatur. Si quis autem, quod non optamus, contra hoc nostrum privilegium pie : nobis statutum temerario ausu agere præsumpserit sciat se anathematis vinculis innodatum, et nisi resipuerit, a regno Dei alienus existat. Qui vero custos et observator exstiterit, benedictionem et gratiam a Domino consequatur. Scriptum per manum Sergii scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Octobri, indictione prima. Bene valete.

ANNO DOMINI DCCCXCVIII.

SANCTUS TUTILO

SANGALLENSIS MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA IN S. TUTILONEM.

(Apud Fabricium Biblioth. med. et inf. Lat.)

Tutilo, monachus sancti Galli, circa finem sæculi noni cognomine *Itinerarius*, quia sæpius ex monasterio excurrere solitus erat, post mortem inter beatos habitus est. Fuit poeta, pictor et musicus egregius. *Carmina* ejus quædam, inter quæ sunt aliquot *tropi*, sive *cantica*, edidit Canisius, *ant. Lect.* tom II, part. III, pag. 212. Plura de illo Jodacus Metzlerus *de Viris illustribus sancti Galli*, I, 24. Vide *Historiam litterariam Galliæ*, tom. V. pag. 671.

FRAGMENTUM CARMINIS TUTILONIS.

(*Vide Patrologiæ tom. LXXXVII, col.* 51.)

VERSUS IN NATIVITATE DOMINI CANENDI IN PROCESSIONIBUS.

(*Vide ibid., col.* 53.)

VERSUS IN EPIPHANIAM.

(*Vide ibid., col.* 53.)

IN FESTIVITATE SANCTI OTHMARI, VERSUS AD PROCESSIONEM.

(*Vide ibid., col.* 55-56.)

VERSUS IN SUSCEPTIONE PRINCIPIS.

(*Vide ibid., col.* 56.)

ANNO DOMINI MCCCXCVIII.

GRIMLAICUS PRESBYTER.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Fabricium, Biblioth. med. et inf. Lat.)

Grimlaicus presbyter sæc. IX, cujus *Regula Solitariorum* edita a Luca Dacherio Parisiis 1653 12°, atque inde a Luca Holstenio in Codice Regularum, parte II, pag. 278, Romæ 1661; Paris 1663, 4°.

GRIMLAICI
REGULA SOLITARIORUM.

(*Vide Patrologiæ tom. CIII, col.* 573-664.)

ANNO DOMINI DCCCXCVIII.

WOLFHARDUS

PRESBYTER HASENRIETANUS.

VITA SANCTÆ WALPURGIS

ABBATISSÆ HEIDENHEIMENSIS IN GERMANIA,

AUCTORE WOLFHARDO PRESBYTERO HASENRIETANO.

(Apud Mabill. Acta SS. Ord. S Bened.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Sancta Walpurgis, seu *Walpurga*, aliis *Walburgis Galburgis*ve, abbatissa Heidenheimensis, distinguenda est tum a Walpurge virgine Westphalica cœnobii Heresiensis, seu Nienheersensis, de qua in Actis S. Remberti Bremensis archiepiscopi; tum a S. Werburga Wlfersi Merciorum regis et S. Ermenildæ filia, nonnullis Walpurga dicta. Hæc de qua hoc loco agere instituimus, plures meruit scriptores, qui ipsius rebus gestis describendis et illustrandis contulerunt operam, præter auctores qui de SS. Willibaldo et Wnebaldo ipsius fratribus scripserunt.

2. Primus occurrit, non S. Willibaldus ipsius frater, a Centuriatoribus designatus, cujus tamen nullum de S. Walpurga reperitur monumentum; sed Wolfhardus presbyter monasterii Hasenrietani seu Haserensis ordinis S. Benedicti in diœcesi Eistetensi, conditi a Carolo Magno, quod postea Arnulfus imperator ad sæculares canonicos transtulit. Scriptionem suam Wolfhardus nuncupavit Erchanbaldo Eistetensi episcopo ab anno (ut aiunt) 884 ad 902, cui scriptioni postea tres libros Miraculorum adjecit, promisso insuper Dialogo de S. Walpurge in libri IV præfatione, quem an composuerit, dubium est. Secundus auctor Adelboldus, anno 1008 ordinatus Trajecti inferioris episcopus, teste Willelmo Heda in lib. de Ultrajectinis episcopis. Tertius Medibardus seu Medingaudus, obscuri nominis et temporis poeta, sanctæ Walpurgis gesta rhythmice celebravit, cujus hic versus in sua præfatione:

Prosam Wolfhardus, rhythmum fecit Medibardus.

Quartus Aldebertus abbas Heidenheimensis eadem perstrinxit in sua Relatione historica. Quintus Philippus, ex abbate Barisiensi ordinis Cisterciensis creatus episcopus Eistetensis anno 1306. His auctoribus succedunt sanctimoniales cœnobii S. Walpurgis intra muros Eistetenses, quæ ex aliorum lucubrationibus epitomen fieri curarunt, « arte impressoria, stylo vero, ordine et forma ex originali antiquissimo libro sui monasterii, non nova cupientes, sed vetera ad plurimorum memoriam reducere cupientes : cum plerumque apud cœnobium S. Walpurgæ ordinis almi Patris S. Benedicti, in quo corpus ejus lem virginis S. Walpurgæ requiescit. Legenda et Vita ejus sine numero expostuletur. » Hanc Vitam cum libris quatuor miraculorum a Wolfhardo scriptis anno 1594, typis mandavit illustravitque Petrus Stevartius, doctor Leodicensis, Eistetensis Academiæ præfectus. Eamdem cum aliis tum a Canisio, tum a Gretsero vulgatis recensuit et commentariis eruditis explicavit Godefridus Henschenius, in Bollandiano Februario, quibus Lectiones de S. Walpurge legi solitas in nonnullis ecclesiis adjecit. Nos unum Wolfhardum hic exhibemus, omissis quibusdam hinc inde miraculis; qua de re lectorem admonuimus suis locis. Alia qui volet, adeat Bollandum ad 25 Febr., apud quem cæteros auctores reperiet, præter Aldeberti Relationem, quæ apud Gretserum lib. II Observat. in Vitam Willibaldi edita est. Legat etiam Stevartium, legat et Joannem Spagnolium doctorem theologum, cœnobii Bemigiani apud Rhemos nuper archipriorem, qui S. Walpurgis Vitam Gallice edidit.

3. Celebris fuit memoria S. Walpurgis sæculo IX, ut constat tum ex ipsius reliquiis varia per loca distributis, tum ex oratoriis ipsi dedicatis : de quibus in Appendice ad Wolfhardum agemus; tum denique ex ipsius miraculis apud Eistetenses, Monheimenses et Tilenses in ducatu Gelriæ. Cujus rei argumenta præstat Wolfhardus et epistola duplex custodis Tilensis Adelboldum Trajectensem episcopum ab anno 1008 ad 1027, in quibus epistolis apud Bollandum editis varia S. Walpurgis miracula Tilæ facta commemorantur.

4. Quæ desunt Historiæ S. Walpurgis, supplenda sunt ex Actis sanctorum Wnebaldi ad annum 771 et Willibaldi ad annum 781.

WOLFHARDI PRÆFATIO

AD ERCHANBOLDUM EPISCOPUM.

Domino beatissimo Deoque vere dignissimo Erchanboldo pontifici, Wolfhardus presbyter suus, in ipso qui est via et veritas et vita, viam, veritatem et vitam deposcit invenire.

Exigis a me, Pater per sæcula memorande et præsul nominatus in orbe, ut signa atque portenta quæ per opinatissimam nunc in sæculo Christi virginem Walpurgam nostris temporibus divina peregit clementia, cura diligentissime indagata ad laudem et nomen vivificæ Trinitatis, necnon ad excitandos animos Dominicæ plebis, prout eadem contulerit liberalis et deifica Trinitas, sedulus adnotare decertem. Gravis siquidem gravi scelerum pondere prægravato a te mihi imponitur sarcina, quoniam peccatis obnoxio horrendum est tractare de sacris, et miscere aliena non propriis. Verum quoniam, gloriosissime pontifex, virum desideriorum te fore comperio, et cum Daniele propheta semper nova de abditis indagare curiosius cerno, arctor nimis, et immensis circumquaque septus angustiis, quid eligam penitus ignorans, primum oppilatam pudore mentis faciem obfirmo, quoniam indignum me esse non ambigo: dein obedientiæ normam primam humilitatis aspiciens formam, si jubentis dicta superba aure contemnam, timeo ne legem prævaricationis incurram · tum ad memet clavum retorqueus, imperitiæ infirmitate languesco, inde imbecillitati, necne scrupulositati meæ vires haud proprias, sed olympiacas objicio. Rursus, si aggredi, licet trepidus, pertentavero, ne a lectore philocompica [a] noter infamia, perhorresco, dum omissis philosophicis ac præclaræ indolis viris qui in prophetiis calami nomine designantur, ego qui nec viridis junci extimo vocabulo mereor titulari, incompto arduum opus exordiar stylo; et dum mundialium plurimorum indomita superbia quæ sanctorum vias ac Vitas calce proterit petulanti, et mira eorum si qua audierit, pediculosa aure percipit, audiens me inaudita et tamen veracissima in patuio proferre prodigia, canino incipiat dente corrodere et verissimis falsa præferre. His atque aliis innumeris vallatus angustiis, quia sum refertus contagiis ac si ericius spinis, ut verbis Salomoniacis loquar, frequentiva meditatio mentis meæ est afflictio carnis (*Eccli.* XII, 12). Quocirca ad arcem confugiens, his verbis clamabo ad Dominum: Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam; ut ipso adjuvante, cujus sum licet labilis carnis conditio, jussionis tuæ persolvatur exactio. Commendo ergo me iterum atque iterum meritis virginis et tuis, Pater, precibus indefessis, quo mihi eundi impetrent callem, et felici itinere perducant ad calcem.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *De origine S. Walpurgis virginis.*
II. *Qualiter B. Walpurgis post obitum fratrum suorum abbatissa facta est.*
III. *De eo ubi lux cœlestis emicuit in diversorio virginum.*
IV. *De eo ubi virgo Christi moribundam puellam ad vitam reparavit.*
V. *Ubi Walpurgis migravit a sæculo*
VI. *Ubi apparuit Occario episcopo.*
VII. *Ubi fines Eistatenses adiit.*
VIII. *Ubi apertum est mausoleum virginis.*
IX. *De eo ubi caducus reliquiis virginis obviavit, et curatus est.*
X. *De alio caduco curato.*
XI. *De abbatissa Liubila podagrica.*
XII. *De quodam a nativitate contracto.*
XIII. *De cereo cœlitus illuminato.*
XIV. *De matre et filia curatis.*
XV. *De muliere paralytica curata.*
XVI. *De quodam claudo curato.*
XVII. *De muliere cujus crus confractum est.*
XVIII. *De sex signis in una muliere factis.*
XIX. *De muliere curva et erecta.*
XX. *De quodam fastidioso curato.*

INCIPIT VITA.

CAPUT PRIMUM.

Igitur postquam felix gens Anglorum per apostolatum memorandi papæ Gregorii, qui, etsi non aliarum gentium, ipsius tamen et esse apostolus meruit et dici, ab infidelitatis tenebris erula pinm nomen Christi et Christianitatem cœpit amplecti; quasi fructuosæ arboris radix ad humorem gelidi marmoris surculata emisit propaginem, et ac si ex surculo primæ et originariæ juventutis in fide maximam crevit in arbo-

[a] Id est fastuosa. κόμπος *fastus*, φιλόκομπος *fastuosus*. Lege carmen Fridegodi de Rebus gestis S. Wilfridi ad annum 709.

rem, ministrante illi viredinem evangelicæ fluento doctrinæ. Ex hac multæ subductæ ita crevere, ut se Occani pelagus transponentes, et miro germine pullulantes nostris efficerentur saltibus altiores. Hujus eminentis arboris ramus beatus exstitit Bonifacius orthodoxus antistes, qui ob fidei cunctis imitabile meritum fines patrios, et dulcia rura postponens, dum ignotum exsulando adiit callem, summi pontificii Magontiæ infulatu suscepto, alienam in nobis quasi propriam cœpit habere tellurem. Ejusdem floridæ atque frondosæ arboris Britannicæ rami ad nos usque existere protensi duo beati cum castissima sorore virgine Christi Walpurga Christi confessores Willibaldus et Wunebaldus, qui similiter ob amorem cœlestis patriæ peregrinari cupientes, ipsum qui peregre profectus est in regionem longinquam accipere sibi regnum et reverti, et ipsi præcincti lumbos castitatis tegmine lucernas bonorum operum in manibus portantes, secuti sunt regem. Quorum prior post multam tenuis corporis macerationem qua se per multa diversarum regionum afflixerat spatia, obedientiali norma sibi ingesta, ordinante eum prælibato piæ memoriæ antistite Bonifacio, pontificii pervenit ad culmen, et Eistatensis Ecclesiæ pastor fidelis sortitus est gregem : ibique cœlestem et angelicam inter homines vitam ducens, veniente hora Dominicæ vocationis, oves quas rexerat summo pastori salutari Domino consignavit, et ad ipsum mercedem recepturus fine beatissimo evolavit. Alter vero totum se Christi servitio mancipans mundana omnia corde liquidissimo respuit, et locum qui dicitur *Heiderheim* sibi ad incolendum delegit, ibique oratione se munivit, spe roboravit, fide armavit, et eamdem quam cum fratre susceperat monachicam vitam, strenue bajulavit, multosque ad bene vivendi regulam prævius invitavit. Deinde, cum tempus supernæ remunerationis advenit, cœli januas jam securus intravit, molemque exterioris hominis in prælibato Heidenheimensi loco condendam reliquit, in ultima Dominici examinis die ipsam et non aliam cum sanctis aliis recepturus. Tum ille, quem superstitem hac dimisit in vita, Willibaldus scilicet præsul egregius, quem propter sacrosancti sui præsulatus apicem fratri in ordine scribendi prætulimus, licet post fratris beatissimum finem aliquantos vixerit annos, germani proprii corpus exanime cura diligentissima condere curavit, et, ut dignum tanto viro fuerat, peregrinum jam a sæculo et civem angelorum cum hymnis et canticis sepelivit.

CAPUT II.

Hactenus memoriam beatorum germanorum, Willibaldi scilicet et Wunebaldi, paululum exarando percurrimus, ut sciret plebs Christo devota viros cœlestis militiæ et angelicæ vitæ unius ejusdemque meriti habuisse sororem, Walpurgam videlicet sponsam Christi et virginem. Nunc, quia ad eamdem ipsa patrocinante calamum flectere nitor, de his satis dixisse sufficiat. Post discessum igitur beati Wunibaldi miræ sanctitatis viri, Walpurgis virgo imitabilis pie viventibus, universis collectis sanctimonialibus vere quibus potuit Christo devotis, in loco prænominato *Heidenheim* Dominicis instantissime incœpit inhærere mandatis, relictis atque calcatis mundialibus omnibus rebus cæterisque plurimis ac innumerabilibus istius mundi transitoriis pompis. Noctibus igitur atque diebus in oratione persistens, vigiliis atque jejuniis semper incumbens, castum a primæva originis viredine corpus custodiens seipsam totam Domino commendabat attentius, ut quam munierat fide casto conservaret et corpore : sicque Dominum protectorem semper in cunctis operibus ac prævium habuit, et quodcunque petiit impetravit.

CAPUT III.

Contigit namque ut, in ipso quod frater ejus edidit monasterio *Heidenheim* dum ipsa Christo sedulo serviens moraretur, et peracta vespertina synaxi revertente ipsa de ecclesia ad solitum diversorium noctem proximam cæcæ tenebræ minarentur, ac quidam custos ejusdem ecclesiæ nomine Goumeradus lumen prævium stolidus negaret petenti, illa ut est mos sanctarum mentium, injuriam sibi illatam patienti animo gestans, sanctimonialibus, prout ratio dictaverat temporis, mensam cœnandi gratia adeuntibus, incœnata lectisternia petiit. Tum mirum in modum in communi earumdem sanctimonialium dormitorio tanta lux usque ad pulsum matutinalis officii coruscavit, ut eadem præ nimietate sui fulgoris terræ intima penetrare videretur. Stupentibus itaque quæ viderant sacratis Deo universis et præ gaudio exsultantibus cunctis, ad matrem Walpurgem convenere devote et visum lucis terrificæ narravere. At illa se totam convertens ad Dominum lacrymis fusis istam prorupit in vocem : Tibi, Domine, cui ancilla humilis deservire decrevi a cunabilis, collato de munere gratias refero, qui ad excitandos famularum tuarum mihi cohærentium animos me indignam luminis tui solamine visitare dignatus es, et tetri horroris caliginem crassam misericordiæ tuæ radiis evacuasti : et id non meis meritis valet ascribi, verum gratuitæ tuæ munificentiæ pietatis, et precibus mei et tui devoti famuli fratris.

CAPUT IV.

Præterea virgo memorata et semper in ore tenenda Walpurgis exitum fratris sui Wunibaldi, ut sexui moris est feminarum, graviter pectore gerens, contigit ut quadam vespera, nullo ex monasterio venienti sentiente, egrediens ad domum cujusdam divitis deveniret et ante fores ejusdem quasi peregrina quædam et ignota sola consisteret. Quo dum eam dominus domus sive familiæ intrinsecus famulatus officia præbens sensisset astantem, quæque foret persona nesciret, æstuante patrefamilias cum domesticis universis ne rabida canum suorum audacia, qualiscunque esse videretur persona, dilaniando discerperetur, jussit ut quæ quidem esset ocius indi-

caret. Tum illa, Nequaquam inquit, me tui, quod vereris, canes insano dente contingere quibunt, nec Walpurgam (sic enim nuncupor) mordere valebunt. Ipse nempe qui me ad domum tuam perduxit incolumem, ad locum unde veni reducet valentem, et qui me ad tuum te ignorante pertulit atrium ipse domui tuæ medicinæ conferret donum, si totis viribus eumdem crederis medicum medicorum. Quo audito, vir illustris a loco quo sederat illico prosilivit, et animo consternatus, quare ad ostium nobilis persona et Omnipotentis ancilla constiterit, requisivit. Illa vero non sine causa se venisse asseruit. Tum vir memoratus cum omni veneratione eam in domo excepit, et omnem famulatum debitæ servitutis exhibuit. Ubi ventum est ad noctis moras soporis silentio temperandas, sacram virginem non alicubi pausare volentem in cubiculum languentis filiæ trepidus introduxit. Erat enim languor cordis jam penetrans fibras, et intercepto vitalis flatus anhelitu mortis compendium parato itinere portas oris hiantis adire tentabat. Tum pater ejusdem puellæ labiis palpitantibus mugiens ejulabat, et natæ charissimæ amaris lacrymis funebria præparabat. Mater vero intimo cordis arcano jam pene præmortua, et pendula in planctu voce dimissa exhalantis filiæ opperiebatur egressum cui jam luctuosa familia paraverat bustum. Verum Domini clementissima miseratio qui occidit et vivere facit, percutit et sanat, a morte minaci languidam revocavit, et orante per totam noctem virgine sancta, in crastinum puella sana surrexit. Quo parentes viso miraculo laudes omnipotenti Deo reddiderunt. Dein ei plurima xenia adhuc tremuli offerentes, et ex asse ejus se sanctis orationibus commendantes; illa Christum mira gerentem habens pecuniam respuit, et ad monasterium unde venerat repedavit: et quanto magis divinam in se clementiam vigere conspexit, tanto ad artioris vitæ se gradus extendit.

CAPUT V.

Hæc duo tantum præclara miracula quæ virgo beata peregit in vita huic inserere dignum putavi opusculo, quæ nostram ad memoriam pervenere, ne ad alia quæ hactenus Dominus per eam operatus est et operatur quotidie signorum prodigia, ipso Domino largiente fideliter transiens, eadem omisisse culparer. Stultum nempe videtur rei veritatem a calce narrando incipere et sic ad titulum capitis pervenire. Ideoque prius acta stylo currente descripsi, ut sequentia virginis intercessionibus etiam valeant adnotari. Dum igitur sacra virgo Walpurgis totam se in Dei amore firmasset et mundum cum ejus concupiscentia superasset fide plena, moribus insignis, charitate referta, sapientia decorata, castitate gemmata, misericordia redimita, humilitate fulcita, et omnibus virtutibus adornata, vocanti Domino, mortis accepto compendio, acceptura remunerationis præmium obviavit, et ex hujus mundi lacrymosa voragine felici fine decessit [a], et in eodem quo in sancto proposito Christo servierat monasterio, haud sine maximo lamentantium ejulatu, officium sepulturæ mortalis accepit. Ibidem ergo aliquantum corporis a compaginatione quiescens, suis quos superstites in mundo reliquit, beatis intercessionibus auxilium præbuit, et ut mater filios educavit.

CAPUT VI.

Parvo denique interjecto tempore quo sacræ virginis cineres in eodem loco tellus avara retinuit, contigit decedentibus prioribus ejusdem ecclesiæ pastoribus, Otkarium [b] venerabilem virum Eistetensem cathedram meruisse. Qui dum minus quam deposceret honestatis ratio, idem monasterium quo beatæ sanctimonialis ossa tegebantur, excoleret; quadam nocte corporis quiete sopitum, dum tetræ ei tenebræ silentium ministrarent, hujusmodi eum alloquio virginem compellasse narratur. Cur, inquit, Otkari, qui præsul dici et esse meruisti, domum Dei in qua corporis sopore quiesco, et sepulcrum in quo carne reposita ultimum judicii diem exspecto, inhoneste hactenus tractare voluisti? Nam servorum huc cocuntium lutulentis pedibus quotidie calcor, et indecentibus vestigiis premor. Sciens igitur scito quoniam tale aliquod indicium pandam quo non recte te erga me et domum Dei egisse comperias. Sed si reum te fore cognoveris veniam merearis. Quod modico explicito tempore rei probavit eventus. Nam statim in proximo, dum erecti essent parietes ejusdem fabricæ prominentes, et trabium spatiosa compago sequenti die patentibus muris deberet apponi, subito facto jam noctis silentio murus aquilonaris terra tenus sese revolvens, præcipitium egit horrendum, terroremque haud nimium tam domesticis curæ familiaris quam cunctis circumquaque manentibus inauditum incussit.

CAPUT VII.

Facto autem nane cum ad hujusmodi spectaculum omnes pavidi convenissent, custos qui tunc ibidem Reinfridus inerat calle directo prælibato præsuli tremulis labiis nuntiavit. Qui intelligens visionem quam prius in somnis viderat esse completam, cum

[a] Nimirum v *Kalend. Martii*, *hoc est in crastino S. Matthiæ apostoli*, inquit Philippus Eistetensis episcopus, tum in ipsius Vita, tum in Actis S. Willibaldi cap. 31, et quidem ante S. Willibaldum, a quo juxta S. Wunebaldum ecclesiasticæ sepulturæ commendata dicitur; anno proinde circa 780. Lege Appendicem infra.

[b] Otkarius sive Otgarius, Orgerusve, sextus Eistetensium episcopus, in catalogo episcoporum Eistetensium Democharis, Bruschii et Gretseri dicitur S. Walpurgam cœlitum numero ascripsisse concessu et jussu Adriani pontificis: qua de re infra in Append. numero 1. Otkarius Eistetensi Ecclesiæ præfuit medio sæculo IX. Henschenius in Commentario prævio ad hanc Vitam, num. 24, arguit Democharem, Bruschium et Gretserum, qui Otkarii pontificium ab anno 858 ad 881 definiunt, quod Otgarius jam episcopus anno 848 interfuerit synodo Moguntinæ: ita ut vix ad annum 870 pervenerit, si annos duntaxat 23 rexit Ecclesiam Eistetensem.

suis illo usque tetendit atque cum omnibus pene comprovincialibus ecclesiam repolivit, quam etiam sacro chrismate dedicavit. Dein cum in orbem transissent dies, memoratus antistes archipresbyteros Wltonem et Adalungum illuc sedulus destinavit, Onimonem quoque cum sanctimoniale Liubila ex monasterio *Mowenheim* [a] cum eis abire præcepit ut sacros cineres virginis cum summa diligentia elevarent, ac cum hymnis ac psalmorum concentibus ad Eichstatense cœnobium deportarent. Ii vero jussa felicia prospero itinere complentes, resonantibus in cœlum campanarum melodiis et concrepantibus undique canorum spiritualium euphoniis, pia viscera rure in quo hospitata fuerant flentes præ gaudio extulerunt et ad jam dictum monasterium [b] devexerunt. Quod factum est XI Kalendas Octobris. Ea vero cum debito honore illo delata, diebus interjacentibus ternis, corpus sanctum Wunibaldi confessoris egregii ad locum eum unde sororis tulerat cineres idem antistes reportari præcepit, id est VIII Kalendas Octobris.

CAPUT VIII.

Postquam autem B. Walpurgis fines Eichstatenses per semetipsam visere dignata est, et fratris rura revisens ab omnibus gaudenter excepta; contigit, volvente temporum climate, ut memorata sanctimonialis Liubila a propinquis et affinibus, necnon et ab aliis circummanentibus ita fòret arctata ut etiam vi sive ingenio a materna eam prope expellerent hæreditate. Verum illa totis viribus reluctante, incidit ei divinitus salubre mentis consilium, ut a venerabili Erchanboldo pontifice qui adhuc Eichstatensis sedis infula decoratur, sanctas Virginis reliquias licet anxia postularet : ut, si divino munere concedente ejus mereretur ditari cineribus sanctis, proprii solatia juris Deo et virgini consignaret et in manu pontificis donativa in perpetuum traderet. Quod quia a Deo sumpsit initium ab ipso finis meruit obtinere augmentum. Et licet prius tentando difficillimum videretur, felix tamen et desiderabile votum felicem sumpsit effectum. Accepto præterea idem episcopus super hoc negotio regis et regalium virorum consilio, virginis patrocinia [c] sancta se daturum esse promisit. Quod et opportuno postea tempore fecit.

CAPUT IX.

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi octingentesimo nonagesimo tertio, indictione tertia regnante felici prosperitate Arnulfo serenissimo rege, apertum est mausoleum B. Walpurgis virginis in basilica, in qua locata fuerat tempore Otkarii episcopi. Mittens igitur prudentissimus ac sagacissimus in omnibus negotiis Erchanboldus episcopus religiosos archipresbyteros cum aliis boni meriti suos, ossa dicata sacræ virginis jussit exquiri, et inventa diligenter attrectari summaque cum reverentia partita recondi, ita ut optatæ diu reliquiæ darentur Liubilæ, et thesaurus ejusdem corporis per sæcula suæ servaretur ecclesiæ. Hi denique ad quos jussio pervenit antistitis eamdem ocius licet simplici corde titubantes accelerare curarunt. Cumque se totos Dominicæ miserationi committerent et in psalmis et hymnis sine cessatione persisterent, fodientes invenerunt cineres amplectendos beatæ matris nostræ Walpurgis quasi lympha tenui madefactos ut quasi guttatim ab eis roris [d] stillæ extorqueri valerent. Qui licet tanta essent humiditate referti, nec pulviculus tamen manibus contrectantium quoquo pacto valuit adhærere. Sublata demum pro qualitate incomparabilis thesauri desideratissima portione, reliquum loco restituerunt suo. Quis vero mœror, quæve angoris tristitia Eistatenses invaderet cives, cum tanta pignora partirentur, putantium dominam Walpurgam sibi penitus ablatam; qui verum agnoscit ut veritas poscit, verissimus fateatur! Ego autem illis qui nesciunt, ut et populares ignari videntur, verba consolationis impendo, dum tantum reliquias esse sublatas vera ratione confirmo. Hæc ita gesta ipse mihi scribere desideranti narravit qui terribili huic rei dum ageretur interfuit, et datas reliquias pro locello recondidit.

CAPUT X.

Interea dum tanta optata muneris patrocinia cum magna exsultantium gloria deferrentur ad jam dictum locum monasterium puellarum *Mowenheim*, ubi ventum est ad villam S. Bonifacii quæ dicitur *Mulinheim*, quidam caducus puer onerato sacro pondere feretro obviavit, et sub eodem positus ipsam quam quæsierat sanitatem recepit. Tunc subito, ut commeantes hodieque fatentur, tanta vis in eodem loco fragravit odoris ut nares portantium, præeuntium et sequentium feretrum vix ferre potuissent. Eodem die priusquam ecclesiam ad quam ferebantur reliquiæ virginis inferrentur, parvulus quidam, nomine Rudolfus, qui adhuc vita incolumi restituta tripudiat, eadem quam supra taxavimus passione quassatus et a matre illo usque perductus, dum feretrum attigit, omnium membrorum sanitatem recepit et ad domum unde venerat hilaris recurrit.

CAPUT XI.

Postquam vero ejusdem virginis xenia sacrosancta in basilica quæ sita est in honorem opificis et Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, cum populi laude plenaria sunt super altare [e] locata, nocte sequenti

[a] *Mowenhim* seu *Mouhim*, modo civitatula sub ditione comitis Palatini Neoburgici, non procul a Wendinga Bajoariæ et Pappenhemio : cui monasterio præerat *Leubila*, Philippo *Neubila*.

[b] In ecclesiam S. Crucis, quæ postea S. Walpurgis dicta est, uti in Appendice videbimus.

[c] Sic passim sanctorum reliquias appellant auctores mediæ ætatis.

[d] Stillicidium hoc, ut vocant, seu oleum sanctæ Walpurgis ex sacris ipsius reliquiis hactenus emanare dicitur, infra in Appendice num. 3.

[e] Et tamen sancta Walpurgis ob eam causam ali quando miracula facere destitit, testante S. Odone abbate Cluniacensi in lib. II. Collat., cap. 28, infra in Appendice num. 5. Lege præfationem huic sæculo præfixam.

dum memorata sanctimonialis Liubila quæ in isto monasterio tunc erat et adhuc permanet abbatissa, cum aliis Deo sacratis feminis in ipso oppido propter traditionem quam fecerat B. Willibaldo jure hæreditario ejusdem monasterii, sicut lex Sualaveldica [a] continet, moratura tribus in domo extranea noctibus sopori membra dedisset gravique incommodo podagræ quateretur, astitit ei quidam veneranda canitie clericus qui eam ita compellans ait : Liubila, cur dormis? Quare non surgens ad Ecclesiam pergis? Cui illa, ut hactenus asserit, similis dormienti respondit : Ut quid nunc ad ecclesiam eundum est, cum signa matutinalia necdum pulsata sint? Ego quippe nec illic incessu pedum pergere valeo, nisi manibus aliorum delata exstitero. Qui ait : Vade celeriter, ne moreris, quia B. Willibaldus ecclesiam cum multo agmine petit, qualiter sanctam suam sororem reconditam habeas, a te curiose perquirere volens. Quæ statim, ac si nihil incommodi pertulisset exsurgens et de loco ad locum exsiliens, basilicam ad quam tendebat sanissima ingressa est, Deoque simul grates et virgini pro adepta sospitate rependit.

A

B

CAPUT XII.

Quidam pauper, nomine Leibolfus, ex utero genitricis parientis ita contractus et curvus est natus ut quasi monstrum aliquod cerneretur a cunctis. Qui dum inter plures qui ad patrocinia virginis convolabant, in eodem monasterio victus pariter et remedii quæreret solatium, quadam nocte dum lectisternia dormiens premeret, beata virgo Walpurgis ei per visum apparuit et ut ad ecclesiam pergeret imperavit. Quo respondente sese algoris canitiem perhorrescere et glaciales injurias formidare, ideoque nec a loco quietis audere saltem exsurgere; illa ad eum blandis eloquiis inquit : Vadens vade, miselle, celeriter, quoniam ego a te illo quo nunc premeris algore deterso fervidam membrorum compaginem ministrabo, et hujus in recompensatione mercedis, scabella [b] mihi quibus adhuc curvis artubus uteris, donare debebis. Qui licet segnis ecclesiam introivit, et paululum commoratus, inde ad hospitale unde venerat anxius rediit. Surgente vero optata diei aurora iterum basilicam adiit, et ante feretrum virginis beneficium accepturus accessit. Circa tertiam vero horam subito palpitando se volutare cœpit et in pavimento reflectere. Cum ecce tripediæ quibus sua usus est in vita, divinitus e manibus acsi evulsæ, ante altare projectæ sunt. Sicque membris omnibus solidatis atque erectis stetit et ambulavit, qui prius natibus miserabiliter repens, prioris vitæ cursum laboriosum impleverat. Idem namque sanus et valens in ministerio ejusdem usque hodie deservit ecclesiæ ut cunctis liquido demonstretur qualis cujusve meriti apud Deum hæc sancta sit virgo quæ hujusmodi et similia impetrare meretur

C

D

CAPUT XIII.

Hoc igitur patrato miraculo Adelbertus Alamanniæ comes illustris illo usque devotus advenit, cereum non modicum detulit, et altario pronus imposuit, pro se suisque suppliciter Dominum et virginem exoravit; sicque benedictione potita ad propria remeavit. Suscipiens autem eamdem candelam Liubila, quia præfato comiti familiarissima est et cara, candelabro erexit et inaccensam tunc forte reliquit. Quarto vero die cœlitus lumen accepit, tribusque diebus et noctibus in ea lumine perdurante, quarto nemine emungente exstincta est. Hora autem qua divinitus [c] comas radiantis ignis ablambuit, videlicet nona, ita se sponte ostia obstruxere ecclesiæ ut nullus infra duarum fere horarum spatii quantitatem patula habere mereretur et pervia. Deinde is qui obstruxit Christus apparuit et patentia intrare volentibus fecit.

CAPUT XIV.

Duæ præterea virginis præsidia requirentes illuc devenere mulieres, mater cum filia, utraque manuum curvedine inhonesta, de vico qui dicitur Wemedinga [d]. Hæ dum erectis in cœlum oculis cordis auxilium ab ipso qui fecit cœlum et terram supplici devotione deposcerent, et missarum solemniis interessent, divina meritis virginis eis adfuit virtus, et in exordio festivi missæ concentus mater adepta est sospitatem laudans Deum et virginem. Tum nata parentis dubios in tremulo pectore animos gestans et fluctivaga mente consistens ineffabile ei de matris reddita sanitate tripudium intulit, de sua vero nodosa contractione gemebat. Videbat jam suam quam natura dederat genitricem obpansis manibus cœli benedicere Conditorem, verum adhuc in se misellam cernebat regnare curvedinem. Hæc dum sæpius nutabunda mente reflectens consisteret, finito ejusdem missæ canore, ab ipso qui se initium et finem voluit propalare et ipsa sanitatem meruit obtinere. Tunc eadem mater cum filia, moniales cum matre Liubila, necnon et astans omnis communis sexus familia, exsultantibus animis cum hymnis et canticis reddiderunt Domino laudes in cœlis, qui solutionem tribuit compeditis et erectionem largitur allisis.

CAPUT XV.

Delata est ad idem monasterium mulier quædam, nomine Reginswindis, quæ ipsius est vicina ecclesiæ, ita membris omnibus destituta ut nisi vehiculo, duobus videlicet deferentibus, lacertis insertis et altrinsecus oneratis quoquo pacto illo pervehi potuisset. Quæ ante altare feretrum adhuc virginis continens, a suis

[a] Sualaveldia pagus seu tractus, in quo Heidenheimense monasterium, modo ad Wirtembergensem comitatum spectat.

[b] *Tripedias* vocat infra. *Scabellorum* etiam seu *scamellorum* meminit Adrevaldus in libro de Mirac. S. Bened., cap. 36, sæculo II.

[c] Forte *Divinitus*. Sic enim Philippus : *Hora autem qua divina virtus comas radiantis* (ignis) *abstersit*, etc.

[d] *Wendingen*, non inelegans civitas in finibus Bajoariæ, teste Stevartio.

diligenter exposita gratam, Walpurga interveniente, a Domino statim adepta est sanitatem, et omnes qui interfuere audierunt largitori salutis eam gratias referentem.

CAPUT XVI.

Fuit quidam vir de vico vocamine *Megenshaim* [a], nomine Wolfgerus, qui pedem unum super alterum ita connexum habuerat, ut infra septem annorum lacrymosum illi circulum sedens nunquam cibi edulium sumere potuisset. Mirum enim in modum pes vicino et comiti pedi inhæserat, et residendi quietem morbus insaniens claudicanti negaverat. Is ad jam dictum sacræ virginis arcisterium opportuno temporis climate veniens, et non incessu pedum ambulando, sed quasi cum baculo misere saliendo, spatiosa interjacentia rura perlustrans, totum se illius piæ miserationi contribuit statimque salutem ambulandi recepit.

CAPUT XVII.

Est vicus in Francia [Franconia] qui ab incolis appellatus est Bergila, ubi quædam exstitit femina quæ Engilswindis est nuncupata. Hæc dum a loco ad locum equitans pro opportunitate negotii adjacentis festinare voluisset, equo quo jam casura in proximo residebat, lapsu agili et horrendo perlapsa est. Crure namque pavidi corporis hujusmodi præcipitio ruinæ confracto, et artuum omnium bajulo eidem misere minutato [*al.*, immutato], quæ alienis conata est incessibus uti, duorum annorum vergente reflexu propriis haud meruit frui. Tandem, miserator et misericors Dominus injuriis miseræ solita pietate compatiens, virginis suffragantibus meritis, metam lacrymosi ei præstare voluit doloris. Dum igitur lucifugæ noctis teterrimum chaos diei gratiam molestasset, et membra languentia eadem strata singultuoso componeret, ac palpebris tremulosis quietis saltem gratiam degustasset, astitit ei domina Walpurgis quæ nobis a Domino condonata est venialis, veniam munifica repromittens, si dubietate semota fidem panderet cordis. Vade, inquit, mulierula, gratiæ ignara salutis, et archiatrum tuæ stude perquirere sectionis: et dum cum ad hujusmodi officium liberalem inveneris, de secata tibia intus abstractis ossiculis salutis a Christo postmodum gratiam impetrabis: Tum illa, ut audivit suæ remedium hospitalis, totis nisibus Omnipotenti grates rependens, suffragium accelerans adiit archiatri. Complens denique visionis jussa salubris, et ossibus minutis evulsis, pristinæ gratiam indepta est sanitatis. At ubi vidit divinæ ei miserationis subsidium adfuisse, lætabunda et laudans incessu pedum virginis monasterium adiit, rei gestæ seriem patule peroravit, et oblationibus quas detulit altari impositis, etiam partem confracti cruris ad indicium veridicæ assertionis ostendit, ibique sui corporis vehicularium partem relinquens, partem revocavit ad patriam. Quam ancilla Christi Liubila partem assumens, argento fabricare præcepit et in eadem basilica suspendit, ut si quis hoc audiens incredula mente perstiterit, illo veniens oculos suæ cæcitatis aperiat: et dum viderit partem feminei corporis muro dependere fabricatam, saltem confusus abscedat, et sua de stoliditate veniam deprecans erubescat.

Cætera omissa.

[a] Aliis *Magericchesheim*. Stevartius conjicit legendum *Merashem* vicum prope *Mosheim* in diœcesi Eistetensi.

LIBER SECUNDUS

Complectens aliquot miracula anno 894 patrata in parthenone Mowenheimensi.

Operæ pretium duxi, quoniam mira quæ per suam famosissimam Christus quotidie operatur et operatus est virginem, jamdudum tenui chartula colligere cœpi, ut ea quæ sunt indaganda requiram, et diligenti apposita vigilantia, prout vires suppetunt, indagata perstringam. Non quo quisquam, ut reor, talia ac tanta quæ hactenus patrata sunt in præfato monasterio virginis suffragantibus meritis ac diebus pene singulis patrantur prodigia, ex asse valeat explicare: quippe cum tanta sint numeri quantitate ut vix valeant promi eloquio linguæ; verum ut sponsio humilis Patris præcepto pareat imperantis, et pedetentim lepidi viam carpat et cœpti itineris, ut, quo tendit, Trinitatis opificæ dirigatur auxiliis. Curiosum cæterum lectorem secundum incipiens libellum ad moneo, ut barbarismorum fœdam congeriem in hoc opusculo floccipendat, et veritati in vulgari eloquio fidei aurem apponat, et quod hic invenit simpliciter perlegat, et ac si in sterquilinio margaritam exquirat: sicque fit ut et sua fideliter tollat et nostra incontaminatus omittat. Ceriferæ namque sæpius apes, licet obstrusis vasculis hybłea mella diffundant, cloacis tamen squalentibus insidere non recusant.

INCIPIUNT CAPITULA [a].

I. *De muliere quæ rasile perditum invenit.*
II. *De illuminatione cæcigenæ.*
III. * *De eo ubi sacculus cum eulogiis inventus est.*
IV. * *De eo ubi spatha perdita inventa est.*

[a] Capitula asteriscis prænotata desunt in textu.

V. * *De curatione caduci.*
VI. * *Ubi peregrinus occisus est, et mortuus probatus est.*
VII. * *Ubi puella visionem accepit.*
VIII. *De illuminatione cæci.*
IX. * *De puero qui cæcus natus visum recepit.*
X. * *De muliere cæca.*
XI. *De duobus caballis furatis, et matutinalibus horis repertis.*
XII. * *Ubi claudus puer sanatus est.*

CAPUT PRIMUM.

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi octingentesimo nonagesimo quarto, indictione tertia [a], regni quadrimodi [b] Arnulfo retinente dominium, anno octavo quo obtinuit principatum, Eistetensem procurante Erchanboldo famoso episcopo præsulatum, quædam votiva complens desideria mulier cum eo quem nuptialis copula ei dederat viro, Dominum qui prope omnibus se est invocantibus in veritate deprecatura, jam cunctis pene cognitum adiit monasterium nostræ et multorum fidelium matris. Ubi dum pro commissis a primæva viredine facinoribus universis rea tunderet pectora pugnis, ac sæpius sæpiusque interventiones piæ quæreret virginis, benedictione solita munerata vehicularia petiit adjumenta. Viam ergo qua venerat lætissima carpens, et de his omnibus quæ audierat et viderat plurima mente revolvens, in prima reversionis mansione risile [c] quo super aurem orale confixerat casu perdidit accidente, ipsa qualiter perdidisset penitus nesciente. Hæc dum viro suo factum clancule fateretur dispendium, ille concorporalem sibi et gratissimam conjugem mox improvida notavit incuria et leni modulatæ vocis increpavit eloquio, cur more lascivientium puerorum illud quod secum tulerat perdidisset incauta. Tum illa ad præsidium rediens quod prius requisierat matris, inquit : Si tuæ, domina Walpurgis, misereri dignaris ancillæ et vocem audire disponis indignæ, damnum mihi rei reparato præsentis ademptæ. Hæc dum verba perorasset, jacens ante simul discumbentes eos pariter patensque apparuit risile, non aliud, non mutatum, verum idem quod ei prius auxilium præbuit capitale, etc.

CAPUT II.

Quia igitur supra portitoris prius cæci memoriam egimus, dignum est ut qualiter gratiam visionis meruerit enarremus. Dum ergo idem ipse (Ratfridus namque adhuc vivens vocamine nuncupatur) prius cæca caligine premeretur, et geminis orbibus mala albuginaria quæ vulgo perulas nuncupamus obnoxia pateretur, nullumque omnimodis intuitus lumen gestaret in capite quo vel exiguæ lucis igniculum videre potuisset, duas ad monasterium veniens illic hebdomadas percomplevit. Contigit interea ut quadam die pro se misello Dominum et virginem precaturus ecclesiam introisset. Cumque missarum sacrosancta solemnia usque ad Evangelii Dominici euphoniam traherentur, præfatus cæcus apposita dextera quam erexerat manu oculo, perulam caliginosam quæ in eam divinitus cecidit, sanctimonialibus quæ missæ canore intererant gaudens ad intuendum devexit, et in uno oculo visum recepit ibidemque pro collato munere debitum famulatum impendit [d].

CAPUT VIII.

Pauper quidam famosi comitis Adalberti, nomine Frideradus, quem oculis corporalibus videntem aspexi et de mensula paupertatis meæ panis portionem porrexi, ab ipso primordio quo eum genitrix sinu exposuit genitali cæcitatis obscuratus est fœditate. Qui cum jam in matura ætate tetra caligine pressus priores tenebras ferret ad senium, propria ducatum ei præbente sorore, limina Walpurgis adiit benedictæ. Quo dum fatigatus jam itinere pervenisset, petiit ut ante altare virginis duceretur, quatenus opportuna quæ secum tulerat munuscula super illud imponens, veniam de peccatis consequi mereretur. Deductus ergo ad aram, ubi mausoleo virginis propiavit, lassessentibus omnibus continuo membris, rogavit ut potuit, se ocius ab altari reduci aptumque sibi sedile requiri. Quod dum protinus fieret, paululum tremebundo corpore requievit. Tum subito dilapsus in terram cœpit pallida membra saxosa voluntare tellure, et quasi ultimum clausurus diem sese creberrime in pavimento reflectere. Deinde cum potius ab astantibus de funere ejus tractaretur quam de luminis quam quæsierat dignitate, nil unquam videntes ocelli, sanguinis madefacti cruore, guttatim in terram stillare cœpere ac pavimentum uberrime cruentare. Cumque eadem quæ tunc inerat hora transisset, diu negatum meruit visum, et tam ipse quam omnes qui aderant Altissimo gratias retulerunt [e].

CAPUT XI.

Vulgata igitur opinione celeberrimæ virginis et pene per orbem universum longe lateque diffusa, Reginensis (Ratisbone) quoque urbs quondam regalis et inclyta suos ad idem monasterium transmisit cives, pro modulo affectus prius deliberati et consciæ facultatis placituras Altissimo eulogias deferentes. Qui voto potiti optabili cum magno basilicam intravere tripudio. Ubi dum apertis scriniis cordis et corporis quædam altario illis et introeuntibus cunctis exposito, quædam etiam xenia ab ara liquidissimi pectoris mitterent polo, experta luminibus auribusque pro qua venerunt ratione, acceptaque quam

[a] Legendum *tertia decima*, quæ indictio a die 24 Septembris incœpta est anno 894.

[b] Scilicet *Bajoariæ* cum Pannonia, Boemia, Moravia, quod fuerat Carolomanni parentis; *Franciæ Orientalis* cum Turingia, Saxonia, Frisia, quod fuerat Ludovici patrui; *Alamanniæ*, quod fuerat Caroli Crassi itidem patrui; et *Lotharingiæ*, quibus regnis præfectus est Arnolfus Carolo Crasso abdicato anno 897, uti Henschenius observavit.

[c] Risile, an rasile, videtur esse acus oblongior, qualem hodie usque gestant mulieres Rhemenses ad caput scalpendum et crines discriminandos; *orali*, id est capitis tegumento infigi solita.

[d] Hic quinque miracula omissa.

[e] Et hic duo prætermissa.

quæsierant benedictione, quia eis tardior hora incubuit, in vicino monasterii castrametati sunt die altero ad propria reversuri. Verum opacæ noctis silentio veniente, somnoque januas luminum jamjamque quiescentium clementius adeunte, fures qui a furvo, id est nigro, traxere etymologiam priscam, cujusdam Alamanni, vocamine Ratharii, cernentes fatigata ex itinere Reginensium membra sopore nimio prægravata, nulloque vigilante custode per distenti latitudinem campi jumenta fore [esse] dispersa, duo quorum cæca obscurior nocte cupido cor jam tetrum intraverat possidendum, unus clanculo apprehenso capistro, alter arrepto renum cingulo cassam duorum equorum diripuere capturam. Rapta igitur iidem ineffícaci latrunculi præda, ascensisque quæ ceperant procaci temeritate jumentis, iter ad patriam remeandi arripuere gaudentes. Sed is qui se in sanctis suis gloriosum atque laudabilem sanctis ostendit, gaudium præsumptionariæ aviditatis in ruborem mœroremque convertit, ut mundialis controversia stoliditatis palam agnosceret quid Christi in cœlis et in terris omnipotentia valeret. Nam rapaces alieno portati vehiculo equitandi peritiam vanis exercuere vigiliis crassisque in tenebris circa monasterium Deo amabile, omni nisu atque conamine rura paterna calcare procul dubio æstimantes, dum domos proprias læta altrinsecus fabulatione adire quasi agiles voluissent, facta rosea matutinalis temporis luce in proximo culturali sacræ virginis a semetipsis inventi sunt arvo. Quis autem eos terror invaderet, quæque verecundia totos per omnia possideret, difficile est mente tractare, verbis exprimere ac pagina festinanti ad alia adnotare. Tandem cupidi quoquo pacto ad se reversi miraculum per sanctæ intercessionem virginis agnovere patratum : et rubore tremoreque ineffabiliter castigati, qui prius alienis conati sunt furtivisque fruivehiculis ad propria repedarunt gressibus propriis, relictis in quibus antea gavisi fuerant equis. Quo Dominicæ ostentationis signo omnes qui viderunt vel audierunt mirati sunt : sed amplius hi qui jussu divino jumenta perdita recipere meruerunt. Agentes sane unicæ Trinitati gratissimas laudes Ratisponenses hi qui venerant cives, tam pro acquisita quam quæsierant ecclesiæ benedictione, quam pro signi admirabilis munere, redierunt ad propria narrantes fideliter de his omnibus quæ gesta erant in via*.

* Hic omissa claudi curatio.

LIBER TERTIUS

Complectens miracula ibidem anno 895 patrata.

Volvente temporum instantium adhuc lacrymabili serie, variantur etiam pariter mentium humanarum multimodæ qualitates. Quo constat non semper hominem agere valere quod ei adjacet velle : verum cum labitur exterior mundus, inclinatur et interior animus variis ictibus terebratus, ut ab affectu conceptu jam prius frequentius concidat in quo dudum fixo gradu stabat. Sicque fit ut corpus, dum quod non appetit percipit, obtineat detrimentum et animi affectus promptus habeat præmium.

Exigente namque tuæ, pontifex venerande, dominationis imperio, pro tenuissimi capacitate ingenii duos jam pridem miraculorum semper mente et ore retinendæ matris Walpurgis libellos succincto popularíæ orationis perstrinxi commento. Verum multipartitis anfractuum sæcularium occupationibus pressus, pene duorum decursis hebdomadibus circumrotantium temporum, ad initium tertii pervenire nec quivi, nec merui. Nunc autem quia meta secundi jamjam initium postulat tertii, ipsum utinam habere merear ducem cordisque exigui benignissimum directorem, qui sua sapientia os aperuit muti et linguas infantium facit esse disertas !

INCIPIUNT CAPITULA *

I. *De eo ubi mulier cæca illuminata est.*
II. * *De pane mulieris, qui a sinu perditus et postea inventus est.*
III. * *De pulvillo domi perdito et in via invento.*
IV. * *Ubi homo quidam wantos perdidit.*
V. *Ubi vas in itinere inventum est.*
VI. *Ubi in una eademque femina quinque facta sunt miracula.*
VII. * *De femina clauda et sanata.*
VIII. *De tribus cæcis illuminatis.*
IX. *De pisce in via mirabiliter invento.*
X. *Ubi mulier muta curata est.*
XI. * *De bubus quatuor in via inventis.*
XII. * *Ubi porcus a lupo direptus est.*

CAPUT PRIMUM.

Memorandæ Dominicæ Incarnationis anno octingentesimo nonagesimo quinto, quædam e familia beatorum martyrum Gordiani et Epimachi, Campidunensis scilicet monasterii puella, a nativitate cæca, nomine Guntrada, dum gratiam in loco ce-

* Capitula asteriscis prænotata desunt in textu.

lebri Domini audiret famosam, cœpit etiam et ipsa totis anhelare præcordiis ut ad sacrarium venire mereretur beatissimæ virginis. Cujus dum membra soporem felicissimæ quietis modicum degustassent, adfuit in ipso dormitionis articulo qui eam ita compellans ait : Cur, misera, geminis orbata luminibus, furvis ita sopita quiescis in tenebris, et non magis blandæ incubrationis domestica de salute tecum ruminando conquiris pernecessariæ sospitatis? Nam licet te consueto more matutinalis atque diurna lux gratanter excipiat, cæcam tamen haurit [*Canis. : forte* haustis] a tenebris, orbam remittit ad tenebras. Verum si tetrum a te repellere niteris chaos, et distensas cœli cupis cernere nubes, necnon et virentes contemplari tellures, importuni soporis segnitiem mitte, solitæ quietis cassam ignaviam reprime et ad monasterium *Monheim* ducatu concito perge. Et cum felici illuc gressu perveneris, prius actas et nitide coctas atque in buxula obtrusas altario oblatas [a] impone, sicque totam te rerum opifici et virgini trade. Cum autem easdem aræ locaveris oblatiunculas, binæ e vicino venientes gallinæ ipsas voraci comedent dente, talique edulio pastæ altaris excubiis desudabunt. His ita dictis, verbisque cum salutifera visione subductis, residuum quod supererat noctis puellula lætabunda peregit. Noctis vero horrore finito, cum jam vasti æquoris Oceani lymphæ lautas Titanis arvis remitterent comas, a lecto in quo membra sopori tradiderat hilari mente prosiliens, sumptus itineris acquisivit, comitem ac præviam puellam assumpsit et callis ignara felicis iter arripuit. Sicque per devia transiens rura, monasterio quod nutabunda quærebat meruit propinquare. Sed priusquam illius terminos adiisset, reminiscens suæ salubrrimæ visionis cœlitus nuntiatæ, oblatas decenter excoxit, in buxula reposuit, viamque carpere cœpit. Ubi vero ventum est ad diu optatum basilicæ aditum, die celeberrima Palmarum ad vesperam finiente cum intimo cordis gemitu oratorium introivit, seseque in terram prosternens atque a tetris luminum cavernis salsa lacrymarum flumina fundens, ut jussio visionis attentius imperarat, ex asse uni se Domino et salutiferæ virgini commendavit. Cumque diu longa protraheret in oratione suspiria, tandem a pavimento in quo jacuerat humilis exsurrexit, ad aram accessit, oblatas quas detulerat tremulis digitulis superingessit, et haud longe modicum ab eadem se pausatura semovit : cum ecce duæ quas creverat in visione gallinæ, id est sanctimonialibus [*f.* sanctimoniales] geminæ, stantes juxta altare, impositas abstulere oblatas, rem pro qua cæca venerat sollicite requirentes. Quibus ipsa ejusdem rationis ordinem retexuit et ad calcem usque perduxit. Finito eloquio linguæ, adfuit solamen statim ex virgine. Nam Omnipotens de cœlo semper prospiciens super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum, statim super credulam de cœlo respexit, et vacuatis luce luminibus solis radios ministravit. Expavescens ergo de lumine, quia cernebat quod non viderat ante, illuminatori suo Christo et interventrici virgini cum cæteris astantibus gratias egit, et sana discessit [b].

[a] Etiam S. Radegundis teste Fortunato in ipsius Vita sæculo I, num. 16 : *Oblationes suis manibus faciens, locis venerabilibus incessanter dispensavit.* Lege præfationem primo hujus sæculi tomo præfixam, ubi de oblatis.

[b] Hic tria omissa.

CAPUT V.

Pari etiam modo, dum Gisila matrona pernobilis, uxor Burchardi, Walachonis [c] comitis filii, quæ antea matrimonio juncta fuerat comitis Megingaudi [d], orationis causa, ut solita est, cellam virginis adiisset, in primis pro se suisque omnibus Domino supplicavit : dein erigens se et signo Dominico muniens eas quas secum detulerat obtulit eulogias. Ubi ventum est ad pauperum Christi eleemosynam partiendam, datis cibi stipendiis congruentis, dum etiam pocula sedula ministraret, vas quod hannipa [e] nominatur quo mistio agebatur, inter manus propinantium ita exinanitum est atque subductum, ut nullus assistentium ullo modo scire potuisset quanam ratione perditum esse videretur. Sciebat sane conscientia propria teste propinatrix, nec quodam casuali more fore dilapsum, nec a manu dispensatrici esse direptum, neque aliqua fraude subductum. Verum animo æstuabat obliquo, quoniam nil tale viderat, nil simile auditu perceperat. Mirabatur, quia oculatim quod prius manibus vectitabat, jam nullo furante vel rapiente carebat. Quid plura? Ubi horæ diei protensa est dilatio, spes quoque recipiendi vasculi mire subducti pariter sublata est. Igitur completis pro quibus venerat causis, ad sua disposito itinere redire conati sunt. Dumque de pluribus, ut mos iterantium est, inter se sermocinarentur et quærerent, vasis quoque perditi mentio adfuit copiosa. Tum subito eminus quidam illorum aspiciens vidit idipsum in medio viæ itinere vas jacere expositum immutatum. Quod tollentes et dominæ jam dictæ cum nimia admiratione afferentes, una cum eadem gratias retulere gaudentes. A quo statim loco ad cœnobium remiserunt, ut ibi mirabiliter servaretur ubi Christus per virginem mirabilia operatur.

[c] Hinc corrigit Henschenius anonymum Erfordensem de Lantgraviis Hassiæ, qui anonymus Burchardi patrem dicit fuisse Ludovicum, et avum alterum Ludovicum, quem tradit a Carolo Crasso anno 885 constitutum Lantgravium Turingiæ : cui tum præfuisse Popponem probat Henschenius ex Annalibus Fuldensibus, Reginone et aliis. De Burchardo infra cap. 10.

[d] Megingaudus comes, Odonis regis nepos, ab Alberico ejusque sociis in monasterio S. Sixti quod vocatur Rotila, dolo interfectus est v Kalend. Septemb. anni 892, ex Annalibus Mettensibus.

[e] Galli nostrates *un hanap* appellant vas pocillatorium ansa instructum, Germanice *hennapi*.

we, *Adaloltestoch* nuncupamine vocitatus, multis mihi quoque ista fideliter scribenti plenissime cognitus, in quo quædam adhuc in vita superstes est muliercula, nomine Asnia, in qua superna miseratio, suffragantibus matris nostræ meritis, quinque evidentissima operari dignata est signa. Nam labili et tremulo corpore tota caduca, insuper obsistente obice inflexibilis linguæ miserabiliter muta, ad cunctis notum monasterium est adducta, ut ibi inveniret remedium, ubi multi quæsitum invenere præsidium. Cumque inibi lacrymosas ad Dominum funderet preces, vox in sublimi audita est supplicantis, et sociata lacrymis sanitate corporea, incolumis mulier remeavit ad propria. Sed insipidæ multorum rusticanorum ac sæcularium mentes, dum dona a Domino et præmia consequuntur indebita, non ad laudes nec ad dignas gratiarum se præparant actiones : quin magis pro dignis munus se cœleste percepisse æstimant meritis, aut certe nullis præcedentibus meritis, sed solum divinæ auxilio miserationis. Ita in bono deficiunt opere ut nequaquam stabiles inveniantur in fide. Quod hujus mulierculæ fortuitus probat eventus, dum rei gestæ narratur auditus. Veniens namque domum tota restituta saluti, infra decem ferme hebdomadarum circulum nullas, ut opinor, debitas Altissimo retulit grates. Quin potius segnitiæ temporalis incuria pressa, mentem lubricam ad caduca reflexit et haud obliviscendæ propriæ oblita est sanitatis. Unde post explicatam prælibati temporis quantitatem, dignatus Deus omnipotens salubri castigatione suam commonere ancillam, ne tanti muneris felicissimo dono ingrata fore videretur; quadam nocte hujusmodi visionis eam aggressus est voce : Cur, inquit, muliercula, jam enim Domino grata, de perceptis tantis beneficiis cœlesti gratiæ hactenus existere voluisti ingrata? Redi igitur ad mentem tuam omni dubitatione submota, et quid in te deifica virtus sit operata, nubilo cordis deterso recogita; undeque tibi salus indignæ provenerit, curiosissima animi scrutatione pertracta. Et cum incunctanter tuæ tenebras ignorantiæ diligenti examinatione discusseris, surgens concito gradu, ad *Moenheim* monasterium perge ibique competenti completa oratione, a Deithilda custrice ecclesiæ ad operandum propriis manibus aliquid operis accipe, ut scias de reliquo tuæ dominæ debitum impendere famulatum a qua insperatæ salutis meruisti commercium. Quod si non feceris, scias te proculdubio aliquam in tuo corpore invenire molestiam, ut ipsa vexatio intellectum auditui conferat quem lenis admonitio non regebat, etc. [a].

CAPUT VIII.

Interea dum hæc agerentur, quidam ignoti tres a nativitate advenere cæci et pauperie urgente mendici, corporis et luminis solatium requirentes et lacrymosis singultuum vocibus postulantes. Quos cum materfamilias Liubila cum devotis Deo famulabus humaniter suscepisset et victus alimoniam misericorditer ministrasset, visum est eis ut suffragia virginis attentius implorarent, quatenus visum a primæva origine inexpertum ejus meritis et precibus adipisci mererentur. Motibus igitur quibus poterant in ecclesiam intravere, et facta oratione votiva tangi sibi cæca lumina oculorum de cambuta [b] virginis petiere. Quod dum factum esset, sensim visus incognitus pervenit ad orbes, et irradiati radiis jubaris lucem crevere gaudentes. Id omnes qui videre et audiere mirati sunt, et ei qui solus mirabilia magna fecit gratias non modicas retulerunt.

CAPUT IX.

Quadam die dum ego ad idem monasterium aliquid novi ac desiderabile audire cupiens advenissem, et fideli animo si quid auditu dignum existeret quod ad notitiam perveniret requirerem, adfuerunt duæ ex virginis famulabus Diethildis et Ruathildis quæ meæ satisfacerent voluntati, mihique cum cautione et chartula residenti inter alia hujuscemodi retulere miraculum. Accidit namque, aiunt, ut multorum moris est quærentium Dominum et suorum interventiones sanctorum, ut quidam orationis causa idem oratorium adiissent. Intrantes vero in ecclesiam, dum adoraverunt viventem in sæcula, etiam beatissimæ Walpurgis pronis vultibus quæsiere suffragia. Completoque pro quo venerant voto, insuper accepta benedictione quæ comes in eundo existeret animæ, viatici quoque corporalis eulogiam a matrefamilias accepere. Erat enim tempus abstinendi a carne : et idcirco ea quæ manus largientis invenerat secum animo devoto tulere, scilicet, panem, caseum atque cervisiam. Dum ergo ab eis piscis quæreretur, et negante qualitativi temporis vice minime adipisci potuisset, onerati sarcina superius exarata iter cœpere redeundi ad propria. Cumque plurima fabulantes comitantium more incederent, ventum est ad locum ubi grata et virentia jumentis gramina pro temporis congruentia invenirentur. In quo exonerato eorumdem pondere jumentorum, de Dei donis ac datis et benedictionibus virginis percepturi sese in fenum viride prostraverunt. Tum is qui eorum sarcinis manum immittere familiarius consueverat, sistarcias [c] evidenter aperiens, . . . miro admodum modo invisum antea et intactum aspexit et sustulit piscem, etc.

CAPUT X.

Duo a regione Turingia Burchardi comitis milites, Deitharius atque Heio, sacræ virginis quæsiere præsidia, adducentes secum feminam quamdam humanæ modulis loquelæ carentem, ut ibi Domino miserante mereretur accipere gratiam ubi multi multiplicem

[a] Et hic unum omissum.

[b] Scipio seu baculus S. Walpurgis serico inclusus, Coloniæ in monte S. Walpurgis, quæ Patrum Societatis Jesu ecclesia est, asservari dicitur.

[c] Græcis σιταρχία *commeatum annonamque* significat : Latinis *sitarcia*, corrupte *sistarcia* sumitur pro cista aut canistro vel mantica, qua edulia comportantur, I Regum, cap. IX, v. 7.

consecuti sunt veniam. Quo dum prospero itineris calle alacri corde venissent, desiderio potiti priore suis pro piaculis indulgentiam fusis a fundo pectoris precibus petierunt. Dein allata munuscula altario imponentes, mulierem etiam mutam quam secum a patria adduxerunt, animo devoto et credulo corde Omnipotentis largifluæ miserationi et virginis commendaverunt munificæ pietati. Illa etiam, quia lingua non potuit, humiliati spiritus contritione indulgentiam postulavit. Peractis pro quibus venerant causis, ad sua redire conati sunt eamdem secum mutam mulierculam ad patriam revehentes. Cumque de ejus exquisita et non inventa salute tristes ad propria repedarent, quadam nocte cum lassa omnes quieti corpuscula tradidissent, ipsa quoque somnifero A pausaret in lectulo, adfuit ei quædam elegantis speciei miræque venustatis puella quæ ei flatu placidissimo insufflavit in aures. Quæ statim evigilans et de eadem felici visione curiosa meditatione pertractans, ligatæ ei solutum est vinculum linguæ et modulos promptæ cœpit exercere loquelæ, referens debitas munerum largitori laudes qui locatis secum in superis sanctis plurima valere donavit in terris. Unde comites et universi qui audiere mirati lætisque meatibus proprias revisere tellures. Sed prudenti animo cogitantes non decere tam evidens miraculum reticeri, notum per suos monasterio sacræ virginis facere studuerunt, ut Dei famulabus et omnibus fideliter audientibus fieret cognitum quod in eadem femina divinitus est ostensum. *

* Item duo hic resecata.

LIBER QUARTUS

Complectens alia miracula ibidem patrata.

Voluerам hujus opusculi breviloquio metam imponere dissolutam : verum concurrentium jugiter mirabilium rerum atque signorum desiderabilis novitas iterum iterumque ad scribendum impellit atque provocat, et ut perfecto opere ad finem usque perducam frequenter invitat. Non enim in initio galeati militis præliantis virtus adscribitur, verum in fine efficacis victoriæ virtus cum favore a referentibus propalatur. Dignum est enim ut laus prædicetur in fine, et finis decoretur in laude, Domino dicente : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 13). Quapropter libelli quarti, Christo favente, exordium capiam, ut et transcursis stylo currente gloriosis sacræ virginis miraculis ad promissum dialogum veniam, et in eo pro ingenioli quantitate admisso sudore decertem. Si quid ergo in hoc opusculo invisum et inauditum lector invenerit, pia mentis intentione percurrat et Dominum solum mirabilia facientem agnoscat. Non enim membranis adnotata essent, si mirabilia non fuissent. Legimus namque quia signa non fidelibus, sed infidelibus data sunt (*I Cor.* XIV, 22). Unde credimus in novissimis temporibus atque periculosis multa inaudita operari Christum per suam amabilem virginem velle prodigia, ut bestiales innumeræ in sæculo hominum mentes, quæ prædicantium converti despiciunt verbis, saltem inauditis inclinentur ex signis. Quisquis ergo legere et audire desiderat, cordis si est rubiginem tollat, et dum me vera scribere experimento didicerit, credat sciatque me non signorum esse fictorem, verum fidelissimum excerptorem, ut pro hoc labore liberari merear a peccatis, precibus et interventionibus B C virginis

INCIPIUNT CAPITULA *.

I. *De * quodam claudo curato.*
II. * *Item de alio claudo curato.*
III. * *Ubi claudus alius est sanitati re titutus.*
IV. *De muliere pedibus restituta.*
V. *Ubi item alius debilis pedibus sanatus.*
VI. *De muto et claudo sanatis.*
VII. * *De dæmoniaca curata.*
VIII. * *De cæca, quæ visum recepit.*
IX. * *Ubi cæcus quidam illuminatus est.*
X. *De alio cæco illuminato.*
XI. *De illuminatione alterius cæci.*
XII. * *De muliere quæ cibi et potus communem victum multo tempore non potuit percipere.*

CAPUT IV.

Si de omnibus qui illic incessu pedum potiti sunt claudis voluero texere orationem, ante deficiet dies quam signorum evidentia plurimorum. Verumtamen ea quæ ad memoriam veniunt non æstimo silentio conticenda, quoniam, ut legimus, Dei narranda sunt opera cujus sunt inexquisita judicia. Ideoque quamdam feminam Manswindam ad mentem reducere festinemus, ut ipsa quoque qualiter curata sit enarremus. Ex villa namque quæ dicitur Truthinga adveniens, et medelam corporis animæque in monasterio quærens (erat enim pedum debilitate deformis et inhonesta), diutius ad cœlum orationis voces e pectore lugubri destinavit, et, ut sui Omnipotens misereri dignaretur, prolixo precatu flagitavit. Cui D

* Capitula asteriscis prænotata desunt in textu.

mox divina virtus et miseratio adfuit, et gressum quem perdiderat integerrimum reparavit.

CAPUT V.

In ipsa villa in qua monasterium celebre situm est, puer, vocabulo Beretgisus, erat in quo vivifica Trinitas ipsum idemque operari dignata est signum. Fuit enim per tres annos gressuum ambulatione privatus, ita ut ad nullius fructuosi operis exercitium habilis esse videretur. Quem tollens nimia referta mœstitia genitrix, nuncupamine Ratila, ad basilicam detulit salutarem, ibique ante oculos divinæ majestatis exposuit et ejus inenarrabilem miserationem cum lacrymis et gemitu postulavit. Videns itaque de excelso cœlorum habitaculo Dominus mulieris fidem, curavit infantem, et matris precibus fecit ambulantem. Quo audito, domina utriusque infantulum tradidit eidem ecclesiæ jure perpetuo possidendum, ut ibi quandiu adviveret, servitii jura impenderet, ubi vires ad famulandum recipere meruisset.

Similiter Romanus quidam adveniens et in porticu aquilonari cum carruca in qua delatus fuerat miserabiliter jacens, sequenti die postera ambulandi meruit facultatem.

CAPUT VI.

Accidit præterea quodam tempore, ut Hildegarda [a] domina, pacifici regis Ludowici filia, orationis gratia cum Luitpoldo famosissimo comite ad jam dictum monasterium deveniret. Non ergo immemor beneficiorum sacræ virginis, præsertim cum sciret et crederet multa ibidem facta esse et pene quotidie fieri miracula, adduxit in comitatu sequenti ab ortu originario mutum, ut, si dispositione superna gratissimum directi faminis donum mereretur percipere, audita apertius crederet, dum visa fidem auditis darent. Luitpoldus quoque, ut suspicor, non dispari desiderio tactus, commeantem secum detulit claudum. Ubi dum eadem nocte quiescerent, matutinali veniente synaxi omnes in ecclesiam celeriter festinarunt. Cumque Dei famulæ inibi servientes dominicos cœpissent concrepare concentus, astantibus etiam his qui secum detulere prædictos debiles, mutus soluto vinculo plectri clara cœpit loquelas emittere voce et mirabilem Deum in sanctis suis cordis jubilo collaudare. Et non solum ille, verum etiam omnes qui officio matutinali intererant, omnipotentem Deum collaudabant. Cernens ergo ille quia, ut desideraverat, ita rei eventus impleverat, magno exhilarati cordis repletus tripudio, elevatis in cœlum manibus gratias omnipotenti retulit Deo. Sequenti denique ejusdem felicis horæ momento, et Liutpoldi prætaxati comitis fustifer claudus cœpit exsilire gaudenter, ac Salvatorem suum benedicere congruenter. Idem etiam comes venerabilis, ut cognovit suum quem detulerat claudum exsilientem et laudantem Deum, lætitia cordis exsultans mirificum benedixit Dominum.

Ut ergo jocunditas gratulantium duorum cumulantius augeretur, duo evidentia et aperta miracula tertium roboravit. Nam quædam cujusdam clauduli mater, cum vidisset præeuntia signa duo esse patenter ostensa, et ipsa suum quem exposuerat lamentabili editu natum subintulit ad curandum. Sic præcedentibus curatis duobus, postremo astantibus universis sanatus est tertius. His ternis duo præcipue desiderantes visis miraculis, redierunt ad sua, ista narrantes e plurimis [b].

CAPUT X.

Quodam itaque contigit tempore, ut pro admonendis atque in Dei timore roborandis Dei ancillis, ipsum monasterium, juxta morem frequentius consuetum, probus piusque pontifex Erchanboldus visitaret et in eis sanctæ prædicationis creditam mellitis labiis sereret annonam. Cumque adhuc in eadem cella consisteret et pro lucrandis Christo animabus attentius desudaret, quidam a partibus Franciæ cum agmine clericorum et pauperum flamina devehentium, et *Kyrie eleison* voce canora canentium, a nativitate cæcus pauper advenit et nisibus quibus potuit in basilicam cum conviatoribus introivit. At ubi fixis genibus in oratione fibram etiam cordis erexit, et pius Dominus suam aurem placidam propitius inclinavit fusamque pauperis precem audivit, lumen quod natura negaverat sua mira potentia condonavit. Quo viso, præsul et omnes qui adfuere miraculo laudes in excelsis reddiderunt Deo.

CAPUT XI.

Non incongruum videtur, si sequens præcedenti æquiparetur miraculo, cum cæcus ille fuerit qui, ut diximus, patenter ibi lumen accepit; orbus et iste, de quo series texitur, qui etiam in eadem ecclesia diem videre promeruit. Transeunte namque festiva solemnitate Paschali, dum albaria sequens adveniret hebdomada, Adalbertus comes nominatus a rure Francorum illustrium monasterium petiit. Ubi dum divinum officium stans in basilica cum suis audiret, incognitus quidam adfuit cæcus et inter cæteros stetit adductus. Nec mora, facta ad Deum prece humillima, lux ejus noctem fugavit ab oculis, cernentibus et mirantibus qui aderant universis. Cumque talem in se agnovisset virtutem, Creatori reparatorique suo retulit laudem : rediensque sanus et incolumis ad patriam illud quod in se divina peregit dignatio, ubicunque potuit, divulgavit.

Cætera omissa.

[a] Hæc *coram Arnulfo accusata, regiis possessionibus privata, exsul in monasterio Chemissen vixit : in gratiam recepta, sua majori ex parte recepit*, inquit Regino ad annum 894.

[b] Hic tria prætermissa.

APPENDIX

De sanctæ Walpurgis canonizatione, festis diebus, oleo, reliquiis et locis sacris.

1. *Canonizatio.* — Sanctimoniales Eistetenses in Vita S. Walpurgis aiunt ipsius canonizationem per Erchanboldum Eistetensem episcopum « obtentam a sede apostolica ; quæ quidem canonizatio facta est, inquiunt, ipso die apostolorum Philippi et Jacobi, in quo usque hodie celebratur festum canonizationis ejus. Cujus rei gratia eodem die, omni anno, processio solemnis ab ecclesia cathedrali per episcopum et canonicos fit ad ecclesiam parochialem S. Walpurgis, ibique officium divinum summa cum celebritate a canonicis perficitur, eisque reliquiæ seu stillicidium (id est oleum) ejusdem sanctæ virginis ad potandum ministratur. » At Bruschius et ex eo Gretserus in catalogo episcoporum Eistetensium scribunt S. Walpurgem ab Otkario episcopo cœlitum numero ascriptam fuisse nutu ac jussu Adriani pontificis. Et quidem Otkarius curavit S. Walpurgis corpus e terra levari. Quo ritu sanctorum canonizatio tum temporis celebrabatur. Et tamen *elevatio* S. Walpurgis facta XI *Kalend. Octob.*, non vero *Kalendis Maiis* seu *festo apostolorum Philippi et Jacobi*. Quo nihilominus die « festum canonizationis ac translationis ejus communiter celebratur, » inquit Philippus episcopus in ipsius Vita. Ut ut sit, ad *elevationem* S. Walpurgis ab Otkario factam intervenisse Romani pontificis consensum non exprimit Wolfhardus ; certe non Adriani qui post Otkarii mortem sedi Romanæ impositus est anno 884.

2. *Festi dies.* — Pluribus festis diebus colitur S. Walpurgis. Natalem ipsius V *Kalend. Martii* consignant Philippus et sanctimoniales Eistetenses, ipsoque die celebrat Eistetensis Ecclesia. Elevationem XI *Kalend. Octobris* factam tamen IV *Idus Octob.* celebrant nonnulli, aliam translationem *Kalendis Maiis*. Quia vero « reliquiæ S. Walpurgis per totum mundum, » ut scribunt sanctimoniales Eistetenses, hoc est, « ad diversas per totum Francorum regnum provincias, » ut in Lectionario Trajectensi, dispersæ sunt, fit ut quo quæquæ Ecclesia die illas excepit celebritatem in ipsius honorem instituerit.

3. *Oleum.* — De oleo e S. Walpurgis reliquiis emanante Philippus agit his verbis : « Pro finali conclusione adnotare decrevimus quod sanctum corpus gloriosæ Walpurgæ virginis in altari publico ejusdem monasterii (de quo infra) caute ac reverenter longe præfatus antistes Erbertus (imo *Otkarius*) recondidit : ubi miracula usque in hodiernum diem continuata felic ter crebrescunt. Nam de membris ejus virgineis, maxime tamen pectoralibus, sacrum emanat oleum quod gratia Dei et intercessione B. Walpurgæ virginis cæcos illuminat, surdos audire facit, et gressum claudis reddit cunctisque debilibus optatum effectum devote petentibus misericorditer indulget. Quam etiam gratiam curationis ipsi experti sumus. Nam gravi infirmitate ægrotantes ad excidium vitæ devenimus : et rememorantes gratiam quam B. Walpurgis suis dilectoribus indesinenter ostendit præcepimus de oleo sacrosanctæ suæ emanationis nobis copiosius afferri, et desiderabili haustu phialam plenam ebibimus orantes in hæc verba, » etc. « Eadem die criticavimus [*id est* sudorem sanitatis indicem emisimus], et brevi post tempore sanitati omnimode restituti sumus. Hoc quoque sciendum quod hora celebrationis missarum cum sacramentum corporis et sanguinis Jesu Christi in altari conficitur in quo recondita est, frequentius necnon uberius oleum de sacro corpore ejus distillat. Unde hæc hora pro receptione ejusdem olei diligentissime observatur. Et si phialæ in quibus sacrum oleum recipiendum est non directe vel perpendiculariter distillationi supponantur, guttæ ejusdem olei sibi cohærent dependentes ad modum botri vel favi mellis, nequaquam in alium locum decidentes. Sed postquam negligentia corrigitur, et vasa in quibus munde sacrum oleum recipi debet distillationi aptantur, eisdem sine omni cooperatione illabitur. Per quod aperte monstratur ut in vasa munda recipi debeat, quia ab immundis locis vel vasis omnino se præservat. Et sæpe compertum est quod receptum in vase etiam mundo, si immunde vel irreverenter teneatur, vel ad locum ubi peccata illecebræ perpetrari consueverunt deportetur, omnino evanescit, vel orificium vasis ipsum oleum nequaquam ad effectum sanationis egreditur. Ex scriptis etiam colligimus et certa relatione fide dignorum intelleximus, quod civitas Eistetensis una cum tota diœcesi ecclesiastico interdicto quodam tempore supposita fuerat propter quasdam damnosas injurias, quas episcopus qui tunc præerat a baronibus terræ et incolis sustinuit. Ex tunc liquor sacræ emanationis stillare cessavit usque in diem qua ecclesia restituta esset indemnitati. Et idem venerabilis episcopus cum universitate civitatis indicto jejunio nudipes et absque lineis ad monasterium B. Walpurgis ascendit, devote ac subnixe cum universitate populi sui supplicans ne affectu tantæ benignitatis, sicut est emanatio sacri liquoris, inamplius civitas privaretur. Et accedens ab altare dictus pontifex missarum solemnia astante populo devote peregit, et in confectione sacramenti et ejusdem perceptione sacratissimus liquor, qui infra spatium unius anni nequaquam distillaverat nec ullo modo se ostenderat, adeo abunde erupit ut ampullam dimidiæ pintæ capacitatis vel unius serici [*f.*, seriæ, quod est vas vinarium oblongum fictile] adimpleret. Addit Philippus, quod etiam idem sacrum oleum tantæ munditiæ ac meracitatis existit ut sine omni corruptione et fœda maculationis feculentia per ducentos annos servatum consimilis puritatis invenitur cum illo quod hodierno die de stillicidio ejusdem sacræ emanationis susceptum est. » Eadem fere testantur sanctimoniales Eistetenses. De hoc oleo singularem Tractatum edidit Gretserus, Ingolstadii anno 1610 editum, in quo leguntur hæc verba cap. 1 : « Condita sunt lipsana B. Walpurgis virginis Eistadii in summi altaris lapide duro, solido, excavato et superne concluso eo ipso loco quo a sacrificante sacerdote corpus et sanguis Domini immolatur : ita ut probabile sit hanc tumbam fungi vice sepulcri, quale in omnibus aris consecratis ex ipso consecrationis ritu et præscripto visitur. Infra prædictum lapidem est cavitas seu foramen quadratum in quo distillat stillicidium de lapide superiore qui sacra virginis ossa tenet. Videas guttas modo majores, modo minores, pisi aut nucis avellanæ magnitudine de lapide supino dependentes, quas omnes excipit late patens argentea concha. » Varia miracula refert Gretserus et ex eo Bollandus quibus supersedemus. Istius olei mentionem facit Wolfhardus in lib. I, cap. 9.

4. *Reliquiæ in Parthenone Eistetensi, Mowenheimensi, et alibi.* — Reliquiarum S. Walpurgis magna pars servatur in Parthenone sanctimonialium Benedictinarum in editiore urbis Eisteti loco, ubi olim

templum S. Crucis stabat quod postea eo translatis sanctæ reliquiis a S. Walpurga nomen accepit. Hujusce monasterii primus conditor est Otkarius sextus, Eistetensis Ecclesiæ episcopus, quem translationis auctorem fuisse superius legimus, instaurator et amplificator Heribertus episcopus xv, cui Leodegarius seu Leutgarius munificentia sua adfuit, monacharum in eodem loco restitutor, uti ex Philippo aliisque refert Gretserus in Observat. lib. I, cap. 19. Etiam quamdam sanctarum reliquiarum portionem obtinuerunt sanctimoniales Mowenheimenses, ex lib. I Wolfhardi cap. 9, ad quas plurima referuntur facta miracula libris tribus subsequentibus. Particulæ item earumdem reliquiarum Furnis, Antuerpiæ, Coloniæ Agrippinæ, aliisque in locis, prout late docet Henschenius in Commentarii prævii § 6 et 7, ubi etiam de variis templis S. Walpurgi consecratis agit. In quadam ms. Historia Francorum hæc leguntur anno secundo Rodulfi regis Francorum, Christi 824 : « Eo anno corpus S. Remigii et quorumdam aliorum sanctorum corpora Hunnorum metu intra Rhemensis civitatis mœnia a suis monasteriis sunt delata : cum quibus etiam S. Galburgis reliquiæ, ad quas sæpe fiunt miracula, sunt ibidem positæ. »

5. *Basilicæ et oratoria.* — In templis S. Walpurgi dicatis celeberrimum est Parthenonis Eistetensis, de quo supra. Cestræ in Britannia insula *cœnobium* erat S. Wilburgæ, ab *Hugone consule*, id est comite Cestrensi, constructum, teste Orderico Vitali in Hist., lib. VIII, pag. 671. *Tilæ* in ducatu Gelriæ ad Wahalim fluvium basilica Walpurgina et collegium canonicorum in ea institutum, anno 1315 *Arnhemium* in oppidum ad Rhenum translatum est. Alia duo templa *Zutphaniæ* in Gelria, et *Groningæ* quæ urbs est Frisiæ occidentalis primaria. Nec prætermittendum hoc loco id quod S. Odo abbas Cluniacensis de quodam oratorio S. Walpurgis commemorat in lib. II Collationum cap. 28 : « Est ecclesia, inquit, B. Gualburgis in hac vicina nobis regione in qua miracula fiunt. Contigit autem, sicut dominus Berno abbas refert, ut ejusdem S. Gualburgis reliquiæ super altare aliquot dies manerent. Sed mox miracula cessaverunt. Tandem vero ipsa virgo cuidam ex infirmis apparens. Idcirco, inquit, non sanamini, quia reliquiæ meæ sunt super altare Domini ubi majestas divini mysterii solummodo debet celebrari. Quod cum ille custodibus referret, tulerunt capsam, et protinus miracula fieri cœperunt. » In palatio Attiniacensi ad Axonam Carolus Calvus exstruxit S. Walpurgis oratorium quod una cum ipso palatio a Normannis eversum est. Pace et quiete Gallis restituta, alia eidem virgini ædificata est ecclesia quam Hugo Campaniæ comes a Philippo Francorum rege ob connubium cum filia ejus Constantia initum accepit in dotem, ac postea anno 1102 donavit cœnobio Molismensi cui hactenus prioratus titulo subjacet, prout ex Vita Gallica S. Walpurgis ab Spagnolio edita intelligimus. Distat hæc ecclesia et vicus S. Walpurgis dictus, vulgo *Saint-Waubourg*, altero milliari ab Attiniaco villa quondam regia. Denique in diœcesi Argentinensi Theodoricus comes Montis Pelgardi construxit cœnobium monachorum Benedictinorum in honorem S. Walpurgis quod postea Fridericus I imperator amplificavit.

VOLFHARDI PRESBYTERI

PRÆFATIONES

IN LIBROS SUOS DUODECIM DE ACTIS SANCTORUM

AD ERCHANPOLDUM EPISCOPUM EISTETTENSEM.

(Apud Pezium, Thesaurus Anecdot. ex Cod. Tegerns.)

Præfatio in lib. I seu mensem Januarium.

Passiones beatorum martyrum digna piaque veneratione celebrantes, qui spretis instantis ærumnosæ vitæ oblectamentis, siderea regna penetrarunt, felicis cum agone certaminis sanctissimæ Martinæ virginis aliorumque martyrum et confessorum virginumque mirabili cursu, certamine glorioso, triumpho fortissimo actuque fulgenti, libet e pluribus plura decerpere, ut et eorum audientibus brevi commento nota sint actus et passio, hujusque voluminis devitetur extensio, dum mens interius compendiosa lectione reficitur, et corpus exterius labore nimio non gravatur. Licet enim tanto opere indignum me fore non ambigam, tamen, quia pius labor felici cursu peragitur, Domino adjuvante et facultatis copiam largiente, vestrisque, Pater Erchanpolde, orationibus fultus, injunctum opus aggredior.

Incipit liber I Kal. Januarii. Beata igitur Martina cum esset sublimis genere, etc.

Præfatio in lib. II seu mensem Februarium.

(Hanc nunc dare non possum, cum codex Tegernseensis ad manum non sit, neque hic mensis in codicibus Mellicensibus amplius reperiatur, ex quibus reliquas in menses singulos Præfationes deinceps exhibebo.)

Præfatio in lib. III seu mensem Martium.

Duobus cœpti operis duorum mensium libellis, Deo favente, explicitis, invocato Jesu boni sacratissimo nomine, tertius tertii curriculi exordium poscit, ut ipso sermonis modulos ministrante, et operis efficaciam exhibente, orationumque sanctorum, quorum hic memoria commendatur, interveniente solamine, pervenire mereatur ad calcem, eique placeat qui se initium fidelibus propalavit et finem.

Præfatio in lib. IV seu Aprilem.

Hactenus, Pater egregie et pontifex summe, sanctorum peragrando opuscula Patrum, trium præcedentium librorum breviter compta congerie, restat ut sanctis pro nobis, de quibus sermo agitur, interpellantibus, vestrisque præbentibus meritis, ad quarti initium veniamus. Ideoque lectorem cernui imploramus, ut, dum sulcando cuncta rimatus fuerit, quæ sunt catholica et probata retineat, quæ autem minus idonea, resecet et abradat, sciens nos nostro sensu nulla excogitasse anilia, quin potius ex Patrum libris excerpta nostræ agglutinasse paginulæ. Quod si contigerit, vigilanter agat, ne sanctorum arrepta temeritate scripta dilanians nostra transcurrat.

Præfatio in lib. V seu Maium.

Raphaelis archangeli, Tobiæ beato cœlitus destinati opera divina cunctis nuntianda, monitis sacris audivimus, qui et levamen sanctorum mirabiliter contulit, et ad cœlos patrata ejus domus benedictione rediens verba salutis impendit. Idcirco et nos pro modulo valetudinis nostræ Christus in sanctis suis, quamvis rei criminibus, collaudamus, quia sanctos in Christum consistere credimus. Ipse enim fuit eorum in agone victoria ; ipse, ne deficerent, protectio valida : ipse post triumphum corona, ipse eos repromissa ditavit et gloria. Offeramus ergo in domo Domini non aurum, non argentum, non vestes pretiosas, sed pilos caprarum tantum, et petimus ut merito nobis collata sanctorum portio nostra sit in terra viventium. Legimus namque viduam pauperculam duo minuta gazophylacio præbuisse.

Præfatio in lib. VI seu Junium.

Evolutis hujus opusculi quinque præcedentium librorum compendiis, quibus, Patrum scripta scrutantes, pauca de pluribus scribendo perstrinximus, nunc, Christo propitio, ut ad sexti initium veniamus, et consequens ratio postulat, et vestra, sacratissime præsul, hortatio cogit, quæ nos ad scribendum semper impellit. Laborem namque impendimus, verum ad laboris effectum pervenire nequimus, nisi ipse præstiterit qui pro se laborantibus in fine præmium reddit. Unde et nos ab ipso postulamus auxilium, et paginæ figimus stylum.

Præfatio in lib. VII seu mensem Julium.

Evoluto multorum intervallo dierum, quo sæculari onere prægravante, et mundialibus e latere stimulantibus curis, arreptum jam pridem opusculum calcetenus pertrahere minime quivimus, suspensum te, antistitum gemma, licet inutiliter, reddidimus. Æstivi namque temporis virtus, dum hispidi ruris suprema ignicoma fronte perurit, sæpe etiam leonina fauce intima ipsius venarum fluenta prælambit. Verum volvente temporum rota dum canities hiberna propinquat, absorptos pene prius latices ad proprios violenter sinus invitat. Sic et, Pater, hactenus fistulæ nostræ vena peraruit, et penitus nihil invenit. Imminente ergo hiemis tempore fontem repetimus. Et quoniam hydria nobis non est, et puteus altus est, et neque in quo nosmet hauriamus, omnimodis habemus, petamus ab eo qui dixit : *Qui sitit, veniat ad me et bibat*, delectabilem haustum, et inveniemus hauriendi effectum. Et quoniam nostri non est bibere in profundum calamo tantum flexa cervice demisso, studeamus ipso propitiante sugendo trahere poculum, et sextum sexti mensis a Januario capiamus initium.

Præfatio in lib. VIII seu mensem Augustum.

Legimus Augusti nomen ab *augendo* vocabulum accepisse. Ideoque misericordiam auctoris omnium imploramus, ut ipse qui sanctos templum suæ habitationis instituit, et eos sibi diversorium esse elegit, in nos eorum opitulatione piissima, benedictionis munus infundat, et iter cœptum ambulare concedat, pabulum verbi benignus impendat, calamum siccum suæ pietatis rore perfundat, et Augusti initium capientibus, scribendi dona contribuat, et cumulando potentissimus augeat, et quoniam ipsius est opus, ipsius magnificetur et virtus.

Præfatio in lib. IX seu mensem Septembrem.

Quoniam Deo adjuvante Augusti mensis ferventia rura transivimus, et de fonte paterno, quidquid potuimus, sugendo contraximus, restat ut umbras Septembris tepidi, licet laboraturi, sollicitius requiramus. September enim soni diffinitione, quod septimus sit, ab imbre congrue nominatur. Unde nos septiformis misericordiam sancti Spiritus imploramus, ut imbre suæ fluidæ pietatis cœptum opus infundat, et feliciter ad finem usque perducat, quatenus ejus virtus operis et nobis peccatoribus præmium sit laboris.

Præfatio in lib. X seu mensem Octobrem.

Præceptis obtemperantes vestris, pontifex vere beate et in sæcula memorande, novem mensium dies Kalendarios totidem voluminibus, quanta potuimus, commendatione perstrinximus, et in pratis uberrimis flosculantes dulcia mella transivimus, suavi tantum nitore contenti, et graminum exiguitate pro viribus onerati. Cogit etiam nunc vestræ imperium dignitatis, ut decimus liber nonum subsequatur, et promissionis prioris exigit debitum, dum mandat arctius figere stylum. Adjuvet igitur ipse, a quo liber sumit exordium, Remigius Pater noster et suorum et omnium fidelium populorum.

Præfatio in lib. XI seu mensem Novembrem.

Mensem nunc Christo favente aggressuros Novembrium, sanctorum nos adjuvet intercessio omnium, quorum sub una celebritate ipso die Kalendarum sacrosanctum veneratur solemnium. Si enim juxta apostolum Jacobum *multum valet deprecatio justi assidua*, quanto magis sanctorum omnium unita et iutercessio pia ! Nos nempe hoc indigni existimus opere et sanctorum benignissima intercessione. Tamen qui peccatores justificat et exaudit, verbum

more desiderantis aperto contribuit, qui super justos et injustos affluentissime pluit, ipse a summo est potens stillam emittere, et linguam aridam clementer infundere.

Præfatio in lib. XII seu mensem Decembrem.

Duodenarium numerum esse perfectum ratio ipsa astruit veritatis, dum in sanctorum prophetarum apostolorumque catalogo sacratum fore demonstret. Duodecim typicos namque fontes Moysen cum populo legimus invenisse in eremo, et bis senos Jesum lapides Jordanis sustulisse a fluvio. Jesus quoque noster firmissimos et limpidissimos lapides duodecim delegit apostolos, ut compaginati angulari lapide murum fabricarent Ecclesiæ. Ex quibus quia unus confractus ab ordine cecidit, ne dispendium perfectio pateretur, ipsa (quem) sacravit Veritas, numerum reparavit.

Duodecim quoque mensium cursu rota volvitur anni, quibus gesta pugnæque sanctorum aures fidelium erigunt, mentesque spirituali edulio pascunt, et ad amorem cœlestis beatitudinis trahunt. Nos etiam quia hujus opusculi nostri seriem explicito libro undecimo, ac si hactenus aggerando contulimus, ne imperfectio perfectione culpetur, Christo propitio duodecimi initium capiamus, ut, dum ad calcem felicique cursu pervenerit, ipse laudetur, qui et suis facundiam sermonis munificiis tribuit, et in numero et mensura et pondere artifex omnium omnia statuit, et statuta benedictione dicavit.

CARMEN DE SANCTA WALPURGE

AUCTORE WOLFHARDO,

(Apud Canisium, Lectiones antiq., tom. II.)

Filia regis erat, sed egenam se faciebat
Dives ut in Christo regnaret semper in ipso;
Quam sit chara Deo monstrant miracula crebro;
Quæ meritis ejus confert de virgine natus,
Ex ejus tumba manat sacra pectoris unda
Servæ namque Dei lux splenduit illa....

ANNO DOMINI DCCCXCIX.

ANAMODUS

ECCLESIÆ RATISPONENSIS SUBDIACONUS.

MONITUM AD OPUS SEQUENS.

(Apud Pizium, Thesaurus Anecdotorum novissimus, tom. I, part. III, pag. 192.)

Præclarus est, inquit eruditissimus Mabillonius in Itinere Germanico, tomo IV analectorum præfixo, *Codex Traditionum, scriptus ab Anomoto, dictatusque Ambriconi episcopo*, vel ut nobis videtur, Asperto episcopo Ratisponensi, qui secundum quosdam anno 886, Carolo Crasso adhuc imperante, Ambricho seu Ambriconi in ea sede suffectus est. Certe A. episcopus, cui Anamodus hoc illustre monumentum dicavit, utrumque admittit. Fuit hic Anamodus Ecclesiæ Ratisponensis subdiaconus, ut discimus ex lib. II, cap. 29, ubi exstat commutatio inter Ambrichonem episcopum et Anamodum, in qua *placuit cuidam rubicundo clerico, nomine Anamodo, religioso videlicet subdiacono, quasdam res proprietatis suæ sibi ad commodum perducere. Talem igitur*, inquit ipse Anamodus, *proprietatem, qualem piissimi regis Arnulfi donatione idem Anamodus in possessionem accepit in pago Westermannomarcha nuncupato juxta Prointala, in loco Reitinpuoch, in comitatu Engildeonis comitis, ad S. Petrum, principem apostolorum, sanctumque martyrem Emmerammum cum mancipiis* VII *contradidit, atque alligavit, in manum Ambrichonis ven. ep. et advocati ejus Gerberti et Gundberti*, etc. *Actum ad Menzinpah*. Hæc Anamodus ipse, qui, ut ait in præfatiuncula ad A. episcopum, *plurimas scedas traditionum atque concambiorum nec non et commarcarum colligens, in unum collectarioli hujus corpusculam complexuit atque conclusit, quatenus errore submoto facilius, cum necesse foret, per capitula antenotata nanciscerentur et cognoscerentur*. Codex ex quo hoc monumentum, quo forte præstantius Bajoaria non possidet, edidimus, sine dubio autographus et authenticus est, exaratus in membranis in-4. In eo nulla charta sæculo IX recentior reperitur, nec ejus ope res tantum Bajoaricæ, sed etiam Austriacæ insigniter illustrantur, quod pluribus locis, si otium esset, demonstrari posset. Cæterum his tribus diplomaticis codicibus utique satis iis factum fuerit qui *Codicis diplomatici, ab Udalrico Babenbergensi* collecti, editionem tam vehementer, etiam post repetita cujusdam adversus nos scripta, contenderunt. Nam et lectiorem Udalriciani codicis partem,

quæ in Germanicis diplomatibus versatur, longe hic emendatiorem et pleniorem habent : et reliqua omnia necdum edita, etiam ea quæ ille in publicum efferri quam indignissime tulit, in alio quodam nostro *Codice Diplomatico-Historico-Epistolari*, prelo propemodum jam parato, habebunt. Supprimimus itaque integram Udalriciani codicis editionem, nequaquam ob allatas ab adversario rationes, quæ viros doctos et eruditos non potuerunt impedire, quo nos minus ardenter ad exsequenda prima consilia publice ac A privatim cohortarentur; sed propterea ne eadem melioris notæ monumenta semel integra et plena, qualia in his tribus codicibus Emmerammensibus a nobis producta sunt, et iterum mutila et truncata atque adeo inutilia, quo modo ea in codice Udalriciano exstant, eodem integre recuso edere cogamur. Quæ ratio nostra si quibus viris eruditis minus probetur, nulla re alia opus est, quam ut suam nobis voluntatem publice demonstrent.

ANAMODI SUBDIACONI

RATISPONENSIS

TRADITIONUM SANCT-EMMERAMMENSIUM,

LIBRI DUO

Quibus chartæ donationum, commutationum, commarcarum, concambiorum et complacitationum, ad imperiale monasterium Sanct-Emmerammense ord. S. Bened. attinentium, et sæculo Christi nono conditarum, continentur.

(Prodierunt primum in lucem ex codice autographo, in eodem inclyto monasterio asservato, studio et opera P. Bernardi Pez, Benedictini et bibliothecarii Mellicensis.)

VERSUS ANAMODI.

Præsulis hic pulchram venerandi cernite formam
Qui nobis sacro sæpe favet merito.
Cujus honor mundo late præfulget in amplo,
Cujus amor cunctis dulcis adest populis.
Est humilis, mitis, reprobo fit denique fortis,
Qui pascit cunctos semper alendo suos.
Cujus et idcirco laudem credo fore in alto,
Nam quæ vox populi est, est etenim Domini.
Corde quidem Christo, necnon cum corpore toto,
Deservit prompte nocte simulque die.
Cui Deus omnipotens, mundi qui regmina ponis,
Præmia de factis reddito plena bonis.
Istius et parvi specialia dona libelli
In cœlis capiat, spes ubi vera patet.

PRÆFATIUNCULA ANAMODI.

Excellentissimo domino A. episcopo Anamodus, humillimus famulus.

Vestram igitur mentem quoniam in omni librorum studio cæteroque divini cultus mancipatu semper inhærere cognoveram, hoc opusculum ultronea voluntate pulcherrimis sanctitatis vestræ manibus præsentare tonabar. Plurimas quippe schedas traditionum, atque concambiorum, necnon et commarcarum colligens, in unum Collectarioli hujus corpusculum complexui atque conclusi, quatenus errore submoto facilius, cum necesse foret, per capitula annotata nanciscerentur et cognoscerentur.

TRADITIONUM EMMERAMMENSIUM

LIBER PRIMUS.

CAP. I. — *De commutatione Hludowici regis quorumdam clericorum.*

In nomine sanctæ et unicæ Trinitatis. Cunctorum liquefiat industriæ fidelium, quorumcunque obtutibus hæc Chartula intuenda porrigatur, qualiter piissimus rex Hludowicus, pater videlicet Karlomanni, quemdam clericum, nomine Gundpertum, de ecclesia sancti Petri apostoli cum suo quolibet clerico commutavit. Largiente igitur clementia sua prædictum Gundpertum sibi accepit, ut eum ob remedium animæ suæ liberum, atque ab opere servili securum præcepto auctoritatis suæ efficeret : quod etenim misericorditer ita peregit. Econtra autem donavit clericum suum, nomine Elefantem in manum sanctæ Dei ecclesiæ paulo ante nominatæ ac venerabilis episcopi Ambrichonis. Porro eidem Gundperto, quia utilior et majoris ingenii fuit scribendi, necnon et legendi, addidit rex prudentissimus quæ subsequenter referam. Nam donatione sua donavit in manum prædictæ sanctæ Dei ecclesiæ ejusdemque provisoris novalia quæ sunt contra monasterium ad Uderida et contra nemus medium, quod ibidem obvium exstat. Omne vero quod noviter in eodem loco agrorum vel pratorum exstirpatum est ex integro illuc transfudit, ac eidem adjacentia in parte orientali postea in commutationem allaxavit. Illo autem in tempore Wulto ministerialis regis fuit, princeps super omnes forestes. Subjectus quoque ejus, nomine Wichad, hæc ad perficienda et investienda dirigebatur.

CAP. II. — *Traditio Ekkiperti comitis.*

Igitur in Dei nomine. Ego Ekkibertus, per misericordiam Dei comes, pro remedio animæ meæ et remissione peccatorum meorum, ut in futuro veniam consequi merear æternam, tradidi atque vestivi vassum meum Deotpertum, qui manere videtur in pago qui dicitur Folcfeld, de rebus proprietatis meæ quas habere visus sum in pago, vocabulo Rangewi, infra ipsum eremum, quidquid mihi in eodem loco traditum fuit ubi duo flumina quæ vocantur Piparodi, confluunt, ut ipse supra dictus meus missus Deotpertus easdem res quas prædixi cum omnibus integris ad monasterium sancti Salvatoris [a] quod est constructum juxta fluenta Rehtratanze ubi in Dei nomine Adalwinus episcopus vel abba præesse videtur, pro animæ meæ remedio tradidisset, atque revestisset de eadem re Adalwinum episcopum. Tunc Deotpertus venit vassus atque missus Ekkiberti comitis ad idem cœnobium quod Adalwinus episcopus gubernare videretur in pago qui dicitur Swalavelda, et eamdem rem tradidit, atque Fridabertus consocius ejus exinde fidejussor exstitit secundum legem eorum, astantibus his quorum hæc nomina sunt : Erchanloh, Muniholf, Herimot, Reginfrid, Leidrat, Adalpreht, Gisalfrid, Perager, Wolfhart, Herirat, Wico, Altuni, Irminfrid, Halpdurinc, Amalger, Einhart, Egispreht, Ribpold, Otfrid, Adalram, Gisalpreht, Meginhart, Meginfrid, Deotolf, Sigihart, Engilhart. Hi viderunt et audierunt hanc traditionem factam, atque eamdem vestituram Adalwino episcopo. Postea venit Adalwinus episcopus ad eumdem locum, vocabulo Piparodi, una cum testimonialibus suis et interpellavit Deotpertus Rodfridum, ut eum revestiret secundum Ekkiperti comitis jussionem : qui statim ita fecit, et ipse Deotpertus de eadem re Adalwinum episcopum et Erchanlohum advocatum suum revestivit coram testimonialibus quorum nomina subter inseruntur, cum omnibus ædificiis, casis, vel scuris, terris, campis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, molendino, quidquid in eo loco de re propria habere videbatur. De commarca vero ex orientali parte usque in commarcam Deotkarii abbatis, australi etiam parte usque in commarcam Gundperti, ubi ipsi signum fecerunt, et perrexerunt in commarcam Gundperti, et contradixit Gundpertus Adalwino episcopo et Deotberto partem quamdam inter flumina duo, nomine Piparodi. Et postea consideraverunt Gundpertus, et Hurih atque Gozmar : et partem quam contradicebant ad Salvatorem pro illorum animæ remedio tradiderunt. Parte meridiana millia ria III, aquilone milliaria II. Facta vero vestitura venit Odilwart cum duobus filiis suis, Pezirone, Reginwarto, et cum aliis quorum nomina sunt : Reginhoh, Arphert, Adalolf. Hæc nomina testimonialium qui hanc vestituram factam viderunt : Napubhi, Hunrih, Gundperht, Gozmar, Fridaperht, Otrih, Heriwic, Rantwic, Rodfrid, Petto, Peronzan, Frohnolf, Kipiho, Eccho. Facta autem anno Domini incarn. 810 in ipso loco qui dicitur Piparodi.

CAP. III. — *De Marca ad Chamba.*

Anno Dominicæ Incarnationis 819, et sexto imperii Hludowici Augusti, ac tertio episcopi Baturici, venit Baturicus episcopus ad Chambe, ubi cella ipsa constructa est super flumen quod Regan dicitur, in-

[a] Vide infra, cap. 45.

ter duas aquas, id est, inter Gewinaha, et Marclaha, et habebat secum Rodoldum venatorem, necnon et Bettonem vicarium, scilicet et missum Hattonis comitis, nomine Hiltirochum, quem ipse Hatto commiserat ad eumdem Chambe locum, ut audiret qualem ipse episcopus cum illis vicinis haberet rationem qui commarcam sancti Petri apostoli et beati Emmerammi martyris injuste sibimet usurpaverunt. Venerunt etiam et illi qui injuste eamdem commarcam, ultra quod debuerant, exstirpaverunt contra legem. Id sunt Ratpreht, Scurz, Engilmunt, Tago, Rihhart, Liupger, Meio. Et cœpit episcopus Baturicus inquirere ipsam commarcam totam per omnia, quemadmodum eam Tessilo dux renovans anterioris traditionem beato restituit Emmerammo pro sua suorumque anima parentum. Et cum hinc et inde plura loquerentur tam qui injuste possessam et propræceptam eamdem habuerunt quam hi qui iterum beato Petro et sancto Emmerammo justitiam suam cupierunt juxta legem Beoariorum, surrexit Baturicus episcopus et Rodolt una cum Bettone et Hiltiroho, et venerunt primitus contra occidentem ad illam stirpem quam Gewinahare injustam usurpatam habebat, usque ad ipsum rivum Gewinaha, et ibi dixit Rodolt et Betto quod commarca Baturici episcopi debuisset esse ad illam domum Dei, contra meridiem sursum juxta rivum usque ad illum locum, ubi ipse rivus exoritur, et inde Rodolt et Betto duxerunt Baturicum episcopum contra orientem usque ad Marclaha. Et dixerunt quod commarca ipsius episcopi Baturici deberet venire in medium rivum, hoc est, in Marclaha. Et inde duxerunt eumdem episcopum ubi ipse rivus in eodem monte oritur. Et dixerunt Rodolt et Betto : ista commarca debet esse per istum medium montem Bosun, id est de eo loco ubi Marclaha in Regan fluvium cadit, usque ad jam dictum locum contra meridiem, et deinde per medium montem in orientem usque ad eum locum ubi Gewinaha exoritur; et inde in orientali parte ipsius aquæ usque ad flumen Regan ubi ipsa Gewinaha introit in Regan. Tunc dixit Rodolt et Betto : Nos audemus hoc dicere et confirmare, etiamsi fuerit coram Domino imperatore, quod ista omnis commarca, sicut hunc eumdem episcopum Baturicum circumducentes consignavimus, debet consistere cum omni justitia ad sanctum Petrum et sanctum Emmerammum in traditione ducum qui istam patriam possederunt. Hæc sunt nomina eorum qui audierunt rationem istam, et cavallicaverunt illam commarcam, et fuerunt in ista pireisa, die Mercurii XIX Kal. Jan. Baturicus episcopus, Welo presbyter et monachus, David presbyter et monachus, Folrat presbyter, Couperht presbyter et monachus, Hunrih monachus. Item Rodolt, Betto, Hiltiroh, Immo, Baldram, Pilline, Meiol, Fridaperht, Welagrim, Cotaperht, Avo. Item Cotaperht, Amalperht, Radholf, Irminolf, Baldrih, Irminperht, Mauri, Waltrih, Unlaz, Cunzo, Folchuni, Ogast filius Bettonis, Willibato, et cæteri plurimi. Ellinhard scripsit.

CAP. IV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Egilolfum.*

Fructuosa valde ac nimium utilis consuetudo olim inter homines inoleverat commutandi videlicet quasdam res pro ambarum opportunitate partium. Hæc etenim modernis temporibus crebrius ac crebrius piissimorum licentia regum conficitur frequentissimeque inter nobilium substantias atque ecclesiasticarum rerum portiones contingere solet. Proinde ergo quidam vir nobilis, nomine Egilolfus, tradidit ad sanctum Petrum apostolum sanctumque Dei martyrem Emmerammum talem proprietatem qualem habuit juxta fluenta Labaræ et juxta locum qui dicitur Perc in manum Ambrichonis venerabilis episcopi et advocati ejus Helfrici. Id est : areas IV, Pomaria II, terræ arabilis jugera CLX, Pratorum jugera L, silvæ fructiferæ jugera LXXXII, molam I, nihilque extra dimittens, viis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus quin omnia ex integro illuc transfudisset. E contra vero Helfricus atque Ogo cum consensu domini sui episcopi tradiderunt eidem nobili de rebus prædictorum sanctorum, id est ad Talachirichun, aream I, terræ arabilis jugera CCCXX, pratorum L, silvæ fructiferæ jug. VI, molendinum locum I, et viam ad illius ecclesiæ introitum in latitudine pedum VI, extra dimittens autem eamdem ecclesiam, ac areolam I, et territorium juger. XXX, atque extraneas inquisitiones, quidquid præcaptum fuisset. Cætera vero omnia præfato Egilolfo in proprium jure perpetuo possidendum contradiderunt. Testium quoque nomina sunt hæc : Patho, Ogo, Papo, Sigipold, Nanzo, Fastmot, Machelm, Wicram, Lantperht, Rihker, Amalperht, Ato, Engilperht, Rodhart, Engilscalh, Lantfrid, Swidker, Adalhoh, Rihheri, Egilhelm, Elindeo, Rodmunt, Anthat, Heriwic, Walto, Wegalanzo, Immo, Peregher, Otperth, Gernando, Lantpertus autem frater ejusdem Egilolfi et Adalhun vassus episcopi fidejussores et vestitores exstiterunt.

CAP. V. — *Complacitatio inter Ambrichonem episcopum et Arndeonem.*

Nonnullorum comperiat industria fidelium præsentis concambii qualitatem quod secundum antiquam quæ olim apud homines inoleverat consuetudinem peractum est hoc modo. Igitur quidam vir nobilis nomine Arndeo tradidit ad S. Petrum apostolum ac martyrem Dei Emmerammum, in manum videlicet Ambrichonis venerabilis episcopi et vicarii ejus Ogonis talem proprietatem qualem cum conjuge sua consequebatur in vico Hartinga nuncupato, id est casam cum curte, terræ arabilis jugera XXX, Pratorum carrd. X, mancipia VI. E contra vero præfatus episcopus et vicarius ejus Ogo tradiderunt eidem nobili et conjugi suæ, nomine Totæ, illud beneficiolum ad Tanna, id est, casam cum curte, ecclesiam et quidquid in ea habebatur. De terra arabili hobas III, pratorum carrd. XIII, mancipia XXXVI, ea videlicet ratione, quatenus id pos-

sideant usque ad obitum suum. Post autem redigatur ad pristinum sanctorum locum jure perpetuo.

CAP. VI. — *Commutatio inter Ambrichonem ep. et Otkarium episcopum.*

Fructuosa valde, et non solum honesta, sed etiam nimium utilis consuetudo jam olim inter homines inoleverat commutandi scilicet quasdam res pro commoditate utrarumque partium. Hac igitur ratione convenit quædam commutatio inter Ambrichonem videlicet Reginensis Ecclesiæ episcopum et Otkarium, Eistatensis Ecclesiæ præsulem. Tradidit itaque Otkarius et advocatus ejus Wicpotus talem proprietatem ut a rege assecutus est ad Zullingon, et ad Mammingon et ad Ustarlingon, et mancipia XX, quorum nomina sunt hæc : Ratmunt, Ribholf, Adalmot, Otmar, Adalperht, Otmunt, Rodilo, Alprat, Liupcundo, Wolfliup, Arnhilt, Gozpirc, Wasa, Swanahilt, Perhetger, Rihni, Alpwiz, Altrat, Eparhart, Cundperht, ad sanctum Petrum. E contra vero præfatus Ambricho episcopus et advocatus ejus Ratoldus tradiderunt una cum consensu famulorum Dei ibidem servientium Otkario prædicto episcopo talem hæreditatem ut Teuit quidam nobilis ad S. Petrum pro remedio animæ suæ contradidit ad Perga et ad Egiwila, scilicet in proprietatem habendam, et mancipia iterum XX, quorum nomina sunt hæc : Wolfolt, Ilina, Cundigart, Ruodilo, Wolfolt, Rihholf, Rodflat, Popo, Purcman, Adalgoz, Nendilo, Alphilt, Ata, Reginhart, Frowihilt, Isanhart, Machelm, Adalswind, Heimo, Odalperht. Et (ut hæc commutatio et commoditas ambarum partium inconvulsa permaneat, placuit testes adhibere quorum nomina hic sunt insignita : Fritilo, Papo, item Papo, Wolfdregi, iterum Wolfdregi, Erchanperht, Chuniperht, Reginpold, Irminolt, Reginolf, Otachar, Adalger, Masso, Patager, Odalperht, Arfrid, Machelm, Otperht, Hartrih, Mahalfrid, Irminolt, Otachar, Heimperht. Actum est in Regina civitate juxta altare S. Petri, anno Incarn. Domini 863.

CAP. VII. — *Donatio Hludowici regis de Maninsea.*

In hac igitur notitia continetur qualiter Lantpertus abbas Hludowicum regem postulavit, interce dentibus Ernosto et Adalperto, ut ad monasterium sancti Michaelis quod est constitutum ad Maninseo in eleemosynam suam perdonaret quemdam lacum, nomine Aparinesseo, cum omni foreste circumjacente ad utilitatem servorum Dei qui in eodem monasterio Domino servire student. Ipse vero rex ob mercedem animæ fecit ita, et donavit ad S. Michaelem supradictum lacum et forestem, ut nullus de die illa et deinceps aliquam contrarietatem in his rebus facere auderet, deditque missum suum qui inde supra nominatum abbatem et servos Dei vestiret. Tunc et ille missus jussionem dominicam implens vestituram peregit. In occidente a rivo nominato Zinchinpah ubi ipse in Aparinesseo decurrit, et ab oriente ab eo loco ubi Tinnilinah in eumdem lacum fluit, usque ad eum locum ubi Iscula in Trunam cadit, ut absque ullius contradictione illuc constaret; et ex alia parte terminum haberet usque ad Wizinpah ubi et ipse in Atarseo vadit, et ad alium Wizinpah usque dum ipse in Trunam decurrit, ita videlicet, ut nemo alienus in hoc lacu piscari auderet neque in supradictis locis venationem exercere, sed pleniter ad supradictum archangelum constaret. Hæc donatio facta est ad Rantesdorf anno Domini 829.

CAP. VIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Amalpertum.*

Fructuosa valde et nimium rationabilis olim inter homines inolere cœperat consuetudo commutandi videlicet quasdam res pro ambarum utilitate partium. Hoc etiam regum celsitudo, cum in diversis terrarum locis homines eodem usu utebantur, maxime in ecclesiasticis rebus fieri decrevit et quinque horarum supplemento id constare permisit. Proinde igitur quidam nobilis, nomine Amalpertus, tradidit ad sanctum Dei martyrem Emmerammum proprietates suas, quas ad Perga, et Hasalpah atque Gamminchova habere visus est. In areis namque ac domibus cum universis simul ædibus, exceptis autem servorum mansiunculis, reliqua vero omnia ad supradictum sanctum contradidit atque transfudit, terris cultis et incultis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, nihil quidem prætermittens, sed cuncta ad sanctum bis prædictum tradidit in manu Ambrichonis venerabilis episcopi et advocati ejus Antarboti. E contra vero idem advocatus cum consensu episcopi tradidit prænominato Amalperto de rebus sancti Emmerammi ad Drudpah ecclesiam unam, et areas III cum omnibus appenditiis earum, territoriis, pratis, pascuis, aquis, silvis, necnon cum integro pariter termino illuc pertinente. Actum est autem in præsentia episcopi, assistente ei Egilperto, Deotperto, Faramundo, presbyteris et monachis. De canonicis vero, Eremperto, Ermanoldo, Germundo, presbyteris. Testes quoque sunt per aures tracti Harahad, Gerperht, Poso, Adalhun, Folcpold, Reginperht, Folcger, Richolt, item Ribholt, Ato, Gammo, Egilolf, Helfrih, Faramunt, Waldger, Liutprant, Liuthart, Rihmunt, Perehtrih, Freso, Reginhoh, Rasfolt, Nordheri, Gregorius, etc.

CAP. IX. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Engilpertum comitem.*

Omnium noverit industria fidelium quibuscunque per hujus chartulæ assertionem manifestetur intelligentia qualiter præsens (commutatio) pro ambarum utilitate partium peracta sit : quæ etiam liquidissima intellectui consistit subsequentium ordine litterarum. Ita igitur *Engilpertus* comes magna sublimatus præstantia tradidit ad sanctum Dei martyrem Emmerammum proprietatis suæ de silva jugera CXXX in loco Atinga nuncupato, in manum Ambrichonis venerabilis episcopi et advocati ejus *Wicrammi*. E

contra vero magnificus præsul ejusque advocatus prædictus de rebus sancti Emmerammi in eodem loco tradiderunt supradicto comiti Engilberto pratorum jugera XXIV, in proprium perpetualiter habendum. Isti autem sunt testes qui hoc viderunt et audierunt : Framrih, Wichad, Pernhart, Perehtgoz, Nanzo, Egilpreht, Engilhelm, Helmrih, Hartnand, Gatabelm, Plidker, Gotascalch, etc.

Cap. X. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Alawihum presbyterum.*

Fructuosa valde et honesta ac nimium utilis consuetudo olim inter homines inoleverat commutandi videlicet res quasdam pro ambarum commoditate partium. Eo igitur tenore ac ratione quædam commutatio convenit inter Ambrichonem Reginensis Ecclesiæ venerabilem episcopum, et quemdam nobilem presbyterum, Alawihum, cancellarium Rodoldi comitis venerandi. Tradidit namque præfatus presbyter pariter cum suo advocato in manum episcopi et advocati ejus Immonis talem proprietatem ut habuit ad Ottarpah, nihil extramittens, sed totum ex integro in potestatem sancti Emmerammi transfundens. Et ad Hacinhofa aream unam et jugera duo. E contra vero tradidit prædictus Immo una cum episcopo jam dicto ex rebus S. Emmerammi talem proprietatem ut Poppo quondam ad sanctum Emmerammum contradidit in loco nuncupante Holzhusa, Alawiho scilicet in proprietatem jure perpetuo possidendam, nihil extramittens, sed totum ex integro, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus et viarum redditibus fortissimo tenore transfudit. Vestitores vero Ratoldus, et Berehtricus et Immo fuerunt. Et ut hæc commutatio firmior in perpetuum et inconvulsa permaneret, placuit testes adhibere quorum nomina sunt : Albrat comes, Polo, Cundpold comes, Herrant, Perehtrih, Ratolt, Snelhart, Garaheri, Reginperht, Fridaperht, Kepahart, Somperht, Hunrih, Hisso, Helmger, Hiltrih, Grimuni, Gomerih, Sigiwunds, Cotascalch comes, Odalhart. Actum est autem in civitate Regina anno Dominicæ Incarnationis 871, indictione 4.

Cap. XI. — *Complacitatio inter Ambrichonem episcopum et Baldricum diaconum.*

In creaturis igitur nulli animantium datur sensus pro æterna remuneratione præmeditari posse seu qualem habeat beatitudinis portionem sine fine manentis pro factis bonis, nisi tantum animali ratione degenti, id est homini. Hanc igitur ecclesiasticus vir, nomine Baldricus, non est oblitus sensibilitatem, sed valde utiliter de futura animæ suæ mercede præcogitabat considerans divinum quod dicit : Date terrena ut acquiratis æterna. Eodem hic præfatus venerabilis vir instinctus eloquio tradidit quamdam pecuniæ suæ partem ad sanctum Emmerammum in manum reverentissimi præsulis Ambrichonis, et advocati ejus, nomine Walah, ea ratione quatenus proprietas quam patruus ipsius Otachar ad prædictum sanctum Dei contradidit in loco qui dicitur Rorpah ei remitteretur usque ad finem vitæ suæ, et ut post obitum suum eadem proprietas perpetuo jure in potestate S. Emmerammi permaneret una cum illa pecunia quam donavit ; id est : calix cum patena argent., Lectionar. II, Missal. II, librum Homeliarum, Gradal. II, Nocturnal. II, lib. Can. I, Psalterium I, Passion. II, Officiale I, Collectarium I, Pœnitentiale I : servum videlicet et ancillam, hoc est, Adalhoh et Imma, cavalli VI, et fetus qui ex eis post factam donationem fuerit, in illa proprietate cum cæteris omnibus ad sæpe dictum sanctum Dei martyrem stabiliter firmiterque pertineant. Quatenus hæc complacitatio firmior fiat, testes per aures tracti sunt quorum nomina subsequentur : Heriperht, Avo, Helfrih, Jacob, Erchanfrid, item Jacob, Salmon, Sigiperht, Erchanperht, Rupo, Cundachar, Erchanpold, Oto, Nidhart.

Cap. XII. — *Commutatio inter Baturicum episcopum et Sigimodum abbatem.*

Postquam orthodoxus vir sanctæ memoriæ Baturicus episcopus et Sigimundus abbas mutua inter se conventione facta tale concambium fecerunt, ut idem venerabilis præsul ipsi abbati in beneficium concambii concessit servos quos habebat ad Perindorf, et abbas e contra donavit quod ille possidebat juxta fluenta Labaræ. Contigit, ex parte Sigismundi, ut servi quos ipsi episcopus in concambium dedit injuriam sustinerent, et sæpe reclamarent ad præfatum pontificem ; quamvis hæc mitis idem audiret episcopus, voluit tamen dissensionem devitare, et ad ipsum abbatem loqui rogavit ut injuste contumeliam non paterentur servi ab eo quos in concambium accepit. Sed tamen nullo modo illud emendare volebat. Dum hæc ita se haberent, Baturicus episcopus juxta rationem condignam non ferens animo injuriæ causam servorum suorum venit cum amicis et hominibus ad supranominatum vicum obviam ipsi abbati. Et cum sedissent, facto silentio cum convenientia Baturicus præsul reddidit prior eidem abbati cum ferula sua concambium quod ab eo accepit, et abbas cum baculo suo eodem modo reddidit episcopo concambium quod cum illo gesserat. Et sic placitum quandoque se habere condixerant ; ut, si quando quid inter se de causis ipsis quærere voluissent, hoc tunc in caput constituissent. Ibi fuerunt præsentes Oto, Kamanolf, Rodolt, Swarzloh, Pillunc, Uzant, Cundheri, Pern, Erchanpold, Jacob, Marcho et alii. Actum est in vico supra scripto, an. Domini 829.

Cap. XIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Cundpertum.*

Fructuosa coadunatio et nimium utilis consuetudo inter homines olim inoleverat commutandi videlicet non solum ob locorum opportunitatem rerum facultates diversarum, sed forte, quod magis fore existimo, per placidam rei commutabilis æstimationem. Proinde quoque regalis hoc in antea fieri in rebus suis, et maxime ecclesiasticis, sanxit aucto-

ritas, et ita usque ad quinque hobarum supplementum constare concessit. Hoc autem numero expleto, si quælibet commutatio desideretur perficienda, haud aliter quam præcepto annuloque præfatæ magnitudinis firmetur. Ex hoc etiam cuidam nobili viro, nomine Cundberto, complacuit quamdam proprietatis suæ vicissitudinem peragere. Tradidit quippe ad S. Petrum apostolum, sanctumque Dei martyrem Emmerammum in manum Ambrichonis venerabilis episcopi et advocati ejus Ogonis talem proprietatem qualem habuit ad Purcpah, id est domum cum curte, ecclesiam et in ea capsam argent. I, altare argento parat. I, alia II, lapidem altaris argent., parat. II, calicem cum patena argentea, crucem argenteam I, Missale I, Lection. I, albam I, casulam coccineam I, tholam I, thuribulum æneum I, tintinnabulum I, campanam æneam II, pomarium I, vineam I, molam I, vivarium I, inter terram arabilem et prata hobas XIII, silvæ jugera CX, mancipia XI, id est Ratkis, Motuni, et filia ejus, Perehtwar cum filio et filia, Ciliga et filii ejus duo, Deotpurc, Nordpold. Ad Hapuhpah hobam I, ad Sulzpah hobam I, et molam I. Hæc etiam ad superiorem locum pertinent. Nihil ergo prætermittens in rivis rivorumque decursibus, pascuis, silvis, sed omnia ad prædictos sanctos tradidit atque transfudit. Ea siquidem ratione, si beneficium quod ad Filesa habuit ei in proprium regis præcepto donetur, id est, casam cum curte, ecclesiam, et in ea altare I, palliolum I, terræ arabilis hobas V, pratorum carrd. XL, silvæ jugera XXX, molam I. Et ibi prope in eodem termino hobam I quam Jacob advocatus in Megilone et fratre ejus Hungario lucratus est, pratorum jugera VIII, ad Hasalpah vero quod etiam illuc pertinet, casam cum curte, terræ arabilis hobas II, pratorum carrad. VIII, silvæ jugera V. Ibidem autem ad Filesa cui subsequentia appendent, sunt mancipia XI, id est, Wolfpero, Ratpoto, Heimpreht, Liutfrid, Otfrid, Anthad, Kisaloif, Somni, Helmdrud, Mahtlind, Chunipreht. Isti sunt autem testes auribus tracti traditionis ante nominati Gundperti: Ogo, Avo, Adalhun, Karaheri, Rodheri, Hittipero, Hitto, Erchanperht, Marcho, Lantperht, Liutperht, Folcrih, Ascrih et alii. Actum est ad Rockinga sub quercu quæ contra ecclesiam est, anno imperii Karoli super Baioarios et Francos primo.

A

B

C

D

Cap. XIV. — *Complacitatio inter Erchanfridum episcopum atque David.*

O quam caduca et fragilis hominum generatio quæ procul dubio miseræ morti semper fit obnoxia, et quam jocunda cœlestis vita, ubi erit sanctis sine fine lætitia! Hæc ego David summa intentione mentis perpendens trado quasdam res proprietatis meæ in locis nominatis ad Perge et ad Egiwila, quidquid in illis locis habeo cum mancipiis XXV ad S. Petrum ubi Erchanfridus venerabilis episcopus Dei Ecclesiam regere dignoscitur, eo tenore et ea ratione ut capellam ad Alarespurc, et si superstes soceri sui Werinperti fieret, illud beneficium ad Biuchem usque ad finem vitæ suæ possideret, et postea omnia emeliorata ad S. Petrum sine illius contradictione permaneant. Et, ut firmior et certior hæc ratio posteris consistat, placuit testes adhibere. Babo com. Meginhart, Ratolt, Masso, Elit, Epo, Sigimot, Odalperth, Walah, Avo, Jacob, Albrih, item Jacob. Testimoniales Waldker, Ogo, item Ogo, etc.

Cap. XV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Adalpertum.*

Fructuosa valde, necnon et nimium utilis consuetudo olim inter homines inoleverat commutandi scilicet quasdam res pro ambarum utilitate partium. Hoc tenore et hac ratione convenit inter Ambrichonem venerabilem episcopum et Adalbertum quemdam virum nobilem quasdam causas commutare. Tradidit namque advocatus episcopi Puolo cum consensu et jussu præfati episcopi et omnium monachorum S. Emmerammi martyris Christi talem proprietatem ut Wolfheri ad prædictum sanctum tradidit in Frumdorf jure perpetuo possidendum. Contra etiam tradidit in Reitinpoh Adalpertus talem concapacitatem, et proprietatem quam in illa concapacitate habet, conveniente ad causas prædicti sancti Emmerammi, quatenus sine ullius contradictione ad sanctum Dei pertineret perpetualiter. Facta est hæc commutatio anno Domini 866, indict. 13, in loco nuncupato Perehartesbusa in præsentia jam dicti episcopi et Rodolti comitis.

Cap. XVI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Chrestingum.*

Plurimorum sentiat industria fidelium, præsentium videlicet atque futurorum per relationem mei humillimi breviatoris qualiter reverendus Dei cultor Ambricho congruam commutationem cum quolibet campione nobili, nomine Chrestingo, peregit. Hic itaque robustus et ingenuus vir tradidit ad S. Emmerammum martyrem Dei, in loco qui dicitur Chelcheim, de terra arabili jugera XXI, et de silva satis pulchram portionem. Ut plerisque arbitratur, ejusdem silvæ sunt jugera XX, vel amplius. E contra vero venerabilis sanctæ sedis episcopus Ambricho una cum advocato suo Cundberto redonavit eidem prænotato nobili de rebus sancti Dei Emmerammi totidem jugera de arabili territorio æqualemque silvæ portionem in loco Arnhelmashova nuncupato, uterque inter se utilitatem vel commoditatem locorum conquirere studentes, sicut et fecerunt. Quatenus firmior existat a posterisque melius credatur hæc complacitatio, placuit duas chartulas inde exhibere patrio tenore scriptas, ac testimonialium nomina innotare qui sunt Ascrih, Adalhun, Cotaperht, fraterque ejus Irimperht, Helfrih, Paldrih, Cundhart, Arperht, Strupo, Hiltiprant, Rafolt, Engilpero, Odalscalch, Odalhart, Reginger, Cundperht et Ribho frater ejus.

CAP. XVII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Ogonem.*

Deo gratias quod valde utilis et nimium fructuosa olim inter homines inoleverat consuetudo et adhuc plerumque apud quosdam nobiles bene cauteque frequentatur commutandi videlicet quasdam res pro ambarum commoditate partium. Deinde complacuit fidelibus episcopi Ambrichonis ut illum instigarent ut fecisset unam commutationem cum fidele suo Ogone qui habuit bonas res, comparatas in proprietatem, bene pertinentes ad fiscos supradicti episcopi. Tunc Ogo confitebatur eo modo se fecisse, si bene restituereturˢ sibi. Et statim episcopus consuluit monachos atque canonicos, si voluntas illorum esset. Et illi dixerunt quod bene esset, si antea misisset suos fideles, et investigaret quæ pars melior esset. Tunc jussit episcopus Egilperto præposito, atque Avoni advocato, et Wolfhoho clerico et Deotfrido vicario, ut perrexissent, et investigarent atque emensurarent subtiliter cum pertica. Placuit illis, et indicaverunt episcopo eo modo quo invenerunt de proprietate Ogonis de terra arabili et de silva jugera CLXXVIII. Quod debuit episcopus e contra dare, fuerunt jugera CXXXIII. Tunc dixit episcopus ut melius fuisset, si interrogasset dominum suum regem, quomodo sua voluntas esset. Tunc dixit rex eo modo fieri sicut licentiam dedi, ut commutatio esset usque ad quinque hobas. Hæc dictio a rege dicta est in Idibus Junii. Postea convocavit domnus episcopus Ambricho suos monachos, atque canonicos et alios fideles suos, et fecerunt commutationem illam. Tradidit itaque supradictus Ogo ad S. Emmerammum in præsentia servorum Dei et advocati ejusdem ecclesiæ nomine Avonis in loco qui dicitur Puohhusa casam cum curte, et de terra arabili jugera LXX, et de silva jugera X, et ad Punninchova jugera X, et de silva jugera XXXIX, et ad Munolfinga casam cum curte jugera XXX, et de silva jugera XX. E contra quoque Avo advocatus præfati episcopi tradidit jam dicto Ogoni de rebus S. Emmerammi in loco qui dicitur Matinga casam cum curte, et de terra arabili jugera CXXXIII. Isti sunt qui præsentes tunc aderant de monachis : Egilperht, Faraman, Deotperht, Reginfrid, Adalgoz et cæteri fere omnes. De canonicis Sandrat, Ermanolt, Erchanperht, Wolfhoh, Rodolt, Rihholf, etc. Postea episcopus et sui fideles præceperunt Avoni advocato et Ogoni ut perrexissent ad concilium comitum ad Eitaraha ibique testes tracti essent per aures. Hoc fuit in præsentia Chuniperti comitis, et Cundopoldi comitis, et Rumoldi comitis. Isti testes sunt ibi tracti : Reginhoh, Pazrih, Nidhart, Rodmunt, Liudhart, Eparhoh, Wihmunt, Arhart, Perahtbelm, Pern, Erchanpold, Rodmar, Erchanfrid et cæteri.

CAP. XVIII. — *Commutatio inter Berehtgundam et Grimharium.*

Cunctorum industria fidelium agnoscat qualiter Berehtcund venerabilis matrona et Grimheri commutationem convenientem fecerunt. Tradidit itaque Grimharius ante nominatus nobilis ad S. Emmerammum terræ arabilis jugera XXX, et de pratis carrad. XIV in loco Stinpah nuncupato in manum Perehtgundæ atque advocati illius, nomine Lantberti. E contra vero illa Perehtgund ipseque advocatus Lantbertus, episcopo honorabili Ambrichone licentiam concedente, tradiderunt de rebus S. Emmerammi eidem nobili Grimhario ad Imminperc de terra arabili jugera XXX, et de pratis carrad. XII. Isti quoque ejusdem gestæ rei testes existunt auribus tracti : Strachol, Hunolt, Deotolt, Sigimunt, Meiol, Hunger, Amalger, Otperht, Reginhart, Deotcoz, Ermenperht, Ruodolf, Petilo, Hamadeo, Engilwart, Reginolt. Actum autem in Stinpah primo anno Karolomanni regis serenissimi

CAP. XIX. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Winichonem.*

Fructuosa valde, non solum honesta, sed nimium utilis consuetudo olim inter homines inoleverat commutandi videlicet pro commoditate utrarumque partium. Hac igitur ratione tradidit Winicho quidam nobilis ad S. Emmerammum proprietatem suam quam habuit ad Puocha et ad Stupinga nihil extra dimittens. E contra vero cum licentia Ambrichonis venerabilis episcopi et consensu fratrum Isan advocatus episcopi prædicto Winichoni ex rebus S. Emmerammi tradidit, in loco qui dicitur Buohloh, domum cum curte et ædificiis, de terra arabili jugera XIII, de pratis carrad. XII in proprietatem possidendam, et quidquid exinde pars parti contulerat liberam in omnibus habeant potestatem sine alicujus contradictionis obstaculo. Et, ut firmius hæc commutatio a posteris credatur, placuit testes adhibere quorum nomina sunt hæc : Folcrat, Masso, Immo, Luitprant, Wicpold, Waninc, Jacob, Adalscalh, Pazrih, Albrih, Altmar, Truogilo, Adalunc, Rafolt, Gotafort, Swapilo, Meginhart, Teorolnand.

CAP. XX. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Ellinpoldum.*

Fructuosa valde, et non solum honesta, verum etiam nimium utilis consuetudo olim inter homines inoleverat commutandi videlicet quasdam res pro ambarum utilitate partium. Hac siquidem ratione convenit inter venerabilem episcopum Ambrichonem et quemdam nobilem Ellinpoldum ista commutatio. Tradidit itaque præfatus Ellinpoldus ad S. Emmerammum in manum prædicti episcopi et advocati ejus Apponis de rebus proprietatis suæ ad Perga aream unam et pratum unum ad molinam instituendam. E contra vero jam dictus advocatus cum licentia episcopi tradidit Ellinpoldo de rebus S. Emmerammi partem areæ ad Hedinpah, id est, in longitudine perticas XII, in latitudine duas. Et ut hæc commutatio firmior esset et a posteris melius crederetur, placuit duas chartas uno tenore conscriptas inde exhibere et testes adhibere quorum nomina hic sunt : Erchanperht, Grimperht, Amalperht, Petilo, Otmar, Erchanhart, Amalrih, etc.

CAP. XXI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Reginpertum.*

Fructuosa valde jam olim inter homines et utilis nimium inoleverat consuetudo, scilicet ut res suas pro commoditate ambarum partium commutarent et utrinque, quod sibi contiguum esset, sumerent. Hac igitur considerata ratione nobilis quidem Reginpertus Ambrichonis venerabilis episcopi vasallus quasdam res quæ sibi ex conjugis suæ, nomine Wicbirgæ, consortio in hæreditatem cesserunt, in provincia Baoariorum in pago Tonocgewa, in villa Tuncilinga, id est, locum ædificii desertum, de terra arabili jugera XLVIII, prata ad carrad. XV, de silva jugera C, vias, aquas, vel quidquid in illo loco visus est habere, tradidit ad sanctum Dei martyrem Emmerammum, supra dicto accipiente episcopo advocatoque suo Cundperto. Et e contra eisdem tradentibus accepit de sancti supra dicti martyris rebus locum quemdam qui dicitur Puoh, prope curtem quæ vulgari vocabulo vocatur Tan Monachorum, id est Ecclesiam, curtem cum pomerio, de terra arabili æque ut dedit jugera XLVIII, prata ad carradas XV, de silva jugera III, et quidquid in eodem loco prius in beneficium visus est accepisse, ea videlicet ratione ut ipse et posteri ejus, vel cuicunque donare voluerit, hæreditario jure perpetualiter possideret. Denique, ut hæc insolubilior esset traditio, placuit ex utraque parte testibus Norico more auribus tractis affirmari, quorum etiam nomina, ne quis error posteros invaderet, congruum duximus ascribi : Cundpertus, advocatus Ambrichonis episcopi, qui, ut supra dictum est, hanc traditionem pariter cum episcopo et accepit et fecit. Teste Helfrico, Durinchardo, Waltungo, Askarico, Rodhario, Deotmaro, Rihpaldo, Rihperto, Cundhardo. Et ut nullum omnino foret ab utrisque partibus impedimentum, placuit duas assignari chartulas. Quippe unam in bibliothecam sancti martyris reponi, alteram vero a Reginperto jam supra dicto teneri. Actum est autem præsente episcopo jam sæpe nominato cæterisque quam plurimis anno Domini nostri Jesu Christi 879, indictione 12, regnantibus clarissimi regis Hludowici filiis Carlomanno, Hludowico, Carolo, anno 4.

CAP. XXII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Ekkihardum.*

Fructuosa valde, et non solum honesta, verum etiam nimium utilis consuetudo olim inter homines inoleverat commutandi videlicet quasdam res pro ambarum utilitate partium. Hac siquidem ratione convenit inter venerabilem episcopum Ambrichonem, et quemdam nobilem Eckihardum ista commutatio. Tradidit itaque præfatus Eckihardus ad S. Emmerammum in manum prædicti episcopi et advocati ejus Adalrici proprietatem suam quam habere visus est in loco qui dicitur Stargina, et servum unum. E contra vero jam dictus advocatus cum licentia episcopi tradidit ad Ewistun jam dicto Eckihardo de rebus S. Emmerammi de terra arabili æquali mensura et de pratis carradas III. Et, ut hæc commutatio firmior esset et a posteris melius crederetur, placuit duas chartas uno tenore conscriptas inde exhibere, et testes adhibere, quorum nomina sunt hæc : Rihhart, Sigiperht, Helmperht, Engilperht, Marcholt, Eparhart, Kepahart, Erchanpold et cæteri quamplurimi.

CAP. XXIII. — *Complacitatio inter Ambrichonem episcopum et Cundbatonem diaconum.*

Comperiat, imo etiam liquido plurimum industria fidelium quorumcunque auribus per præsentem chartulam subsequens traditio et complacitatio manifestetur, qualiter diaconus quidam venerabilis, nomine Cundbato, pro remedio animæ suæ cogitavit. Speravit namque, quod et omnino credendum est, si de rebus terrenis sanctas Dei ecclesias ditaret, ut inde sibi corporalis cura ac animæ salus æterna amplificaretur. Quapropter ergo divino cogitatu instinctus tradidit proprietatem suam, quam habuit ad Quartinaha juxta Bilisaeo, ad sanctum Dei martyrem Emmerammum, domino suo Arnolfo filio regali permittente a quo eam in possessionem accepit. Tradita est autem prædicta proprietas ab eodem venerabili Cundbatone pro domino suo Arnolfo et pro se in ipsam aram S. Emmerammi in manum videlicet Ambrichonis reverentissimi præsulis et advocati ejus Gundberti ; id est, ecclesiam S. Joannis evangelistæ cum omnibus pertinentiis et adjacentiis suis, cum curte et parochia, et cum omnibus illuc concessis, mancipiis, agris, cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis, decimis, aquis aquarumque decursibus locis illis traditis, id est, ad fluvium Salam quod Froperht jam olim in beneficium habuit et ad Velih, cæterisque omnibus mobilibus et immobilibus. E contra vero præfatus Gundpertus advocatus consentiente domino suo episcopo tradidit de rebus S. Emmerammi ante nominato Gundbatoni venerabili diacono quod Chezil Dux jam quondam pro remedio animæ suæ ad prædictum sanctum condonavit juxta amnem qui dicitur Raba; ea scilicet ratione, quatenus idem Gundbato ambas res illas firmiter atque utiliter possideat usque ad obitum suum. Post vero integriter cuncta ad sæpe jam dictum Dei sanctum redigantur et restituantur. Et ut hæc auctoritas traditionis firmior habeatur, subnotati testes per aures trahuntur : Polo, Jacob, Reginhoh, Solomon, Eckirih, Adamar, Avo, Fastmot, Gotaperht, Irmperht, Heripold, Unlaz, Pernhart, Herrant, Engilscalh, Erchanperht, Reginhart, Strupo, Hungis, Ambricho, Liutperht, Sigihart, Vicker, Patto. Item Avo, Switker, Gammo, Adalrih, Salacho. Insuper etiam juxta ipsam Aram prædicti sancti ille episcopus eidem Gundbatoni licentiam concessit, ut mancipia S. Emmerammi quæ ultra Rabam fuga lapsa sunt inquirat, et capiat et in eadem res ecclesiæ constituat, ut post obitum suum, sicut supra diximus, cuncta emeliorata ad sanctum Dei martyrem Emmerammum revertantur.

CAP. XXIV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Ernustum.*

Concambium inter Ambrichonem episcopum et Ernustum quemdam venerabilem virum. Dedit igitur Ambricho ep. de rebus sanctæ Ecclesiæ jugera XXVI in loco qui dicitur Gundpatinga. Et e contra dedit Ernustus de rebus proprietatis suæ jugera XXVIII in loco qui dicitur Preitprunnin, ea videlicet ratione, ut, si quis successor jam memorati episcopi hoc concambium mutare conaverit, tunc potestatem habeat Ernost res suas convertere quocunque voluerit. Et hæc nomina circumstantium, atque audientium : Erchenmar, Willihelm, Wichart, Anthelm, Eigil, Reginhart, Herilung, Anzo, Gundpold, Gerolt, Drudolt, Hartnid, Helfrih, Eckirih, Weladeo, Ato, Ermanolt, Rodeog, Merimuz, etc.

CAP. XXV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Richelmum.*

Fructuosa valde, et non solum honesta, verum etiam nimium utilis consuetudo olim inter homines inoleverat commutandi videlicet quasdam res pro ambarum utilitate partium. Hac siquidem ratione convenit inter venerabilem episcopum Ambrichonem, et quemdam Dominicalem servum Rihhelmum ista commutatio. Tradidit itaque præfatus Rihhelmus in manum supradicti episcopi et advocati ejus Habardi de rebus proprietatis uxoris suæ pratum unum habens jugera XII, et de arabili terra jugera VIII quæ sunt sita juxta cellulam quæ dicitur Dehtapeta. E contra etiam jam dictus advocatus cum licentia episcopi tradidit jam sæpe dicto Rihhelmo de rebus sancti Petri de arabili terra jugera XX quæ sunt sita prope villam quæ dicitur Winzara. Et ut hæc commutatio firmior esset et a posteris melius crederetur, placuit duas chartas uno tenore conscriptas inde exhibere et testes adhibere quorum nomina sunt hæc : Kaganhart, Ciliman, Pezo, item Ciliman, Odalperht, Engici, Eiorih, Plidker, Salacho, Alpgoz, Amalheri, Sono, etc.

CAP. XXVI. — *Traditio Avalunæ.*

In Dei nomine tradidit Avaluna ad S. Emmerammum mancipia X quorum nomina sunt : Leva, Kerhart, Paldrih, Folerat, Willirih, Deotperht, Willipurc, Reginpold, Cotaperht, Kisalfrid. E contra vero immo advocatus et Ogo tradiderunt de rebus S. Emmerammi prædictæ Avalunæ in proprietatem mancipia V, id est : Unroh, Helidolf, Snelhart, Hitto, Egilwih. Hi sunt testes : Ogo, Masso, Epucho, item Epucho, Wago, Isanpero, Adalperht, Rodolt. Actum est ad Potinreinna.

CAP. XXVII. — *Traditio Ratharii cujusdam Romani.*

In nomine summi Dei notum sit omnibus Christianæ religionis hominibus, talem scilicet causam scire volentibus, quod ego Ratheri pro futura mercede cogitans ac servitii mihimet placiti memor, propriam ancillulam meis videlicet laboribus acquisitam, nomine Ellinpurgam ad altare Dei, quod constat dicatum in honore S. martyris Emmerammi tradidi propriamque post obitum meum illi loco dicavi. Quippe ea ratione, ut inde patrocinium ac defensionem speraret, atque per singulos annos nihil plus quam quatuor denarios persolveret, reliquum quoque vitæ hujus tempus proprio dispensaret arbitrio. Denique tres filios meos, quos mihi supra nominata genuit mulier, nomine Alawinum, Johannem, Bernhardum, liberos atque ab omni servitutis humanæ vinculo securos reliqui. Fratribus quoque meis præsentibus, nomine Allino et Alawino, et in utraque re, id est feminæ filiorumque libenti animo consentientibus. Actum autem hoc coram civibus urbis regiæ Ratasponensis quorum nomina cernuntur in subjecto : Lantolt subvicarius civitatis, Adalpero exactor telonei, Odalman, Egilolf, Ratker, Wolffrid, Ratcoz, Huntolf, Otwin, Welo, Wachilo, Adalrat, Enei.

CAP. XXVIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Rihcowonem.*

Fructuosa valde et nimium utilis consuetudo olim inter homines inoleverat commutandi videlicet quasdam res pro ambarum commoditate partium. Hoc quoque quidam nobilis, nomine Rihcowo, non præteriisit, sed etiam tradidit ad S. Emmerammum proprietatem suam quam habuit in illa marca ad Menzinpah in manum Ambrichonis venerabilis episcopi et advocati ejus Garaharii. E contra vero idem advocatus cum licentia episcopi tradidit prædicto Rihcowoni de rebus S. Emmerammi ad Talamazinga terræ arabilis jugera VIII, et nemusculum unum. Isti autem sunt testes concambii hujus : Unlaz, Erchanfrid, Askarih, Deotmar, Helfrih, Sigifrid, Timto et cæteri.

CAP. XXIX. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Engilmarum et fratres ejus.*

Nonnullorum comperiat industria fidelium quorumcunque auribus hujus chartulæ injuncta fuerit notitia qualiter Ambricho reverentissimus præsul, et quidam vir nobilis, nomine Engilmarus, germanique ejus, Mezi videlicet atque Vitalis pro utrarumque utilitate partium commutationem perfecere præsentem. Tradidit namque prædictus puer Engilmarus cum fratrum suorum consensu ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum talem proprietatem qualem habuit ad Menzinpah, nihil extra dimittens nisi tribus carris ligna sumenda ac pastum porcis XL. Cætera vero omnia sine ulla contradictione ad prædictos sanctos contradidit in manum Ambrichonis vener. ep. et advocati ejus Gundberti ; id est, casam cum curte, marcam silvæ bonam, terræ arabilis jugera XLIII, pratorum carradas XXX et servum unum, nomine Othelmum. E contra autem præfatus magni meriti episcopus et advocatus suus Gundbertus tradiderunt eisdem viris nobilibus de rebus S. Emmerammi ad Sallahopit casam cum curte, ecclesiam et quidquid in ea fuit. Terræ arabilis jugera XLV, pratorum carradas XXX, silvæ

lucos II et servum unum, nomine Egilwolfum. Sunt etiam testes hujus commutationis auribus tracti : Ogo, Adolf, Avo, Strupo, Sinzo, Helfrih, Hartwic, Truhthad, Hawart, Unlaz, Cheftinc, Engilperht. Actum coram Engildeone comite et Engilmaro abbate, regnante Karolo imperatore.

CAP. XXX. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Salamannum.*

Fructuosa valde et mirabiliter utilis olim inter homines inoleverat consuetudo commutandi videlicet quasdam res pro ambarum opportunitate partium. Idem quoque Salomanno cuidam nobili viro imitandum complacuit suam fideliter præcogitando commoditatem. Tradidit namque paulo superius nominatus nobilis ad S. Dei martyrem Emmerammum proprietatem uxoris suæ Adalburnæ, consentiente illa, qualem ad Menzpah hæreditario jure habere visus est, in manum Ambrichonis ven. ep. et advocati ejus Helfrici. Hoc est, in territorio culto et inculto, silva ejusque termino, pratis, aquis et earum decursibus, necnon et omnia quæ ibidem habuit ex integro ad prædictum sanctum tradidit atque transfudit. E contra vero præsul et prædictus advocatus de rebus S. Emmerammi tradiderunt eidem nobili territorium ad Reitinpoh quod Otmar jam quondam tradidit ad sanctum jam sæpe dictum. Testes autem hujus commutationis sunt hi : Avo, Strupo, Rupo. Ogo, Hahart, Polo, Unlaz, Hiltipero, Hatto et cæteri.

CAP. XXXI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Ratkardum et fratrem ejus.*

Igitur fructuosa valde et plurimis consuetudo utilis jam olim inter homines inolescere cœpit commutandi scilicet quasdam res propter ambarum commoditatem partium, quod et nunc magis magisque, maxime autem apud nobiles frequentatur. Hoc ergo quidam generosi viri, uterini videlicet fratres, vocabulis nuncupati Cundhart et Rathart, ob suam utilitatem præterire noluerunt. Nam hi præfati viri tradiderunt ad S. martyrem Emmerammum in manum Ambrichonis vener. ep. illiusque advocati nomine Gundberti in loco Atinga nuncupato curtes duas cum totidem domibus, terræ arabilis jugera LXX et noval. jugera X, de pratis ad carradas XXV, de silva læne provisa jugera XX, et molinam unam. E contra vero prænotatus cultor venerabilis et advocatus ejus de rebus B. martyris Dei Emmerammi tradiderunt illis nobilibus, quippe ad Totinaccharon Cundhardo casam cum curte, de rure jugera LII, de pratis carrad. I, et Rathado casam cum curte, territorii jugera XLII, pratorum ad carrad. XII, de silva jugera III, in loco qui Vekkinga vocatur. Et, ut hoc stabile permaneat in futuro a posterisque melius credatur, placuit duas chartulas pari tenore scribere.

CAP. XXXII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Altoldum diaconum.*

Nonnullorum comperiat industria fidelium quorumcunque auribus hujus chartulæ inseratur notitia. Tradidit igitur diaconus quidam venerabilis, nomine Altoltus, ad sanctum Dei martyrem Emmerammum talem proprietatem qualem habuit ad Atinga in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Wicrammi, id est terræ arabilis et pratorum jugera XXX, et frutices ad exstirpandas jug. XV et eo amplius. E contra vero prædictus advocatus, nomine *Wicrammus*, tradidit de rebus S. Emmerammi cum licentia domini episcopi eidem venerabili diacono terræ arabilis jugera XXX, ac silvæ jugera VI, et pratorum carradas IV et aream I. Et hoc est juxta lacum qui dicitur Munituna, quatenus præfatus sanctus suarumque rerum provisor illud possideat ad Atinga, et ille placidæ præstantiæ diaconus illud firmiter obtineat ad Munituna. Et, ut hæc commutatio ita firma persistat, placuit duas chartulas pari tenore conscriptas exhiberi cum testibus subnominatis, id est Polo, Adolf, Avo, Strupo, Karaberi, Cotaperht, Helfrih, Liuthart, Waltunc, Erchanperht, Hungis, Adalhun. Actum autem ad Rockinga, præsente Engilmaro, et Hittone abbatibus, ac Sandrato archipresbytero atque Reginone diacono.

CAP. XXXIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Lantpertum.*

Nonnullorum noverit industria fidelium qualiter reverendus Dei cultor Ambricho concambium cum quodam manumisso, nomine *Lantperto*, peregit. Ille namque vir nuper ante nominatus tradidit ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum proprietatis suæ de terra arabili jugera CL in manum Ambrichonis ven. ep. et advocati ejus Helfrici, et hoc jacet juxta castellum Erilinga nuncupatum. E contra vero prædictus advocatus cum consensu episcopi tradidit eidem Lantperto de rebus sanctorum, quos prænotavi, terræ arabilis jugera CXXXIII in loco Eidrateshusa nuncupato. Et ut hæc commutatio firmior habeatur, placuit duas chartulas uno tenore conscriptas exhibere.

CAP. XXXIV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Adolfum.*

Per compendiosum hujus chartulæ narratum cujuspiam affectum commutationis pandere conabor omni aurem accommodare volenti. Tradidit ergo vir quidam nobilis, nomine Adolf, ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum in manum Ambrichonis vener. ep. et advocatorum ejus, Helfrici videlicet atque Gundberti, proprietatem suam quam habuit ad Husun, id est terræ arabilis jugera LXIII, casam cum curte, horreum quoque, atque pomarium, pratorum carradas IX, silvæ jugera XXV. Necnon etiam omnia quæ sua sunt eidem loco appendentia ad prædictos sanctos contradidit atque transfudit. E contra vero Helfricus et Gundbertus cum consensu episcopi tradiderunt prædicto nobili Adolfo de rebus sanctorum in loco Altaha nuncupato casam cum curte, horreum, pomerium, terræ arabilis et pratorum jugera LX, et terminum in silvam

copiosum. Hujus autem traditionis testes sunt Polo, Avo, Strupo, Heidfolc, Gataperht, Irmperht, Perehtrih, Isanperht, Sindperht, Adalhun, Hiltiprant, Patarih. Ilpunc.

Cap. XXXV. — *Commutatio inter Ambricionem episcopum et Polonem.*

Multorum agnoscat industria fidelium qualiter quidam servi quarumlibet suarum rerum, dominis scilicet magistrisque suis non contradicentibus, commutationem peregerunt. Dedit ergo Polo vicarius regis dimidiam hobam Cotabaldi filii Kaganhardi ad Chuningesdorf, et aream 1 et pomerium 1 servo S. Petri, nomine *Rinconi*, in manum ven. ep. Ambrichonis, atque advocati illius Helfrici. E contra vero advocatus Polo ante nominatus præsente episcopo dedit hobam unam areamque unam Rinconis servi S. Petri Cotabaldo famulo regis in manum Polonis in villa quæ vocatur Tanhusa. Hæc ergo commutatio facta est Ambrichone episcopo permittente et Polone in domo episcopi inter Erilapah et Menzinpah constructa.

Cap. XXXVI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Posonem.*

Olim igitur utilis et fructuosa inter homines consuetudo subolescere cœpit, commutandi videlicet quasdam res pro ambarum commoditate partium, quod et moderni siquidem plerumque peragere conantur crebrius ac crebrius commutantes vestigia imitando antecedentium patrum. Id etiam quidam nobilis vir, nomine Poso prætermittere noluit, sed propter utilitatem suam tradere studuit ad sanctum Dei martyrem Emmerammum quamdam partem proprietatis suæ, quod et perficiebat. Hoc est, ad Perga et Hasalpah inter agros cultos et incultos, pratorumque terminos jugera CXVIII in manum quoque venerabilis Dei cultoris Ambrichonis ep. et advocati ejus Adalhuni. E contra vero idem venerabilis præsul suusque advocatus de rebus S. Emmerammi ad Hedinpah et Tecchinpah tradiderunt præfato nobili æqualem partem agrorum atque pratorum. Et ut firmius in futuro permaneat traxerunt testes quorum nomina sunt : Ogo, Adolf, Sindperht, Tevit, Grimperht, Embricho, Engilmar, Otachar, Rihker, Helfrih, Albrih, Gammo, Petilo, Unlaz, Cotabelm, item Embricho.

Cap. XXXVII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Hahardum.*

Nonnullorum cognoscat industria fidelium, quorumcunque auribus hujus chartulæ injungatur effectio, quam utiliter ac honeste commutatio subsequens perficeretur. Karolus igitur imperator licentiam donavit cuidam nobili, Hahardo nomine, quamdam commutationem beneficii sui agere, missosque prudentes direxit eam valde caute perficere, Willihelmum videlicet atque Sindbertum, necnon et Hadamarum. Tunc quippe præfatus nobilis tradidit ad S. Emmerammum cum consensu domini sui Cæsaris in manum Ambrichonis vener. ep. et vicarii sui Ogonis de terra arabili et de pratis jugera CLXX, juxta fluenta Fattaræ in loco Bozilinga nuncupato. E contra vero præsul venerandus et vicarius suus dederunt eidem nobili, de rebus S. Emmerammi, terræ arabilis jugera LXX et silvæ LX in loco qui dicitur Hiltinchova, juxta Isuram fluvium. Et ut hæc commutatio firma ac inconvulsa habeatur, placuit duas chartulas pari tenore conscriptas utrinque continere.

Cap. XXXVIII. — *Traditio Hiltigardæ ad Mencinpah.*

Noverit plurimorum capacitas fidelium per chartulæ hujus notitiam qualiter Hiltigart divino compuncta instinctu pro se suorumque parentum remedio res suas tradendo operata est. Talem itaque proprietatem qualem habuit ad Menzinpah, eadem Hiltigart tradidit ad S. Emmerammum in manum Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati, nomine Helfrici, hoc est, territorium arabile et inarabile, prata, aquas, aquarumve decursus, terminum silvæ, necnon omnia quæ ibidem habuit, ad prædictum sanctum contradidit, nihil quippe prætermittens, nisi tantum in termino ejusdem silvæ ligni incisionem ad unum carrum. Hoc autem testificantur Berehtcoz, Ogo, Avo, Strupo, Rodmunt, Liutperht, Erchanperht, Rupo, Avo, Hiltipero, Ambricho, Adalpold, Walah, Gammo, Eparhart.

Cap. XXXIX. — *Traditio Engilberti atque Gundperti diaconi.*

Commemoratio traditionis Engilperti atque Cundperti diaconi ac nepotis sui. Tradidit igitur Engilpertus atque Cundpertus nepos ejus in pago *Rotacgewæ* in villa nuncupata Skefowa ad monasterium Maninseo ad sanctum Dei archangelum Michaelem quidquid ibidem in illa villa habere visus est, casam cum curte, reliquisque ædificiis, terris, pratis, pomerio, vivariis, pascuis, silvis, mancipia VI quorum nomina hæc sunt : Rodker, Lantker, Paldmunt, Reginpure, Rihdrud, Rihger. Omnia hæc supradicta ex integro firma ratione nullo contradicente supradicti Engilpertus scilicet atque Cundpertus tradiderunt; illo tamen tenore, ut hoc beneficium in villa nominata Ezinpah et etiam ipsam supradictam traditionem *Skefowa*, quandiu ambo vixissent, proprio jure possiderent. Isti sunt testes per aures tracti : Kerolt comes, Kerolt filius ejus, Ratolf vicarius, Antrih vicarius, Pazrih, Cundperht, item Antrih, Isanperht, Meginpold, Gerhart, Hotto, Kerhoh, Ato, Adalhoh, Erchanfrid, Lantperht, Ratolt, Saxo, Wlfrih, Avo, Samuel, Nothart, Cundhart, Wirunt, Otachar, Reginperht, Isanger, Cuniperht, Rato, Engilscalh, Otker, Cozolt, Otperht, Gisalmunt, Mahtheri, Cundpold et cæteri. Fidejussores Pazrih, et Cundperht ex utraque parte. Erchanfridus episcopus et advocatus ejus Cundpertus acceperunt illam traditionem, et concesserunt supradictum beneficium prædictis diaconibus Engilberto atque Cundberto cum consensu monachorum. Actum ad Rota in ecclesia anno Dominicæ Incarnationis 852.

CAP. XL. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Morenzonem.*

Fructuosa valde et honesta consuetudo olim inter homines inoleverat commutandi videlicet quasdam res pro ambarum utilitate partium. Ea igitur ratione tradidit Morenzo cum licentia venerabilis episcopi Ambrichonis de rebus S. Emmerammi ad Otmuntingon jugera VII cuidam viro nobili Wolframmo in proprietatem. E contra vero prædictus Wolframmus tradidit ad S. Emmerammum de rebus proprietatis suæ jugera VII ad Scussinchofun. Et ut hæc commutatio firmior esset et a posteris melius crederetur, placuit duas chartas uno tenore inde haberi conscriptas, unam ad sanctum Dei, et aliam viro prædicto.

CAP. XLI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Ekkiricum.*

Usus jam olim apud veteres nimium fructuosus pollere cœpit commutandi videlicet quasdam res pro ambarum utilitate partium possessiones. Proinde quoque modernis temporibus hoc inantea fieri in ecclesiasticis frequentissime facultatibus regum sanxit auctoritas, idque usque ad quinque hobarum numerum constare permisit. Ex hac igitur imitatione quidam nobilis Ekkiricus nomine inductus tradidit ad sanctum Dei martyrem Emmerammum proprietatem suam, quam habuit ad Homeres, in manum Ambrichonis ven. ep. et advocati ejus Reginhohi, id est, casam cum curte, terræ arabilis jugera XLVI, pratorum carradas XXVI, silvam copiosam, molam unam, aquas, aquarumque decursus, una cum omnibus ad eumdem locum accedentibus ad prædictum sanctum contradidit atque transfudit. E contra vero ante nominatus advocatus cum episcopi consensu tradidit Ekkirico de rebus S. Emmerammi ad Espilipah casam cum curte, ac totidem jugera agrorum et pratorum in perpetuo habendum simul cum omnibus illuc pertinentibus. Sunt quidem testes per aures tracti ejusdem vicissitudinis Ogo, Willihelm, Oto, Helfrih, Adalperht, Sigiperht, Helinger, Gammo, Erchanpold, Pern, Gemmunt, Rafolt, Nidhart et cæteri.

CAP. XLII. — *Traditio Engilmari presbyteri.*

Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet et futuris, quod quidam presbyter, nomine Engilmarus tradidit mancipia VII ad S. Petrum, quorum nomina sunt hæc : Zeiza, Sigipirc, Wolfo, Asflat, Toto, Nordker, Rodmunt, et conciliavit ut Zeiza scoparet tantum ecclesiam S. Petri, et illi serviret quod potuisset; Asflat autem serviret Wolfoni clerico et fratri suo ad dies vitæ suæ, et post obitum ejus ad eamdem traditionem constaret. Hanc traditionem excepit Salomon vassus Ambrichonis ven. ep. Et isti sunt testes per aures tracti : Durinchart, Hiltipero, Perchteoz, Pillunc, Folrat, Reginhoh, Ekkirih, Arperht, Egilfrid, Erchanfrid, Adalger. Wippo, Adalperht, Otili, Anthelm, Strupo. Factum est in ecclesia S. Petri.

CAP. XLIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Otmarum.*

Multum namque utilis et nimium commoda consuetudo jam olim inter homines inoleverat quod res suas inter se pro aptis finibus locorum commutare cœperunt. Pro eadem utilitate ambarum partium convenit inter vener. ep. Ambrichonem et quemdam virum nobilem, Otmarum nomine, ut aliquam rerum suarum inter se commutationem facerent, quod et ita fecerunt. Tradidit igitur prædictus Otmar ad S. Emmerammum de rebus proprietatis suæ aream unam, et de terra arabili jugera IX in loco nuncupato Ipah. Et e contra dedit venerandus præfatus episcopus de rebus S. Emmerammi in eodem loco Ipah in proprietatem habendam ipsi Otmaro de terra arabili jugera X. Isti sunt testes utriusque traditionis : Ogo, Pirihtilo, Walah, Terpiton, Jacob, Erchanfrid, Willihelm, Willipold, Parto, Meiol, Ekkirih, Adalger, Ludo, Wago, Isanpero, Reginhart Amalker. Anno Domini 865.

CAP. XLIV. — *Traditio Otberti Castaldi.*

Breve commemoratorium de rebus Otberti Castaldi de Longobardia, quas dedit ad S. Emmerammum, quæ sunt in Statuaras. Inprimis casas duas cum introitu suo et hortum, olivas X, de prato partes tres, vineæ perticas duas, de terra aratoria perticas VI. Et de ipsis rebus fuit investitus in præsentia Plagiverti, et Ratberti, et Batruini de Banilo, et Gunduini, et Gumarii de ipso loco, et alii homines fuerunt ibi de Romania, Florinus, et Manulfus, et Valerius, et ipsas res pro anima Otberti Castaldi in casa S. Emmerammi accepit Liutpold presbyter et Heimo laicus de Ergoltespach.

CAP. XLV. — *Traditio Einhardi presbyteri et Erhardi.*

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Cogitando cogitavimus ego Einhardus presbyter et Erhardus de futura beatitudine et illorum retributione qui vitam meruerunt habere æternam. Ideoque tradidimus proprias res nostras quas habere visi sumus in vico nuncupante Wolfmuntingas ad monasterium Adlwini episcopi quod situm est juxta fluenta, quæ vocatur Rehtratanze ad sanctum Salvatorem pro remedio animarum nostrarum, vel parentum nostrorum, ecclesiam cum ædificiis, terris, silvis, campis, pratis, molendinis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus et immobilibus, casas vel scurias, et hæc firmata esse volumus perpetualiter. Postmodum venerunt Adalwinus episcopus cum multis nobilibus viris in ipso vico qui vocatur Wolfmuntingas, et tunc in præsentia eorum Einhardus et Erhardus et uxor ejus Willipure traditionem fecerunt coram ipsis cum ecclesia, ædificiis, terris, silvis, campis, pratis, molendinis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus et immobilibus, casas vel scurias, et omnia ædificia et tegumenta tradiderunt ad S. Salvatorem, sicut hic superius scriptum est. Et vestitudinem fecerunt Adalwino episcopo de his omnibus quorum hic commemoravimus, exce-

ptis locis quæ dicuntur Turunfeld et Altstat. Et Willipure tradidit mancipia quatuor. Et convenit nos, ut Pernhardus filius Erhardi habeat ibidem suo pecori pascua et de silva utilitatem ad suum usum, in ea vero ratione ut, quandiu vixissent, in eorum sit potestate. Post vero discessum eorum redeat, sicut superius in traditione continetur, ad monasterium S. Salvatoris quod Adalwinus episcopus gubernare visus est, ad utilitatem servorum Dei qui in eodem loco Deo servire noscuntur. Si quis vero, quod fieri non credimus, aut nos ipsi, aut aliquis de hæredibus nostris, aut ulla opposita persona, quod futurum esse non credimus, contra hanc chartulam traditionis inire tentaverit, non valeat vindicare, sed ista charta a die præsenti et deinceps firma omni tempore et inviolata maneat stipulatione subnixa. Hæc autem traditio facta est in præsentia Adalwini episcopi et aliorum nobilium, quorum nomina hæc sunt : Hadager, Wicterb, Sigihart, Adalperht, Wicco, Grimuni, Meiol, Waldperht, Erchanloh, Huswart, etc.

CAP. XLVI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Arnmodum.*

Comperiat multorum industria virorum qualiter venerabilis Dei cultor Ambricho episcopus ac quidam nobilis Arnmodus in invicem commutarunt res suas ob ambarum utilitatem portionum. Tradidit itaque præfatus vir nobilis ad S. Dei martyrem Emmerammum proprietatis suæ partem unam. Hoc sunt terræ arabilis jugera XII in loco qui dicitur Lipolfinga, in manum quoque Ambrichonis venerabilis episcopi et advocati ejus Atonis. E contra vero bis præscriptus præsul cum advocato suo tradidit eidem nobili de rebus S. Emmerammi in eodem loco totidem jugera de terra cu.ta. Et ut hoc inconvulsum permaneat, placuit etiam duas chartulas exhibere uno tenore conscriptas.

CAP. XLVII. — *Complacitatio quam Thevit et Erhilt uxor ejus fecerunt.*

Commemoratorium renovationis illius traditionis, quam Thevit quidam nobilis et Erhilt uxor ejus jam pridem ad sanctum Emmerammum perfecerunt. Venit namque Ambricho venerabilis episcopus in ecclesiam S. Emmerammi, et Pernhardus et alii multi ejusdem provinciæ nobiles viri. Tunc prædictus Thevit accessit ad aram S. Emmerammi et renovavit traditionem suam antiquam, tradendo videlicet talem proprietatem ut habuit ad Hornpah, et IV mancipia quorum nomina sunt : Hucimor, Gamanhilt, Deotfrid, Wal hilt. Nihil de omnibus extra dimittens quæ in hoc loco Hornpah habere visus est. Ea tamen ratione ; ut sua beneficia omnia in proprietatem haberet usque ad finem vitæ suæ, et Erhilt, si diutius viveret, in proprietatem possideret ; post amborum namque obitum omnia prædicta emeliorata cum acquisitione illorum sine ullius contradictione ad sanctum Dei constarent jure perenni. Hanc renovationem et vestituram accepit prædictus venerandus episcopus et Helfricus advocatus ejus. Erlapold fidejussor et testis erat ; et alii vero multi testes : Pernhart, Ogo, Reginperht, Isanperht, Terpaton, Walto, Saxo, Uzant, Rihholf, Durinchart, Hiltrih, Erchanfrid, Pazrih, Sigivuns, Salomon, Sigihart, Folcrat, Dancholf, Liutperht, Lantperht. Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini 868.

CAP. XLVIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Gerpertum.*

Valde vennsta et utilis nimium jam olim inter homines inolevit consuetudo ut res suas sub reconciliatione commutarent. Quapropter convenit inter venerandum episcopum Ambrichonem et Kerpertum vassum suum, ut et ipsi inter se pro utilitate ambarum partium in rebus suis commutationem facerent. Tradidit igitur prædictus Gerpertus quidquid habere visus est proprietatis in villa, quæ dicitur Sempinchova, necnon et in villa quæ vocatur Altaha ; id est, servos II quorum nomina : Frumolt et Walger, et terram, prataque, et omnia, ut supra scriptum est, quæ in his duobus locis visus est habere, sancto Emmerammo tradidit in manus episcopi et advocati sui Wicrammi, et de terra arabili jugera XX et de pratis carradas XXX ; plus tradidit Gerpertus quam accepisset. E contra tradiderunt episcopus et advocatus ejus Wicrammus ipsi Gerperto in proprietatem jure perenni quidquid sanctus Emmerammus visus est habere in villa quæ vocatur Pilinga, et servos II, Lupum et Winimarum. Et isti sunt testes utriusque traditionis : Lantpero, Uzant, Engilscalc, Adalperht, Lantperht, Liuthart, Fastmot, Otker, Horscmot, Helfant.

CAP. XLIX. — *Commutatio inter Ambrichonem et Witoldum.*

Noverit hujus chartulæ relationem plurimorum industria fidelium qualiter quarumlibet rerum commutatio ambarum ob utilitatem partium peracta sit. Tradidit itaque *Witoldus* quidam nobilis ad S. Emmerammum jugera IV in manum Ambrichonis venerab. ep. et advocati sui Rodkarii, juxta Pilsea quoque in loco qui dicitur *Niwinhusa*. E contra vero in eodem termino, piissimo rege Karlomanno permittente, tradidit prædictus advocatus eidem nobili de rebus sancti Dei martyris Emmerammi, consentiente Episcopo, jugera III. Actum est ergo ad locum Chirichun in præsentia *Geioxis* atque Rumoldi comitum, astantibus primatibus pagi illius. Et isti sunt testes qui hoc testificant per aures tracti : Milo, Perchtheri, Perchtcoz, Offo, Rodolf, Lantperht, Egilpern, Hadager, Pero. Placuit etiam duas chartulas de hoc exhibere uno tenore scriptas, quatenus melius credatur.

CAP. L. — *Traditio Chocilonis comitis.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Notum igitur fieri volumus cunctis Christianis fidelibus et infidelibus, præsentibus sc. et absentibus, necnon et futuris, quod ego Chozil humillimus comes de hæreditate mea tradidi ad S. Emmerammum in proprietate n ad Stromogin quantum Gundpoldus habuit in

proprietatem et in beneficium in villa nuncupante Reginwartesdorf, et in Rosdorf, cum terra, aratura, vineis, atque pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, et in omnibus marchis. In nomine Domini. Amen. Hi sunt testes : Ratpot comes, Gundram comes, Gundpold comes, Huogo, Hunolf, Engildeo, Gundpold, Puoso, Cotahelm.

CAP. LI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Alawicum presbyterum.*

Fructuosa et honesta ac nimium utilis consuetudo jam inter homines inoleverat commutandi videlicet quasdam res pro ambarum commoditate partium. Ex hac igitur consuetudine quidam vir nobilis, nomine Alawih quoque presbyter provocatus, tradidit a I S. Emmerammum una cum advocato suo Gundalperto in manum Ambrichonis reverentissimi præsu- B I s et advocati ejus Adalrici talem proprietatem qualem habuit ad Ottarpah quam ei Hludowicus piissimus rex præcepto auctoritatis suæ condonare dignatus est in perpetuam possessionem. E contra vero Adalricus cum consensu domini sui episcopi tradidit de rebus S. Emmerammi eidem *Alawico* illam Ecclesiam ad Holzhusa cum territorio appendente in proprium firmiter habendum, quod Popo presbyter jam quondam in beneficio habuit. Hujus vero rei testes sunt : Polo, Ogo, Deotpold, Jacob, Wago, Reginhoh, Odalperht, Gozperht, Unlaz, Eparhart, Sigifrid, Adalperht, Gammo, Job, Ambricho, Albrih. Vestitores autem Adalricus advocatus episcopi, atque Gundalbertus advocatus Alawici presbyteri. C

CAP. LII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Rodoldum*

In nomine summi et æterni Dei. Convenit inter venerab. virum Ambrichonem ep. et quemdam hominem, cujus nomen Rodolt, de commutabilitate aliquarum rerum, quod et ita fecerunt. Tradidit præfatus vir Rodolt ad sanctum Emmerammum martyrem Christi unum servum, nomine Arndeonem, et de terra arabili jugera XV in loco qui dicitur ad Prunnon. E contra prædictus Ambricho, venerandus episcopus et advocatus ejus, nomine Rodker, cum consensu monachorum et totius familiæ tradiderunt ipsi Rodolto in proprietatem unam ancillam, nomine Anstrat, et de terra arabili jugera XV, in ipso loco D qui vocatur ad Prunnon, ac perpetua stabilitate firmavit.

CAP. LIII. — *Commutatio inter Ambrich. episcopum et Truhthardum.*

Utilis et nimium fructuosa consuetudo olim inter homines inoleverat, et adhuc plerumque apud quosdam nobiles bene cauteque frequentatur, commutandi videlicet quasdam res pro ambarum commoditate partium. Deinde ista commutatio quæ subsequenter explicatur apud Ambrichonem ep., et quemdam nobilem, nomine Truhthardum, peracta est. Tradidit itaque ille Truhthardus ad sanctum Emmerammum in manum episcopi Ambrichonis et A advocati ejus Avonis agros III in loco qui dicitur Sallohopit. E contra quoque Avo advocatus præfati episcopi tradidit in eodem loco de rebus S. Emmerammi jam dicto Truhthardo agrum unum.

CAP. LIV. — *Commutatio inter eosdem.*

Notitia qualiter dominus Ambricho ep. et Truhthad advocatus Waltratæ commutationem pro commoditate amborum fecerunt. Dedit supra dictus ep. ancillam, quæ vocatur Deotmot in proprietatem Waltratæ. Et e contra tradidit advocatus ejus in manum episcopi et advocati sui Helfrici alteram ancillam, nomine Deotpure, sine utrarumque filiis. Et isti sunt inde testes per aures tracti : Avo, Rihger, Alawih, Alprih, Atto, Ermenhart.

CAP. LV.—*Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Heinricum comitem.*

Fructuosa valde ac nimium utilis consuetudo olim inter homines inoleverat transmutandi videlicet quasdam res pro ambarum utilitate partium. Proinde quoque Ambricho ven. episcopus atque Heinricus comes ob commoditatem quorumlibet mancipiorum commutationem fecerunt. Porro Heinricus comes tradidit ad S. Emmerammum mancipia II, Cirninum atque Razonem, in manum præfati præsulis et advocati ejus Helfrici. E contra vero idem episcopus cum eodem advocato suo tradidit Heinrico in manum advocati sui Rodhardi Hadaricum Sciurram. Quatenus hæc commutatio firma habeatur, placuit duas chartulas uno tenore scriptas exhibere.

CAP. LVI.—*Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Altoldum diaconum.*

Notum sit omnibus fidelibus quia Altoldus quilibet diaconus de nobili ortus prosapia ad Munolfingon proprietatis suæ agrum unum ad sanctum Dei Emmerammum tradidit in manum Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Otonis, ipso quoque præfato episcopo et Rumoldo comite præsentibus. In recompensatione vero eadem tradidit prænotatus præsul et advocatus illius de rebus S. Emmerammi eidem nobili clerico in eodem loco agrum unum. Isti sunt testes per aures tracti : Kerperht, Ekkirih, Gotaperht, Wicram, Reginperht, Reginwart, Rihpold, Rodperht, Willihelm, Askarih.

CAP. LVII. — *Commutatio inter Ambrichonem et Folricum.*

Nonnullorum comperiat industria fidelium quia vir quidam nobilis, nomine Folcrih, tradidit ad S. Emmerammum in loco Pisinga nuncupato inter terram arabilem et prata et silvam jugera XXV in manum Ambrichonis ven. ep. et advocati ejus Gundberti. E contra vero idem advocatus cum licentia episcopi tradidit prædicto nobili de rebus S. Emmerammi jugera XXIII, in proprio perpetualiter habendum. Et ut hæc commutatio firmior habeatur a posterisque melius credatur, placuit duas chartulas uno tenore conscriptas exhibere.

CAP. LVIII. — *Commutatio inter Engilscalchum et Engilbertum.*

Notum sit omnibus fidelibus quia Engilscalch qui-

dam nobilis tradidit proprietatis suæ agrum unum juxta villam Aespilipoh ad S. Emmerammum in manum Engilberti, qui hoc beneficium habuit in loco prædicto. E contra vero idem Engilbertus tradidit de rebus S. Emmerammi præfato Engilsealcho cum consensu Ambrichonis ven. ep. pratum unum juxta laticem quæ Alaha vocatur.

Cap. LIX. — *Traditio cujusdam feminæ quæ vocatur Sicca.*

Noverit plurimorum industria virorum qualiter Sicca et advocatus ejus Richo desierunt partem unius ecclesiæ rurisque ad illam pendentis inquirere ad Eriningа. Abrenuntiaverunt se autem portioni eidem, et sic laxaverunt eam ad S. Emmerammum, dicentes eam amplius nunquam sese velle inquirere. Ad hoc confirmandum sunt testes Avo, Strupo, Gundperht, Erchanperht, Woladeo, Rihger, Arperht, Hiltigoz, Gammo, Embricho, Amalperht, Rihperht, Petilo, Wallah, Adalger.

Cap. LX.—*Commutatio inter Erchanfridum episcopum et Perehthardum.*

Fructuosa valde et nimium utilis consuetudo olim apud homines inoleverat commutandi videlicet quarumlibet rerum portiones pro ambarum opportunitate partium. Ergo quam ob rem quidam nobilis, nomine Perethardus, tradidit ad S. Petrum ap. sanctumque Dei martyrem Emmeram, molendinum unum ad Atinga in manum Erchanfridi venerabilis ep. et advocati ejus Odalperti. E contra vero idem advocatus cum consensu episcopi juxta prædictum vicum tradidit eidem nobili viro jugera III, in proprio habendum. Proinde quoque placuit duas chartulas uno tenore conscriptas exhibere ut hæc commutatio firmior habeatur et a posteris melius credatur. Et isti sunt testes: Pernhart, Dultinc, Anthelm et alii multi.

Cap. LXI.—*Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Richonem.*

In antiquis igitur patres qui fuerunt temporibus nonnunquam pro necessariis cogitaverunt commerciis terrenisque utilitatibus suis invicem consensum præbentes quarumlibet rerum facultates vendere vel comparare, tradere aut etiam aliud in aliud transmutare. Unde et moderni successores illorum imitantes institutiones crebrius id ipsum facere solent pro locorum commoditate arvorum pratorumque jugera domibus et proprietatibus suis aptius copulantes commutatione concordi. Hoc etenim non prætermiserunt Ambricho electus Dei pontifex, et quidam nobiles viri Ribho ejusque filius Freso, sed illorum consensu hæc subsequens commutatio convenienter peracta est. Tradiderunt supradicti nobiles ad sanctum Dei Emmerammum in manum Ambrichonis ven. ep. et advocati ejus Helfrici in loco nuncupato Atinga casam cum curte ac jugera XXVII hac ratione; ut si quis hoc resolvere voluisset, quatenus S. Emmerammus suum obtineret, et illi nobiles suum reciperent. E contra sæpe dictus præsul atque advocatus suus Helfrih tradiderunt de rebus S. Emmerammi in loco qui dicitur Mezinga eisdem præscriptis viris domum cum fisco ac jug. XXVII. Hoc namque ex utraque parte ad testificandum isti per aures tracti sunt: Helfrih, Lantpero, Erchanpold, Sindiho, Reginolt, Froperht.

Cap. LXII. — *Commutatio inter Ambrichonem et Gisalam.*

Gisala dedit Ambrichoni episcopo servum, nomine Ratpertum. E contrario episcopus dedit Gisalæ Petonem. Hanc etiam commutationem cum wadio peregerunt Wolfger Gisalæ et Helfrih advocatus episcopi, in præsentia ejusdem episcopi, et Hiltonis abbatis et aliorum qui vocantur Adolf, Ogo, Wicram, Odalperht, Sindperht, Westargowo, Gerperht. Hoc autem actum est IX Kal. Mai., in prato ad Mozinga.

Cap. LXIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Tatonem.*

In nomine Dei summi. Placitum atque conventum inter ven. ep. Ambrichonem et quemdam fidelem suum, nomine Tatonem, nobilem virum ut aliquas res inter se pro communi utilitate et compendio commutarent. Dedit igitur prædictus Tatto de rebus proprietatis suæ uxoris ad S. Emmerammum, id est inter terram arabilem et silvam exstirpativam jugera CL, insuper separatim silvam I in villa Perge; ut e contra prædictus Ambricho ven. ep. sive a rege cum præcepto in proprietatem acquireret, quidquid de ipsa sancta ac prædicta Dei ecclesia in beneficio antea habere videbatur ad Fatiragimundi, id est: ecclesiam, de terra arabili jugera LXXV, de pratis ad carradas VIII, de silva jugera II. Isti sunt per aures tracti: Arnmot, Folcrat, Dultinc, Tevit, Cotaperht, Vulvilo, Wichram, Ogo, Oto, Waltunc, Otachar, Fastmot, Perehart, Gemmunt, Hunrih, qui et investituræ fidei jussor Waldperht, similiter Gerwih, similiter Gernod testis, Pazrih, Irinc, Abrih, Liutperht, Engilhelm, Odalperht, Salagrim, Folrat, Rodmunt, Otker Wisunt, Hiltimot, Lantrat, Salomon, Durinchart, Pillinc, Samuel, Ratpero monachus, Wolfram monachus, Adalger monachus et Wichart presbyter commutationem scrutati sunt et probaverunt.

Cap. LXIV.— *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Altoldum diaconum.*

Perutilis ac nimium fructuosa olim inter homines consuetudo inolescere initiavit commutandi scilicet pro ambarum commoditate partium quaslibet res sive hæreditatum quoque, seu beneficiorum aut accedentium proprietatum. Propterea vero placuit cuidam ecclesiastico diacono, videlicet Altoldo tradere jugera terræ arabilis tria ad sanctum Dei martyrem Emmerammum jacentia in planitie camporum juxta vicum qui dicitur Atinga in manum ven. ep. Ambrichonis ejusque advocati, nomine Wicrammi. Porro e contra ipse advocatus cum licentia prædicti antistitis tradidit eidem nobili Altolto jugera II de rebus S. Emmerammi. Testium nempe qui idem

testificaturi sunt, nomina subsequuntur; id est : Hiltimar, Gerperht, Deotmar, Irinc, Nanzo, Engilhelm, Cozperht, Adalhoh.

CAP. LXV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Ellinpurgam.*

In nomine summi et æterni Dei. Convenit inter ven. virum Ambrichonem ep. et quamdam feminam, nomine Ellanpurc, de commutabilitate aliquarum rerum, quod et ita fecerunt. Tradidit præfata Ellanpurc et advocatus ejus nomine Folcrat ad S. Emmerammum de terra arabili jugera II in loco qui dicitur Murcilashaha. Et e contra tradidit Rodker advocatus S. Emmerammi jug. I, Ellanpurgæ et advocato ejus cum consensu venerandi episcopi, et monachorum et totius familiæ in ipso supradicto loco ad Murcilashaha, ac firmavit cum testibus. Iterum fecerunt concambium in placito coram populo præsente Othelm, Wago, Pirihtilo, Isanspero, Hadager, Willihelm, Snellolf, Isandeo, Ellandeo, Ogo, Paldram, Francho, Ermperht, Isanperht, Gozperht, Willipold, Engilperht, Chuniperht, Chuntilo, Rupo et alii plures.

CAP. LXVI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Paldricum.*

Fructuosa et nimium utilis consuetudo olim apud homines rationales inolescere cœpit commutandi videlicet quasdam res pro ambarum commoditate partium. Illa etenim antiquorum consuetudo inter juniores sæpius sæpiusque celebratur. Tradidit itaque quidam vir nobilis, Baldricus nomine, proprietatis suæ ad sanctum Dei martyrem Emmerammum unum pratum cum molendino loco situm in dextro littoris fine illius aquæ quæ dicitur Filisa juxta Opirinhusa in manum quoque ven. ep. Ambrichonis et advocati ejus Rodkarii. Cujus prati longitudo quinquaginta perticis constat, atque latitudo duodecim. Porro præfatus venerabilis vir Dei et advocatus suus Rodkarius e contra tradiderunt eidem nobili in sinistro ejusdem fluentis margine alterum pratum æquali mensura de rebus prædicti sancti Dei. Et, ut hoc vero firmius fiat, placuit duas chartulas uno tenore conscriptas exhibere ac testes adhibere. Hi sunt : Othelm, Wago, Heriperht, Paldrih, Einhart, Arnamar, Isangrim, Heimger, Gerhart.

CAP. LXVII. — *Traditio Rihpaldi abbatis.*

Quoniam priscis temporibus nobilis quidam vir, nomine Rihpald abbas, et amita ejus, nomine Deotlind, tradiderunt Deo et S. Emmerammo res proprietatis suæ pro remedio animarum suarum, quidquid habuerunt ad Phetarah, sive ad Yvpinpah, seu ad Ahu, quod postea ipse Rihpald voluit complacitare nepotibus suis Engilmone et Isandeone, sed non perfecit, quodque ita ab eis fuit injuste abreptum de potestate S. Emmerammi, quodque Baturicus episcopus et advocatus ejus Immo exquisierunt ab eis in mallo publico ad Phetarah coram Cotafrido comite multisque aliis ibi præsentibus, et illi lege cogente hoc ipsum totum reddiderunt Baturico episcopo et advocato ejus Immoni, et idem Immo inde ab eis vestituram accepit. Sed postea corum fuit petitio aliorumque bonorum hominum, ut hoc ipsum iterum eis in beneficium concederetur. Quodque benignitas Baturici episcopi eis noluit denegare, sed ita illis concessit hoc in beneficium usque ad dies vitæ suæ contra censum condignum, et hoc fecit una cum consensu congregationis S. Emmerammi, et illi accepto inde beneficio ab episcopo Baturico et ab advocato ejus Immone wadiaverunt inde censum quatuor solidorum annis singulis persolvere ad festivitatem S. Emmerammi, et nullam inde negligentiam facere nullamque amplius controversiam ullo modo pastoribus S. Emmerammi neque familiæ ejus. Quod si facerent, secundum legem omnino componant neque ullo modo habeant potestatem hoc de ipsa casa Dei alienare, sed meliorare, quantum prævaleant. Et ideo inde duas cartulas uno tenore conscriptas ad firmitatem atque memoriam posteris fieri decrevit supradictus episcopus. Et isti ibi præsentes erant qui hoc viderunt et audierunt : Odalperht, Salahho, Immo, Rihhart, Pillinc, Cundalperht, Marcho, Otger, Mauri, Adalger, Puoso, Aopi, Ritant, Wichart, Cundfrid, Engilpald, Adalperht, Appo, Antrih, Winiho, Atto, Cotaperht, Sigiperht, Ratperht, Truhthad Ratolt, Ratolf, Amalrih, Wolfbero, Ratpald, Nidhart, Egino, Berehtold, Waldger, Rabholf. Actum est hoc ad Reganaspurc anno Incarnationis Domini 822, imperii vero Hludowici octavo, ad missam sancti Martini, indictione prima, tertia feria, et ego Dignus nomine scripsi hanc chartam ad confirmationem jubente Baturico ep.

Commemoratio brevi sermone conclusa de hæreditate Rihpaldi abbatis quam tradidit ad S. Emmerammum in locis his, id est : ad Ahu, et ad Yvpinpah, sive ad Pheterah, quamque postea Engilmon, et Isandeo invasores injusti reddiderunt Immoni advocato S. Emmerammi, secundum quod placitatum habuerunt persolvendo per singulos annos in censu ante Cotafridum comitem, id est quatuor solidorum. Actum autem coram his omnibus, id est Gamanolf, Salaho, Sahso, Adalrih, Reginhart, Wichart, Kerrih, Erchanpald, Rihlant, Frehholf, Gisalfrid, Engilpald, Odalscalc, Herigoz, Staracholf, Rodicho, Wolfrid, Adalo, Heimo, Cundbertus, Cozzol, Frumolt. Missi enim sunt ibi in his locis ad possidendam vestituram istam hi tres homines nostri : Cundperht ad Ahu, et Stephanus clericus ad Jupinpah, Cadenchilo ad Phetarah hanc vestituram consedit. Et ita finita sunt placita hæc et revocata in concordiam.

CAP. LXVIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Rodoldum comitem.*

Notitia, qualiter Ambricho Radasponensium episcopus et Rodoltus comes [Cod. hic semper : *comis*] complacitaverunt inter se. Dedit itaque supradictus episcopus supra memorato comiti in loco, qui vocatur Umpalasdorf de terra arabili jugera LXXXIII. Et

e contra dedit Rodoltus comes Ambrichoni ep. in manum advocati sui Perahtrici in loco qui dicitur Stupinga jugera XL, et in loco qui nominatur Pirihhinwanc similiter. Hoc autem factum est anno Incarnationis Domini 874, Indict. 7, et in VIII Kal. Junii.

CAP. LXIX. — *De Marca ad Bramam fluvium.*

Hæc ratio vel notitia manifestat de marca nostra in loco qui vocatur Braama, quæ pertinebat ad Scominowe et monasterium S. Martini, quæ injuste diu nobis ablata est; sed nunc tandem reddita est per Anawanum et fratrem ejus Rihwassum; hoc est, de fluvio qui dicitur Braama, usque ad locum qui dicitur Tiufbah inter cultam et incultam terram jug. CXX, et hoc fuit factum coram Wichelmo misso comitis Geroldi in ipsa marca nostra coram his omnibus, quorum nomina sunt ista, et Ellenricus exstitit advocatus noster ex parte monasterii S. Martini: Erchanpertus, Eigil, Paturih, Cundperht, Cuniperht, Rodperht, Anthelm, Reginhart, Regino, Engilperht, Tevit, Rodperht, Hetin, Helmuni, Engilpero, Fricebo, Rodolt, Egilmunt, Willihelm, Etilo, Reginperht. Actum VIII Id. Martii, Feria III, in quadragesima in loco, ut supra. Scripsi autem ego Ellinhardus diaconus jussu domini mei Baturici episcopi.

CAP. LXX. — *Traditio Rihpaldi abbatis ad Sezpah.*

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Igitur in Dei nomine ego Rihpaldus abbas tradidi hæreditatem meam quam habui ad Sezpah, et ad Niwinhusun in manus Abbonis et Engilmonis et Isandeonis, et Paldrici, et Ratolfi et Anoni; ut si ego mortuus fuissem in isto itinere ad palatium eundo, tunc ipsi viri hæc omnia pro anima mea ad S. Emmerammum tradidissent, petoque Adalwinum episcopum vel ejus successores, ut hæc duo loca, id est, ad Sezpah et ad Niwinhusun semper ad S. Emmerammum serviant, et nemini in beneficio donentur, et manentes ipsi non mutentur, sed maneant in locis suis et ipsa mancipia. Defuncto vero Rihpaldo abbate, venit Abbo una cum Paldrico et Ratolfo, similiter et Ano ad S. Emmerammum, et eamdem traditionem quam Rihpald abbas in eorum manus posuit tradiderunt S. Emmerammo pro Rihpaldi abbatis animæ æterna mercede, et vestierunt casam S. Emmerammi de omnibus quæcunque tradiderunt, id est, manentes XIV, ad Sezpah, ad Niwinhuson IV, cum mancipiis et domibus, curtes similiter et terras, campis, silvis, pratis, pascuis, aquis, mobilibus et immobilibus. Omnia culta vel inculta; omnia. Nihil prætermisit Rihpald, excepto hobas III quas concambiavit cum Meginhardo abbate; hoc tantummodo prætermisit. Et ideo ego Rihpald tradidi hoc in tam multorum manus hominum, id est sex hominum, ut quicunque ex his voluissent, tam unus, quam duo, sive tres, seu omnes simul ad sanctum Emmerammum tradendi liberam potestatem in omnibus habuissent. Post hæc vero venit Abbo et Paldrih, et cum eis Ratolf et Ano, et vestierunt Immonem advocatum Adalwini ep. et Wicrammum presbyterum et Præpositum de his duobus locis, hoc est, ad Sezpah et Niwinhuson, et concessa sunt hæc loca. Ad Sezpah sedebat Ratolf monachus cum servis domini episcopi Adalwini; ad Niwinhuson Wicrammus præpositus. Precabatur etiam Rihpaldus abbas ad Adalwinum episc., ut in ipsa marca una ecclesia fabricari debuisset, hoc est, ad Sezpah, et ibidem posuisset aliquem sacerdotum qui ibidem cantet et cum omnibus S. Emmerammo serviret. Præsentium nomina qui viderunt: Erchanperht diaconus, Reginperht diaconus, Welto clericus, Heriperht clericus, Pillinc, Frumolt, Cunthart, Paldmot. Ad tumulum S. Emmerammi factum est hoc. Isti sunt qui viderunt; quod Rihpald tradidit in manus Abbonis et aliorum, quod supra diximus, hæreditatem suam: Gerhart, Liutperht, Engilperht, Pillunc, Ogast. Hæc sunt nomina testium qui per aures tracti sunt: Chuniperht, Ambricho, Pillunc, Immo, Crimuni, Fridaperht, Erchanperht, Hadamar, Gerpald, Toto, Sipihho, Wolfpero, Adalrih, Unolz, Huno, Altiperht, Hegilo, Wiclant. Facta fuit hæc traditio ad Cundareshuson anno 814 Incarnationis Domini nostri Jesu Christi; anno secundo imperii domini Hludowici Augusti, indict. 7, V Kal. Nov., die Dominico. Facta vestitura ad S. Emmerammum die Lunæ, quod est XII Kal. Decemb. in ipsa ecclesia S. Emmerammi. Ellinhart diaconus jussus a domino meo Adalwino episcopo ipsam traditionem scripsi.

CAP. LXXI. — *Traditio Willihelmi comitis.*

Constat omnibus mortalibus quia hæc vita nimium brevis est, sed longa futura. Quapropter Willihelmus comes considerans hæc ita se habere pro (*sic Cod.*) adipiscendi gaudia sempiterna et remedio animæ suæ tradidit ad S. Emmerammum res proprietatis suæ quas habere videbatur in loco nominato Bersnicha, id est ecclesiam et casam cum curte, atque reliquis ædificiis cum mancipiis infra domum, et manentibus servilibus, terris, pratis, pascuis, et dimidio foreste, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus et immobilibus, cultis, vel incultis, quidquid dici vel nominari potest cum omni lucro quod nunc in eisdem causis esse videtur vel deinceps, ad quæ situm fuerit, nihil extra dimittens, et eædem causæ in ejus potestate fierent usque dum viveret ipse, et conjugis ejus Engilradæ donec ipsa vixisset, et quandiu thorum maritalem conservaret, et hæc omnibus modis firma persisterent, si sibi hæres non nasceretur. Hoc insuper complacitans cum Baturico ven. pontifice, ut ad Eckitunam et Wesin omnia quæ ibidem præfati præsulis fierent in beneficium ipsius ad dies vitæ suæ possiderent, et post illorum vitam supradictæ res quæ ab eo traditæ sunt, vel quæ in beneficium accepit, per omnia emelioratæ ad prædictum Dei sanctum firmiter consistant absque ullius contradictione. Hanc vero traditionem suscepit Baturicus ep.

una cum Erinperto advocato suo. Et testes hujus traditionis per aures tracti sunt: Hilpung, Fezzilo, Madalhelm, qui et fide jussores vestituræ sunt, Pazrih, Arnmot, Mahalfrid, Alaman, Adalwart, Poso, Reginwart, Eckeo, Ermperht, Kerhart, Ecclio, Odalhart, Erchanpald, Kerhoh, Wldar, Willibelm, Trostmar, Eigil, Pillunc, Erinperht, Cotaperht, item Madalhelm, Engildeo, Odalhart, Wolfhart, Reginhart, Gewibald, Erchanperht, Ellenperht, Sigibald, Albrat, Adalperht. Acta sunt hæc ad Sconinowam monasterium. Anno Dominicæ Incarnationis 834.

CAP. LXXII. — *Traditio Willihelmi comitis.*

Quisquis in hac vita quæ cunctis mortalibus incerta est caute semetipsum tota mentis devotione circumspicit, ad illam sine dubio perveniet feliciter vitam ubi illi cum Christo regnant qui hic provide gesserunt præcepta Domini sui conservando. Hac cautela compunctus quidam comis, nomine Willibelmus, et, ut refrigerium animæ suæ ac perpetuæ beatitudinis gloriam acquireret, ad S. Emmerammum Dei martyrem omnia quæ habuit in locis subter scriptis tradidit: nihilque proprietatis suæ extra dimisit quod non traderet in vicis istis; Sconheringa, Cheminatum et Purcheim, ea scilicet ratione: ut post obitum suum firmiter ad ipsum sanctum Dei ipsa traditionis causa constaret, si hæredem non haberet, et tamen conjux ipsius easdem res in ditione sua teneret quandiu lectum suum conservaret. Si vero humano more contingeret ut lectum suum non custodiret, mox traditio ad locum suum reverteretur. Si autem hæredem superstitem habeat, ut ipse potestative hæreditatem suam possideat absque ullius contradictione. Et testes ejusdem traditionis isti exstiterunt: Ratpot comis, Cundpald, Cuniperht, Orendil comites; Heriperht, Crimuni, Madalhelm, Rodolf, Poso, Cundperht, Outo vicarius, Mezzi, Vitalis, Sahso, Ribpald, Rubo; Isangrim, Cotafrid, Ougast, Scroth, Reginhart, Egilolf, Hadager, Willibelm, Mahalfrid, Hessi, Uroli, Trogo, Graman, Cundwin. Baturicus ep. una cum Pazrico advocato suo ipsam traditionem accepit. Factum est hoc ad Reganesburg anno Dominicæ Incarnationis 833.

CAP. LXXIII. — *Traditio Ratpodi comitis.*

Postquam ergo in Dei nomine Ratpodus comis ad sanctum tradidit Emmerammum, sicut in charta traditionis scriptum invenitur, quidquid proprietatis ad Tullinam habere videbatur, in præsentiam Ludovici regis Reganesburc venit, et omnia quæ ad Tullinam visus est possidere ad prædictum sanctum Dei nihil extra dimittens tradidit, ita scilicet, ut si hæres sibi non nasceretur, post obitum suum statim ista traditionis causa firmiter ad locum sancti Dei constaret. Si autem hæres sibi nasceretur; ut cum ducentis solidis res ejusdem traditionis redimeretur, ut sicut supra dictum est, in præsentia regis et optimatum ejus, omniumque sibi astantium hæc traditio facta est quorum ex parte nomina innotescimus. Ernost comis, Werinheri, Timo, Ermfrid, Ratperht, Uto, Waning, Willibelm, Ribheri, Wolfdrigil, Poso, Eginolf, Perehtolt, Ribho com., Adalo, Ratolt, Popili, Rodolt, Fritilo, Reginperht, Adalhoh, Managolt, Papo, Albker. Facta est hæc traditio in loco supra dicto anno Domini 837.

CAP. LXXIV. — *Commutatio inter Erchanfridum episcopum et Eparhohum.*

In nomine sanctæ et unicæ Trinitatis. Complacuit inter Erchanfridum vener. episcopum et Eparhohum virum nobilem pro amborum utilitate commutationem quamdam fieri. Tradidit Wicrammus advocatus episcopi cum jussione et licentia domini Hludowici regis prædicto laico illam traditionem quam fecit Pernger clericus ad S. Emmerammum martyrem Christi in loco qui dicitur Tahhinga. E contra vero tradidit præfatus Eparhoh talem hæreditatem, ut in Atingun habuit, ex integro, nihil extra dimittens, sed omnia lege firmissima transfundens. Isti ergo testes sunt per aures tracti: Unolz, Erchanperht, Otperht, Ratolf, Herigoz, Wicram, Alo, Swidker, Odalger, Rodker, Freso, Wlfilo, Ratolt, Vulfrih, Ribho, Richolf, Sigo, Deotpato. Et, ut firmius hæc commutatio permaneret et posteri certius scirent, complacuit duas chartas uno tenore conscribi, quatenus uterque unum haberet et sine ulla contradictione perpetua maneret.

CAP. LXXV. — *Complacitatio inter Ambrichonem episcopum et Adalfridum.*

Comperiat plurimorum sagacitas fidelium, qualiter quidam regis vassus, vir quoque venerabilis, nomine Adalfridus, tradidit ad S. Emmerammum portiones hæreditatis suæ, exinde complacitando beneficium quoddam. Tradidit igitur paulo superius commemoratus nobilis ad præfatum sanctum Dei martyrem proprietates suas quales habuit ad Gimundin et ad Adinhard Cum areis namque ac domibus, territoriis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, et mancipiis VIII, id est Ditolf, Hilüpirc, Rihhilt, et filii ejus duo, Liutto, Gerboh, Perehtman. Omnia integriter illuc transfudit in manum reverentissimi præsulis Ambrichonis advocatique ejus Gundberti. Ea videlicet ratione, quatenus beneficium ad Utilinga firmiter in proprio obtineat usque ad finem suum. Post obitum vero suum ex integro relaxetur in pristinam potestatem. Hoc autem actum est cum consensu prædicti provisoris sanctæ Dei Ecclesiæ, strenuissimo rege Karlomanno permittente jam anno secundo regnante in Bawariorum regione, in Longobardorumque primo. Et isti sunt, qui hoc per aures tracti testificantur: Reginolf, Albrih, Perehtolt, Pillunc, Arperht, Unlaz, Gammo, Amalperht, Liutperht, Machelm, Wolfmunt, Freso, Ogo et reliqui.

CAP. LXXVI. — *Commutatio inter Erchanfridum et Hartwigum episcopos.*

In Dei nomine. Placuit atque convenit inter vene-

rabilem virum Erchanfridum Reganesburgensis Ecclesiæ episcopum, necnon et virum venerabilem Harduvigum Pataviensis Ecclesiæ episcopum, ut aliquas res pro communi utilitate et compendio inter se commutare deberent, quod ita et fecerunt. Dedit igitur memoratus episcopus Erchanfridus de rebus proprietatis suæ, et advocatus ipsius Nordheri jam dicto præsuli ad partem monasterii sui Sancti Quirini in perpetuum tenendum : in loco qui dicitur Hunolzenghova hobam I, et casam, et de terra arabili jugera XXXIX, de pratis, ubi possunt colligi fenum carrad. XXX, et de fructuosa silva jugera XXIIII. Et e contra in compensatione earumdem rerum dedit præfatus episcopus Hardwigus et ejus advocatus Liuthardus præscripto Erchanfrido episcopo de rebus monasterii sui Sancti Quirini una cum consensu et conhibentia monachorum in eodem monasterio degentium, etiam et per licentiam domini Hludowici gloriosissimi regis ad suum proprium tenendum in loco, vocabulo Bodolunghova, casam unam, et de terra hobas II, de pratis ubi possunt colligi de feno carradæ XX, vel quidquid ibi in loco Heitfolcus ex suo proprio ad monasterium S. Quirini tradiderat. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas inter se fieri et affirmare rogaverunt ; ut unusquisque hoc quod a pare suo accepit teneat atque possideat, et faciat exinde quidquid sibi libuerit; et taliter inter eos hic inserere placuerit ; ut si fuerit post hunc diem ullus ex ipsis, aut alia quælibet opposita, aut emissa, vel subrogata persona quæ contra hanc commutationem de qua duæ chartulæ uno tenore conscripta esse videntur venire tentaverit, aut eam per quodlibet ingenium irrumpere conatus fuerit, inferat parti contra quem litem intulerit, distringente fisco auri libr. II, argenti pondera V coactus exsolvat, et sua repetitio nullum obtineat effectum; sed præsens commutatio omni tempore firma et stabilis permaneat cum stipulatione subnixa. Actum Reganesburg civitate. Signum Hardwigi ep. qui hanc commutationem fieri et affirmare rogavit. Et isti sunt testes per aures tracti qui viderunt et audierunt quando ista commutatio fuit coram domni Hludowici gloriosissimi regis. Hoc est : Eginolf venator, Engilscaldh, Uzzant, Bernhart, Patager, Engildeo, Rumolt, Batto, Odalrih, Engilbold, Isanperht, Gamanolf, Waning, Eccho, David, Rihmar, Wicbold.

Cap. LXXVII. — *Commutatio inter Baturicum episcopum et Erchanpertum.*

In Dei nomine. Placuit atque convenit inter venerabilem virum Baturicum Reganesburgensis Ecclesiæ ep., necnon et quemdam hominem Erchanpertum, ut pro communi utilitate et compendio quasdam res inter se commutarent, quod ita et fecerunt. Dedit igitur prædictus venerabilis vir Baturicus episcopus ex ratione ecclesiæ sancti Petri et sancti Emmerammi una cum consensu et conhibentia canonicorum et monachorum ibidem degentium, etiam et per licentiam domini Hludowici gloriosi regis eidem Erchanperto ad suum proprium habendum in pago nominato Feldun in loco qui dicitur Jazaha ecclesiam unam cum mans. III, id est, de terra jug. C, de pratis ad carras XV. Et e contra in compensatione harum rerum dedit præfatus Erchanpertus ex suo proprio supradicto venerabili episcopo Baturico ad partem episcopatus sui in pago qui dicitur Tonahgewi, in loco nominato Habalinga, mansos III, id est, de terra jug. C, de pratis ad carras L, de silva jug. CXX. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas inter se fieri et affirmare rogaverunt ; unam prædictus episcopus ad partem ecclesiæ suæ penes se habeat ; et alteram, quam ipse Erchampertus pro se retineat; ut in futurum, quidquid pars ab altera accepit parte, habeat, teneat, atque possideat, et faciat exinde quidquid utilitati suæ perspexerit, et taliter eis hic inserere placuit ; ut, si fuerit post hunc diem ullus ex ipsis, aut alia quælibet opposita, aut emissa persona quæ contra hanc commutationem de qua duæ cartulæ uno tenore conscriptæ esse videntur, venire tentaverit, aut eam ullo modo infringere conatus fuerit, inferat parti contra quam litem intulerit distringente fisco auri libras II, multa componat, et sua repetitio nullum obtineat effectum ; sed præsens commutatio omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnixa. Actum Reganesburg civitate sub die 4 Non. Sept. Isti sunt testes per aures tracti qui hoc viderunt et audierunt. Rodhoh, Cozzilo, Macho, Cundolf, Altram, Sigihart, Kisaloli, Erchanmar, Immo, Willibato, Cundperht, Heririh, Petilo, Oto, Isanpero, Immo, Wicbald, Rodolt, Helmrih, Sabso, Warmunt, Albker, Adalperht, Eparswind.

Cap. LXXVIII. — *Commutatio inter Apollonium abbatem, et Erchanfridum diaconum.*

In Dei nomine. Placuit atque convenit inter venerabilem virum Abpollonium abbatem, necnon et Erchanfridum diaconum, ut aliquas res pro communi utilitate et compendio inter se commutare deberent, quod et ita fecerunt. Dedit igitur Abpollonius abbas ex ratione monasterii sui Perga una cum consensu et conhibentia monachorum in eodem monasterio degentium, etiam et per licentiam domni Hludowici regis memorato Erchanfrido diacono ad suum proprium habendum in pago qui dicitur Tonahgewi in loco vocabulo Ginginchova, id est, terra culta, et inculta, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, adjacentiis, perviis, exitibus et regressibus quæsitum et adinquirendum, vel quantumcunque prænominatus Abpollonius abbas ibi in loco ex suo beneficio habere videbatur. Et e contra in compensatione harum rerum dedit præscriptus Erchanfridus diaconus de rebus proprietatis suæ in eodem pago Tonahgewi in loco qui dicitur Scampah eidem Abpollonio abbati ad partem monasterii sui perpetualiter tenendum, idipsum terra culta et inculta, campis, silvis, pratis, pasculs, aquis, aquarumve decursibus, adjacentiis, perviis, exitibus et regressibus, quæsitum et adinquirendum, vel quid-

quid inibi ex suo proprio legaliter habere videbatur. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas in manibusque bonorum hominum roboratas inter se fieri et affirmare rogaverunt; ut unusquisque in futurum hoc quod a pare suo accepit, teneat, atque possideat et faciat exinde, quidquid sibi libuerit, et taliter inter eos hic inserere placuit, ut si fuerit post hunc diem ullus ex ipsis, aut alia quælibet opposita, aut emissa seu subrogata persona quæ contra hanc commutationem de qua duæ cartulæ uno tenore conscriptæ esse videntur, venire tentaverit, aut eam per quodlibet ingenium irrumpere conatus fuerit, inferat parti contra quem litem intulerit, distringente fisco, auri lib. II, argenti pondera V, coactus exsolvat, et sua repetitio nullum obtineat effectum; sed præsens commutatio omni tempore firma et stabilis permaneat cum stipulatione subnixa. Actum Reganesburc civitate sub die 7 Kalend. April. Uzzand, Deotrih, Strupo, Egilolf, Werito, Hartwig, Hiltiroh, Rodhart, Unolz, Erchanperht, Haguno, Ishad, Waltunc, Trogo, Eckibart, Hartmot, Florenti, Folcpold, Isanhart, Avo, Walto, Deothart.

CAP. LXXIX. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Eckilindam.*

In Dei nomine. Placitum atque conventum inter Ambrichonem ven. ep. necnon et quamdam nobilem viduam, nomine Ekkilind ut aliquas res pro communi utilitate inter se confirmarent, quod ita et fecerunt. Tradidit igitur vidua Ekkilind de rebus proprietatis suæ ad S. Emmerammum simul cum advocato suo Bernhardo quidquid habere videbatur in vico qui dicitur Ucchinpiunt cum mancipiis VII quorum nomina sunt hæc : Helfrih, Ellanrih, Maganrih, Rodimar, Willipirc, Regindrud, Reginswind, et hobam I, in vico qui dicitur Talamazinga, et silvam unam prope vicum qui nuncupatur Tuzilinga. Et hæc omnia sunt in pago qui dicitur Tonahgewi. Hanc traditionem accepit prædictus Ambricho episcopus atque Helfrih advocatus ejus, Helmoni et Waltunc fidejussores. Et e contra tradidit Helfrih advocatus de rebus S. Emmerammi una cum consensu et voluntate prædicti episcopi et servorum Dei in eadem sede degentium quidquid Billunc, pater prædictæ viduæ, in beneficio habuit in vico qui dicitur Talamazinga cum mancipiis XIX, quorum nomina sunt hæc : Cundram, Mahhelm, Cristan, Salvan, Gerlinto, Folcmar, Pahlhilt, Ratpirn, Wolfpirc, Waldcund, Frohilt, Sonpirc, Peinhart, Lantswinto, Merigis, Rodni, Mahtheri, Magolf, Ceizperht. Insuper de terra arabili jug. XVII, et de pratis ad carradas IX adjacens vico qui dicitur Leichilinga, ut hoc in proprietatem habeat prædicta Ekkilind, vel mater ipsius, si longius vixerit. Et hoc ea ratione conciliatum est ut, si quislibet successor Ambrichonis ep. hoc placitum dissolvere conaverit, tunc prædicta vidua Ekkilind potestatem supra scriptas res seu habere, seu tradere cui delectet. Isti sunt testes ex utraque parte per aures tracti : Engilpero, Cuniperht, Helmuni, Avo, Ogo Perchtrih, Salomon, Erchanfrid Strupo, Sanuel, Amalperht, Fridaperht, Appo, Lantrih, Gomarih, Adalperht, Rodmunt, Odolung, Terpiton, Cotaperht, Ato, Fastmot, Amalperht, Erchanfrid, Walto, Anthelm, Waltunc, Adalhun, Alo, Petilo, Rihholt, Hiltimot, Engilmar, Hardperht, Irmperht, Parto, Perchtgoz, Ellinpald Trogo, Reginhart. Pigo, Harpold, Patirih, Rodmunt, Erchanpoldt Actum est hoc anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 866, in loco qui nuncupatur Letinchoua.

CAP. LXXX. — *Commutatio inter Baturicum episcopum et Ucciandum.*

In Dei nomine. Placuit atque convenit inter venerab. virum Baturicum Reganesburgensis Ecclesiæ ep. et illustrem virum Ucciandum ut aliquas res pro communi utilitate et compendio inter se commutare deberent, quod ita et fecerunt. Dedit igitur prædictus ven. ep. Baturicus ex ratione ecclesiæ suæ sancti Petri et sancti Emmerammi una cum consensu et cohibentia fratrum ibidem degentium, etiam et per licentiam domni Hludowici gloriosi regis præfato Ucciando ad suum ad habendum in loco qui dicitur Mahalgozzinhovon mansos tres cum ecclesia ibidem constructa, et cum reliquis ædificiis desuper positis, cum terris, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, quidquid in prædicto loco habere visus est. Et e contra memoratus Ucciandus ex suo proprio, præscripto ven. viro Baturico ep. ad partem supradictæ ecclesiæ suæ in loco nuncupante Atinhard, mansos VI cum casis, et reliquis ædificiis, et curtiferis, cum terris, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, quantumcunque in eodem loco habere visus fuit. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas inter se fieri et affirmare rogaverunt; ut unusquisque hoc quod a pare suo accepit ab hodierno die et tempore teneat atque possideat, vel quidquid exinde ob utilitatem vel commoditatem facere [*sic* Cod.] sui, vel judicare voluerit, liberam in omnibus habeat potestatem faciendi; et taliter inter eos convenit : ut si fuerit post hunc diem ullus ex ipsis, aut alia quælibet opposita persona vel emissa quæ contra hanc commutationem de qua duæ cartulæ uno tenore conscriptæ esse videntur venire tentaverit, aut eam infringere voluerit, inferat parti contra quem litem intulerit, auri libras II multa componat, et sua repetitio nullum obtineat effectum, sed præsens commutatio omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnixa. Actum Reganesburg civitate sub die V Kal. Septemb., anno IV propitio Christo regni domni Hludowici regis in orientali Francia, indict. 15 in Dei nomine feliciter. Signum Ucciandi qui hanc commutationem fieri et affirmare rogavit. Signum Meilonis. Signum Alberati. Signum Swarzaloh. Signum Odalfriti. Signum Hugolfi. Signum Herardi. Signum Billungi. Signum Berchtoldi. Signum Alberici. Signum Randulfi. Signum Adalperti. Signum Wolfharii. Signum Grimoni. Signum Egilolfi. Signum Rodperti. Signum Ogasti. Signum Wiccenis. Signum Unlazi. Signum Albuni. Signum Hildrici. Dominicus clericus jussus scripsi.

CAP. LXXXI. — *Traditio Andarbodi archipresbyteri.*

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ego Baturicus largiente Redemptoris Christi gratia episcopus hanc conscriptionem fieri præcepi ad commemorandum quatenus omnes scirent et præsentes scilicet et futuri qualiter vir venerabilis Antarbodus archipresbyter Romam eundo, pro remedio animæ suæ sanctorum Petri et Pauli apostolorum limina quærens, mihi omnia mancipia suæ proprietatis in potestatem donavit eo modo : ut si obitus ipsius sibi adveniret in eodem itinere, sicut proh dolor! et factum est, pro remedio spiritus ipsius omnia dispensarem per loca sancta quocunque ipse pertractarem maximum ejus fuisse profectum. Unde frater ejus Ternod consentienti charitati testis est, collaudans etiam hoc omni modo ita bene esse et sibimet ipsi placere. Denique in eadem via prædicto illustri viro ex hac luce, sicut mortis debitum urgerat, migrante, et ad nos hoc nuntio delato pervenisset, subito ad Ergeltesbah veniens misi et Bernhardum alium fratrem Antarboti, sive filium ejus Engilhardum et cæteros parentes venire precabar; ut quidnam et ipsi exinde velint et dicerent scire potuissem; hoc est : utrum contradicerent potestati illi quæ jam in meis manibus posita erat? An bono animo ita stabile fieri permisissent? Actum est ita; et venerunt ad me, et idem Bernhardus erat hoc amabiliter consentiens, sive cæteri proximi ejus, sicut a prædicto benignæ viro memoriæ potestatem accepi, ita de suis rebus pro se facerem quidquid voluissem. Actum est autem hoc in loco supra conscripto in præsentia eorum quorum hæc nomina sunt : primitus Job vicarius et vassus Cotafridi, necnon et Cundalpertus filius Helmoni, Immo advocatus noster, et Biltunc; Mezzi nepos Waltoni comitis, Hunger, Ato, Erchanpreht, Antarbot, Isangrim, Suidger.

Igitur hac convenientia inter nos finita, venit Bernhardus in placitum publicum in loco nuncupato Rodhoheskirihha super Lapara, ubi Walto comes cum omni suo ministerio residebat, et cum eo Machelm, filius Otleipi, assistente etiam multa turba hominum nobilium, Baturico præsente nihilominus episcopo, et ibi mallavit Bernhardus Baturicum ep. et Immonem advocatum ejus de causa Antarbordi, et contra directum de placito jam in caput, et convenientia constituto coram hominibus supra memoratis. Tunc surrexit Immo et dedit Waltoni wadium suum quod idem Bernhardus contra legem pacatum placitum præsumebat inquietare, et habuit testimonia sua in præsenti et adduxit eos, id est : Biltunc, Mezzi, Nidhart, Hunolt, Erchanperht, Hunger; sed Bernhardus noluit hoc modo wadiare, sed dixit : si inveneris mihi unde tales testes qui hoc testificent quomodo Antarbot ita fecisset, consentiens ero, et quod lex præceperit faciam. Tunc mox advenit in ipso placito liber homo Ternodi, nomine Herini, ab eodem Ternodo directus ad Baturicum ep. et Waltonem comitem, et in auditu omnium retulit ea quæ A sibi fuerant imperata; eo quod direxerit Ternodus, quomodo nihil voluisset neque potuisset contradicere de his omnibus quæ frater ejus in Baturici ep. manibus commendaret, sed magis per cuncta consentiret ubicunque ea dare voluisset Baturicus ep. Tunc tandem eodem wadio et testimonio convictus est, et non credidit sibi, et dedit wadium juxta legem et judicium populi pro se et filio suo Engilhardo, ut ex hac eadem causa ulterius nihil inquietarent. Unde Nidhart et Erchanpertus ei fidei jussores effecti sunt, et hoc modo finitum est. Hic in beneplacito fuerunt Baturicus episc. Walto comes, Machelm, Immo, Eckirih, Billunc, Jacob, Tevit, Rodgoz, Meginhelm, Hunolt, Heribald, Freso, Ribhart, Nidhart, Hegilo, Mezzi, Rihperht, Ratolt, Adalrih, Reginhart, etc. Actum est anno Domini 822.

CAP. LXXXII. — *Traditio Hawardi.*

Felix est hæc vita activa; sed multo felicior contemplativa. Ad hanc igitur tendens quidam nobilis nomine Hawart, tradidit ad S. Emmerammum in manum Arnimari cognati sui talem partem proprietatis suæ qualem habuit ad Tegarindorf nemine contradicente; quatenus Arnimar ipse eamdem partem proprietatis simul cum mancipiis vestiret ad prædictum sanctum pro ante nominato Hawardo, et Odalhardo et Meginhardo. Et isti sunt testes ejusdem traditionis : Pillunc, Gozpold, Wanninc, Immo, Liupoton, Perethtuni, Salamari, Chuniperht, Alpuni, Heriperht, Ellingrim, Liuthart, Adalperht, Horscolf, Gisalmar, Eginolf.

CAP. LXXXIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Swidkarium.*

Convenit inter venerabilem virum Erchanfridum episcopum, et quemdam hominem, nomine Swidkerum, de quadam commutatione aliquorum locorum, quod et ita fecerunt. Dedit præfatus venerandus episcopus pro utilitate ambarum partium cum licentia regis, venerabilis Hludowici, et monachorum omnium morantium ad monasterium S. Emmerammi prædicto Swidkero in loco nuncupato Wolamotasaha, quidquid Otram in beneficium habuit in illo loco. Et e contra tradidit ipse Swidker propriam hæreditatem suam ad S. Emmerammum, quod est prope flumen quod dicitur Apansa, quidquid a filiis Sigihelmi e mendo acquisivit. Testes idonei sunt isti : Fritilo, Reginperht, Einhart, Friecho, Albato, Alprat comes, Isanger, Ambricho, Dultinc, Piligrim, Horscrat, Alpuni, Hunolf, Lantperht, Wolfdrigil, Walto, etc.

CAP. LXXXIV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Attonem.*

Noverit plurimorum industria fidelium qualiter quidam viri inter se commutaverunt. Tradidit itaque quidam nobilis nomine *Atto*, ad S. Emmerammum de terra arabili jugera II in loco Wolfhareshusa nuncupato in potestatem ven. ep. Ambrichonis et advocati ejus Berchtrici. E contra vero quidam famulus, nomine *Rodheri* cum licentia episcopi tra-

didit eidem nobili de rebus S. Emmerammi totidem jugera in eodem loco. Et isti sunt testes : Atto, Herrant, Egiloff, Kaganhart, Etti, Engilrih, Eparachar, Folrat, Alpolt, Reginperht, Willipold, Odalperht, Purchoh, Ratolt, Albuni, Egino, Bernhart, Rihho, Analo, Amalperht, Nidhart, etc.

Cap. LXXXV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Engilpertum comitem.*

Nonnullorum comperiat industria virorum quorumque auribus hujus cartulæ injuncta fuerit notitia qualiter Ambricho reverentissimus præsul, et quidam vir honorabilis præstantiæ, Engilbertus videlicet comes pro utrarumque utilitate partium commutationem perfecere præsentem. Tradidit namque prædictus Engilbertus comes ad S. Petrum apostolum, sanctumque Dei martyrem Emmerammum de terra arabili jugera LIX in loco *Swindpah* nuncupato, nihil extra dimittens, quidquid in eodem loco terris, pratis et silvis habere visus est, quin ex integro ad prædictos sanctos contraderet in manum Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Otonis. E contra vero isdem Oto cum licentia Domini sui episcopi tradidit de rebus sanctorum antedictorum, in loco Eholtinga nominato, terræ arabilis jugera XLIX eidem Engilberto veneraudo comiti in proprium perpetuo possidendum. Testes enim ejusdem traditionis sunt Reginhoh, Cotaperht, Ogo, Hadamar, Willihelm, Askarih, Nidhart, Rodmunt, Irinc, Odalperht, Pern, Erchanperht, Folcpold, Arnimar.

Item commutatio.

Tradidit Engilbertus comes duo mancipia ad S. Emmerammum, id est Liupuni, et Irminhilt. E contra vero Oto cum consensu episcopi Ambrichonis tradidit Wilcozum. Et isti sunt testes : Hadamar, Ogo, Erchanperht, Reginhoh, Cataperht, Willihelm, Item Cotaperht, Patarih, Warmunt, Item Ogo.

Cap. LXXXVI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Liupatonem.*

Igitur omnibus notum sit fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, quia nobilis quidam, nomine Liupaton, tradidit quemdam lucum quem habuit filius sororis suæ Hartbertus, ad sanctum Dei martyrem Emmerammum in loco Waltinhova juxta fluvium qui dicitur Napa. Liuthardus quippe eamdem traditionem una cum patre suo Liupatone peregit in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Gundberti. E contra vero tradidit idem advocatus Gundbertus cum licentia Domini sui episcopi de rebus S. Emmerammi alium lucum in prædicto loco eidem nobili Liupatoni ac filio suo Liuthardo in proprium perpetualiter habendum. Isti sunt testes : Geio comes, Hunolf, Jacob, Strupo, Erchanfrid, Adalperht, Rafolt, Arnamar, Paldrih, etc.

Cap. LXXXVII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Gundpaltonem diaconum.*

Nonnullorum noverit industria fidelium quod Gundpato ven. diaconus traditionem quæ capitule 23 conscripta est secundo firmavit, addens quoque et cætera loca. In præsentia igitur Arnulfi ducis prædictus Gundpato una cum advocato suo Starchando tradidit ad sanctum Emmerammum talem proprietatem qualem habuit ad Quartinaha, et ad Sala et ad Weligam in manum videlicet Hittonis abbatis atque Ekkirici missorum præfati sancti ac venerabilis ep. Ambrichonis. Isti autem sunt testes : Gundram comes, et filius ejus Megingoz, Sigihart, Droant, Willihelm, Hoholt, Lantperht, Rihger, Drudolt, Sigiperht, Eparachar, Witger, Otachar. Einhart, Einhart Pero, Framrih, Karentanus, Glaz, Mirei, Kasiz, Necliuchim, etc.

Cap. LXXXVIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Baldricum.*

Plurimorum cognoscat industria fidelium quia nobilis vir quidam, nomine Baldricus tradidit ad sanctum Dei martyrem Emmerammum proprietatis suæ jugera XII in loco Hiltrateschiricha nuncupato in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. ejusque vicarii Ogonis. E contra vero idem Ogo cum licentia Domini sui episcopi tradidit prædicto nobili de rebus S. Emmerammi jug. XII juxta montem qui dicitur Paninpere. Isti sunt testes ejusdem traditionis : Askrih, Adalo, Liufo, Plidgoz, Hagano, Erchanperht, Alprih, Oto, Charaf, Hucperht, Ecchо, etc. Actum est autem ad Rispah ad convenientiam omnium Bawariorum.

Cap. LXXXIX. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Altmannum.*

Notitia qualiter ven. episcopus et Altman quidam nobilis convenerunt, concambium inter se perficientes. Tradidit itaque idem nobilis ad S. Emmerammum terræ arabilis jug. XII in loco Rorpah nuncupato, addens etiam jugum unum et pratorum, jugera II pro perficienda commutatione in manum videlicet Ambrichonis venerandi præsulis ejusque advocati, nomine Reginhohi. E contra vero tradidit prædictus advocatus de rebus S. Emmerammi cum licentia Domini sui episcopi jam præfato Altmanno terræ arabilis jug. XII in loco Ratinpah nuncupato. Et ut hæc commutatio firmior habeatur placuit duas cartulas, uno tenore conscriptas utrinque continere, et testes subnotare quorum nomina sunt : Ogo, Wago, Isanpero, Wasagrim, Askarih, Ekkirih, Gundheri, Arbo, Chuntilo.

Cap. XC. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Pernuvinum.*

Noverit industria omnium fidelium quia Pernuvin quidam nobilis talem proprietatem qualem habuit ad Tuncilingon, tradidit ad sanctum Dei martyrem Emmerammum in manum Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Avonis; id est, terræ arabilis jugera XLVIII, pratorum jug. XV, silvæ jug. C, nihil extra dimittens, viis, aquis, pascuis, accessibus et recessibus, quin omnia illuc transfudisset. E contra vero prædictus advocatus cum licentia domini sui episcopi tradidit eidem Pernuvino de rebus S. Emme-

rammi terræ arabilis jug. XLIII, silvæ jug. XXXV, pratorum jug. XV in loco Nisindorf nuncupato. Isti etiam sunt testes ejusdem commutationis : Polo, Engilperht, Reginolf, Fridarih, Erchanperht, item Reginolf, Rihheri, Helfrih, Arnimar, item Erchanperht, Adalperht, Hiltiperht, etc.

CAP. XCI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Witagovonem.*

Notum sit omnibus fidelibus quod quidam nobilis, nomine Witagovo, tradidit ad sanctum Dei martyrem Emmerammum unius prati tres partes rivumque unum ad molam in loco Sempinchova nuncupato, in manum Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Garaharii. E contra vero idem advocatus cum licentia domini sui episcopi tradidit de rebus sancti Emmerammi in eodem loco prædicto nobili in perpetuo possidendum aream I. Et isti sunt testes : Ogo, Avo, Helfrih et cæteri.

CAP. XCII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Swidgarium.*

Omnium comperiat industria fidelium qualiter subsequens peracta sit commutatio. Tradidit igitur quidam nobilis, nomine Swidger, ad S. Dei martyrem Emmerammum terræ arabilis jugera XLV, et pratorum carrad. III, et frutices ad stirpandas jugera XL juxta locum Puopinga nuncupatum in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. et advocati ejus Reginhohi. E contra vero idem advocatus cum licentia domini sui episcopi tradidit de rebus S. Emmerammi prædicto nobili in proprium terræ arabilis jug. XLV, et pratorum carrad. III, et ad evellendas frutices jug. III in loco Beninga nuncupato. Isti quoque sunt testes : Wicram, Ogo, Engilhelm, Cozperht, Giso, Gerhoh, Deotolt, Machelm. Vestitores et revestitores autem sunt præfatus Swidger atque Wicram.

CAP. XCIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Reginhohum.*

Notitia qualiter Ambricho reverentissimus præsul, et quidam nobilis, nomine Reginhoh, convenientiam composuere inter se quamlibet peragere commutationem. Tradidit ergo prædictus nobilis ad sanctum Dei martyrem Emmerammum talem proprietatem qualem ad Ellinuolfesdorf habere visus est, id est, ecclesiam, domum cum curte inter terram arabilem, et prata, atque silvam hobas IV, deessentibus duobus tantum jugeribus, et quidquid in eodem loco habuit, ad supradictum sanctum contradidit in manum Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati al. Reginhohi. E contra idem advocatus cum licentia domini sui ep. tradidit de rebus S. Emmerammi jam dicto nobili, nomine Reginhoho, ecclesiam, domum cum curte in terra arabili, ac pratis atque silva, totidem hobas jure perpetuo possidendum in loco Heikkinga nuncupato. Isti autem sunt testes per aures tracti : Isanpero, Wago, Wasagrim, Ekkirih, Eparachar, Sigipreth, Cauzo, Rihpold Nidhart, Rodmunt, Warmunt, Tato, Arbo, Gundheri, Adalpold, Ogo, Rafolt, Gemmunt, Oto, Liuthart.

CAP. XCIV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Hattonem.*

Noverit industria omnium fidelium qualiter præsens peracta sit commutatio. Tradidit ergo Elfricus advocatus Ambrichonis ven. ep. Hattoni cuidam viro de rebus S. Emmerammi, ipso episcopo consentiente, cujuslibet areæ partem unam in loco Iniringa nuncupato. E contra vero idem Hatto tradidit ad sanctum Dei martyrem Emmerammum in manum videlicet Ambrichonis ep. ejusque advocati Elfrici terræ arabilis partes duas in eodem loco.

Item alia commutatio in eodem die Wolfhohi.

Tradidit igitur Wolfhoh una cum advocato suo Helfrico in supradicto loco cujusdam areæ partem unam ad S. Emmerammum. E contra vero Hiltipero quidam nobilis tradidit eidem Wolfhoho de beneficio suo quod habuit ad Iniringa Ambrichone ep. permittente terræ arabilis duas partes. Et isti sunt testes : Helfrih, Avo, Waltunc, Strupo, Fastmot, Unlaz, Wetti, Wirot, Meginhoh, et cæteri.

CAP. XCV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Waldgarium.*

Notum cunctis fidelibus fiat quia Waldgarius quidam nobilis tradidit ad S. Emmerammum jug. I in loco Mezinga nuncupato in manum Ambrichonis ven. episc. ejusque advocati Otonis. E contra vero idem advocatus cum licentia domini sui episcopi tradidit de rebus S. Emmerammi prædicto Waldgario in eodem loco tertiam partem areæ unius. Et isti sunt testes per aures tracti : Lantfrid, Wicram, Hadamar, Engilhelm, etc.

CAP. XCVI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Altoldum diaconum.*

Quoniam nimium fructuosa inter mortales jam olim consuetudo inoleverat commutandi videlicet quasdam res pro utrarum utilitate partium ; præcellentissima regum sanxit clementia inter ecclesiasticarum rerum facultates licenter idem fieri et usque ad quinque hobarum supplementum cum cartulis ac testibus ita constare. Proinde igitur quidam nobilis, venerabilis scilicet diaconus, nomine Altoltus, tradidit ad S. Petrum apostolum sanctumque Dei martyrem Emmerammum talem proprietatem qualem habuit ad Gartheringon, et ad Haninchova et ad Atinga, in domibus, curtis, horreis, pomeriis, terris, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, nihil extradimittens quin ex integro ad prædictos sanctos transfudisset, in manum Ambrichonis ven. ep., ejusque advocati Gundberti atque Ogonis vicedomini. E contra vero præfatus advocatus, nomine Gundbertus, una cum domino suo episcopo tradidit de rebus S. Petri et S. Emmerammi eidem ven. diacono Altolto in proprium perpetualiter possidendum quidquid habere visus est ad Munolfinga, ædificiis, terris, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus. Et isti sunt testes auribus tracti : Herrant, Askarih, Ambricho, Albrih, Pernhart, Epoho, Engilperht, Avo, Strupo, Karaheri, Hungis, Salomon, Cotaperht, Irmperht, Gerpeth', etc. Vesti-

tor autem Albricus. Actum est coram Engildeone comite ad Reganespurc.

Cap. XCVII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Ehamarum et Helmpertum.*

Cunctis patescat fidelibus quia nobilis quidam Ehamarus videlicet et frater ejus Helmpertus tradiderunt ad S. Emmerammum quidquid proprietatis habuerunt ad Atinga in manum Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Wicrammi, ea videlicet ratione : ut uterque eorum suam uxorem et filios quæ sunt mancipia S. Emmerammi, id est, Herosta, Chuonrat, Wasa, Cotahilt, Deotfrit, Gozlind, simul cum proprietate possideat usque ad obitum suum. Post vero omnia revertantur ad prædictum sanctum. Et isti sunt testes : Adalhun, Nanzo, Hiltigoz, Gozpreht, Helfrih, Engilhelm, Eparachar, Ellinpoto.

Cap. XCVIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Engildeonem comitem.*

Omnium industria fidelium comperiat congruentiam commutationis quam ven. ep. Ambricho atque Engildeo comes in invicem perfecerunt. Quidquid igitur Engildeo prædictus comes habere visus est ad Stupinga ad comitium suum pertinentis, id est, areis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis, Atto advocatus suus totum contradidit ad S. Emmerammum, ipso comite jubente, in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Herrandi. E contra vero idem Herrandus cum licentia domini sui episcopi tradidit prædicto comiti de rebus S. Emmerammi quidquid Ambricho ep. providit ad Elisindorf, id est tria mancipia et domum cum curte, cum omnibus appendiciis ejus, Actum est autem ad Reganespunc in præsentia prænominati episcopi atque comitis. Vestitor quoque fuit Atto ; revestitores vero fuere Owart presbyter et Gundhart.

Cap. XCIX. — *Traditio Polonis.*

Polo tradidit Ambrichoni ven. episc. quemdam servum, nomine Adalfridum, in proprio possidendum. Et isti sunt testes : Albrih, Pald, Sigifrid, Raffolt, Sonperht, Ratolt, Lantpero.

Cap. C. — *Commutatio inter Ambrichonem et Hartwigum.*

Notum sit omnibus fidelibus quia nobilis quidam, nomine Hartuvigus, tradidit ad S. Emmerammum aream I et agrum I ad Illinchova. E contra vero Strupo advocatus, jubente domino suo ep. Ambrichone, tradidit prædicto nobili in eodem loco terræ arabilis agros II. Et isti sunt testes : Suindperht, Pernhart, Hartuvic, Avo, Gozperht, Rodmunt, Arnhelm, Hiltiprant, Heriperht, etc.

Cap. CI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Engilhardum.*

Notum sit omnibus fidelibus quia nobilis quidam, nomine Engilhart, tradidit ad S. Emmerammum terræ arabilis agrum I et pratorum carrad. II loco Sempinchova nuncupato. E contra vero Strupo advocatus jubente domino suo Ambrichone ep. tradidit prædicto nobili in eodem loco aream I. Et isti sunt testes : Sindperht, Pernhart, Hartuvic, Avo, Gozperht, Wicram, et reliqui.

Cap. CII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Helfricum.*

Utilis valde et nimium fructuosa olim inter homines inoleverat consuetudo commutandi videlicet quasdam res ob utrarumque opportunitatem partium. Id itaque quidam vir nobilis, nomine Helfrih, ejusque conjux Hiltisnot recolentes tradiderunt ad S. Emmerammum talem proprietatem qualem illa ad Chaparussa habuit. Statim vero relinquentes ad prædictum sanctum ; et fuit Avo fidejussor atque vestitor. E contra vero Ambricho ven. ep. et supradictus Avo advocatus suus qui hanc traditionem receperunt, de rebus S. Emmerammi tradiderunt eidem Helfrico ac illius conjugi beneficium quale ipse Helfrih ad Sempinchova habuit, ea scilicet ratione, ut si unus eorum vita decederet, alter possideret usque ad obitum suum ; post vero, redigatur ad pristinum locum. Sunt autem testes auribus tracti Egilperht comes, Odalperht, Bernhart, Egilperht, Askarih, Erchanperht, Hungis, Irmperht.

Cap. CIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Ogonem.*

Quoniam regalium auctoritas institutionum concambiorum congruentias in ecclesiasticis rebus fieri permisit, nobilis quidam, nomine *Ogo*, quin et idipsum frequentaret minime prætermittere distulit, Tradidit igitur prædictus vir nobilis Ogo ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum talem proprietatem qualem visus est habere ad Samotinga, id est, de silva jugera CXL, et ad Habolstat de silva jugera XXX, et ad Sempinchova terræ arabilis jugera X, et mancipia VII, id est : Perehtuni, Dechila, Perehtuni, Perehtsuvinto, Germunt, Rodmunt, Wolfpurc, in manum videlicet Ambrichonis ven. ep, advocatorumque ejus Gundperti, Herrandi. E contra vero idem Cundpertus atque Herrandus tradiderunt de rebus S. Emmerammi ante nominato Ogoni, Ambrichone ep. consentiente ad Eskinhart areas II et quidquid ad easdem pertinuit, terris, pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus et cæteris omnibus, et mancipia VII, id est : Ellinpurc, Wolfpirc, Pazrih, Weidherii, Reginolt, Walttrut, Hiltrud. Nihil extra dimittentes, quin ex integro eidem Ogoni contraderent in possessionem perpetuam. Et isti sunt testes : Folrat, Waltrih, Albrih, Perehtolt, Rodker, Salacho, Wolfmunt, Ambricho, Rodperht, Trogo, Perehtolt, Otperht, Perehtrih, Durinc, Teor, Avo, Strupo, Heripold, Lantfrid, Oto, Amalperht Marcho, Gundhart, Adalrih, Erchanperht.

Cap. CIV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Engilscalchum.*

Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus quia nobilis quidam, nomine Engilscalh, tradidit ad S. Emmerammum terræ arabilis jugera V ad Popinga in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Wicrammi. E contra vero idem Wicrammus tradidit de rebus S. Emmerammi consentiente

domino suo episcopo prædicto nobili Engilscalcho terræ arabilis jug. IV et dimidium ad Pilinga in proprium perpetualiter habendum. Et ut hæc commutatio firmior habeatur et a posteris melius credatur placuit duas cartulas uno tenore scriptas exhibere.

CAP. CV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Chunipertum comitem.*

Hæc igitur commutatio inter Ambrichonem ep. et Chunipertum comitem facta est. Nam Chunipertus comes dedit ad S. Emmerammum terræ arabilis jug. VI de rebus beneficii sui ad Atinga. Et missi ejus id ad perficiendum fuerunt Engilscalh et Hiltimar, et Willihelm. E contra vero Ambricho ven. ep. dedit Chuniperto comiti in eodem loco totidem jugera terræ arabilis; et missi ejus fuerunt Lio presbyter, et Wicram atque Beotfrid hoc ad perficiendum. Ut verius firmiusque credatur duas cartas pari tenore scriptas placuit exhibere.

CAP. CVI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Wicpertum.*

Notum sit omnibus in Christo fidelibus quia vir quidam nobilis, nomine Wicperht, tradidit ad S. Emmerammum ad Mulihusun pratorum jugera V cum fruticibus evellendis in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Heripoldi. E contra vero idem Heripoldus tradidit de rebus S. Emmerammi consentiente domino suo ep. prædicto viro Wicperto in eodem loco pratorum totidem jugera perpetualiter habendum. Et ut hæc commutatio firmior habeatur et a posteris melius credatur, placuit duas chartas scriptas et testes adhibere quorum nomina sunt hæc : Liutperht, Wolf, Schilpunc, Engilperht, Eckihart, Ratpot, Nidhart, Otperht, Lantperht, Isanparto, Perehart.

CAP. CVII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Otgisum presbyterum.*

Divina instituente gratia tradidit quidam nobilis venerabilis videlicet presbyter nomine Otkis, ad S. Petrum, sanctumque Emmerammum proprietatem suam qualem habuit ad Illinchovum, in manum scilicet Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Struponis, nihil extra dimittens quin ex integro illuc transfunderet atque laxaret. E contra vero Ambricho præfatus episcopus atque suus advocatus Strupo tradiderunt de rebus prædictorum sanctorum in eodem loco illam casam in australi parte consistentem, id est : Herimarinchova cum terris, pratis, et nemore, et cum omnibus illuc pertinentibus Otkiso presbytero in proprium usque ad obitum suum; postea vero rediganlur ad pristinum locum. Et isti sunt testes : Gozpold, Herrant, Heripold, Gundperht, Albrih, Rupo, Wiiker, Ascrih.

CAP. CVIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Helmpertum.*

Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus quia nobilis quidam, nomine Helmperht, tradidit ad sanctum Emmerammum quidquid habuit ad Dorniginpah, in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Antarpoti. E contra vero idem Antarpot tradidit de rebus S. Emmerammi, consentiente domino suo ep., prædicto nobili Helmperto ad Wolfratinchofun quidquid ibi habuit in proprium perpetualiter habendum. Et isti sunt testes : Adalrih, Avo, Strupo, Reginolt, Eparhart, Ascrih, Rupo, Folchrat, Erchanperht.

CAP. CIX. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Adalricum.*

Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ quia nobis quidam nomine Adalrih tradidit ad sanctum Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum ad Fetarah cum culta terra et inculta jugera C. E contra vero tradidit Antarpot cum licentia Ambrichonis ep. de rebus S. Petri et S. Emmerammi supradicto Adalrico prope Niwinhusun jugera XXX. Et isti sunt testes : Avo, Strupo, Gundperht, Reginolf, Rupo, Erchanperht, Eparhart.

Explicit Liber I.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Unlazum.*

Cognoscat igitur omnium industria fidelium præsentium videlicet et futurorum quia quidam nobilis, nomine Unlaz, tradidit ad S. Emmerammum talem proprietatem qualem habuit ad Erilingun, id est, areas V, domos V, horrea V, agrorum et pratorum hobas VII, nihil extra dimittens quin ex integro ad supradictum sanctum transfudisset in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Askarici. E contra vero idem Askaricus, consentiente domino suo episcopo, tradidit de rebus S. Emmerammi prædicto nobili Unlazo ad Wilhsin ecclesiam, casam cum curte, horreum I hobas IV mancipia V in proprium habendum. Testes quorum nomina sunt : Nordpold, Adalfrid, Zeizilo, Rattrud, Beotflat.

CAP. II. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Ouvardum presbyt.*

Plurimorum igitur industria comperiat qualiter ven. quidam presbyter, nomine Owardus, commutationem congruam peregit. Prædictus namque presbyter tradidit ad S. Petrum sanctumque martyrem Emmerammum talem proprietatem qualem ad Stupinga visus est habere; id est, in terra arabili, et silva, et prato hobas III et jug. XX, casam cum curte, horreum quoque atque pomœrium, nihil extra dimittens terris, pratis, pascuis, aquis aqua-

rumque decursibus, exitibus et reditibus quin ex integro illuc transfudisset in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. advocatorumque ejus Herrandi atque Gundoberti. E contra vero Herrandus, atque Gundobertus, consentiente Domino suo ep., tradiderunt de rebus S. Emmerammi bis prædicto Owardo in proprium perpetualiter habendum ad Tagaratinga ecclesiam I, casam cum curte, horreum quoque, atque pomarium, hobas III cum omnibus appendiciis earum. Et isti sunt testes : Hadamar, Plidger, Leoparto, Lantfrid, Chreftinc, Waltrih, Albrih, Perchtolt, Schilpunc, Durinc, Isanperht, Reiginperht, Ruodhart, Heimo, Eparolf, Strupo. Vestitores et revestitores sunt Herrandus, atque Gundbertus atque Epatolfus. Actum ad Reganaspurc coram Engildeone comite. Anno Domini 888.

CAP. III. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Rafoldum atque Truhmannum.*

Notum sit omnibus fidelibus quia nobilis quidam, Rafolt videlicet atque Truhman, uterini fratres, tradiderunt ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum tales proprietates quales ad Stupinga habuerunt, nihil extra dimittentes ædificiis, terris, pratis, pascuis, silvis, aquis, viis, quin ex integro ad prædictos sanctos contraderent, in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Gundeberti. E contra vero idem advocatus consentiente Domino suo ep. tradidit de rebus S. Emmerammi ad Punninhart præfatis nobilibus casam cum curte, et horreum, et hobam I, et insuper eidem Truhmanno unius areæ partem I, et terræ arabilis jug. III, et de pratis carrad. I in perpetuam possessionem. Et isti sunt testes : Avo, Strupo, Durinchart, Machelm, Askarih, Folrat, Riphold, Adalrih, Waltrih, etc.

CAP. IV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Liutbertum.*

Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus quia nobilis quidam nomine Liutperht, tradidit ad S. Emmerammum de silva jug. LXX in loco Tucilinga nuncupato in manum videlicet Ambrich. ven. ep. ejusque advocati Gundberti. E contra vere Gundbertus, consentiente Domino suo ep., tradidit eidem Liutperto in eodem loco de silva jug. L in proprium perpetualiter habendum. Et isti sunt testes Durinchrat, Eparhart, Gammo, Pirihtilo, Ratolt, Pald, Lantepero.

CAP. V. — *Commutatio inter Ambrich episcopum et Fries.*

Comperiant omnes fideles quia Fries quidam nobilis tradidit ad S. Emmerammum ad Geilunaspah pratorum jug. III in manum Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Eparhardi. E contra vero idem Eparhardus cum licentia episcopi tradidit prædicto nobili pratorum jug. II ad Guttinga in proprium habendum. Et isti sunt testes : Helfrih, Rafolt, Adalhun, Hiltipero.

CAP. VI. — *Commutatio inter Ambrichonem et Wolfpertum.*

Cunctis pateſiat fidelibus quia nobilis quidam, nomine Vuolfperht, tradidit ad S. Emmerammum suum proprium servum Anthelmum et terræ arabilis jugera X ad Snudinga in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Adalberti. E contra vero idem Adalbertus, consentiente domino suo episcopo, tradidit de rebus S. Emmerammi prædicto nobili Wolfberto ibidem ad Snudinga unum servum, nomine Gebaradum, et terræ arabilis jugera X. Et isti sunt testes : Pernhart, Antarpot, Avo, Herrant, Gundpert, Erchanperht.

CAP. VII. — *Complacitatio inter Ambrichonem episcopum et Hiltonem abbatem.*

Per cartulam quæ videlicet aperte ac veraciter nonnullorum inseratur auribus fidelium qualiter hæc complacitatio peracta sit. Tradidit namque Hitto honorabilis abbas ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum proprietatis suæ hobas VI, cum ædificiis et mancipiis XV, Meginheri Adalger, Milo, Meginheri, Willihelm, Liupuni, Liupkis, Ratkis, Wolfheri, Hiltipirc, Deotpurc, Adalswind, Liupdrud cum duobus filiis in loco Sulzpah nuncupato in manum Ambrichonis ven. ep. et advocatorum suorum Gundberti atque Herrandi. E contra idem Gundbertus atque Herrandus cum licentia domini sui ep. et cum consensu totius familiæ tradiderunt prædicto Hittoni de rebus sanctorum qui supra dicti sunt, tria loca cum omnibus appendiciis suis, id est : Chuningesfeld, et Vuaso et Purcpah ; quatenus ea usque in finem suum firmiter teneat atque possideat, ac postea cuncta ad prædictos sanctos rediganlur et revestiantur. Et isti supt testes ejusdem rationis : Ogo, Strupo, Erlapold, Chadal, Hartperht, Hiltipero, Righer, etc.

CAP. VIII. — *Commutatio inter episcopum Ambrichonem et regem.*

Ista mancipia sunt in potestate Ambrichonis episcopi : Emhilt, Appa, Rihholf, Rato, Engilhilt et filia ejus Rihhilt, et Rihmot, Engilmar, Hiltisnot. E contra vero sunt in regis potestate ad Ergoltinga Gerni, Dultin, Gundhelm, Engilpero, Machelm, Regindrud, Elisa, Emhilt, Gerni, Ermpold, Ellinhilt, Liupila, Rihhilt, Rahhila, Reginolf Perchtgunto, Reginhilt, Pecchilt.

CAP. IX. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Engilpertum comitem.*

Notum sit omnibus fidelibus quia Engilpertus comes tradidit ad S. Emmerammum mancipia III, id est : Alblind et filii ejus II in manum Ambrichonis et advocati ejus Polonis, ea videlicet ratione : ut Erfonem servum S. Emmerammi in proprium possideat usque ad obitum suum et uxoris suæ. Et isti sunt testes : Engilscalch, Pernhart, Erchanperht, Rafolt, Heripold, etc.

CAP. X. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Reginharium.*

Comperiat omnium industria fidelium quod Reginberi tradidit ad S. Emmerammum duas partes jugeris unius in manum Adalpoli ad Cholinpah. E contra vero idem Adalpold cum licentia domini sui Ambrichonis ep. tradidit de beneficio suo in eodem loco prædicto Reginhario tertiam partem jugeris unius. Et isti sunt testes : Reginhoh, Albrih, Rihpold, Folcrat, Gerhelm, etc.

CAP. XI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Pataricum.*

Cognoscat industria omnium fidelium quia Patarih quidam nobilis tradidit ad S. Emmerammum aream unius in latitudine perticas II, et in longitudine perticas X in loco Mezinga nuncupato. E contra vero ven. ep. Ambricho et advocatus ejus Oto tradiderunt terræ arabilis in latitudine perticas II, in longitudine XX in eodem loco. Et isti sunt testes : Erchanperht, Waltrih, Patarih, Gammo, Perehtolt, Sigifrid, Hitto, Oto, Adamar, Hitto, Chazo, Liutfrid, etc.

CAP. XII. — *Traditio Rodhardi, et quasi cujusdam complacitatio Stomachi inter Ambrichonem ep. et Rodharium.*

Cognoscat omnis Ecclesiæ Dei beatissimus ordo qualiter quidam nobilis, nomine Rodheri, de æterna sibi prospiciens remuneratione præsentique consulens necessitati tradidit ad S. martyrem Emmerammum quidquid in villa Samutinga nuncupata proprietatis visus est habere in mancipiis quorum nomina sunt hæc : Tiso, Albuvar, Sigifrit et filii ejus, in ædificiis, et terris cultis et incultis, aqua, silva, viis et inviis, exceptis tribus solummodo mancipiis unoque vili nemore aliunde conquisito, ven. ep. Ambrichone hanc traditionem suscipiente, advocato ejus Gundberto, ea scilicet ratione : ut e contra tres mansos de rebus supradicti sancti cum redditibus acciperet, et per singulos annos, donec in hac fragili vita viveret, vestimentum deorsum textum I et cam., cubitos XVI habens in longitudine, camisam quoque et cottum similiter I, de vino carad. I, id est, situlas XXX, farinæ mod. X, pracial. II, Frisking. IV duas [vervecinas] berbecinas, duas autem reliquas porcinas, singulas singulis appretiatas tremissis, et ut hæc omnia pariter cum illa tradita hæreditate suo usui servientia suoque juri cedentia, dum viveret, firmiter obtineret complacitavit. Et si vel episcoporum quispiam, vel etiam eorum familiarium horum quippiam subtrahere aut infringere conetur et perfecerit, ille nominatus Rodheri suæ proprietatis liberam haberet potestatem vertere quo libuerit. Sed et testium quoque Norico more per aures tractorum nomina cerni licet in præsenti : Hadamar, Wago, Unlaz, Avo, Strupo, Ambricho, Rupo, Durinchart, Eparhart, Ilpunc, Wetti, Strupo, Rihhad, Herirat, Rodhart, Lantpero. Hæc est secunda traditio. Et hi sunt testes : Herrant, Strupo, Rihpold, Karaheri, Eparahchar, Petilo, Adalhun, Unolz, Deotperht.

A Actum est autem anno Arnulfi regis secundo VII Kalendarum Martialium in loco qui vocatur Menzinpah, præsentibus autem monachis canonicisque quam plurimis, id est : Rodolto sancti martyris Emmerammi cœnobitarum præposito, Deotperto custode sacrorum et monacho, Tutone monacho et diacono, Erimperto presbytero et canonicorum præposito, Reginone diacono, Erminoldo presbytero, Perideone presbyt., Enolto presbytero, Wihgozo diac., Wolfhelmo diac., Mahthario subdiacono, Harperto subdiac., Deotmunt subd., Wolfolto diac., Attone subd., Wolfrato subdiacano.

CAP. XIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Pernwinum.*

B Cunctorum comperiat industria fidelium præsentium scilicet in sancta Ecclesia et futurorum qualiter concambium præsens perageretur. Tradidit namque quidam nobilis vir, nomine Pervum, ad S. Petrum sanctumque Emmerammum in locis Hittinchoba et Dentinchoba nuncupatis proprietatis suæ ac conjugis suæ inter terram arabilem, et prata atque silvam jugera CXCIV in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Gundberti. E contra vero præfatus episcopus atque Gundbertus cum consensu monachorum et canonicorum tradiderunt de rebus prædictorum sanctorum eidem Pernwino et conjugi suæ ad Puningon casam cum curte, ecclesiam quoque cum omnibus appendiciis suis, et terræ arabilis, ac pratorum atque silvæ jugera CLXXXII: C in proprium perpetualiter habendum. Et ut hæc commutatio firmior habeatur placuit duas cartulas pari tenore conscriptas et auribus testes trahere. Hi sunt Erchanperht, Ambricho, Sigifrid, Ratolt, Hitto, Salacho, Eparhart, etc. Vestitor et revestitor Albrih fuit.

CAP. XIV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Otonem.*

Oto quidam nobilis tradidit ad S. Emmerammum talem proprietatem qualem habuit ad Swindpah in manum Ambrichonis ven. ep. et advocati ejus Reginhohi contra solidos LX. Et isti sunt testes : Engilscalch, Westargowo, Gerperht, Ocgo, Cundachar, Nidhart, Rihpold, Eparachar, Azo, Pero, Perideo, Chuniperht, Helfrih, Erchanperht, Albrih, Ambricho, Racholf, Willihelm, Rodolf, Strupo, Adalperht. D

CAP. XV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Hardpertum.*

Multorum comperiat industria fidelium qualiter subsequentis complacitatio traditionis perficeretur. Tradidit namque quidam manu missus liber, nomine Hartbertus, videlicet subdiaconus proprietatem suam ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum quam habere visus est ad Folinchova, terris, pratis, pascuis, viis et inviis, et ad Rogkinga de silva jug. VII, nihil extra dimittens, quidquid in his locis habuit, quin ex integro ad prædictos sanctos contraderet in manum videlicet Ambrichonis ven.

ep. ejusque advocati Gundberti. E contra vero idem advocatus consentiente domino suo episcopo tradidit præfato Hartberto illud beneficium ad Eigilstat cum omnibus appendiciis suis, ea videlicet ratione : quatenus idem Hartbertus et unus proximorum suorum post ipsum usque ad obitum suum firmiter possideat illud beneficium in proprium, ac postea ad suprascriptos sanctos pertineat. Et isti sunt testes : Hadamar, Plidker, Reginpold, Albrih, Reccho, Motmunt, Isanperht, Perehtolt, et cæteri quam plurimi. Actum est ad Weltinpurc, consentientibus canonicis, Ermperto presbytero, Germundo presb., Reginone diacono, Rodoldo presbytero et monacho, Deotperto presbytero et monacho, Tutone diacono et monacho, et cæteris omnibus.

A

Cap. XVI. — *Commutatio inter Hiltigardam et Richolfum presbyterum.*

Notum sit omnibus fidelibus quia Witagowo advocatus Hiltigardæ tradidit aream unam Rihholfo presb. de rebus Sanctæ Mariæ inferioris monasterii in loco qui dicitur Pah consentiente domina Hiltigarda. E contra vero idem Rihholf presbyt. ejusque advocatus Sindpertus cum licentia Ambrichonis ven. ep. tradiderunt Witagowoni terræ arabilis duas partes in eodem loco. Et isti sunt testes : Adolf, Penhart, Helfrih, Cundfrid, Ardwit, Sindperht, Hunrih, Geilolf, Willipato, Hiltiperht, Ekkihart, etc.

B

Cap. XVII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Engilscalchum.*

Noverit omnium solertia fidelium quia nobilis quidam, nomine Engilscalch, tradidit ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum casam cum curte, et terræ arabilis atque pratorum jugera LXXXIII in loco Purringa nuncupato in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. et advocati ejus Reginhohi. E contra vero Ambricho episcopus et advocatus ejus Wicram tradiderunt de rebus prædictorum sanctorum eidem nobili ad Talachirchon ecclesiam et terræ arabilis jugera XXX. Et isti sunt testes : Engilperht comes, Erchanperht, Helmrih, Reginhoh, Rihpold, Westargowo, Helfrih, Racholf, Hitto, Egilpold, Rodmunt, Mezzi, Strupo, etc.

C

Cap. XVIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Hiltiperonem.*

Notum sit quia quidam nobilis, nomine Hiltipero, tradidit ad S. Emmerammum agrum I ad Rodrantinchova. E contra vero advocatus Helfricus cum consensu domini sui ep. Ambrichonis tradidit prædicto nobili in eodem loco agrum I in proprium habendum. Et isti sunt testes : Waltunc, Avo, Strupo, Wetti, item Strupo, Lantperht.

D

Cap. XIX. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Lantfridum.*

Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus quia nobilis quidam, nomine Lantfrid, tradidit ad sanctum Emmerammum quidquid habuit ad Caputisso in manum videlicet Ambrichonis ep. ejusque advocati Wicrammi. E contra vero idem Wicram tradidit de rebus S. Emmerammi, consentiente domino suo episcopo, prædicto nobili Lantfrido ad Sunichingon inter terram arabilem et prata jugera XXXIV; et silvæ jugera VI. Et isti sunt testes : Ogo, Erchanperht, Helfrih, Engilpold, Folrat, Derpheri, Strupo, Sindperht, Adalperht, Hadamar, Tato, Gerhoh, Hitto, etc.

Cap. XX. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Atonem.*

Patescat igitur omnibus fidelibus quia nobilis quidam, nomine Ato, tradidit ad S. Petrum sanctumque Emmerammum de terra arabili jugera XI in loco Samutinga nuncupato in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Hadamari. E contra vero idem advocatus, jubente et consentiente prædicto episcopo, tradidit jam dicto nobili Atoni de rebus supra nominatorum sanctorum ad Zeizinchova terræ arabilis jug. X in proprium jure perpetuo possidendum. Et ut hæc commutatio firmior habeatur veriusque credatur, placuit duas chartulas pari tenore scriptas exhibere, et testes adhibere quorum nomina sunt : Pernhart, Strupo, Erchanperht, Helfrih, Ambricho, Sigifrid, Hitto, Folcrat, Wetti, item Strupo, Ratolt, Mezzi, etc.

Cap. XXI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Eigil.*

Omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus notum sit quia Eigil quidam nobilis tradidit ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum talem proprietatem qualem ad Chaparussa habuit ædificiis, territoriis, viis, et inviis, nihil extra dimittens quin ex integro illuc transfunderet in manum videlicet Ambrichonis vener. ep. ejusque advocati Adalrici. E contra vero idem Adalricus, consentiente domino suo ep., tradidit de rebus prædictorum sanctorum eidem Eigiloni in proprium habendum quod Habicho ad Feterah jam olim in beneficium habuit. Et isti sunt testes : Hadamar, Antarpot, Otachar, Machelm, Hungis, Amalperht, Rihpold, Rihperht, Ternod, Strupo, Reginperht, Sigifrid, Adalp.

Cap. XXII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Sigipertum.*

Notum sit omnibus fidelibus quia Sigipertus quidam nobilis tradidit ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum quidquid ad Chaparussa habuit in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Adalrici. E contra vero idem Adalricus cum consensu episcopi tradidit eidem Sigiperto ad Engilmonaschirichon æqualem mensuram. Testes autem superioris commutationis istius quoque testes sunt.

Cap. XXIII. — *Complacitatio Sandrati archipresbyteri.*

Venerabilis igitur archipresbyter Sandratus tradidit ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum talem proprietatem qualem ad Glumin

habere visus est, et mancipia x quorum nomina sunt : Dancrat, Purgund, Isanpero, Guodlind, Purat, Frecholf, Alazeiz, Folcrat, Ratolf, Egilmar, nihil extra dimittens præter aream I, et jug. III quin ex integro ad prædictos sanctos contraderet, ea videlicet ratione : quatenus illud beneficium ad Eriningam in proprium contineat usque ad obitum suum. Et Anzo filius Adalrici eamdem proprietatem simul cum ipso beneficio possideat usque ad finem vitæ suæ. Postea vero cuncta ad S. Petrum et S. Emmerammum pertineant. Et isti sunt testes : Gundpold comes, Orendil comes, Aserih Adalperht, Oto, Engilpold, Chuniperht, Engilscalch, Eicco, Herimar, Adalrih, Oto, etc.

Cap. XXIV. — *Complacitatio inter Ambrichonem episcopum et Aspertum cancellarium.*

In nomine sanctæ et unicæ Trinitatis. Qualiter subsequens complacitatio perageretur multorum cognoscat industria fidelium. Tradidit igitur Aspertus ven. diaconus, cancellarius videlicet regis Arnulfi, ipso rege licentiam concedente, ad S. Petrum principem apostolorum, sanctumque Dei martyrem Emmerammum proprietatem suam, id est illam capellam ad Feldun, et illam in loco qui dicitur Cella, et illum locum Gepantespah, et Gisalpah, et quidquid ad eadem loca pertinuit; ædificiis quippe, mancipiis, terris, pratis, silvis, nihil extra dimittens præter illa beneficiola quæ Oto et Gundperht habuerunt, quin ex integro ad prædictos sanctos contraderet atque transfunderet in manum videlicet Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Gundberti. E contra vero idem Gundbertus consentiente domino suo episcopo, tradidit eidem Asperto, ven. diacono de rebus supradictorum sanctorum hæc loca, id est Oparinhusa, Niwinhusa, Lorcin, et quidquid ad eadem loca pertinere visum est, ea vid. ratione, quatenus ipse Aspertus et unus proximorum suorum cui tradere voluerit post se omnia ante nominata loca firmiter possideant usque ad obitum suum. Postea vero cuncta ad S. Petrum sanctumque Emmerammum pertineant, exceptis illis duobus beneficiolis. Actum autem est ad Reganasburc cum attestatione et affirmatione monachorum, canonicorum atque laicorum. Et isti sunt testes : Herrant, Gundperht, Ogo, Erchanperht, Strupo, Ambricho, Sigifrid, Albrih, Pald, Wicker, Gundpold, Eparhart, Hitto, Folcrat, item Strupo, Wetti, Lantperht, Werinheri, etc.

Cap. XXV. — *Commutatio inter Helfricum et Pattonem.*

Notum sit quia Pato tradidit ad S. Petrum sanctumque Emmerammum duas ancillas æquivocas, nomine Wolfhild, in manum Helfrici advocati. E contra Helfricus tradidit eidem Pattoni de beneficio Gotaperti unam ancillam, nomine Walifridam, in proprium habendam. Et isti sunt testes : Ogo, Ambricho, Gotaperht, Patarih, Durinchart, Rodmunt, etc.

Cap. XXVI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Liutgarium.*

Patescat omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus quia Liutger quidam nobilis tradidit ad S. Emmerammum ad Homeres jug. v in manum Ambrichonis ep. ejusque advocati Reginhohi. E contra vero Reginhoh, jubente domino suo episcopo, tradidit eidem Liutgario ad Zeizinchofa jug. v in proprium habendum. Et isti sunt testes : Askarih, Ambricho, Pald, Irimperht, Erchanperht, Trago, Iuo, Adalo, Gunzo, Adalpero.

Cap. XXVII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Waltungum.*

Cognoscat omnium industria fidelium quia Waltunc quidam nobilis tradidit ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum totam proprietatem suam quam habuit ad Teningon in manum Ambrichonis ven. ep. ejusque advocati Gerperti. E contra idem Gerpertus una cum episcopo tradiderunt eidem Waltungo illud beneficium ad Otperchtinchofa ex integro in proprium habendum. Et isti sunt testes : Askarih, Helfrih, Eparhart, Rupo, Strupo, Erchanpold, Gundalperht, Gozperht, Isanhart, etc.

Cap. XXVIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Perahtgerum.*

Patescat omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus quia Perahtger quidam nobilis tradidit ad S. Emmerammum ad Gundinhart aream I, et de terra arabili jugera x, et de silva jugera VI in manum Ambrichonis episc. ejusque advocati Marchonis. E contra vero Marcho, jubente domino suo episcopo tradidit eidem Perahtgero ad Hedinpah aream I, et de terra arabili jugera x et de silva jugera VI in proprium habendum. Et isti sunt testes : Cotaperht, Reginhoh, item Reginhoh, Salomon, Ambricho, Sigifrin, Askarih, Kermunt.

Cap. XXIX. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Anamodum* [a].

Quoniam inumerabilium industria virorum rerum suarum opportunitates appetere et indagare studuit; placuit etiam cuidam rubicundo clerico, nomine Anamodo, religioso videlicet subdiacono quasdam res proprietatis suæ sibi ad commodum perducere atque copulare. Talem igitur proprietatem qualem piissimi regis Arnulfi donatione idem Anamodus in possessionem accepit, in pago Westarmannomarcha nuncupato, juxta Prointala, in loco Reitinpuoh, in comitatu Engildeonis comitis, ad S. Petrum principem apostolum, sanctumque martyrem Emmerammum cum mancipiis VII contradidit atque alligavit in manum Ambrichonis ven. ep., et advocatorum ejus Gerberti et Gundberti. E contra vero Ambricho, ven. præsul una cum impositis manibus advocatorum suorum Gerberti scilicet atque Gundberti tradiderunt de rebus prædictorum sanctorum eidem Anamodo quidquid ad Beningon in beneficium habuit, cum mancipiis VII, et ad Pondorf terræ arabilis jug. XXII, simul cum illa hoba quam parentes ejus ibidem

[a] Auctor Anamodus de seipso.

habuerunt, et Nordgewe illud beneficiolum ad Niufara, et quidquid ad eadem loca, ædificiis, terris cultis et incultis, silvis, pascuis, aquis, cæterisque omnibus bonis juste, legitimeque pertinere visum est, jam ter ante nominato Anamodo in proprium perpetualiter, nemine contradicente, possidendum tradiderunt et transfuderunt. Et isti quoque sunt testes : Adolf, Pernhart, Patto, Avo, Strupo, Herrant, item Strupo, Eparhart, Rupo, Sigifrid, Gozpold, Gundpato, Waltrih, Oto, Hadamar, Perehtolt, Rafolt, etc. Vestitores et revestitores Gerpertus et Gundpertus fuerunt. Actum ad Menzinpah.

CAP. XXX. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Epam.*

Notum sit omnibus fidelibus quia Peren cuidam feminæ, nomine Epæ, tradidit de rebus S. Emmerammi ad Weipilingun aream unam. E contra vero eadem Epa duas mensuras terræ arabilis tradidit ad prædictum sanctum in eodem loco. Et isti sunt testes : Reginhoh, Gouzo, Altman, Cundheri, Cundalperht, Othelm.

CAP. XXXI. — *Commutatio inter Cundrammum et Avonem.*

Notum sit omnibus fidelibus quia Cundram tradidit in potestatem S. Emmerammi mancipia III, nomine Adala, Wolfmunt, Pazhilt, in manum *Evonis* advocati. E contra Avo tradidit eidem Cundrammo de beneficio Mahtarii mancipia tria in proprium habendum, nomine Helmgart, Perahthero, Ratuni. Et isti sunt testes : Odulman, Sigifrid, Adalhoh, Otperht, Willihelm, Engilhart.

CAP. XXXII. — *Commutatio inter Adalhunum majorem et Meginhardum.*

Notum sit quia Adalhun major cum licentia episcopi Ambrichonis tradidit Meginhardo unius areæ partem unam ad Chaparussa. E contra idem Meginhardus tradidit ad S. Emmerammum agri unius partes duo in eodem loco.

CAP. XXXIII. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Ermpertum presbyterum.*

Propter multorum felicitatem [*f.* falsitatem] titubationis fidei, et quia sibi succedentibus pro rerum fortuita mutabilitate principatibus quorumdam diuturnus labor prioris servitii vel oblivioni traditur, vel post tergum forsitan revolvitur, cœperunt quidam quasi prudentiores altius excogitare qualiter et beneficia præsentis vitæ solamine arctius sibi quodam modo constringerent, et proprietates, si cui eas contigerit habere, pro instantis levamine necessitatis et futuræ spe remunerationis cautiori consilio reservarent. Hac itaque eadem cogitatione armatus quidam religiosus presbyter et Radasponensis episcopii canonicorum præpositus, nomine Ermpertus, tradidit S. Petro principi apostolorum, sanctoque Emmerammo martyri et episcopo in manum Ambrichonis ven. ep. ejusque advocatorum Avonis et Gundperti suam proprietatem in comitatu Engildeonis comitis in loco qui dicitur Scornashova, qualem A de Arnimaro quodam nobili ejusque cohæredibus pecunia potuit acquirere, cum curte et ædificiis, mancipiis quoque additis numero X. Eisdemque tradentibus, id est, advocatis, Avone videlicet et Gundperto, jubente quidem Ambrichone ep., et accepit in proprietatem idem Ermpertus, quidquid in beneficio visus est habere cum ædificiis et curtibus, mancipiis, et omnibus ustensilibus; ita scilicet ut, et dato et accepto, donec in hac fragili vita viveret, consimili jure proprietatis uteretur, nullo inquietante, nullo contradicente. Post illius autem vitæ obitum salva omnia et intemerata servitio supradictorum sanctorum cedent sine mora. Et isti sunt testes : Hadamar, Rodker, Strupo, Ermperht, Erchanperht, Herirat.

B CAP. XXXIV. — *Commutatio inter Ermpertum presbyterum et Sigifridum.*

Notum sit omnibus fidelibus quia Ermpertus tradidit Sigifrido cum licentia Ambrichonis episcopi de rebus beneficii s i duas partes jug. unius in proprium habendum ad Espilapah. E contra vero prædictus Sigifridus tradidit proprietatis suæ jug. I ante nominato Eremperto in eodem loco. Et isti sunt testes : Albric, Folcrih, Hitto, etc.

CAP. XXXV. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Attimarum atque Cundrammum.*

Notum sit omnibus fidelibus quia Wicram advocatus Ambrichonis ep. tradidit Attimaro et Cundrammo cum licentia supradicti ven. ep. terræ arabilis jug. V C in loco nuncupato Atinga. E contra dederunt Attimar et Cundram ad S. Emmerammum ligni jug. VII. Postea autem tradidit Attimar et ad super memoratum sanctum de terra arabili jug. IV. E contra Wicram tradidit totidem jug. in proprium habendum Attimaro.

CAP. XXXVI. — *Traditio Adalungi archipresbyteri.*

Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus quia Adalunc archipresb. tradidit proprietatem suam quidquid ad Sulactala habuit, Amalungo atque Adalungo usque ad obitum suum possidendum. Post obitum vero eorum ad sanctum Dei martyrem Emmerammum in manum Ambrichonis ven. ep. et advocati sui Reginhohi, et mancipia, quæ ibi habuit, quorum D nomina sunt hæc : Ekko, Hiltipold, Ratheri, Paldker, Ratperht, Liubhilt, Hiltisnolt, Rihhilt, Ratfrit. Et esti sunt testes traditionis hujus : Ogo, Egilscalch, Wago, Gerperht, Rihpold, Perehtheri, Eparahchar, Hitto, Adalperht, Helfrih, Oapi, item Adalperht filius Engiscalhi. Hoc factum fuerat ad Pilistingon Kal. XVI Septemb.

CAP. XXXVII. — *Commutatio inter Gerbertum advocatum et Otniam.*

Notum sit omnibus fidelibus quia Otoni tradidit ad S. Emmerammum nemusculum unum ad Reinna. E contra vero Gerbertus advocatus, jubente domino suo Asperto ep. tradidit eidem Otniæ puellam unam quæ vocatur Ermanhilt. Et isti sunt testes : Gundperht, Odalperht, Deotrih, Engilrih, Wicker, Deotpa-

lo, Hitto, Lantpero, Hartperht, Patarih, Sindperht.

CAP. XXXVIII. — *Complacitatio inter Aspertum episcopum et Mahtharium.*

Notum sit omnibus fidelibus quia Mahtharius quidam manumissus religiosus videlicet subdiaconus tradidit ad S. Petrum sanctumque Emmerammum talem proprietatem qualem rex Arnolfus ei in proprium concessit ad Stupingon, in manum videlicet Asperti ven. ep., ejusque advocatorum Herrandi atque Gundberti; ea videlicet ratione : ut idem Mahtharius beneficium suum ad Owanashovon cum omnibus appendiciis ejus in proprio possideat usque ad obitum suum, et postea ad prædictos sanctos cuncta redigantur ac stabiliantur. Et isti sunt testes : Askarih, Waltrih, Durinchart, Hardperht, Garaheri, Hitto, Alboni, Mezzi, Eparhart, Albric, Perehtolt, Deotrih.

CAP. XXXIX. — *Commutatio inter Aspertum episcopum et Wikkernum diaconum.*

Cognoscat omnis Ecclesiæ beatissimus ordo qualiter quidam nobilis diaconus, nomine Wikkernus, de æterna sibi prospiciens remuneratione præsentique consulens necessitati. Tradidit namque ad sanctum Dei archangelum Michaelem talem proprietatem qualem habuit ad Rossidorf cum omnibus adjacentiis et mancipiis IV quorum nomina hæc sunt : Kerperht, Ratmot, et filius ejus II, ven. ep. Asperto hanc traditionem suscipiente, advocatoque ejus Jacobo, ea scilicet ratione; ut e contra suum beneficium, quod habere visus est ad Chessindorf et Grammanesdorf cum omnibus adjacentiis et mancipiis haberet, et ut hæc omnia pariter possideret absque dubio usque in finem vitæ suæ, et post obitum ejus omnia meliorata ad supradictum sanctum Dei archangelum redigantur. Sed et hoc conplacitavit; ut, si quandoque monachicam vitam voluisset ducere, suum solium habuisset in eodem monasterio supradicti archangeli Michaelis. Sed et testium quoque Norico more per aures tractorum nomina cerni licet in præsenti : Gernod, Albrat, Ratmunt, Ascrih, Deotrih, Tevit, Deotpato, Waltilo, Strupo, Ekkiperht, Nordheri, Waltrih, Rodhoh. Actum est V Id. April. in loco qui dicitur Maninseo præsentibus omnibus monachis qui tunc in eodem loco visi sunt, juvenes atque senes.

CAP. XL. — *Commutatio inter Aspertum episcopum et Amalpertum, et Pernhardum atque Richonem.*

Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus quia Amalperht, atque Pernhart et Rihho, quidam nobiles viri tradiderunt ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum de terra arabili jug. XL, et de silva jug. XXII in loco Punninhard vocato in manum videlicet Asperti ven. ep. ejusque advocati Herrandi. E contra vero idem Herrandus cum licentia domini sui ep. tradidit de rebus S. Petri, et S. Emmerammi prædictis nobilibus in eodem loco terræ arabilis et silvæ totidem jugera in proprium perpetualiter habendum. Et isti sunt testes : Wicker, Sigifrid, Helfrih, Ermperht, Hitto, Gammo, Albrih, Gundpold, Reginpold.

CAP. XLI. — *Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Herrandum.*

Notum sit omnibus fidelibus quia Herrant tradidit ad sanctum Emmerammum duos servos, nomine Posonem et Pumannum. E contra vero Ambricho ep. et Gundpertus advocatus ejus tradiderunt eidem Herrando totidem servos, nomine Lautfridum et Grimoldum, in proprium perpetualiter habendum. Et isti sunt testes : Erchanperht, Albric, Perehtolt, etc.

CAP. XLII. — *Complacitatio inter Aspertum episcopum et Hadamarum atque Sahlindam.*

In nomine sanctæ et unicæ Trinitatis, qualiter subsequens complacitatio perdigesta sit multorum cognoscat industria fidelium. Tradidit igitur quædam matrona venerabilis, nomine Sahlind, ejusque advocatus, nomine Hadamarus ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum in manum videlicet Asperti reverentissimi episcopi atque advocati ejus Gundperti talem proprietatem qualem regali donatione habere visa est ad Hardheim, exceptis autem tribus mancipiis, id est Christan, Deotwih, Albswind, ut liberi permaneant, et terræ arabilis jugera XXX, pratorum jug. VI, ut Altman et omnia in proprium possideant usque ad obitum suum, et postea ad prædictos sanctos redeant. Cætera universa, tam ædificiis quam mancipiis, terris quoque cultis et incultis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, pratis, pascuis, una cum omnibus appendiciis ejusdem loci ad jam dictos sanctos ex integro donata ac allegata sunt; ea videlicet ratione : quatenus idem Hadamar atque uxor ejus Sahlind illum fiscum ad Haholstat de rebus S. Petri et S. Emmerammi, eamdemque proprietatem ad Hardheim firma ratione usque ad finem suum teneant atque possideant; postea vero præfati sancti et provisor eorum utrumque locum in potestatem suam absque omni contradictione recipiant. Istius etiam traditionis sunt testes : Engildeo comes, Orendil comes, Pernhart, Avo, Folrat, Durinchart, Reginpald, Lantpero, Askarih, Deotker, Rodolf, Amalperht, Strupo, Engilperht, Albrih, Perehtolt, Rupo, Gozpold, Herimar, Ringolf, Geio, etc.

CAP. XLIII. — *Commutatio inter Aspertum episcopum et Reginhohum.*

Notum sit omnibus fidelibus quia nobilis quidam, nomine Reginhoh tradidit ad S. Emmerammum ad Pilistingon terræ arabilis jug. I. E contra vero Rihpold advocatus jubente domino suo Asperto ep. tradidit prædicto nobili in eodem loco dimidium jug. I. Et isti sunt testes per aures tracti : Reginhoh, Sigifrid, Pald, item Sigifrid.

CAP. XLIV. — *Commutatio inter Aspertum episcopum et Sigifridam viduam.*

In Dei nomine, placitum atque conventum inter Aspertum ven. ep. et quamdam nobilem viduam Sigifrit; ut aliquas res pro communi utilitate inter se

confirmarent, quod ita et fecerunt. Tradidit itaque prædicta vidua Sigifrit talem proprietatem qualem ad Milizreod habere visa est simul cum advocato suo, nomine Ratoldo, ad S. Petrum sanctumque Dei martyrem Emmerammum; hoc est: aream 1, et de terra arabili jugera XXVI et pratorum ad carradas VIII, in manum videlicet Asperti ep. et advocati ejus Herrandi. E contra vero idem Herrandus, consentiente domino suo ep. tradidit de rebus S. Emmerammi Pezcinmos præfatæ viduæ aream 1 et de terra arabili jug. XXX in perpetuam possessionem. Et isti sunt testes: Garaheri, Chuniperht, Sindperht, Rodger, Gundpald, Folcrih, Hitto, Wetti, Ambricho Asperht.

CAP. XLV. – *Commutatio inter Aspertum episcopum et Ratfridum.*

Noverit cunctorum industria fidelium qualiter subsequens peracta est commutatio. Tradidit itaque quidam nobilis vir, nomine Ratfrid, ad sanctum Dei martyrem Emmerammum in manum Asperti ven. ep. et advocati ejus Garaharii in loco Samutinga nuncupato casam cum curte, terræ arabilis..... *Desunt sequentes pauculi versus, ob folium ultimum e codice excisum.*

ANNO DOMINI DCCCC.

EUTROPIUS

LONGOBARDUS PRESBYTER.

DE JURIBUS AC PRIVILEGIIS IMPERATORUM IN IMPERIO ROMANO.

ANNO DOMINI CIRCITER DCCCC.

(Apud Goldast., Scriptores Rerum Alamannicarum.)

Priscis temporibus imperiale decus efloruit Romæ, sub cujus dominatione diversa consistebant regna, et cui cunctæ gentes propria submittebant colla. Constituit ergo consules, qui quotidiano usu regni gubernacula consilio disponebant. Erant namque distributa officia per senatores et magistratus, prout unicuique ministerium opere competebat. Imperiale vero decus laudibus honoribusque ab omnibus tantummodo extollebatur. Post adventum unigeniti Filii Dei, et post ascensionis ejus gloriam, Romanum imperium Byzantium se contulit, quæ a Constantino Magno Cæsare Constantinopolis vocata est. Quæ quia Romano gloriabatur imperio, dicta est *nova Roma*; sic tamen ut antiqua Roma gloriosa præponeretur cæteris. Euntibus autem apostolis vel successoribus eorum prædicare Evangelium, secundum divinum præceptum, in mundum universum, Romam Cæsares revertebantur, diversa tormenta sanctis inferentes, ut diis suis placerent. Unde accidit ut beatus Petrus, qui prælatus fuerat cæteris a Jesu Christo Domino nostro, Romam prædicationis causa veniret, quæ omnium gentium prædicabatur domina; quæ eatenus, sicut multis idolorum simulacris erat seducta, ita plurimis prædicationibus apostolorum aliorumque martyrum exhortationibus cum cæteris conversa; ubi etiam beatus Petrus et Paulus doctor gentium martyrio coronati sunt: ut sicut Roma per antiqua mœnia caput erat multarum gentium in divisione simulacrorum, ita caput et domina vocaretur omnium Christianorum in unitate veræ fidei et inconfusæ deitatis, habens principatum totius Christianitatis, in accepto privilegio Jesu, ubi ait: *Tu vocaberis Cephas*; et alibi: *Ego rogabo pro te, ne deficiat fides tua.*

Diviso autem Romano imperio, eo quod imperialis sedes, quæ antiquæ Romæ solita erat, Constantinopolim esset deducta, multarum gentium populi contra Urbem fuerant rebelles. Unde magna et non pauca contra eam surrexerunt bella, teste Orosio. Tunc enim Roma per patricios principabatur. Erat autem tantum subjecta suo imperatori, ita ut si aliquando imperator paganorum ritu inveniretur crudelis, per suos legatos, sanctissimos præsules aliosque Christianos per diversa supplicia martyrio coronaret. Crescente autem Christiana religione, talis æstus fidei a patribus exarsit, usque dum Longobardi sunt Italiam ingressi. Cumque appropinquarent Pado, nuntiatum est Romæ (præsidebat vero Sylverius papa tunc Romanæ Ecclesiæ) Narso patricio, cujus uxor vocabatur Polyxiana, nuntiatum est autem illis quod præfatus pontifex misisset ad Longobardos, invitans eos Romam, quatenus potestas Græcorum aboleretur et Ecclesiæ jura elevaret sub potestate pontificis; cui tanta erat necessitas, ut nihil aliud præter Ecclesiarum et clerorum haberet curam. Quotidianos ergo victus dabatur de palatio consuetus, et annualia dona pro restauratione ecclesiarum et Cæsare eleemosyna honoris causa; et solummodo erat ob reverentiam apostolorum Petri et Pauli. Si quando imperialis legatus mitteretur a principe, ut Romanus pontifex proficisceretur Constantinopolim ad imperatorem omni neglecta occasione ibat,

etiamsi pro certo sciret ut in exsilium mitteretur. Mittebatur aliquando quidem nuntius a Narso patricio ad Sylverium papam, cumque proficisceretur ad domum illius, ubi jacebat ægrotus, dixit illi uxor sua : *Domine papa, quid tibi peccamus, quia voluisti inducere Longobardos super nos?* His dictis, fecit cum comprehendi et tonsurari, vestemque monachicam induere, necnon sedentem asino ad monasterium Sanctæ Salæ perducere. Cumque egressus esset foras, sedens super asinum, dixit quidam de astantibus : *Heu! dominus papa mortuus est.*

Præterea inundantibus Longobardis Italiam, e conversis ad Christi fidem, fugati sunt Græci, et cessavit imperium ab urbe Roma usque ad Francos. Per reges enim principabantur Longobardi. Divisis quippe Italiæ finibus, Spoletanorum dux Romæ constitutus est vice regis, tali pacto ut quando apostolicus abiret, interesset dux præfatus electioni futuri pontificis, accipiens plurima dona in partem regiam. Si autem lites inter Romanos surgebant, ex primatibus regiis adveniebat missus cum eodem duce ad deliberandas causas et legaliorum judicia. Et qui in culpam criminis incurrebant, regali puniebantur potestate aut in exsilium mittebantur, etiam inconsulto apostolico; usque ad Zachariam præsidem, qui subdole quasi pro familiaritate quadam præfatus est ad Carolum regem Francorum, eo quod idem Carolus habebat filiam Desiderii regis Itali uxorem, invitavitque eumdem Carolum in Italiam, seminans inter reges discordias, laudans, et proferens illi imperialia sceptra; accepitque ab eo securitatem quo tempore ingredi deberet Italiam; jurantesque mutuo, reversus est. Transeunte autem eo per fines regni Desiderii, separavit ab eo quosdam de suis, dans quibusdam plurima dona, quibusdam jurat dari similia. Accipiente autem Carolo hoc regnum, profectus est Romam, deditque ibi donaria multa, quæ usque hodie Romanum tenent dominium de regni hujus confinibus. Fecitque pactum cum Romanis eorumque pontifice, et de ordinatione pontificis, ut interesset quis legatus, et ut contentiosas lites ipse deliberaret. Constituebant autem annualia dona in Papiæ palatium perdecenda, auri libras decem, argenti centum, pallia optima decem, exceptis privatis donis. Et quando imperator adveniebat Romam, vel suus legatus, mittebantur judices a palatio singulis annis, qui per cuncta Romanorum confinia legalia vindicabant placita, compellentes habitatores locorum illorum venire ad placitum, indicantibus eorum judicibus rectam legem in præsentia imperialium judicum. Et si alterius gentis inveniebantur habitatores, regali judicio judicabantur. Erant denique monasteria in Sabinis Domini Salvatoris et sanctæ Dei Genitricis Mariæ, necnon et monasterium beati Andreæ apostoli juxta montem Soracti, seu cætera fiscalia patrimonia inter Romanas fines ad usum imperialem. Non solum autem in Italico regno, verum etiam in Francia proficiscebantur monachi, ferentes vectigalia, vina, et alia donaria, juxta virium posse. Igitur Romanis in sua securitate gloriantibus, levatum est cor illorum juxta illorum consuetudinem; volueruntque imperialem potestatem vindicare sibi : resistente autem Leone papa, comprehenderunt eum, volueruntque ejus eruere oculos. Eruerunt autem unum, et alterum non potuerunt, quia liberavit eum divina miseratio, et ejectus est ab illis extra Urbem, quasi perditis ambobus luminibus. Qui fugiens in Franciam, pervenit ad Carolum. Unde accidit eum Carolum venire pro vindicta apostolici, comprehendens Romanos, de majoribus eorum in uno die in campo Lateranensi fecit trecentos decollari.

Propterea inventum est, ut omnes majores Romæ essent imperiales, tam episcopi quam laici; et omne vulgus pariter faceret cum his fidelitatem imperatori; et ut suus missus omni tempore moraretur Romæ ad deliberandas litigiosas contentiones. Morabatur quippe in palatio sancti Petri; et erat constitutum quanta et qualia stipendia de palatio ei darentur quotidie quod autem reliquum erat, de supradictis monasteriis vel patrimoniis deserebatur affluenter. Tanta nempe imperialis virtus ibi vigebat, ut si in legali judicio minoris vel inscii causa postponeretur, et ille alicujus consilio pedes teneret legati imperatoris, petens ab eo justam legem; et missus adjuraret principes Romanorum dicens : *Per eum fidem quam Domino imperatori debetis, facite huic homini justam legem*, nemo erat ausus declinare neque ad dexteram neque ad sinistram, etiamsi a propinquis pontificis certa esset injuria. Multotiens vero non ante apostolicum sed in judiciali loco ad Lateranis, ubi quidam locus dicitur ad Lupam quæ mater vocabatur Romanorum, ibi judiciariam legem finiebant. Compositiones quoque quæ solebant, a malefactoribus æqualiter dividebantur misso imperatoris et apostolici. Si autem talis culpa erat, ut res scelerata fisco publico subderetur, non ad ecclesiasticam transibat subjectionem, nisi per donativum imperiale præceptum. Si enim aliquis iram incurrebat imperatoris, episcopus aut judex Romanus, et licitum esset Cæsari venire Romam, veniebat; sin autem, mittebatur dux Spoletinus, comprehendebatur offensor et ducebatur in exsilium. Domus vero illius signabatur annulo regis, usque ad ejus consultum; ut si quando reverteretur ad gratiam, haberet propria salva; sui alias, per imperialia præcepta distribuebantur militibus. Quod si ad judicis potestatem rejiciebatur quisquam, et Cæsaris adhæreret clementiæ, mittebatur pro tali negotio, legatus ab imperatore, qui diligenter examinaret rei veritatem; et si ejectus propriam haberet culpam, sustineret injuriam.

Hac consuetudine usi sunt Romani usque ad Ludovicum Magnum (*qui alias secundus vocatur*) imperatorem, Lotharii filium. Hic, quia magis Italiam habitare elegit, vicinior factus est Romæ; ubi et ampliori quadam usus est potestate, habens strenuos

viros ejus Urbis, scientes antiquam imperatorum consuetudinem, et intimantes Cæsari, qui suggerebant illi repetere antiquam imperatorum consuetudinem. Et nisi ob reverentiam beatorum apostolorum dimitteret, pro certo faceret. Hic etiam princeps Beneventi fines ingressus est, et totius Calabriæ, duobus modis. Uno, quod provincia esset Italiæ, volens totius regni fines suæ vindicare ditioni; altero, eo quod immanissima gens Aggarenorum, illa jam tangebat confinia; capientes quamdam urbem, quæ vocatur Bari; quam munienter et multis vectigalibus implentes pro refugiis habebant. Et ideo a comprovincialibus terræ illius benigne susceptus est.

Præfatus itaque Cæsar cum multitudine populi proficiscebatur, ad accipiendas easdem gentes. Et ne gravaret eos qui deprædati ab Aggarenis erant, quæsivit solatium Ravennæ; sed quæsivit etiam solatium, quæ vicina erat, Venetiæ, quatenus navali adjutorio fultus, posset abundanter ferre Apuliam. Præsidebat namque tunc Ravennati Ecclesiæ Joannes archiepiscopus, qui serviens imperatori familiarior erat. Unde invidia ductus Romanus pontifex, nomine Nicolaus, exarsit in iram contra illum, vocans eum subdole Romam, ut quasi ecclesiastico judicio posset hunc condemnare, et alterum subrogare. His quippe auditis, archiepiscopus confugit ad reginam Engelbergam; quæ suos legatos direxit apostolico, rogans ut redderet gratiam archiepiscopo. Quod cum impetrare nequiret, suo domino humiliter intimavit ut gratiam interferret suæ tuitionis archiepiscopo, vetans apostolicum ei nullam inquietudinem facere. Et quia, inaudito principe, apostolicus excommunicationes in eum protulit, gravis inimicitia inter eos facta est. Erectus est denique regius honor contra apostolicam dignitatem, objiciens ei antiqua Patrum statuta; *Non licere prælato excommunicare episcopum inconsulto synodali concilio;* et quia: *Synodus non a papa, sed ab imperatore vocari deberet.* Plurimæ namque irrogationes pro tali occasione illatæ sunt Romano pontifici. Nam Pentapoli beneficiales ordines suis distribuit, præcipiens nullam administrationem impendere Romæ, exceptis suffragiis, navali deportatione. Fecit etiam occupare nonnulla patrimonia in Campaniæ partibus regio usui suorumque fidelium. De prædictis quoque monasteriis quotidiana exigebantur servitia in disco regis per diversos apparatus. Constituit denique consulta Romanorum principum in urbe Roma Arsenium quemdam episcopum, sanctitate et scientia adornatum, et apocrisiarium Sedis Romanæ, deditque illi adjutorem Joannem diaconum et archicancellarium, suumque secretarium, qui postea Reatinus episcopus effectus est, unde jam electus erat.

Tempore igitur congruo imperator veniebat Romam, et suscipiebatur ab omnibus tam majoribus quam minoribus honorifice; veniebatque cum eo jam dictus archiepiscopus Ravennæ, nil metuens minas pontificis. Unde evenit major discordia inter papam et imperatorem. Erat quippe imperator in palatio sancti Petri apostoli, et papa ad Sanctos Apostolos. Cumque omnes illius insidias contra regiam dignitatem pro nihilo ducerentur, constituit monachos seu Christo dicatas virgines ex monasteriis Romæ, ut quasi sub obtentu religionis quotidianas celebrarent lætanias per circuitum murorum, et missas canerent, contra principes male agentes. His auditis, primarii regis humiliter accedentes ad papam, rogaverunt eum familiariter ut talia prohiberet. Et cum nihil ab imperatore impetrare possent, reversi sunt mœrentes. Quadam vero die, cum quidam milites præfati principis irent ad Sanctum Paulum, et revertierentur, accidit eos occurrere lætaniis. Qui instinctu antiqui hostis in iram versi sunt, et pro fidelitate sui senioris vindictam exercuerunt contra illos, percutientes et cædentes graviter cum fustibus quas manibus deferebant. Qui fugientes projecerunt cruces et iconas quas portabant, sicut mos est Græcorum; e quibus nonnullæ conculcatæ, nonnullæ disruptæ sunt. Unde et imperator graviter est permotus in iram, et pro qua causa apostolicus mitior effectus est. Profectus est denique idem pontifex ad Sanctum Petrum, regans imperatorem pro suis talia patrantibus; et vix obtinere valuit. Jam itaque inter se familiares effecti sunt; tamen regia dignitas semper fuit Romæ suisque confiniis, usque ad finem dierum imperatoris, sicut supra prælibatum est. Eo vero infirmante, et ad extremum propinquante, quia non habebat filium, voluit sibi succedere Carolum Magnum (qui alias *Carolomannus* scribitur) ad suscipienda imperialia sceptra. Cum hæc ita geruntur, Romani pontifices semper per oratores litteras mittebant invitatorias ad Carolum regem Francorum, invitantes eum clam. Et quia erat in litteris quasi philosophus, rogabant illum supervenire beato Petro, et de servitutis jugo ad propriam libertatem reducere suam Ecclesiam, ut quasi per vim ab aliquo esset oppressa.

Talibus evolutis machinationibus, moritur Ludovicus. Mittitur statim citatus a Joanne qui tum præerat a papa legatus ad eumdem Carolum, qui nullas veniendo faciens moras, ingressus Italiam, petiit Romam. Mittitur denique alius missus ab uxore imperatoris Engelberga, vel a suis primatibus ad Carolum Magnum, ostendens ei vota defuncti. Et quia longius erat, noluit tam cito venire ut impedire posset iter Caroli Calvi. Qui veniens Romam, renovavit pactum cum Romanis, perdonans illius jura regni et consuetudines illius, tribuens illis sumptus de tribus supradictis monasteriis, id est Domini Salvatoris, et beatæ Mariæ semper Virginis in Sabinis, atque Sancti Andreæ juxta montem Soractis, et de cæteris quamplurimis monasteriis fiscalia patrimonia. Patrias autem Samniæ et Calabriæ, simul cum omnibus civitatibus Beneventi eis contulit; insuper ad dedecorem regni totum ducatum Spoletinum, cum duabus civitatibus Tusciæ, quod solitus erat habere ipse dux, id est Aritium et Clu-

sium, quatenus ut is, qui præerat regia vice ante, Romanis videretur post esse subjectus. Removit etiam ab eis regias legationes, assiduitatem vel præsentiam apostolicæ electionis. Quid plura? Cuncta illis contulit quæ voluerunt; quemadmodum dantur illa, quæ nec recte acquiruntur, nec possessura sperantur. Fugato itaque isto Carolo præ metu alterius Caroli, qui veniebat, infirmatur, antequam A de regno egrederetur Italico. Egressus namque vix, defunctus est. Ab illo autem die honorificias consuetudines regiæ dignitatis nemo imperatorum, nemo regum acquisivit: quia aut virtus defuit, aut scientia, pro multis regni contentionibus et assiduis divisionibus. Unde multa prælia, delationes et rapinæ fuerunt in regno.

SUPPLEMENTUM

AD

EPISTOLAS ET DIPLOMATA

PONTIFICUM ROMANORUM

QUI CURRENTE SÆCULO NONO FLORUERE.

I.

LEO III.

1.

PRIVILEGIUM LEONIS III PRO MONASTERIO SAN-DIONYSIANO.

(Anno 798.)

[Doublet., *Hist. de St-Denis*, p.] 452.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Fulrado, dilecto Deo, presbytero et abbati venerabilis monasterii sancti Christi martyris Dionysii, et cunctis posteris ad perpetuum.

Quoniam expetisti a Sede apostolica privilegium renovari quod hactenus antecessor noster bonæ et sanctæ memoriæ, Stephanus papa ex monasteriis a se constructis confirmavit, tibi et omnibus successoribus tuis abbatibus, iterum renovare et confirmare per nostram auctoritatem in antea deberemus, et sub ditione sanctæ sedis Ecclesiæ Romanæ semper perpetua conservatione subsistere et permanere omnimodis debeant, eo videlicet ordine ut quidquid ex donatione excellentissimi filii regis nostri Caroli, vel aliorum regum, ac bonorum hominum et parentum tuorum, et ex tua proprietate et commutationibus habere et dominari modo videris, vel in antea acquirere tu et successores tui potueris, tam in monasteriis ædificandis quam et villis, sive mancipiis in quibuscunque pagis, locis et agris constitutis, ita stabilita et rata in perpetuum maneant, et in prædictis monasteriis nullus episcoporum vel sacerdos, absque voluntate præcellentissimi filii nostri Caroli B regis, vel tua, licentiam habeat missas celebrare nisi per vestram convocationem, sed proprium habentes episcopum, tabulas et chrisma consecrandum, vel cæteros sacros ordines, sicut in privilegio domini Stephani papæ plenius continetur, auctoritatem et licentiam in omnibus attribuimus, et hoc beati Petri apostolorum principis auctoritate fulcientes protestamur, ut omnes causas vel necessitates tuas ac monasterii tui sanctissimi Dionysii martyris et cæterorum monasteriorum illi subditorum, ad Sedem apostolicam licentiam habeas, et omnes successores tui abbates reclamandi, et res ac prædia, sive monasteria a te constructa et ordinata, sicut in testamento tuo habes, ad monasterium sancti Christi martyris Dionysii, et monachorum suorum tradita et confirmata in futurum perseverent, statuentes per C hanc seriem scripturarum atque interdicentes ut quisquis, vel cujuscunque dignitatis persona a magno gradu usque ad minimum fuerit, qui hoc privilegium irrumpere tentaverit, vel fecerit sub anathematis vinculo, beati Petri apostolorum Principis ac nostra auctoritate, esse alligatum universalis Ecclesia sciat, nisi digna satisfactione coram Deo et sanctorum suorum pœnitentiam egerit. Bene valete.

Data VI Kal. Junii anno in sacratissima beati Petri sede III, seu domno Carolo, excellentissimo rege Francorum et Longobardorum atque patricio Romanorum, a quo capta fuit Italia, anno vicesimo quinto, indictione sexta.

II.

EPISTOLA LEONIS III AD FORTUNATUM GRADENSEM PATRIARCHAM.

Anno 803.)

[Apud Ughelli, *Italia sacra*, tom. V, pag. 194.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo confratri Fortunato patriarchæ Gradensis Ecclesiæ.

Vitæ tuæ tantummodo officium sacerdotis assumere, si interiori vigilantia perpendamus, plus est oneris quam honoris; quippe qui propria curare non sufficit nisi et salubriter gesserit aliena. Nam ad hoc pastoralis regiminis curam aggreditur ut aliorum in se sollicitudinem pia provisione suscipiat, et in eorum sese custodia vigilanter disponat, ut lupus insidians possibilitatem in eo irrumpendi non habeat, nec læsionem ovibus inferat. Sic qui animarum curam suscepimus, assiduam debemus sollicitudinem gerere ut callido antiquo humani generis inimico aditum præcludamus et totis contra ejus voracitatem viribus obsistamus, ne nostra forte desidia, rabida, quod absit, quemquam fauce deglutiat, et ejus ad nostram non immerito applicetur pœnam perditio, qui commissos sollicita custodire et quibus cautela negligimus. Exhibeamus ergo quod dicimus, et quibus divini dispensatione consilii præesse contigit, prodesse quantum possumus festinemus, ut dum creditor rationem nobiscum posturus advenerit, lucrum nos fecisse reperiat, et sua, sicut promisit, remuneratione lætificet. Hoc itaque, frater charissime, considera, et locum quem adeptus es non ad requiem, sed ad laborem te suscepisse cognosce. Adhortationis ope fidelium corda corrobora, infidelium vero, summo opere converte. Quod ut facilius assequi merearis, prædicationem tuam vita commendet; ipsa eis instructio, ipsa magistra sit; ad desiderium æternæ vitæ docente suspirent tuo viventes exemplo, et perveniant, temporalia despiciant, et quæ transitoria sunt contemnentes, ad ea quæ semper durant, quæ nullo fine clauduntur, desideriis anhelent. In his igitur studium adhibe, in hac tota mentis intentione persiste, quatenus dum tua prædicatione atque imitatione hæc fuerint consecuti, tanto majora a Deo nostro recipias, quanto congrua sollicitudine lucrandis eis animabus officii tui exercere operam minime destitisti. Pallium præterea juxta antiquam consuetudinem fraternitati tuæ dedimus, quo ita uti memineris, sicuti prædecessores nostri tuis prædecessoribus concessere, privilegiorum suorum scilicet integritate servata. Fidem autem fraternitati tuæ quamvis in epistola tua quam direxisti, subtiliter debuisses exponere, verumtamen lætamur in Domino, quia eam rectam esse et solemni synodali confessione didicimus. Oramus autem omnipotentem Dominum ut sua te munitione circumtegat et sacerdotii susceptum officium operibus implere concedat.

Scriptum per manum Benedicti notarii et scrinarii S. R. E., in mense Martio, indict. 14. Bene valete.

Datum 12 Kal. April. per manum Eustachii Primicerii sanctæ Sedis Apostolicæ, imperante nostro domino Carolo piissimo Augusto a Deo coronato magno et pacifico imperatore anno tertio, ind. 11.

III.

EPISTOLA LEONIS III AD ALIM SABIONENSEM EPISCOPUM ET AD ALIOS PROVINCIÆ BAJOARIORUM EPISCOPOS.

(Anno 8.)

[Hansizii *Germania sacra*, tom. II, pag. 109.]

Dilectissimis nobis Alim Ecclesiæ Sabionensis, qui nunc Brixinensis, seu Attoni Ecclesiæ Frisingiæ ac simul Ecclesiæ Reginensis, nec non Waltrico Ecclesiæ Pataviensis et Simberto Ecclesiæ Niwenburgensis, provinciæ Bajoariorum episcopis, Leo, servus servorum Dei.

Dilectionis vestræ quas nobis petitorias emisistis syllabas, libenti suscepimus animo, in quibus ferebatur, ut in provincia vestra Bajoariorum archiepiscopum ordinaremus, quo provincia ipsa mirifice a filio nostro, domino Carolo, excellentissimo rege Francorum et Longobardorum et patricio Romanorum, penitus ex omni parte, sicut decuit, ordinata est. Idcirco convenit, nos ipsos nempe ecclesiastico moderamine in sacro ordine fideliter atque spiritualiter secundum censuram canonicam, ipsam ordinare Bajoariorum provinciam. Et quia Deo auspice, reperientes virum almificum, et in Scripturis divinis peritissimum, et in omnibus misericordissimum, spiritualibus moribus comprobatum, una cum consensu et voluntate prædicti filii nostri domini Caroli, præcellentissimi regis, vobis ordinavimus, secundum sanctiones Patrum archiepiscopum, videlicet Arnonem, Ecclesiæ Juvavensium, quæ et Petrina nuncupatur, quæ in honore B. Petri, principis apostolorum, venerabiliter est consecrata; ibique requiescit corpus sacri pontificis Rudperti, una cum venerabilibus suis sodalibus, scilicet Chunaldo et Gisilano, quorum corpora ibidem a fidelibus honorantur; qui dudum noster fuit coepiscopus, nunc autem frater et coepiscopus noster, vester autem archiepiscopus; et venerabilem sedem ejus metropolitanam habentes, ad quam sancto Arnoni, archiepiscopo vestro, usum pallii tribuentes, dedimus in mandatis ut, secundum canonicas institutiones, omnibus Ecclesiis superius nominatis in diœcesibus illi subjectis, canonice valeat adminiculum impartiri, ut in futuro examine ante tribunal Christi liberaliter valeat audire: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.* Bene valete. Anno tertio, atque domini Caroli excellentissimi regis Francorum et Longobardorum et patricii Romanorum, a quo cepit Italiam, anno XXV, indictione sexta.

IV.

EPISTOLA LEONIS III AD OMNES FIDELES.

(Anno 816.)

[Apud Coquelines, *Ampl. Coll. Epist. et Dipl.* tom. I, pag. 161.]

Divinam humanamque vindictam adversus usurpantes bona et jura monasterii sancti Pauli de Urbe contestatur.

Leo episcopus, servus servorum Dei, omnibus Christianis notitiam contestationis.

Quicunque dona vel oblationes sacratissimi altaris gloriosi Pauli apostoli totiusque templi ejus ab usu et utilitate hic Domino servientium tollere præsumpserit, aut qui rectorem per pecuniam vel aliquod malum ingenium in hoc loco contra statuta Patrum nostrumque præceptum ordinaverit, sive qui hæreditatem hujus loci destruendo, vendere vel comparare ausus fuerit, omnipotentis Dei maledictionem in corpore suo suisque rebus habeat; quod facere præsumpserit evacuetur; infamis, sacrilegus ab omnibus habeatur; testimonium ejus in nullo placito recipiatur; quidquid possederit ad rempubticam transferatur. Et, si non resipuerit, auctoritate cœlorum Principum in inferno damnetur. Fiat, fiat, fiat.

V.

EPISTOLA LEONIS III AD WOLFERIUM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 80.)

[Apud Bosco, *Flor. Biblioth. reg.*, p. 4.7.]

Leo episcopus, servus servorum Dei, Volferio Viennensi archiepiscopo, et cunctis episcopis per Viennensem provinciam constitutis.

Petente inclyto ac triumphatore filio Carolo, Augusto et justissimo imperatore, more prædecessorum nostrorum, Galliarum episcopis sua jura firmavimus, pro quo etiam presbyterum tuum ad nos direxisti, ut tibi antiqua privilegia roboraremus. Scias autem Nos ab eorum institutionibus nolle deviare, et quæ illi Ecclesiæ tuæ contulerunt, nos velle inconcussa servare. Et licet Tarentasiæ episcopus, aliquibus oppidis videatur episcopus, tamen provincia Alpium Graiarum, ditioni Viennensis Ecclesiæ submissa, sicuti a prædecessoribus nostris confirmatum est, manebit. Nec debet episcopus supradictæ provinciæ humilitatis viam in subditione majoris contemnere, cum constet eum gratia muneris aliquibus prælatum excellere. Quanta autem ab impiis passi sumus te ignorare non dubitamus. Unde propter beatum Petrum, tu tuique nobis faveatis, ne malignorum iniquitas valeat rogamus, et apostolica reverentia monemus.

Data 15 mensis Julii, imperante piissimo Augusto Carolo magno imperatore, a Deo coronato.

VI.

DIPLOMA LEONIS III PRO ECCLESIA S. MARTINI TURONENSI.

(Anno 803.

[Apud Mousmier, *de Statu S. Mart. Turon.*, p. 1367.]

A Leo, servus servorum Dei, dilectissimis fratribus universis episcopis in Galliæ partibus commorantibus.

Utilitas ecclesiasticæ doctrinæ, licet fluctuoso procellarum turbine feriatur, tamen strenua pontificum solertia, optabile salutis percipit remedium, sicque pacis nutritur incrementum et justitiæ decus florescit. Anno sexto piissimi imperatoris Caroli, cum unanimiter sacrosanctum concilium pontificum ageretur ex imperio magni orthodoxi imperatoris Caroli, inter aliqua canonici profectus commode spirituali aptissima lucro, contigit ut Gulfardus religiosus abbas monasterii Sancti Martini, in quo venerabiliter corpus ejus quiescit humatum, supplici voce precatus est uti privilegium nunc præesse se perhibens sæ- B vissimis luporum dilaniatur morsibus; nec fluctuoso improvide naufragetur procellarum turbine, pastorali tueatur mucrone, et sustentetur baculo subleveturque juvamine ei concedere deberemus. Prospecto igitur regalis munificentiæ edicto, simulque votis et precibus fidelium annuendo, hujusque sanctæ apostolicæ Sedis decreto firmamus per seriem privilegii, ut sicut ejusdem præcepti series continet, institutaque sanctorum prædecessorum nostrorum apostolicorum, videlicet Gregorii et Adeodati et aliorum per Gallicanam videlicet Provinciam constitutorum antistitum ad id consensum præbentium subscriptiones subter annexas inspeximus, quæ iidem fratres nostri reverendissimi præsules conferre proviserunt; et Nos simili censura firmare concedimus, apostolica fulti C auctoritate, quatenus nullas gravedines a quolibet episcoporum, sub prætextu discussionis, religiosus abbas vel canonici ibidem degentes sustineant, nec altaria ecclesiarum ipsorum in quacunque provincia sint constitutæ, sine consilio clericorum ibi beato Martino devote famulantium, alicui unquam aut donare, aut vendere ullus episcopus licentiam habeat. Et nullus superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator in eorum ecclesiis, villis, mansionibus et territoriis, in quibuscunque habeantur provinciis sive pagis, ingredi ad causas audiendas, nec homines illorum ingenuos vel servos distringere aut fidejussores tollere præsumat, nec teloneum aut nautaticum exigat; et ut decimæ et nonæ ex eorum omnibus rebus D absque aliqua præsulum principumque contradictione hospitali eorum nobilium atque pauperum integerrime reddantur. Quidquid insuper utilitatis illorum, alia privilegia apostolicorum et præsulum præceptaque retinent imperatorum et regum, ita in reliquum ejusdem loci decanus, sacerdotes et clerus ipsius monasterii sub præfato tali jure per omnes sibi regum munere, aliorumque Christi fidelium mercede concessas et in reliquum concedendas cum universitate suarum appendicium, perpetuo possideant integerrime, ita ut supra signavimus, nullius potestatis vim quidquam de eorum dominio vel possessione præsumat auferre in quo misericordiarum suarum regum dignitas beneficia fratribus in eodem cœnobio beati Martini morantibus largiri disposuit, reverendissimus

vero episcopus in cujus parochia memoratum venerabile monasterium vel res ejus ac possessiones constiterint, faciendæ tantum ordinationis ac promotionis sacerdotum atque levitarum, vel conficiendi chrismatis sit tantum concessa licentia. Dispositionem autem venerabilis loci gerere aut conversationem canonicorum exquirere, religioso abbati ejusque decano, vel quique probatissimi in eodem monasterio fuerint; quod etiam præfati præsules consona sententia definierunt decernimus; neque per occasionem canonicæ disciplinæ rimandi atque servandæ quaslibet eis importent injurias, sed liberam licentiam salubriter habere statuimus. Qui autem hujus constitutionis institutum irrumpere, aut qualibet præsumptione vel occasione tentaverit evertere, vel de decimis eorum potestati per legitimos annos subditis (auferre) perpetuæ damnationis cumulum cum sanctæ legis prævaricatoribus se noverit perferre, nisi digna satisfactione correxerit; quod temeraria cupiditate aggredi tentaverit, potestate igitur in beato Petro apostolorum principe concessa a Domino ligandi et solvendi, ita eo dicente: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis, et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVI), virtutis hujus confidentia nitentes cœli aditum cupiditatis suæ malitia obice claudimus sub anathematis vinculo, qui huic pernecessario beneficio in substractione collatarum rerum et bonorum consentiens aut cooperator adfuerit, nisi, ut præmisimus, divino fretus auxilio, correctionis munere resipuerit, invasa restituerit ac neglecta satisfecerit. Hujus autem definitionis ac apostolicæ determinationis sententiam inviolabiliter a cunctis fidelibus quæsumus observandam, quam, ut certius credatur et irrefragabiliter observetur, manus propriæ subscriptione adnotare curavimus, perpetuumque manendam statuimus.

Scriptum per manum Bonifacii archiscomii Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, indictione septima. Bene valete.

Data quinto Idus Aprilis, anno undecimo pontificatus domini Leonis papæ III, anno sexto Carolo regnante imperatore magno.

II.

STEPHANUS IV.

STEPHANI IV BULLA PRO MONASTERIO FARFENSI.

(Anno 817.)

[Apud Muratorium, *Rer. Ital. Script.* II, II, p. 366.]

STEPHANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Domino filio INGOALDO religioso presbytero et monacho, atque abbati venerabilis monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ, quod ponitur in Pharpha, in loco qui nuncupatur Acutianus, suisque successoribus in perpetuum.

Cum magna nobis sollicitudine instat cura pro universis Dei Ecclesiis ac bonis locis vigilandum, ne aliquam necessitatis jacturam sustineant, sed magis propriæ utilitatis stipendia consequantur, ideo convenit, nos pastorali tota mentis aviditate eorumdem venerabilium locorum maximæ stabilitatis integritatem procurare et sedule ad eorum utilitatem subsidia illic referre, ut Deo nostro omnipotenti id, quod pro ejus sancti nominis honore, et ad laudem atque gloriam ejus divinæ majestatis ejus venerabilibus nos certum est contulisse locis, sit acceptabile, nobisque ab ejus locupletissima misericordia digna hujusmodi pii operis in sidereis conferatur arcibus remuneratio. Igitur, quia petistis a nobis quatenus ex nostra largitate nostroque dono concederemus vestræ religiositati ac monasterio vestro confirmationem omnium bonorum, quæ habet modo et habiturum est in perpetuum, confirmamus autem vobis vestrisque successoribus fundum Acutianum, ubi ipsum monasterium venerabile constructum est, cum finibus et appendicibus suis in integrum, fundum Calistianum in quo est ecclesia sancti Laurentii, fundum Pompeianum, fundum Pinianum, fundum Cervinariam, fundum Marianum in quo est ecclesia sancti Paterniani, fundum Arturianum, fundum Ordeolum, fundum Mutella, ubi est ecclesia sancti Angeli, sicut a tempore Adriani papæ ab ipso venerabili monasterio possessum est, fundum Urbanum qui et Vicus-auro vocatur, ubi est ecclesia sancti Viti, cum pratis, silvis et aquimolendis, vel omnibus ad eum in integrum pertinentibus, ex fundo Adriano uncias tres in quo est ecclesia sancti Valentini, fundum Medianum, fundum Casalmontis, ex fundo Arverriano unciam unam, ex fundo Terniano uncias VI, ex fundo Antiano uncias IX, ubi est ecclesia sancti Felicis, fundum Agellam, fundum Cicilianum in quo est ecclesia sancti Donati, fundum Paternionem, fundum Gignianum, ex fundo Scandiliano uncias IV, fundum Cryptulæ, fundum Marcianellum per uncias IV, fundum Apicianum in quo est ecclesia sancti Gordinari, fundum Scaplianum, fundum Testa, fundum Ceritum, fundum Alianum, fundum Turris ubi est ecclesia sancti Laurentii, ex fundo Pendigiano uncias II, fundum Cæsarianum, fundum Ventilianum, fundum Fornicata cum trajecto suo seu Gualdo in integrum pertinentibus, ex fundo Germaniciano uncias IX ubi est ecclesia sancti Petri, fundum Musileum, fundum Cassianum, ex fundo Averriano uncias VI, fundum Casulam, fundum Lavanianum, fundum Marcilianum, fundum Monatianum, fundum

Fisinianum, fundum Canianum, fundum Lurignianum, fundum Balburianum, ex fundo Classicellæ uncias III ubi est ecclesia sancti Petri, ex fundo Fuliniano uncias VI, ex fundo Rigiano uncias VI, ex fundo Pontianolo uncias VI, fundum Perticatulæ, ex fundo Aurificis uncias VI, fundum Pacilianum, ex fundo Casiano uncias VI, in quo est ecclesia sanctæ Justæ, fundum Mellianum, in quo est ecclesia sanctæ Eugeniæ, ex fundo Figniano uncias III, ex fundo Cisternulæ uncias VIII, ex fundo Occiano uncias VII, et semis, fundum Olivolam, fundum Pontianellum, ex fundo Ursuli uncias IX et scrupulos III, item ex fundo Bossuli unciam unam, ex fundo Macerulæ uncias VI, ex fundo Rufiani uncias III, in quo est ecclesia sancti Stephani, ex fundo Macerulæ uncias IV, ex fundo Cassiani unciam unam, ex fundo Rapiciani unciam unam et semis, ex fundo Mediana uncias II, ex fundo Marciani uncias II et semis, ubi est ecclesia sancti Victorini, ex fundo Prata uncias III, ex fundo Argasiano uncias IV, ex fundo Catoniano uncias II, in quo est ecclesia sanctæ Sabinæ, ex fundo Arsura uncias IV, ex fundo Agellari uncias II, ex fundo Latiniano uncias II, ex fundo Altariolo uncias II, ex fundo Argasiano tres partes de uncia, ex fundo Petiniano uncias II, ex fundo Paptiano uncias IV, ex fundo Domitiano uncias IV, in quo est ecclesia sancti Stephani, ex fundo Cispiniano uncias III, ex fundo Cisiniani uncias IX, in quo sunt ecclesiæ sanctæ Mariæ et sancti Silvestri, ex fundo Lacaniano unciam unam, ubi est ecclesia sancti Petri, ex fundo Begiano uncias II, ex fundo Cipriano unciam unam, ubi est ecclesia sancti Calistrati, ex fundo Belgiani unciam unam, et semis, fundum Catilianum, fundum Cryptulæ, fundum Montanianum, fundum Retianum in quo est ecclesia sancti Abundii, ex fundo Lamniano uncias III, fundum Turianum in quo est ecclesia sanctæ Mariæ, fundum Morianulæ, fundum Follianum in quo est ecclesia sancti Sabini, ex fundo Monumenti Cupi uncias III, fundum Tervilianum, ex fundo Prætoriolo uncias III, ex fundo Serviliano uncias III, ubi est ecclesia sancti Anthimi, ex fundo Gabiniani uncias II, ex fundo Lavariani uncias... semis, ubi est ecclesia sancti Getulii, ex fundo Leugianello uncias IV, fundum Aurianum in quo est ecclesia sancti Laurentii, ex fundo Tulliani uncias III ubi est ecclesia sancti Valentini, ex fundo Mucciani uncias III, fundum Paternum in quo est ecclesia sancti Valentini, ex fundo Vassiano uncias VI, in quo est ecclesia sancti Victorini, ex fundo Cassiano uncias VI, in quo est ecclesia sancti Cesigii, ex fundo Oricignani uncias VI, in quo est ecclesia sancti Petri, ex fundo Silignano uncias III, ubi est ecclesia sancti Angeli, ex fundo Graniano unciam unam, fundum Nignianum in quo est ecclesia sanctæ Helenæ, fundum Mallianum in quo est ecclesia sancti Juvenalis, ex fundo Aliani uncias III, ubi est ecclesia sancti Petri, ex fundo Robe uncias VI, ex fundo Prætoriolo uncias VI, ubi est ecclesia sancti Sebastiani, ex fundo Usiani qui et Hilianus vocatur, uncias VI, in quo est ecclesia sanstiæ Anatoliæ, ex fundo Feclinulæ uncias VI, ubi est ecclesia sanctæ Victoriæ, ex fundo Paterno uncias VI, ubi est ecclesia sancti Victorini, ex fundo Salliano uncias III, ubi est ecclesia sancti Martini; ex fundo Curiliano uncias III, fundum Forianum, in quo est ecclesia sancti Tolomei; ex fundo Jusiano uncias III, ex fundo Aciliano unciæ semis. Seu et medietatem de Gualdo, qui dicitur Laurus; et medietatem de portione Probati Castaldi; ex fundo Paterno unciam unam et semis; ex fundo Valeriano unciæ semis, in quo est ecclesia sancti Martini; ex fundo Corviano uncias VI, ubi est ecclesia sancti Pancratii; ex fundo Bagiano terram modiorum VI, ex fundo Vorriano unciam unam et semis; ex fundo Lavigiano unciam unam et semis; ex fundo Vicarii uncias III; ex fundo Acutiano uncias VIII, in quo est ecclesia sancti Gregorii. Fundum Montianum, in quo est ecclesia sancti Angeli; fundum Farianum; fundum Paternum, positum in Variano, et in Tulliano; fundum Jussianum in integrum. Ex fundo Agelli uncias IX; fundum Sensianum, in quo est ecclesia sancti Anthymi; fundum Privatis; fundum Albucianum cum appendicibus suis. Gualdum Tancies in integrum per loca designata, sicut primitus ab ipso monasterio possessum est. Fundum Findilianum uncias II, ex fundo Passiani uncias VI, ex fundo Antariani uncias VI, ex fundo Casæ-Surdæ uncias II, ex fundo Terviliani uncias VI, ex fundo Casæ-Candidæ uncias VI, ex fundo Polliani uncias VI, ex fundo Bajani uncias VI, ex fundo Betusiani uncias VI, ex fundo Serviliani uncias IV, ex fundo Mussini uncias VII, ex fundo Seriolæ uncias III, ex fundo Mariani uncias VI, ex fundo Serviliani portiunculam unam; ex fundo Sisiani uncias VII, ex fundo Catiniani unciam unam, ex fundo Gaii mediam unciam, ex fundo Turriani uncias XI, ex fundo Bariani uncias XI, ex fundo Salisiani unciam, ex fundo Bastani, ubi est ecclesia sanctæ Mariæ. Fundum Corbonianum, fundum Luccianum, ubi est domus culta in integrum. Ex fundo Ariani uncias II, ex fundo Septiniani unciam unam et semis. Item ex fundo Septiniani uncias VII. Inter ea casalem Pipinianum cum casis et vineis, seu olivetis et colonis; item casalem Scandilianum per uncias VIII, necnon et casaliculum, qui nominatur Antiquus. Ex casale Antiano uncias VI, et olivetum in Proporaria, ad quorum vices suscepit sancta nostra ecclesia temporibus domni Adriani papæ a suprascripto venerabili monasterio tuo commutationis nomine, id est in casale Flaviano uncias II et semis. Item casalem Canopum in integrum cum casis, vineis, olivetis atque colonis. In casale Ortisano uncias IV, in casale Argasiano uncias III, in casale Cæsariano uncias VI, in casale Fabriciano unciam unam, in casale Valeriano uncias II, in casale Secundiliano uncias VI. Utrosque vero casales cum domibus, vineis, olivetis atque colonis tantum, qui a prædecessore nostro domno Adriano papa dati sunt, quoque recepti. Nunc autem prænominatos, fundos, vel uncias suprascriptorum fundorum, seu ecclesias, casas, vineas,

prata, silvas, salicta, rivos, aquas, necnon aquæ-molas, oliveta cum vineis, appendicibus suis et colonis, atque familiis ad eos generaliter in integrum pertinentibus, sicut a prædecessorum nostrorum Patrum per privilegia sanctæ recordationis domni Adriani quondam papæ eidem venerabili monasterio confirmata sunt auctoritate; et sicut primitus, et nunc ab ipso venerabili monasterio possessa sunt, permanenter a præsenti decima indictione, tuæ religiositati tuisque successoribus abbatibus sancti monasterii in perpetuum concedimus detinendum. Sub ea videlicet ratione ut omnibus diebus vitæ vestræ dum ipsum constiterit venerabile monasterium, quotidianis diebus, quando cantilenam perficitis in eodem sancto monasterio, pro remissione peccatorum nostrorum centum *Kyrie eleison* exclamare studeatis. Hos vero omnes prædictos fundos, vel uncias existentes ex corpore patrimonii nostri Sabinensis juris sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ, habentes, ita sane ut a te tuisque successoribus abbatibus sancti monasterii singulis quibusque indictionibus pensionis nomine rationibus [a] ecclesiasticis x auri solidi persolvantur, difficultate postposita omni, quæ indigent defensione; seu meliorare prædicta loca indifferenter vos sine dubio procuretis efficaciter; nullaque præterea ad dandam annue pensionem a vobis mora proveniat; sed actionariis sanctæ nostræ Ecclesiæ apto tempore persolvatur. Statuentes apostolica censura sub anathematis interdictione, et divini judicii obtestationibus, nulli unquam liceat nostrorum successorum Patrum, vel aliæ magnæ parvæque personæ, ex ipsis locis, fundis et casalibus, quæ a prædicto domno Adriano papa data sunt, et a nobis confirmata, sicut superius legitur, in integrum in usu et utilitate sancti monasterii, penitus auferre aut ex eisdem venerabilibus locis jure alienare; sed nec ullam violentiam jacturæ ibidem inferre præsumat; potius autem omnia hæc superius annexa sub annua sanctæ nostræ Ecclesiæ persolvenda pensione, nec non et centum *Kyrie eleison* pro nostris facinoribus exclamandum, sic per hujus nostri privilegii paginam ac auctoritate domini nostri beati Petri principis apostolorum sub jure et ditione ipsius monasterii perenniter permanenda confirmamus, ad laudem Redemptoris nostri Domini pro substentatione monachorum, illic ejus matris dominæ nostræ servientium clementiæ, quatenus hoc beneficium ipsius Dei famuli adepti, nostri memores in suis existant crebris orationibus, ipsum Deum centum *Kyrie eleison* exorando. Hæc vero omnia a nobis corroborata in perpetuum immutilata permanenda sancimus. Si quis autem, quod non optamus, temerator exstiterit de his quæ a nobis pia consideratione confirmata sunt, sciat se domini nostri principis apostolorum beati Petri auctoritate anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et omnibus teterrimis pompis ejus, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi in æternum inextinguibili igne colligatum. Porro qui custos et observator exstiterit hujus nostræ apostolicæ institutionis, quæ a nobis in ipso venerabili monasterio concessa est, benedictionis gratiam vitamque æternam a misericordissimo Deo nostro coram sanctis omnibus mereatur.

Scriptum per manus Christophori scriniarii in mense Januario, indictione 10. Bene valete.

Datum x Kalendas Februarii per manus Theodori nomenclatoris sanctæ sedis apostolicæ, imperante domno Ludovico piissimo Augusto a Deo coronato magno pacifico imperatore anno 3, et patriciatus ejus anno 3, indictione 10.

[a] An potius *rationalibus*, aut *actionariis*, ut infra

III.

PASCHALIS I.

I.

PASCHALIS I BULLA PRO MONASTERIO FARFENSI.

(Anno 817.)

[Apud Muratorium, *Rer. Ital. Script.* II, II, p. 317.]

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Ingoaldo abbati monasterii sanctæ Mariæ, quod ponitur in Farfa, in loco qui nominatur Acutianus, tuisque successoribus in perpetuum.

Cum magna sollicitudine nobis instat cura pro universis Dei Ecclesiis ac bonis locis vigilandi, ne aliquam necessitatis jacturam sustineant, sed magis propriæ utilitatis stipendia consequantur; ideo convenit nos pastorali tota mentis aviditate eorumdem venerabilium locorum maximæ stabilitatis integritatem procurare, et sedule eorum utilitatum subsidia illic conferre, ut Deo nostro omnipotenti id quod pro ejus sancti nominis amore, et laude, atque gloria ejus divinæ majestatis, ejus venerabilibus nos certum est contulisse locis, sitque acceptabile nobis, quæ ad ejus locupletissimam misericordiam digna hujusmodi pii operis in sidereis conferatur arcibus remuneratio. Igitur quia petistis a nobis quatenus ex nostra largitate nostroque dono concederemus vestræ religiositati monasterii vestri confirmationem, eorumdemque bonorum quæ habet amodo et habiturum erit in

perpetuum : confirmamus autem vobis vestrisque successoribus castella et villas, campos et sylvas, prata et aquas, vineta et oliveta, et aquimolas, cum universis appendicibus, vel omnibus ad eos generaliter et in integrum pertinentibus, sicuti primitus et nunc ab ipso venerabili monasterio possessa sunt, tam in comitatu Sabinensi, necnon et Narniensi, sive in comitatu Reatino, vel Furconino, Asculano, Firmano, Aprutiensi, et Pinnensi, et Balbensi, et Teatino, Romano etiam, et Thuscano, omnesque adjacentias eorumdem monasteriorum, atque pertinentias cum omni integritate concedimus detinenda, tam ea quæ modo jure possidetis, quam ea quæ in futuro, largiente Domino, poteritis acquirere tu et successores tui, sicuti per privilegia sanctæ recordationis domni Adriani quondam papæ eidem venerabili monasterio confirmata sunt, permanenda. Confirmamus autem vobis vestrisque successoribus in perpetuum oblationes, decimationes, vestraque ditione colligendas oblationes mortuorum, a cunctis recipiendas, et a nullis interdicendas. Nullus autem episcopus audeat synodare vel excommunicare monachum vel clericum ipsius monasterii, quos prædicto abbati suisque successoribus concedimus monendos et constringendos, a præsenti decima indictione, tuæ religiositati, tuisque successoribus vestri monasterii in perpetuum concedimus detinenda. Statuentes quippe apostolica censura ex auctoritate beati Petri apostolorum principis, sub divinis obtestationibus et anathematis interdictionibus, ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum vel aliæ cuilibet magnæ parvæque personæ, ipsa prænominata loca, vel insuper auxiliante Deo acquisita, et sicuti supra sunt instituta, a potestate et ditione vestra, vestrorumque successorum ac vestri monasterii quoquomodo liceat auferre vel alienare. Si quis autem temerario ausu, magna parvaque persona, contra hoc nostrum privilegium agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, et cum omnibus impiis æterno incendio ac supplicio condemnatum. At vero qui pio intuitu curator et observator hujus nostri privilegii exstiterit, gratiam atque misericordiam vitamque æternam a misericordissimo Domino nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum per manus Christophori scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Februario, indictione supradicta decima. Bene valete.

Dat. Kal. Februarii per manus Theodori nomenclatoris sanctæ sedis apostolicæ, imperante domno Ludovico piissimo perpetuo Augusto a Deo coronato magno pacifico imperatore anno III, indict. decima.

II.

EPISTOLA PASCHALIS I AD BARNARDUM, AMBRONIACENSEM ABBATEM.

(Anno 817.)

Mabill. *Act. SS. Ord. S. Bened.* sæc. IV, part. II, p. 562.]

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili abbati Ambroniaci in Domino salutem.

Cum militiam et sæcularem deposueris dignitatem; cur Deo militare vel principari fugias admodum miramur. Neque enim sine reatu divino apparebit conspectui, qui, multorum salute neglecta, sibi tantum utilis esse quærit. Quocirca fraternitatem tuam commonemus, et commonentes obtestamur, ne divinæ dispositioni rebellis esse contendas. Nemo enim secundum Apostolum sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Cum igitur vocatum Viennensis Ecclesia te in suum pastorem elegerit, apostolica vice, quam, licet indigni, tenemus, præcipimus ut opus bonum suscipias, quia de gloria tua ante Christi tribunal erunt hi qui per te salvabuntur. Quod si renueris, quam sententiam notarius filius noster Gregorius, quem de latere nostro misimus, super inobedientia tua dictaverit, validam ratamque censemus.

III.

PASCHALIS I BULLA PRO MONASTERIO S. VINCENTII AD VULTURNUM.

Anno 819.)

[Apud Muratorium, *Rer. Ital. Script.*, I, II, p. 384.]

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, viro venerabili JOSUE abbati et monasterio Christi martyris Vincentii, quod situm est super Vulturni fluminis fontem, partibus Samniæ, territorio Beneventano, et per te eidem venerabili monasterio et omnibus tuis successoribus regulariter promovendis in perpetuum.

Divinis præceptionibus in sanctuarii cultibus nos debere sedule deservire pro animarum regimine scientes, quod in his maximum est pietatis opus, pro quiete monachorum, submoventes quorumdam gravamina ipsorum, vel tyrannidem comprimentes laicorum, statuimus atque firmamus juxta nostrorum decreta prædecessorum. Itaque decernimus et confirmamus sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ perpetuo muniendum, ita ut nullius alterius ecclesiæ jurisdictionibus submittatur prædictum monasterium Christi martyris Vincentii, cum omnibus sibi jure pertinentibus, cellis et terris, villis, castellis, aliis quoque redditibus. In primis videlicet monasterium beati Petri apostoli, situm juxta fluvio Sabbati in territorio Beneventano, monasterium sanctæ Dei Genitricis Mariæ in loco Sano cum omnibus suis pertinentiis, monasterium sanctæ Mariæ in duas Basilicas juxta fluvium Sangro, et aliam ecclesiam sanctæ Mariæ in duas Basilicas in territorio Teatino; ecclesiam sanctæ Mariæ in Quinquemillia, ecclesiam sanctæ Mariæ in Canneto, ecclesiam in Palene sanctæ Mariæ, ecclesiam sanctæ Mariæ juxta fluvium Trintum, ecclesiam sanctæ Mariæ in Musano, ecclesiam sanctæ Mariæ in Arole, ecclesiam sanctæ Mariæ in Planisi, ecclesiam sanctæ Mariæ in Casale Plano. Item monasterium beati Petri apostoli Trite cum omnibus suis pertinentiis, cellam sancti Petri

in Vipera, cellam sancti Petri in Vairano, cellam sancti Petri in Tontole. Item monasterium Domini Salvatoris in Alifas, cellam sancti Johannis in Lisine, et sancti Focati, cellam sancti Joannis et sancti Martini in Luceria, cellam sancti Vincentii in Canusia, cellam sancti Vincentii in Tranis, cellam sancti Vincentii in Siponto, cellam sancti Vincentii et sancti Angeli in Telesia, cellam sancti Vincentii in Toccu, cellam sancti Vincentii in Cajati, cellam sancti Vincentii in Cumis, cellam sancti Vincentii in Tremojola, cellam sancti Vincentii in fluvio Thusciano, cellam sancti Vincentii in fluvio Tersa, cellam sancti Vincentii in Pettoriano, cellam sancti Vincentii et sancti Angeli in Isernias. Item monasterium sancti Georgii infra Salernitanam civitatem, monasterium sancti Martini in Monte Marsico, monasterium sanctæ Columbæ in Sera, cellam sancti Donati in Canuno, et sancti Juliani, ecclesiam sancti Mauri in Anglone, et sancti Valentini, cellam sanctæ Crucis in Monte Marsico, cellam sancti Hilarii in Calinole, cellam sancti Vincentii in Suessa, cellam sanctæ Agathæ in Tercino, et ecclesiam sancti Gregorii in Matese, cellam sancti Sossii in Liburias cum inclyto Gualdo. In his omnibus et aliis sibi jure pertinentibus præcipimus, interdicimus ac protestamur, ut nullus qualibet occasione dolos vel immissiones aliquas ingerere præsumat. Concedimus etiam vobis vestrisque successoribus abbatibus hac nostra præsenti auctoritate licentiam apostolicæ sedis nostræ quamlibet Christianitatis formam indigentibus in præfato venerabili monasterio invitandi quem volueritis episcopum, similiter ad ecclesias consecrandas, vel ordinationes clericorum, aut sacerdotum per tempora faciendas. Chrisma vero et confirmationem a beneplacito vobis episcopo acquiratis. Protestamur etiam ut nullus episcopus exinde debeat subdiaconem ad suam synodum provocare, nisi illius fuerit propria voluntas, aut abbatem vel monachum nullo modo judicare vel excommunicare, aut omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in præfato venerabili monasterio quamlibet habere ditionem, præter sedem apostolicam, hac nostra auctoritate prohibemus, ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum solemnia ibidem celebrare præsumat. Volumus, et apostolica injungimus auctoritate vobis vestrisque successoribus abbatibus, qui ibidem in tempore fuerint ordinati, ut si sacerdotes vel clerici de quacunque ecclesia venerint ad habitandum in congregatione fratrum, sive ad monachicum suscipiendum habitum, statim recipiantur. Statuentes apostolica insuper censura, sub divini judicii obtestatione, sed et validis atque atrocioribus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam præsumat, cujusquam dignitatis præditus potestate, in eodem venerabili monasterio, vel ejus causis incumbere, aut de rebus, aut possessionibus, vel ecclesiis subjectis, vel quidquid de his exinde inesse videntur, quoquomodo auferre aut alienare; sed nec quamlibet malitiam aut jacturæ molestiam ibidem quoquomodo inferre, cum præmatum perenniter, ut dictum est, monasterium firma stabilitate decreverimus sub jurisdictione et tuitione sanctæ nostræ Ecclesiæ permanendum. Promulgantes quoque, et hoc auctoritate beati apostolorum principis, coram Deo et ejus terribili examine futuro per hujus nostri apostolici privilegii atque constituti paginam, sancimus atque decernimus ut diversas locorum possessiones, quæ a regibus, vel ducibus, vel calstaldeis, et reliquis Christianis largita atque oblata sunt, aut in postmodum illic concessa fuerint, firma stabilitate juri ipsius præfati monasterii existenda atque in perpetuum permanenda statuimus. Nec liceat, ut dictum est, ex ejus vel omnibus ejusdem monasterii pertinentiis cuiquam molestias inferre, vel sibi donata auferre a præfato, juxta quod subjectum iisdem venerabilibus locis apostolicis institutis atque privilegiis constitit, inconcussæ permaneant. Et liceat eosdem monachos de sua congregatione semper abbatem eligere; et liceat ipsum abbatem suos qui fuerint judicare monachos, et non solum virile monasterium, sed et mulierre sibi subjectum. Si quis autem (quod non optamus) nefario ausu præsumpserit hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti venerabilis monasterii statuta sunt, refragare, aut in quoquam transilire præsumpserit, nisi digna pœnitudine emendaverit, anathematis vinculo innodatus, et cum diabolo, et ejus atrocissimis, atque Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, æterno incendio concremandus deputetur. At qui pio intuitu observator in omnibus exstiterit, custodiens nostrum apostolicum constitutum ad cultum Dei respicientem, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, et æternæ vitæ particeps effici mereatur. Bene valete.

Scriptum per manus Theodorici scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Julio, ind. 12, in sacratissima æde beati Petri apostoli, anno quarto pontificatus domni Paschalis papæ primi.

IV.

PASCHALIS I EPISTOLA AD OMNES CHRISTIANOS AD PARTES AQUILONIS.

Commendat Ebonem archiepiscopum Rhemensem et Halitgarium, fidem Christi propagatum missos.

(Anno 822.)

[Apud Lappenberg, *Hamburgisches Urk.* pag. 9.]

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, universis sanctissimis fratribus, coepiscopis, presbyteris seu cæteris ecclesiasticis ordinibus gloriosissimisque principibus, ducibus, sive magnificis comitibus et cunctis Christianis Dei fidelibus.

Cum religiosissimum constet curam ac sollicitudinem erga Dominicum gregem gerere, quem divina dispensatione suscepimus gubernandum, atque cœlestia pabula salubri communicatione subministrandum, maxime his qui in compitis et pagis sub principe tenebrarum callida suasione persistunt, et viam vitæ ignorantes, devii, non quæ sursum sunt,

sed quæ deorsum, stulta instigatione perquirunt. Sed quia in partibus Aquilonis quasdam gentes consistere, quæ necdum agnitionem Dei habent, nec sacra unda baptismatis sunt renatæ, sub umbra mortis existere et magis creaturae quam Creatori ignava mente servire cognovimus: idcirco præsentem reverendissimum fratrem ac coepiscopum nostrum Ebonem, sanctæ Rhemensis Ecclesiæ archiepiscopum, necessarium cum consensu fidelium Dei duximus illis in partibus pro illuminatione veritatis dirigendum. Quatenus auctoritate beatorum principum apostolorum Petri ac Pauli nostra fraterna vice informatus, ante corpus et confessionem ipsius apostolorum principis evangelizandi publica auctoritate liberam tradidimus in omnibus facultatem, ut verbum vitæ viamque salutis ubique provideat et fidei normam cœlesti educatione confirmet, atque apostolicæ institutionis doctrinam, omni diabolico errore depulso, viva voce corroboret. Et si fortasse ad hoc divinum pertinens officium aliquid dubium emerserit, ad sanctam Dei catholicam atque apostolicam Romanam Ecclesiam recurrendo semper, ex ejus hauriat purissimo fonte latices, unde et a cordibus mortalium, divina interveniente gratia, noxios emundare possit errores. Collegam denique huic divinæ administrationis legationi ei providentes, Halitgarium religiosum adjicientes ministrum constituimus, quatenus ad sedem apostolicam opportuno valeat tempore de credito negotio facilius, præstante Domino, intimare, et nunquam se in qualibet parte huic nostræ auctoritatis ministerio commisso negligere. Cui coram districto judice inde rationem reddere et de destituto ministerio pœnas recipere sempiternas, non dubium esse præfigimus. Pro quo omnes exhortantes unanimiter commonemus ob amorem omnipotentis Dei et Domini nostri Jesu Christi atque apostolorum ejus venerationem; ut in omnibus necessitatibus legationis hujus totis viribus eis solatiari certetis, et in nomine Domini nostri Jesu Christi, sicut scriptum est, recipere debeatis; *Qui vos*, inquit, *recipit, me recipit* (*Matth.* x, 40); *et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x, 16). Et iterum: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* IX, 41). Unde magis magisque commonemus, ut provida devotione et largo charitatis affectu puraque mente ac sincera intentione, quæque itineri huic necessaria prospiciatis, nec pia benignitate pro viribus succurrere non renuatis; ut pro certo hujus pietatis opere participes apud Dominum dignæ retributionis meritum percipiatis, sive in cœlesti descriptione hujusmodi pro compensationis munere in consortio sanctorum connumerari valeatis. Si quis vero huic Dei officio ad illuminationem gentium a sancta catholica et apostolica Ecclesia pio consultu ecclesiastico destinato assensum vel auxilium præbuerit, per interventionem beatorum apostolorum, martyrum quoque atque sanctorum omnium in cœlestibus gaudiis talibus pro meritis mereatur ascribi. At vero si quis, quod non optamus, contrarius adversator huic divino cultui institerit, vel in quoquam præpedire conatus fuerit, et his vel cooperatoribus eorum ad hoc peragendum ministerium temerator exstiterit, ex divina jussione et apostolica auctoritate, anathematis vinculo puniatur et perpetua condemnatione reus diabolica sorte damnetur.

V.

EPISTOLA PASCHALIS AD STEPHANUM CADURCENSEM EPISCOPUM.

(Anno 822.)

[*Gall. Christ.* I, I, Instrum., pag. 43.]

Fiacense monasterium, in diœcesi vestra situm, quod antecessores nostri, propter quamdam sanctitatis excellentiam, sub dispositione sui moderaminis et defensionis habere voluerint, et privilegiis specialiter sublimaverunt, nunc novimus esse destructum, ignique a paganis concrematum, et monachos ubique dispersos. Qua de causa doloris affectu tam sanctissimæ ecclesiæ, quæ a Christo dedicata fuisse cognoscitur, sicut decretales litteræ gloriosæ memoriæ domini Stephani secundi papæ, nobis testantur ostensæ, desolationi compatientes, in ejus restaurationem, prout possibilitas requirit, sollicitudinem adhibere curavimus. Hujus itaque negotii ac laboris venerabili nostro Aymaro committentes præcipimus, et pro suorum absolutione peccatorum, ut eumdem locum ad priorem statum reformet, atque monachos ibi aggreget. Ideo namque ille a nobis monachus et abbas benedictus est, ut clericos ab ipsa ecclesia, temerario ausu, sibi usurpatum auferat dominatum; et monachorum, quemadmodum fuerat, ibi restituat: quorum vestræ quoque beatitudinis sollicitudinem, ut in cunctis eum adjuvare velit admonemus, thesaurosque, ac libros et sanctas reliquias, necnon et cuncta quæ propter timorem gentilium in Capdenacensi castro deportata fuisse noscuntur, reddi sibi absque delatione mandamus; castrum etiam eumdem monasterio restitui, sicut olim Innanti a Clodovæo rege datum fuerat, præcipimus. Filiosque nostros charissimos Villelmum et Girbertum milites, qui sunt ipsius castri seniores, admonemus, ut abbati Aymaro adjutores in orationibus existant, et jus suum, suique monasterii tam in se ipsis, quam in castro, vel in proprio honore, quem ex altare Fiacensi habere debent, recognoscant. Omnem præterea honorem, monasteria, vel ecclesias quæ a Pippino rege vel aliis regibus, seu bonis viris eidem monasterio concessa sunt, et illa quæ a prædicto Clodovæo loco Innanti prius erant data, sicut chartarum auctoritas affirmat, Aymaro et successoribus ejus possidenda perpetuo jure censemus. Monasterium ergo quod Conchas nominatur, sub ejus regimine, et abbatis Fiacensis, quemadmodum olim fuerat, concedimus: et, ut eum in priorali dignitate, quia destructum est, restauret, commonemus; ea siquidem libertate prædictum monasterium donamus, qua a beatæ memoriæ prædecessore nostro Stephano donatum est: videlicet ut nullius

episcopi vel alicujus personæ excommunicationi subjaceat, præter solius pontificis Romani, neque sub alicujus ecclesiæ dominatu redigatur, nisi solius Romanæ Ecclesiæ; et ut liberior ibi sepultura habeatur, et cætera quæ in decreto ejusdem antecessoris nostri, in eadem ecclesia posita, scripta sunt, inconcussa serventur. Si quis vero huic nostræ vel illius concessioni contrarius exstiterit, et abbati Aymaro, aut ecclesiæ illius habitatoribus molestus fuerit, et corrigere se noluerit, et proprii gradus damnum incurrat, et velut profanus et incorrigibilis anathema permanebit.

Datum Laterani per manum Gregorii S. R. E. diaconi notarii sacri palatii, undecimo Kalendas Maii, feria secunda post octavas Paschæ, indictione 15, anno Dominicæ incarnationis octingentesimo vicesimo secundo, pontificatus autem domini Paschalis papæ quarto, qui in numero pontificum centesimus habetur.

IV.

EUGENIUS PAPA II.

I.

FRAGMENTUM PRIVILEGII EUGENII II PRO ECCLESIA S. PETRI ROTHOMAGENSI.

(Anno 827.)

[*Neustria pia*, pag. 20.]

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, etc.

Quoniam, dilectissimus filius noster, SS. Dionysii, Medardi, et Germani, pro voluntate charissimi nostri, Ludovici imperatoris, etc., suggessit quatenus ecclesiæ S. Petri, cui præerat in partibus Neustriæ a Clothario constructa, ubi sanctissimus Audoenus requiescit in corpore, hujus modi privilegium auctoritate nostra firmaremus : ut scilicet omnes terras et consuetudines terrarum, a prædecessoribus regibus, Clothario, Theodorico, item Clothario, Dagoberto, Clodoveo, item Theodorico, Carolo Magno, ac filio ejus piissimo, imperatore Ludovico, isti loco concessus, perpetualiter confirmaremus possidendas, etc. Hæc igitur omnia quæ prædicta sunt, ut quæ ab antecessoribus nostris concessa sunt, Raynoardi ipsius urbis archiepiscopi, consensu, et imperatoris tali anathemate confirmamus, etc., obiit Hilduinus, anno Christi 842.

II.

[a] RITUS PROBATIONIS PER AQUAM FRIGIDAM, AB EUGENIO PAPA II INSTITUTÆ.

[Mabill., *Vet. Analect.*]

Cum homines vis mittere ad probationem, ita facere debes. Accipe illos quos voluntatem habes mittere in aqua, duc eos in ecclesia, et coram omnibus illis cantet presbyter missam et faciat eos ad ipsam missam offerre. Cum autem ad communionem venerint, antequam communicent interroget eos sacerdos cum conjuratione, ita dicens : Adjuro vos, homines, per Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, et per vestram Christianitatem quam suscepistis, et per unigenitum Filium Dei, et per sanctam Trinitatem, et per sanctum Evangelium, et per istas reliquias quæ in ista sunt ecclesia, ut non præsumatis illo modo communicare neque accedere ad altare, si vos hoc fecistis, aut consensistis, aut scitis quis hoc egerit. Si autem omnes tacuerint, et nullus hoc dixerit, accedat sacerdos ad altare et communicet eos. Postea vero dicat ad illos quos communicat : Corpus hic et sanguis Domini nostri Jesu Christi sit vobis ad probationem hodie. Expleta missa, faciat aquam benedictam, et accipiat sacerdos ipsam aquam, ibitque ad illum locum ubi homines probabuntur. Cum autem venerint ad ipsum locum, det illis bibere de aqua benedicta, dicens ad unumquemque : Hæc aqua fiat tibi ad probationem. Postea vero conjuret aquam ubi illos mittit. Post conjurationem aquæ, exuat illos vestimentis eorum et faciat eos per singulos osculare sanctum Evangelium et crucem Christi. Et postea super unumquemque aspergat de aqua benedicta et projiciat singulos in aqua. Hæc omnia facere debes jejunus, neque illi ante manducent qui ipsos mittunt in aqua.

[a] De variis probationum generibus multi multa scripsere. Probationem aquæ frigidæ huc idcirco refero quod ab Eugenio papa instituta memoretur in Remigianis membranis pervetustis sæculo IX exaratis, ex quibus superiora desumpsi. Suffragatur vetus collectio canonum in monasterio sancti Mariani apud Antissidiorum asservata, in qua forma judicii per aquam frigidam refertur cum hoc titulo : *Hoc judicium atque examinationem misit domnus apostolicus in Franciam ut non violarentur sacra altaria sanctorum, sed per hanc adjurationem et judicium aquæ frigidæ possit patescere veritas.* Tum subjicitur adjuratio in hæc verba : *Adjuro te, homo, per Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum*, etc. Et tamen Ludovicus Augustus in capitulari Aquisgranensi anni 828, § 7, cap. 12, statuit, *ut examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, a missis nostris interdicatur ne ulterius fiat.* Quod decretum condidit Ludovicus post Eugenii constitutionem, nempe anno proximo post obitum Eugenii papæ secundi. Non tamen ritus iste purgationis decreto Ludovici penitus sublatus est, siquidem Hincmarus, Rhemorum antistes, ab Hildegario Meldorum episcopo ea de re interrogatus, multis judicium aquæ frigidæ argumentis approbavit. Missam in probationis articulo celebrari solitam nobis exhibet vetus codex Uticensis.

Conjuratio hominis.

Adjuro te, homo N., per invocationem Domini nostri Jesu Christi, et per judicium aquæ frigidæ. Adjuro te per Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, et per Trinitatem inseparabilem, et per Dominum nostrum Jesum Christum, et per omnes angelos et archangelos, et per diem tremendi judicii, et per quatuor evangelistas Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem, et per duodecim apostolos, et per duodecim prophetas, et per omnes sanctos Dei, et per Principatus et Potestates, per Dominationes et Virtutes, et per Thronos, Cherubim atque Seraphim, et per tres pueros Sidrac, Misach, et Abdenago, et per centum quadraginta quatuor millia qui pro Christi nomine passi sunt, et per illum baptismum quo sacerdos te regeneravit ut si de hoc furto scisti, aut vidisti, aut bajulasti, aut in domum tuam recepisti, aut consentiens aut consentaneus exinde fuisti, aut si habes cor incrassatum vel induratum, evanescat cor tuum et non suscipiat te aqua, neque ullum maleficium contra hoc prævaleat, sed manifestetur. Propterea obnixe te deprecamur, Domine Jesu Christe, fac signum tale ut, si culpabilis est hic homo, nullatenus recipiatur ab aqua. Hoc autem, Domine Jesu Christe, fac ad laudem et gloriam per invocationem nominis tui, ut omnes cognoscant quia tu es Dominus noster qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas, Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio ad aquam benedictam.

Suppliciter te, Domine Jesu Christe, oeprecamur, tale præsentialiter facere dignare signum ut si iste quod ei objicitur, est in aliquo culpabilis non suscipiat eum hæc aqua, sed evanescat ipse et nullatenus modo intro recipiat. Hoc autem, Domine Jesu Christe, fac ad laudem et gloriam ad invocationem nominis tui † ut omnes cognoscant quia tu es Deus verus, et præter te non est alius, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Hoc autem judicium creavit omnipotens Deus, et verum est, et per domnum Eugenium apostolicum inventum est, ut omnes episcopi, abbates, comites, seu omnes Christiani per universum orbem eum observare studeant, quia a multis probatum est et verum inventum est. Ideo enim ab illis inventum est et institutum ut nulli liceat super sanctum altare manum ponere neque super reliquias vel sanctorum corpora jurare.

III.

LITTERÆ EUGENII II IN GRATIAM CŒNOBII AGAUNENSIS.

(Anno 827.)

[*Gall. Christ.* tom. XII, *instr.*, pag. 425.]

Quia Dominus noster oves proprias, quas suo sancto ac pretioso sanguine acquisivit, beato Petro pascendas commisit, constat nimirum cunctos Dei cultores ipsius subjici tuitioni cujus nos ubique non A diffidimus protegi patrocinio. Quapropter satis convenienter omnibus Christianis oportet ad sanctam matrem Ecclesiam et apostolicam sedem præbere concursum taliter ut et devotio conditoris convenienter sortisse videatur effectum, et piæ constructionis oraculi in privilegiis largiendis minime denegetur auxilium. Igitur quia postulavit a nobis Ludovicus, pronomine Pius, excellentissimus rex Francorum, quatenus monasterium sanctorum Agaunensium in regno Burgundiæ super fluvium Rhodanum, quod in honorem beati Mauritii et aliorum martyrum Sigismundus bonæ memoriæ rex construxisse dignoscitur, in quo Ædalongus Sedunensis episcopus, sub nomine abbatis canonicorum regulam regere videtur, privilegio cum sedis apostolicæ in- B fulis decoretur, et sub sancta, cui, Deo auctore, præsidemus Ecclesia constitutum præteritorum regit ordinem gloriosi videlicet regis Sigismundi, ac cæterorum regum post ipsius statuta et privilegia, iterum præsulatus honore consentientes confirmemus, ut nullatenus ullo deinceps tempore irrumpantur, sed sicut ante nostri prædecessores ejusdem loci monachos ita nos canonicos quos, propulsis monachis nefanda et miserabili sorde pollutis, in eodem loco gloriosissimus rex ordinaverat, auctoritate sedis apostolicæ decoremus : et neque super illos prælatus aliquis sine eorum communi consilio, vel electione mittatur, neque ex communibus Ecclesiæ rebus præter dispositionem eorum quidquam pertractetur : nec alicujus prælati violentia grassantis in illorum propriorum bonorum direptionem C exerceatur, sed omnia privilegii auctoritate eorum decretis ordinentur et subjiciantur. Et morte anticipati fratris propria vel debita bona confratrum aut parentum dispositione secundum adhuc viventis votum distribuantur, ne sæculari pravitate rubigo ecclesiasticæ rapinæ ex hoc recolent...., æruginet, vel vocem lætitiæ ulla perturbationis caligine offuscet sub anathematis vinculo colligamus. Et in partibus Burgundiæ quamdam curtem, videlicet Arcum nomine, situm in Lingonensi territorio cum ecclesiis et decimis, silvis, aquis, pascuis, cunctisque pertinentiis ejusdem ecclesiæ fratribus habendam concedimus. Præterea piis desideriis Francorum regis aures accommodantes ejusdem monasterii D congregationi Dei mandatis inhærenti sedisque apostolicæ regulam servanti per hujus præceptionis auctoritatem id quod exposcimur effectu mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio, vel in ecclesiis in ejus curtibus sitis, et ejus eleemosynis, constructis et ordinatis, nullum sui prioratus pontificium permittimus habiturum, neque illum qui civitatem Sedunensem nunc habere dignoscitur vel fuerit in posterum acquisiturus quamlibet ditionem seu potestatem extendere, præter sedem apostolicam prohibemus, ita ut nisi ab eo qui tunc præfuerit ecclesiæ, vel a fratribus fuerit invitatus, nec admissorum ibidem celebranda solemnia quispiam præsumat accedere, vel suam in

ibidem dominationem incipiat exercere nec ulla conciliabula prætendere aut quaslibet partes eleemosynarum quæ ad sanctum monasterium a fidelibus collatæ fuerint sua in parte exigere, neque decimas quæ illic a jam dicto S. Sigismundo sunt concessæ attentet auferre, eo quod subjectioni apostolici privilegii consistunt inconcussa. Constituimus enim per hujus decreti nostri paginam atque interdicimus omnibus omnino cujuslibet ecclesiæ præsulibus, vel cujuscunque honoris dignitate prædictis, sub anathematis vinculo, ne aliquis hujus nostræ institutionis paginam vel donaria et libertatis honores et sanctiones quæ a prædicto rege Ludovico et aliis regibus constitutæ sunt, et præfato monasterio sub privilegiis indultæ, violare præsumat.

Eugenius, Deo auctore, in hac serie privilegii ob amorem Dei et sanctorum martyrum honorem a me facta relegens subscripsi, ac episcopos nostri præsulatus subtus adnotare jussi.

Crescentius peccator jussus a domino papa subscripsi. Bonifacius peccator jussus a domino papa subscripsi. Hieronymus peccator jussus a domino papa subscripsi. Petrus peccator jussus a domino papa subscripsi.

IV.

PRIVILEGIUM EUGENII II PRO MONASTERIO LAURIACENSI.

[Apud Lunig, *Spicilegium ecclesiasticum*, continuatio, tom. I, pag. 678.]

Cum audivimus christianissimam conversationem vestram et sanctæ fidei bonorumque operum vestrorum processum, summo gaudio atque lætitia fuimus exhilarati, quia divina in vobis operante clementia, ut Apostolus ait: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia* (*Rom.* v), atque quomodo sancta Ecclesia Dei nostris temporibus quotidianum in electione vestra suscipit incrementum, cujus optabilis rumoris index fuit reverendissimus Yrolfus, sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ archiepiscopus et sanctissimus frater noster, vester autem spiritualis pater, qui per suam sanctam prædicationem adoptivos Deo vos genuit filios. Is itaque ad apostolorum limina orationis causa veniens, novam ecclesiam nostris apostolicis benedictionibus informandam subnixe commendavit, quia Domino auxiliante catholice gubernandam in vestris partibus suscepit. In quibus etiam quondam Romanorum quoque Gepidorumque ætate, ut lectione certum est, in septem episcoporum parochias antecessores sui jure metropolitano obtinuerant diœcesim. Qua ex justitia et lege præfatus Deo dignissimus archiepiscopus debitō obligatur, ut illi terræ prius Christicolæ, atque suorum antiquitus antecessorum creditæ providentiæ, quam nunc vos, Dei omnipotentis occulto, mediante judicio, vel ut hæreditariam possidetis, ipse evangelicus agricola, diu negata cœlestis spargat semina vitæ, atque in lucrandis Christo animabus redivivam de vobis nutriat segetem. Quem nos doctissimum divini oraculi ministrum saluti vestræ cognoscentes, per omnia necessarium fide et exemplo probatum merito erga illam apostolicam servantes sententiam qua dicitur: *Quomodo credent sine prædicante, aut quomodo prædicabunt nisi mittantur* (*Rom.* x), ab hac sancta Romana matre Ecclesia vobiscum rectorem transmisimus, atque in præfatis regionibus Hanniæ, quæ et Avaria appellatur, sed et Moraviæ, provinciarum quoque, Pannoniæ sive Mesiæ apostolicam vicem nostram, et diœcesim atque jus ecclesiasticum exercendi, et usum ac potestatem antecessorum suorum, videlicet sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ archiepiscoporum sibi successoribusque suis canonica auctoritate committimus, atque hujus constitutionis nostræ decretum subscriptionis privilegio roboramus. Pallium præterea, juxta consuetudinem antiquam, sanctitati suæ dedimus, quod ita sibi concessimus, sicut prædecessores nostri suis prædecessoribus concessere, privilegiorum suorum scilicet integritate servata. Cujus dilectioni quamvis hoc debito permitteremus, propter vestras autem petitionis super hac reflagitantibus ad honorem suum nostram apostolicam vicem et auctoritatem insuper accumulavimus, quod nunquam suis permissum est prioribus, quatenus et vos, confratres et coepiscopi, deinceps ei reverentiam ampliorem exhibere sciatis, et in sana doctrina cœlestis eruditionis ad ædificationem vestram ut filii sapientes obediatis, atque vos, laici primates et vulgus, saluberrimis præceptis suis non velut homini, sed tanquam Deo humiliter obtemperetis, et fide catholica quam per Dominum Jesum consecuti estis fortes permanentis. Nam totius doli artifex diabolus, cujus dominio in baptismate abrenuntiatis, jacturam et damnum vestræ salutaris surreptionis moleste patitur ac per varias occasiones zizania perfidiæ seminando, velut multa injuria bacchatur, et ut vestrum aliquis terga vertat sanctæ professioni incessanter molitur. Quapropter sæpe dicti archiepiscopi, videlicet pastoris vestri a Deo destinati, institutionibus benignas aures præbete, qui vos et versutione Satanæ cavere atque ejus æternos cruciatus evadere instruit, ac ipse in die judicii de bonis operibus vestris sæculorum Domino perpetua remunerandos gloria præsentabit. Ad perfectam aurem et necessaria eruditionis vestræ salutem, ut comperimus, non sufficiunt pauci, qui modo constituti sunt vobis, episcopi, quia plures sunt adhuc gentilitatis errore ibidem detenti, ad quos propter inopiam præconii divini verbi nondum pervenit notitia Christi. Idcirco enim, ut accrescat turba fidelium, studeat solertia vestra pro mercede et remissione peccatorum vestrorum adminiculum atque juvamen præbere reverendissimo Yrolfo archiepiscopo quatenus dudum illic constitutorum episcoporum numerus impleatur, qui congrue constituti et vobis posterisque vestris poterunt esse proficui, si ad restaurationem Ecclesiarum propter nomen Domini de possessionibus vestris, quas redditus dotesque earum fama divulgante, quodam fuisse noveritis, æternam sufficientiam vobis comparantes eisdem

Ecclesiis ipsi conferatis idoneis viris ad hoc ministerium electis, maxime in his locis, si opportunitas et utilitas commendaverit, ordinentur antistites, ubi indicia ecclesiarum et ædificiorum sedes pontificales olim fuisse demonstrant; sin autem illius arbitrio et deliberatione, qui vel ubi disponantur episcopi concedimus, cui vicem nostram apud vos ecclesiastici regiminis per omnia commisimus.

V.

EPISTOLA EUGENII II AD ***.

(Anno incerto.)

[Apud Goldastum, *Collectio decretorum imperialium de cultu imaginum*, pag. 725.]

. . . Oro autem et obsecro in universo mundo (ut beati prædecessoris mei domini Gregorii papæ utar verbis), fratres et domini mei, in quantum peccatores, fratres mei, in quantum justi, domini mei, quantum ex me, humiliter supplico, quantum vero ex tanta auctoritate, sublimiter moneo, ut nemo me hoc loco propter me, despiciat, quia, etsi ad imitandum nequaquam dignus appareo, magna est tamen virtus charitatis, pacis et unitatis ad quam vos alta potestate in vice beatorum apostolorum Petri et Pauli, in nomine Domini nostri Jesu Christi invitare præsumo, cum S. Paulus veridica voce dicat: *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam*, quia sine illa *nemo videbit Deum*, quid felicius, quam et in hoc sæculo desiderando, et in illo fruendo Deum videre? Quid e diverso infelicius, quam nec in hoc sæculo feliciter optando, nec in illo felicius fruendo videre meruerit Deum? Et, cum hujus assertionis vel veritatis in universo mundo tanta sint testimonia, quæ in præsenti tempore nulla evolvere prævaleat lingua nullus que mortalium præscire valeat, quando vel uniuscujusque, vel (quod majus est) totius mundi occasus terminusve fieri debeat, magna me, ut in omnibus notum est, urget necessitas ut id, et ex debito reddere debeo, diutius differre non audeam, ne forte tanto charitatis debito subtracto in conspectu æterni judicis pro vobis omnibus reus appearem.

Quamobrem oro vel moneo, ut primi mei summi Dei Ecclesiæ filii Michael et Theophilus, gloriosi vero et sublimiter a Deo exaltati imperatores Romanorum, uno cum universo catholico nobilissimoque senatu ac populo vobis a Deo ad gubernandum credito, ut ea, quæ pro salute vestra, ex auctoritate beati Petri, cui Dominus et Deus noster Jesus Christus claves committere dignatus est regni cœlorum dicens: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*, admonere et exhortari, et insinuare necessarium duximus, patienter audiatis, animumque Deo placitum vestrum, non ad contemnendum, sed ad obediendum et conservandum præparare studeatis. Ideo autem ad obediendum nobis hortamur, quia omnia, quæ vobis de hac causa dicturi sumus, tribus hoc capitulis principaliter et ordinare et confirmare parati sumus, id est, ratione auctoritate, et consilio, videlicet rationem tenendo, et eamdem rationem, in quantum rationabilis, discreta, honesta et utilis fuerit, auctoritate firmando, eamdem vero auctoritatem secundum catholicæ fidei veritatem et rectitudinem salubriter intelligendo; ad ultimum vero quid in his ad salutem universalis Ecclesiæ tenendum sit consilium Deo placitum dando, et idem consilium confirmando. Et quamvis, ut dignum est, divina præcellet auctoritas, primo tamen ad mitigandos atque ad adunandos animos in diversa tendentes, ratiocinando omnibus satisfacere volumus, ut eo facilius et divinam auctoritatem secundum sanum catholicæ fidei intellectum concordes suscipiant; ac deinde certum nobis consilium suavius amplectantur, amplexumque in futuro custodiant.

V.

GREGORIUS PAPA IV.

I.

PRIVILEGIUM GREGORII IV RABANO ABBATI DATUM.

(Anno 828.)

[Apud Dronke, *Cod. dipl. Fuld.*, pag. 209.]

Gregorius papa, servus servorum Dei, Rabano religioso abbati monasterii Domini Salvatoris, et per te in eodem venerabili monasterio successoribusque tuis abbatibus in perpetuum. Quoniam sunt semper concedenda quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotioni conditoris piæ constructionis auctoritas in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur quia postulasti a nobis quatenus monasterium Salvatoris, a sancto Bonifacio archiepiscopo constructum in loco qui dicitur Boconia erga ripam fluminis Uulda, privilegii sedis apostolicæ adminiculis decoretur, ut, sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ constitutum nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur. Pro qua re, piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus, et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere aut auctoritatem, præter sedem apostolicam et episcopum, in cujus diœcesi venerabile monasterium constructum esse videtur, cui li-

centiam concedimus tantum cum opportunitas consecrandi altaris fuerit, prohibemus, ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat omnimodo celebrare, ut profecto, juxta quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit, inconcusse dotatum permaneat; locis et rebus, tam eis quas moderno tempore tenet vel possidet quam quæ futuris temporibus in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augere ex donis et oblationibus decimisque fidelium absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Constituimus quoque per hujus decreti nostri paginam ut, quicunque cujuslibet Ecclesiæ vel quacunque dignitate prædita persona hanc nostri privilegii chartam quam auctoritate principiis apostolorum firmamus, temerare tentaverit, anathema sit, et iram Dei incurrens a cœtu sanctorum extorris existat, et nihilominus præfati monasterii dignitas, a nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat apostolica auctoritate subnixa.

Valete in Christo vestræ religionis memores.

Datum Kal. April., indictione 6.

II.

GREGORII IV BULLA PRO MONASTERIO PATAVINO SANCTÆ JUSTINÆ.

Omnia illius bona et privilegia confirmat.

(Anno 828.)

[Apud Muratorium, *Italici Script.*]

† Gregorius servus servorum Dei, episcopus, Miloni, reverentissimo abbati monasterii sanctæ Justinæ virginis et martyris Christi, et sancti Prosdocimi Christi confessoris, situm foris civitate Patavi, in quo ipsorum et aliorum plurimorum sanctorum corpora requiescunt, tuisque successoribus in perpetuum. Quia juste et rationabiliter vestra humilitas nostro apostolatui humiliter postulastis, quatenus pro Dei amore animæque nostræ remedio, tam per præsentis nostri privilegii auctoritatem, quamque per auctoritatem domni Lotharii, imperatoris Augusti, spiritualis in Christo dilectissimi filii nostri, concederemus et confirmaremus, scilicet omnes res et proprietates prædicti monasterii, cujus ecclesiam Opilius patricius Romanorum fundavit, ibique ejus corpusculum in pace requiescit in atrio ejusdem ecclesiæ supra duas columnas, qui etiam multa tribuit dona in eodem monasterio. Ideoque per præsentem privilegium confirmamus et corroboramus et ipsum monasterium cum omnibus suis pertinentibus, tam intus civitate Patavi consistentibus quamque foris, seu in fluvio Rodolone molendina quatuor et ecclesiam sancti Angeli, cum ejusdem villâ, cum decimis et quartis, atque ecclesiam sancti Danielis martyris, et ecclesiam sanctæ Julianæ virginis et martyris Christi, atque ecclesiam sancti Matthæi apostoli et villa, quæ vocatur Macerata, integra cum servis et ancillis cum decimis et quartis, et villa quæ vocatur Runco, cum omnibus suis pertinentiis, cum decimis et quartis, seu cellam sancti Martini in Montesilice cum curte sua et ecclesiam sancti Salvatoris, et ecclesiam sancti Thomæ apostoli cum omnibus suis rebus, atque Tribianum atque Pernumium, seu Monte Gutuli, atque in Saccum, et Lignarium cum ejusdem ecclesia in honore sancti Blasii ædificata, cum decimis et quartis, et ecclesiam sancti Michaelis in honorem dedicata et aliam ecclesiam similiter in honore sancti Michaelis in villa, quæ vocatur Bruzolo, ædificatam. Atque ecclesiam sancti Nicolai in villa, quæ vocatur Flumisello, ædificata sicque in territorio Vicentino castrum sancti Galli cum ecclesia sancti Blasii et sancti Galli, cum decimis et quartis ejusdem castri, seu totam decimam et quartam, et villam, quæ vocatur Maxone seu totam decimam et quartam villæ, quæ vocatur Rovolone, et ecclesiam sancti Georgii in Rovolone et omnes alias res cum servis et ancillis, atque cum decimis, ubique persistunt : necnon ecclesiam in honorem sanctæ Justinæ virginis et martyris Christi in villa, quæ vocatur Corriza, ædificatam, atque in territorio Bononia tam infra civitatem quam foris civitate, seu in saltu Plano vocato, quantascunque Opilius patricius Romanorum in ipso monasterio emisit, quasque a jure prædicti monasterii sub pensionis nomine detinuit, et quantascunque Flavius Ildebrandus excellentissimus rex a jure ipsius monasterii detinuit, sub pensionis nomine similiter, vel per quodcunque modum detinere visus est is in eodem territorio Bononiensium, monasterium unum in honore sanctæ Justinæ dedicatum, situm infra civitatem Bononiæ cum area sua, et cum omni domo culto suo tam in ipsa civitate, quamque foris, cum casis, domibus, ædificiis, et cum omnibus sibi pertinentibus in integrum. Item fundum Trecenta, et Sadrianum, et Nuncianum, seu Pulianum, et Silbamunda, et Valle de Lambris, seu Veterana, et Fraxenito, et Memoriola, et alia Memoriola nova, seu Uncianum, et Vicoarucias, seu Carpenetulo, et Soldenicus, et Judicosus pertinentibus, seu fundum Cassinium, et alio Musianus, et in loco Paretes uncias sex, seu Saxorias, et Mauriano, et Casiliello, et Vallefrigida, et in fundo Rutilianis terra culta, et sterpeta insimul juges triginta, et in casale Socioria terra juges decem, et in fundo Veterana casale qui vocatur Granariolo, et fundum Sitilianum, et Centumpaulinis, et in fundo Trimano, seu Quinquagintula deserta, et Praxeletudo, seu Pissiano..... et Gavinho, et Barbiano, seu filiolis, et Gabiano qui vocatur Vicocecorum, et fundo Columbiano, et Granariolo, et Villamagna, cum casis et massariciis et omnibus sibi pertinentibus, et fundum Quingentula, et Sacioso, et Julianus seu Omicarini, qui est supra Naves, et casale qui vocatur Laurentiacus, atque casale, cui vocabulum est Numianus, hoc est Silisis inter Misianum et Columbianum. Item fundo in alio loco Socioso, et alio fundo Micauri, qui est super ripa de Barbiano, et Gabiano, inter Claudia et Strata. Area vero quæ est in vico Romanulo, et

fundo ortus in integrum, et fundo Sitiriano, et Monticlo, et Vindemiolo, seu Marcio, et Arucias, cum casale Paulinis, et Rotarioro, seu Saturioro, et vico Fraxenito. Ipsas omnes suprascriptas res cum servis et ancillis, cum silvis et molendinis, aquarumque decursibus, usibus ac juribus, ac omnibus pertinentibus, sibique subjacentibus, ubicunque consistunt, in integrum. Jubemus itaque, ut nullus dux vel comes aut alia quælibet persona in suprascriptis rebus prædicti monasterii sanctæ Justinæ liceat ingredi sive per hospitalitatem, aut per quemcunque modum, neque aliquam violentiam facere præsumat, sed potius sub beati Petri principis apostolorum prædestinatione tam deservientes quam residentes ac ipsæ res salvi et illæsi persistant, absque omnium hominum remota controversia. Nam si quispiam contra hujus nostri privilegii auctoritatem violator repertus fuerit, sciat se iram beati Petri principis apostolorum, et omnium prædecessorum nostrorum, atque sub gravissima indignatione prædicti dilectissimi filii nostri domni Lotharii imperatoris Augusti et nostra casurum, et sub anathematis vinculo damnaturum. Insuper, nisi a malo resipuerit, sciat se compositurum auri optimi multam Mancoseos duo millia, medietatem nostro sacro palatio, et medietatem suprascripto monasterio. Qui vero pro intuitu custos et observator in omnibus exstiterit, benedictionis gratiam, vitamque æternam cum omnibus sanctis sine fine mereatur habere in sæcula sæculorum. Amen.

Scripta per manus Gregorii, protoscriniarii patriarchio Lateranensi.

Datum Romæ XII Kalendas Julias, anno ejusdem sedis primo, et domni Lotharii secundo, indictione octava.

Bene valete.

III.

EPISTOLA AD EPISCOPOS ET ALIOS DEI FIDELES PER GALLIAM CONSTITUTOS, DE DIGNITATE ET PRIVILEGIIS MONASTERII FLORIACENSIS.

(Anno 834.)

[Baluz., *Miscell. sacr.*, tom. III.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus episcopis atque aliis Dei fidelibus per Galliam constitutis.

Quoniam ex apostolica successione sollicitudinem omnibus Ecclesiis debemus impendere, sic cupimus generali consulere necessitati ut etiam quorumcunque singulares causas sine fastidio cognoscamus. Igitur cum propter multiplices Ecclesiæ Dei curas Gallicanam adeuntes regionem ad gloriosum devenissemus imperatorem Ludovicum [a], inter alia suggessit auctoritati nostræ idem serenissimus Augustus, et venerabilis partium vestrarum abbas ex cœnobio quod nominatur Floriacus in pago Aurelianensi, quod idem monasterium quidam religiosus abbas, Leodebodus nomine, monachis exstruxerit in honorem Dei et sanctæ genitricis Mariæ necnon beati principis apostolorum Petri, quodque revelatione divina per monachos ejusdem loci a Capuana provincia corpus illuc sancti Benedicti fuerit allatum, ibique reverenter humatum, sicut manifestissima constat historia. Nam propter stabilimentum monasticæ religionis piæ memoriæ imperator Carolus pater ejus per præceptum suæ auctoritatis eidem loco multa contulit, et ab aliis collata testamento firmavit. Unde postulavit idem amabilis Deo princeps, supra memoratus præfatus abbas ad reprimendam quorumdam cupiditatem privilegium nostræ auctoritatis eidem monasterio conferri. Quapropter constituimus, cum consilio omnium qui adsunt episcoporum, quatenus possessiones et res ejusdem monasterii, mobiles sive immobiles, quæ nunc datæ sunt, vel in futurum a religiosis dabuntur, sine ulla inquietudine perpetualiter teneant atque possideant. Nullus deinceps episcopus, dux, comes, vicecomes, vicarius, telonarius, actionarius, vel magna parvaque persona audeat ipsum monasterium vel res ad ipsum pertinentes inquietare, homines sine voluntate abbatis distringere, vel quidquid fiscus exigere poterat aliquo modo præripere. Addimus etiam ut quia venerabilis pater Benedictus, monachorum legislator et dominus, dux est religionis monasticæ, sit etiam qui eidem cœnobio præfuerit primus inter abbates Galliæ; nec aliquis de ordine sacerdotali, archiepiscopus scilicet, episcopus aut clericus, cum inquietare nec sine voluntate ipsius ad idem monasterium venire aut aliquam ordinationem facere vel missas celebrare præsumat; ut omni tempore quieti et securi, absque omni molestia vel controversia monachi in eodem monasterio Deo deservire possint. Abbas vero qui ordinandus ibi est, cum electione fratrum, propter vitæ meritum et honestatem morum, et non propter turpia lucra seu per pecuniam eligatur, et absque ulla calumnia, a quocunque episcopo, prout sibi placuerit, benedicatur. De sacerdotibus vero aut diaconibus ordinandis id observetur quod in Regula præcipitur [b], ne saltem aliquis episcopus subjectionem ab eis requirat quos ordinavit, nec unquam officio dignos ordinare differat. Denique si contigerit ut abbas accusetur de criminalibus causis, non unius episcopi judicio determinetur sententia, sed provincialis concilii exspectetur censura. Aut si forte maluerit appellare sedem apostolicam, res ad Romani pontificis differatur audientiam. Et quotiescunque necessitas urget, eum venire Romam modis omnibus liceat. Solvendi et ligandi potestatem in viros et feminas sui ordinis habeat. Si vero abbas vel monachus de eodem monasterio ad clericatus ordinem promotus fuerit, non illic habeat ulterius potestatem remorandi aut aliquid faciendi. Quia vero de eodem monasterio monachi, [cum] exigente culpa, communione privantur, ejus diœceseos diversa loca adeunt, et communionem sine aliqua reservatione percipiunt, presbyteris districtius interdicere

[a] Vide Theganum, cap. 42.

[b] Regula S. Bened., cap. 62.

necesse est ut facere de cætero non præsumant, quia et regularis ordo dissolvitur et perditionis ex hoc materia ministratur. Quod si, peccatis habitatorum terræ exigentibus, anathema ad eos pervenerit, vel privilegium eidem monasterio indulsimus ut fratres ejusdem congregationis peragant divinum officium in omnibus absoluti. Visum quoque nobis est ut hanc licentiam eidem tribuamus, quatenus fratres qui in quibusdam cœnobiis gemunt quod vivere regulariter nequeant, si voluerint, studio meliorandæ vitæ, ad ipsum ducem monachorum divertere, permittatur eis tandiu in ipso cœnobio degere, si contenti fuerint uti monastica consuetudine, quousque in suis monasteriis videatur erdo redire. Permittimus etiam ut si alicujus de ipsis fratribus onerosa conversatio fuerit, ipse potius cum suo detrimento discedat quam alios inquinet. Hæc igitur omnia, quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam eidem abbati quam cunctis qui in eo quo est ordine locoque successerint, vel quorum interesse poterit, in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum, judicum atque sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et nisi vel illa quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicita acta defleverit, a sacratissimo corpore et sanguine Domini Dei Redemptoris Jesu Christi alienus sub anathematis interdictione fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi : quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Scriptum per manus Theodori notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, et indictione 7 [12].

IV.

GREGORII IV EPISTOLA AD OTGARIUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

(Anno 834.)

[Apud Mabill., *Vet. Analect.*, pag. 570.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei reverendissimo et sanctissimo OTGARIO archiepiscopo.

Quod nos tanto amore ac benevolentia diligitis, plus hoc vestra sanctitas quam nostra merita faciunt quod tamen maxime muneribus directis agnovimus, pro quibus maximas vobis gratias agimus, quia totum erga sedis apostolicæ præsulem, ut condecet, curatis impendere, cujus nos vicissitudinem, Deo volente, sanctitati vestræ supplere studemus. De corpore vero sancto quod nobis humiliter vestra quæsivit prudentia, quod dirigeremus non habuimus, quoniam cuncta sanctorum corpora prædecessores nostri nobiscum communiter detulerunt, et unumquodque eorum ecclesiis noviter dedicatis summa veneratione condidimus. Proinde benevolentiam vestram precamur, ut nobis spatium inquirendi diligentius præbeatis quatenus corpus sanctum invenire valeamus ad vestram complendam petitionem, et si inventum fuerit, vestra nobis credere dignetur industria statim quod petistis perficiemus; modo vero illud non misimus quia inquirentes nequaquam invenire valuimus.

VI.

SERGIUS II.

SERGII II EPISTOLA AD ANSCHARIUM HAMBURGENSEM EPISCOPUM.

(Anno 846.)

[Apud Lappenberg, *Hamburgisches Urkund.*]

SERGIUS episcopus, servus servorum Dei, ANSCHARIO, sanctæ Hamaburgensis Ecclesiæ archiepiscopo, gratiam Dei in perpetuum.

Quoniam apostolicæ dignitatis est non solum ecclesias fundare, sed et ab aliis ecclesiarum spiritualibus architectis fundatas sublimare, dignum duximus, frater charissime, pio petitionis tuæ voto aures debite benignitatis tuæ inclinare. Concedimus igitur tibi, sicut a prædecessore nostro, beato Gregorio, concessum est, scilicet ut gentes Wimodiorum, Norblingorum, Danorum, Norvenorum, Sucnorum, vel quascunque septentrionalium nationum jugo fidei prædicatione tua subdideris ad sedem Hamaburgensem spirituali dominatione possideas et omnibus successoribus tuis, ad eamdem sedem perpetuo possidendas relinquas. Decernimus quoque tibi et omnibus successoribus tuis ad sedem Hamaburgensem usum pallii habendum in festis et temporibus prædecessore nostro tibi denominatis, scilicet in Pascha, in Pentecosten, in Natali Domini, in Assumptione, in Nativitate, in Purificatione sanctæ Mariæ, in Natalitiis apostolorum et Dominicis diebus et in omnibus festis in diœcesi tua celebribus, ornari quoque caput tuum mitra, portare ante te crucem. Age ergo, frater beatissime, opus bonum, quod incœpisti, nec desistas donec proficias, funda in locis opportunis ecclesias, consecra presbyteros et per distermi-

natos terminos ordina episcopos, quorum tu omnium archiepiscopus existas, omnesque supradictarum nationum amplius profuturi episcopi cum subjectis sibi plebibus tibi et omnibus successoribus tuis ad sedem Hamaburgensem perpetua subjectione et obedientia subjecti permaneant. Præterea tibi et sanctæ Hamaburgensi Ecclesiæ, et omnibus successoribus tuis, auctoritate apostolica firmamus, quæcunque Ecclesiæ tuæ jam a Christicolis tradita sunt, vel amplius delegata fuerint in parochiis, in prædiis, in omnibus rebus mobilibus vel immobilibus, in mancipiis utriusque sexus, ut ea ecclesia prædicta inviolabili potestate perpetuo possideat. Si quis autem contra hujus nostræ auctoritatis privilegium ire tentaverit, et A quoquomodo in parte vel in toto frangere nisus fuerit, cujuscunque potestatis vel dignitatis sit, æterna excommunicatione cum Juda traditore Domini, pereat, nisi resipiscat, et Ecclesiæ Hamaburgensi satisfaciat.

Observator autem hujus admonitionis et jussionis habeat benedictionem omnipotentis Dei beatorumque apostolorum et nostram, qui eorum fungimur vicariatione. Sancta Trinitas fraternitatem tuam omni tempore conservare dignetur incolumem, atque post hujus sæculi amaritudinem ad perpetuam perducat beatitudinem.

Data per manum Leonis, cancellarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, indictione nona.

VII.

LEO IV.

I.

LEONIS IV EPISTOLA AD ANSCARIUM HAMBURGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 849.)

[Apud Lappenberg, *Hamburgisch. Urkund.*]

Leo episcopus, servus servorum Dei, beatissimo Anscario sanctæ Hamaburgensis Ecclesiæ archiepiscopo æternæ vitæ beatitudinem, etc., *usque ad* ecclesiæ Hamaburgensi satisfaciat; *ut supra in bulla papæ Sergii II pro eodem.*

Datum per manum Stephani, cancellarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Martis, indictione 12.

II.

PRIVILEGIUM LEONIS PAPÆ IV PRO MONASTERIO SALVATORIS FULDENSI.

(Anno 850.)

[Drouke, *Cod. Diplom. Fuld.*]

In nomine Domini, Leo episcopus, servus servorum Dei, Hattoni, religioso abbati venerabilis monasterii Domini nostri Jesu Christi Salvatoris et Redemptoris omnium, cunctisque successoribus abbatibus ejusdem monasterii, in perpetuum salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam concedenda sunt semper quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotioni conditoris piæ constructionis auctoritas in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur, quia postulasti a nobis quatenus monasterium Salvatoris, a sancto Bonifatio archiepiscopo constructum; in loco qui dicitur Bochonia juxta ripam fluminis Fultaha situm, in quo ipse gloriosissimus Christi martyr Bonifatius corporaliter requiescit, privilegii sedis apostolicæ adminiculis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ B Ecclesiæ, cui Deo auctore deservimus, constitutum nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur pro qua re piis faventes desideriis, hac nostra auctoritate, id quod exposcimur, effectui mancipamus. Et ideo, omnem sacerdotem cujuslibet Ecclesiæ in præfato monasterio Fuldensis ecclesiæ ditionem quamlibet habere vel auctoritatem, præter sedem apostolicam, et episcopum in cujus diœcesi idem venerabile monasterium constructum esse videtur, cui licentiam concedimus tantum cum opportunitas consecrandi altaris fuerit, prohibemus, ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat omnino celebrare, ut profecto, juxta id quod subjectum apostolicæ sedi firmitate consistit, inconcusse dotaC tum permaneat locis et rebus, tam eis quas moderno tempore tenet vel possidet quam quas futuris temporibus in jure ipsius monasterii divina pietas augere voluerit ex donis, et oblationibus decimisque fidelium absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Proinde præcipimus sub testificatione Christi et Ecclesiæ, et auctoritate beati Petri apostoli confirmamus ut nullus hominum de rebus et redditibus, seu de familiis quæ ad stipendia fratrum, vel ad hospitale pauperum, necnon ad portam hospitum pertinent, auferre vel in beneficium suscipere præsumat, sed magis, sicut constituit beatissimus Christi martyr Bonifatius qui in eodem feliciter pausat monasterio, omnia regulariter ordinata sint. Quæ etiam, Deo propitio, inconvulsa perD maneant, tam hæc quæ suo tempore quam quæ nostro vel futuro tempore idem monasterium ex decimis et oblationibus fidelium in proprietatem suscepit. Constituimus quoque per hujus decreti nostri paginam ut, quicunque cujuslibet Ecclesiæ

præsul, vel quacunque dignitate prædita persona hanc nostri privilegii chartam, quam auctoritate principis apostolorum firmamus, tentaverit temerare, anathema sit, et iram Dei omnipotentis incurrens a cœtu omnium sanctorum extorris existat, et nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat apostolica auctoritate subnixa.

Scriptum per manum Benedicti, notarii atque scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, mense Maio x Kal. Junii, indictione 13.

III.

EPISTOLA LEONIS IV LOTHARIO ET LUDOVICO AUGUSTIS.

(Anno 850.)

[Apud Ivonem, *Decr.* I, dist. 63, cap. 16.]

Papa rogat Augustos ut Reatinam Ecclesiam cuidam electo dignentur concedere. C. XVI.

Reatina Ecclesia, quæ per tot temporum spatia pastoralibus destituta curis consistit, dignum est ut brachio amplitudinis vestræ sublevetur, ac gubernationis tegmine protegatur. Unde, salutationis A alloquio præmisso, vestram mansuetudinem deprecamur, quatenus Colono humili diacono eamdem ecclesiam ad regendam concedere dignemini, ut vestra licentia accepta ibidem eum, Deo adjuvante, consecrare valeamus episcopum. Sin autem in prædicta Ecclesia nolueritis ut præficiatur episcopus, Tusculanam Ecclesiam, quæ viduata existit, illi vestra serenitas dignetur concedere; ut consecratus a nostro præsulatu Deo omnipotenti, vestroque imperio grates peragere valeat.

IV.

EPISTOLA LEONIS IV RITÆ COMITISSÆ.

(Anno 850.)

Regio præcepto ab apostolico Colonus Reatinæ Ecclesiæ ordinatur episcopus.

B [Apud Ivonem *ubi supra*, cap. 17.]

Nobis dominus imperator et imperatrix per suas epistolas dixerunt, ut Colonum in Reatina Ecclesia, quæ pastoris officio per longa jam tempora destituta videbatur, episcopum facere deberemus, sicut et fecimus.

VIII.

BENEDICTUS PAPA III.

I.

CONFIRMATIO PRIVILEGIORUM CORBEIÆ.

(Anno 855.)

[Apud Acherium, *Spicileg.*, ex chartulariis Corbeiæ.]

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, universis episcopis Galliarum.

Cum Romanæ sedis pontificem constet omnium Ecclesiarum Christi caput atque principem fore, tanquam B. Petri principis apostolorum vices agentem, cui Christus totius Ecclesiæ committens principatum fatur: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI, 18), cunctatio nulli fidelium relinquitur quod universis Ecclesiis sollicitudinem prætendere, et omnium in Christo credentium saluti, paci, atque quieti prospicere nos oporteat, ut et quæ prava sunt corrigantur, et quæ rata roborentur, quæ corrupta sunt restaurentur, quæ autem integra conserventur. Cumque hanc curam circa universalis Ecclesiæ corpus per totius orbis latitudinem diffusæ custodire debeamus, speciali tamen prærogativa post Romanam atque Italicam erga Ecclesias Gallicanas nobis convenit observare, quemadmodum prædecessores nostros fecisse manifestum est. Quod competentius nunc quodque fieri oportere ipse reipublicæ status testificatur, quandoquidem utramque provinciam unius imperii sceptrum non dividit, et Romanæ dignitas Ecclesiæ una cum terreno principatu utriusque provinciæ regnum communi jure disponit, ut et rerum principes sua decreta Romanæ Ecclesiæ sanctis præmuniant et ecclesiastica jura principum statutis adjuventur, æstimantes terrenæ reipublicæ rectores tunc se feliciter imperare, si suis sanctionibus apostolica confœderetur auctoritas, quam dum in nobis suscipiunt ac venerantur, illum se suscipere gratulantur qui discipulis suis loquitur, dicens: *Qui vos recipit, me recipit* (*Matth.* X, 40). Hinc e contrario de contemptoribus ait: *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X, 16).

C

Igitur cum, sicut dictum est, apostolicæ sollicitudini universalis Ecclesiæ credita sit dispensatio, et pro cunctorum fidelium statu perpetuas nostræ sollicitudini vigilias prætendere conveniat, maxima tamen diligentia curam earum debemus Ecclesiarum gerere quarum specialius providentiam ratio suscepti officii a nobis docet agendam, ut non solum ea quæ hactenus in suo statu permanent intemerata serventur, verum ea quæ lapsa sunt ad prioris formæ dignitatem reducantur. Unde cognoscat omnium præsulum sanctorum per Gallias commorantium reverenda fraternitas quod vir venerabilis Odo, abbas ex monasterio Corbeiæ provinciæ Galliarum, quod est constructum in pago Ambianensi super fluvium Sommæ, adiit nos per venerabilem Amrelmum abbatem, petens ut nostræ auctoritatis privilegium, super electionis propriæ statu et rerum suarum libera possessione seu dispensatione prædicto monasterio Corbeiæ concederemus. Ostendit quoque nobis pri-

D

vilegia ab episcopis edita : unum, a præsule Ambianensi [a], ad cujus diœcesim locus ille pertinet, et coepiscopis suis factum atque roboratum jam antiquis temporibus; et aliud, ab archiepiscopo Rhemensis Ecclesiæ Hincmaro et universali concilio episcoporum Galliarum paucis intercedentibus annis conscriptum, et subscriptionibus propriis roboratum petentibus ut, ad quoscunque sive episcopos sive abbates pervenerit, subscribere non graventur. In quibus privilegiis decretum est ut prælatum monasterium Corbeiæ, et rerum suarum liberam obtineat dominationem et eligendi sibi abbatem de suis semper habeat potestatem; contradictores vero et repugnantes huic sanctioni anathemate perpetuo damnandos. Super hæc autem magnifici imperatoris Lotharii, et Ludovici ac Caroli mandatum atque supplicatio accessit, idipsum postulantium, videlicet ut episcoporum privilegia nostra quoque auctoritate firmarentur.

Nos itaque cernentes religiosam fore postulationem, neque ab apostolica sollicitudine prætereundum quod pro servorum Dei quieti et sancti pontifices pie statuerunt, et magnifici principes religiose rogabant, et abbas congregationis ejusdem necessario postulabat, censuimus rogati concedere quod ultro decebat nostram pastoralem sollicitudinem exhibere.

Cognovimus etiam, referente venerabili Amrelmo abbate, cœnobium, de quo agimus, a præcellentissima Francorum regina Balthilde nobiliter ædificatum [b], et a primæ fundationis suæ statu, cum nobilitate sanctorum virorum et religionis monachicæ observantia, tum quoque principum Francorum favoris prærogativa et munimiuis protectione semper floruisse. Qua de re factum est ut et immunitates rerum suarum et privilegia eligendi abbatem omnes ei concederent, concessumque fore perpetuis diebus decernerent, suarumque munimenta cessionum in archivis monasterii ad memoriam futurorum servanda reponerent. Quibus cognitis omnibus, nefas esse duximus si non religiosorum principum devotionem sequentes, et sanctorum præsulum exempla comitantes, nostræ cessionis auctoritatem monasterio Corbeiæ tribueremus, ne, qui primi propter apostolicæ sedis primatum in ecclesiasticis negotiis disponendis inveniri debeamus, ipsi posteriores reperiamur, et qui ad servorum Dei quietem comparandam cæteris auctoritatis lumen præstare exemplo nostro jubemur, loquente Domino, *Vos estis lux mundi* (*Matth.* v, 14), ipsi per negligentiæ teporem minime boni operis fulgorem aliis præbeamus.

Qua de re noverit omnis Ecclesia Galliarum, et universus episcoporum cœtus eidem Ecclesiæ præsidentium, quod privilegia sanctorum præsulum, sive quæ diebus antiquis, sive moderno tempore gesta sunt monasterio Corbeiæ, quod est constructum in pago Ambianensi super Sommam in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et S. Stephani protomartyris, præsenti auctoritatis nostræ edicto roboramus; id est, ut res monasterii, sive quæcunque a fidelibus oblata fuerint Deo et congregationi fratrum ibidem Christo famulantium, in dispositione abbatis et fratrum maneant, neque episcopus Ambianensis, ad cujus diœcesim cœnobium illud respicit, aliquid exinde præsumat, aut aliquis episcoporum quorum in parochiis res aut basilicas habere cognoscuntur, neque in agris, villis, prædiis aut cellis, aut in his omnibus quæ ad jus et dominationem eorum respiciunt, aut episcopus, aut œconomus, seu archipresbyter, aut archidiaconus, aut quilibet ministrorum, seu præpositorum ejus aut conventus faciant, aut convivia præparent, aut aliquid potestatis jure sibi vindicent, aut exigant vindicanda. Hac quoque conditionis lege omnes episcopi se conveniri noverint, quorum parochias res Corbeiensis monasterii respicere cognoscuntur, nec novum, nec inusitatum causetur quisquam fore quod decernimus, quandoquidem et huic cœnobio constat olim jam hoc concessum, et multis aliis non solum in Gallia, vel in Italia, verum toto terrarum orbe, non solum monachorum, verum canonicorum monasteriis hodieque conspicimus manere indultum, et unaquæque Ecclesia debet manere suis privilegiis contenta, nec ab alia pervadi vel usurpari, quod alterius juris esse conspicitur.

Cumque Galliarum permaxime Ecclesias fidelium collationibus a Deo constet esse ditatas, ut nemo sit fere episcoporum, cui suæ sumptus Ecclesiæ satis superque non sufficiant, cujus gratia necessitudinis, quæ servorum Christi sunt usibus collata, in suos convertere sumptus præsumant. Sic enim clericorum qui de propriis abundant redditibus communicatio prohibetur cum eis quæ conferuntur ecclesiæ, ne dum illi acceperint qui de propriis abundant, eorum qui nihil habent inopia non levetur; qua conscientia episcopus suæ sumptibus Ecclesiæ sufficiens, quæ servorum Dei fuerint usibus collata præsumat contingere? Nec veretur quod per prophetam Dominus exprobrat sacerdotibus dicens: *Rapina pauperis in domibus vestris* (*Isa.* III, 14). Pauperes enim Christi esse quis nesciat, qui contemnentes substantiam mundi, Salvatoris nostri vestigia sectantes, qui cum esset dives pro nobis pauper effectus est, sanctæ perfectionis titulum sibi divitias arbitrantur.

Quisquis igitur aliquid horum quæ fuerint ad necessitates eorum collata, præsumpserit, et suis commodis applicuerit, rapinam in domum suam de substantia pauperis congregat. Omnia quoque quæ sunt ecclesiis oblata vel delegata, in pauperum,

[a] *Ambianensi*. Scilicet, *Bertefrido*. Id privilegium videbis tom. I Concil. Gal. a Sirmondo edit p. 502, alterum vero tomo III eorumdem Concil., p. 60.

[b] *Ædificatum*. Vide tom. I Conc. Gal. p. 500.

pupillorum, viduarum, certum est necessitates destinata. Quare quisquis ex his aliquid in suas utilitates exigit, rapinam pauperis in domum suam congestam detinet. Et Apostolus ait: *Quia rapaces regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI, 10). Unde ab omnibus quæ monasterio Corbeiæ fuerint, vel oblata vel quocunque legitimo jure possessa, in pecuniis, in agris, in prædiis, in domibus, in cellis, aut ecclesiis, nihil ex eis sibi præsumat aut episcopus, aut quicunque ministrorum ejus, ne contra nostram et majorum auctoritatem faciens, regum quoque decreta pro servorum Christi quiete constituta contemnens, reum se sancti concilii et perpetuæ damnationis efficiat.

Et quoniam monachi tranquillitatis pacem, et securitatis otium habere debent, ut Deo vacantes professionis suæ regulam valeant observare, nec episcopus, nec archidiaconus ejus accedant ad præfatum monasterium, nec servorum Dei quietem perturbare præsumant, nisi forte aut abbas, aut fratres, alicujus utilitatis gratia eum vocare voluerint; alias nec in abbatem, nec in aliquem de fratribus quidquam potestatis obtineat, neque per episcopalem fastum aliquid in eos ei liceat; verum abbas secundum regulam S. Benedicti (*cap.* LXV) liberam monasterii sui habeat potestatem, et monachi ad ejus tanquam ad pastoris sui solummodo respiciant gubernationem, nec episcopale ministerium aliquid ditionis super eos obtineat. Quoniam cum abbas vices Christi in monasterio creditur agere, pastoris officium super creditas sibi oves habere cognoscitur, utque dispensationis suæ ministerium exercere prævaleat digne nullius debet perturbari potestate subjectus, sed ab omni episcopali liber dominatione Christum tantummodo judicem sustineat, cui redditurus est de creditis sibi ovibus rationem. Quapropter modis omnibus statuimus ut episcopus adventus sui præsentia monasterii tranquillitatem non inquietet, nec aliquid in eo episcopali potestate facere præsumat, nec fratribus aut abbati ullam molestiam aut inquietudinis perturbationem ingerat. Quod si violare præsumpserit, non pastoris officium, sed eversoris atque conturbatoris Dominici gregis noverit se agitare tyrannidem, ac per hoc non ut pastor suscipiendus, verum tanquam lupus ab ovili Christi removendus, damnationis suæ pœnas anathematis mucrone percussus excipiat. Altaria vero seu basilicas in monasterio rogatus ab abbate pro Christi nomine consecret atque benedicat. Chrisma quoque, sive sanctificationis oleum, singulis annis præbeat. Sed et si quem petierit abbas aut de monachis, aut de canonicis suis ad aliquem gradum ecclesiasticum consecrandum, nullatenus contradicat, nisi forte is pro quo petitur indignus tali honore veritatis testimonio deprehendatur, quoniam sicut divinæ benedictionis sacramentum aut pro muneribus, aut pro gratia largiri cuiquam non decet indigno, ita gratis debet exhiberi dignis, sicut Salvator ait: *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* X, 8).

Electionis autem privilegium ut habeant fratres ejusdem monasterii decernimus, id est, ut quemcunque de seipsis, qui sit monachicæ professionis, dignus tamen pastorali prælatione, voluerint eligere secundum regularem auctoritatem, potestatem habeant eligendi. Et super monentes obsecramus gloriosos filios nostros Lotharium, Ludovicum, Carolum Augustum [a], ut sicut memorabiles Augusti, genitor et avus eorum, et priores ante se reges Francorum eidem cœnobio concesserunt eligendi de semetipsis abbatem, atque ipsi suis præceptis hoc idem sanxerunt, ita quoque conservare suis temporibus pro Christi amore dignentur, et conservandi perpetuis diebus æternitatis suæ legibus constituant, ut dum famulis Christi libertatem electionis concesserint, et concessam servare studuerint, et præsentis vitæ regnum, et sempiternæ beatitudinis gloriam a Domino ipsi percipere mereantur. Atque quod est aut regio munere, aut fidelium devotione ad idem cœnobium Deo famulisque ejus oblatum, nec ipsi auferant, nec alios auferre permittant. Quoniam valde justum constat atque religiosum ut, qui a Domino meruerunt percipere regni honorem, ipsi Deo conservent quod ei collatum est pia credentium devotione; et, qui a Christo regali magnificentia prælati sunt cæteris, ipsi famulis Christi eligendi sibi pastorem non auferant libertatem. Nam quis ignorat illa quæ collata sunt Deo per fidelium manus, divinitati possidenda consignari, et ab humano jure in jus divinum concedi; nec etiam hominum dominationi posse transcribi, quod constat divinitatis possessione semel fore contraditum? Unde quisquis ea sui juris dominationi conatur adjungere, alterius, id est, Dei juris pervasorem certum est fore eum. Etenim si quis alicujus hominis possessionem per violentiam sibi conatus fuerit usurpare, reus publici juris efficitur, et tanquam raptor et pervasor hæreditatis alienæ legali judicio puniendus subjicitur, multo magis igitur, quicunque res Deo consecratas in jus suæ possessionis transfuderit, non humani tantum, verum etiam divini juris noxius tenetur, et non solum raptoris aut pervasoris crimine, verum etiam sacrilegii nota damnandus, cœlesti judicio multabitur.

Unde magnifici principes cogitent quanto se crimine ante conspectum divinæ majestatis obligent, qui res Deo traditas invadere et ab ecclesiasticis usibus in suas utilitates convertere non metuunt. Si vero privatorum, quamvis ingenuorum hominum, tamen possessiones injuste pervaserint, atque violenter abstulerint, non reges, id est justi et modesti, sed tyranni, id est crudeles et iniqui vocantur et habentur, quo nomine, quove honore censendi sunt, qui divinam hæreditatem, id est, Ecclesiæ Christi possessionem injuste invadunt et violenter auferunt? Unde hæc cogitantes filii nostri religiosissimi princi-

[a] *Carolum Augustum.* Vox alieno loco posita : scribi debuit *Lotharium Augustum, Ludovicum, Carolum*, ut Tom. III.

pes res monasterii Corbeiensis inviolatas illibatasque tanquam sacræ divinitatis custodiant, nec ipsi eas tollentes, nec ab aliis auferri sinentes, ut ante conspectum superni regis, quod dicuntur nomine, reges merito censeantur, ut, dum Deo quæ sua sunt custodiunt, eis a Deo et terreni regni principatus custodiatur et sempiternæ beatitudinis corona tribuatur.

Quapropter monentes eos hortamur, ut tam sua quam priorum principum concessa inconvulsa custodientes, pontificum quoque nostraque decreta nullatenus prævaricantes, monasterio sæpedicto electionis privilegium, tam suis quam futuris temporibus, et servent et servanda sanctionis perpetuæ stabilire decernant. Veritatis etenim voce docemur quoniam, si quis in ovile Christi non per ostium ingreditur, sed aliunde ascendit, hic fur est et latro, et talis non Dominici gregis salutem, sed sua lucra, non ut salvet, sed ut perdat, requirit. Ovile autem Christi fore collegium sanctum monachorum, nullus prudentium dubitat. In hoc ovile per ostium ingreditur quando per electionis ordinem, secundum regularem constitutionem, aliquis pastorale ministerium sortitur; qui vero regia dominationis potestate suffultus, et non per electionis gratiam super Dominicum gregem primatum arripit, hic non pastor, id est vicarius Christi, sed fur et latro esse cognoscitur, nec ut Dominicum gregem custodiat, sed ut perdat et dissipet intrare deprehenditur. Unde quisquis ei potestatis hujus tribuit dominationem, de morte tantarum animarum, in die judicii, reus judicabitur quantis hic, per pravitatis exempla, causa fuit perditionis.

Qua de re, gloriosi principes, monasterio huic electionis prærogativam concedite, neque aliquam personam aut laicam, aut canonicam, quod contra omnem ecclesiasticum ordinem est, aut etiam monachum ex alio monasterio, vel non secundum regulam electum, super illud regali potentia constituatis, ne domus Dei, quæ domus orationis esse debet, per vos fiat spelunca latronum. Neque enim ignoratis hujusmodi prælatos et auctores hujusmodi prælationis a domo æternitatis divina censura exturbandos, et ad supplicia ultionis perpetuæ deportandos. Unde quæ sententia damnationis a nobis est in tales exercenda nisi quam Spiritus sanctus ore prophetico protulit: dicens: *Omnes principes eorum qui dixerunt: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei. Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti: sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, ita persequeris eos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos* (*Psal.* LXXXII, 14). Qui sunt enim qui sanctuarium Dei hæreditate possidere dicuntur, nisi illi qui res Deo dedicatas, et ad usus pauperum servorumque ejus collatas, sæcularis potentiæ dominatu, non electionis gratia, quærunt obtinere? Principes autem illorum sunt hi qui votis eorum suffragia præstando, aut ecclesiæ res illis tradendo consentiunt. Quali autem utrique feriantur divinitus ultione superius dicta sententia comprehendit, quæ ostendit eos a cœlestis patriæ stabilitate projiciendos, et temporalis nobilitate lapsos quasi rotæ vertigine circumferendos, postque præsentis terminum vitæ, turbidine divinæ animadversionis velut stipulam ariditatis vanitate levissimam rapiendos, et infructuositatem eorum atque superbiam tanquam silvestrem sterilitatem et contra Deum elatu tumorem terræ, igni flammaque vorante comburendos.

Ut hanc igitur ultionis divinæ severitatem non subeant, studeant Christianissimi principes Christi ecclesiis electionis sua jura conservare, et quod universæ debetur Ecclesiæ, Corbeiensi non auferant monasterio: ut dum ei propter honorem Dei jus electionis indulserint, et res monasterii violentorum ambitionibus ne deserviant, incontaminatas servaverint, ipsi cœlestis regni cum Christo participium consequantur. Nec illud aliquando in sæcularium manus, aut canonicam dominationem permittant; quod habitatorum summa destructio est, et dantis sive accipientis summa damnatio. Nam quid est aliud sæcularem personam pastoris vice Ecclesiæ Dei præferri, quam abominationem desolationis in templo Dei constituere? Quicunque igitur hoc faciunt, Pilato similes inveniuntur, qui Cæsaris imagines in templo Domini statuit venerandas. Et cum Apostolus fidelibus loquitur, dicens: *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri* (*Rom.* XII, 2): qui sæcularem personam monachis præficit, quantum in sæculo * de forma spiritus ad formam sæculi, et de imagine Christi ad imaginem terreni regis eos impellit, quoniam omnis sublatus prælati sui debet imaginem sequendo imitari. Unde non parvo se delicti scelere putet involvi, qui tales Ecclesiæ præponit, in quorum forma servi Christi, non Christi humilitatem, sed superbiam mundi; non cœlestis patriæ desiderium, sed concupiscentiam sæculi contemplentur semper et addiscant.

Quod quia videtis, excellentissimi principes, scelestissimum fore, hoc impietatis sacrilegium a monasterio Corbeiensi propellite semper, sed nec canonici ordinis personam super illud aliquando vel præponatis, vel præponi sinatis. Memores estote quod Nabad et Abiu, quia ignem alienum Domino in incensum obtulerunt, divino igni consumpti sunt. Ignem siquidem alienum in incensum offert Domino, qui monasticæ religioni aliquem sub canonica professione militantem, ut pastoris vicem obtineat prærogat. Verum quia tales ultione feriuntur, illorum signat interitus, qui mox præsentis pœnæ supplicio consumpti, quid eorum imitatores mereantur suæ damnationis exemplo posteris signaverunt. Omnes quoque, licet monasticæ sint professionis, si non per electionem regularem constituti fuerint rectores eidem monasterio, de quo loquimur, qui tales per munera cognoscuntur admissi, id est, aut per pecu-

* *quantum in sæculo* Lego, *quantum in se est.*

niam, aut per gratiam, aut per obsequium, universa a nobis Petri principis apostolorum auctoritate cum Simone, cujus imitatores existunt, anathemate condemnantur. Et, ut religiosi principes ab hac damnationis sententia maneant immunes, studeant omnibus modis circa monasterium præfatum electionis privilegium servare semper inviolatum, quoniam secundum jam olim a sanctis Patribus definitam promulgationem, Ecclesiæ Corbeiensis prælationem, non per legitimam monachorum in eodem cœnobio Christo militantium electionem, sed contra regularem atque canonicam auctoritatem, et dantem et accipientem, a Christi regno sanctorumque consortio anathematizamus, neque societatem poterunt habere Jerusalem cœlestis, qui eam in terris peregrinantem dissociare conantur. Quod agere certum est omnes qui non pastores, sed latrones, nec Christi vicarios, sed Antichristi sequaces, super eam constituere non verentur, ut domus Dei, non domus orationis, sed spelunca latronum existat, nec in ea forma Christi, sed abominatio desolationis emineat.

Sed si reipublicæ rectores, divinorum contemptores præceptorum et episcoporum, atque nostram super hac re decernentem contemnentes auctoritatem, non quem regularis electio decreverit, sed quem eorum dominatio voluerit, illi præposuerit congregationi, monachi loci ejusdem episcopum, ad cujus diœcesim monasterium pertinet, obsecrent, ut aut per seipsum, aut una cum eis ad archiepiscopum Rhemensem referat, atque simul principem conveniant, et eum super trangressionis suæ periculo commoneant. Quod si episcopus diœcesis illius aut propter timorem, aut favorem principis, aut propter imprudentiam, vel pastoralis curæ negligentiam, ferre auxilium vel noluerit vel contempserit, fratres per seipsos præfatum archiepiscopum et vicinos episcopos adeant, et necessitudinis suæ causam eis manifestent utque sibi ferant auxilium supplicent. Archiepiscopus autem vel ipse solus, vel cum cæteris episcopis suæ diœceseos regem adeant, et super electione violata eum commoneant, utque corrigere dignetur et verbis suadere, et precibus obsecrare non desistant. Quod si eos audire contempserit, nec peccati sui corrigere culpam maluerit, excommunicationis apostolicæ sententiam damnatus excipiat. Si vero vel episcopus cujus parochia est, aut archiepiscopus, aut cæteri suffraganei negligentes super hoc fuerint, aut contempserint, aut irritum duxerint, damnationis cujus sententiæ teneantur obnoxii, non ignorant. Dicit enim propheta: *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III, 20). Unde noverint se eodem vinciendos anathemate, si neglexerint pro grege Dominico pastoralis curæ sollicitudinem adhibere.

Scriptum per manum Theodorici, scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Octobrio, indictione quarta. Bene valete.

II.

PRIVILEGIUM BENEDICTI PAPÆ III PRO MONASTERIO SALVATORIS FULDENSI.

(Anno 857.)

[Dronke, *Cod. diplom. Fuld.*

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, Theotoni religioso abbati venerabilis monasterii Domini Salvatoris, et per te in eodem venerabili monasterio successoribusque tuis abbatibus, in perpetuum. Amen.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotioni conditoris piæ constructionis auctoritas in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur, quia postulasti a nobis quatenus monasterium Salvatoris, a sancto Bonifatio archiepiscopo constructum in loco qui vocatur Boconia erga ripam fluminis Uoldaha, privilegii sedis apostolicæ adminiculis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ cui, Deo auctore, deservimus Ecclesiæ constitutum, nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur. Pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere aut auctoritatem præter sedem apostolicam et episcopum, in cujus diœcesi idem venerabile monasterium constructum esse videtur, cui licentiam concedimus tantum cum opportunitas consecrandi altaris fuerit, prohibemus ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat omnimodo celebrare, ut profecto, juxta id quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii constitit, inconcusse dotatum permaneat locis et rebus, tam eis quas moderno tempore tenet vel possidet, quam quæ futuris temporibus in jure ipsius monasterii divina pietas potuerit augere ex donis et oblationibus decimisque fidelium, absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Constituimus quoque per hujus decreti nostri paginam ut, quicunque cujuslibet Ecclesiæ præsul, vel quacunque dignitate prædita persona, hanc nostram privilegii chartam, quam auctoritate principis apostolorum firmamus, temerare tentaverit, anathema sit, et iram Dei incurrens a cœtu omnium sanctorum extorris existat, et nihilominus præfati monasterii dignitas, a nobis indulta, perpetualiter inviolata permaneat apostolica auctoritate subnixa.

Scriptum per manum Zachariæ, notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Octobrio, indictione sexta. Actum x Kalendas Novembrias per manum Theotfolci, secundicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domno piissimo principe Augusto Ludovico a Deo coronato, magno pacifico imperatore, anno nono, indictione sexta. Amen.

III.

PRIVILEGIUM PRO CIVITATE INTERAMNENSI.

(Anno 858.)

[Apud Ughelli, *Italia sacra.*]

In nomine D. et Salvatoris Jesu Christi, anno ab Incar. ejusdem D. N. J. Christi 857, mense Maii, indict. 6.

Honestum nimis, et necessarium videtur esse negotium..... assequi servitia pro remuneratione sui laboris, ex nostris rebus, ac publicis causis eis concedimus et condonamus. Divinum namque præceptum est ut sequatur vota fidelium, fructum tamen laborum ac præmium, qua auctoritate D. N. J. Christi Salvatoris, atque B. Mariæ semper Virginis, sanctorumque apostolorum principis Petri et Pauli, omniumque simul sanctorum, ego D. Benedictus III, papa, ac gubernator S. et apostolicæ sedis, totiusque Ecclesiæ universum per orbem, de præsenti die, Domini concedente gratia atque ejus divina auspicante clementia, simulque suggerente gratuita pietate, damus et concedimus auctoritate Domini Salvatoris vobis habitatoribus civitatis Teramnensis, majori et minori natu, vestrisque hæredibus, et successoribus in perpetuum, id est totam jam dictam civitatem, cum muris, et ædificiis, decursibus aquarum, et alveis, ac marginibus, indeque concurrentibus, et cum tota sua pertinentia, cum vallibus, collibus, montibus, ac planitiis fundura, ac vocabula circumquaque posita. Insuper concedimus vobis alias res per hos fines, sicut transire videtur per stradam Dominitam, et exire videtur per portam quæ dicitur Romana, et per antiquum pontem subiitque in colle qui vocatur Altilianum, et per jam dictum collem descendit in fossatum quod vulgari nomine dicitur Cuda, deinde pergit in lagia, et per decursus jam dictæ lagiæ descendit in furcam quæ vocetur Petra de confinio, deinde subit per montem ubi dicitur Aquæ vivæ, atque de hinc ascendit in montem qui dicitur Matum, ac pro montanis vallibusque transire videtur per montem ad agrum qui dicitur Ruscium, atque deinde descendit per viam quæ pergit in marmora, deinde descendit per marginem montis in alveo fluminis in loco ubi mergere videtur aqua jam prænominata marmora ac per decursus jam supradicti fluvii decurrit in jam dictam civitatem Teramnensem. Infra hos vero fines atque vocabula concedimus vobis, vestrisque hæredibus et successoribus in perpetuum castris, muris, aliisque ædificiis, terris, vineis, pomis, aliisque arboribus, fructiferis et infructiferis, montibusque cum vallibus, cultum et incultum, aquis, decursibusque earum, cum introitu et exitu suo cum omnibus, et in omnibus, quantum infra et super se habere videtur, vel in antea haberi apparere habetur, ad honorem D. N Jesu Christi, et B. Mariæ semper Virginis, et B. Petri apostolorum principis, ad utilitatem vero vestram, successorumque vestrorum.... sane videlicet ratione et convenientia concedimus vobis jam supradictis res vestrisque hæredibus et successoribus in perpetuum, quia in omnibus semper nobis obedientes fuistis, atque in utilitatem servitiumque nostrum parati estis, et in futurum spontanee promittitis adimplere, in sancta summaque sede apostolica confirmo habere vos, ac possidere vos vestrosque hæredes, vel successores in perpetuum cum Domini benedictione, nostraque nostrorumque successorum insuper obligo atque confirmo. Si quis autem, vel temerarius in aliquo molestare, aut inquietare, ac litigare per quodlibet ingenium voluerit, aut contra hanc nostræ concessionis chartulam contrarius exstiterit, fiat anathema, et anathemata insuper fiat, compositor in summa et apostolica sede c lib. auri optimi; soluta vero pœna, hæc chartula semper fiat stabilis in perpetuum. Joannes nepos domini pontificis, Gualterius similiter nepos ejus, testes; Sanxo, comes Raynerius de Joseph, Adam de Alberto, testes.

Ego Petrus, scriniarius S. R. E., hunc præceptum per jussionem D. Benedicti III, papæ, manu mea subscripsi.

IX.

NICOLAUS I.

I.

PRIVILEGIUM NICOLAI PAPÆ PRO MONASTERIO SALVATORIS FULDENSI.

(Anno 859.)

[Dronke, *Cod. diplom. Fuld.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, Theotonio, religioso abbati venerabilis monasterii Domini Salvatoris, et per te in eodem venerabili monasterio successoribusque tuis abbatibus, in perpetuum.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotioni conditoris piæ constructionis auctoritas in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur, quia postulasti a nobis quatenus monasterium Salvatoris, a sancto Bonifatio archiepiscopo constructum in loco

qui vocatur Boconia erga ripam fluminis Fuldaha, A privilegii sedis apostolicæ adminiculis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui, Deo auctore, deservimus, Ecclesiæ constitutum, nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionibus submittatur. Pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus, et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem quamlibet habere aut auctoritatem, præter sedem apostolicam et episcopum in cujus diœcesi idem venerabile monasterium constructum esse videtur, cui licentiam dedimus tantum cum opportunitas consecrandi altaris fuerit, prohibemus ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat omnino celebrare, ut profecto B juxta id quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit, inconcusse dotatum permaneat locis et rebus, tam eis quas moderno tempore tenet vel possidet, quam quæ futuris temporibus in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augere ex donis et oblationibus decimisque fidelium, absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Cæterum vero hoc deliberantes decernimus ut congruis temporibus nostræ sollicitudini ecclesiasticæ intimetur, qualiter religio monastica regulari habitu dirigatur concordiaque convenienti ecclesiastico studio mancipetur ne forte, quod absit, sub hujus privilegii obtentu animus gressusque rectitudinis vestræ a norma justitiæ aliquo modo retorqueatur. Constituimus quoque per hujus decreti C nostri paginam ut quicunque cujuslibet Ecclesiæ præsul, vel quacunque dignitate prædita persona, hanc nostri privilegii chartam quam auctoritate principis apostolorum firmamus temerare tentaverit, anathema sit, et iram Dei incurrens a cœtu omnium sanctorum extorris existat, et nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter invjolata permaneat apostolica auctoritate submixa. Scriptum per manum Petri, notarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Junio, indictione septima. Bene valete.

Datum II Idus Junias per manum Tiberii, primicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domno piissimo principe Augusto Ludovico, a Deo coronato, magno, pacifico imperatore, anno decimo, et patricio anno decimo, indictione septima. Amen.

II.

BULLA (*fictitia*) NICOLAI PAPÆ I QUA CONFIRMAT DIPLOMA CAROLI MAGNI PRO MONASTERIO S. DIONYSII [a].

[Apud Grandidier, *Histoire de l'Eglise de Strasbourg.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus nunc et futuris temporibus, salutem.

Quoniam, juxta scripta petitoria filii nostri præcellentissimi regis Caroli, privilegium præsentibus auctoritatis nostræ dilectis filiis monasterii Christi martyris Dionysii in abbatiola Lebracensi, sub regula sancti Benedicti religiosa conversatione degentibus, unanimi consensu sacri concilii perpetuo indulgemus, concedimus atque confirmamus, ut sicut ipse gloriosissimus filius noster Carolus divino ductus amore de villis et facultatibus, seu stipendiis specialiter prædictorum fratrum ornamentum et ecclesiæ suæ hospitium atque pauperum usibus servata, vel meliorata seu aucta ordinatione, quæ tempore piæ memoriæ genitoris sui Pippini fuere facta constituit, ac præcepto suæ auctoritatis firmavit, ita, sicut in eisdem præceptis et donationibus continetur, perpetuo inconvulsa permaneant. Constituimus iterum, auctoritate beati Petri, ut nullus cujuscunque conditionis fuerit, de his quæ in præceptis ipsius filii nostri Caroli et aliorum regum collata sunt, sub cujuslibet causæ occasione sive specie, in præjudicium donationis quidquid minuere vel auferre, obligare, alienare, impedire, invadere, vendere, emere, et suis usibus applicare vel aliis quasi piis causis pro suæ avaritiæ excusatione, præsumat; sed cuncta quæ præfatis usibus monachorum oblata sunt vel offerri contigerit, perenni tempore illibata et inconvulsa sine aliqua inquietudine profutura permaneant. Volentes itaque malitiis hominum obviare, litteris in præjudicium et detrimentum prædictorum confectis et contra nostrum decretum instrumentum datis cassamus, nulliusque valoris esse decernimus. Nulli etiam archiepiscopo, aut episcopo ab eisdem judicibus deputatis liceat in ipsos monachos aut in aliquem, qui eis decimas aut alios reditus tenetur exsolvere in præjudicium ipsorum sententiam excommunicationis, aut interdicti proferre, nec invitos eos ad se in judicium compellere, dum tamen abbatis sui tanquam ordinarii voluerit parere mandato. Et quoniam petitioni ipsius filii nostri Caroli annuere cupimus, horum omnium quæ hujusmodi præcepti, decretique nostri et sui pagina continet, dilectos filios nostros archiepiscopos Moguntinensem et Trevirensem et eorum suffraganeos, simul hos qui suo ordine et loco successerint, conservatores constituimus eis- D dem, et cuilibet eorum in solidum qui fuerint requisiti, mandantes quatenus ipsum monasterium Lebrahæ molestari, aut inquietari, in juribus et bonis, atque privilegiis, ut præmittitur, collatis et concessis non permittant. Si quis autem temerario ausu, magna parvave persona, contra hoc nostrum apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo innodatum ac regno Dei prorsus alienum, cum omnibus impiis incendii æterni dam-

[a] Præter inusitatum in bullis pontificiis stylum, maximum præsefert falsitatis indicium hæc bulla, quam in suo diplomate transcripsit Carolus IV imperator an. 1348, quamque vocat præcedentis præcepti confirmationem. Nicolaus papa hanc bullam dedisse dicitur ad petitionem Caroli Magni. At nullus Nicolaus ævo illo sedi Romanæ præfuit, noscuntque omnes, in ipsa historia vel minime versati, Nicolaum primum anno tantum 858 sub Ludovico Lotharii filio imperatore papam fuisse electum. Leo III anno 803, quo supposititium Caroli Magni refertur diploma, Romanus erat pontifex.

natum. At vero, qui observator hujus decreti exstiterit gratiam atque misericordiam, vitamque æternam a benignissimo Domino nostro Jesu Christo consequi mereatur.

Datum XIV die Kalendarum Maii per manus Humberti, cancellarii sanctæ sedis apostolicæ, in Lateranensi basilica, pontificatus nostri anno tertio.

III.

NICOLAI PAPÆ I BULLA PRO MONASTERIO SUBLACENSI

(Anno 858-867.)

[Muratori, *Antiq. Ital.*, tom. V.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo filio nostro Azzoni religioso abbati et presbytero, et monachis de venerabili monasterio sanctissimi Patris Benedicti, et sanctæ virginis Scholasticæ, quod ponitur in Sublacu, suisque successoribus inibi Deo servientibus et introeuntibus, in perpetuum.

Cum piæ desiderium voluntatis, etc., tradimus et confirmamus religiositati tuæ regimen et abbatiam monasterii; confirmamus omnia quæ nostri prædecessores pontifices, imperatores et reges, etc., Montem Cervariam ad castellum faciendum, fundum Maranorum, fundum Conticuli, fundum Rubiano, montem Arsulæ, etc. Scriptum per manum Gregorii, notarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, indictione 1. Legimus. Data in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, anno, Deo propitio, pontificatus domni Nicolai summi pontificis et universalis papæ, imperii vero domni Ludovici, piissimi imperatoris Augusti, et a Deo coronato, magno imperatore X jubente, die 20 Augusti, indictione 1.

IV.

EPISTOLA NICOLAI I AD ADONEM ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM.

(Anno 858-867.)

[Bosco, *Bibliotheca Floriacensis*, pag. 53.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo, et sanctissimo confratri nostro Adoni archiepiscopo.

Decretum perpetuum Viennensis Ecclesiæ, quod reverenter petiit sanctitas tua a sede apostolica, et humiliter expostulavit, ut privilegium antiquum a patribus nostris et prædecessoribus, Viennensi sacræ sedi renovaremus: auctoritas hujus sanctæ sedis, quia digna res petebatur, non abnuit. Sicut ergo ab antecessoribus nostris beato scilicet Leone, vel a reliquis pene ad nostra tempora, tuis antecessoribus præstitum est largitione apostolica, ut ad privilegium Viennensis Ecclesiæ septem provinciæ pertinerent: in quibus præsul ipsius, vices nostras agens, conventus synodales indiceret, et jura ecclesiastica juste et regulariter definiret: et juri Viennensis Ecclesiæ, septem oppida vel civitates Gratianopolis scilicet, Valentia, Dia, Alba Vivarium, Geneva et Tarentasia, perpetuo subjectæ manerent, ita et Mauriana nunc noster præsulatus, futuris temporibus firmum et inconvulsum durare præsenti decreto constituit: et ut ad potestatem et ditionem Viennensis metropolis pertineant inviolabiliter definivit. Neque tamen propterea Tarentasiensis Ecclesiæ pontifex, jus sibi collatum perdat. Quia nec hoc Viennensis archiepiscopus primas ipsius a nostra auctoritate postulavit ut in aliquibus oppidis sibi commissis non ordinet. Et ad se cum opportunum viderit non advocet, sed sub jure Viennensis archiepiscopi ita se positum semper sciat, ut per dispositionem illius omnia hæc agat: et ad synodum ipsius vocatus pariter cum ipsis sibi concessis occurrat, et quantum ad generalem observantiam attinet, nihil præter auctoritatem Viennensis præsulis definire præsumat. Sitque humiliter subditus, sicut ab antecessoribus nostris salubriter institutum est. Viennensi Ecclesiæ, ut liberius dignitatem suam a nobis sibi concessam postmodum habere et tenere prævaleat: ne si aliter fecerit aut præsumpserit, non solum concessa amittat, sed etiam propter inobedientiam, durius damnatus in futurum humilietur.

X.

ADRIANUS II.

I.

BULLA ADRIANI II JOANNI EPISCOPO ARIETINO CONCESSA PRO FUNDATIONE MONASTERII S. MARIÆ IN BALNEO IN ÆMILIA.

(Anno 871, Idus Nov.)

[Apud Mittarelli, *Annal. Camaldul.*, III, append. 1.]

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Joanni reverendissimo sanctæ Aretinæ Ecclesiæ episcopo diebus vitæ tantummodo, et post obitum, abbatibus venerabilis monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ, siti Balnei in Massa, in perpetuum.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotio conditoris piæ constructionis oraculi in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur quia postulasti a nobis, quatenus baptismalem ecclesiam Dei genitricis semperque Virginis Mariæ honore constru-

etam in Massa, quæ vocatur Balneum, juris sanctæ Romanæ cui, Deo auctore, deservimus Ecclesiæ, tibi ad monasterium ædificandum regendumque cum Dei timore dispensandum, missa præceptione mutatis scilicet fontibus, in ecclesiam Domini Salvatoris in medio prædictæ Massæ loco constructam, ubi facilior populi concursus esse videtur, concedere deberemus. Nos autem inclinati precibus tuis alacri devotione impertimur assensum, ut ex hoc lucri potissimum præmium a conditore omnium Deo possimus promereri, si venerabilia loca opportune ordinata per vos ad meliorem fuerint statum perducta. Per hujus itaque præcepti paginam, jam supra memoratam ecclesiam Dei Genitricis cum contiguis ædificiis et tanto terræ ac vinearum spatio in circuitu, quantum jam dicta ecclesia Domini Salvatoris habere dignoscitur, ita ut, quod residuum fuerit, prædictæ ecclesiæ Domini Salvatoris pertineat, a præsenti sexta indictione, in integrum ad monasterium construendum, donec Deo juvante advixeris, tibi concedimus; simulque et silvam in territorio Aretino juris tuæ proprietatis, quam tu ipse beato Petro apostolo per donationis paginam contulisti, quam etiam tuo studio ad cultum ex parte perduxisti cum casis ibidem constructis et Deo propitio construendis, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, rivis et fontibus, cultis vel incultis tibi intra fines denominatos largimur diebus vitæ tuæ; id est ab una parte de petra ficta ad Jugum Majus, inde in Castellionem, atque iterum a summo Montionis, inde ad Thetolitium, et inde ad Stilum Filioli; dimisso Stilo a manu dextra, per viam ambulantem per Pontecellum, et ab alio latere territorium et Massa, quæ vocatur Balneum, juris sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Post discessum vero tuum eidem monasterio in perpetuum confirmamus, eadem duntaxat ratione, ut abbas, qui pro tempore inibi ex eadem congregatione electus, et ordinatus fuerit, servos Dei monachos, quos in eodem monasterio aggregare potuerit, sub castitate et modestia regulari atque monastica disciplina regulæ, scilicet sancti Benedicti, ut paterfamilias Dei timorem præ oculis habens exinde foveat atque gubernet. Hoc etiam præsenti statuto decernimus, ut nullius alteri Ecclesiæ ditionibus juris condictione, nisi sanctæ nostræ, cui Dei auctore præsidemus, Ecclesiæ, constitutum monasterium submittatur. Quamobrem et omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem quamlibet habere dictionem præter sedem apostolicam prohibemus; ita sane ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnia quispiam celebrare præsumat. Episcopo vero sanctæ Ficoclensis Ecclesiæ, cujus diœcesis esse videtur, cum ab abbate ipsius monasterii fuerit invitatus ibi missas canere, altaria consecrare, dignosque viros ad sacerdotale ministerium promovere, licentiam non denegamus; nec liceat aliqui successorum nostrorum pontificum in monasterium beneficiario jure cuilibet homini largiri, quod sedis apostolicæ defensione decernimus proprii tantum abbatis regimine pollere feliciter. Abbate scilicet ab hac luce migrante, successor ei de propria congregatione communi omnium consensu de eo dignus eligatur, et ad nostram vel successorum nostrorum præsentiam veniens consecrationis munus absque dilatione percipere mereatur, a quo tunc non majus quam unius libræ argenti exenium exigatur, ita sane ut ab eis successoribusque eorum singulis quibusque indictionibus pensionis nomine et rationibus ecclesiasticis viginti auri solidi Lucani difficultate postposita persolvantur. Res autem omnes, quas nunc prædictum monasterium habere videtur, vel Dominus eidem conferre dignatus fuerit, et ex prædictis rebus juris hujus nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ salaritiis videlicet, atque colonotiis, tam mobiles quam immobiles abbas ipsius monasterii diligenter laborare et gubernare, atque cum Dei timore dispensare procuret non propria lucra sectando, alicubi aggregare, sibi usurpare, et fratribus auferre præsumat. Neque de immobilibus locis quidpiam donare, vendere, vel quolibet modo obligare vel alienare pertentet, sed omnia in proprii monasterii usu Saliarioque jure pro monachorum ibidem Deo famulantium sustentatione, luminarium concinnatione, hospitum et pauperum receptione, integriter salva in perpetuum et immutilata persistant. Igitur, qui hujus apostolici privilegii sanctionem parvipendere et in aliquo violare præsumpserit, ac malitiose ipsius monasterii res vel familiam tractare aut diripere vel auferre præsumpserit, seu ipsos monachos de fontium immutatione molestaverit, aut extraneum cujuslibet ordinis clericum sæculari potentia virtuteve in præfato monasterio abbatem eligere conatus fuerit, in quem omnis ipsius monasterii monachicus cœtus elegerit, pariter cum eo qui sibi nomen abbatis usurpare tentaverit, sacrosancti corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi participatione, donec resipiscat, alienus existat. Si quis autem judiciorum Dei immemor contra hoc nostrum apostolicum præceptum quocunque tempore agere tentaverit, et non in omnibus conservator exstiterit, perpetuo anathematis vinculo maneat innodatus. Qui vero custos et conservator fuerit, cœlestis benedictionis gratiam, Christo Domino largiente, consequi mereatur.

Bene valete. Scriptum per manum Pauli scriniarii, secundicerii sanctæ sedis apostolicæ, Idus Novembrias, indictione 6, imperante domino piissimo Ludovico a Deo coronato, anno 23 regni ejus, anno ab incarnatione Domini octingentesimo octuagesimo septimo.

II.

ADRIANI II BULLA PRO MONASTERIO CORBEIENSI.

(Anno 867-872.)

Corbeiam recipit in clientelam apostolicam, et confirmat donationes ei factas.

[Apud Schaten, *Annal. Paderborn.*, I, 171.]

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, Adal-

CARIO religioso abbati venerabilis monasterii sanctorum martyrum Stephani atque Viti, quod nuncupatur Nova Corbeia, et per te eidem venerabili monasterio, in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis [a]lacri devotione congruum impertiri assensum; ex his enim lucri potissimum præmium a conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem sive firmiorem fuerint sine dubio statum perducta. Et ideo cum constet religionem tuam nostræ sollicitudini pontificis satis humiliter suggessisse, quatenus præfatum monasterium sub perenni S. sedis apostolicæ, cuilibet indigni præesse dignoscimur, recipere dignaremur, decernentes scilicet, atque apostolica auctoritate modis omnibus statuentes ut et idem monasterium privilegii nostri decore finetenus vigeat, et monachi, qui illic Domino quotidianis laudibus famulantur, de propriæ congregationis collegio post tuum discessum deinceps, quem divinitate summa annuente omnes concorditer elegerint, ordinandi habeant facultatem. Et quia asseris nomina, tum ipsum monasterium munificentia principum in prædiorum facultatibus ditatum fuisse petis et suggeris, ut tam hoc, quod nunc possidet, quam etiam quod a fidelibus illis fortassis oblatum sive collatum fuerit, emissa præceptione confirmare nihilominus dignaremur; super quibus non solum in Domino gavisi sumus, verum etiam quia pia esse conspeximus, ut moris est apostolica, ad tibi hæc impendenda amore Dei illecti, votis tuis favere decrevimus. Quapropter a præsenti sexta indictione jam dictum monasterium in apostolicæ auctoritatis defensionem imo perpetuam recepimus tuitionem, et omnia prædia illius tam ea, quæ a gloriosis principibus, vel aliis Christifidelibus ibi collata sunt et concessa, quam illa, quæ deinceps, præstante Domino, conferri poterunt et concedi ibidem, sive mobilia sive immobilia, confirmavimus, et ut a quolibet non usurpentur, invadantur, aut rapiantur, auctoritate apostolica promulgamus, jubemus ac definimus, nihilominus inviolabiliter apostolicam censuram ad nostræ mercedis augmentum decernimus, ut omne fas atque omnem licentiam habeant monachi ejusdem monasterii talem de suis abbatem deligere, qualem omnium vota concorditer postulaverint, et sibi præficiendum fore, uno animo, gratia S. Spiritus suffragante, illic Domino famulantes voluerint, nec quisquam præsumat alienum seu extraneum illic unquam abbatem constituere aut introducere. Sed, sicut diximus, tales de ipsa congregatione qui eidem monasterio regulariter præsint, cum vel tu de hac vita vocatus ad Dominum demigraveris, vel tempore succedenti ab unanimitate omnium eligantur, qui vitam et omnem monasterialem ordinem teneant, et cuncta cum timore Dei et reverentia regularis disciplinæ dispensare summopere faciant, statuentes apostolica censura sub divini judicii attestatione, et anathematis interdicto, ut nulli unquam parvo aut magno homini, cujuscunque sit dignitatis vel ordinis, liceat hanc nostræ auctoritatis, quam pio intuitu promulgavimus, sanctionem infringere, aut floccipendere, vel in toto, sive in parte, quoquo modo violare; et si, quod non credimus, temerario ausu quisquam vel nunc vel unquam transgredi, contemnere, violare, aut hanc nostram præceptionem infringere præsumpserit, et non in omnibus observaverit, sciat se anathematis vinculis innodandum, et a regno Dei penitus sequestrandum. Qui autem verus custos hujus apostolicæ præsanctionis studiosus observator exstiterit, benedictionem et misericordiam, vitamque æternam a Domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Stephani, notarii cameræ sacræ Romanæ Ecclesiæ, imperante domino nostro, piissimo, perpetualiter Augusto Ludovico a Deo coronato, magno imperatore, anno 18, et post consulatum ejus anno 24 mense Octobris, indictione 6. Bene valete. Data Idus Octobris per manus Sergii, primicerii defensorum sanctæ sedis apostolicæ.

III.

ADRIANI PAPÆ II EPISTOLA AD SALOMONEM REGEM BRITANNORUM [a].

(Anno 867-72.)

Mittit ei brachium Leonis papæ III valliumque Dolensi antistiti.

[Apud Marten., *Thes. Anecd.*, tom. III.]

Dilectissimo filio amantissimoque Salomoni Britanniæ duci cum omnibus suis fidelibus, Adrianus, nutu Dei papa, perennem in Domino salutem.

Sublimitas vestræ potestatis intelligat nos veraciter per inducias septem dierum a Deo postulasse condignum vestræ petitionis responsum. Transactis autem septem diebus, nobis et omnibus Romanis in oratione et jejunio perdurantibus, visum est mihi et tribus meis cardinalibus, Spiritu sancto revelante, ut de corpore B. Leonis papæ vobis transmitteremus, quia grande munus est. Igitur notum vobis sit, fili charissime, omnibusque Christianis illic habitantibus, quod nos cum nostrorum auctoritate brachium supradicti Leonis papæ ad illuminationem, adjutorium, et defensionem vestræ regionis charitative dirigeremus. Pro certo enim per illum probavimus Dominum fecisse multa mirabilia. Et ut fides vestra magis ac magis in illo accrescat, ipse

[a] Hæc epistola exstat in Britannica Argentræi Historia, estque maxime dubiæ fidei. Eam in ea conclusione quæ agit de pallio, falsam et suppositiam atque a quodam P. clerico Dolensi confictam declaravit Innocentius III in definitiva hujus litis sententia : sed et Dolenses citati, ut originales illius litteras proferrent, responderunt : *Regestum ipsius Adriani nondum potuimus invenire, nec bullam hic habemus.* Quæ verba in membrana Turonensi huic præfiguntur epistolæ ; quæ tamen exstat in optimæ notæ chartulario Rotonensi, sed sine prædicta conclusione.

est sanctissimus Leo, qui per invidiam Romanorum oculis linguaque privatus, gratia Dei operante fuit mirabiliter restauratus, quatenus septempliciter eisdem oculis clarius videret, et eadem lingua verbum Dei eloquentius prædicaret Ideoque auctoritas Romana in eo de Deo præsumit, ut omnes a Ligeris fluvio quos aut ætas aut sexus aut persona non impedit, tribus vicibus reliquias illius in anno frequentent; et inde votum Romam eundi, quod voverunt, nostro libitu et auctoritate adimpleant. Pallium quoque, quod fratri et coepiscopo nostro Festiniano postulastis, cum privilegio suo vestræ dirigimus charitati. Valete in Christo, fideles Britanniæ habitatores.

XI.

STEPHANUS V.

EPISTOLA STEPHANI V AD ADALGARIUM ARCHIEPISCOPUM HAMBURGENSEM.

(Anno 891.)

[Lappenberg, *Hamburgisches Urkund.*]

STEPHANUS episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo ADALGARIO, sanctæ Hamaburgensis Ecclesiæ archiepiscopo et confratri nostro, et post te in eadem Ecclesia, in perpetuum.

Cum piæ desiderium voluntatis et laudandæ devotionis intentio apostolicis sit semper studiis adjuvanda, cura est sollicitudinis adhibenda ut ea quæ legaliter geruntur, et æquitatis formæ conveniunt, nulla valeant refragatione perturbari, sed irrefragabili jure, Deo auctore, debeant permanere. Et ob hoc apostolicis promulgatis sanctionibus propria unicuique quæ rationi suppetunt, possidenda fas exigit confirmari. Et quoniam postulasti ut privilegium tuæ faceremus Ecclesiæ et apostolica tuitione roboravissemus, eamdem in pristinum manere statum concedimus. Et apostolico jure firmamus tibi tuæque sanctæ Hamaburgensi Ecclesiæ successoribusque tuis illam dignitatem et fines proprios, cum prædiis omnibus et parochiis et omnibus rebus mobilibus vel immobilibus, cum mancipiis utriusque sexus possidere et tenere, quam piæ memoriæ Gregorius, antecessor noster, Ansgario, antecessori tuo quem archiepiscopum in tua ordinavit Ecclesia, concessit, stabilito scilicet jure et cunctis finibus quas Ludovicus, piæ memoriæ imperator, et Ludovicus, ejus filius, tuam voluerunt habere Ecclesiam et imperiali diffinierunt potestate. Decernimus autem, ut potestatem habeas ordinandi episcopos infra tuam parochiam et diœcesim, ita tamen, ut sub tua tuæque Ecclesiæ, salva dignitate ipsius, maneant potestate. Si quis autem contra hujus nostræ auctoritatis privilegium ire tentaverit, et quoquomodo in parte vel in toto frangere nisus fuerit, sit excommunicatus a corpore et vivifico sanguine Domini nostri Jesu Christi, et sanctæ Dei Ecclesiæ aditu et conventione separatus. Observator autem hujus nostræ admonitionis et jussionis habeat benedictionem omnipotentis Dei, beatorumque apostolorum et nostram, qui eorum fungimur vicariatione.

Scriptum per manum Joannis, scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio, indictione undecima.

SUPPLEMENTUM
AD SCRIPTORES ECCLESIASTICOS SÆCULI IX.
QUORUM ANNUS EXPRIMITUR.

ANNO DOMINI DCCCC.

SMARAGDI MONACHI S. MAXIMINI
PRÆFATIO
IN EXPOSITIONEM PSALMORUM.
Exponit quam utilis sit psalmorum meditatio.

(Apud Marten., Ampl. Coll., tom. I, 63.)

Incipit præfatio [a] Smaragdi presbyteri.

Hanc expositionem psalmorum de dictis plurimorum in brevi collegimus patrum, ut ejus brevitatis nocivum demat fastidium, et cordis ejus proficuum

[a] Cum hic Smaragdus presbyteri tantum sibi assumat titulum, non eum esse putamus qui sancti

acuat et aperiat intellectum, ut ea quæ in psalmis sub litterarum tegmine latitant clausa, ocius ei patefacta clarescant. Brevis etenim lectio avidius legitur, citius intelligitur, et memoriæ facilius commendatur, et firmiter retinetur. Necesse est ergo ut hæc spiritalis expositio psalmorum frequenter a fidelibus legatur, et ipsi psalmi sapienter, assidue et humiliter recitentur, quia semper in eis cura mentis, sanitas cordis, et animæ medicina reperitur. Est enim in eis consolatio magna lugentium, spes beata justorum, sanitas infirmorum, fortitudo et refugium periclitantium, et spiritaliter convivantium deliciosa nimis in eis comperitur epulatio. Per assiduam enim psalmorum meditationem cor pœnitentis compungitur, et proficuus ab eo lacrymarum imber profunditur. In psalmis enim promissio vitæ æternæ legitur, et spes regni cœlestis firmiter in animo confirmatur. Remissio peccatorum in eis concedi promittitur, et laborantibus refectio cum gloria perpetua feliciter præparatur. Est enim in eis thesaurus sapientiæ et scientiæ sub tegmine litterarum absconditus, qui vitam æternam fidelibus ministrat detectus. Est hortus conclusus, ut talibus aquis irriguus, et aromaticis floribus constipatus. Est fons signatus cœlesti poculo plenus, ad potandum semper fidelibus aptus, et sine defectu haurientibus ad potandum mellifluus. Est ferculum Domini spiritalibus deliciis plenum et omnibus vitalibus alimentis refertum. Per suavia enim psalmorum canora alternantibus choris divina in Ecclesia peraguntur officia. Per eos nocturna laus cum mentis alacritate Domino canere incipitur, et dimisso noctis silentio fidelium ora mellifluam erumpunt in musicam. Per illos laudis diurnæ meditatio horis competentibus peragitur, et per eorum sacratissima verba memoria Domini ad cor reducitur, ut ei cum gratiarum actione jugiter laus indefessa cantetur. Per eos hymnidica dulciter componuntur carmina, et mellifluum melos in jubilo canitur alleluia, et, ut breviter dicam, in psalmorum dulcissimo cantu cum laudibus, hymnis et canticis spiritalibus in Ecclesia totus incipitur, peragitur atque perficitur ornatus. Est et aliud in psalmorum thesauro mirabiliter ab Spiritu sancto compositum atque reconditum, ut quicunque psalmorum verba cantat aut recitat, sive in orationibus pro peccatis præteritis ablnendis, sive in obsecrationibus pro virtutibus adipiscendis, sive in gratiarum actionibus pro jam adeptis, nor quasi aliena prophetia, sed quasi sua et propria verba cantat et recitat.

Michaelis ad Mosam abbas exstitit, scripsitque Diadema monachorum, sed Smaragdum sancti Maximini Trevirensis monachum. cujus meminit Trithemius, maxime cum opus istud apud sanctum Maximum reperiatur.

ANNO DOMINI DCCCXXXVII.

AUTHPERTI

ABBATIS CASSINENSIS

SERMO DE SANCTO MATTHIA.

(Apud Bolland., Acta SS., Febr. tom. III, pag. 487.)

CAP. I. — *S. Matthiæ electio in discipulum et dein apostolum Christi.*

1. [a] Matthias Hebraice, Latine dicitur [b] *Donatus*, ut subaudiatur pro Juda Scarioth. Iste enim in loco ejus duodecimus ab apostolis electus est, cum pro duobus sors mitteretur. Hic sine [c] cognomine solus habetur cui datur Evangelii prædicatio in Judæa: cujus festum celebratur sexto Kalendas Martias: fuit etiam de septuaginta discipulis unus.

2. [d] Inclytam et gloriosam festivitatem B. Matthiæ apostoli Domini nostri Jesu Christi tanta devotione venerari et glorificare oportet, quanta illum, divina gratia dispensante, ad apostolicam dignitatem electum esse cognoscimus. Sed qualiter, vel quo ordine per sanctos apostolos patratum sit, et quid exinde sancti Patres in ejus laude mirifice protulerint, per sacræ Scripturæ seriem pandere curamus. Salvator enim Dominus noster Jesus Christus, humani generis conditor atque redemptor, cum propensiore et arcano consilio censuisset mundum languidum clementissime visitare, suumque plasma de potestate diabolicæ fraudis mirabiliter eripere (quod per quinque millia et eo amplius annorum possederat) ille qui erat Rex regum et Dominus dominantium sub

[a] Est hic prologus in ms. nostro et Mombritio, et in antiquis Breviariis legitur: non tamen meminit Baronius. Desumptus est ex Isidoro.

[b] Isidorus, lib. VII, Orig., cap. 8: « Matthias, inquit, qui inter apostolos sine cognomine solus habetur, interpretatur *Donatus*, ut subaudiatur *pro Juda*, etc. »

[c] Hoc ab Isidoro additur quod ab aliis Zachæus, aut Barnabas habeatur, ut supra dictum est.

[d] Hoc initium citat Baronius in Notis ad Martyrologium.

potestate humani regis, Octaviani scilicet Augusti, humiliter nasci dignatus est; [a] et ille qui erat Creator cœli et terræ carnis nostræ fragilitatem suscipere non est dedignatus. At perinde per incrementa crescens, ut effectum veræ incarnationis suæ ostenderet; quoniam quidem ille esset verus dies, qui duodecim horis lucebat, duodecim apostolos eligere censuit: deinde ad similitudinem septuaginta duarum linguarum, septuaginta duos discipulos assumpsit, binosque misit ad prædicandum. Inter quos siquidem B. Matthias sanctæ prædicationis ministerium suscipiens, ita se divinis humiliter totum subdidit præceptis, ut fideliter prædicando ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium, ethnicum populum perducere curaret. Unde admodum acceptabilis et devotissimus Christo factus, cum traditor ille Judas Deum proderet Christum, suique homicida effectus apostolatum perderet; iste vir Domini in loco illius sorte et oratione sanctorum apostolorum duodecimus apostolus ordinatur: cui datur sacri Evangelii prædicatio in Judæa, sicuti sanctis apostolis in singulis regionibus.

3. Verumtamen, si in regione Christicolarum omnium festa sanctorum celebrari condecet, quanto magis beatorum apostolorum? Qui specialiter Christo adhæserunt, colloquium cum illo habuerunt, comederunt ac biberunt, omnemque illius efficaciam sitibundo pectore hauserunt: quique etiam ab ipso Domino fratres et amici appellari meruerunt, cum diceret: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos* (*Joan.* xv, 15). Et alibi: *Hi sunt fratres mei* (*Matth.* xii, 49). Magnamque insuper vicissitudinem illis conferens: *Gaudete*, inquit, *et exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* x, 20). Hoc quia ipso annuente ita convenit, propter hanc excellentiam illorum solemnitates sub una festivitate merito celebrari congruum fuerat, sicuti communem vitam atque consortium cum Domino habuerunt. Nam et B. Hieronymus hoc astruens in Martyrologio quod Chromatio et Heliodoro episcopis edidit, conjunctos eos censuit ordinare, dicens: Sane in prima parte libelli mei omnium apostolorum festa opportunissime scripsimus: [b] ut diebus variis non videantur dividi quos una dignitas apostolatus in cœlesti gloria fecit esse sublimes. Sed quia mox obtinuit [c] in sancta Ecclesia ut uniuscujusque apostoli festa specialiter quo die cœlo sit natus et coronatus, in illo celebrentur; nos hodierna die B. Matthiæ duodecimi apostoli natalem tanta veneratione excolere debemus, quanta, ut prædictum est, inter apostolos mirabiliter electum esse comperimus. Sed quemadmodum B. Petri apostoli elogio, imo Spiritus sancti A gratia, sit patratum, quia magnæ auctoritatis magnæque excellentiæ sacramentum est, et a B. Luca evangelista narratum; ad laudem Domini nostri Jesu Christi atque ipsius sancti et gloriosi apostoli gloriam decentius condecet enarrare. Ait enim evangelista:

4. « Exsurgens autem Petrus in medio fratrum, dixit (erat autem turba hominum simul fere centum viginti): Viri, fratres, oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus sanctus per os David, de Juda qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est locum ministerii hujus: et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus medius crepuit, et diffusa sunt omnia viscera ejus; et notum factum B est omnibus habitantibus Jerusalem [d]. Scriptum est enim in libro Psalmorum (*Psal.* lxviii, 26): Fiat habitatio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea, et episcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris qui nobiscum congregati sunt in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem quo assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Et statuerunt duos, [e] Joseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Matthiam. Et orantes dixerunt: « Tu, Domine, qui nosti corda hominum, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus et apostolatus de quo prævaricatus est Judas ut abiret in locum suum. Et dederunt C sortes, et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim apostolis (*Act.* i, 15 *et seq.*). »

5. In hac itaque electione hujus sanctissimi apostoli consideranda est et admiranda dispensatio divinæ potentiæ atque humanæ gloriæ: quoniam quidem, sicut divina Scriptura denuntiat, non sicut videt homo, ita prævidet Deus (*Job* x, 4). Ille enim Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, ab hominibus est electus: Matthias autem qui interpretatur [f] Dei parvus, sive donatus, Spiritus sancti electione factus est magnus. O vere parvum! o vere magnum, qui non ideo magnus quia elatus, sed ideo magnus quoniam humilis factus, sectando siquidem vestigia Domini sui dicentis: D « Non venit filius hominis ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis (*Matth.* xx, 28). » Et illud quod in alio loco dicit, cum [g] Zebedæi filios ad sanctam cogeret humilitatem: « Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur (*Luc.* xiv, 11; viii, 14). » Et Donatus idem Matthias dicitur: a quo, vel quare? Ab ipso utique Domino Jesu Christo: qui cum prænognitum

[a] Hæc desunt Montbritio. Sunt in ms. et Breviariis.

[b] Editum passim: *Ut dies varii non videantur dividere.* Montbritius: *Ut diebus variis non dividere videamur.*

[c] Momb. *Intus sancta secunda Ecclesia.*

[d] Additur apud Lucam: *Ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Haceldama, hoc est, ager Sanguinis.*

[e] Inscriptus est hic *Joseph* Martyrologio Romano, 20 Julii.

[f] Ita Arator infra, Beda in Acta et alii interpretantur *Dei parvum*: de cujus etymol. Hebraice disputat Cornelius a Lapide in eadem Acta.

[g] Imo tum præcedentem sententiam dixit de monasterio, at seqnentem sæpius alia occasione dixit.

habuit ante mundi constitutionem, ante suam sanctam incarnationem, quatenus cum veniret olim plenitudo temporis, cum ex sacra sumeret Virgine carnem, cum nasceretur, cum a suo post discipulo traderetur, Donatus ab ipso Domino in duodenario numero exaltaretur atque glorificaretur, et duodenarius numerus perfectus inveniretur. Nec mirum, nec incredibile : nihil enim Dei sapientiæ impossibile, nihilque incognitum esse creditur. Omnia enim quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. O quantum distant humana merita a supernis judiciis atque divinis! O quantum humana sapientia ab illa sapientia, de qua dicit Apostolus : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus! Hanc enim sapientiam completam invenimus in B. Matthiæ electione, quem Dei sapientia in thesauro suo reconditum habuit humilem et parvum : sed tamen voluit in sæculo pandere magnum et gloriosum, scilicet cum in throno illum duodecimo exaltaret. Excipiamus ergo eum tanquam a Deo donatum, tanquam ab ipso præordinatum : veneremur illum et tanquam ab ipso inter discipulos valde glorificatum. Non enim ille prædictus Barsabas æstimandus est ille Barnabas comes B. Pauli apostoli : nam ille filius consolationis, hic autem filius quietis interpretatur.

Cap. II. — *Electio S. Matthiæ sorte facta. Donum linguarum in Pentecoste collatum. Privilegium cum Christo judicandi mundum.*

6. [a] Et dederunt, ait Lucas evangelista, eis sortes, et cecidit sors super Matthiam. Neque etiam hoc exemplo, vel quia Jonas propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum : cum privilegia singularium [b] communem legem facere omnino non possint. Nam in sorte Jonæ prophetæ Gentiles tempestate coacti auctorem periculi sorte quærebant : et hic B. Matthias dilectus Dei sorte eligitur, ne ejus electio a lege Veteris Testamenti discrepare videretur, ubi summus sacerdos sorte quæri jubebatur : sicut de Zacharia dicitur, « secundum consuetudinem sacerdotii sorte exiit, ut incensum poneret (*Luc.* I, 9). » Sed hanc figuram licuit exerceri donec veritas per Jesum compleretur : cujus hostia tempore Paschæ immolata, sed die Pentecostes, Spiritu sancto in igne apparente, [c] vere consumma est. Inde est, quod B. Matthias ante Pentecostem sorte ordinatur : septem vero diaconi (inter quos beatissimus martyr primus ipse Stephanus, qui glorificando Jesum Christum, a dextris Dei stantem illum cernere meruit) postea nequaquam sortis agitatione, sed discipulorum tantum electione, A apostolorum vero oratione et manus impositione sunt ordinati. — Qui autem hanc regulam exemplo apostolorum tenere voluerint, caveant et videant hoc beatos apostolos non fecisse, nisi fratrum cœtu collecto, et precibus effusis ad Dominum.

7. Quis etenim hanc Dei misericordiam perfectam, quis ejus dispensationis gratiam prævalet enarrare? Ipse utique sui apostoli electionem per ignem Spiritus sancti confirmare dignatus est, qui hostiam sui corporis, quam pro nobis obtulit, die Pentecostes per ignem Spiritus sancti mirabiliter [d] consummavit. Sic etenim ordo sacræ Scripturæ per beatum evangelistam denuntiat, dicens : *Et dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, et factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes, et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedit que supra singulos eorum : et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (*Act.* II, 1 *et seq.*). Illa namque in lege hostia acceptabilis Deo erat, quæ cœlesti igne consumebatur; sicuti divinitus actum legimus in holocausto justi Abel, Manue patris scilicet fortissimi Samson atque Eliæ et cæterorum prophetarum, nam ubi nos legimus : « Respexit Deus munera Abel (*Gen.* IV, 4), » in Græco scriptum est, *inflammavit* [e]. Ergo B. Matthiæ apostoli hostia electionis sacræ Scripturæ documento habet maximam sanctionem, et sanctissimam possidet firmitatem. Unde igitur et ex quo? Quoniam confirmans approbat illam de cœlo Dominus, dando ignem Spiritus sancti omnibus apostolis, utique et ipsi B. Matthiæ, ut omnium gentium linguis perpetuo loquerentur.

8. Sed forsitan dicit aliquis : Fuit utique Spiritus sanctus apostolis et B. Matthiæ datus tantummodo illo in tempore et in illo loco, postea vero ablatus est, sicut et ab omnibus prophetis et a B. Eliseo, qui dicitur de muliere orbata prole ad puerum : « Dimitte illam quoniam anima ejus in amaritudine est : et Dominus celavit a me, et non indicavit mihi (*IV Reg.* IV, 27). » Absit, inquam, hoc, absit a catholica veritate. Nam si B. Eliseo ac cæteris prophetis fuit olim Spiritus sanctus datus et ablatus; sed nequaquam a sanctis apostolis et a B. Matthia. Illis etenim etsi ad tempus fuit datus et ablatus, ita expediebat, ita congruum fuit, sicut prophetantibus veritatem. Cum autem Christus veritas venit, sanctis apostolis Spiritus sanctus perenniter est datus et confirmatus, sicut et gratia omnium linguarum. Et merito. Nonne magna est differentia apud Dominum inter apostolos et prophetas? Illi enim ut famuli adventum Domini prædicaverunt, et crediderunt, nec tamen incarna-

[a] Hæc usque ad finem numeri ex Beda descripta sunt nonnullis omissis, et pauculis de S. Stephano additis. De sortitione S. Matthiæ nonnulla habet S. Dionysius c. V Ecclesiasticæ Hierarchiæ § 5. Consule interpretes in Acta apostolorum.

[b] Interponit Beda : *ut Hieronymus ait.*

[c] Beda : *vere consumpta est. Veteris enim erat consuetudinis acceptas Deo victimas cœlesti igne consumi.*

[d] Ms. *confirmavit.*

[e] Ita S. Hieronymus ex Theodotione : *Et inflammavit Dominus super Abel et super sacrificium ejus : super Cain vero et super sacrificium ejus non inflammavit.* Græce Theodotio ἐνεφύρισεν, *inflammavit* ; at LXX Interpretes, ἐπίδεν *respexit.*

tum viderunt ; sancti autem apostoli incarnationem ejus et viderunt et crediderunt, comederunt cum illo et biberunt, et, ut prædictum est, amici ab eo appellari meruerunt : insuper etiam pro ejus amore sanguinem suum fuderunt. Approbat hoc idem Christus Dominus, cum dicit : « Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt (*Luc.* x, 24). » Qui autem hoc proterve improbare voluerint, caveant omnino ne veritati resistant, et ne a veritate recedant, quæ est Christus. Ipse enim hanc sententiam confirmat, inquiens apostolis : « Si diligetis me, mandata mea servate : et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum (*Joan.* xiv, 15). » Animadvertendum est utique quid sit in æternum manere. Quid est enim in æternum manere ? Hoc est quod nunquam finitur, quod nunquam recedit, non habens finem neque occasum. Et revera non ait, hodie vel cras, vel tot diebus vel annis, sed in æternum. Hoc sentiens beatus Hieronymus affirmat illud in duobus quæstionibus indubie dicens : Ego utique audacter ac tota libertate pronuntio, ex eo tempore quo apostoli in Domino crediderunt, semper eos habuisse Spiritum sanctum, nec potuisse signa facere absque Spiritus Dei gratia. Et infra de gratia omnium linguarum : Magis, inquit, apostolis necessarium fuit varietatem linguarum universarum gentium loqui, ut annuntiaturi Christum nullo egerent interprete. Unde in Lycaonia cum audissent accolæ Paulum et Barnabam loqui linguis suis, deos etiam in homines conversos eos existimabant. Idemque Apostolus in Epistola sua hoc approbans ait : « Gratias ago Deo, quod omnium gentium linguis loquor (*I Cor.* xiv, 18). » Hoc ideo insinuando protulimus ut intelligamus ad quantam perfectionis gratiam B. Matthias est electus qui inter duodecim apostolos duodecimi apostolatus culmen scandere meruit : ac proinde cum Dominus ad judicium venerit, gloriosus cum illo residens [a] apparebit. De hujus quoque apostoli Matthiæ mirabili electione ac Judæ traditoris dejectione textum B. Lucæ evangelistæ prosequens Arator sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, quod B. Petrus apostolus [b] prosa oratione perdocuit, ille [c] versibus heroicis deprompsit dicens :

9. Primus apostolico, parva de puppe vocatus,
Agmine Petrus erat : quo piscatore solebat
Squamea turba capi, subito de littore visus [d]
. . . . . .
Surgit, et insinuans divina negotia, coram
Sic venerandus ait : Nostis, quia proditor amens
Mercedem sceleris solvit sibi, todia noxæ [e]
Horruit, ipse suam stringens in gutture vocem.
. . . . . .
Aeris in medio communi poneret hosti.
Debita pœna locum : cœlo terræque perosus
Inter utrumque perit ; nullis condenda sepulcris
Viscera rupta cadunt tenuesque elapsus in auras [f],
. . . . . .
Nunc opus est vobis, quod verba prophetica clamant.
Quem liceat supplere vices. Tunc summa precantes,
Constituere duos, Joseph, cognomine Justum,
Matthiamque : Dei parvum quod nomen, ut aiunt,
Hebræo sermone sonat, humilemque vocando,
Comprobat. O quantum distant humana supernis
Judiciis ! parvi merito transceditur ille,
Laude hominum qui justus erat : duodena refulgent
Signa chori, terris ne jubar jaculatur olympi.

10. Verumtamen si aliqui imperiti et sanctarum scripturarum minus idonei documentis, de hujus sanctissimi apostoli electione obsistere voluerint, dicentes : si B. Matthias duodenarii numeri apostolatum explevit, et duodecimus sedebit cum Domino ad judicandum : ergo B. Paulus apostolus ab ipsa sessione sequestratus erit ; noverint utique, quia duodenarius numerus in hac re vel cæteris sacræ scripturæ elogiis, secundum tropum qui dicitur synecdoche, pars pro toto accipitur : qua ratione procul dubio et B. Paulus apostolus, et cæteri sancti sedebunt cum Domino ad judicandum. Hoc namque verissime approbat B. Augustinus in explanatione Evangelii de villico (*Luc.* xvi), inquiens : Videmus apostolum Domini Paulum sine ulla ambiguitate dixisse : *Nescitis quia angelos judicabimus* (*I Cor.* vi, 3) ? Quos utique angelos, nisi malos, et ipsum eorum principem posuit ? (*Matth.* xix, 28.) Ergo sedebit ipse apostolus in duodecim sedibus de quibus Dominus ait : Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Sed ipse non erat inter duodecim apostolos. Ideo suggero, ut noveritis intelligere duodecim sedes. Novimus enim quia primitus a Domino electis duodecim excidit traditor Judas, in loco ejus subrogatus B. Matthias [g]. Si enim singuli in singulis sedibus sedebunt, jam impletus est numerus : ubi ergo sedebit apostolus Paulus ? An forte indebitam sibi sedem usurpavit, quando dixit : Nescitis quia angelos judicabimus ? Duodecim ergo sedes universæ sunt sedes in quibus et apostoli et cæteri sancti sedebunt cum Domino ad judicandum.

Cap. III. — *S. Matthiæ gesta reliqua. Obitus.*

11. His ita definitis, breviter ad laudem B. Matthiæ apostoli devotissime revertamur. Glorificemus illum, et veneremur, ac triumphali laude perpetuis præconiis declaremus. Imitantes interim sanctam illius humilitatem, quæ est mater omnium sanctarum virtutum : caveamus superbiam, quæ est radix omnium malorum : quam sequendo ille qui primus ejectus est et princeps exstitit omnium malorum in æternam præcipitatus est damnationem. Unde Deus noster clemens et omnipotens, non tantum passus in cœlesti patria permanere [h] ruinam, novos

[a] Ms. *Clarebit.*
[b] Momb. *sua.*
[c] Hos adjuncta elegia inscripsit Vigilio pontifici, creato an. 540, mortuo an. 555, sub quo Aratorem cardinalem post alios statuit Ughellus in Additionibus ad Ciaconium.
[d] Omittuntur decem apud Aratorem interpositi versus.
[e] Iterum quatuor versus omittuntur.
[f] Alii decem versus omittuntur.
[g] Mombr., *et quis unus inde ceciderit, et quis in loco ejus fuerit subrogatus, est B. Matthias.*
[h] Mombritius *damnationem.*

angelos recreans, novamque creaturam ad imaginem et similitudinem suam hominem plasmare dignatus est : ex cujus progenie, tantos illuc ascendere statuit cum ipsa videlicet instauratione decimi ordinis, quantos illic sanctos angelos remansisse creditur, docente sancto propheta : statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei. Ab ista namque ruina superbiæ Dominus Christus discipulos suos eruere præcavens, cum dixissent ei : « Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis, ait illis : Videbam Satan sicut fulgur cadentem de cœlo (*Luc.* x, 17 *et* 18). » Ac si diceret : Studete in omnibus humiliter vivere, et de miraculis nolite gloriari, ne cadatis similiter sicut ille qui taha dilexit. Proinde hoc præceptum Domini beatissimus Dei apostolus Matthias amplectendo et retinendo, in charitatis fundamento solidatus, in humilitate nectare [F., arcte] connexus, sic humiliter vivere studuit, ut inter septuaginta duos discipulos divina gratia electus ad apostolatus gloriam conscendere meruerit.

12. Habet ergo apostolus Domini gloriosus, habet profecto prærogativam excellentiam apostolicæ dignitatis, non supra omnes, sed cum omnibus : non [a] excellentior cunctis, sed omnibus coæqualis. Quare hoc ? Pro eo utique, quod Dominus Christus, cum potestatem tribueret B. Petro apostolo ligandi atque solvendi in cœlis et in terra, non illi solummodo tale privilegium contulit, sed omnibus nimirum apostolis, omnibusque in sacerdotali dignitate locatis. Unde sicut ad increpationem B. Petri apostoli Ananias et Saphira, teste B. Benedicti abbatis [b] regula, corpore utique, non anima mortui sunt (*Act.* v, 6); ita et increpatione B. Pauli apostoli Barjesus quidam Elymas magus lumine privatus est (*Act.* xiii) : idemque Apostolus stupratorem novercæ suæ sola missione Epistolæ dæmoni tradidit (*I Cor.* v, 1), et rursum, cum voluit, restauravit dicens : « Confirmate in illum charitatem, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est (*II Cor.* ii, 7). » Similiter autem Simonem illum Magum, de sublimi aere cum coapostolo suo Petro mirabiliter præcipitavit. Dehinc cum illos Christus instrueret, dicens : « Qui credit in me, opera quæ ego facio ipse faciet, et majora horum faciet (*Joan.* xiv, 12), » [quod de semicinctiis et umbra postea factum legimus, Luca referente in Actibus apostolorum (*Act.* xix, 12; v, 15), non prætulit aliquem, sed omnibus æqualiter illam contribuit potestatem.

13. Si autem quæritur : utrumnam miraculorum virtutibus, tantus apostolus Domini specialiter claruerit, sciendum est per omnia, quia multas et stupendas virtutes cum cæteris coapostolis et apostolicis viris operatus sit. Nam utique inter illos erat, quibus Christus tribuit potestatem dicens : « Signa quæ ego facio, et vos facietis (*Joan.* xiv, 12); » et in alio loco : « Si dixeritis monti huic, Transi hinc, commovebit se de loco suo (*Matth.* xvii, 19). » « Idemtidem : Habete potestatem calcandi super bestias et scorpiones (*Luc.* x, 19). » Si enim Christo attestante, qui veraciter veritas est, de miraculorum virtutibus retinendum est, quod iste vir Domini inter cæteros apostolos operatus sit : quantas illum credimus exercuisse virtutes miraculorum; in provincia scilicet Judææ, quæ illi in sorte prædicationis advenit? Neque enim incredulum populum ad fidem Christi converteret voluisset sine miraculorum patratione, sicut de sanctis apostolis legimus. « Per manus autem apostolorum fiebant signa et prodigia (*Act.* v, 12) ; » et de beato Stephano scriptum est : « Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo (*Act.* vi, 8). » Sed quia minime scripta sunt miracula S. Matthiæ, non sunt incredulitati disputanda, sed veritati, cum de ipso Domino Salvatore scriptum sit : « Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum quæ non sunt scripta in libro hoc (*Joan.* xx, 30). » Et ut potiora inferamus, sciendum est utique, quod tot mortuos suscitaverit quot ab æternæ damnationis morte, salutifera prædicatione, eripuerit : quod per omnia excellentius atque gloriosius esse decernitur a peccati morte animam defunctam Christo restituere quam morituro corpori vitam donare. Quid enim gloriosius atque præstantius quam æternaliter cum Christo vivere, cum Christo gaudere, cœleste regnum cum angelis, cum sanctis omnibus possidere? Quanto enim melius atque decentius beatissimum Paulum a morte animæ resuscitatum, quam Lazarum a morte corporis videmus.

14. Interea neque hoc de hujus apostoli gloria prætermittendum, quoniam quidem, quamquam omnes apostoli ante sæcula electi a Domino esse credantur, docente Apostolo ac dicente : Qui elegit nos ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus (*Ephes.* i, 4); sed tamen non de quolibet, sicut de hoc sancto apostolo, Dominus Christus contulit mentionem, cum diceret in Evangelio : « Nonne duodecim horæ sunt diei? » (*Joan.* xi, 9.) Sanctos videlicet apostolos significans et Judam inter illos. Si enim horæ erant, S. Augustino docente, lucebant : si lucebant, quomodo Judas diem Christum ad mortem tradebat? Ergo non Judam dixit in hoc loco traditorem, sed B. Matthiam successorem ejus et prædicatorem. Hunc ergo prævidit, hunc insinuavit, quem in loco illius alterius postea mirabiliter ordinavit. Ipse etenim in cœlo jam regnans, apostolum illum constituit qui in terris

[a] Idem, *excelsior*.

[b] S. Benedictus c. 57. « Memorentur, inquit, Ananiæ et Sapphiræ, ne forte mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti vel omnes qui aliquam fraudem de rebus monasterii fecerint, in anima patiantur. » Cæterum quid Patres senserint de damnatione horum, disputant Haftenus. l. ix Disquisitionum monasticarum, tract. iii, disquis. 4. Cornelius a Lapide et alii interpretes in cap. v Actuum.

positæ cæteros elegit apostolos : nam et in cœlis tunc cum Patre regnabat, et in terris eos ut filios gubernabat, sicut pollicens inquit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). At per hoc datur intelligi, ut sicuti decimum ordinem in cœlesti gloria restituit de humana generatione, ita duodenarium numerum de B. Matthiæ digna electione.

15. Passio namque illius si quæritur haberi, sicuti cæterorum apostolorum, manifestissime constat quod ipse sibi intulerit passionem : et crucem suam ferendo Christum fuerit secutus, dicendo cum Apostolo : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14). Cum enim manifestum sit quod duo sunt genera passionum, unum in occulto, et alterum in manifesto ; patet nimirum quoniam quidem illi mundus erat crucifixus, quia odio illum habebat, et tanquam mortuum æstimabat. Similiter et ille mundo : quia illum ad sua gaudia trahere non valebat. Quis etenim sapiens ignorat duriora esse supplicia, quotidie spiritualiter in acie stare, diabolicæ fraudi resistere, quam uno momento tyrannico gladio vitam finire. Hoc sentiens beatus apostolus Petrus, commonere curabat dicens : *Adversarius* noster *diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* V, 8). Et beatus Paulus similiter : *State*, inquit, *succincti lumbos vestros in veritate, ut possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere : et galeam salutis assumite, et gladium Spiritus, quod est Verbum Dei* (*Ephes.* VI, 14, 16, 17). Nonne magnus Jacobus gladio Herodis trucidatus : sed dilectus admodum Christo Joannes evangelista germanus ejus in pace sanctæ Ecclesiæ a Christo vocatus et coronatus est?

16. Ergo, beate nimis apostole Christi Matthia, exsulta et gloriare in Domino Jesu Christo : gaude jam lætus gaudio sempiterno : et merito, quoniam præsago nomine vocitatus, et a Christo donatus ; jam non parvus, sed magnus, non infimus in sæculo, sed gloriosus polles in cœlo. Et quare hoc? quo pacto? qua gratia? Pro eo scilicet, quoniam cum esses humilis in corde tuo, nec laudes hominum cuperes, nec pavorem, non aurum, non gemmas, non fluxa sæculi regna ; pro terreno regno cœlestem patriam ; pro perituris gaudiis adeptus es paradisi amœnitatem. Nam te mirabiliter ut apostolum Paulum placide vocavit e cœlo ; illum namque prius præclare lumine privans, ad gremium sanctæ Ecclesiæ cœlitus destinavit ; te quoque per cœtum sanctum, per sancti Spiritus actum celsum et apostolicum fecit conscendere thronum. Ille te nimirum elegit de grege discipulorum, qui Petrum et Andream, Jacobum et Joannem de littore ethnicorum. Plaude ergo nimis, plaude per cuncta beatus : jam cœtibus angelicis sociatus, jam Christi nectare satiatus : inter apostolicas sedes in judicio illo magno, cum judicabit orbem terræ in æquitate, cum Christo Domino exaltatus. Sed quia hoc totum donavit tibi gratia Christi, suppliciter petimus, humiliter postulamus, quo eum pro nobis exorare digneris : ut nos clementer exaudiat postulantes, et placide remuneret decertantes. Postquam vero [a] reliquit Judæam patriam prædicando quam in sorte prædicationis acceperat, et plurimos ethnicos ad fidem catholicam convertit beatus Matthias apostolus migravit ad Dominum nostrum Jesum Christum [b] sexto Kalendas Martias, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum.

[a] Deest hoc verbum et Mombritio et ms., sed ex antiquo Breviario Morinensi apposui.

[b] Deest Mombritio dies ; legitur in ms. et Brev. Morinensi.

ANNO DOMINI DCCCXLIX.

HALDOINI ABBATIS

VERSUS AD TUMULUM SANCTI REMIGII.

(Apud Mabill., Analect., pag. 123.)

Haldoinus, quondam abbas monasterii Altivillarensis [a], hoc memoriale disgessit XII videlicet versuum, si episcopus Hincmarus voluisset, in circuitu scrinii, ubi sanctus Remigius transponendus erat, de transferendo corpore pretioso ejusdem Remigii a Carolo rege pariterque præfato Hincmaro præsule eo loco quo exstitit, quousque anno 881, ob infestationem paganorum, occulto Dei judicio sinit se inde levari, et ultra Matronam ad usque Orbacis monasterium nequiquam deportari pertulit, hymnizando exorsus est :

Doctor Francorum primus pastorque Rhemorum
Hoc recubat sacro Remigius tumulo.

[a] Monasterium Altivillarense in agro Rhemensi in primis celebratum est retrusione Gothescalci monachi, qui Haldoino ejus loci abbati, superiorum versuum conditori, commissus ab Hincmaro est. Hos versus Hincmarus tumulo sancti Remigii non apposuit, sed alios a se compositos.

Limina quem templi quondam tennere sepultum,
Servantem Domini sæpta gregemque sui,
Extemplo ut populus hujus jam dogmate plenus
Concrevit, pariter crevit et ista domus :
Transtulit et sanctum sublimi sede locavit,
Cerneret ut plebem, plebs quoque fide Patrem.
Rex verum Carolus Ludovici Cæsaris almus
Filius, ac præsul Hincmar utique sacra
Tecta augent decorantque simul, bustoque recondunt
Francorum magnum pontificale decus.

Anno a Nativitate Domini 852, IV Kal. Junii, regni vero Caroli XII, ordinatione quoque episcopatus Hincmari XIII, indictione XV.

ANNO DOMINI DCCCLV.

HEBERNUS

ARCHIEPISCOPUS TURONENSIS.

MIRACULA B. MARTINI

Post ejus reversionem sive corporis ipsius depositionem facta; edita ab* HEBERNO, *prius abbate Majoris Monasterii, post archiepiscopo Turonis civitatis.

(Apud Baluz., Miscellanea sacra, tom. II, pag. 300.)

Absida siquidem, ubi corpus beati Martini continebatur, quam etiam detulerant ab Antissiodoro, fusilis erat ex auro et argento quod dicitur electrum, spissitudine duorum digitorum, auctoremque operis beatum Perpetuum insculptarum ac..... designans suffragio litterarum et versuum, nec erat rima, foramen, fenestra et ostium in ea. Hanc autem fecerat beatus Perpetuus, quando elevavit corpus ejus a terra, involutum prius in purpura rubea, et diligenter consutum, sicque in hanc absidam posuit. Fecit etiam altare quadratum et coronam ex lapidibus tabulatis, quod magna tabula cooperuit, et cum aliis cæmentavit. Fecit etiam intus aliam absidam ex aurichalco, cupro et stanno, fusilem, habens palmum in spissitudine cum ostio fusili; gumphiis, et virtevellis; et quatuor clavibus firmabatur. Fecit denique fredam desuper auro optimo et lapidibus pretiosis tanto sacerdote condignam. Denique meruit idem consul cum venerabilibus episcopis Adalaudo Turonensi, et S. Lupo Andegavensi, et Mainoldo Cenomannensi, et Raimone Aurelianensi, corpus sæpe nominandi confessoris Martini infra ambitum altaris in altera absida componere, ipsumque ostium cum absida sigillaverunt, ita ut nec pateret aditus et introitus. Cum omni autem consilio dederunt Ingelgerio comiti præbendam beati Martini ipsi et hæredibus ejus in perpetuum possidendam. Quia vero ecclesia ejusdem sancti tunc temporis carebat thesaurario et ædituo, consulem Ingelgerium inthronizaverunt, et thesaurarium constituerunt et defensorem ecclesiæ fecerunt, et tutorem omnium possessionum ejus, ubicunque essent, delegaverunt. Qui sedem thesaurarii et domos cum redditibus, quandiu advixit, obtinuit. Omnes autem qui cum consule Ingelgerio erant, et ad corpus beati Martini reducendum fuerant evocati, maxime vero barones Turonici pagi, fœdaverunt societatem et beneficium ecclesiæ largiti sunt. Contigit autem eodem mense, dum esset consul Ingelgerius Turonis, Adalaudum confectum senio viam universæ carnis intrare. Ingelgerius vero consul, auxiliante Deo et intercedente beato Martino, opitulantibus etiam clericis, necnon consentientibus civibus Turonicæ civitatis, inthronizavit et in sede episcopali sublimavit Hebernum, senem, beati Martini majoris monasterii abbatem et ministrum. Denique post beati Martini ab Antissiodoro reversionem, sive post corporis ejus depositionem, ob ipsius merita longe lateque propalanda, creberrimas Dominus ad ejus sepulcrum venerabiles virtutes operari dignatur. De quibus quidem virtutibus multa frequenter audivimus. Sed de plurimis nonnulla miracula quæ vidimus declarare decrevimus.

I. Episcopus Leodici, Hildricus nomine, vir morum honestate laudabilis, occulto Dei judicio morbo, qui vulgo lupus dicitur, miserabiliter imo mirabiliter laborabat. Patiebatur autem in natibus. Erat igitur videre miseria. Tam graviter enim vis valetudinis grassabatur ut mirum in modum carnes viri more lupino consumeret, corroderet, devoraret, solumque solatium, non quidem spes evadendæ ægritudinis, sed saltem dilatio mortis, erat quod quotidie duo pulli gallinarum explumes et eviscerati mane, duoque vespere, vice carnium viri consumendi morbo, ac si lupinæ rabiei, opponebantur. Nec sic cessabat consumptio carnium ejus. Invisceratus enim morbus, etsi aliquando extrinsecus pascebatur, intrinsecam tamen materiam familiarius consumebat. Quid plura? Desperantibus medicis, cura omnium inutiliter frustraque consumpta, episcopus, acsi moriturus, ab humana salute penitus destituitur. Sed,

ut ait Dominus, *quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum* (*Luc.* XVIII, 27).

Audiens autem idem episcopus quod, post beati Martini ab Antissiodoro reversionem, sive post corporis ejus depositionem, ob ipsius merita longe lateque propalanda creberrimas Dominus ad ejusdem venerabile sepulcrum virtutes operari dignabatur, quod spiritu sibi intimante sentiscens episcopus, de Martini suffragio spem velut contra spem concipiens, ad ipsum totus, et ex toto corde convertitur, præsumens per eum posse fieri quod ars humana non poterat. Voto itaque se obligat Martini sepulcrum se visitaturum, ab eo fideliter se periturum quam post Deum ab ipso sibi dari sanitatem solummodo præsumebat. Nec mora : pium votum pia voluntas exsequitur. Adjunctis sibi igitur honestissimis comitibus, præparatis abunde quæ erant necessaria, iter aggreditur, summopere procurans ut ad festum summi Pontificis, quod imminebat, occurreret. Quod et factum est. Nec latere potuit vel ægrotantis sublimitas vel tantæ sublimitatis infirmitas. Quanto enim quis eminentior, tanto ejus infortunia latius divulgantur. Quippe fama fortunæ comes, quem illa subruit, hæc diffamat. Intererat igitur moribundus episcopus episcopi Martini vivis laudibus et festivis : sed, ut dicitur, ei posito in luctu musica erat importuna narratio. Vincebat tamen devotione mœstitiam, nec unquam nocturnis vigiliis abesse patiebatur. Multa canonicorum circa eum compassio, mira benevolentia erat. Ipse autem sanctum tumulum insomnis pronusque pernoctabat, quia nonnisi pronus urgente incommodo, valebat subsistere. Continuatis itaque septem diebus solemnitatibus, clerus et populus more debito lætabantur. Ipse vero non diebus, non noctibus, a lacrymis et oratione cessabat. Septima demum nocte, oratione continua et doloris fatigatus acerbitate, ut erat ante sacrosanctum tumulum prostratus, paululum obdormivit, cum ecce signipotens Martinus, pontificali decoratus infula, ei visus est astitisse. Quem ut patrem filius, ut discipulus præceptorem sanctus Briccius sequebatur, et ipse tamen episcopaliter redimitus. Ad quem ita Martinus : Quid, frater Bricci? Justumne tibi videtur ut æger hic optatam recipiat sanitatem, qui tam devotus ex tam longinquis partibus ad nostrum venit tumulum, tam suppliciter, tam perseveranter nostram opem expetiit? Et Briccius : Domine, inquit, si placet vestræ pietati, bonum est ut iste pristinam sanitatem recipiat, præsertim homo nostri ordinis, et cujus vita ordinem non deturpat. Tunc igitur Martinus conversus ad ægrum, et familiare sibi nomen crucis ore sacro depromens, ipsamque crucem super eum depingens : Heldrice, inquit, sanat te Dominus Jesus Christus. Surge sanus, et vocatis clericis meis, innotesce illis quia precibus meis adeptus es sanitatem : Dices etiam eis ex præcepto meo quatenus te hujus ecclesiæ meæ canonicum faciant. In testimonium autem gloriæ Christi et tuæ sanitatis præcipio ut missam majorem hodie cantes, quo populus universus qui tuam noverat insanabilem ægritudinem, viso te sospite in missæ celebratione, et Deum glorificet, et de nostra intercessione fiducialius præsumat.

His dictis morbi locum baculi pastoralis cuspide visus est tetigisse. Ad cujus tactum et visio disparuit, et somnus recessit. Excitatus episcopus experientiæ causa loco vulneris manum apponit. At ministri ejus, qui prope excubabant, timentes tactu pruriginem irritare, prohibebant eum. Quibus ille : Nolite, inquit, timere. Domnus enim Martinus me sanitati restituit. Quibus excitantibus ne forte per somnium loqueretur, Accendite, inquit, lucernas, venite et videte locum ubi fuerat morbus. Illi dicto citius (nam moræ impatiens desiderium est) accensis luminaribus præeuntem sequuntur, inque capitulo ecclesiæ substiterunt. Tunc vero resolvunt fascias quibus, ut mos est, ligabatur, pullosque quos sero morbo velut insatiabili belluæ objecerant intactos reperiunt, carnem subcrevisse reliqua in nullo humiliorem inveniunt, nec ab ea differre præter quod lineola quædam rubicunda hinc cicatricis alterutram dividebat. Quid moror? Clamor mirantium simul et gaudentium ad astra sustollitur. Canonici, qui matutinos hymnos pro solemni more decantabant, exciti vocibus accurrunt, remque dignam satis miraculo oculis comprobantes, neminem sanctorum signorum efficacia comparabilem Martino protestabantur. Pulsantur igitur signa, *Te Deum laudamus* alacriter decantatur. Mane dato conventus canonicorum in capitulum convocatur : Jussione Martini accepta, episcopum sanatum canonicum faciunt ; qui et eodem die, ut sibi sanctus jusserat, Dominicam missam clero populisque astantibus celebravit. Quibus rite perfectis, lætus et incolumis remeavit ad propria. Sed non ingratus, vel sancti beneficio vel canonicorum suorum obsequio, ipsi sancto vestes sericas pretiosas vasaque aurea et argentea, quibus hodieque Domino et sancto inibi ministratur, transmisit singulisque canonicis singula donaria destinavit. Neque hoc visum est ei satis. Processu itaque temporis in diœcesi sua ecclesiam in honore beati Martini construxit, quam tantis redditibus cumulavit ut quinquaginta canonici in ea Deo et sancto Martino deservientes abundantissimis sumptibus sustententur.

II. Marchisius de Monteferrato, Bonifacius nomine, bonæ devotionis consuetudinem fecerat ut annis singulis ad diem festum beati Martini, tumulum ejus sacrosanctum expeteret. Non enim itineris longitudo et asperitas, non interjacentium hostium insidiæ, non bellorum frequens incursio, non denique ulla poterant impedire negotia quin ad sancti suffragia promerenda occurreret. Adeo fideli viro propositum erat! Pro more igitur aliquando venerat, cum subito posito in oratione negotium periculosum satis perculit ejus memoriam. Mutuo siquidem sexaginta solidorum millia in patria sua a quodam Burgense acceperat, sub fidei suæ sacramento scilicet,

interpositis simul fideijussoribus multis, et tunc ejusdem reddendæ pecuniæ dies condictus instabat. Quid faceret? Si enim more avium pernicibus alis evolare posset, nec sic quidem ad præfixum poterat occurrere diem. Quod igitur solum sibi restabat, ad Martini suffragia poscenda totus convertitur. Illum votis, illum exorat gemitibus ut in tanta necessitate constituto subveniat; ne scilicet, qui sese et sua negotia ob ejus devotionem oblitus fuerat, ab ipso obliviscatur, ne fidejussorum et suam ipsius fidem periclitari sinat; sed more suo divinitus faciat esse « possibile quod apud omnes impossibile est (*Marc* x, 27). »

In hac supplicatione, quam dura necessitas prætendebat, diu fatigatus, tandem obdormivit; cum ecce signipotens ille Martinus, ut totus semper visceribus charitatis affluebat, devotum sibi miseratus, in visu ei astitit pontificalibus redimitus infulis, duobus pariter episcopis comitatus visumque est viro quod duo illi pro eo Martino supplicarent, quorum precibus sanctus liberali hilaritate annuens fidem jubet, auxilium pollicetur. Nec mora; visio somnusque pariter terminantur. Homo excitus congratulari cœperat visioni. Sed Martini promissio revertitur in effectum. Nam repente duo vasa aurea prope se posita vir illustris reperit summam nummorum continentia pro quibus sollicitus Martino supplicaverat. Quæ simul ut aspexit, servante nemine, mirari secum, circumquaque prospicere, ne forte ad sui tentationem pecuniam tantam quis apposuisset. Hærebat igitur stupens. Quem servientes sui, qui ejus orationis fidem eminus præstolabantur, sollicitum perpendentes propius accedunt, neminem adfuisse sese excubantibus qui ea deposuerit, non minus miraculo quam gaudio affecti protestabantur. Tunc Marchisius : Signipotens, inquit, Martinus de cœlestibus, credo, thesauris mihi pondus pecuniarum quibus debitor his diebus tenebar cœlitus destinavit. O si et creditorem exhiberet, ne ejus visitatio mihi fiat occasio fidei infringendæ. His dictis, pecuniam colligi et ad hospitium jubet deportari, cum ecce in ipsius ecclesiæ introitu adest improvisus ille cui debitor tenebatur. Tunc vir exclamat præ gaudio; miraculum explicat; Martinum attollit; Martinum inclamat; Martini facit audiri mirabilia. Tandem creditori reconsignat pecuniam. Plebs urbana concurrit et rustica, clero præconante, præsente Marchisio simul et protestante miraculum exponitur. Christi gloria, Martini pietas in communi laudatur.

Vir igitur præclarus, quem et ingenuitas et liberalitas exornabat, et Martini prærogata humanitas ad melius incitabat, regressus ad propria, sancti beneficiis haud ingratus exstitit. Nempe ecclesiam in honore domni Martini in proprio fundavit allodio, eamque de propriis redditibus sua munificentia ampliavit, ut conventu monachorum inibi congregato, et prælato eis Patre abbatiam fore in perpetuum constitueret, in qua usque hodie in honorem Dei et laudem sancti Martini floret religio, Christique servitus liberalis in dies exsolvitur. Creditur quod illustris Marchisii, etsi sanguinis generositate inferior, morum tamen nobilitate, præcipue circa Martini honorem, se probavit ingenuum. Nam et ipse propriis sumptibus in Martini honorem ecclesiam construxit, cui tantum redditumm acquisivit quantum conventui monachorum ibidem Deo et beato Martino servientium plenissimos sumptus sufficere potuisset. Florent autem hodieque ambæ ecclesiæ, quæ ingredientibus nobis Italiam perviæ sunt, vicinæ scilicet Susensi pago.

III. In diebus illis ad beati viri sacrosanctum tumulum undecunque patriæ energumeni ferebantur. Mirum in modum mortui virtus circa vivos salutem operabatur, nec quisquam optata sanitate frustrabatur, nisi cujus fides infirma de Martini potentia hæsitabat. Erat tunc temporis dæmoniacus quidam ætate juvenis, militaris progenie, Gimo nomine, de castro Prierato oriundus. Hunc parentes vinctum catenis ministrorum obsequio ad sancti basilicam exhiberi fecerunt. Dæmon autem qui eum invaserat, et durus possessor præsidebat, illo ad multorum confusionem, ut proprio organo, abutebatur. Quicunque enim in ejus venisset præsentiam capitalis criminis noxe obnoxius, statim tempus, locum, personam, modumque facinoris dæmon in ejus faciem irreverenter coram omnibus exponebat

Tanta erat in dæmone perspicacia scelerum quod quidam clericus sancti, Fridericus nomine, dives opum, clari sanguinis, nonnullius etiam dignitatis in ecclesia (nam subdecanus erat) audiens, graviter tulit, tantam scilicet a Deo diabolo permissam potestatem ut homines, præsertim Christianos, communicaret infamiæ. Denique in præsentia dæmoniaci cum hac querela venit. In quem diabolus, ejus dirigens oculos quem occupaverat, per os ipsius ait: Et tu de saxo capite nos objurgas, qui hac nocte tale facinus cum tali persona, tali loco, admisisti. Erubuit clericus; divertensque ab eo sacerdotem evocat, in partem secedit, crimen a dæmone sibi objectum, et si qua forte premebant conscientiam, spiritu contrito damnat, voce humili confitetur, judicio se sacerdotis subdit, satisfactionem sibi injunctam prompta alacritate amplectitur. Sicque tandem fidei virtute animatus ad dæmoniaci rediens præsentiam, Et de me, inquit, quid dicis? In quem ille, ut suum erat, torvos intendens oculos, Et sæpe hunc multum respectans, Recede, inquit, a me, quia nihil nostrum in te reperio. Quo clericus audito, Christi gloriam sanctæque confessionis virtutem suæ præferens confusioni, exclamavit et dixit : Audite, fideles, attendite, populi, quanta sit fidei nostræ virtus, quam admirabilis quamque efficax sit confessionis indicibile sacramentum. Audistis enim qui coram aderatis quam turpia mihi improperavit dæmon, qui hunc hominem obsidet, et utique vera. Nunc autem facta confessione, et criminum vera de corde abrenuntiatione, ecce nihil in me suum recognovit.

Quapropter unanimes Deum deprecemur fideliter ut hominem istum liberet a dæmone quo obsidetur. Tunc dæmon per os energumeni : Vos, inquit, omnes non timeo, nec meum palæstritem per vos dimittam. Solus Martinus hoc poterit et hoc tamen in ejus honore missa celebrata.

Quod audientes clerici, consilio inito inter se dixerant : Etsi diabolus mendax est, certe vel quandoque dicere verum cogitur. Non igitur ab ipso fidem capientes, sed ab eo cui invitus testimonium perhibet, in his nos domni Martini gloriosi missam celebremus, credentes in eum qui et malis bene utitur. Nec mora; festiva in crastino missa celebratur in honore sancti. Dumque post communionem sacram, *Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur*, clerus decantaret, diabolus non ferens tantam laudem Martini, tetrum clamorem emittens, tetrumque relinquens odorem, ab energumeno discedens, eum sanum et invitus deseruit. Quod clericus videns non fuit ei satis sub communi clericorum vita sancto deservire Martino, sed placitam Martini vitam professus, in majori monasterio monachicum habitum monachumque virtute suscepit, et monachus factus, monachi vigilavit in actus, adeo ut postea custos ordinis in eodem monasterio præ sanctitate vitæ et religionis custodia poneretur. O Martinum nulli fere sanctorum meritis inferiorem, nulli secundum potentiam, nulli visceribus charitatis minorem, qui mirabiliter dæmoniacum curavit, et ejus sanitatem clerico suo misericorditer veræ salutis causam esse donavit. Martinum igitur energumeni laudat medela. Martinum magnificat plebis admiratio et devotio. Martinum vero glorificat clerici ad Dominum conversio perfecta. Et ubique tanto mirabilior Martinus habetur quanto poscentium fides ad Dominum ad ipsumque devotio promeretur.

IV. Per idem tempus Sanubertus quidam diutino languore contractus, cui nulla remedia valebant proficere, cum ad tumulum beati Martini in lecto fuisset allatus, primum circa genua, in quibus graviorem patiebatur dolorem, sudore cœpit non parvo madescere deinde tepefactis venis, reparatisque nervis, redivivos pedes extendit. Nec multo post cernente populo, surrexit incolumis, pedibusque suis ad propria remeavit qui manibus allatus fuerat alienis.

V. Item quædam mulier, nomine Roscelina, quam malignus spiritus per quinquennium possederat, et ab omni membrorum privâtam obsequio, ab introitu quoque ecclesiæ diu prohibuerat, postquam basilicam sancti antistitis introivit, continuo liberata a dæmonio, totius corporis alacritatem non sine admiratione multorum sub momento recepit. Cui deinde domum revertenti ut candelam præpararet, quæm cum aliis fidelibus veniens offerret, sed unde emeret omnino non haberet, quidam monachus angelica canitie decoratus in foribus ecclesiæ obviavit, dansque illi purissimi candoris nummum, subito non comparuit. Accepto mulier nummo, et nummulariis ostenso, tres obolos mutuo sumpsit, quibus candelam comparatam rediens ad sancti tumbam obtulit. Hæc res omnibus civibus Turonensis civitatis eadem femina referente innotuit.

VI. Sub ipso tempore alia femina, nomine Agnes, de oppido Faiæ manum pedumque officio per biennium destituta, ut ad sepulcrum beati antistitis post longos labores potuit accedere, tam fuit illi cito sospitatem recipere quam postulasse.

VII. Cum itaque pro tantis et tam manifestis miraculis clerici signa pulsarent, et hymnum *Te Deum laudamus* jucundis vocibus decantarent, quidam clericus de ecclesia beati Petri puellaris in pede cancri ulcere percussus, audita cantantium voce, nisu quo potuit, comitum sustentatus auxilio, miracula quæ ibi fiebant visurus, basilicam beati Martini introivit, statimque, quod mirabile dictu, sanitatem, quam non petebat, eadem hora adipisci promeruit.

VIII. Sed et puella, nomine Osanna, quæ præ diuturno ambarum tumore manuum operandi usum amiserat, suffragio sancti viri fide devota invocato, per immutationem dexteræ excelsi pristinæ restituta est sospitati.

IX. Eodem nihilominus die quidam puer, nomine Gaufridus, contractis genibus per triennium infelicia membra baculo sustentaverat. Qui, virtute beati Martini renovatus, baculo quo pro pede uti solebat, in basilica sancti confessoris ad memoriam posterorum deposito, et a trabe suspenso, gratulabundus et incolumis populo spectante ad sua repedavit.

X. Item aliud huic simile non est silendum miraculum. Nam quædam mulier, nomine Maria, cui vir suus, suadente diabolo, nervos tibiarum ferro absciderat, amisso gradiendi usu per triennium domi elanguerat. Quæ, audita tot signorum potentia, se sustentans baculo, nisu quo potuit ad tumulum sancti viri accedere non distulit, juxta quem orationi cum lacrymis diutius incubuit. Mira deinceps res secuta est. Oratione namque completa, multis videntibus, rejunctis nervis genibusque reparatis, subito mulier se erexit. Moxque concito gradu domum venit, et eadem hora rediens, cortinam, quam domi habebat, lætabunda attulit, allatam ad memoriam sancti viri cum gaudio et devotione obtulit.

XI. Præterea Hedigunnis quidam sagenarius, cui ambæ manus curvatæ simul et tumefactæ longo tempore usum piscandi negaverant, mox ut tumbam sancti antistitis firma fide tetigit, in conspectu populi circumstantis, utriusque palmæ sedato tumore, et expulso dolore, sanitatem quam puro corde poposcerat impetravit, redivivaque dextera, tota plebe in laudibus Dei acclamante et præ gaudio flente, ibere se signavit.

XII. Nec minus his gloriosum addendum credo miraculum. Tot itaque et tantorum circumquaque discurrente præconio signorum, inter cæteros debiles ad memoriam sancti antistitis undique confluentes, affuit et quædam calamitosa puella, nomine Theo-

phœnia, damno aridi imo prærnortui corporis nota multis. Illam quippe insanabilis morbus, qui a medicis fistula dicitur, consumptis omnino carnibus et scabie per multa foramina jugiter diffluente, exsanguem et macilentam reddiderat. Hæc igitur omni prorsus spe recuperandæ aliquando sanitatis fraudata meritis beati Martini integritatem omnium membrorum peste fugata sub momento recepit.

XIII. Sub ipso tempore quædam adolescentula, nomine Petronilla, tantæ debilitatis vinciebatur incommodo ut plantæ pedum ad poplites reflexæ suo frustrarentur officio. Hæc itaque duobus lignis, quibus pro pedibus utebatur, membra vectitans paralytica, ad mausoleum beati Martini firma fide accessit. Quod devote amplectens et cum lacrymis deosculans, invocato sancti confessoris nomine, optatam diu et integram eadem hora meruit adipisci sanitatem.

XIV. Nec minus et matrona quædam, Galliciana nomine, non humili orta progenie, nota quidem multis, pro honesta conversatione amabilis, sed diuturna totius corporis infirmitate confecta, proximam morti calamitosam deducebat vitam. Si quidem sopitis faucibus, obstrictisque gutturis meatibus, usum pariter et appetitum comedendi penitus amiserat. Hæc tandem salubri potita consilio, vecta equo, et clientum ducta obsequio, tumulo sancti Martini prosternitur. Nec multo post oratione fusa, beati Martini meritis toto renovato corpore, gratias agens, a pavimento erigitur, gaudensque et incolumis post aliquantos dies ad propria revertitur.

XV. Eodem quoque die puella, nomine Prima, debilitate contractorum genuum et arentis dexteræ infortunio tristis, per decem annos et octo infelicem duxerat vitam. Hanc denique Christus restauratis gressibus, reformataque dextera, ob merita servi declaranda ad gloriam et laudem nominis sui incolumem et lætabundam remisit ad sua.

XVI. Per idem tempus erat et Alexandra, mulier discrimine aridi pedis nota multis, quæ ad compage viventis corporis pedem emortuum, non ad opus, sed ad onus, per triennium misera circumferebat quo potius ferri debuerat. Hæc igitur fide roborata ad sepulcrum gloriosi confessoris, ubi multi ægri quotidie sanantur, accedens, pavimento cum lacrymis et precibus prosternitur. Nec mora: spectante populo (dies enim Dominica erat), integram a Domino obtinuit sanitatem, et altera die gratulabunda ad sua recessit.

XVII. Eodem quoque die aliam mulierem paralyticam, longo omnium membrorum officio destitutam, cum ad tumulum sancti viri in grabato a fidelibus delata fuisset, Christus per viri sancti merita, expulsa omni ægritudine, diem comparare dignatus est.

XVIII. Nec minus eodem die quædam pulchra facie puella, sed nomen nescimus, gloriosi beati Martini meritis ad laudem Christi ab eadem incommoditate, multis astantibus et præ gaudio flentibus, liberata est

XIX. Circa idem tempus virgunoula quædam Guiburgis nomine, ab ipsis uberibus matris oculorum luce privata, auditis sancti confessoris virtutibus, ut ad ipsius tumbam duceretur fideliter flagitabat. Quo cum adducta fuisset, omni cæcitate discussa, lumen diu optatum sine mora recepit, gaudensque et gratias agens, sequenti die ad sua repedavit.

XX. Orientium quoque quemdam puerum paralytico morbo diutius detentum, cum beati viri mausoleum puro corde et fide non ficta tetigisset, Christus ad merita sui famuli magis magisque declaranda, expulso omni languore, integre restituit sanitati; et eodem die rediit, qui maternis fuerat deportatus officiis.

XXI. Sub eodem tempore Gonerannus Burelli (hoc erat nomen infirmo) per beatum Martinum virtutis divinæ sumpsit remedium. Qui cum per septennium fracti et arefacti brachii officio frustraretur, cum aliis fidelibus ad vigilias sancti confessoris Martini pernoctaturus, fide plenus advenit. Dumque ingenti fletu et gemitu oraret ut sibi Christus placaretur et pristinam redderet sanitatem, repente comperit suum divinitus extendi brachium, quod longo ante tempore fuerat curvum. De quo eadem hora sanato cruor uberrime fluens gloriosum astanti populo et insolitum præbuit spectaculum. Quantas tunc laudes multitudo fidelium Domino decantaverit, quantis confessorem præconiis extulerit, lectori relinquimus æstimandum.

XXII. Unum inter cætera est apud nos factum, non majus quam prædixi, sed tam clarum atque illustre miraculum ut nullum, arbitror, in toto pago Turonensi qui hoc et non viderit, et audiendo non didicerit, nullum qui oblivisci aliqua ratione potuerit vel debuerit. Quidam enim senex rusticanus, nomine Herbetus de vico qui dicitur Noviacus: cum die medio æstatis tempore purgaret triticum in area, invasus a dæmone, spumans et evomens, æstuans et fremens, post triduum amisit linguæ officium. Cumque nullum omnino per sex dies per se sumeret cibum, ad beati Martini tumulum a suis deductus; quo tacto, tria ibi simul miracula sub momento Christus operatur: dum nequam spiritus effugatur, linguæ nexus enodatur, homo ab omni languore liberatur. Demum cum pro gratiarum actione ad capsam sancti confessoris duceretur, rogabat circumstantes tam laicos quam presbyteros ne hostem suum, utique dæmonem, post se venire permitterent. Hoc igitur signum, quod breviter juxta veri fidem perstrinximus, toti civitati Turonicæ, ipso narrante, innotuit.

XXIII. In festivitate itaque protomartyris Stephani, quæ æstivo tempore celebratur, cum nocturnam synaxim clerici decantarent, quidam paralyticus de vico qui dicitur Puteolus, per multos

annos omni membrorum officio destitutus, ad tumbam sancti cum aliis quampluribus excubans, diu optatæ redditus est sanitati. Quem Alermus de Carenciaco, vir nobilis, dominus ejus, multique alii cum illo utriusque sexus et diversæ ætatis, quantas ibi præ gaudio lacrymas fuderint, quantas tibi, bone Jesu, gratias egerint, non est nostræ facultatis edicere.

XXIV. Petrum quoque quemoam puerum, notis honestisque parentibus in confinio civitatis Aurelianensis procreatum, quem morbus, non natura, per biennium curvaverat, nec oculos ad cœlum levare permittebat, vidimus eodem erecto toto corpore alacriter deambulare, virtutemque sancti confessoris populis undique advenientes, ostensa incolumitate, manifestare.

XXV. Nec minus et alius puer, ab urbe Cenomannica delatus, quem Ingelgerius comes Andegavorum diligenter nutriri fecerat, et in filium adoptaverat, ut sancti mausoleum attigit, ab eadem incommoditate sanus factus est.

XXVI. Per idem tempus alius puer, nomine Guffierius, diutina membrorum debilitate contractus, cum a matre sua per jumentum ad memoriam sancti adduceretur, longe adhuc positus, id est, quarto ab hac urbe milliario, sensit sibi dari divinæ virtutis remedium. Qui statim descendens de animali cui insidebat, ad locum confessoris concito gressu sanissimus advenit, vetustamque infirmitatem, quam perpessus fuerat, novamque incolumitatem, quam sibi Christus per beati Martini merita præbuerat, fidelibus in communi audientia exposuit.

XXVII. Mulierem quoque de Barbivio, cui nomen erat Ermengardis, cum ad memoriam viri Dei accedere festinaret, in ipso itinere adhuc longe positam *visitavit Oriens ex alto* (*Luc.* I, 78). Egressa siquidem de domo sua, sicut ipsa narrante didicimus, ut ad vigilias sancti accurreret, oculorum lumen, quod longo tempore perdiderat, stupentibus qui comitabantur eam, in via recepit, ducemque sui ulterius non requirens, ad locum quem optaverat pervenit; ubi oratione fusa, dataque solemniter oblatione, cum gratiarum actione sequenti die lætabunda et incolumis ad sua remeavit.

XXVIII. Circa idem tempus duæ infelicissimæ mulieres, quarum nomina memoriam meam præterierunt, molestia fistulæ diu laboraverant, quæ per septimanæ circulum totam suis basilicam replentes clamoribus, viscera nostra calamitosis planctibus turbaverant. Denique Pater misericordiæ earum miseriæ et nostræ, præstita illis pariter sanitate, finem imposuit.

XXIX. Sub ipso tempore alia puella toti nostræ civitati præ diuturna cæcitate cognita, ad tumbam servi Dei cum lacrymis et precibus pernoctans per aliquos dies, depulsis veteribus tenebris, peregrinum lumen sub momento recepit.

XXX. Hoc non prætermittendum æstimo quod A venerabilium personarum relatione me didicisse gaudeo. Theophania, Christi famula, abbatissa monasterii beatæ Mariæ perpetuæ Virginis, quod Bellusmons dicitur, religiosis muneribus sanctum Dei honorare cupiebat. Cum itaque cereos quos ut offerret ei præpararet, ecclesiasticis, ut assolet, occupata negotiis deferre tardaret, cuidam ejusdem famulo, nomine Bosogono, boni testimonii viro, beatus Martinus per visum noctu apparuit. Quem benigne alloquens, blandaque manu caput ejus demulcens: Eia, inquit, frater, surge, et ad dominam tuam proficiscere, dicesque ex mea parte quatenus munuscula quæ mihi se daturam devoverat ulterius reddere non differat. Quo dicto, cum Bosogonus evigilaret, et quid domina sua sancto confessori promiserat penitus B ignoraret, ad eam velociter currit, et quid sibi sanctus dixerat revelavit. Sanctimonialis vero femina cum narrantis verba audisset, promissionis suæ statim reminiscens, seque de negligentia sua redarguens, ut tandem vota compleret, cum festinatione venit, cereosque quos jampridem confessori spoponderat solemniter ei et devote reddidit.

XXXI. Heryeus quidam juvenis de territorio Pictavensi, cum circiter decem per annos aridum brachium spe obtinendæ sanitatis per plurima sanctorum loca deferens, nullum adhuc laboris sui fructum percepisset, in vigilia sancti Laurentii, quæ dies Dominica habebatur, cum aliis fidelibus pia mente et fide devota ad sepulcrum benignissimi Patris accessit. Quod cum factum fuisset, meritis sanC cti confessoris sospitatem diu desideratam, omni populo in laudes Christi acclamante, eadem hora recepit.

XXXII. Quodam nihilominus die duo juvenes, surdi pariter et muti, quorum alter Draco vocatus, de vico quem Launacum vocant, alter vero dictus. . . . . de vico quem nominant Cameliacum, mausoleum piissimi confessoris pulchra fide certatim deosculantes, officium linguæ simul et aurium, quem natura eis denegaverat, meritis sancti viri una eademque hora percipere meruerunt.

XXXIII. Item ipso die, quædam mulier, Hildegardus nomine, de vico qui dicitur Novus burgus, eodem quo et præfati juvenes infortunio damnata D parem cum eis gratiam a Christo adepta est.

XXXIV. Postea in solemnitate beati Laurentii, cum Andreas puer, de Oratorio septennium transfigens, in nubilo cæcitatis, tractus a matre ad locum confessoris pervenisset, statim in conspectu populi circumstantis, tenebris inter ulnas suæ genitricis ignotum diem subito videre promeruit.

XXXV. Sub ipso die quædam mulier, nomine Aiga, de castro quod Cormanacum vocatur, contractorum artuum debilitate per quinquennium mœsta, piissimi Patris meritis pristinæ restituta est sanitati.

XXXVI. Puellam quoque de Asaiaco, Hildegardis nomine, eodem die Christus ab eadem calamitate ad honorem servi sui liberare dignatus est.

XXXVII. Item ipso die, puer quidam, Fulco nomine, de vico Sancti Clementis, longo tempore debilitatum pedem baculo circumferens, mox ut tumbam sancti tetigit, omni dolore caruit, et cum eo alius qui manus officium amiserat sospitati redditus abscessit.

XXXVIII. Post hoc puer quidam de Semblénciaco, Joannes nomine, qui annuo morbo fistulæ in brachio adeo confectus erat ut consumptis putredine carnibus etiam corrosa vermibus ossa ab intus decíderent, ad tumbam sancti antistitis aliquantis diebus excubans, et Dominum Jesum ut sui misereretur aliquantis gemitibus exorans, effugata peste mortifera, pristinaque sanitate meritis beati Martini integre recepta, populo magna, nobis majora, sed suis maxima præbuit gaudia.

XXXIX. In hoc etiam fuerunt admiranda et ubique præconanda sancti confessoris merita quod, non minus absentes ægros et longe positos quam præsentes, id est tumulo suo assistentes, si firmam spem et fidem habuerunt, per Christi gratiam curare consuevit. Ad hoc præsens non unus aut duo, sed plures deducantur in medium. Garinus, puer de Faia, vertigine capitis totiusque corporis molestia vexabatur. Nec minus per idem tempus puella, Ermengardis nomine, de vico quem Bucseias nominant, maledicto iratæ matris, imo potius inscrutabili Dei judicio, contractarum manuum injuriam patiebatur. Ili itaque cum pro ipsis parentes et propinqui sui fide pleni votum facerent, et eos ad locum sancti adducerent, adhuc longe in via positi, diu desideratam incolumitatem a Christo per beatum Martinum se percepisse gratulati sunt.

XL. Sub ipso tempore erat apud Salmurum castrum mulier opulenta et multis nota, sed nomen ejus memoriam meam fugit, quæ contractarum palmarum infortunium incurrerat. Hæc etiam audita fama signorum quæ per famulum suum Christus operabatur, cum quadam nocte se in lecto recepisset, ut sequenti die vita comite ad vigilias sancti confessoris cum oblatione digna properaret, obdormivit, statimque evigilans, tanta facilitate manus renovatas aperuit acsi in eis nullam prius ægritudinem passa fuisset. Deinde facto mane, ut votis satisfaceret, locum sancti adiit; ubi fusa cum lacrymis oratione, exhibitaque solemniter oblatione, læta et incolumis ad sua recessit.

XLI. Erat nihilominus Osanna in confinio Caynonis castri, quæ diuturna totius corporis incommoditate laborabat. Sed et ipsa tantarum virtutum audita potentia, cum ad memoriam sancti gratia recuperandæ incolumitatis pedibus suis ire nequiret, vehiculum sibi præparari fecit. Quod cum ascendere voluisset, eadem hora divinæ virtutis sensit sibi adesse remedium. Denique relicto vehiculo, gressu concito ad sepulcrum beati Martini lætabunda cum oblationibus venire non distulit, sanitatemque meritis sancti antistitis sibi divinitus præstitam populo circumstanti ex ordine retulit.

XLII. Gaufridus quoque puer de vico qui dicitur Blarenciacus ab eadem calamitate, eodem tempore, interventu sancti confessoris sub momento liberatus est.

XLIII. Per idem tempus, femina quædam de Montaureo castro, nomine Ermengardis, fracti et aridi lacerti infortunio per quinquennium damnata beati materiam miraculi præbuit. Cunctis siquidem unius mensis noctibus ad ejus mausoleum cum multo fletu et gemitu contenta vigilans, tandem divinitus visitata est. Brachium enim illius, osse reintegrato, venis repletis, nervis renovatis, finito mense revixit, suoque corpori non segnius quam alterum ad usus necessarios postea ministravit.

XLIV. Nec minus eodem tempore puer quidam de vico cui nomen est Senterius eodem detentus incommodo similem gratiam divinitus adeptus est.

XLV. Sed puella nomine Menoldis de vico quem Montricardum nominant, dum quadam nocte æstivo tempore cum messoribus in area quiesceret, repente conspexit teterrimos spiritus in specie militum armatorum super se discurrere et se vehementer opprimere. Qua horrenda visione exterrita, et pene amens effecta, eadem hora usum loquendi amisit. Cum vero post trium septimanarum circulum ad tumulum sancti a suis deducta fuisset, mox in laudes Christi et famuli sui Martini os aperuit, quod sibi dæmonum terribilis effigies divina permissione concluserat. Hoc etenim putavimus factum ut opera Dei per beatum Martinum in ea manifestarentur.

XLVI. Duas quoque puellas, quarum Legardis de vico cui nomen Espeniacus, altera vero de castro quod Vilencastri nuncupant, ille qui *bene omnia fecit*, una eademque die surdas pariter et mutas ad honorem famuli sui *fecit audire et loqui* (*Marc.* VII, 37). Proinde quantas ibi populus de diversis regionibus ad memoriam sancti confessoris aggregatus Creatori laudem persolvit, nullus narrando explicare poterit mortalium.

XLVII. Item ipso die puerum quemdam, Guillermum nuncupatum, de castro quod Prulliacum vocant, cui totum tergum gibbus deformis in spina succrescens opprimebat, Dominus misericorditer visitare dignatus est. Cum enim ab utero matris esset totus curvus, sublato gibbo venustatem formæ quam sibi natura negaverat, per beatum Martinum innovatus et erectus, flente præ gaudio plebe et gratias agente, sub momento recepit.

XLVIII. Item sequenti die puella, nomine Joanna, de vico qui Crevanturus dicitur, debilitate contracti corporis biennio damnata, palmarum et genuum officium coacta verterat in usum pedum. Mox vero ut ecclesiam beati Martini puro corde et mente non ficta ingressa est, in medio turbæ circumstantis repente sanitatis diu optatæ munere per beatum Martinum lætificata est.

XLIX. Item ipso die quidam puer, nomine Bernardus, de castro Montesauro, decennio vexatus

parem divini muneris gratiam se recepisse gratulatus est.

L. Nec hoc prætermittendum existimo quod multis fidelibus notum esse non dubito. Quidam infantulus infirmata vesica calculosus erat effectus. Hic a matre sua spe obtinendæ sanitatis ad sancti viri sepulcrum delatus est. Cumque totam noctem illam nimiis arctatus doloribus duxisset insomnem, solius mortis adventum præstolabatur. Denique facto mane imminet ei conatus ejiciendæ urinæ. Quod mater ut comperit, statim manum virgulæ parvuli sui supposuit, ejectumque instar fabæ calculum, sequente urina, suspiciens planctum in gaudium, lacrymas in laudes vertit, et eadem hora cum rediviva sobole ad propria remeavit.

LI. Interpositis autem paucis diebus puella quædam, Vinargandis nomine, de oppido quodam in pago Bituricensi sito quod Paludellum vocatur, ab ipsis cunabulis oculorum luce fraudata, postquam sancti confessoris tumulum osculari meruit, depulsis veteribus tenebris, coram omnibus qui ibi aderant, favente Deo, clarissimum sub momento visum recepit.

LII. Deinde procedente tempore duo pueri quorum unus ex oppido Castellione nuncupato, nomine Petrus, alter vero de viculo cui nomen est Luciacus, territorio Bituricensi, Guillermus et ipse nuncupatus, ambo immundorum spirituum infestatione horribiliter vexati, dentibus vehementer stridebant, semetipsos et omnes sibi propinquantes morsibus dilacerabant. Quamobrem funibus astricti, sensu funditus perdito, ad locum ubi sancti viri corpus honoratur non sine magno labore adducti sunt. Qui per aliquot dies ibidem commorati, Domino miserante et beato Martino intercedente, a malignorum spirituum rabie liberati, sensu reddito, incolumes ad propria sunt reversi.

LIII. Circa idem tempus duo fabri, quorum alter de castello Busenciaci, Robertus nuncupatus, alter de Argeio, Gaufridus vocatus; brachiis longo tempore arefactis, manibus contractis, diuturnæ otiositati, non voluntariæ . . . . . sed vacabant. Isti igitur cum precibus et votis ad tumulum hominis Dei aliquantis noctibus vigilatis, optatæ per biennium sanitati una eademque hora pariter sunt restituti.

LIV. Nec hoc silendum puto quod in conspectu multorum factum scio. Filia cujusdam mulieris in Turonica civitate, febrium igne succensa vexabatur, et ita æstuantis corporis accensio puellulæ medullas corpusque consumpserat ut in ea spes vitæ nulla remaneret, sed desperatione conclamata sequeretur. Quid plura? Medicorum remedia subtrahuntur, solus luctus matri reservatur. Quæ ad beatum virum totam spem convertens tollit corpus jam fere, ut diximus, exanime. Cumque a multis admoneretur ut cadaveri exstincto sepulturam præpararet, fide plena sobolis suæ deferens membra præmortua ad tumulum viri Dei flens et ejulans accurrit; ubi exhibita oratione simul et oblatione, protinus puella, omni dolore effugato, totius incolumitatem corporis beato mediante Martino se recepisse in momento gavisa est.

LV. Item huic simile non debeo reticere miraculum. Ipso die alia mulier apud Pontem Cari lugebat parvulum jam imminente mortis periculo desperatum. Cumque et infans solam necem operiret et mater de sepultura ipsius jam cogitaret, admonetur a fidelibus quatenus infantulum devovens ad memoriam sancti viri afferret. Quod cum fecisset, puerulus sanitatem recepit, et mater cum sobole lætabunda ad sua repedavit.

LVI. Multa quidem miracula prætermittimus quæ vidimus et audivimus, ne lectori fastidium facere videamur. Quod autem scribimus coram Deo testificamur, quod ad sancti hujus, de quo loquimur, venerabilem memoriam, qua sæpe imbecillium sanantur infirmitates plurimorum. Cæcis quippe restituitur visus, illisque ipse mundus aut datur novus, aut redditur perditus. Otiosis surdorum auribus fugata insensualitate tribuitur proprio sensu uti. Manus pedesve morbo debilitati optato restituuntur officio. Reparantur paralytici, renovantur aridi, a dæmonibus liberantur energumeni. Sed quid moramur in singulis? Enumeret sanitates cui vacat enumerare infirmitates. Ut omnia compendiose claudamus, quisquis plenus fide ad ejus tumulum incommoditate qualibet accessit affectus, opem sanitatis, quam digne et fideliter expetit, divinitus obtinuit.

Sed et nunc ad miraculorum gratiam revertamur. Vodium nomen est prædii ubi jacebat ægrotus Hugo nominatus. Hic itaque multis diebus toto corpore debilitatus, sæpissime a propinquis admonitus ut auxilium beati Martini puro corde imploraret seque ei tota devotione committeret. Quorum suggestionibus ille jam morti proximus acquiescens, mox ut beato viro firma fide sese devovit, paulatim morbo recedente cœpit convalescens lecto relicto deambulare. Sequenti die aggrediens iter ut ad memoriam sancti viri venire tentaret, tantam in ipsa via divinitus adeptus est valetudinem, ac si nullam prius passus fuisset ægritudinem.

LVII. Est operæ pretium de tribus hydropicis rem gloriosam memoriæ thesauro commendare. Isti siquidem diversis in locis positi, eodem incommoditatis genere detenti, cunctis hydropico morbo artubus tumefactis, recuperandæ aliquando sanitatis spem amiserant. Ex quibus primus erat de pago Cenomanensi, ex oppido Malicorna nuncupato. Secundus de provincia Andegavensi, ex vico quem Burgulium vocant. Tertius de territorio Pictavensi, de burgo, qui dicitur Estubiliacus. Tres igitur isti pari loco salvatoris clementiam ut sibi sanitatem meritis beati Martini indulgeret jugiter flagitantes, diversis provinciis, sicut supra taxavimus, constituti, paris spiritualis medicinæ gratiam consecuti sunt.

LVIII. Eodem nihilominus die mulier quædam,

Maria nomine, ab eadem qua et tres præfati viri incommoditate liberata est.

LIX. Circa idem tempus alia femina, Nia nomine, de castro Loca, muta, surda et cæca, mediante sancto, sub uno momento visum, auditum et linguæ officium divinitus recepit.

LX. Guillermus quoque parvulus puer ex oppido cui nomen est Montaureus oriundus, cum jam prævalescente morbo morti esset deditus et vicinus, mater eum morientem filium meritis beati Martini tota devotione commisit. Quod cum fecisset, qui necis faucibus jam tenebatur, statim vitæ donatus est.

ANNO DOMINI DCCCLXXXIX.

LUIDBERTUS

ARCHIEPISCOPUS MOGUNTINENSIS.

NOTITIA HISTORICA.

(Gall. Christ. vet., tom. I. in archiep. Mogunt.)

Luidbertus, successor Caroli, ad an. 863, de quo Annales Fuldenses. Memoratur in concilio Suessionensi III, an. 866, cujus præsules in epistola synodica ad Nicolaum papam scripta gratulantur, quod ipsius beneficio munere donatus est pallio pontificali, et ob sanctitatis ejus reverentiam, sapientiæ amplitudinem, interventu Caroli Calvi regis, huic synodo eum aggregari expetierunt. Conventui Metensi, an. 868, apud sanctum Arnulfum, et Aquisgrani, an. 870, in conventionibus habitis cum Ludovico et Carolo regibus, ut tradunt Capitularia Caroli Calvi, necnon dedicationi metropolis Coloniensis interfuit an. 873. Sub ejus pontificatu, concilium Moguntiacense III, congregatur occasione Arnulphi regis, et disciplinæ Ecclesiasticæ propter incursiones Normannorum reformandæ gratia. Fundavit collegiatam Sancti Mauritii in urbe; ad eum vero exstat epistola Otfridi monachi, quæ ad calcem opusculorum Hincmari legitur; et Joannis VIII papæ apud Ivonem cap. 51. Demum ex hac luce migravit an. 889, depositus ad sanctum Albanum. Plura de illo memorant Regino, Otho Frisingensis, Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, Aventinus Annalium Boiorum lib. IV, Serarius, et Annal. Francorum Fuldensium scriptor, qui eum nobilem archiepiscopum, probitate morum insignem et doctum appellat.

LUIDBERTI EPISTOLA AD LUDOVICUM REGEM.

(Biblioth. Patr. max., tom. XVI.)

Domino piissimo, et amantissimo, atque in fide catholica florentissimo, regi Ludovico, Luidbertus archiepiscopus, sanctæ Dei Ecclesiæ vernaculus, præsentem et perpetuam in Domino salutem.

Tacendi vel deliberandi inducias non habeo, neque enim silere me causa permittit, quam si relinquo, apud Dominum nostrum Jesum Christum, cujus interest, inexcusabilis ero, et vobis promissam humanitus fidem temerasse convincor, qui in specula, qua constitutus sum videns periculum vobis imminens, desidiosa vel infideli taciturnitate dissimulem, et Ecclesiæ Dei, cujus indignus curam pastoralem ac sollicitudinem suscepi negligens effectus, mercenarius potius esse videar, quam pastor. Quatitur namque graviter et dehonestatur primatus et dignitas ejus in sede sancti Petri, eo quod inaudita quadam et occulta persecutione, non ab infidelibus et Dominum nescientibus, sed ab eis (quod dolendum et plangendum est) qui duces et rectores populi Dei esse debuerunt, injuriis appetitur, humana divinis præferre conantibus; et necesse est dolorem qui constat in capite, nisi salubris et velox medicina succurrat, paulatim per membra diffundi. Igitur quamvis noverim prudentiam vestram humanis admonitionibus non egere, quæ sincerissimam de gratia Spiritus sancti hausit doctrinam, mei tamen officii est, et acta patefacere, et agenda demonstrare. Scitis periculum populi Dei, quod terribiliter imminet; neque latere vos potest, quod ubique auditum; ipsa quoque (ut dicam) elementa tremiscunt, ut rectores, qui saluti infirmorum studere debuerant, relicto salutis tramite, eunt in præceps, et sequentibus se foveam perditionis aperiunt. Unde prudentiam vestram veritatis et justitiæ amatricem exhortor, ut secundum datam vobis divinitus sapientiam, cum scientibus legem Dei, et justitiam ejus diligen-

tibus, tractare studeatis, quomodo, remotis dissensionum scandalis, quæ zizaniorum Sator subdola machinatione spargere nititur, pax Ecclesiis et unitas optata reddatur, et celeriter vigilantiæ profectus adhibeatur, ne vulneribus locum præbeat incauta securitas. Neque enim totum adhuc corpus Ecclesiæ læsum est, quanquam capite injuriis pulsato membra quædam debilitata esse videantur; et ideo cum illis quæ sana esse constiterit infirmantibus, si forte medicinam suscipere patiuntur, succurrendum erit: alioquin imputanda erunt, secundum veri medici nostri præceptum, ne totum corpus eat in perditionem (*Matth.* v). Quapropter necessarium mihi videtur et utile, ut religiosus princeps Carolus, frater vester, legatis atque litteris a vobis destinatis, super hoc negotio mature conveniatur, ut tam ipse, quam sacerdotes regni ejus, qui hactenus ab hujusmodi sordibus mundi sunt, vobis et vestris episcopis adjungantur, eamdemque curam et sollicitudinem vobiscum participent, quatenus posteaquam cum auxilio Dei prospere et pacifice de itinere, quo ire disponitis, reversi fueritis, pari consensu et communi studio pacem et concordiam sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, orthodoxis dogmatibus, adjuvante Domino, reformetis.

SÆCULI IX

AUCTORES ANNI INCERTI.

AUXILIUS

FRANCUS PRESBYTER.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Fabricium, Bibliotheca mediæ et infimæ Latinitatis.)

Auxilius Francus presbyter a Formoso ordinatus circa an. 894, scripsit *libros II de ordinationibus a Formoso factis*, contra Stephanum VII Sergiumque (*a*), et contra intestinam Romanæ Ecclesiæ discordiam, sive, ut Sigebertus c. p. 142, *super persona Infensoris et Defensoris, de ordinationibus exordinationibus et superordinationibus Romanorum pontificum, et ordinatorum ab eis exordinationibus et superordinationibus.* Edidit Joannes Morinus ad calcem operis præclari de sacris ordinationibus, pag. 318 edit. Paris. 1655, et edit. Antwerp. 1694 pag. 285-294, unde repetuntur in Bibliotheca Patrum Lugd., tom. XVII statim in limine, et in recentioribus editionibus tomo XII Baronii. Ejusdem *Dialogus super causa et negotio Formosi papæ* apud Mabillonium tom. IV Analect., pag. 610-624, et edit. novæ p. 28, 32, 39. Auxilius Francusne fuerit, an Italus, incertum est, cum ipse nihil ea de re prodat. Ordinatum se a Formoso papa quanquam affirmare videtur, non facile tamen affirmanti assenserim, nam et alibi scribit assedisse se cum cæteris episcopis synodo cuidam Romæ a Nicolao I pontifice habitæ, cum profecto constet Nicolaum Formosum præcessisse. Quamobrem cum ait in dialogo se ordinatum a Formoso, loquitur non in sua, sed in persona clericorum, qui cum ordines a Formoso recepissent, validitatem ordinationis hujus suæ defendebant. Hæc ego scripsi in meis ad Pagium animadversionibus ad an. 897.

(*a*) Vide Baronium ad an. 903.

AUXILII

DE ORDINATIONIBUS A FORMOSO PAPA FACTIS.

LIBRI DUO.

PRÆFATIO JOANNIS MORINI

Congregationis Oratorii presbyteri.

Qua docetur unde accepti sint, quis fuerit Auxilius; multa ex iis erui posse ad historiam quorumdam pontificum illustrandam; argumenta ipsius non semper scopum attingere; actionem Stephani VII, ponti-

ficis in Formosum ancipitem esse; ei Formosum occasionem amplam dedisse. Nonnulla denique notantur quæ in eo caute legenda sunt.

Cum, anno salutis millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, in itinere quod tum agebam, Tolosa occurreret, in ea octiduum commoratus sum. Interea dum bibliothecam illustrissimi præsulis domini de Montchal archiepiscopi Tolosani, multis codicibus manuscriptis divitem, lustro, incidunt in manus meas hi Auxilii libelli, charactere antiquo, si bene memini, descripti, et ad auctoris sæculum accedente. Multa tum exscripsi, quæ mihi utilia fore prævidebam. Postea cum reverendo P. Viguiero nostrate, et nostræ congregationis presbytero, viro eruditissimo, et antiquitatis, qua sacræ qua profanæ, indagatore solertissimo et perspicacissimo collocutus, monuit me se habere Auxilii libellos manu sua exscriptos ex codice antiquo, quem forte fortuna in monasterio Lotharingico deprehenderat. Monasterium indicavit, sed illius non memini : se postea apographum suum cum alio antiquo codice quem penes se habebat reverendus P. Jacobus Sirmondus, doctorum nemini incognitus, contulisse. Exemplar suum mihi roganti lubens concessit utendum et edendum. Hinc, lector, istos habui libellos quos nunc tibi publice exhibeo. Papyrius Massonus posterioris libelli titulos cardinali Baronio Romam olim transmisit, quos tanti fecit, ut eos, ne perirent, ultimo Annalium tomo nexuerit. Hunc libellum vocat cardinalis *Acta Formosi papæ*. Eodem loco epistolam Auxilii ad Leonem Nolæ episcopum integram exscribit, ut etiam libelli capita ultima 29 et 30, codicis autem nostri cap. 32, nobis exhibent, prioremque libellum Baronio et Papyrio prorsus incognitum.

Quis fuerit Auxilius non liquet. Italus non fuit, ut ipse testatur lib II, c. 31. Ita enim sibi objicit : « Porro cum sis homo exteræ gentis, et apud nos humanæ vitæ subsidiis indigeas, quid at te pertinet nostris resistere disceptationibus ? » Et paulo post : « Si advenis et peregrenis, Ecclesiæ præpositos accusare licet, vel judicare, aut præjudicare, » etc. Hoc autem non diffitetur, imo responso suo supponit. Dicit enim tantum se esse ex eo genere quod apostolus Petrus vocat, *genus electum*, *regale sacerdotium*, gentem sanctam, populum *acquisitionis* (*I Petr.* II), hoc sibi sufficere, ut a testimonio hac in causa perhibendo excludi non possit, velut eo loco pluribus legere potes. Cujus autem fuerit, difficile dictu est, cum hoc in libellis suis non indicet. Francum fuisse vix dubitari potest : sed eo tempore Franci nomine, Germani non secus ac Galli intelligebantur. Uter fuerit non liquet, nec de hoc magnopere laborandum : in fine tamen ejusdem capitis videtur negare se exterum esse, quod initio concesserat Presbyter autem erat, atque a Formoso papa ordinatus, ut ex initio cap. 31 colligi potest. Deinde id videtur probare quod ab episcopis de canonibus et eorum observatione consulitur. Sed cap. ultimo libri primi utrumque evidenter docet, et se fuisse saltem presbyterum, et a Formoso ordinatum.

Ex his autem libellis multa erui possunt quibus lumen affulget nonnullis maximi momenti gestis pontificum, Formosi, Stephani septimi, Joannis noni, et Sergii tertii, quæ obscure admodum historicorum illius temporis partim negligentia, partim penuria, nobis tradita sunt. Hinc constat pontifices Stephanum et Sergium non adeo fuisse sceleratos, nec Formosum adeo sanctum, ut multi sibi persuadent : Stephanum et Sergium probabiles causas, imo in speciem graves, exauctorandi Formosi ordinationes habuisse. Formosus enim a Joanne VIII papa propter varia crimina depositus et degradatus fuerat, et ad communionem laicam redactus, atque ab episcopatu Portuensi expulsus. Joannis papæ sententia in eum edita est tom III Concil. Galliæ, p. 432. Accusabatur cum nonnullis aliis in papæ Joannis vitam conspirasse, in Caroli Calvi imperatoris et Franciæ regis ruinam conjurasse, Romam Saracenis prodere voluisse, ut papam illius excidio involveret, multaque alia crimina perpetrasse, quæ in sententia Joannis VIII referuntur. Ob tam horrenda crimina pontifex fugitivum et contumacem ab omni ministerio sacerdotali et clericali deponit, et anathema in ipsum pronuntiat. Nec hoc Romæ pronuntiasse contentus, sententiam suam ad omnes Galliæ et Germaniæ episcopos Pontigone congregatos, litisque processum mittit per legatos suos, eosque hortatur ut sententiam suam per universas diœceses suas publicari curent, ut videre est præterea tom. III Conciliorum, p. 1, c. 5, concilii Pontigonensis. Cum autem Formosus et criminum ejus consortes in criminibus et contumacia perseverarent, Joannes VIII, biennio post, Trecas in Galliam venit, ubi congregata synodo episcoporum Galliæ et Belgicæ, excommunicationem in Formosum renovat, et consentientibus atque subscribentibus omnibus episcopis, eam iterum ipse fulminat ; ut legere est apud Aimon., l. V, c. 37, et tom. III Conc. Galliæ, in conc. Tricass. XI, c. 4. Scribebat insuper idem pontifex ad varios provinciarum magnates, ut « a consortio Formosi anathematizati » diligenter sibi caverent, ut videre est epistola istius pontificis 305.

Opponebant equidem Formosi, fautores, Marinum papam, Joannis VIII successorem, ab anathemate Formosum absolvisse, et ordinibus suis atque episcopatui redintegrasse. Sed quidquid sit de hac absolutione, regerebant præterea Formosi adversarii eum inique et contra canones procurasse ut a sede Portuensi ad Romanam transferretur, quod hactenus nunquam in hac sede factum fuerat. Omnes enim pontifices ad Formosum usque electi fuerunt ex diaconis et presbyteris Romanis. Crimen illud translationis episcopalis, Romanis moribus plane

insolens, aggravabat Formosi jusjurandum, quo se nunquam Romam rediturum papæ Joanni solemniter promiserat. Non tantum autem redierat, verum etiam pontificatum ambierat, et obtinuerat. Nec sine exemplo ordinationes Formosi iterarunt. Exemplum Stephani IV se sequi prætexebant, qui convocato magno concilio Italorum, Francorum, et Germanorum episcoporum, cum omnium consensu Constantini papæ ordinationem irritam et cassam declaravit, eo quod cum laicus esset, ad pontificatum electus fuerat, et paucis diebus, nullis prope servatis interstitiis, omnes ordines susceperat. Nec Constantini degradatione contenti fuerunt, sed etiam omnes qui ab eo ordinati fuerant, nihil ex ea ordinatione consecutos esse declararunt, ideo iterum ordinandos esse, si Ecclesiæ quibus destinati fuerant eos instanter peterent. His et similibus argumentis et exemplis pontifices illi ausum suum tuebantur. Nitebantur forsan aliis rationibus quas Auxilius præterit, utpote istorum pontificum adversarius.

Nec est de illis reordinationibus et superordinationibus judicandum, ut nunc judicaretur; nondum enim in rem judicatam transierat, et in fidei catholicæ axioma, quamlibet ordinationem secundum Ecclesiæ ritum ab episcopo secundum eumdem ritum ordinato celebratam, validam esse et nullo casu iterandam. Variæ erant et contrariæ de hac re traditiones, variæ observationes, varia et contraria doctorum responsa. Hanc varietatem evidentissime et luce meridiana clarius docent hi libelli, nec disceptationem inter eos de ordinum exsecutione tantum fuisse, sed primo et principaliter de ipsa ordinum substantia. Communi equidem sententia, quantum ex eorum actis colligere est, omnes fatebantur ordinationes secundum præscripta canonum et librorum Ritualium ab episcopis catholicis celebratas, nunquam esse repetendas. Sed de multis quæstionibus quæ in hac materia fieri solent variæ erant sententiæ, quæ nec illo sæculo, nec duobus sequentibus universaliter definitæ sunt, et ideo variæ de his rebus leguntur observationes. Verbi gratia, an ordinatio contra canones usurpata esset ordinatio; an episcopus depositus, degradatus, et ad communionem laicam damnatus, ordinare posset. Alia erant dubia, sed hæc duo potissimum illius temporis pontifices vexaverunt, et ingentes tumultus excitarunt. Testimoniorum ab auxilio pro sententia sua allatorum magna pars scopum non ferit, multaque quorum diversa ratio velut idem sonarent, confundit, nec semper accurate satis examinat an argumenta quibus utitur rem acu tangant. Verum ista lectoris judicio pensitanda relinquimus.

In Stephani pontificis actionem, qui Formosum papam mortuum in judicium vocavit, exhumari jussit, et condemnatum vestibus pontificalibus exui, tribusque digitis amputatis in Tiberim projici, plurimum invehitur: nec ipse tantum, sed recentiores plerique hoc facinus tragice exaggerant, ideoque pontificem illum injuriis et opprobriis onerant, et dilacerant. Actio ista anceps est, et pro vario conspectu variam et contrariam speciem induit. Certo conspectu spectata, crudelis, inhumana, barbara videtur. Plerique omnes historici qui hactenus de hac actione scripserunt, eam sinistre conspexerunt, ideoque pontificem Stephanum innumeris convitiis nulla tantæ dignitatis habita reverentia prosciderunt. At si alio conspectu, eoque dextero, quis eam contempletur, justa, et severa legum observatio apparebit, zelusque pro disciplina ecclesiastica suspiciendus; non secus ac ii laudantur qui viris principibus, aut cognatis, atque etiam filiis sontibus non pepercerunt, sed de eorum criminibus juxta leges vindictam sumpserunt. Verum ista in medio relinquamus, neutri præjudicium facientes; per nos sit hac in causa unicuique velle suum et conspectus. Hoc solum velim lectorem adnotare, totum istud pontificum dissidium ad fidem nullo modo spectasse. Duo tantum spectabat quæ hominum opinationibus erant obnoxia, quorum unum in quæstione singulari versabatur, an Formosi ad papatum promotio fuisset canonica. Pars una hoc affirmabat; negabat altera. Alterum in quæstione universali, sed nondum decisa, et edicto peremptorio confirmata an episcopus depositus et degradatus valide ordines conferret.

Monendus es præterea lector, nonnulla esse apud hunc auctorem quæ evidenter a veritate aliena sunt. Iis notam inurere satis esto; nam ad ea refutanda longum sermonem texere, esset a scopo nostro longissime aberrare. Lib. I, c. 11, Osium accusat Novatianismi, et adversus eum invehitur quatuor sequentibus capitibus, ut et c. 23 lib. II, eo quod canone 1 et 2 concilii Sardicensis dixisse refertur, episcopo qui sedem mutaverit fraude et mercede aliqua, licet excusationem afferat quod plebs eum expetierit, ne laicam quidam communionem esse concedendam. At totum concilium Sardicense, quod velut universale censetur et unum cum concilio Nicæno. Osii sententiam approbat et confirmat; nec illi duo canones Osii esse censentur, sed concilii. « Placetne hoc omnibus? Omnes episcopi dixerunt: Placet. » Deinde modus quo pœnam illam infligunt Patres, adversatur e diametro hæresi Novatianorum. Ostendit enim hanc pœnæ infictionem, aut illius indulgentiam esse in eorum potestate; cujus veritatis negatio Novatianismum constituebat.

Præfatiuncula in lib. II, et in responsione, scribit ordinem per puram coactionem susceptum valere, idque simili absurdo probat et illustrat; quod iterum repetit cap. ultimo libri. « Si quispiam, inquit, nolens credere in Christum per vim baptizatus fuerit, et postmodum in Christum credere acquiescit, nunquid iterum baptizandus erit? Minime. » At ejusmodi baptismus, sic et ordo, characterem non imprimunt, ut docent doctores omnes, et disertissime traditur extra., c. *Majores Ecclesiæ*, § *Item quæritur, De baptismo et ejus effectu.* Nec facit ad rem infantium baptismus; quoniam sicut

sine voluntate propria peccarunt, ita sine voluntate sua baptizantur, et baptismo purgantur.

Lib. II, cap. 12-15, parum considerate loqui mihi videtur de obedientia quæ summo pontifici jubenti debetur. Quanquam enim id quod scribit verum forsan sit in hypothesi quam tractat, tamen generaliter pronuntiatum falsum est et periculosum. Hoc erat cautius explicandum et pronuntiandum. Eadem ratio est distinctionis quam facit cap. 18, lib. II inter apostolicam sedem et in ea præsidentes; cautius erat explicanda. Prætextu enim honoris conservandi throno apostolico debiti, habenæ laxantur conviciatoribus pontificum, unde necessario et evidenter convicia in sedem ipsam reflectuntur.

Temere etiam mihi videtur, cap. 4, lib. II, condemnare Stephani pontificis decretum. Nihil enim de Constantino et ejus ordinationibus statuit, nisi approbante et laudante numeroso episcoporum concilio, quos in eam rem ex Italia, Gallia, et Germania convocaverat. Omnes pedibus, manibusque iverunt in Stephani et clerici Romani sententiam Joannes XII, approbante concilio Romano, annis circiter quinquaginta post Auxilium, longe aliter sensit de sententia Stephani VI, in Constantinum pseudopapam. Nam Joannes ejus imitatione, et ejus facto in exemplum prolato, similem prorsus in Leonem pseudopapam, et ab eo ordinatos, cum universi concilii unanimi consensu pronuntiavit sententiam. Postquam enim ab omni ministerio episcopali eum deposuit, ita de iis quos ordinaverat, definit: « Eos vero quos ipse Leo, neophytus et invasor sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, in quolibet ecclesiastico ordine provexit, apostolica atque canonica auctoritate, et synodali decreto, in pristinum revocamus gradum, quia ordinator eorum nihil sibi habuit, nihil illis dedit. Sicut olim noster prædecessor piæ memoriæ papa Stephanus sententiam tulit de iis qui ordinati fuerant a Constantino quodam neophyto et invasore sanctæ sedis apostolicæ, et postmodum quosdam eorum sibi placabiles presbyteros aut diaconos consecravit. » Sententia autem prima concilii in ordinatos a Leone schismatico, seu VIII, lata fuerat qua data Joannes papa « præcepit ingredi eos in concilium cum vestimentis, atque stolis; et unumque eorum in chartula scribere fecit hujusmodi verba: « Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit. » Et sic eos exutos privavit honore, quem dederat eis ipse invasor et neophytus, atque curialis, et revocavit eos in pristinum gradum. » Hæc præter acta concilii diserte refert Sigebertus ad an. 963. Sed Auxilius argumentis adversariorum pressus, qui Osii in concilio Sardicensi et Stephani papæ in alio concilio decreta illi objiciebant, in hæc incommoda sese conjecit, attente, ut debuerat, non satis considerans, se cum Osio et Stephano pontifice magna et numerosa episcoporum concilia condemnare.

Facilius forsan excusari poterit quod, cap. 15 et 27, lib. I, et cap. 4, lib. II, Liberium pontificem hæreticum vocat et apostatam. Optimos enim habet auctores sibi in hac credulitate præeuntes, sanctos scilicet Athanasium, Hilarium, Hieronymum, et auctorem vetustum libri Vitas Pontificum continentis, a quo hausit Auxilius quæ de Liberio refert. Tanti viri hanc de Liberio opinionem conceperant, eo quod Liberius tædio exsilii et persecutionum ab Arianis inflictarum crudelitate dejectus, tandem Athanasii condemnationi subscripserit, licet hæresim Arianam nunquam fuerit professus. Tria crimina commiserat Liberius quæ famæ de ipsius hæresi vulgandæ, ut ait cardinalis Baronius, ad annum 357, n. 42, occasionem dederunt. « Quod victus labefactarit sacerdotalem constantiam, injuste contra sanctum Athanasium subscribendo; quodque communicaverit, ut ipse fatetur, cum illis quorum communionem hactenus exhorruisset; sed et quod etiam professioni illi subscripserit, quæ licet catholica videri posset, tamen voce illa Nicæna careret consubstantialitatis, quam majores omnes adversus Arianos, magna semper gloria defendissent. » Hujus infamiæ dissemination̄em non parum auxit oppositio quam clerus Romanus duce Damaso, et cives Romani catholici prope omnes fecerunt Liberio papæ ab exsilio Romam redeunti. Publicatis enim quæ humanitus illi contigerant, cum eo communionem colere noluerunt, sed Felici secundo, secessione a Liberio facta, adhæserunt: unde neces, exsilia et martyria multa contigerunt, præfectis Constantii imperatoris Ariani in eos qui Liberii communionem amplecti nollent sævientibus. Qui hæc sigillatim discere cupit, cardinalis Baronii Annales legat ad annum Christi 357, n. 32; seq. cardin. Bellarm. Controv. tom. I, lib. IV, de Pontif. Rom., cap. 9. Cum igitur sententiæ suæ tantos habeat auctores Auxilius, facile excusandus est, ut et multi graves auctores qui ante et post ipsum in eamdem lapsi sunt sententiam, quos inter sanctus Petrus Damianus episcopus et cardinalis Hostiensis, doctrina, pietate et dignitate in Ecclesia celeberrimus.

AUXILIUS DE ORDINATIONIBUS A FORMOSO PAPA FACTIS.

PRÆFATIUNCULA.

Prudens lector, hæc de Scripturarum copiis et sanctorum Patrum documentis pauca deflloravimus, scilicet: Quod si episcopus a propria sede

fuerit pulsus, certa imminente necessitate vel utilitate, in alia Ecclesia quæ præsulem non habet, inthronizari possit, non tamen absque auctoritate duntaxat Romani pontificis; et quod ordinatio illa quam papa Formosus fecit, rata et legitima esse probabiliter ostendatur, etiamsi ipse Formosus, ut aiunt, non rite fuerit ordinatus. Quapropter cui plurima legere minime vacat, hæc breviter congesta, si sensum intendat, ubertim sufficere posse non dubium est.

CAP. I. — *Ablatio ex decretali epistola Anteri Papæ.*

Non transit de civitate in civitatem, vel de minori civitate ad majorem, qui hoc non suo libitu, non ambitu, non propria voluntate facit, sed aut vi, aut propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci aut populi, non superbe, sed humiliter transfertur. Non igitur migrat de civitate ad civitatem, qui non avaritiæ causa, non sponte dimittit suam, sed ut jam dictum est, aut pulsus a sede sua, aut necessitate coactus, aut electione, aut exhortatione sacerdotum et populorum ad aliam civitatem transfertur, et inthronizatur. Hinc est quod Eusebius de quadam parva civitate, apostolica auctoritate mutatus est Alexandriam. Felix quoque de civitate qua ordinatus erat electione civium, propter doctrinam, et bonam vitam quam habebat, communi episcoporum et reliquorum sacerdotum, ac populorum consilio translatus est Ephesum. Hæc Anterus.

CAP. II. — *De sancto Gregorio.*

Cæterum autem si quisquam objectare tentaverit, quod idem Anterus ante Nicænum fuerit concilium, tandem discere non erubescat, quod Pater sanctissimus et doctor mirabilis, Gregorium dico vere theologum, non paucis labentibus annis post Nicænum concilium, ob Ecclesiæ utilitatem de civitate ad civitatem migravit. Nam cum prius unius civitatis Cappadociæ, quæ Samsima dicebatur, fuisset episcopus, beati Basilii, et aliorum episcoporum hortatu et consensu, Nazianzo constitutus est. Deinde Constantinopolim demigravit. Neque enim audiendi sunt qui eum synodali judicio asserunt Constantinopolitana sede projectum. Verum est quia congregati sunt episcopi, sed non adversus eum sed magis adversus inthronizatores ejus, videlicet, quod sine suorum consensu eum inthronizare ausi fuerint. Ipse nimirum sanctissimus Pater testificatur, cujus testimonium utique verum est, quod sedem illam rite acceperit, eique recte præcederit, imo et precibus pulsatus fuerit, ut eam non desereret; sed propter assiduos corporis dolores, exterasque infirmitates; curvamque senectam, istiusmodi precibus assensum præbere noluit; reversusque ad quietem et philosophicam vitam, quam semper amaverat, in qua multiplices ac saluberrimos fructus afferens, quievit in Domino. Hæc autem partim reperiuntur in gestis quæ de vita ejus scripta sunt partim in sermone ipsius qui Syntacterius appellatur. Apertiusque in homilia inveniuntur, quam ipse de se apud Constantinopolim adversus eos disseruit, qui eum sedem illam desiderasse dicebant [a].

CAP. III. — *Nomina episcoporum qui transmigraverunt ad aliam sedem.*

Verumtamen quia de episcoporum transmigratione facimus mentionem, restat ut et alios qui utilitate vel necessitate inthronizati sunt, ad memoriam revocemus. Perigenes in Petris est ordinatus episcopus, sed quoniam cives ejus civitatis eum suscipere noluerunt, Romanæ civitatis episcopus jussit eum inthronizari in Corinthum metropolim, defuncto ejus episcopo, eique, donec advixit, Ecclesiæ præfuit. Dositheum Seleuciæ episcopum Alexander Antiochenus episcopus in Tharsum Ciliciæ demigravit. Reverentius ab areis Phœniciæ in Tyrum migratus est. Joannes de Gordolyde mutatus est in Procoso, et in ea præsedit Ecclesia. Palladius ab Helenopoli, mutatus est in Asponiam, Alexander ab alia Helenopoli in Adriopoli mutatus est. Meletius prius in Sebastena Ecclesia præfuit, et postea Antiochiæ præsul est constitutus. Theosebius ab Apamia Asiæ transfertur in Eudoxiopolim, quæ dudum Salambria vocabatur. Polycarpus de urbe Antapristena Mysiæ, in Nicopolim Thraciæ mutatus est. Hierophilus de Trapezopoli Phrygiæ in Antiochiam mutatus est. Optimus ab Agardamia Phrygiæ in Antiochiam Pisidiæ migratus est. Sylvanus a Philippopoli Thraciæ mutatus est in Troada. Eusebius itaque Pamphili in sexto Historiæ Ecclesiasticæ libro, Alexandrum unius Cappadociæ civitatis episcopum refert, quia cum venisset causa orationis Hierosolymam, detentus sit ab ejus civibus, et in locum Narcissi episcopi constitutus, et de cætero omni vita sua, ipsi Ecclesiæ præsedisset.

CAP. IV. — *De his autem et apud Chronica Græca ita legitur.*

Imperante Romanorum, secundo anno, Artemio, qui est et Anastasius, tertia decima indictione, undecima die mensis Augusti, translatus est de metropoli Cyzico Germanus archiepiscopus Constantinopolim, astante sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis apocrisiario, reverendissimo presbytero Michaelio, consentientibus episcopis, et omnibus presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, et cuncto clero, vel senatu. Quibus omnibus idem presbyter talem fecit sermonem. Divina enim gratia quæ sit semper infirma erigere, et incompleta complere, transtulit, et ordinavit in sacratissimam sedem a Deo servatæ civitatis Constantinopolitanæ, præsentem Germanum sanctissimum archiepiscopum. Hæc autem non ideo præibavimus, ut quasi licitum sit cuiquam episcoporum de se transferre ad sedem, nisi certa imminente necessitate, vel utilitate.

CAP. V. — *Quod BB. Gregorius atque Basilius non ignari fuerint Nicæni concilii.*

His ita breviter commemoratis, revertamur ad ea

[a] Confer hoc caput et sequentia cum cap. 35, lib. VII Hist. Socrat.

quæ paulo superius de B. Gregorio theologo dicere cœperam. Nonne si quispiam, temeritate accensus, objicere præsumpserit quod beatus Basilius, et isdem luculentissimus doctor Gregorius, ignari fuerint Nicæni concilii, et in hujusmodi facto a sancta Romana Ecclesia deviaverint, etiam imperitiæ cachinnum prælebit? Sed animadvertendum est, quod in hujusmodi negotio iidem sancti Patres, Nicænos canones ita intellexerint, quemadmodum Chalcedonensis synodus, necnon et sanctissimus papa Leo, atque Gelasius intellexisse noscuntur, quod in consequentibus liquidius apparebit.

CAP. VI. — *De vitanda episcoporum transmutatione de sede ad sedem, ex concilio Nicæno.*

Propter multam perturbationem, et seditiones quæ fiunt, placuit consuetudinem omnibus [omnimodis] amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videatur admissa, ita ut de civitate in civitatem, non episcopus, non presbyter, non diaconus, transferatur. Si quis autem post definitionem sancti et magni concilii tale quid agere tentaverit, et se hujusmodi negotio manciparit, hoc factum prorsus in irritum ducatur, et restituatur Ecclesiæ cui fuit episcopus, aut presbyter, aut diaconus ordinatus.

CAP. VII. — *Qualiter Chalcedonensis synodus idem Nicænum intelligat.*

Clericos in Ecclesia ministrantes, sicut jam constituimus, in alterius civitatis ecclesia statutos fieri non oportet, sed contentos esse in quibus ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias amittentes provincias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierint. Si quis autem post hanc definitionem susceperit clericum ad alium episcopum pertinentem, placuit, et susceptum et suscipientem communione privari, donec is qui migraverat clerus [clericus], ad propriam fuerit reversus Ecclesiam.

CAP. VIII. — *Quod auctoritate sancti Leonis papæ Chalcedonense concilium sit institutum.*

Auctoritate igitur et apocrisariis beati Leonis papæ, ut in ejus epistolis legitur, Chalcedonensis concilium institutum est atque roboratum. Et propterea memoratus papa discrepare ab illo æstimandus non est.

CAP. IX. — *Sancti Leonis papæ.*

Si quis autem episcopus, civitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, et ad majorem se plebem quacunque ratione transtulerit, a cathedra quidem pelletur aliena, sed carebit et propria ut nec illis præsidat quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per superbiam sprevit. Suis igitur terminis quisque contentus sit, nec supra mensuram juris sui affectet augeri.

CAP. X. — *Gelasii papæ.*

Quisquis propriæ desertor Ecclesiæ, nullis existentibus causis, ad aliam putaverit transcundum, temereque susceptus fuerit, et protervus reverendorum canonum, vel ipse, vel receptor ejus atque provector, instituta non fugiet, quæ de hujusmodi præsumptoribus sacri canones præfixere servanda. Audistis, o æquitatis judices! quomodo Chalcedonense concilium, quod utique a Nicæno concilio nullatenus deviat, statuerit quod absque provinciarum amissione in alterius civitatis Ecclesiam demigrandum non sit. Nihilominus audistis quod beatissimus papa Leo censuerit, ut episcopus, civitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambire non debeat, nec per avaritiam ad majorem se plebem transferre. Id ipsum autem papa Gelasius, ut supra ostensum est, definire videtur. At vero si alicujus prædecessoris pontificis capitulum ad hæc objicere quis præsumpserit, noverit Chalcedonensem synodum, necnon et apostolicos præsules, quorum testimonia prætulimus, Leonem dico atque Gelasium, cuncta præcedentium Patrum, quæ canonice instituta sunt, melius considerasse atque tractasse, quam homines hujus temporis, et idcirco nemo eis præferendus est.

CAP. XI. — *Osii capitulum.*

Nonnulli tanquam validissimum murum objiciunt Osium dicentem : Si quis episcopus per avaritiam aut ambitionem, et ut dominationem agat, sedem mutaverit, nec laicam communionem habeat. Deinde in sequenti capitulo : Etiamsi talis exstiterit ut per fraudes, et quosdam præmio et mercede corruptos, excusationem afferens, ut quasi eum populi petere videantur, nec laicam in fine communionem accipiat.

CAP. XII. — *Quod idem Osius non catholice dixerit :* « Nec laicam in fine communionem accipiat. »

Attendite, quæso, veritatis amatores, quod dicturi sumus, nam quod idem Osius ait : Si quis episcopus per avaritiam vel ambitionem, et ut dominationem agat, sedem mutaverit, libenter amplectimur. Quod autem subjunxit : « Nec laicam in fine communionem percipiat, » æquis auribus audire non possumus. Ubi hoc didicit Osius? præsertim cum synodo Nicæna, quæ inter omnes synodos principatum tenet, in qua ipse etiam cum sanctis Patribus consedit, tale quid non habetur? Quin potius, ut supra intimatum est, humanius definierunt dicentes : Hoc factum prorsus irritum ducatur, et restituatur Ecclesiæ cui fuit episcopus, aut presbyter, aut diaconus ordinatus. Ergo quod dictum est, « Nec in fine laicam communionem accipiat, » non catholicum sed Catharum sonat. Cathari enim Græce, mundi dicuntur, cum prorsus sint immundi. Isti nimirum sunt Novatiani hæretici, qui neminem post culpam pœnitentiam agere posse dogmatizant. Contra quos Dominus per prophetam clamat : *Nolo mortem* peccatoris, *sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII). Sunt et alia quam plurima quibus ostenditur quod peccator, etiamsi in extremo vitæ suæ pœnitentiam petat, non sit abjiciendus, nec desperandus.

CAP. XIII. — *Sancti Augustini de hoc ipso.*

Hinc est quod beatus Augustinus, cujus auctoritas ad instar solis in tota fulget Ecclesia, exponens ad populum quæ sit blasphemia in Spiritum sanctum dicit : Non omnem blasphemiam, nec omne verbum contra Spiritum sanctum prolata, debemus accipere,

quæ in hoc sæculo non remittantur, neque in futuro; sed quamdam blasphemiam et quoddam verbum, videlicet cor impœnitens contra Spiritum sanctum quo in Ecclesia peccata dimittuntur. Verbum valde malum, et nimis impium, sive cogitatione, sive etiam lingua sua dicit, quem patientia Dei cum « ad pœnitentiam adducit, ipse secundum duritiem cordis sui et cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* II). » Hæc impœnitentia non habet remissionem, neque in hoc sæculo, neque in futuro, quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo, quæ valeat in futuro. Sed quandiu quisquis in hac carne vivit, de eo judicari non potest. De nullo enim desperandum est, quandiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit. Paganus est hodie, quid si cras efficietur Christianus? Judæus infidelis est hodie; quid si cras credet in Christum? Hæreticus est; quid si cras sequetur catholicam veritatem? Schismaticus est hodie; quid si cras amplectitur catholicam veritatem [unitatem]?

CAP. XIV. — *Interrogatio super Osii definitione dicentis :* Nec laicam in fine communionem accipiat; *et qui sint canones auctoritate præditi.*

Et hoc non prætereundum existimo : nam, teste beato papa Gelasio in epistola ad Anastasium imperatorem, nulli alii canones auctoritate præditi sunt, nisi quos apostolica sedes suo judicio roboraverit. Quapropter ostendant, si possint, quis ex apostolicis Patribus, quod Osius dixit, « nec in fine laicam communionem accipiat, » firmaverit. Et quia tale aliquid ostendere minime possunt, restat ut ejusmodi definitio, non catholica, sed, ut dictum est, Cathara sonet.

CAP. XV. — *Quo fine suum sapere Osius concluserit.*

Præterea quod adhuc de Osio subjiciendum est, quoniam homines sumus, non absque gravi gemitu exprimere possumus. Iste nimirum Osius Cordubensi Ecclesiæ præfuit antistes, qui quondam apostolicæ sedis apocrisarius, una cum Vincentio et Victore presbyteris, sancto et magno Nicæno interfuit concilio. Postmodum vero Sardicensem synodum, cum ingenti episcoporum numero fecisse legitur, ubi capitula quæ per eum decurrunt statuta fuerunt. Hic autem usque ad Constantii imperatoris tempus in corpore mansit. Iste quidem Constantius Arianæ perfidiæ particeps exstitit. Orta itaque altercatione adversus eamdem hæresim, episcopalis legatio missa est ad Osium in Hispania commorantem; dixitque ad eum : Tu qui Nicænæ synodo præsens adfuisti, dic, quæso, Omousion sicuti nos catholici recte confitemur, id est unius cum Patre substantiæ Filium. An, sicuti Ariani garriunt, Omoiousion, quod est similis cum Patre substantiæ Filium, trecenti decem et octo Patres confiteri decreverunt? Qui, sive per longam ætatem desipiens, seu certe pro assentatione principis responsum dedisse perhibetur, utramque partem recte intendere, quæ confessa fuerit sive Omousion, sive Omoiousion. Cujus sententia ita stulte prolata, non solum a catholicis, verumetiam ab Arianis, uno ore irrisa atque refutata est. Denique in civitate Corduba in qua episcopatum tenuit, post hujusmodi responsum, nomen ejus infra catholicos episcopos antecessores, vel post decessores ejus, minime recitatur.

CAP. XVI. — *Ab hinc præclara sequuntur testimonia, quibus papæ Formosi ordinatio rata et legitima esse monstratur. Sancti Leonis papæ, quod pseudoepiscopi sint abjiciendi, et eorum ordinatio possit rata consistere.*

Nulla ratio sinit ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati. Unde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis tribuendum esse, quod non decretur fuisse collatum? Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in Ecclesiis ordinati sunt, qui ad proprios episcopos pertinebant, et ordinatio eorum consecto judicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita ut in ipsis Ecclesiis perseverent. Aliter autem vana habenda est creatio, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita.

CAP. XVII. — *Sancti Gregorii papæ, quia sicut denuo baptizari quisquam non potest, ita denuo in id ipsum consecrari, ad Joannem episcopum Ravennatis Ecclesiæ.*

Illud autem quod dicitis, ut is qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est, et ab ingenii vestri consideratione extraneum, nisi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo et ille judicatus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit a fraternitate vestra sic sapere : sicut autem baptizatus semel, iterum baptizari non debet; ita consecratus semel, in eodem ordine iterum non valet consecrari.

CAP. XVIII. — *Unde supra in canonibus apostolorum.*

Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, secundam manus impositionem acceperit ab aliquo, deponatur et ipse, et qui eum ordinare tentaverit. Nam eos qui ab hujusmodi baptizati fuerint, vel etiam ordinati, neque fideles, neque clericos esse possibile est

CAP. XIX. — *Anastasii papæ, quod eos quos erat damnationem suam, vel baptizavit, vel ordinavit Acacius, nulla læsionis portio attingat, ad Anastasium imperatorem.*

Nam secundum Ecclesiæ catholicæ consuetudinem, sacratissimum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his, vel quos baptizavit Acacius, vel quos sacerdotes sive Levitas secundum canones ordinavit, nulla eos ex nomine Acacii portio læsionis attingat, quod forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma videatur. Nam et baptismum quod procul fit ab Ecclesia, sive ab adultero, sive a fratre fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum : quia vox illa quæ sonuit per columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur, « Hic est qui baptizat in

Spiritu et igne (*Matth.* III, *Marc.* I, *Joan.* I). » Nam si visibiliter solis istius radii, cum per loca fœtidissima transeunt, nullius contactus inquinatione maculantur, multo magis illius qui istum visibilem fecit virtus nulla ministerii indignitate contingitur. Nam et Judas cum fuerit sacrilegus atque fur, quidquid egit inter apostolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data nulla ex hoc detrimenta senserunt, declarante hoc ipso Domino manifestissima voce, « Scribæ et Pharisæi super cathedram Moysi sederunt, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim et non faciunt (*Matth.* XXIII). » Quidquid ergo in hominum profectum quilibet in Ecclesia pro officio videtur operari, hoc totum complet et implet divinitatis effectus. Ita ille, per quem Christus loquitur, Paulus affirmat. « Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque, neque qui plantat est aliquid; neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus (*I Cor.* III). » A Deo autem non quæritur quis vel qualis prædicet; sed quem prædicet, ut invidos etiam bene Christum prædicare confirmet, quo malo diabolus ipse dejectus est.

CAP. XX. — *Ejusdem, quod mali bona ministrando, sibi tantummodo noceant, nec Ecclesiæ sacramenta commaculent.*

Ideo ergo et hic Acacius, cujus nomen dicimus esse reticendum, male bona ministrando, sibi tantummodo nocuit. Nam inviolabile sacramentum quod per illum datum est, aliis perfectionem suæ virtutis obtinuit, ei autem obfuit. Quorumdam autem in tantum se extendit curiosa suspicio, ut imaginetur, probato a papa Felice judicio, postea inefficaciter in sacramentis, quæ Acacius usurpavit, egisse; ac perinde eos metuere, qui vel in consecrationibus, vel in baptismate, mysteria tradita susceperunt. Nam superbia semper sibi, non aliis facit ruinam.

CAP. XXI. — *Unde supra. S. Augustini contra Parmenianum Donatistam.*

Quod autem in libro Sapientiæ legitur, « Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu (*Sap.* I); » ita intelligendum est, ut desit saluti ejus, ministerium tamen non deserat, quod per eum salutem operatur aliorum. Unde ait Apostolus : « Si enim volens hoc facio, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est (*I Cor.* IX). » Ac si dicat : illis prodest quibus hoc dispenso, non mihi qui fictus sum.

CAP. XXII. — *Quod Bonosiaci clerici cum suis honoribus sint recepti, Innocentii papæ.*

Certum est quod Bonosiaci hæretici comparandi sunt Judæis, eo quod Christum Deum ex Patris substantia ante sæcula negent, sicut Judæi qui ejus divinitatem negaverunt et negant. Unde consequens est ut participium damnationis cum eis habeant quorum errorem imitati sunt. Et infra : Anysii fratris quondam nostri aliorumque sacerdotum A summa deliberatio hæc fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eo remanerent, ac fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur.

CAP. XXIII. — *Nicæna synodus clericos qui cathari dicuntur, ita recipi jubet.*

De his qui se nominant catharos, id est, mundos, si quando veniant ad Ecclesiam catholicam, placuit sancto et magno concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in clerico permaneant.

CAP. XXIV. — *De Anatolio licet male ordinato, tamen non expulso.*

Sancto Flaviano Constantinopolitano episcopo ob catholicam fidem in exilium destinato, Anatolius eo vivente in ejus loco ordinatus est. Ad quem sanctus papa Leo ita loquitur : Decessore enim tuo B beatæ memoriæ Flaviano, propter defensionem catholicæ veritatis ejecto, non immerito credebatur quod ordinatores tui contra sanctorum canonum instituta viderentur sui similem consecrasse. Sed adfuit misericordia Dei, in hoc te diligens atque confirmans, ut malis principiis bene uteretis, et non te judicio hominum provectum, sed Dei benignitate monstrares. Quod vere ita accipiendum est, si hanc divini muneris gratiam alia offensione non perdas. His ergo relectis capitulis, o justitiæ dilectores, audistis liquidius, quod a pseudoepiscopis ordinatio facta possit rata consistere. Audistis etiam quia sicut denuo quisque baptizari non debet, ita nec denuo in eodem ordine consecrari potest. Nihilominus autem audistis, quod eos quos Acacius post damnationem suam ordinavit, nulla portio lesionis attigerit, eo quod mali bona ministrando, sibi tantummodo noceant, ministerium autem maculare non possint, quod talibus officiis Spiritus sanctus C præsideat auctor. Inde nimirum est quod Bonosiaci, qui ad catholicam Ecclesiam redire voluerunt, cum suis honoribus recepti sunt. Inde etiam et Novatiani, ut fuerant ordinati, per manus impositionem suscipiuntur. Anatolius quoque, ut dictum est, magis sacrilegus invasor quam episcopus fuit ordinatus, et tamen a sancto papa Leone non condemnatur, sed potius admonetur, quatenus sacerdotalem benignitatem alia offensione non perdat. Et isti qui sunt ? vel cujus magisterii, cujusve auctoritatis, qui D sacram ordinationem a catholico viro ministratam, et pluribus annis Deo fideliter famulantem, et ecclesiastica officia Christiano populo ministrantem, non catholice sed apostolice subvertere nituntur ?

CAP. XXV. — *De Liberio.*

Quis enim nesciat quod Liberius, heu proh dolor ! Arianæ hæresi subscripserit, et per ejus transgressionem nefandissima scelera sint commissa; multitudo quoque sacerdotum et clericorum interfecta sit et martyrio coronata : residui vero catholici non solum ab Ecclesiis, sed etiam a balneis prohibiti sint. Liberius autem apostata factus vixit annos sex, ordinationes tamen quas fecit in sua stabilitate permanserunt. Nec mirum; revera enim

Judas, quamvis fur et sacrilegus, quæ salubriter inter apostolos gessit, quisquam redarguere non ausus fuit.

CAP. XXVI. — *Quod Vigilii ordinationes nemo removere ausus fuit.*

Hinc est quod Vigilii ordinationes nemo commovere ausus est. Istum namque scias esse Vigilium qui prius Bonifacio papæ insidias molitus est, quatenus eo vivente apostolicam dignitatem sacrilegus obtineret. Sed, resistente senatu, tale quid facere minime potuit. Postmodum vero solitis machinationibus Silverium papam apostolica dignitate exspoliare aggressus est. Quod ille animadvertens, advocatis episcopis, auctoritate sancti Spiritus et apostolica potestate, eum velut Simoniacum et invasorem anathematis vinculis obligavit, et ille, ut mente conceperat, per imperialem potentiam, simulque falsos testes, eumdem apostolicum Patrem nequiter condemnavit, monachicis vestibus, et ad Pontias in exsilium destinavit, sustentans eum pane tribulationis et aqua angustiæ; ibique mortuus est ac sepultus, et confessor effectus est; ad cujus corpus infirmi sanabantur. Vigilius, autem anathematis nexibus merito irretitus, insuper et homicidii crimine nominatim infamatus, nefario ausu se papam instituit. O ineffabilem Dei pietatem! Vigilius, qui jam desperatus erat, servatur ad pœnitentiam. Anthimum scilicet hæreticum patriarcham quem reconciliare spoponderat, reconciliare nolens, longo exsilio, longaque afflictione maceratus, digna factis recepit, et sic demum procul a patria defunctus quievit in Domino. Ordinationes tamen ejus, ut dictum est, in sua stabilitate manserunt. Hæc enim quæ de Silverio et Vigilio retulimus, partim in synodali decreto ejusdem Silverii, partim in Pontificali libro habentur.

CAP. XXVII. — *Quia excepto Liberii sacrilegio, quod pessimum est, Vigilius pejora commisisse dignoscitur quam Formosus.*

His ita de compendio prælibatis, percontari libet quis horum deteriora commiserit? Formosus quidem, ut aiunt, ambitionis causa ab episcopali sede ad apostolicum thronum translatus est. Quod si objecerint depositum fuisse, et postmodum reconciliatum, noverint quia plurimi sacerdotum depositi fuerunt, et postmodum reconciliati, reconciliati, inquam, non denuo in idipsum consecrati. Quippe aliud est reconciliatio, et aliud consecratio. Nam qui semel consecratur, denuo in idipsum consecrari non potest; reconciliari tamen per dignam satisfactionem potest. Nonne quod plurimi sacerdotum post depositionem reconciliati sint, in authenticis apicibus sufficienter habetur? Quod legentibus liquidius patet. His namque digestis Vigilium nefandissima perpetrasse, si homines silent, ipsi etiam lapides clamabunt. Cujus exsecrabile scelus nemo imitari ausus est, vel audebit, nisi particeps factus illius qui dicit: « Ponam sedem meam ad Aquilonem, et ero similis Altissimo (*Isa* XIV). » Porro de sede ad sedem, vel de civitate ad civitatem episcopos transferri, et in decretalibus litteris, ob necessitatem, vel ob utilitatem concessum legimus, et plurimos sacerdotum, etiam sanctos, tale quid egisse non dubium est. Ex quibus exstat beatus Gregorius Nazianzenus, ut supra retulimus. Hæc autem, prudens lector, non ideo prælibare studuimus, ut cuiquam sacerdotum de sede ad sedem, vel de civitate ad civitatem, mutari licitum esse dicamus, sed ut manus impositionem etiam a pseudoepiscopis ministratam, ratam, et justam esse testimoniis comprobaremus.

CAP. XXVIII. — *Quod qui papæ Formosi sacram ordinationem nihil esse, vel fuisse causantur, Christianæ religionis sit inimicus.*

Qua de re qui præfatam ordinationem, falsam et inanem esse vel fuisse confingunt, eoque sacerdotes ac levitas consecrandos esse dogmatizant, quid aliud quam Italiæ regiones, longe lateque, ecce jam circiter viginti annos, absque Christiana religione vixisse garriunt? Ac per hoc, quid aliud restat, nisi ab ejusmodi episcopis per universam Italiam dedicatæ ecclesiæ, altaria consecrata, et chrismata solemniter instituta, prorsus perierint. Similiter autem tam ab episcopis quam a cæteris sacerdotibus, fontes in remissionem peccatorum sanctificati, et missarum solemnia tam in Dominicis diebus quam in aliis festivitatibus, frustra, ut blasphemant, celebrata sint. Oblationes quoque tam pro vivis quam etiam pro defunctis, quod dictu nefas est, tanquam nugaces perierint. Matutinæ seu vespertinæ, ac reliquarum preces horarum, velut ineptæ non sint exauditæ; levitarum ac subdiaconorum officia in vacuum administrata sint, universa Ecclesia quæ huic ordinationi synodicum præbuit assensum, pariter periclitetur, quippe non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt prava facientibus, parilem excipiunt vindictam. O incomparabile sacrilegium! Quis enim de timentibus Deum æquis auribus hoc audire poterit, ut non statim Christiano zelo commotus scandalizetur? Nonne linguam illam quæ talibus implicatur blasphemiis melius fuerat particulatim dari avibus, quam in tantam prorumpere vesaniam? Scimus enim quia necessitatis causa, etiam laico baptizare licet. Sed aliud est, periculo mortis urgente, laicum posse dare baptisma, et longe incomparabiliter aliud est, ad sacerdotum preces ac benedictiones, et chrismatum admixtiones, et cleri ac populi votivas responsiones, fontes in remissionem peccatorum sanctificatos, nihil prorsus, ut isti volunt, sanctificationis habuisse. Quis hoc nisi hæreticus dogmatizare audeat? Et quis talia per hujusmodi os loquitur, nisi de quo Dominus dicit: « Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia veritas non est in eo; cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax, et pater ejus (*Joan.* VIII). »

CAP. XXIX. — *Quod si æmulatoribus illis papa Formosus displiceat, non externis et longinquis, sed Romano populo imputare debent.*

Porro si æmulatoribus illis, papa Formosus istiusmodi facto displicere videtur, ut non recte fuerit ordinatus, quibus hoc imputare debent, nisi Romano populo qui eum elegerunt? Quibus hoc adscribi oportet, nisi clero, et magnatibus Romanæ urbis, qui libenter Dominici corporis et sanguinis hostiam, donec advixit, ab eo percipere studuerunt, eique per universas sollemnitates, atque stationes solito more communicaverunt, et per omnia participes exstiterunt? De cætero autem qui sani capitis est nihil omnino habere se dicit, quod de Formoso illis imputare debeat, qui de longinquis terrarum spatiis, per mille, ut ita dicam, discrimina tremebundi, ad apostolicam sedem profecti sunt, et sacram ordinationem, ut moris est, magis ab apostolo Petro quam ab ejus vicario susceperunt, imo a sancto Spiritu, ut papa docet Anastasius, quod jam supra commemoratum est.

CAP. XXX. — *Utrum vere sit sacerdos, vel levita, vel subdiaconus, qui ad subvertendam eamdem ordinationem se cuiquam juramento constrinxit.*

Igitur quia, necessitate incumbente, de sacris ordinationibus altercatio interposita est, percontari congruum est quid de eo censendum sit, qui sacræ ordinationis, de qua nunc disputatio ventilatur, nullam omnino consecrationem habet, et tamen eamdem ordinationem non solum nihil esse, nihil fuisse, coram testibus profitetur, sed etiam jurejurando subvertere pollicetur. Nunquidnam hujusmodi promissor inter sacrilegos est deputandus, et male conjuratos, qui se ad facinus perpetrandum juramentis obligant? Revera enim tales mundana lex districtius punit, et si clerici fuerint, ecclesiastico judicio a suis dejiciuntur honoribus, de quibus canonica institutio ita se habet.

CAP. XXXI. — *Ex concilio Chalcedonensi de conjuratione vel conspiratione.*

Conjurationis crimen, vel conspirationis, et ab exteris est omnino legibus prohibitum, multo magis hoc in Dei Ecclesia ne fiat admonere conveniet. Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint conjurantes aut conspirantes, aut insidias ponentes episcopis aut clericis, gradu proprio penitus abjiciantur. Illis ergo prolatis testimoniis luce clarius apparet, quod istiusmodi sacerdos, aut levita, vel subdiaconus, inter sacrilegos, et male conjuratos sit habendus, necnon et canonico judicio reprobandus.

CAP. XXXII. — *Quod ad faciendam iniquitatem nulli unquam sit obtemperandum.*

Nonnulli præterea suam apologiam ita prætexunt, dicentes: Cur nobis subversionem ordinationis hujus tempore imputandam esse decernitis? An ignoratis quod ille præcipiat, cui in omnibus penitus obtemperandum est? Absit, inquam, absit, ut cuiquam Deus ad faciendam iniquitatem obtemperandum esse mandaverit, cui Psalmographus canit: « Quoniam non volens Deus iniquitatem tu es. Odisti, Domine, omnes qui operantur iniquitatem, perdes eos qui loquuntur mendacium (*Psal.* v). » Et ipse Dominus ad Jeremiam: « Si separaveris, » inquit, « pretiosum a vili, quasi os meum eris (*Jerem.* xv). » David quoque de se testatur, dicens: « Non sedi in concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi congregationes malignantium, et cum impiis non sedebo (*Psal.* xxv). »

CAP. XXXIII. — *Quod illud Evangelii, Omnia quæ dixerint vobis servate et facite, solummodo in bonam partem accipiendum sit.*

« Super cathedram Moysi, » ait Evangelium, « sederunt Scribæ et Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis, servate et facite (*Matth.* xxiii). » Omnia enim hujusmodi in loco solummodo in bonam partem accipienda sunt. Alioquin Judæi qui Scribarum et Pharisæorum consilio et hortatu Dominum crucifixerunt, immunes a tanto scelere esse debuerant. Sed quam graviter, et qui dixerunt et qui fecerunt peccaverint, et Scriptura testatur, et in posteris eorum usque ad mundi finem protelatur. Quod autem omnia non semper ad totum, sed plerumque ad maximam pertineant partem, non tantum divini apices, quibus magis credendum est, sed etiam gentilium librorum demonstrat auctoritas.

CAP. XXXIV. — *Quod ad scelera committenda nullius excommunicatio sit observanda.*

Sed sive, inquiunt, juste, sive injuste obliget pastor, gregi timendum est, ne elatione tumidæ reprehensionis, culpa, quæ non erat, fiat. Vera quidem sententia, sed non ita intelligenda, ut illud, quod dicitur injuste, sic accipiendum sit, tanquam in illis quæ manifesta ratione Deo inimica esse probantur cuilibet pastori obtemperandum sit. Verbi gratia, si te ad perjurium, falsum testimonium, sacrilegium, vel homicidium excommunicando impulerit, nunquidnam in talibus vel eorum similibus pastoris excommunicatio timenda vel facienda decernitur? Nequaquam. Quippe *non solum qui faciunt* (Apostoli verba sunt), *sed et qui consentiunt facientibus, digni* efficiuntur *morte* perpetua (*Rom.* I). Nam quod pastoribus ad illa quæ Deo inimica sunt consentire non debemus, testatur ipse Salvator, qui, cum ei discipuli dicerent: « Scis quia Pharisæi audito verbo scandalizati sunt? ait, Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum. Si cæcus cæco ducatum præbeat, nonne ambo in foveam cadunt? » (*Matth.* xv.) Ergo et qui ducit, et qui sequitur ad male faciendum, cæci sunt, et merito uterque in foveam damnationis cadunt. Et quo, inquiunt, pacto per Apostolum dicitur: « Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit? Non est enim potestas nisi a Deo (*Rom.* XIII). » Audiantque, In his enim quæ Christiana lex abominatur ac prohibet, nulli unquam potestati obedire, vel consentire debemus, hoc est, non materialibus carnis, non dolosis machinationibus, sed rationabili responsione, atque humillima deliberatione. Quid multa? de Pastoribus ad Apostolum revoca intentionem, qui di-

cit : « Minister Dei est tibi in bonum (*Ibid.*). » Cur addit *in bonum*, nisi quia minister Dei non est tibi in malum ?

CAP. XXXV. — *De observanda excommunicatione, et quod aliud sint pontificales sedes, et aliud præsidentes.*

Præterea si nos Ecclesiarum pastores de nostris offensionibus juste vel injuste obligare voluerint, juste videlicet, si nostra præcesserit culpa ; injuste vero, si non habuerimus culpam. Talis obligatio rectissime formidanda est, et diligentissime observanda, donec per ejus qui obligavit indulgentiam, absolvi mereamur. Nempe aliud sunt pontificales sedes, et aliud præsidentes. Proinde honor et dignitas uniuscujusque sedis regulariter observanda sunt. Præsidentes autem si deviaverint, per devia sequendi non sunt, hoc est, si contra fidem vel catholicam religionem agere cœperint, in talibus eos nequaquam sequi debemus. In his autem quæ rite dicunt, etiamsi non faciant, libenter eis obedire debemus. Hinc est quod botros carpere, et spinas cavere debemus.

CAP. XXXVI. — *De injusta pastoris obligatione.*

Beatus namque Hieronymus exponens Evangelii capitulum : « Quæcunque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta in cœlo (*Matth.* XVIII), » ait : Istum locum non intelligentes episcopi, et presbyteri, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere noxios se arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Hæc sanctus Hieronymus. Per prophetam quoque dicitur : « Mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt (*Ezech.* XIII). » Non morientem quippe mortificat, ut sanctus docet Gregorius, qui justum damnat, et non victurum vivificare nititur, qui reum supplicio absolvere conatur.

CAP. XXXVII. — *Unde supra in Salomone.*

Sicut avis in contrarium volans, et passer quilibet vadens, sic maledictum frustra prolatum, super illum qui misit illud, veniet (*Proverb.* XXVI).

CAP. XXXVIII. — *Item ibidem.*

Anima quæ benedicit, impinguabitur ; qui autem frustra maledicit, ipse in maledictione erit (*Proverb.* XI).

CAP. XXXIX. — *Unde supra sancti Gregorii papæ.*

In omni autem quod de nobis extra dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus ; et si omnes vituperent, liber est tamen quem conscientia non accusat. Quia et si omnes laudent, liber esse non potest, si hunc conscientia accusat.

CAP. XL. — *De universali Concilio expectando.*

Hæc igitur scripturarum collatio, fortassis supervacua quibusdam videtur, eo quod ad præsens tempus non sit, qui æquitatis depromat judicium. Neque enim justitiæ palmam apud eos obtinere possumus, qui contra nos, ipsi sibi sunt judices et testes, pariterque causidici. Attamen juxta beati Hieronymi sententiam, canimus nobis et nostris, scilicet, ut bono animo simus, et bonam nos causam habere, non nobis sed sanctis Patribus credamus, observantes quod scriptum est : « Si Spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne demiseris (*Eccle.* X) : » Et illud, *Tene quod habes*, ne alius *accipiat coronam tuam* (*Apoc.* III). Ideoque in sacro ordine quo consecrati sumus permanentes, præstolamur, universalis concilii æquissimum examen, auctore illo ad quem clamantes dicimus, *Exsurge*, Domine, et *judica causam tuam* (*Psal.* LXXIII) : cui est honor et gloria per infinita sæcula sæculorum.

EJUSDEM AUXILII

DE EADEM QUÆSTIONE

TRACTATUS QUI *INFENSOR ET DEFENSOR* DICITUR.

PRÆFATIUNCULA.

Ad modum interrogationis et responsionis.

Interrogatio super his qui primo per vim, postea voluntarie in eodem ordine consecrati sunt.

Vellem scire quid de illis congrua deliberatione censendum sit, qui primo, ut aiunt, per vim, postea in eodem ordine voluntarie consecrati sunt? Esto ; primitus violentam manus impositionem acceperint, ac per hoc hujuscemodi noluerunt fungi sacerdotio : postmodum vero æquanimiter ministrare sacerdotium præbuerunt assensum : nunquidnam in eodem ordine, in quo dudum per vim consecrati fuerant,

iterum consecrari debuerunt? Nonne juxta sanctorum Patrum definitionem, sic nimirum cavenda est secunda manus impositio, quemadmodum secundus cavendus est baptismus? Sed aiunt : Prima illiusmodi consecratio, quamvis a catholico pontifice, tamen violenta fuit, et propterea pro nihilo ducenda est. Dic, quæso, si quispiam per vim fortassis baptizatus fuerit nolens credere in Christum, postmodum vero se in eum credere voluntarie profitetur, ergone denuo baptizandus est? Non ita sapiebat beatus Alexander patriarcha, quando sanctus Athanasius adhuc puerulus, sed utique jam batipzatus, ad oram maris, quasi sacerdos, quanquam ludendo, vere puerulos baptizavit. Quid plura? Vellem, ut præfatus sum, de hujusmodi sententia ad certam pertingere veritatem. Propositam ergo quæstionem qui novit, obnixe nobis præsentibus dignanter aperiat, quoniam inter illos accipiet coronam, de quibus Danieli per angelum dicitur. « Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi firmamentum, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates (*Dan.* XII). »

Responsio.

Hujus quæstionis ansas manifesta ratio dissolvit. Dicis enim si quispiam nolens credere in Christum per vim baptizatus fuerit, et postmodum in Christum credere acquiescet, nunquid iterum baptizandus erit? Minime. Exemplum de parvulis sume, qui cum alienis manibus deferuntur, quantum in eis est, toto annisu reluctantur, ne in baptismatis fontem mergantur. Sed cum ad rationalem scientiam pertinxerint [pervenerint], etiamsi recordari nequeant quando baptizati sunt, narrantibus tamen indubitanter credunt, et Christianam religionem absque baptismi iteratione colere incipiunt. Hinc quod beatus papa Leo dicit : Si nulla existant indicia inter propinquos et familiares, nulla inter clericos atque vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renascantur, ne manifeste pereant, quia quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum. De his autem qui ex Africa, vel ex Mauritania veniunt, et nesciunt in qua secta sunt baptizati, non se baptizatos nesciunt, sed cujus fidei fuerint qui eos baptizaverunt se nescire profitentur. Unde quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperint, baptizandi non sunt, sed per manus impositionem virtute Spiritus sancti quem ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt. Nonne vides quia Pater sanctus etiam ab ignotis hæreticis baptizatos non iterum baptizandos esse, sed per manus impositionem suscipi jubet? Recolendum etiam quod sanctus Genesius Arelatensis episcopus, cum esset histrio, fictus et ludens baptizatus fuerit; sed cognita veritate, quæ Christus est, sine baptismatis iteratione Christianæ fidei, quam se credere fallaciter spoponderat, veraciter adhæsit. Sed ais : Parvuli baptizati, si in parva moriuntur ætate, non dubium est quod paradisi gaudia partim percipiant; ille autem qui perfectus ætate per vim baptizatus est, si prius ex hac vita subtrahitur quam voluntarie credat in Christum, nunquidnam pro eo tanquam pro fideli orandum est? Præsertim cum Joannes apostolus dicat : « Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut quis roget (*I Joan.* v.) » Peccatum quippe ad mortem, ut ait Augustinus, est fidem, quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem. Hujus quæstionis nodus ita solvitur. Parvulis propterea non est imputandum, quod reluctantes nolentesque baptizantur, quia necdum ratione uti possunt, necdum boni malive distantiam nosse valent. Illis autem qui legitimam ætatem habentes, per vim baptizati sunt, si prius moriantur quam voluntarie in Christum credant, ideo baptismus prodesse non potest, nec pro eis orandum est, quia et rationis capaces fuerunt, et distantiam inter verum et falsum habere potuerunt. His ergo de compendio prælibatis, evidentius patet ut ille qui per vim baptizatus est, si postea in Christum credere voluerit, baptizandus iterum non sit, sed magis hortandus, ut quod invitus suscepit, amando et operando usque in finem custodiat. Igitur per hanc formulam intelligi datur ut qui sacrum ordinem invitus accepit, si postmodum ministrare voluerit, ulterius jam in eodem ordine non sit consecrandus, sed potius admonendus, ut quod per vim coactus suscepit, per dilectionem reverenter ministrare studeat.

Explicit præfatiuncula.

EPISTOLA PRÆVIA.

Ad Leonem Nolanum episcopum.

Reverendissimo domno Leoni sanctæ Nolanæ Ecclesiæ præsuli, Auxilius in Domino salutem.

Missa legatione asseris te violentas pati oppressiones, ut episcopale sacerdotium, quod olim a papa Formoso suscepisti, quasi nihil sit, irritum facias. Qua ex causa fateris te mirificæ solertiæ Francos, necnon et Beneventanæ civitatis peritos consuluisse viros, eorumque consulta apud rescripta [te scripta] retinere, quæ te hujusmodi transgressionem committere manifesta ratione prohibeant. Nihilominus autem cogis me objectionibus, quas adversus eumdem Formosum papam ejusque ordinationes quidam objiciunt, dialogico schemate breviter respondere. Misi quod jam in opusculo ejusmodi altercationis

causatus sum. Attamen quia de una auri materia diversæ conficiuntur species, quæ diversis hominum voluntatibus placeant, orationibus tuis fultus, faciam quod hortaris, ita duntaxat ut in unaquaque objectione prænotetur Infensor, et responsione Defensor. Non hic syllogismorum quæratur arcta conclusio, non peripatheticæ subtilitas, utpote qui discipuli sumus piscatoris, hoc est, apostoli Petri. Et quamquam in ejus navicula sedeamus, tempestatem patimur, invocantes Dominatorem omnium, ut imperet ventis et mari, et fiat tranquillitas magna.

INCIPIT TEXTUS.

CAP. I.—*Quod ordinatio quam papa Formosus fecit, rata et legitima esse probabiliter ostendatur, etiam si ipse Formosus, ut aiunt, non rite fuerit ordinatus.*

INFENSOR. Formosus, propria relicta uxore, aliam abstulit, hoc est, relicto episcopatu, his qui recto ordinandi erant apostolicam abstulit sedem, et propterea reprobus et fictus esse dignoscitur. DEFENSOR. Non mihi curæ est quid fuerit Formosus, sed quod ordinatio quam fecit rata et legitima esse indubitanter patet. INF. Formosus non fuit papa, ideoque ordinatio quam fecit pro nihilo ducenda est. DEF. Non solum in Romano regno, sed etiam procul in barbaris nationibus divulgatum est, quod Formosus per annorum curricula, apostolicus fuerit pontifex. Et idcirco de longinquis terrarum partibus clerici ad apostolorum limina properantes, sacram ordinationem, ut moris est, ab eo percipere studuerunt. INF. Tenuit quidem apostolicam dignitatem, sed fictus, ac reprobus et non legitime ordinatus. DEF. Non ad me pertinet utrumnam recte fuerit ordinatus, sed pertinet ad me ut ordinatio quam fecit rata et legitima esse liquidius ostendatur. INF. Si Formosus fictus ac reprobus fuit, ordinatio quam fecit, qua ratione stare poterit? DEF. Illa videlicet ratione qua sanctissimus Leo papa censuit ut pseudoepiscopi abjiciantur, et ordinatio eorum possit rata consistere; necnon et illa ratione qua papa Anastasius confirmavit ut ordinationes, quas hæreticus Acacius, etiam postquam damnatus est, fecit, in sua stabilitate permanerent. Ordinationes quoque Liberii innocuæ permanserunt, imo et Vigilii ordinationes, qui non solum Simoniacus invasor, sed etiam anathematis nexibus merito irretitus, contra canonicum fas, est ordinatus. Quod ita sit, pene cunctis legentibus notum est. Sancto namque Flaviano propter catholicam fidem in exsilium destinato, Anatolius in ejus loco ab hæreticis ordinatus est, nec tamen a sancto papa Leone damnatus est, sed admonitus. INF. In concilio Nicæno præfixum habetur, ut de civitate ad civitatem non episcopus, non presbyter, non diaconus transferantur. Si quis autem tale quid agere tentaverit, et se hujuscemodi negotio mancipaverit, hoc factum prorsus in irritum ducatur, et restituatur Ecclesiæ cui fuit episcopus, aut presbyter, aut diaconus ordinatus. Sane quod ait, Hoc factum prorsus in irritum ducatur, utrumque intelligi oportet, scilicet ut episcopus de civitate ad civitatem non transferatur, et si translatus ordinationem fecerit, ipsa ordinatio prorsus in irritum ducatur. DEF. Hic quidem nodus in junco quærendus non est. Quis videat quod hujusmodi definitio, nihil obscuritatis habeat, et nihil aliud intelligi possit, nisi prorsus irritum ducatur hoc, quod de civitate ad civitatem transferatur. De ordinatione quam fecit nihil omnino tetigit, quod sequens articulus manifestius declarat dicens, Et restituatur Ecclesiæ cui fuit episcopus, aut presbyter, aut diaconus ordinatus. Si ergo restituitur Ecclesiæ cui fuit episcopus ordinatus, ordinatio quam tunc fecit, quomodo irrita esse potest? INF. Formosus, ut dixi, fictus et reprobus sacrum ordinem ibi non habuit, quomodo aliis, teste papa Innocentio, largiri potuit? DEF. Papa Innocentius hoc de hæreticis protulit, quod tamen non de omnibus hæreticis accipiendum est; juxta quod ipse Bonosiacos clericos, quos tamen antequam damnaretur, Bonosus ordinaverat, cum suis honoribus recipi assensum præbuit. INF. Miror qua fronte dogmatizare potes ut, reprobato Formoso, ejus ordinatio consistere possit, cum membra nullomodo sine capite consistant? Et ut aliquid plus objiciam, quibus ergo imputandum est quod Formosus fallax ac reprobus fuit, si ejus ordinatio illibata persistit? DEF. Romano scilicet clero ac populo, qui eum elegerunt, atque donec advixit, per omnia participes, imputandum est. Mihi autem qui de longinquis terrarum spatiis ad apostolorum limina profectus sum, et sacram ordinationem, ut moris est, magis ab apostolo Petro quam ab ejus Vicario suscepi; imo a sancto Spiritu, ut beatus papa docet Anastasius, ab his qui sanæ mentis sunt, nihil ascribendum esse decernitur. INF. Nolo verborum ambages, sed si vales certis rebus ostende, qualiter a ficto et reprobo consecratore possit ordinatio justa et idonea fieri. DEF. Si judex æquitatis adesset, jam te victum ostenderet. Nunquidnam oblitus es testimonia quæ breviter de sancto papa Leone, et Anastasio, et de Liberio, pariterque Vigilio, etiam et de Anatolio contuli? INF. Acacius rite ordinatus fuit, et ideo ejus ordinationes innocuæ permanserunt. DEF. Ipse nimirum decretalis textus, manifestius ostendit quod pontifex Anastasius de illis baptizatis ordinatisque dicat, quos hæreticus Acacius, postquam a papa Felice damnatus est, baptizavit et ordinavit. Similiter au-

tem et de Liberio qui Arianæ hæresi subscripsit sentiendum est. Jam vero de Vigilio quid dicendum est, qui non solum Simoniacus invasor, verumetiam homicidii reus, et insuper a papa Silverio justissime anathematizatus, eumdemque apostolicum Patrem Silverium in exsilium destinavit; et si sacrilegum papam instituit, ordinationes tamen quas fecit, nemo removere ausus fuit.

CAP. II. — *Testimonia quæ papa Anastasius contulit in defensionem ordinationum quas hæreticus fecit Acacius.*

INF. Dum membra sine capite, ut præfatus sum, consistere minime possint, mirari non sufficio qualiter ficti ordinatores ratas ordinationes efficere valeant. DEF. Qualiter hoc fieri possit prædictus pontifex Anastasius probabilibus astruit documentis. Ait enim inter cætera, secundum Ecclesiæ catholicæ consuetudinem, nullum de his vel quos baptizavit Acacius, vel quos sacerdotes sive levitas secundum canones ordinavit, nulla eos ex nomine Acacii portio læsionis attingat. Hinc est quod baptismum quod procul fit ab Ecclesia, sive ab adultero, vel a fure fuerit datum, ad percipientem, munus pervenit illibatum. Quia vox illa quæ sonuit per Columbam omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur, « Hic est qui baptizat, in Spiritu et igne (*Matth.* III; *Marc.* I; *Joan.* I). » Nam si visibiliter solis istius radii, cum per loca fetidissima transeunt, nullius contactus inquinatione maculantur; multo magis illius quæ istum visibilem solem fecit virtus nulla ministerii indignitate contingitur. Nam et Judas cum fuerit sacrilegus atque fur, quidquid egit inter apostolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data nulla ex hoc detrimenta senserunt. Sic ille, per quem Christus loquitur, Paulus affirmat : « Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus (*I Cor.* III). « A Deo autem non quæritur quis, vel qualis prædicet, sed quem prædicet, ut invidos etiam bene Christum prædicare confirmet, quo modo diabolus ipse dejectus est. Ideo ergo et hic, cujus nomen dicimus esse reticendum, male bona ministrando sibi tantummodo nocuit : nam inviolabile sacramentum quod per illum datum est aliis perfectionem suæ virtutis obtinuit, ei autem obfuit. Quorumdam autem se in tantum extendit curiosa suspicio, ut imaginetur, prolato a papa Felice judicio, postea inefficaciter in sacramentis, quæ Acacius usurpavit, egisse, ac perinde eos metuere, qui vel in consecrationibus, vel in baptismate ministeria tradita susceperunt.

CAP. III. — *Quomodo Spiritus sanctus disciplinæ effugiat fictum, tamen ejus ministerium non deserat.*

INF. Quomodo ergo in libro Sapientiæ scriptum est, « Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu? » (*Sap.* I.) DEF. Hoc beatus Augustinus contra Parmenianum Donatistam ita exponit : Quod autem scriptum est, « Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, » ita intelligendum est ut desit saluti ejus; ministerium tamen non deserat, quo per eum salutem operatur aliorum. Unde dicit Apostolus : « Si enim volens hoc facio, mercedem habeo; Si autem invitus, dispensatio mihi credita est (*I Cor.* IX). » Ac si dicat : illis prodest, quibus hoc dispenso, non mihi qui fictus sum. INF. Quod Spiritus sanctus ministerium ficti sacerdotis non deserat, aliud mihi exhibe testimonium. DEF. Idem Augustinus in expositione in Joannem, ubi Dominus baptizatus est, latius ex eo apertiusque disputat. Ordinatio igitur quam beatus Formosus fecit, quod rata et legitima sit, recte intelligentibus ecce satisfactum habetur. Nunc age, dic quibus documentis vel qua auctoritate præfatam ordinationem subvertere nitimini, et, quod est deterius, in eodem gradu iterum consecrare non formidatis? INF. Omne quod falsum esse decernitur destruendum est, et propterea ordinationem illam destrui oportet, quia falsa est. Et ordinationem quæ vera est unicuique, prout ratio postulat, impertiri studemus. DEF. Video te puerili certamine ad ea quæ jam discussa sunt, et testimoniis comprobata, impudenter recurrere. Quod ideo quasi securus agis, quia deest justitiæ censor. Adest tamen Isaiæ vaticinium, « Væ qui dicitis bonum malum, et malum bonum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum (*Isa.* V). »

CAP. IV. — *Quod Constantini Neophyti ordinatio contra statuta SS. Patrum deposita sit.*

INF. Non tibi novum videatur, si fictus ordinatur, projicitur, ejusque ordinatio refutatur. Siquidem Constantinus, ut in Pontificali libro legitur, qui ex laico repente neophytus, validaque manu armatus, apostolicam sedem nequiter invasit, depositus est, et ita damnatus, ut etiam oculis privaretur : ordinationem vero quam fecit in pristinos deposuerunt gradus. Episcopi namque iterum a papa Stephano consecrati sunt. De presbyteris vero et diaconibus præfixum est, ut si civium suorum electio vellet, in eosdem gradus de quibus depositi sunt, iterum a papa Stephano consecrarentur; ita duntaxat ut jurejurando promitterent, quatenus ad ampliorem honorem jam nullatenus promoverentur, ne talis error per injuriam pullularet. Statuerunt etiam ut cuncta ecclesiastica sacramenta quæ Constantinus peregerat, iteranda essent absque baptismo et chrismate. DEF. Nunquam exemplum a malis est sumendum. Ex his enim quæ in voluminibus leguntur, ea solummodo imitanda vel facienda sunt quæ bona esse probantur, mala autem penitus exsecranda sunt, et omnino cavenda. Inde est quod Abel justus laudatur, et Abel parricida [fratricida], condemnatur. Inde, inquam, est quod Sixtus martyrio coronatur, et Liberius Ariana colluvione maculatur. Quocirca Constantinus qui neophytus, armisque circumseptus, apostolicam sibi cathedram usurpavit, jure damna-

tus atque dejectus est. Jam vero quod eum oculis privarunt, non apostolicum sed apostaticum est. Ordinationem quoque ejus non rectitudinis intuitu, sed invidiæ zelo contra sanctorum Patrum sanctiones, in pristinos deposuerunt gradus, addentes et juramento constringentes, ut nullus de presbyteris ac diaconibus ad superiores gradus promoveretur. In qua deliberatione quid aliud intelligi datur nisi retributionis timor, scilicet, ne quando ad fastigium apostolicæ dignitatis provecti suam vindicarent injuriam? Inf. Istiusmodi vindictam propterea inferre decreverunt, ut ambitionem a sacro ordine penitus amputarent. Def. Sicut morbus non valet expellere morbum, ita nec vitium potest excludere vitium. Bene, inquam, bene, quod neophytum ab apostolica celsitudine projecerunt; sed manifeste in eis peccaverunt qui secundum canones ordinati fuerant, et eos deponere non formidarunt, eosque nefario ausu iterum in eadem ordinatione consecrandos esse statuerunt. Alioquin frustra sanctissimus Leo papa censuit ut pseudoepiscopi abjiciantur, et eorum ordinatio rata consistere possit. Frustra enim papa Anastasius præfixit ut ordinationes Acacii nulla portio læsionis attingeret. Imo et Liberii ordinationes, atque Vigilii consecrationes, frustra illibatæ permanserunt. Numne post apostolos quis in Ecclesia major beatissimo papa Leone, ad cujus, ut ita dicam, cœlestem rugitum, diversi ac plures hæretici exterriti sunt atque fugati? Nec papa Anastasius est contemnendus, qui suos decretales apices evangelicis, pariter apostolicis testimoniis, roboravit. Nec sanctissimus papa Gregorius est parvipendendus, qui scripsit ut sicut baptismus iterari non debet, ita nec consecratio iterari valeat. Quapropter si horum Patrum statuta observanda non sunt, ubi est ergo quod scriptum est, « Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui? (*Proverb.* XXII.) » Et Apostolus, « Licet nos, aut angelus de cœlo aliud vobis evangelizaverit, quam quod evangelizavimus, anathema sit? » (*Galat.* I.) Inf. Quod ejusdem neophyti ordinatio contra statuta Patrum deposita sit, in Pontificali libro expressum minime habetur. Quod autem papa Stephanus Formosum post ejus obitum deposuerit, et quod neminem ex his quos idem Formosus ordinaverat secum in Ecclesia vestiri permiserit, plurimi recolunt. Def. In eodem Pontificali libro scriptum habetur, quod Liberius Arianæ hæresi subscripserit, sed non ibi additum quod male fecerit. Nec de Vigilio additum est quod male egerit, in eo quod Silverium pontificem suum in exsilium destinavit, et se apostolicum instituit. Sed eos adversus interdicta Scripturarum egisse nemo ambigit. Ideo et de ordinatione præfati Constantini, quod nequiter deposita fuerit sentiendum. Porro quod Formosum post mortem deposuerit, nihil ordinationi quam fecit præjudicari potest, uti jam superius seriatim inculcatum est. Eos namque quos Stephanus cecum in Ecclesia vestiri prohibuit, papa Theodorus, qui utique de Formosi ordinatione non fuit, et vesti- A ri et suum agere officium præcepit, ejusque corpusculum quod pertinaciter ejectum fuerat cum exsultatione ad apostolicam tumbam reduxit.

Cap. V. — *Quod ejusdem prævaricationis sit iterata consecratio, cujus prævaricationis est iteratum baptisma.*

Inf. Estne aliquid contra catholicam regulam, si quisquam in eodem ordine iterum consecratus fuerit? Def. Ejusdem procul dubio prævaricationis est iterata consecratio, cujus prævaricationis est iteratum baptisma. Inf. Quis hoc dicit? Def. Sanctus papa Gregorius ad Joannem episcopum Ravennatis Ecclesiæ scripsit, dicens: Illud quod dicitis, ut qui ordinatus est iterum ordinetur, valde ridiculum est, et ab ingenii vestri consideratione extraneum, nisi B forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo et ille judicatus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit etenim a fraternitate vestra sic sapere. Sicut autem baptizatus semel iterum baptizari non debet, ita consecratus semel in eodem ordine iterum consecrari non valet. Hoc itaque non solum beatus Gregorius, sed etiam canones testantur apostolorum. Sanctus namque Isidorus in præfatione canonici collegii apostolorum canones recipiendos esse confirmat. Quod si cuiquam displicet, velit, nolit, Gregorius, cujus auctoritas ad instar solis in tota fulget Ecclesia, respuendus non est. Inf. Major est conciliorum auctoritas quam unius papæ Gregorii. Def. Nusquam legitur quod catholica consecratio in eodem ordine iterum dari possit. Cæterum longe incomparabiliter melius beatus Gregorius conciliorum scita considerasse atque intellexisse dignoscitur C quam homines nostri temporis, ideoque illi nemo præferendus est.

Cap. VI. — *Quod ejusdem prævaricationis sit iterata consecratio, cujus prævaricationis sunt hæretici, qui catholicos rebaptizare audent.*

Inf. Iteratam in eodem gradu consecrationem, cujus prævaricationis esse putas? Def. Non putative, sed veraciter scio, quod ejusdem prævaricationis sit iterata consecratio, cujus prævaricationis sunt hæretici omnes qui catholicos rebaptizare audent. An mente excidit quia sicut semel baptizatus iterum baptizari non debet, ita et qui semel consecratus est in eodem ordine jam consecrari non valet? Inf. Itane levioribus offensis oritur hæresis? Def. Parumne tibi videtur, irritum facere sacrosanctum ministerium per quod divinæ Trinitatis fides percipitur et Christiana religio indesinenter colitur; et quasi hoc non sufficiat, iteratam manus impositionem superadjicere non pertimescitis?

Cap. VII. — *Quod minor culpa, quam iterata consecratio, infra hæreseon denotationes inveniatur admista.*

Inf. Incredibile mihi videtur ut errores qui non usquequaque nexii sunt inter hæreticas denotationes annumerari queant. Def. Sanctus Augustinus in libro de Hæresibus ita commemorat. Colythiani hæretici, a quodam Colutho dicti sunt, qui dicebat

Deum non facere mala, contra illud quod scriptum est, Ego sum Deus creans mala (*Isa.* XLV). Florini quoque a Florino, qui a contrario dicebat Deum creasse mala, contra id quod dictum est, Fecit Deus omnia, et ecce bona valde (*Gen.* I). Ac per hoc quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas justissimas irrogando, quod Colluthus non videbat, non autem malas creando naturas atque substantias, in quantum sunt naturæ atque substantiæ, uti Florinus errabat.

CAP. VIII. — *Adversus eos qui se excusant dicentes : Inviti denuo in idipsum consecrati sumus.*

INF. Si æqua lance pensetur sacræ ordinationis iteratio, non mihi, sed illi ascribendum est, qui me primum negare et secundam consecrationem suscipere compulit. DEF. O Domine universorum Magister, quid ad hoc dicis? « Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum. Si cæcus cæco ducatum præstet, nonne ambo in foveam cadunt? » (*Matth.* XV.) Ergo juxta hanc Domini sententiam, ad male faciendum et qui ducit et qui sequitur cæci sunt, et merito uterque in foveam damnationis cadunt. Tu autem vas electionis, per quem Christus loquitur, quid dicis? *Non solum qui* prava *faciunt, sed* et *qui consentiunt facientibus, digni* efficiuntur *morte* perpetua (*Rom.* I). INF. Quid ergo adversus eos agendum est, quibus resistere minime possumus? DEF. Illud quod ait Salvator : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (*Matth.* X). »

CAP. IX. — *Adversus eos qui dicunt : Non perdet Deus multitudinem peccatorum.*

INF. Nunquid omnes qui Formosi consecrationem nihil esse professi sunt, et in eodem ordine iterum consecrati sunt, ad inferna præcipitantur? Neque enim Deus tantam episcoporum, presbyterorum atque levitarum multitudinem perdet? DEF. Quasi Deus ad quorumlibet multitudinem vel numerositatem respiciat, et non potius ad eos de quibus ipse loquitur : *Ad quem respiciam nisi ad* humilem et quietum, et timentem *sermones meos?* (*Isa.* LXVI.) Et in Evangelio : *Nolite*, inquit, *timere pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum* (*Luc.* XII). Quid plura? Quod Deus multitudini prævaricatorum, nisi pœnitentiam egerint, non parcat, audi apostolum Petrum dicentem : *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari et originali mundo non pepercit, sed octavum Noe justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens, exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens* (*II Petr.* II). Item, si Deus ad multitudinem malignorum respiceret, tot millia hominum in deserto Sina non prostravisset, atque utinam corpore tantum et non anima! Unde in Epistola Judæ legitur : *Jesus, populum* Israel *de terra Ægypti salvans, secundo eos qui non crediderunt perdidit* (*Judæ* V).

Cæterum autem justitiæ prævaricatores imitandi non sunt, juxta quod Mathathias dicit : « Et si omnes consentiunt regi Antiocho, ego et domus patris mei non consentiemus (*I Mach.* II). » Per Prophetam quoque dicitur : « Noli æmulari inter malignantes, neque æmulatus fueris facientes iniquitatem (*Psal.* XXXVI). » Tempore igitur sanctissimi Patris Athanasii, pene universus orbis ad Arianam hæresim se contulit, et tamen paucissimi in catholica fide perseverantes victoriæ palmam consecuti sunt.

CAP. X. — *Ut qui semel et iterum in eodem gradu consecratus est a sacro ministerio sit excludendus.*

INF. Qua ratione fateri ausus es ut qui semel et iterum in eodem consecratus fuerit a sacro ministerio sit excludendus? DEF. Non a memetipso, sed, ut supra relatum est, a beato Gregorio, necnon et apostolorum canonibus, tale quid audenter protuli. INF. Ergone qui denuo baptizatus fuerit Christianitate pellendus est? DEF. Nequaquam, sed aliud est baptizatus, aliud consecratus. Omnis enim qui consecratus est baptismum dare potest, non tamen omnis qui baptizatur consecrationem vel sibi habere vel aliis dare potest. Hinc est quod baptizati bigami, si necessitas incumbit, baptizare possunt, sacrum vero ordinem canonice accipere nequeunt. Cernisne quod baptismus ad fidem pertinet, consecratio autem ad ministerium per quod ipsa fides percipitur et Christiana religio celebratur? Et idcirco qui ejusmodi sacrilegium incurrit, a sacro ministerio est removendus. Adde etiam quod absque baptismo, nullus in regnum cœlorum intrare possit; et ideo bis baptizatum a Christianitate sequestrari nefarium. INF. Sacerdotes qui tempore persecutionis negaverunt, suis honoribus non sunt exspoliati. Isti ergo, propter iteratam manus impositionem, a sacerdotio quomodo sunt excludendi? DEF. Aliter est, nam de sacerdotibus qui tempore persecutionis negaverunt, non parva distantia est inter eos qui absque periculis et eos qui violenta oppressione negaverunt. Quod ita sit, testis est Ancyranus canon (*can.* 1) dicens : Presbyteri immolantes, et iterum luctamen adeuntes, si non per illusionem aliquam, sed ex veritate fecerunt, nec ante parentes, nec affectantes atque suadentes, ut æstimentur quidem tormentis aptari, sed his visu tamen et habitu subjici, hos placuit honorem quidem retinere propriæ sedis, offerre vero aut alloqui populum, aut omnino sacerdotalibus fungi officiis, non licere.

Item ex concilio Nicæno, de his qui in persecutionibus negaverunt, et postmodum in clero promoti sunt.

Quicumque de lapsis ad ordinem clerici promoti sunt per ignorantiam vel per ordinantium dissimulationem, hoc ecclesiasticæ non præjudicat regulæ, cogniti namque deponantur. His itaque digestis, ad memoriam redit quod papa Innocentius Rusticum, qui iterata ordinatione presbyter effectus est, noluerit in Ecclesia retineri. Scripsit enim Marciano

episcopo Naisitano, dicens (*epist.* 21) : In Ravennati urbe mihi constituto, propter Romani populi necessitates creberrimas, Germanius qui se asserit presbyterum atque Lupentius qui se diaconum dicit, multorum talium quasi legatione suscepta, prece fusa, dolores proprios exprimere gestiverunt, asserentes se quidem Ecclesias in dilectionis tuæ constitutas parochiis retinere, sed tuam communionem non potuisse mereri, ea videlicet ratione qua Rusticius quidam nomine, iterata ordinatione, presbyterium suscepisset : et non levi impedimento fit, dum aut illi dolent hujusmodi hominem in Ecclesia retineri, aut ille sic peccare debere in alio arbitretur, quemadmodum in se agnoscit esse peccatum. Similiter autem et illud recolendum, quod ' subhabeatur papa Gregorius, ad Joannem episcopum Ravennatis Ecclesiæ scribens, dicit : Illud quod dicitis, ut is qui ordinatus est iterum ordinetur, valde ridiculum est, et ab ingenii vestri consideratione extraneum, nisi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo et ille judicatus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Nonne vides quod hujuscemodi transgressores, et jam apud anteriores Patres jam judicati sint?

CAP. XI. — *Ut juramentum quod ad scelus committendum pertinet, non sit observandum.*

INF. Cum summo pontifici in omnibus sit obediendum, tu e contrario dicis ut quicunque ex clero se illi juramento constrinxerit, quatenus ad subvertendam ordinationem adjutor existat, canonico sit judicio plectendus. DEF. Ad scelera committenda nulli unquam potestati obtemperandum est, quia odit Dominus omnes qui operantur iniquitatem, et perdet eos qui loquuntur mendacium (*Psal.* v). Et Apostolus : *Non solum qui* prava *faciunt, sed et qui consentiunt facientibus, digni* efficiuntur *morte* perpetua (*Rom.* I). INF. Quisquamne fidelium juramentum, quod semel spoponderit, audebit liciter irritum facere? DEF. Juramentum quod a peccato alienum est, prævaricari non debet. Juramentum autem quod pertinet ad scelus committendum, observari nefas est. Ut cætera omittam, David ad preces Abigail flexus, remissius elegit perjurium incurrere, quam homicidium perpetrare. Herodes autem quia in jurejurando discretionem habere neglexit, homicidii barathrum incurrit. Attende, inquam, quid ex hoc Isidorus censeat; ait enim : Non est conservandum sacramentum quod male et incaute promittitur, veluti si quispiam adulteræ perpetuam cum ea manendi fidem polliceatur, tolerabilius est non implere sacramentum, quam permanere in stupri flagitio. INF. Hujuscemodi testimoniis non satis apparet ut quisque pro tali juramento a sacro ordine sit removendus. DEF. Post Nicænum concilium Chalcedonensis synodus auctoritatis retinet palmam. Illa nimirum censuit dicens : Conjurationis vel conspirationis crimen, et ab exteris legibus est omnino prohibitum, multo magis hoc in Ecclesia Dei ne fiat admonere conveniet. Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint conjurantes, aut conspirantes, aut insidias ponentes episcopis aut clericis, gradus proprius abjiciatur. Cernisne quam sublimi auctoritate clerici de quibus sermo exortus est, inter sacrilegos et male conjuratos sint habendi, et canonico judicio reprobandi?

CAP. XII. — *Ut ad synodum quæ manifeste contra catholicam rectitudinem agit non sit occurrendum.*

INF. Apostolicus pontifex vocavit te ad synodum, tu vero jussionem ejus contemnens occurrere noluisti. DEF. Si aliquando ad vocem lupi cucurrit ovis, et ego ad synodum illam occurrere debui. Hic est quod Salvator ait : « Oves pastorem sequuntur, quia sciunt vocem ejus; alienum autem, non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum (*Joan.* x). » An non sunt lupi, non sunt alieni, qui præfatam ordinationem subvertentes, fere totam Italiam a pluribus annis veluti paganam absque Christi religione vixisse blasphemant? Dominus enim dixit et fecit : *Bonus Pastor animam suam* ponit *pro ovibus suis* (*Ibid.*), vos e contrario Dominicas oves lupinis dentibus non tantum corpore, sed, quod est infelicius, et anima discerpere non erubescitis. Istud est quod beatus Gregorius dolens dicit : Considerate quid de gregibus agatur, quando lupi pastores fiunt, contra quos Dei greges custodire debuerant. Contempsit properare ad concilium : ad quale concilium? Scilicet ubi secundo baptismate baptizarer, ac per hoc non purificatus, sed contaminatus existerem. Quamobrem salubriter elegi cum David verbis et actu canere : « Non sedi in concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo : odivi congregationes malignorum, et cum impiis non sedebo (*Psal.* XXV). »

CAP. XIII. — *Quod præpositorum culpæ nec omnes tegendæ sint nec omnes denudandæ.*

INF. Præpositorum culpæ juxta reverentiam filiorum Noe, a subditis denudandæ non sunt, sed potius tegendæ. DEF. Exemplum Sem et Japhet, in eo quod patris verenda cooperuerunt (*Gen.* IX), discretione adjuncta, ita nos imitari oportet, ut nec ad dextram, nec ad sinistram declinare videamur. Qua de re nec omnes præpositorum culpæ tegendæ sunt, nec omnes denudandæ. Ut cætera omittam, illa nimirum culpa quæ catholicæ religioni officit, si aliter emendari non potest, procul dubio denudanda est, ne per eam ignaræ vel simplices animæ pereant. Quædam præpositorum culpæ, teste Pontificali libro, adeo superabundant, ut apicibus tradantur, utique non ut imitentur, sed ut a posteris caveantur. Notum est enim quod mala præpositorum actio generaliter subditis noceat, quod peccata regis redundent in regnum. Sed nunc de illa culpa specialiter sermo frequentatur, quæ meticulosos vel simplices in catholica religione supputat. Ita enim culpa non a subditis est denudata, sed a suis auctoribus magis exagerata. Nos autem istiusmodi noxæ nec favorem, nec assensum porrigere audemus; sed procul ab ea discedere

debemus. Denique apostolus Paulus, qui clamat : *Imitatores mei estote* (*Philipp.* III), in faciem restitit apostolorum principi Petro, quia reprehensibilis erat; eo quod gentiles in quibusdam Judaizare cogeret (*Galat.* II). Quod claviger regni cœlorum adeo libenter suscepit, ut ei nullomodo contradiceret, et insuper ejus documenta in sua laudaret Epistola.

CAP. XIV. — *Ut excommunicatio quæ ad facinus committendum pertinet non sit observanda.*

INF. Quomodo parvipendens apostolicam excommunicationem, celebrare missarum solemnia præsumpsisti? DEF. Illa equidem excommunicatio quæ ad sacrilegium committendum pertinet pro nihilo ducenda est, et nullatenus observanda. Quippe sub hujusmodi occasione cogitis me negare sacerdotium, quod ecce jam circiter viginti annos per totam Ausoniam Domini Salvatoris regit Ecclesiam, et tam pro vivis quam etiam pro defunctis ecclesiastica officia, ut moris est, frequentare non cessat. Et quod est deterius, consentientes vobis iterum in eodem gradu consecrare non formidatis. Istane observanda excommunicatio?

CAP. XV. — *De eo quod scriptum est : « Sive juste, sive injuste obliget pastor, gregi timendum est. »*

INF. Sive juste, sive injuste, ut sanctus Gregorius ait, obliget pastor, gregi timendum est, ne per elationem tumidæ reprehensionis culpa quæ non erat fiat. DEF. Si de nostris negligentiis nostrisque offensionibus excommunicatio facta fuerit, omnino formidanda est, et usque ad dignam satisfactionem vel indulgentiam, penitus observanda. Cæterum vero in his quæ manifesta ratione Deo inimica esse probantur, nullius excommunicatio metuenda est vel observanda. Verbi gratia, si me ad perjurium, falsum testimonium, sacrilegium vel homicidium, excommunicando impulerit; nunquidnam in talibus vel eorum similibus, pastoris excommunicatio timenda vel facienda esse decernitur? Præsertim cum dicat Apostolus : *Non solum qui* prava *faciunt, sed et qui consentiunt facientibus digni* efficiuntur *morte* perpetua (*Rom.* I). INF. Hanc Apostoli sententiam ecce jam bis objicere non vitasti. DEF. Si quando necessitas incumbit, non dico bis aut ter, sed etiam centies unum idemque testimonium sinistris argumentationibus fideuter opponam, nec immerito; agonista enim contra diversa inimicorum jacula uno utitur clypeo. INF. Responde mihi quomodo hactenus super pontificum excommunicationibus istiusmodi distinctionem nullus facere præsumpsit? DEF. Ergone oblitus es testimonia, quibus paulo superius declaratum est, non esse iniquis jussionibus obtemperandum, nec sinistris actibus consentiendum? Secundum quod in iisdem testimoniis legitur : « Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Odisti, Domine, omnes qui operantur iniquitatem, perdes eos qui loquuntur mendacium (*Psal.* V); » et illud : « Væ qui dicunt bonum malum, et malum bonum, et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum (*Isa.* V) »; et illud : « Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris (*Jerem.* XV) »; et illud : « Minister Dei est tibi in bonum (*Rom.* XIII). » Interea et hoc recolendum, quoniam quidem ille qui dicit : Juste an injuste obliget Pastor, gregi timendum est. Ipse in eodem loco dicit : Sub magno moderamine pastores Ecclesiæ vel solvere studeant vel ligare. Plerumque contingit ut hic judicis locum teneat, qui ad locum vita minime concordat, et sæpe agitur ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat. Et infra : Judicare autem digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Unde recte per Prophetam dicitur : « Mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt (*Ezech.* XIII). » Postremo autem, nec illud oblivioni tradendum, quod Doctor gentium redarguens ait : « Qui ergo alium doces, te ipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis? » (*Rom.* II.) Et Dominus in Evangelio : « Medice, cura te ipsum (*Luc.* IV). »

CAP. XVI. — *De eo quod scriptum est,* Omnia quæ dixerint vobis, servate, et facite.

INF. Ubi est ergo illud evangelicum, « Supra cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi, omnia quæ dixerint vobis servate et facite? » (*Matth.* XXIII.) DEF. Omnia hoc in loco solummodo in bonam partem accipienda sunt : alioquin Judæi qui Scribarum et Pharisæorum consilio et hortatu Dominum crucifixerunt, immunes a tanto scelere esse debuerant, sed quam graviter et qui dixerunt et qui fecerunt peccaverint, et Scriptura testatur, et in posteris eorum usque ad finem mundi protelatur. Igitur, quod omne non semper ad totum, sed plerumque ad maximam partem referatur, testis est Hieronymus, ubi ad Damasum de frugi et luxurioso filio disputat.

CAP. XVII. — *Quod ad peccandum nullius potestati sit obtemperandum.*

INF. Cum aliis potestatibus resistendum non sit, eo quod non sit potestas nisi a Deo, et qui resistit potestati Dei, ordinationi resistit (*Rom.* XIII); apostolicæ potestati quæ procul dubio omnes humanas potestates excellit, in omnibus quæ jubet resistendum non est. DEF. Omni humanæ potestati subditi esse debemus, et quam maxime apostolicæ. Sed utique non in illis quæ Christiana lex abominatur ac prohibet, et Deo inimica esse monstrantur, cui dicit Propheta : « Quoniam non volens Deus iniquitatem tu es. » « Odisti » Domine « omnes qui operantur iniquitatem, perdes » eos « qui loquuntur mendacium (*Psal.* V). » Et ipse Dominus ad Jeremiam, « Si separaveris » inquit, « pretiosum a vili, quasi os meum eris (*Jerem.* XV). »

CAP. XVIII. — *Quod aliud sint pontificales sedes, et aliud præsidentes, et quia præsidentes per devia sequendi non sint.*

INF. Sancta Romana Ecclesia super Ecclesias uni-

matum tenet, ideoque judicat omnes, et ipsa a nemine judicatur. Tu autem quis es, qui contra eam loqueris? Def. Absit ut ego infimus, vel potius vermis, contra eam loquar, sed, ut Deus donaverit, magis pro ea. Quæso, diligenter attende quod dicturus sum longe incomparabiliter. Aliud sunt pontificales sedes, aliud præsidentes. Proinde honor et dignitas uniuscujusque sedis venerabiliter observanda sunt. Præsidentes autem si deviaverint, per devia sequendi non sunt; hoc est, si contra fidem vel catholicam religionem agere cœperint, in talibus eos nequaquam sequi debemus, quod plerumque apud Constantinopolitanam et Alexandrinam sedem contigit : in his autem quæ jure dicunt, etsi non faciunt, libenter eis obedire debemus. Hinc est quod bobros carpere et spinas cavere jubemur. Quid multa? de Pastoribus ad populum revoca intentionem, qui dicit, « Minister Dei est tibi in bonum (*Rom.* XIII). » Propterea subjunxit « in bonum, » quia minister Dei non est tibi in malum.

Cap. XIX. — *De eo quod scriptum est :* Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo (*Matth.* XVIII).

Inf. Ligandi atque solvendi potestas omnibus episcopis cœlitus est collata; præcipue tamen apostolorum vicario, qui vicem apostoli Petri, et claves regni cœlitus tenet. Et idcirco, quomodolibet ligaverit, ligatum erit. Def. Non ita sapit divinæ legis interpres Hieronymus. Exponens illud evangelicum : « Quæcunque ligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveritis super terram erunt soluta et in cœlo, » ait : Istum locum intelligentes episcopi et presbyteri aliquid sibi assumunt de Pharisæorum supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere noxios se arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Nec illud omittendum quod per prophetam dicitur : Mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt (*Ezech.* XIII). Non morientem quippe mortificat, ut sanctus docet Gregorius, qui justum damnat; et non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio absolvere conatur. Item a Salomone : Sicut avis in contrarium volans, et passer quolibet vadens (*Prov.* XXVI), sic maledictum frustra prolatum, super illum qui misit illud, veniet. Item ibi : « Anima quæ benedicit, impinguabitur (*Prov.* XI); » quæ autem frustra maledicit, ipsa in maledictione erit. Item sancti Gregorii papæ : In omni autem quod de nobis extra dicitur, recurrere ad arcana mente debemus; et si omnes vituperent, liber est tamen quem conscientia non accusat; quia, etsi omnes laudent, liber esse non potest, si hunc conscientia accusat.

Cap. XX.— *Qualiter Formosus post depositionem, apostolica auctoritate reconciliatus sit.*

Inf. Ecce jam ad littus cœptæ locutionis propinquantes vela deponimus, et Formosus qui procellas excitare non veritus est, a tanto discrimine velut immunis remansit. Def. Humano examine judicari nec debet nec potest, qui jam in illius est judicio constitutus, qui est judex vivorum et mortuorum; qui non secundum auditum aurium, neque secundum oculorum intuitum judicat, sed secundum id quod *scrutans corda et renes Deus* (*Psal.* VII). Inf. Non te cognoscere pigeat, quomodo per eum in sancta Ecclesia, ubi summa concordia esse debet, scandali seminarium sit exortum. Def. Formosus, ut dixi, non ad me, id est, ad ordinationem quam fecit, sed ad eos pertinet qui eum elegerunt, ordinaverunt, eique donec advixit communicaverunt, et per omnia participes exstiterunt; attamen, fac, ut tibi rectum videtur. Inf. Formosus post depositionem suam episcopus esse non potuit, quanto minus papa? Def. Sicut verum est quod apostolica auctoritate depositus fuerit, ita verum est quod apostolica auctoritate reconciliatus exstiterit. Inf. Quando depositus est, mediantibus sacrosanctis Evangeliis jurejurando conclusi, ut Romuleam urbem nullatenus ingrederetur, suumque episcopatum nullomodo reciperet, et propterea reconciliari minime potuit. Def. Istiusmodi juramentum non solum a Christianis, verumetiam ab ethnicis cruentum atque nefarium esse decernitur. Revera enim nihil aliud in eo deprehenditur, nisi ut limina apostolorum Petri et Pauli nunquam adoraret, nunquam ad reconciliationem accederet, suumque episcopatum nunquam reciperet. Proh nefas! Hujusmodi juramenti crudelitas, nec apud paganos invenitur. Væ illis qui tale sacramentum ab eo per vim extorserunt. Benignus ille et misericors apostolicus Pater qui eum reconciliare decrevit. Inf. Verene debuit apostolicus pontifex reconciliare hominem, qui se coram episcopis proprio ore damnavit, et idcirco depositus fuit? Def. Poteram ad hæc opponere, quia cum se proprio ore damnavit, non veraci professione, sed magno timore perterritus interroganti se, quamvis non inculpabiliter satisfecit; sed sufficit ei quod postmodum apostolica auctoritate reconciliatus sit. Audi etiam, quid Alexander papa super hujusmodi occasione synodaliter censeat dicens : Est etiam et hoc ad hanc sanctam perlatum sedem, quod pudet dicere, et non solum sacerdotali, sed etiam omni Christiano nomini inimicum est; id est, quod nonnullos episcopos vel sacerdotes aut metu compellunt, aut vi extorquent, aut fraude decipiunt, aliquas confessionis suæ, in aliud quod non debent, aut pro suarum requisitione rerum, aut, quod deterius est, pro alieni erroris secta, scripturas facere, et propriis manibus roborare, et coram populo recitare, atque confiteri. Aliquos dicunt ergastulis et carceribus recludi, ut saltem his territos insidiis decipiant Domini sacerdotes, et suis faciant voluntatibus subditos fieri. Has considerantes impietates, et pericula vitantes animarum, una cum omnibus sacerdotibus, qui vobiscum in hanc sacram convenerunt urbem, et cum omnibus hujus capitis membris, sicut a beatis apostolis, et reliquis sanctis Patribus et successoribus eorum accepimus, statuentes decernimus, omnes qui sanctos Patres persequuntur.

aut amovere vel dilacerare manifestantur, infames esse, et alienos a liminibus Ecclesiæ usque ad satisfactionem fieri. Ejusdem [*Supple* epistolæ] : Similiter si hujusmodi personis quædam scripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut se liberare possint, quocunque ab eis conscriptæ, vel roboratæ fuerint ingenio, nullum eis præjudicium aut nocumentum provenire censemus, neque ullam eis infamiam aut calumniam, aut a suis sequestrationem bonis unquam, auctore Domino, et sanctis apostolis, eorumque successoribus, sustinere permittimus.

Cap. XXI.—*Quia plurimi sacerdotum depositi fuerunt, et postmodum reconciliati.*

Inf. Si tale quid ad lapsorum reconciliationem pertinet, exemplis confirma. Def. Plurimi namque sacerdotum depositi fuerunt, et postmodum reconciliati : reconciliati, inquam, non denuo in idipsum consecrati ; quoniam quidem aliud reconciliatio, et aliud consecratio. Nam qui reconciliatur, in gradum pristinum restituitur ; qui autem consecratur, id quod non habet accipit. Sed, ut dicere cœpi, Joannes Chrysostomus a duabus synodis orthodoxorum episcoporum fuit judicatus, sed iterum fuit restitutus Ecclesiæ suæ. Necnon et Marcellus episcopus Ancyræ Galatiæ depositus fuit, sed postmodum proprium recepit episcopatum. Asclepius item judicatus a synodo, Ecclesiam suam postea recepit. Lucianus episcopus Adrianopolites damnatus a papa Julio, recepit Ecclesiam sui episcopatus. Item Cyrillus Hierosolymitanus depositus fuit, postea reconciliatus est Ecclesiæ suæ. Simili modo et Polychronium ejusdem Ecclesiæ Hierosolymitanæ pontificem Xystus papa damnavit, et iterum ipse eum reconciliavit. Innocentius item papa Photinum damnavit episcopum, sed ipse eum postea in proprio restituit loco Ecclesiæ suæ. Itemque Misenum episcopum a Felice papa damnatum, Gelasius papa successor illius et communicavit et Ecclesiæ suæ restituit. Leontius autem dum esset presbyter depositus fuit, sed postea in Antiochia patriarcha exstitit. Gregorius vero quartus papa, Theodosium, quem Eugenius ejus antecessor presbyterii honore privaverat, sanctæ Ecclesiæ Siguinæ consecravit episcopum. Ibas namque episcopus judicatus fuit, sed sancta synodus canonicesuam illi restituit Ecclesiam. Rothanum vero episcopum sanctæ Suessionensis Ecclesiæ a synodo cui Carolus interfuit rex condemnatum, et Soffrenum Placentinum episcopum merito reprobatum, Nicolaus papa una nobiscum reconciliavit.

Cap. XXII.—*Ut id quod incertum est solius Dei judicio sit relinquendum ; et de episcopis qui de sede ad aliam sedem translati sunt.*

Inf. Formosus esto, reconciliatus fuerit, postmodum vero, humanæ laudis cupidus, propriam relinquens uxorem, alienam abstulit ; videlicet, relicto episcopatu, his qui ordinandi erant apostolicam abstulit sedem. Def. Utrumnam humanæ laudis cupidus apostolicum thronum conscenderit incertum est, ideoque solius Dei judicio relinquendum est. Attamen universa Romana civitas, et omnes circumpositæ regiones, præcipuæ sanctitatis eum fuisse commemorant, exceptis admodum paucis, qui eum infamare non erubescunt. Nec mirum, cum etiam de Salvatore scriptum sit, « Alii dicebant quia bonus est, alii : Non, sed seducit turbas (*Joan.* VII). » Cæterum vero quod in hujusmodi translatione alienam uxorem non abstulerit, probabilibus exemplis clarescere potest. Omitto eos qui ante Nicænum concilium de sede ad aliam sedem translati sunt. Nunquidnam Gregorius Nazianzenus, homo sanctissimus atque doctissimus, ignarus fuit ejusdem concilii, aut illud quisquam melius intelligit, quam ipse intellexisse dignoscitur ? Hic enim cum unius civitatis, quæ Sazima dicebatur, fuisset episcopus, consilio et hortatu beati Basilii et aliorum episcoporum, in oppido Nazianzo constitutus est, deinde Constantinopolim translatus est. Dositheum Seleuciæ episcopum Alexander Antiochenus episcopus in Tarsum Ciliciæ demigravit. Reverentius ab Arcis Phœniciæ in Tyrum migratus est. Joannes de Gordo Lydiæ mutatus est in Proconissum, et in ea præsedit Ecclesia. Palladius ab Helenopoli mutatus est in Aspamam. Alexander ab alia Helenopoli in Adrianopolim mutatus est. Meletius prius in Sebastena Ecclesia præfuit, et postea Antiochiæ præsul est constitutus. Theosebius ab Apamia Asiæ transfertur in Eudoxiopolim, quæ dudum Salambria vocabatur. Polycarpus de urbe Antepristena Mysiæ in Nicopolim Thraciæ mutatus est. Hierophilus de Trapezopoli Phrygiæ in Antiochiam migratus est. Optimus ab Agardamia Phrygiæ in Antiochiam Pisidiæ migratus est. Sylvanus a Philippopoli Thraciæ mutatus est in Troada. Perigenes in Petris est ordinatus episcopus, sed quoniam cives ejusdem civitatis eum recipere noluerunt Romanæ civitatis jussit eum inthronizari in Corinthum metropolim defuncto ejus episcopo, eique donec advixit Ecclesiæ præfuit. Eusebius itaque Pamphili, in sexto ecclesiasticæ historiæ libro, Alexandrum unius Cappadociæ civitatis episcopum refert ; quia cum venisset causa orationis Hierosolymam, tentus sit ab ejus civibus, et in locum Narcissi episcopi constitutus, et de cætero omni vita sua ipsi Ecclesiæ præsedisset. Germanus archiepiscopus de metropoli Cyzico translatus est Constantinopolim, in qua translatione presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ apocrisiarius nomine Michael, talem fecit sermonem. Divina enim gratia quæ dignatur infirma eligere, et incompleta complere, transtulit et ordinavit in sacratissimam sedem a Deo conservatæ civitatis Constantinopolitanæ præsentem Germanum sanctissimum archiepiscopum. Aitardus quoque de Terraconensi episcopatu inthronisatus est in Turonensi archiepiscopatu, dante imperatore Carolo II, et consentiente papa Adriano II.

Cap. XXIII. — *Quod Osius non catholice dixerit :* Nec laicam in fine communionem accipiat.

Inf. Osius dicit : Si quis episcopus per avaritiam

vel ambitionem, et ut dominationem agat, sedem mutaverit, ne laicam communionem habeat. Deinde in sequenti capitulo, etiamsi talis exstiterit ut per fraudes, et quosdam præmio et mercede corruptos, excusationem afferens, ut quasi eum populi petere videantur, nec laicam in fine communionem accipiat. Def. Quod Osius avaritiam et ambitionem, dominationem et fraudes prohibuit, libenter amplector. Quod autem subjunxit : « Nec laicam in fine communionem « accipiat, non suscipio, quoniam non catholicum sed catharum sonat. Præsertim cum Dominus per prophetam clamet : « Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII). » Et in Evangelio : « Gaudium est, » inquit, coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia. » Alias autem quo fine suum sapere Osius concluserit, fiere magis libet, quam verbis exprimere.

A scopus in cujus parochia est de his qui supra fuerint solertius tollat.

Cap. XXIV. — *De eo qui semel in qualibet Ecclesia lector exstiterit.*

Inf. Africanum concilium statuit ut quicumque in Ecclesia semel legerit, ab alia Ecclesia ad clericatum non admittatur. Et si hoc de lectoribus statutum est, quo pacto Formosus ab episcopali sede ad apostolicum thronum transferri debuit? Def. Hoc etenim quod de lectore objecisti, non intelligendum est, ut qui semel in qualibet Ecclesia lector exstiterit, ulterius jam in alia Ecclesia nullatenus ad clerum admitti possit. Sed manifestius in Africano concilio, ubi Epigonius pro suo discipulo, simulque alumno conqueritur, sancitum est ut clericum alienum, nullus sibi præripiat episcopus, præter ejus arbitrium cujus fuerit. Inf. Cœlestinus papa de clericali electione ita delegavit dicens : Cleri, ac plebis, et ordinis consensus, et desiderium requiratur, tunc alter de altera requiratur et eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius clericis, cui est episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis merito præferantur. Habeat unusquisque suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minime alter obrepat, nec alii debitum sibi alter audeat vindicare mercedem. Def. Istiusmodi papæ Cœlestini decretum laudabile, justumque nemo ambigit, sed aliquando accidit ut certa imminente necessitate, vel certis existentibus causis, episcopus de sede ad sedem transferri licenter possit, quod jam supra latius intimatum est. Similiter autem ad clericatus officium ex alia Ecclesia transitur. Quod adeo verum est ut etiam papa Siricius, religiosos monachos per canonicos gradus ad episcopalem celsitudinem ascendere statuerit. Hinc est quod sanctus papa Gregorius ad Marianum scribit, ad ordinandum alia monasteria, ut ad clericatus officium monachi cum consensu abbatis ex monasterio tolli debent. Quod si abbas sufficienter habeat monachos, et dare noluerit, epi-

Cap. XXV. — *Ut absque necessitate, vel certis existentibus causis, episcopus de sede ad sedem transire non debeat.*

Inf. Jam vero quid ad hæc objicere poteris? Nicæna siquidem synodus definivit dicens : Propter multam perturbationem et seductiones quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videatur admissa, ut de civitate ad civitatem non episcopus, non presbyter, non diaconus transferatur. Quod si factum fuerit, prorsus irritum ducatur, et restituatur Ecclesiæ cui fuit episcopus, aut presbyter, aut diaconus ordinatus. Def. Tam magni concilii sententiam meæ parvitati exponere non licet. Audenter tamen dico, quod nulli unquam Nicænos canones rectius vel subtilius considerare atque intelligere valeant quam Gregorius Nazianzenus quem supra tetigimus, necnon et Chalcedonense concilium, et beatissimus papa Leo, atque Gelasius. Inf. Quod Gregorius Nazianzenus de sede ad sedem transierit, jam superius objecisti, nunc superest ut reliqua subjiciantur. Def. Ut dicere cœpi, Chalcedonensis synodus et sanctissimus papa Leo atque Gelasius præfatam Nicæni concilii regulam intelligere videntur

Ex Chalcedonensi concilio.

Clericos in Ecclesia ministrantes, sicut jam constituimus; in alterius civitatis Ecclesiam statutos fieri non oportet, sed contentos esse, in quibus ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis qui proprias amittentes provincias ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierint. Si quis autem episcopus post hanc definitionem susceperit clericum ad alium episcopum pertinentem, placuit et susceptum et suscipientem communione privari, donec is qui migraverat clericus ad propriam fuerit regressus Ecclesiam.

Leonis papæ.

Si quis autem episcopus, civitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, et ad majorem se plebem quacumque ratione transtulerit, a cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit et propria, ut nec illis præsideat quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per superbiam sprevit. Suis igitur terminis quisque contentus sit, nec supra mensuram juris sui affectet et augeri.

Gelasii papæ [a]

Quisquis propriæ desertor ecclesiæ, nullis existentibus causis, ad aliam putaverit transeundum, temereque susceptus fuerit, et protervus [promotus], reverendorum canonum, vel ipse vel receptor ejus atque provector, instituta non fugiet quæ de hujusmodi præsumptoribus sacri canones præfixere servanda. Inf. Hæc capitula meis inservirent objectionibus. Video enim quod Chalcedonense concilium statuerit ut absque provinciarum amissione

[a] Videsis Gelasii papæ epist. 9, c. 25.

et necessitate in alterius civitatis Ecclesiam demigrandum non sit, et quod papa Leo censuerit, ut episcopus, civitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci superioris ambire non debeat, nec per avaritiam ad majorem se plebem transferre. Gelasius quoque dicit : ut, nullis existentibus causis, propriam deserere Ecclesiam nemo audeat. Formosus qua ex necessitate, aut quibus existentibus causis Ecclesiæ propriæ desertor apostolicum thronum conscendere jussus est? DEF. Quibus existentibus causis, vel qua necessitate Formosus effectus sit papa, clero et magnatibus Romanæ civitatis scire convenit, qui nec Francorum, nec alterius gentis obsidione, vel impulsu, coacti, sed sua sponte eum eligere atque inthronizare decreverunt. Illi enim non ob aliud eum elegisse se dicunt, nisi ob Ecclesiæ utilitatem. Ipse autem se inthronizandi præbuit assensum, quemadmodum plurimi episcoporum fecisse leguntur, quod jam paulo superius intimatum est. INF. Pene omnibus notum est quod plurimorum pontificum major sit auctoritas quam pancorum. Quapropter in hac questione magis observanda est Nicæna synodus, quæ indifferenter et penitus de sede ad sedem transferendi consuetudinem amputavit. DEF. Videte [videris] non intellexisse quod Nicæna synodus dicit : placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videtur admissa. Qualem, inquam, consuetudinem placuit amputari? Illam scilicet quæ præter regulam, hoc est, absque rectitudine in quibusdam partibus videtur admissa. Nonne discretione adhibita, quæ mater est omnium virtutum, idipsum et concilium Chalcedonense astruere videtur, in eo quod dicit, clericos in alterius civitatis Ecclesia statutos fieri non oportere, exceptis illis qui, proprias amittentes provincias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierint. Nec illud est absimile quod beatissimus papa Leo censuit, ut episcopus, civitatis mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambire non debeat. Inde nimirum et Gelasius dicit ut quisquam, nullis existentibus causis, propriæ desertor Ecclesiæ ad aliam transire non debeat. Hoc modo etiam sanctus Gregorius Nazianzenus, non ignarus, nec contemptor Nicæni concilii, de sede ad sedem translatus est. Porro qui nulla necessitate cogente, et nullis existentibus causis, sed solummodo avaritia vel ambitione ad aliam sedem transfertur, iste procul dubio prævaricator rectitudinis est, et idcirco præter regulam tale quid admisisse convincitur. INF. Formosus ergo qui tantummodo avaritia et ambitione cathedram mutavit acrius est puniendus? DEF. Quod ambiguum crimen solius Dei judicio sit relinquendum jamjam supra responsum est. INF. Video te sub colore cujusdam tuitionis dogmatizare, quatenus episcopalis transmigratio de sede ad sedem licenter fieri possit. DEF. Absit ut ex meo ore procedat quod quisquam episcoporum tale aliquid licenter agere possit, nisi certa imminente necessitate, vel certis existentibus causis.

A CAP. XXVI. — *Quod quando Formosus inthronizatus est, non id quod episcopus erat iterum acceperit, sed augmentum apostolicæ dignitatis, quod non habebat, susceperit.*

INF. Hactenus nunc inde contractis Scripturarum malagmatibus, languido capiti medicatus es; nunc autem ventum est ad insanabile vulnus, cui nulla medela succurrere valet. Formosus quando accessit ut papa efficeretur, manus impositionem ita sibi tribui præcepit, ac si episcopus non esset; ac per hoc, non solum apostolicam dignitatem non acquisivit, verum etiam id quod episcopus erat, perdidit. DEF. Hoccine est insanabile vulnus, cui nulla medela subvenire potest? Nonne cujus oculus, juxta evangelicam sententiam, simplex est (*Matth.* VI), in ejus manus impositionem non vulnus, sed dignitatis augmentum conspicit, non detrimentum, sed sacri ordinis incrementum. Ut enim hoc liquidius pateat, audi documentum. Nam quod presbyter ipsum sit quod est episcopus, testis est beatus Hieronymus in epistola 85, dicens : Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut diaconos presbyteris, id est, episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicue doceat eosdem esse presbyteros quos episcopos, quid patitur mensarum et viduarum minister, ut super eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur? Audi testimonium : « Paulus et Timotheus servi Christi Jesu omnibus sanctis qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus (*Philipp.* I). » Et in Actibus apostolorum, ad unius Ecclesiæ sacerdotes ita Paulus loquitur : « Attendite vobis et cuncto gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Domini, quam acquisivit sanguine suo (*Act.* XX). » Ac ne quis contentiose in una Ecclesia plures episcopos fuisse contendat, audi et aliud testimonium in quo manifeste comprobatur eumdem esse episcopum atque presbyterum. Propter hoc « reliqui te Cretæ, ut ea quæ deerant corrigeres, et constitueres per civitates presbyteros, sicut et ego tibi mandavi, si quis unius uxoris vir, sine crimine filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse, quasi Dei dispensatorem (*Tit.* I). » Et ad Thimotheum : « Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ tibi data est per impositionem manuum presbyterii (*I Tim.* IV). » Sed et Petrus in prima Epistola, « Presbyteros, inquit, in vobis precor compresbyter, et testis Passionum Christi, et futuræ gloriæ, quæ revelanda est (*I Petr.* V). » Quod autem postea, unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Ecclesiam Christi, irrumperet [rumperet]. Hoc usque sanctus Hieronymus. Nos autem revertamur ad id quod cœpimus. Ecce probabilibus documentis patefactum est, quod ipsum sit presbyter quod est episcopus. Igitur eum presbyter manus impositionem accipit, ut cæteris præponatur, et specialiter episcopus appelletur,

numquidnam in eo quod est presbyter iterum consecratur, et non potius in ejusdem manus impositione augmentum episcopalis ministerii [mysterii], quod non habet accipit. Sic itaque sic Formosus in illa manus impositione, non id quod episcopus erat perdidit, sed augmentum apostolicæ dignitatis, quod non habebat, accepit. Hæc igitur ad ea quæ ipse de manus impositione objeceras, respondisse sufficiat. Cæterum autem interrogavimus eos qui præsentes fuerunt quando Formosus inthronizatus est; sed dixerunt : Procul dubio falsissimum est quod Formosus in illa translatione manus impositionem acceperit; sed quemadmodum in itinere ambulantes precibus effusis Deum exorant, ita et nos gubernatorem omnium exorantes, deduximus eum ad apostolicam sedem, ibique inthronizavimus eum, dantes congruam orationem.

CAP. XXVII. — *Ut qui simultates et lites inter se habent, alter eorum adversus alterum non possit testimonium proferre.*

INF. Adhuc superstites sunt idonei testes, qui Formosum non rite inthronizatum fuisse, sed in eodem ordine quem habebat iterum sibi manus impositionem tribui fecisse testificantur. DEF. Hæc accusatio penitus absurda esse deprehenditur, alioquin juxta tuam sententiam non fuerunt episcopi, qui eum inthronizaverunt, sed potius bruta animalia. Ego enim et non panci mecum, certo certius compertum habemus, quia hæc de Formoso non alii referunt, nisi qui simultates et inimicitias cum eo habuerunt. Et revera non solum divina, sed etiam humana lex præcipit ut qui jurgia et lites ad invicem habere noscuntur, alter eorum adversus alterum testimonium proferre minime possit. Hinc est quod Anacletus papa dicit : Accusatores autem et testes esse non possunt, qui ante hesternum aut pudiustertius diem inimici fuerunt; ne irati nocere cupiant, ne læsi ulcisci velint. Hinc etiam et Sixtus papa scripsit : Non, inquiens, accusatoribus suspectis, vel de inimicorum domo prodeuntibus, est credendum. Papa quoque Telesphorus : Hi vero qui inimici morantur aut qui suspecti habentur, minime recipiantur, quia eorum æmulatio lacerat innocentes.

CAP. XXVIII. — *Quod humanum judicium quatuor personis justissime comprobatur.*

INF. Fortassis coram judicibus pro Formoso causam dicere velis, accusatores præsto sunt : accede, ut quod hujus altercationis verum est, luculento examine clarescat. DEF. Non possumus justitiæ palmam obtinere apud eos qui testes iidem sunt qui et judices pariterque accusatores : siquidem quatuor personis omne justissimum consummatur judicium, accusati videlicet et accusatoris, testium simul et judicum. Neque enim de levioribus causis quæstio ventilatur : proinde necesse est ut auctore Deo congregetur universale concilium, et, ad instar magni Constantini, intersit regis præsentia, et tunc istiusmodi scandalum sedabitur, et Ecclesiæ pax instaurabitur.

CAP. XXIX. — *De concilio quod in Ravennati urbe pro Formoso ejusque ordinatione factum est.*

INF. Verum in Ravennati urbe congregata synodo sancitum est, ut tam Formosus quam ejus ordinatio in suo vigore stabilita permanerent. Quod non sincera concordia, sed auri copia institutum est, ideoque pro nihilo ducendum est. DEF. Ut opinor, illud tibi contigit quod ait Psalmus : « Foderunt ante faciem meam foveam, et ipsi inciderunt in eam (*Psal.* LVI). » Nam quod delatis muneribus tale quid in illa synodo statutum fuerit, probare minime poteris. Nos autem et plurimi nobiscum luce clarius compertum habemus, quod non solum Romuleæ civitatis, sed omnes pene Italiæ præsules memorato interfuere concilio. Quapropter si, favente Deo, regalis potestas universale fecerit concilium, quid de vobis censendum erit, qui tot episcoporum sanctiones irritas facere, non veriti estis.

CAP. XXX. — *De scelere quod in cadaver papæ Formosi perpetratum est.*

INF. Stephanus qui tertius a Formoso exstitit papa eumdem Formosum adeo reprobum esse judicavit, et cadaver ejus de tumulo extrahi et in concilium pertrahi faceret, ibique eum pristinis vestibus denudantes, laico amictu velaverunt, et ferro duobus dextræ digitis amputatis, in quodam peregrinorum tumulo sepelierunt, nec multo post in Tiberinum fluvium præcipitarunt. DEF. Sicuti belluæ humanitatis immemores quomodo intellexerunt, ita et operati sunt. Miserrimi ubi hoc didicerunt? præsertim cum Dominus non dixerit, Quæcunque ligaveritis sub terra, vel sub flumine, sed ait : « Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo (*Matth.* XVIII). » De talibus enim Apostolus dicit, Quidam zelum « Dei habent, sed non secundum scientiam (*Rom.* X). » Proh scelus! saltem poeticam attendere debuerunt sententiam :

Parce pias scelerare manus, jam parce sepulto!

Verumtamen si hujusmodi de sede ad sedem translatio quodammodo illicita fuisset, nonne ecclesiastica pietate tolerare et non inauditis crudelitatibus exaggerare debuerant, et sic demum advocata universali synodo generaliter censerent, ut deinceps Romana civitas tale quid committere non auderet.

CAP. XXXI. — *Quod ad testificandum quæ recta sunt nullius gentis homo prohibendus sit.*

INF. Tandem aliquando ad te revertar. Porro cum sis homo exteræ gentis, et apud nos humanæ vitæ subsidiis indigeas, quid ad te pertinet nostris resistere disceptationibus? DEF. Notum tibi sit quoniam illius generis sum quod apostolus Petrus his laudibus extollit : Vos estis « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis (*I Petr.* II). » Et quia iste populus per universum orbem terrarum Christum adorat et colit, propterea inter eos recipiendus sum, et a veritate testificanda nusquam excludendus. Quis enim nesciat ex Hebræis fuisse apostolos, qui sanctum Evangelium sua prædicatione in toto mundo coruscare

fecerunt? Et ut breviter concludam, nonne si Doctor gentium etiam invidos bene Christum prædicare confirmat, me, qui sacerdotali compassione quæ recta sunt testificor, prohibere quis poterit? Isp. Si advenis et peregrinis Ecclesiæ præpositos accusare licet, vel judicare, aut præjudicare, aut aliqua scriptura adversus eos facere, frustra ergo in pontificalibus epistolis ita præfixum habetur. Anacletus: Deteriores sunt subditi qui rectorum suorum vel doctorum mores vitamque carpunt, licet pravi sint, his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt, et ideo juste infames sunt, et merito ab Ecclesia extorres fiunt. Doctores enim vel quilibet qui locum pastoris in Ecclesia tenet, si a fide exorbitaverit, est a fidelibus corrigendus, sed pro reprobis moribus magis tolerandus quam judicandus. Telesphorus: Non suscipiatur ovis in accusationem adversus pastorem, verum omnes qui adversus eum qui locum pastoris tenet armantur infames esse censemus. Pius. Oves pastorem non reprehendant; plebs episcopum non accuset, etiam si aliter fecerint, nam eorum judicium sibi Deus voluit reservari. Callistus. « Criminationes, conspirationes, susurrationes contra doctorem, vel qui locum superioris tenet, nemo suscipiat; quia non oportet filios patres reprehendere, nec servos dominos lacerare. Non enim bene vivunt qui superiores detrahunt vel reprehendunt. Magistri enim portandi sunt, non reprehendendi, nisi in recta fide aberraverint. Nullus doctor per scripturam accusetur, nec cuiquam accusatori respondeat qui ducit vitam reprehensibilem, quoniam indignum est ut doctor indocto, ovi pastor respondeat. Ipse. Sicut laicus non est, qui legitime convictus, in accusatione recipiendus, sic nec sacerdos sine titulo criminari vel testificari potest, quoniam maculosus et infamis est, accusare non permittitur, et non solum hi, sed et qui consentiunt, rejiciendi. Huc usque Callistus. Item Nicænum concilium. Peregrina judicia generali sanctione prohibemus, quomodo dignum est ut ab extraneis judicetur, qui provinciales et a se electos debet habere judices. Audisti, o defensor, quid pontificum auctoritas super hujuscemodi accusationibus censeat. Sunt et alia quamplura ad eumdem sensum pertinentia, quæ replicare fastidium duxi. Def. Nullius pontificis sententiam veraciter opponere potes, ut scripturarum veritas interrogantibus non sit narranda et exponenda. Ista nimirum capitula illis obviare probantur, qui quoslibet Ecclesiæ præsules accusare non erubescunt, asserentes eorum crimina facta vel conficta, scilicet quod aut homicidæ aut raptores, aut adulteri sint, aut aliquid hujusmodi; non quod in decretalibus apicibus habeatur, ut veritas quæ in sacris voluminibus continetur, non sit interrogantibus proferenda; et, si necesse fuerit, brevitatis causa in litteris assumenda. Quod autem scriptum est, ut nullus adversus aliquem præsulem scripturas faciat, nullusque doctor per scripta accusetur, miror te ita sentire velle, ut interrogantibus nos non audeamus ea quæ respondenda sunt ex divinis libris in schedulis breviter assumere, eisque satisfacere. Aliud namque est dolosas litteras adversus aliquem componere, ut eum aliquatenus lædere possit, et aliud est testimonia de Scripturis in unum conferre, quatenus veritatem quærentibus, ignorantia, quæ mater errorum est, nocere minime possit. Illud namque ad fraudis deceptionem pertinet, hoc autem ad veritatis cognitionem. Me autem quo pacto adversus Patrum sanctiones repugnare asseris, qui non aliquod crimen vel vitium cuiquam præsuli inferre præsumo, sed veritatem quam in sacris voluminibus didici percunctantibus silentio tegere nefas æstimo, præsertim cum Psalmographus dicat ad Deum: Veritatem tuam non abscondi in corde meo (*Psal.* xxxix). Jesus quoque filius Sirach dicit: *In justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia* (*Eccli.* iv). Sanctus namque Isidorus dicit: Testis falsus et is qui vera reticet idem sunt; attamen pejor est testis falsus qui lædit, quam qui veritatem testificari nolit. Nam ille malignus est, iste inutilis. Ego itaque, ut dicere cœpi, neminem accusare vel ad judicium trahere nitor, sed veritatem quam in scripturis legere potui, interrogantibus præsentibus per vivam vocem, absentibus vero per stylum replicare curabo; ne talentum, quod meæ parvitati creditum est, defossum sit, et ab eo qui talenta confert districtius puniar. Alioquin incassum sancti doctores tot libros efficere studuerunt, si recitandi non sunt, et eorum veritas asserenda non est, maxime interrogantibus. Quis hoc vel fatuus dogmatizare audeat? Præterea quod ex eisdem capitulis objicere voluistis, ut Ecclesiæ pastor non sit arguendus a fidelibus, nisi in fide erraverit, quis non videat quod isto te tuo gladio interficias? Ego quidem neminem arguere quæro, sed si me quis iterum baptizare voluerit, errat in fide, an non? Manifestum est quia errat, ac per hoc sine dubio in Spiritu sancto errat per quem omnia Ecclesiæ sacramenta sanctificantur, et credentes baptismate purificantur, sacrisque ordinibus, per quos ipsa fides percipitur, instituuntur. Et revera « quicunque in eum blasphemaverit, nisi pœnitendo se correxerit, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro (*Matth.* xii; *Marc.* iii; *Luc.* xii).» Qua de re, ut sancto placet Augustino, blasphemia in Spiritu sancto est, quæ non remittetur neque in hoc sæculo neque in futuro, cor impœnitens, illius videlicet qui absque pœnitentia in suis moritur peccatis. Ergo qui in sacris ordinibus, ut supra declaratum est, erraverit, nisi ab ejusmodi errore pœnitendo recesserit, absque dubio non remittitur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro. Ecce de sacerdotali consecratione percontantibus veritatem, quæ in sacris eloquiis passim habetur, pro viribus aggregare curavi, quanquam peregrinus et advena, ut ipse frustra confingere non erubescis. De cætero autem

« Hoc non exstat in epist. Callixti.

jam quid aliud restat, nisi ut Dominatorem omnium invocantes, dicamus cum Propheta : *Exsurge, Domine, judica causam tuam ?* (*Psal.* LXXIII.)

CAP. XXXII. — *Quod juramentum etiam per vim datum, si ad peccandum non pertinet, irrefragabiliter sit observandum.*

INF. Calcata reverentia, velut obtrectator, me perjurium incurrere asseris, in eo quod jurejurando spopondi, et secundum meum posse ordinationem quam Formosus fecit, subvertam. Fateor equidem quia violenter depressus juraveram, et secundum meum scire et posse præfatæ ordinationis defensor existerem. Sed quoniam in apostolicis pontificibus una est auctoritas, sicuti papæ, Marinus eumdem Formosum de juramento quod invitus dederat, solvere potuit, ita et me apostolicus Pater ab illius sacramenti nexu dissolvit, et juramenti sponsione ligavit, ut eamdem ordinationem secundum meas vires ad nihilum redigam. DEF. Scripturarum testimoniis et Patrum documentis superius definitum est ut ad male faciendum nemo sacramento constringi debeat; et si aliquatenus factum fuerit, non sit observandum, sed magis pœnitentiæ submittendum. Formosus enim non juravit ut cuiquam læsionem inferret, sed * nequam angustatus jurando promisit ut Romuleam urbem nunquam ingrederetur, ad reconciliationem sui honoris nunquam accederet, suumque episcopatum nunquam reciperet. Hoccine sacramentum apud Christianos cuilibet imponi fas est? Nonne contra sacram religionem contrarium esse convincitur? Contra sacram religionem in quod invitus juravit ut Romuleam urbem nunquam introiret, hoc est, nunquam apostolorum corpora Petri et Pauli adoraret. Contrarium vero in eo quod adjunxit, ut ad reconciliationem sui honoris nunquam accederet, suumque episcopatum nunquam reciperet. Rata ergo compassione Formosum a tali juramenta solvere decreverunt, juxta id quod Dominus ait : Misericordiam volo magis quam sacrificium, et scientiam Dei plusquam holocaustum. Tu autem aperi oculos cordis tui, et vide qualiter in eisdem tuis sacramentis dupliciter prævaricator existas. Jurasti enim licet invitus, ut ipse fateris, ut ordinationem illam secundum tuum scire et posse adversus æmulos defendas; quod utique non ad cujusquam calamitatem, sed ad utilitatem pertinet. Postmodum jam non invitus, sed quibusdam placere desiderans, jurasti ut eamdem ordinationem secundum tuum posse subvertas, quod procul dubio ad malum faciendum attinet. Denique in apostolicis pontificibus unam esse auctoritatem quis ambigat? sed utique ad ligandum, quo merito ligari debet, et ad solvendum quo merito solvi oportet. Alioquin frustra beatus Gregorius dicit : Judicare de subditis nequeunt, qui in subditis suis sua vel odia vel gratiam requirunt. Unde recte per prophetam dicitur : Mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt (*Ezech.* XIII). Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat, et non victurum vivificare nititur, qui reum supplicio absolvere conatur. Et Hieronymus tractans illud evangelicum : « Quæcunque ligaveritis super terram (*Matth.* XVIII), » ait : Istum locum non intelligentes episcopi et presbyteri, aliquid sibi assumunt de Pharisæorum supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Patenter ergo intelligi datur, quod nemo te a vinculo illius juramenti, quod ad bene faciendum præbueras, solvere potuerit. Juramentum autem quod ad male faciendum dedisti, proculdubio non est observandum sed magis pœnitentiæ submittendum.

INCIPIT

LIBER CUJUSDAM REQUIRENTIS ET RESPONDENTIS,

SEU

AUXILII LIBELLUS

Super causa et negotio Formosi papæ.

(Ex Analectis Mabill.)

MONITUM AD LECTOREM.

Celebris fuit quondam controversia de causa Formosi papæ, quæ duobus maxime capitibus constabat. Primum est, an canonica esset ejus promotio in sedem Romanam; alterum, an ordinationes ab eo tum factæ validæ essent habendæ. Consequens pendebat ex priori, cujus dubitatio ex triplici ratione petebatur, nempe quod Formosus, antea Portuensis episcopus, ab Joanne papa VIII exauctoratus, et ad laicam communionem redactus fuisset : deinde quod profugus jurasset nunquam se Romam rediturum : tertio, quod

a sede Portuensi in Romanam esset translatus. Quæ translatio ecclesiasticis regulis Romanisque moribus contraria erat.

Non defuere tamen, qui Formosi patrocinium tunc susceperunt, quos inter Auxilius quidam Francus, (fictum an verum nomen) sed in Italia degens, et a Formoso ordinatus, duos in ejus defensionem libros scripsit. Prior capita quadraginta, posterior triginta duo complectitur, cum epistola prævia ad Leonem Nolanum episcopum, cujus rogatu istud opus susceperat. Hanc epistolam cum indice triginta capitulorum prioris libri, illustrissimus cardinalis Baronius in Appendice tomi XII inseruit : utrumque librum integrum edidit Joannes Morinus in parte II de sacris Ordinationibus a pag. 318.

Posterior liber exstat in ms. codice Fiscamnensi, cui loco prioris a Morino editi præmittitur dialogus hic editus, quem ejusdem Auxilii esse non dubito. Descriptum ex eo codice dialogum ad me transmisit noster Julianus Bellasius, eumque in publicum proferre visum est, si quid conferat ad obscurissimi temporis controversiam illustrandam.

Auxilio in laudes Formosi papæ consentit Frodoardus, cum in historia sua, tum in libro metrico de Romanis Pontificibus, cujus libri magna pars typis vulgata est in parte II sæculi tertii Benedictini, ubi de Formoso hæc inter alia leguntur :

Præsul hic egregius Formosus laudibus altis
Evehitur : castus, parcus sibi, largus egenis :
Bulgaricæ genti fidei qui semina sparsit,
Delubra destruxit, populum cœlestibus armis
Instruxit, tolerans discrimina plurima, promptus.
Exemplum tribuens, ut sint adversa ferenda,
Et breve viventi metuenda incommoda nulla.

At Formosum non ita culpæ expertem fuisse contendit Morinus, quin Stephanus VI probabilem in eum mortuum sæviendi causam habuerit. De hoc alii judicent.

Petis a me responderi tibi super Formosiana calamitate, utpote ignarus veritatis. Quod respondeam non invenio : totum enim responsum est. Verborum enim copia frustra perstrepere vitium est, præsertim cum epistola brevi verbo clausa responderit dicens : « Si quis aliud evangelizaverit, etiam angelus de cœlo veniens præter id quod est, anathema sit (*Gal.* I, 8). » Jam enim pudet fatuitatis. Quid igitur prodest tot membranas occupare, et de exemplaribus plenariis quotidie capitularia in tomis transferre : cum desit auditorium ; insuper alto sopita aspis jaceat somno gravique litargico adeo pressa, ut nullo queat excitari sono? Illis itaque hoc agere competit, quibus est commissum magisterii remigium : illi debent audire, quatenus usque ad sanguinem resistant. Ego autem vilis et stupida ovis, debeo audire dicentem : « In patientia tua possidebis animam tuam (*Luc.* XXI, 19). » Et iterum : « Cultus justitiæ silentium (*Isa.* XXXII, 17). » Paulus igitur, cum esset vas electionis, magister Ecclesiæ, non ab homine, sed ab ipso Deo in apostolatu electus, non se æstivit competentem volanti Mago imperare, sed dixit : Tuum est, Petre, imperare, meum autem orare. Sic nimirum, sic orare nostrum est, ut dormiens Jesus in navicula exsurgat, et judicet causam suam. Cæterum victus tuo favore, neminem carpens, neminemque reprehendens, nullum certum tangens, distribuam tibi, te præsule teque judice, sub rhetorico phasmate actionales causarum voces, quarum intentione et repulsione quis sibi varietatis palmam acquirat possis vigilanter discernere. Verum primum antequam in auditorium ingressus fiat, præ foribus paulisper vis artis aperienda est, ut locorum status finesque constitutionum facilius impectorentur, et hoc breviter. Re enim vera omnis orator brevitate gaudet. Unde sit brevitas in verbis, paucitas in sententiis, absolutio in singulis.

Dicantur igitur principales status tres esse : an sit, quid sit, quale sit. Et an sit, ad quæstionem ut quæritur. Formosus, et quæstio est de illo. Quid sit vero, pertinet ad causam : ut quid fecit, unde quæstio est. Quale autem, ad conjecturam respicit. Inde ad controversiam quatuor constitutionum : ubi jam nunc dicendum quid inter hæc distet. Quæstio est conjectura ; conjectura autem, ambigua interpretatio : utrum sit aliquid, vel non, vel fieri potest, ut, an Formosus sacrare post excommunicationem valuisset. Causa vero est, an juste fecerit, nasciturque ex quæstione causa, ex causa constitutio, unde sit quæstio ut videatur causa. Porro quæstionum aut finitum est, aut infinitum. Finitum : an jure factum sit ; oriturque de certo factum, demonstratque personam quæ dicitur hypothesis. Omnis igitur res argumentando confirmatur. Omnis scilicet res quæ hypothesi consistit, causa dicitur, cujus causæ ista est diffinitio : Lis cum certa persona. Et hæc omnis res ex septem locis argumenta contrahit. Horum duo, quis et quid, omnia continent. Hypothesin itaque litem continet. Litium autem duæ sunt voces, insimulantis et repulsantis : quæ fiunt per hypophoram, et antipophoram. Sed de hoc satis. Idcirco itaque ista prædiximus, quatenus prænoscatur liquidius, quo argumento vocis alter alterum jaculetur. Quocirca statuatur jam nunc certa persona Formosi in medio, et causidicis [causidicus], si sicut et ex adverso civilibus alternantibus vocibus, per demonstrativum tertium genus causarum experiatur veritas, vel falsitas. Huc itaque dialectica minime succurrit neutri : quia his et controversia est, certaque monstratur persona, ubi impossibile est ut quilibet non succumbat. Age ergo, suadet infensor, et dissuadeat actor. Ecce stat Formosus præsto.

Dicit INSIMULATOR : Hic Formosus episcopus fuit excommunicatus. ACTOR : Fuit quidem, sed absolutus.

INS. : Minime. ACTOR : Absolutus

INS. : Non quidem possibile fuit. ACTOR : Si pos-

sibile fuit, juste agari, possibile est et juste absolvi.

Ins. Non igitur absolutus fuit, quia scripto et juramento firmaverat. Actor : Licet malefacta benefactis delere. Iste tamen prius excommunicatus, postea est absolutus.

Ins. Quo pacto scis eum absolutum? Actor : Eo scilicet quo tu excommunicatum. Auditur enim tam verum, quam falsum nuntium. Ecce enim præsto sunt episcopi quorum præsentia absolutus est.

Ins. Excommunicatus, non absolutus fuit, inquam. Actor : Unde fuit excommunicatus ? Et quia *ex* præpositio sequestrationem significat. Communicare vero polissemum est, ambiguum sonat unde excommunicatum asseras, præsertim cum sex modi sint divisionis. Unus autem generis in species, totum in partibus, vocem in propriis significationibus, subjectum in accidentiis, accidentia in subjecto, accidentia in accidentiis. Hac voce sermonis ambiguum et amphibologicum illustra. Unde quia vitium in loquendo fecisti, supple quod minus dixisti.

Ins. Dico, inquit, istum Formosum excommunicatum, id est extra communionem episcoporum ordinis repulsum. Actor : Majus est a collegio Christianorum excludere, quam ab officio episcoporum cessare. Et tamen ab eo, quod majus est ad pristinam venitur veniam. Si enim, quod gravius est et multo majus reformari potest, id quod minus est, multo facilius recuperari potuit. Et quia potuit, procul dubio fuit. Absolutus igitur fuit. Ecce numerositas veritatis testium, quæ dicit se vidisse, interfuisse et veraciter ita exstitisse. Sed pertinacia, etiamsi voluerit cœlum et terram dicere non esse, poterit. Unde est illud : quia « insipiens in corde suo Deum non esse dicit (*Psal.* XIII, 1). » Mendacii igitur destruitur hic moles a suis tribus speciebus. Incredibile est itaque ut sapientia totius mundi, Roma, excommunicatum quemlibet sibi caput fecisset. Impossibile etiam erat, ut a quolibet vili homululo tam vivida virtus senatuum invadi potuisset. Unde percontrarium est, ut, nisi absolutus et omnium placidus, æqua cunctorum voluntate ascendi potuisset.

Ins. Absolutus, inquam, fuit ? Actor : Absolutus.

Ins. Dicis utique juste ? Actor : Juste, an injuste, absolutum probo.

Ins. Ergone absolutus, ut habuisset facultatem sua dimissa suaque perdere, scandere ad primatum? Quod ne fieret scripto juramentoque perpetuaverat, itane hoc licitum ? Actor : Non equidem.

Ins. Qui ergo absolutus ? Actor : Ascendit.

Ins. Dicis juste ? Actor : Non.

Ins. Quare ? Actor : Quia æternum firmaverat.

Ins. Etsi illicite, insuper et hoc firmasse æternum asseris, quare ergo subiit ? Actor : Ob utilitatem videlicet. Et quidem fecit ; quia profuit, fecit : et hoc jure.

Ins. Superius concessisti factum illicite. Et nunc astruis, jure ? Illicite enim et jure, primus modus contrariorum, non habet medium. Si quippe illicitum fuit, jure non potuit. Quod si jure factum fuit, illicitum non exstitit. Unde contrarium sonat quod astruis. Actor : Majus est plures pessumdare, quam unum salvare. Quidquid igitur fit, in duobus fit : factis et dictis. Factum stat, dictum perambulat. Omnis itaque conjectura modos possidet tres : a causa, a persona, a facto. In hac igitur causa, hujus personæ voluntas est intuenda, ut amore liberandi patriæ excesserit dictum. Hic enim, cum esset celebrior ea tempestate suis contribulibus nobilitate, morigeralitate, graviorique omni probitate, et vidisset gentem suam patriamque humiliari ac dejectum pati, elegit, zelo ductus, potius mori quam funditus rempublicam everti et turpiter videre maculari. Et, quia cunctorum hortatu egit, illicitum erat dimittere, multo magis ut patriæ se opponendo non occurreret, quam illicitum sacramentum sese oculens servando, simul ipse cum patria et tota gente periret. Felix certe culpa, qua cuncta redimitur patria. Qui igitur pereunti subvenire potest, et opem non supponit, idem procul dubio auctor necis exstitit.

Ins. Illicitum quippe lex dicit jurare et pejerare. Actor : Lex itaque econtra præcipit patriam defendere, et eum qui opem non tulerit punire. Legum enim contrarietas plurima est. In eodem enim vetat in quo imperat. Quæ talia utilitas reipublicæ sequestrat. Verumtamen major est lex quæ vetat quam ea quæ imperat, quia, cum vetat, reprimit ea quæ injuste aut incaute vel insperate imperat. Si itaque is qui patriam perdidit pœnam meretur, multo magis is qui defendit, maximis præmiis et præconiis dignus habetur. Si igitur filius Ecclesiæ fuerat, eam discerpere et labefieri videns, pro viribus sese obniti debuerat. Alioquin tempore hostili omne jus, omneque illicitum cavere quid est aliud, nisi patriam perdere et necem inferre? Silent quidem leges inter arma.

Ins. Illicitum enim jurare et non observare fuerat. Actor : Illicitum lex dicit, ut peregrinus murum civitatis ascendat. Quod si fecerit, puniatur. Iterum lex dicit : Qui hostem ad murum conantem viderit, et non se opposuerit, puniatur. Quidem vidit, ascendit, profligavit, rejecit. Obmallatur [*glossema interlineare*, morti datur]? Similiter lex erat in templo Vestæ marem non ingredi : ingressus puniretur. E contra lex : Qui viderit matri inferre vim, et opem non tulerit, puniatur. Quidam procul means, vidensque matrem vapulantem, ingressus opem tulit. Obmallatur ? Quocirca omnes leges, omniaque jura, verba, promissionum sacramenta, ad commodum reipublicæ referri oportet. Ea enim virtute ac sapientia majores nostri fuerunt. Ergo in hoc quoque judicio desine litteras legis et illicita perpendere. Considera quid magis utile fuerit, unum hominem jusjurandum servare, et caput mundi ruere : an unum verbis excedere, et gentem et patriam salvam reddere. Quod si omnes leges ad commodum reipublicæ referri oportet, levius est malum, quam pessimum. Bonum igitur malum, quod pellit pessimum. Amplectendum enim est malum singulare, quo pellitur generale. Siquidem mirum est spectaculum,

licitumque dicendum non illicitum, imo laudabile et venerabile, ubi malum finitum simplex superat duplex infinitum. Moderandum enim erat tempus. Omnis enim virtus utilis est. Moderatio autem virtus est. Moderatio igitur utilis est. Unde moderandum erat tempus secundum negotium. Porro si de lege contendis, satis sit dictum lege legem frangere, reipublicæ honestate et utilitate. Postremo id quod dictum est in eodem, et licite, et jure, divisio accidentium in accidentiis dirimit : quia ex eo quod illi illicitum, reipublicæ exstitit licitum et jure.

Ins. Convenio certe te, quia illicite esse supra concessisti, quia æternum firmaverat, quod ex parte utilitatis reipublicæ partim purgasti, videlicet utrique legi imperanti et vetanti obtemperandum, satisfaciendo mihi. Si primum factum illicitum quantum ad eum pertinet, concessisti ex parte, quid de factorum factis astruis? Actor : Factum esse in ascensione sedis ex parte licitum, ex parte, dico, illicitum, siquidem ex interiori et exteriori esse, unus est homo. Facta vero ejus absit ut opinentur irrita!

Ins. Cur igitur factum, et non facta? si illud, quare non ista? et si non ista, quare illud? Actor : Quia aliud est factum, et aliud facti factum. Et rursus aliud factum sequens factum. E tribus enim generibus factorum solum primum est in causa. Non itaque quæstio est de factis duobus posteris, sed de facto factorum.

Ins. Non inquam facta sequentia rata, si primum non fuit ratum, sed irritum. Actor : Non ita nempe. Esto licet quod ascendit prævaricabile : non tamen quæ post fecit, id non prævaricabile.

Ins. Quæ bona fecit non prævaricabile? Actor : Id profecto quod prædicavit, et sacravit.

Ins. Non, inquam, potuit sacrare. Actor : Ergo nec prædicare.

Ins. Potuit, sed in sua tantum redditus sede. Actor : Si in sua concedis posse, necesse est ut et in aliena concedas posse, licet ut disputatum est, ex parte injuste. Unde primum factum dicat ex parte irritum, non tamen secundum, quia quod posse est, procul dubio pro libitu possibile est. Id enim quod dicitur posse, si est posse, sicut in licitis, ita et in illicitis dicitur posse. At si negas in illicito Spiritum sanctum posse invitare, consequens est ut neges in illicito coitu animam Deo posse mittere. Illicitum dico, qui qualibet occasione ad tempus sacratus est ; sequestratus ab altari, et in ipso fervore sequestrationis fungitur officio. Nam etsi actus aliquandiu separatur a specie, non tamen posse. Potestas enim nulla ratione a specie disjungitur. Risibile namque, quod est posse, vivere et dormire, et cætera quæ sunt speciei cohærentia, non quidem semper sunt in actu, cum sint in potestate. Si enim non perdit baptizatus baptismum, etiam eliminatus ab Ecclesia : quo pacto perdit sacratus, licet excommunicatus, Sacramentum suæ impositionis posse, nisi ad tempus obtemperando priori, ut paulo post absolutus iterum fungatur officio, sicut et baptizatus Ecclesiæ ingressum? Est igitur posse : sed non in actu.

Ins. Non ego quod dicis consentio. Actor : Dic ergo quare ejus facta damnes, cum ejus facta ut primum factum obligatum scripto et juramento non sint.

Ins. Ideo scilicet, quia quod non habuit, dare non potuit. Actor : Plane potuit quia habuit. Ideo habuit, quia ab episcopis manuum impositionem accepit. Accepit autem et habuit, deditque quia potuit.

Ins. Quod, inquam, non habuit, dare non potuit. Actor : Dicis de potestate non habuit, an de actu, aut de utroque?

Ins. De utroque. Neutrum sine altero stat. Si enim perdidit officium, officium non habet. Quod si non habet, jam dare minime potest. Perdidit quidem officium, ubi amisit potestatem et actum. Actor : Horreo valde cæcam tui simultatem, qui omissa veritate stabilire niteris falsitatem. Naturale igitur est, ut per nota efficiantur notiora ignota. Siquidem argumentum duas habet species, inclusam et expositam. Baptizatio autem in virtute Spiritus sancti sit, et datur remissio, et hoc semel. Rursus ordinatio sacrorum in virtute Spiritus sancti ejusdem fit, et hoc semel. Qui si acciderit noxa ut excommunicetur, nunquid nam dicendum ut excommunicetur ne sit Christianus, qui donum per Spiritus sancti gratiam acceperat? Quod si unum donum per eumdem Spiritum sanctum datum nullatenus potest evacuari, quomodo dicis aliud simile donum posse pelli? Annue suspicaturus, quod non sit unus sanctus cooperans omnia Spiritus, cum prorsus « unus sit Dominus, una fides, unum baptisma (*Eph.* IV, 5), » unum sacerdotium. Quod si baptismum non auferri potest, procul dubio nec sacerdotium. Ab actu quidem per divinitatem segregari potest, ut tamen sacerdos in perpetuitate non sit, sicut baptizatus, minime potest. Et sicut unum initium est, ita et possessio similisque finis. Unde apparet, quia sicut baptizatus rebaptizari non potest, sic sacratus nullomodo resacrari potest. Quod qui hoc contradicit in hæresim Donastitarum ruit. Quod itaque per unum Spiritum sanctum sit, unum est, et non diversum. Alioquin si in baptismo confertur Spiritus, et non in sacerdotio jam non est unum, sed potius diversum. Non enim accidentia sunt quæ accidant et recedant baptismum et sacerdotium, per excommunicationem, ut puta quodlibet accidens : veluti sapientia quæ recedit a subjecta mente, aut dum desipit, aut dum obliviscitur. Nec quidem perduntur per segregationem potestatis, nec ullo modo nævum infectionis in se perpetiuntur, nec mutari ut sanctum non sint ; nec etiam ita evelluntur, ut sive ad malum, sive ad bonum, secundum illud acceptum ordinis ordinati non judicentur. Quocirca necesse est ut concedas, sacerdotium ab accepto inseparabile, sicut baptismum. Aut si non, aliud esse donum baptismi, aliudque sacerdotii. Quod dictu impium est.

Ins. Dicit enim Innocentius, quia quod non ha-

buit, dare non potuit. ACTOR: Dixit, sed non de catholico isto Formoso. Sed licet de quolibet dixisset Innocentius, si etiam de aliquibus nonnullis dixit hæreticis; econtra priora dixere Leo et Anastasius. In humanis enim legibus pluritas vincit, siquidem « in ore duorum vel trium testium stat omne verbum (*Matth.* XVIII, 6). » Minus est enim unum excessisse quam plures. Neque igitur in dando exemplo, nec unum, nec unus sufficit; neque ita quis ab hæretico baptizatus, ab ullo catholico rebaptizatur. Vide quia neque etiam hæreticus jus pontificis perdit, sed neque sacrationis. Etsi de hæreticis hoc conceditur, quare non de Formoso, viro catholico et orthodoxo, conceditur? Is est profecto ille, qui in omni vita sua tantæ gravitatis forma exstitit, ut vinum non biberet, carnis gustum nesciret; femineæ copulæ expers, octogenarius virgineum suum corpus hominem exuens terræ commendaret. Istæ etiam gentes Vulgarorum, vitam sanctitatis prædicatione confirmans, ut verus apostolicus ad fidem adduxit. Et cum tanta probitate prædicatus toto mundo ut alter lucifer illuxisset, vim passus in sepulcro, busta diruta, ossa fracta, uti quoddam memphiticum, ejectus est extra publicum. Cui tanto viro examinato ut aurum, nil juvare potuere scholæ clamantes: O parcite sepulto! est nullum cum mortuis certamen, sed fuit in eo licitum, quod libitum. Neque enim ipsis apostolis datum est de mortuis præjudicare.

IXS. Quid igitur? datur quod non habetur? ACTOR: Etenim datur.

IXS. Quidam itaque presbyter, ut puta heri baptizavit, et ipse criminosus. Qui dum baptizavit, peccatum originale dimisit? ACTOR: Denique id approbo condescendendo tibi, quasi tuis assertionibus favens, tuæque parti astans, non quidem ex ea parte veritatis qua sum defensor. Unde replica quæ dixisti.

IXS. Non, inquam, dico: « Presbyter dimittet, quia nemo nisi Deus dimittit (*Luc* V, 21). » ACTOR: Concedo quia ita est: sed tamen Deus non dimittit, teste Ecclesia quæ dicit: Nisi presbyter baptizaverit. Accedente quidem homine ad hominem, Deo ad mentem, ex duobus tertius remissionem recipit, tingente scilicet presbytero efficitur remissio, et quod non habet ex suo, porrigit ex officio. Ecce qualiter dat id quod non habet.

IXS. « Nemo, inquam, dimittit peccata, nisi solus Deus (*Ib d*). » ACTOR: Verum est, assentio: sed inspice Deum a Deo factum, videlicet ab essentiali accidentalem, quem factum honoravit eum sic ut daret ei potestatem filios etiam Dei fieri (*Joan.* I, 12), daretque potestatem dimittere et retinere, solvere et ligare (*Matth.* XVI, 19).

IXS. Sed non Formoso. ACTOR: Si perfecto odio odisses, minus egisses. Unde antiquarum odium felle amaritudinis parvo stillicidio verborum dulcorari non potest. Nam si per impositionem manuum episcoporum dari Spiritum sanctum incredibile est, qua ratione vita animæ a Patribus tradita est? Non recte dicitur de uno credendum jure non posse, cum de omnibus dicatur æqualiter posse. Aut enim omnibus æqualiter erit posse, aut æqualiter omnibus non posse. Etenim credibile est per impositionem manuum episcoporum accipere Spiritum sanctum. Quia vero Formosus, ut alii apostolici, etiam et ab ipsis episcopis manus impositionem accepit, et ipsius potestatis utique expers non fuit. Accepit autem. Igitur et dare potuit. Nam si non habuit, aut similem impositionem non accepit; aut si similis fuit, quia mutari non potuit, simili modo ut alii qui acceperunt, id quod acceperat simili conditione dare et potuit. Si illud fuit, et istud: quod si istud non fuit, omni modo nec illud. Fuit autem illud, ergo et istud. Si itaque astipularis quemlibet jure sacramento non posse uti, alterum jure sacrare; fateris indubitanter sacramentum alteratum existere. Unde requiro abs te, utrum jure in sacramento alteratum sit dicere. Alteratum sacramentum, inquam, appello, quidquid divinitus per ministrorum celebratur manus, ut puta baptismum, impositio manuum, et cætera cœlestia.

IXS. Nec spero. ACTOR: Quare?

IXS. Quia non est diversum. Cum enim diversum tribus fiat modis, materia, opere, utroque: quia sacramentum neutrum est, alteratum non est. ACTOR: Gratum est quod asseris. Et quidem in hoc veritati obediens, pro me contra te dicis. Nam si sacramentum neque aliud est, neque alteratum, quoniam nec genus, nec species distans a specie, nec accidens in eodem est; et nec quantitatem nec qualitatem habet, et nec augeri, nec minui, nec mutari potest, et ideo non esse diversum fateris, sed potius esse idem in eodem unum. Qua ratione ergo dicis non potuisse Formosum ea uti accepta potestate, sicut et cæteri cum cæteris, cum confitearis sacramentum et Formosum suis in speciebus, etsi sint altera, non tamen alia, præsertim cum omne aliud alterum, non tamen omne alterum aliud sit? Paulus enim a Petro, etsi alter est, non tamen aliud est. Non quidem homo homine, equus equo, majus hodie est, nec cras erit. Sic nimirum, sic, etsi sacramentum ob efficientem alteratum potest dici, non tamen neque alteratum in eodem, quoniam sacramentum sacramento nec majus est hodie in eodem subjecto, nec erit cras.

IXS. Fateor me in hoc veritati cedere: verum quia invasor fuit, apostolicus esse non potuit. ACTOR: Dictum est mendacio tria ascribi, incredibile, impossibile, et contrarium. Si igitur concessero invasorem fuisse, videbor turpitudinem reipublicæ inferre, cum etiam contrarium videatur incredibile et impossibile esse, ut ab uno tantillo homuncione tanta sublimitas, tanta majestas, caput mundi subjici, et invadi quivisset. Quod si ita fuisse defendis, procul dubio prudentiorem, sapientiorem, utilioremque cunctis ostendis, ac per hoc dignum cum singularem ascendere ad culmen patescis, dum unus contra omnes potuit, quod omnes

contra unum nequiverunt. At si concessero illum fuisse invasorem, probabo illius sceleris plures exstitisse consortes. Quod si tu, inquam, dixeris episcopum illicitum esse scandere ad papatum, pavendum est ne irritum dicas Marinum, et ejus factum. Quocirca scito et animadverte, quia vincere quidem bonum est, supervincere autem nimis est invidiosum.

Præterea consequens est jam, ratioque exposcit, quatenus per anacephaleosin dictorum finis recensendo claudatur. Propositum enim est, excommunicatum Formosum episcopum fuisse: sed probatum est, absolutum. Dictum est licet absolutum, ad aliam sedem nullatenus posse migrare. Concessum est primum factum; etsi illud irritum, sequentia tamen esse facta nullo modo irrita posse. Innocentius econtra objectus est: Anastasius Leo et Gregorius ex adverso clamantes, etiam hæreticorum ordinationem sanciunt irritam nullatenus esse. Subjectum est, non potuisse dare quod non acceperat; probatum econtra est, quia sicut baptismus etiam delinquentibus non aufertur, sic donum sancti Spiritus, quod semel datur per manuum impositionem, nec auferri potest etiam delinquentibus a potestate, et licet actu, sed non potestate. Age ergo, vide qualiter absolutus insuper per impositionem manuum episcoporum habuisse posse sacrare, dare, et totum pontificale munus peragere. Extremum convenio vos unum, quod me vehementissime movet: quia nullis suorum ordinatis, nec ordinatorum ordinatis ullo modo parcitis. Quare ab eis baptizatis indulgetis? Et si illud non potestis, quomodo istud potestis, cum unum sit sacramentum, unumque sancti Spiritus donum. Sed de hoc satis.

Convertere jam nunc tandem, anima mea: fuge, abscondere in tuæ mentis armario. Et si pauca sunt bona quæ dixisti; si qua in quibus errasti, precare doceri, deposce indulgeri. Tandem intra in cubiculum: fugiensque freneticorum gaudium, plange tuum mortuum: dicque et tuis, imo cunctis: Tu autem, Domine, miserere nostri.

Syllogismus ab antecedentibus.

Si omnibus episcopis una inest potestas, est et uno. Est autem omnibus una potestas. Igitur et uno.

Syllogismus a consequentibus.

Si non inest in omnibus episcopis una potestas: nec uno. Est autem in omnibus una potestas. Igitur et uno.

Syllogismus a repugnantibus.

Non est omnibus una potestas: et non est uno. Est autem omnibus una potestas. Igitur et uno.

Syllogismus a disjunctibus.

Aut inest ordinationi episcoporum unitas, aut diversitas. Est autem unitas. Igitur non est diversitas.

Quintus modus.

Aut inest ordinationi episcoporum unitas, aut diversitas. Non inest unitas. Igitur inest diversitas.

CHRONICON SEBASTIANI

SALMANTICENSIS EPISCOPI

Sub nomine Alphonsi tertii vulgatum.

MONITUM

(Apud Floresium, España Sagrada, tom. XIII.)

Hoc Chronicon a plerisque Sebastiano Salmanticensi episcopo tribuitur, et præfatio satis antiqua eam opinionem confirmat. Resistunt alii, atque ipsa præfationis hujus Chronici inscriptio, qua Adefonsus rex, nimirum cognomento Magnus, opus nuncupat Sebastiano Salmanticensi episcopo, Gothici codicis satis antiqui fide confirmata (*Soriensi scilicet*) et auctor ipse, æra 749 Viseum Lusitaniæ urbem et suburbana populasse se, hoc est instaurasse, ait: quod nescio an Salmanticensi episcopo convenire possit in ea tenuitate redituum ecclesiasticorum: et verisimile est opus a Sebastiano confectum, nomine Adefonsi regis et titulo, quasi ipsemet scripsisset, in publicum datum: quod video aliis in Hispania regibus contigisse, ac nominatim Adefonso decimo Castellæ regi, cognomento Sapienti; unde opinionum varietas exorta sit. Inchoat certe ab æra 710, desinit in Ordonii obitu, cui Adefonsus ipse cognomento Magnus, nempe filius patri successit in regno, æra 904, hoc est anno Christi 866. Vitio librariorum, et ipsa sæculi ruditate, nonnulla ita sunt implicata, vix ut intelligi possint: alioqui opus non modo utile, sed necessarium ad historiam ejus ætatis cognoscendam.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI INCIPIT CHRONICA VISEGOTHORUM a tempore Wambani regis usque nunc in tempore gloriosi Garseani regis [a] Adefonsi filii collecta.

1. Adefonsus rex Sebastiano nostro [b] salutem. Notum tibi sit de historia Gothorum, pro qua nobis per Dulcidium presbyterum notuisti, pigritiaque [c] veterem scribere noluerunt [d], sed silentio *gritiæque.*

[a] Addidit hic Mariana *divæ memoriæ.*

[b] Idem et codex regiæ biblioth. Matrit., *Salmanticensi episcopo.*

[c] Sic Mar. Perez et Ferreras. Berganza, *notuit pi-*

[d] Sic Mar. et codex reg. biblioth. Matrit. Alii *noluerint.*

occultaverunt. Et quia Gothorum Chronica usque ad tempora gloriosi Wambani regis Isidorus, Hispalensis sedis episcopus, plenissime edocuit [a]; nos quædam ex eo tempore, sicut ab antiquis, et prædecessoribus nostris audivimus, et vera esse cognovimus, tibi breviter intimabimus.

WAMBA.

2. Igitur Recesvindus Gothorum rex ab urbe Toleto egrediens in villam propriam venit, cui nomen erat Gerticos [b], quæ nunc in monte Cauræ [c] dignoscitur esse, ibique proprio morbo decessit. Cumque rex vitam finisset, et in eodem loco sepultus fuisset, Wamba ab omnibus præelectus est in regno æra 710. Sed ille renuens, et adipisci regnum nolens, tamen accepit invitus quod postulabat exercitus: statimque Toletum advectus in ecclesiam metropolis sanctæ Mariæ est in regno perunctus. Ea hora præsentibus cunctis visa est apis de ejus capite exilire, et ad cœlum volitare: et hoc signum factum est a Domino, ut futuras victorias nuntiaret, quod postea probavit eventus. Astures, et Vascones crebro rebellantes edomuit, et suo imperio subjugavit. Galliarum provinciæ cives conjuratione facta a regno Gothorum se absciderunt, regnoque Francorum se subdiderunt. Pro quibus restaurandis, domandisque provinciis, Paulus dux ab Wambane directus cum exercitu non solum injunctum sibi negotium non peregit, sed contra patriam agens, tyrannorum scelestorum factus est princeps. Sed si plenius cognoscere vis quantas cædes, quantas urbium incensiones, quantas strages, quanta agmina Francorum vel Gallorum ab Wambane sint interempta, quantasque famosissimas victorias idem exercuit, quæ de Pauli tyrannide excidia evenerint; beatum Julianum metropolitanum legito, qui historiam hujus temporis liquidissime contexuit.

3. Illius namque tempore ducentæ septuaginta naves Saracenorum Hispaniæ littus sunt aggressæ, ibique omnia eorum agmina ferro sunt deleta, et classes eorum ignibus concrematæ. Et ut tibi causam introitus Saracenorum in Hispaniam plene innotesceremus, originem Ervigii regis exponimus. Tempore namque Chindasvinthi regis ab imperatore expulsus quidam Ardabastus, ex Græcia in Hispaniam peregrinatus advenit, quem Chindasvinthus honorifice suscipiens, ei consobrinam suam in conjugio copulavit, ex qua natus est Ervigius. Qui Ervigius cum esset palatina peritia enutritus [d] et honore comitis sublimatus, elate et callide adversus A regem [e] excogitans, herbam, cui nomen est spartum, illi in potum miscuit, et statim regi memoria est ablata. Cumque episcopus civitatis, seu optimates palatii, qui regis fideles erant, quos penitus causa potionis latebat, vidissent regem absque memoria jacentem, causa pietatis commoti, ne rex inordinate migraret, statim ei confessionis et pœnitentiæ ordinem dederunt. Cumque rex a potione convaluisset, et ordinem sibi impositum cognovisset, monasterium Pampligiæ [f], petiit, ibique quandiu vixit, in religione permansit. Regnavit ann. IX, mens I, dies XIV [g], et in monasterio vixit ann. VII, mens III, et morte propria decessit in pace æra 719 [h].

ERVIGIUS.

4. Post Wambanem Ervigius regnum obtinuit, B quod callide invasit: legesque ab Wambane institutas corrupit, et alias ex nomine suo edidit: et, ut fertur, erga subditos modestus fuit. Filiam suam Cixilonem egregio viro Egicani, consobrino Wambanis, in conjugio dedit. Ipse jam dictus Ervigius fine proprio defunctus est Toleti [i], æra 725.

EGICA.

5. Ervigio autem defuncto, supradictus Egica electus est in regno, multumque sapiens, et patiens fuit. Synoda sæpissime congregavit, sicut canonica instituta evidentius declarant. Gentes infra regnum tumentes perdomuit: adversus Francos irrumpentes Gallias, ter prælium egit, sed triumphum nullum cepit. Filium suum Witizanem in regno sibi socium fecit: eumque in civitate Tudensi, provinciæ Gallæciæ habitare præcepit, ut pater teneret regnum C Gothorum, et filius Suevorum. Ante filii electionem regnavit ann. X, cum filio vero ann. V. Fine proprio Toleti decessit, et ibi sepultus fuit æra 750 [j].

WITIZA.

6. Post Egicani decessum Witiza ad solium sui patris revertitur Toletum. Iste quidem probrosus, et moribus flagitiosus fuit, et sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, cum uxoribus et concubinis plurimis se inquinavit: et ne adversus eum censura ecclesiastica consurgeret, concilia dissolvit, canones obseravit, [omnemque religionis ordinem depravavit] [k]; episcopis, presbyteris et diaconibus uxores habere præcepit. Istud quidem scelus Hispaniæ causa pereundi fuit: et quia reges et sacerdotes legem Domini dereliquerunt, omnia agmina Gothorum Saracenorum gladio perierunt. Inter ea Witiza post regni annos X morte propria Toleti decessit, et ibi sepultus fuit, æra 759 [l].

[a] Fallitur auctor.

[b] *In Salmanticensi territorio sita. Ex D. Jul. in Vamba.* FLOREZ. *Adic. ms.*

[c] Mariana, *Cauro.*

[d] Sic Mariana et cod. reg. bibl., Ferreras et Berg., *eruditus.*

[e] *Vambanum* hic addit cod. Reg. Bibl.

[f] Deest *Pampligiæ*, apud Mar. et cod. Reg. bibl.

[g] *Dies* XIV ibi quoque desunt.

[h] Hanc addit æram cod. Reg. Bibl. Cum autem ex aureo Chronicæ Wisigothorum libello annos constet regnasse VIII m. I, d. XIV, uno tantum anno vixit monasterio. Id et æra persuadet 719 qua decessisse hic dicitur: in præcedenti namque 718 pœnitentiam accepit.

[i] Mar. *Regnavit an.* VI, *m.* III, cod. Reg., *mens.* III. Chronica autem Wisigothor. *ann.* VII, *d.* XXV, cui standum.

[j] Sic Mar. et cod. Reg. Ferreras et Berg., *decessit æra* 738, verbis cæteris prætermissis.

[k] Uncis inclusa desunt apud Berg.

[l] Mariana addit *et ibi sepultus fuit æra* 749, quæ omnia apud Berg. desiderantur, cum tamen in Ferr. sit *æra* 749.

RUDERICUS.

7. Witizane defuncto, Rudericus a Gothis eligitur in regem. Iste nempe [a] in peccatis Witizani ambulavit, et non solum zelo justitiæ armatus huic sceleri finem non imposuit, sed magis ampliavit. Filii vero Witizani invidia ducti, eo quod Rudericus regnum patris eorum acceperat, callide cogitantes, missos ad Africam mittunt, Saracenos in auxilium petunt, eosque navibus advectos Hispaniam intromittunt. Sed ipsi qui patriæ excidium intulerunt, simul cum gente Saracenorum gladio perierunt. Itaque cum Rudericus ingressum eorum cognovisset, cum omni agmine Gothorum eis prœliaturus occurrit. Sed dicente Scriptura : *In vanum currit quem iniquitas præcedit*, sacerdotum [b], vel suorum peccatorum mole oppressi, vel filiorum Witizani fraude detecti, cum omnia agmine Gothorum in fugam sunt versi et gladio deleti. De Ruderico vero rege nulli cognita manet causa interitus ejus : rudis namque nostris temporibus cum Viseo civitas et suburbana ejus a nobis populata [c] essent, in quadam basilica monumentum est inventum, ubi desuper epitaphium sculptum sic dicit : *Hic requiescit Rudericus* [d] *rex Gothorum.*

PELAGIUS.

8. Arabes autem, patria simul cum regno oppresso, pluribus per annis præsides Babylonico regi tributa persolverunt, quousque sibi regem elegerunt, et Cordubam urbem patriciam regnum sibi firmaverunt. Gothi vero partim gladio, partim fame perierunt. Sed qui ex semine regio remanserunt, quidam ex illis Franciam petierunt : maxima vero pars in hanc patriam Asturiensium [e] intraverunt, sibique Pelagium [f], filium quondam Fafilani ducis ex semine regio, principem elegerunt. Dum vero Saraceni factum cognoverunt, statim ei per Alkamanem ducem, qui et ipse cum Tarech in Hispania irruptionem fecerat, et Oppanem Hispalensis sedis metropolitanum episcopum, filium Witizani regis, ob cujus fraudem Gothi perierunt, Asturias cum innumerabili exercitu miserunt.

9. Cumque Pelagius ingressum eorum cognovit, in monte Anseva se contulit in antro, quod vocatur Cova Sanctæ Mariæ ; statimque eum exercitus [g] circumdedit : et propinquans ad eum Oppa episcopus, sic alloquitur, dicens : Scio te non latere, frater, qualiter omnis Hispania dudum [h] sub uno regimine Gothorum esset constituta, et cum omnis Hispaniæ exercitus in uno fuisset congregatus, Ismaelitarum non valuit sustinere impetum : quanto magis tu in isto foramine te defendere poteris ? Imo audi consilium meum, et ab hac voluntate animum revoca, ut multis bonis fruaris, et in pace Arabum omnibus quæ tua fuerunt utaris. Ad hæc Pelagius : Nec Arabum amicitiis sociabor, nec me eorum imperio subjiciam : sed tu non nosti [i], quia Ecclesia Domini lunæ comparatur, quæ et defectum patitur, et rursum per tempus ad pristinam plenitudinem revertitur. Confidimus enim in Domini misericordia, quod ab isto modico monticulo, quem conspicis, sit Hispaniæ salus, et Gothorum gentis exercitus reparandus, ut in nobis compleatur ille propheticus sermo, qui dicit : *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis peccata eorum : misericordiam autem meam non auferam ab eis.* Igitur et si [j] sententiam severitatis per meritum excipimus, ejus misericordiam in recuperatione Ecclesiæ seu gentis et regni venturam exspectamus : unde hanc multitudinem paganorum spernimus et minime pertimescimus.

10. Tunc conversus infandus episcopus ad exercitum, sic dixit : Properate et pugnate, quia nisi per gladii vindictam non habebitis cum eo pacis fœdera : statimque arma assumunt, et prælium committunt : eriguntur fundibula, aptantur fundæ, micant enses, crispantur hastæ, ac incessanter emittuntur sagittæ : sed in hoc non defuere Domini magnalia : nam cum a fundibularis lapides fuissent emissi, et ad domum sanctæ semper virginis Mariæ pervenissent, super mittentes revertebantur, et Chaldæos fortiter trucidabant : et quia Dominus non dinumerat hastas, sed cui vult porrigit palmam ; cum essent egressi fideles [k] de Cova ad pugnam, Chaldæi statim versi sunt in fugam, et in duabus divisi sunt turmis : ibique statim Oppa episcopus est comprehensus, et Alkamam interfectus : in eodem namque loco centum viginti quatuor millia Chaldæorum sunt interfecti ; sexaginta vero et tria millia qui remanserant, in verticem montis Ausevæ ascenderunt, atque per præruptum montis, qui vulgo appellatur Amosa, ad territorium Lebaniensium præcipites descenderunt. Sed nec ipsi [l] Domini evaserunt vindictam : nam cum per verticem montis, qui situs est super ripam fluminis Devæ, juxta prædium quod dicitur Casegadia, sic evidenter judicio Domini actum est, ut ipsius montis pars se a fundamentis evovens sexaginta tria millia Chaldæorum stupenter [m] in flumine projecerit, atque omnes oppresserit [n], ubi usque nunc ipse fluvius, dum temvori hiemali alveum suum implet, ripasque dissolvit,

[a] Berg, *in Regem. Iste vero in*, etc.
[b] Corrupte in Berganzæ textu, *Sacerdotes vero.*
[c] Id est instaurata.
[d] *Ita cod. Reg.* Alii addunt *ultimus*, sed incongrue.
[e] Berg. et Ferr. *Asturiensem.*
[f] Codex Reg. *tunc Pelagium.* Eodem quoque modo Sandovalis editio, quæ hinc incipit, omnibus supra allatis prætermissis.
[g] Sic Mar. et cod. Reg. Alii *eam.*
[h] Forte *dum* : paulo namque infra codex Marianæ addit, et *cum* omnis.
[i] Deest *non* apud Berg.
[j] Cod. Reg. *etsi* ; cæteri, *ut*, quod multo incongruentius.
[k] Sic Mariana ; alii, *egressique fideles.*
[l] Deest *ipsi* apud Berg.
[m] Sic cod. Reg. Alii, minus congruenter, *stupentes.*
[n] Berg., *projecerit.... oppresserit.*

signa armorum et ossium eorum evidentissime ostendit. Non istud miraculum inane aut fabulosum putetis, sed recordamini quia qui in Rubro mari Ægyptios Israelem persequentes demersit, ipse hos Arabes Ecclesiam Domini persequentes, immensa montis mole oppressit.

11. Per idem tempus in hac regione Asturiensium in civitate Gegione præpositus Chaldæorum erat nomine Munuza, qui Munuza unus ex quatuor ducibus fuit qui prius [a] Hispanias oppresserunt. Itaque dum internecionem exercitus gentis suæ comperisset, relicta urbe fugam arripuit : cumque Astures persequentes eum, in loco Olaliense reperissent, simul cum exercitu suo eum g'adio deleverunt, ita ut ne unus Chaldæorum intra Pyrinæi portus remaneret. Tunc demum fidelium aggregantur agmina, populantur patriæ, restaurantur ecclesiæ : et tunc omnes in communi gratias referunt, dicentes : Sit nomen Domini benedictum, qui confortat in se credentes, et ad nihilum deducit improbas gentes. Pelagius post nonum decimum regni sui annum completum, propria morte decessit, et sepultus cum uxore sua Gaudiosa regina territorio Cangas in ecclesia sanctæ Eulaliæ de Velapnio fuit, æra 775 (*an.* 737).

FAFILA.

12. Filius ejus Fafila in regno successit, qui propter paucitatem temporis nihil historiæ dignum egit. Quadam occasione levitatis ab ursо interfectus est anno regni sui secundo, et sepultus cum uxore sua regina [b] Froleba territorio Cangas in ecclesia Sanctæ Crucis, quam ipse construxit, fuit, æra 777.

ADEFONSUS I (*Catholicus*).

13. Post Fafilani interitum Adefonsus [c] successit in regnum : vir magnæ virtutis, filius Petri ducis ex semine Leuvegildi, et Reccaredi regum progenitus [d]. Tempore regum Egicani et Witizani princeps militiæ fuit, qui cum gratia divina regni suscepit sceptra. Arabum sæpe ab eo fuit audacia compressa. Iste quantæ gratiæ, vel virtutis, atque auctoritatis fuerit, subsequentia acta declarant. Simul namque cum fratre suo Froilane multa adversus Saracenos prælia gessit, atque plurimas civitates ab eis olim oppressas cepit, id est, Lucum, Tudem, Portucalem, Bracaram, Metropolitanam, Viseum, Flavias [e], Agatam, Letesmam, Salamanticam, Zamoram, Abelam, Secoviam [f], Astoricam, Legionem, Saldaniam, Mabe, Amaiam, Septemancam, Aucam, Velegiam, Alabensem, Mirandam [g], Rebendecam, Carbonariam, Abeicam, Brunes [h], Cinisariam, Alesanco (Cenicero y Alesanco en la Rioja), Oxomam, Cluniam, Argantiam, Septem publicam, exceptis Castris [i] cum Villis et viculis suis : omnes quoque Arabes occupatores supradictarum civitatum interficiens, Christianos secum ad patriam duxit.

14. Eo tempore populantur Primorias, Lebana, Transmera, Supporta, Carranza, Bardulia [j] quæ nunc appellatur Castella, et pars maritima Gallæciæ, Burgi. Alava namque Vizcaya, Alaone, et Urdunia a suis incolis reperiuntur semper esse possessæ, sicut Pampilonia, Degius est atque [k] Berroza. Itaque supradictus Adefonsus admodum magnanimus fuit, sine offensione erga Deum et Ecclesiam, et vitam merito immitabilem [l] duxit. Basilicas plures construxit, et instauravit. Regnavit annos XVIII. Vitam feliciter in pace finivit : sepultusque cum uxore sua regina Ermesinda in territorio Cangas in monasterio S. Mariæ fuit.

15. Nec hoc stupendum miraculum prætermittendum est, quod hora discessionis [m] ejus certissime actum est : nam cum spiritum emisisset intempestæ noctis silentio, et excubiæ palatinæ diligentissime corpus illius observarent, subito in aere auditur a cunctis excubantibus vox angelorum psallentium : *Ecce quomodo tollitur justus, et nemo considerat ; et viri justi tolluntur, et nemo percipit corde : a facie iniquitatis sublatus est justus, erit in pace sepultura ejus.* Hoc verum esse prorsus cognoscite, nec fabulosum dictum putetis : alioquin tacere magis eligerem, quam falsa promere maluissem. Æra 795 (*an.* 757).

FROILA

16. Post Adefonsi discessum Froila filius ejus successit in regnum. Hic vir mente et armis acerrimus fuit : victorias multas egit adversus hostem Cordubensem. In loco qui vocatur Pontumio [n] provinciæ Gallæciæ prælиavit, eosque expugnatos quinquaginta quatuor millia Chaldæorum interfecit ; quorum ducem adolescentem, nomine Hamnar, filium de Abderraman Ibem hiscem, captum in eodem loco, gladio [o] interemit [p]. Vascones rebellantes superavit, atque edomuit. Muniam quamdam adolescentulam ex Vasconum præda sibi servari præcipiens, postea

[a] Deest apud Ber. *prius.*
[b] Deest apud eumdem *Reg.*
[c] Berg. *Adefonsus, qui dicitur Catholicus*, Ferr. *qui dicitur magnus.* Nihil tale apud Mar. et Perez.
[d] Qui tempore regis Egicani princeps militiæ fuit, Pater erat Adefonsi, non filius, ut ex ætate apparet. Ita ergo legendum : *progenitus (qui tempore regum Egicani et Witisani princeps militiæ fuit) cum gratia* etc. FLOREZ *Adic. ms.*
[e] Sic Mar. et cod. Reg. Alii *Flaviam.*
[f] Ita prædicti codd. et Ferreras Berg. *Abulam.*
[g] Ber. *Alanense.*
[h] Sic Mar. et cod. Reg. Alii, *Abticam, Abeicam.*
[i] Berg. *exceptis cunctis castris.* Fer. *exceptis ex cunctis castris.*
[j] Sic Mar., Ber. et Fer. *Bardulies.*
[k] Sandoval *dictum est.*
[l] Ita Mar. et cod. R. Ber. *gloriosam vitam merito inimitabilem duxit.*
[m] Berg. *decessionis.*
[n] Perez, *Pontrivio.*
[o] Deest apud Berganzam *gladio.*
[p] Hic nænias suas intrusit Pelagius Ovetensis : « Rex (inquit) iste episcopatum in Ovetum transtulit a Lucensi civitate, quæ est in Asturiis, et ab Wandalis ædificata fuit, » ut apud Sandovalium, et Ber. legimus. Vacat tamen cod. Goth. Soriensis, quo Mariana fuit usus, sicut et cod. Reg. Bibl. et exemplaria cl. V. Joan. Bap. Perez.

in regali conjugio copulavit, ex qua filium Adefonsum suscepit. Gallæciæ populos contra se rebellantes, simul cum patria devastavit. Denique fratrem suum nomine Vimaranem propriis manibus interfecit. Qui non post multum temporis talionem juste accipiens, a suis interfectus est. Regnavit ann. XI et mensibus tribus, et sepultus cum uxore sua Munia Oveti fuit æra 806 (*an.* 768).

AURELIUS.

17. Post Froilani interitum consobrinus ejus in primo gradu Aurelius [a], filius Froilani fratris Adefonsi, successit in regnum: cujus tempore libertini contra proprios dominos arma sumentes, tyrannice surrexerunt: sed principis industria superati, in servitutem pristinam sunt omnes redacti. Prælia nulla exercuit, quia cum Arabibus pacem habuit. Sex annos regnavit, septimo namque anno in pace quievit, et sepultus in ecclesia sancti Martini episcopi in Valle Lagneyo fuit æra 812 (*an.* 774).

SILO.

18. Post Aurelii finem Silo successit in regnum, eo quod Adosindam Adefonsi principis filiam sortitus esset conjugem. Iste cum Ismaelitis pacem habuit. Populos Gallæciæ contra se rebellantes, in monte Cuperio bello superavit, et sub imperio subjugavit [b]. Regnavit ann. IX et decimo vitam finivit, et sepultus cum uxore sua regina Adosinda in ecclesia S. Joannis apostoli et evang. in Pravia [c] fuit æra 821 (*an.* 783).

MAURECATUS.

19. Silone defuncto, regina Adosinda cum omni officio palatino Adefonsum filium fratris sui Froilani regis in solio constituerunt paterno: sed præventus fraude Maurecati, Tii sui, filii Adefonsi majoris, de serva tamen nati, a regno dejectus, apud propinquos matris suæ in Alava commoratus est. Maurecatus autem regnum, quod callide invasit, per sex annos vindicavit. Morte propria decessit, et sepultus in ecclesia S. Joannis apostoli in Pravia fuit æra 826 [d] (*an.* 788).

VEREMUNDUS.

20. Maurecato defuncto, Veremundus, subrinus Adefonsi majoris, filius videlicet Froilani fratris sui, in regno eligitur. Qui Veremundus vir magnanimus fuit; tres annos regnavit: sponte regnum dimisit, reminiscens ordinem sibi impositum diaconi [dimisis filiis parvulis Ranimiro, et Garcia] [e] subrinum suum Adefonsum, quem Maurecatus a regno expulerat, sibi in regno successorem fecit in æra 829 (*an.* 791). Et cum eo pluribus annis charissime vixit. Vitam in pace finivit [f].

ADEFONSUS II (*Castus*).

21. Hujus regni anno tertio Arabum exercitus ingressus est Asturias cum quodam duce nomine Mokehit [g], qui in loco qui vocatur Lutos a rege Adefonso præoccupati [h], simul cum supradicto duce septuaginta fere millia ferro atque cœno sunt interfecti. Iste prius [i], solium regni Oveti firmavit. Basilicam quoque in nomine Redemptoris nostri Salvatoris Jesu Christi miro construxit opere [et consecrari a septem episcopis fecit] [j]. Unde et specialiter ecclesia S. Salvatoris nuncupatur, adjiciens principali altari ex utroque latere bisenum numerum titulorum reconditis reliquiis omnium apostolorum. Ædificavit etiam ecclesiam in honore S. Mariæ semper virginis a septentrionali parte adhærentem ecclesiæ supradictæ in qua extra principale altare a dextro latere titulum in memoriam S. Stephani, a sinistro titulum in memoriam S. Juliani erexit. Etiam in occidentali parte hujus venerandæ domus ædem ad recondenda regum astruxit corpora, necnon et tertiam basilicam in memoriam S. Tyrsi condidit, cujus operis pulchritudinem [k], plus præsens potest mirari, quam eruditus scriba laudare. Ædificavit etiam a circio, distantem a palatio quasi stadium unum [l], ecclesiam in memoriam S. Juliani martyris, circumpositis hinc et inde geminis altaribus mirifica instructione decoris. Nam, et regalia palatia, balnea, triclinia, vel domata, atque prætoria construxit decora, et omnia regni utensilia fecit pulcherrima.

22. Hujus regni anno 30 geminus Chaldæorum exercitus Gallæciam petiit, quorum unus eorum vocabatur Alhabbez et alius Melih, utrique Alcorexis. Igitur audacter ingressi sunt: audacius et deleti sunt: uno namque tempore unus in loco qui vocatur Naharon, alter in fluvio Anceo perierunt. Subsequente itaque hujus regni tempore adveniens quidam vir, nomine Mahzmuth, fugitivus a facie regis Cordubensis [m] Abderrahman, cui rebellionem diu-

[a] Apud Mar. deest *in primo gradu*.

[b] Hic iterum ex Pelagii Ovetensis cod. Sandovalius, et Ber. hæc, quæ apud alios non legimus, ediderunt: « Deinde congregavit exercitum militum et peditum multum nimis, et fuit in civitatem quæ dicitur Emerita, et beatissimam virg. Eulaliam, quæ ibi a Calpurnio præfecto fuerat interfecta, et a Christianis sepulta, extraxit e sepulcro, in quo jacebat recondita et misit in capsella argentea, quam ipse facere jusserat, et quartam partem cunabuli ipsius virginis ibi invenit, quod cum corpore beatæ virginis Eulaliæ secum in Asturiis territorio Praviæ adduxit, et in ecclesia S. Joan. apostoli et evang. et SS. apostolorum Petri, et Pauli, et Andreæ, quam ipse fundavit, eam posuit. »

[c] Ber. *in prædicto monasterio S. Joann. in Pravia*, etc.

[d] Ita Mar. Cod. Reg. et Ferr. Apud Ber. XXV, Sandov. XXVII. Favet autem *vigesimæ sextæ* codicum auctoritas, ac præcedentium, et subsequentium regum chronologia.

[e] Hæc desunt apud Marian. et Perezium.

[f] Addit Berg., ex Sandov., *Sepultus est Oveti.*

[g] Al. *Makehit, Moet, et Mugaiz.*

[h] Al. *præcipitati.*

[i] Ber, cum Sandov. ex Pelagio Episc. Ovet.: *Iste multiplici virtutum flore ornatus, ab omni fraude alienus, primus solium,*

[j] Desunt hæc in codice Soriensi apud Marianam.

[k] Al. *pulchritudo.*

[l] Ber. *unam.*

[m] Mar. et Perez, *Spaniensis.*

turnam ingesserat, civis quondam Emeritensis, susceptus est clementia regia in Gallæcia, ibique per septem annos moratus est : octavo vero anno aggregata manu Saracenorum convicinos prædavit, seque tutandum in quoddam castellum, quod vocatur Sancta Christina, contulit. Quod factum, ut regalibus auribus nuntiatum est, præmovens exercitum, castellum in quo Mahzmuth erat obsedit, acies ordinat, castellum bellatoribus vallat, moxque in prima congressione certaminis famosissimus ille bellatorum Mahzmuth occiditur, cujus caput regis aspectibus præsentatur, ipsumque castrum invaditur, in quo se quinquaginta millia Saracenorum, qui ad auxilium ejus ab Hispania conflexerant, detruncantur, atque feliciter Adefonsus victor reversus est in pace Ovetum. Sicque per quinquaginta et duos annos caste, sobrie, immaculate, pie ac gloriose regni gubernacula gerens amabilis Deo et hominibus, gloriosum spiritum emisit ad cœlum, corpus vero ejus cum omni veneratione exsequiarum reconditum in supradicta ab eo fundata ecclesia S. Mariæ saxeo tumulo quiescit in pace æra 880 (*an.* 842).

A

B

RANIMIRUS I.

23. Post Adefonsi decessum Ranimirus, filius Veremundi principis, electus est in regnum; sed tunc temporis absens erat in Barduliensem provinciam ad accipiendam uxorem. Propter hujus absentiam accidit ut Nepotianus, palatii comes, regnum sibi tyrannice usurpasset. Itaque Ranimirus, ut didicit consobrinum suum Adefonsum a sæculo migrasse, et Nepotianum regnum invasisse, Lucensem civitatem Gallæciæ ingressus est, sibique exercitum totius provinciæ aggregavit. Post paucum vero temporis in Asturias irruptionem fecit. Cui Nepotianus occurrit ad pontem fluvii Narciæ aggregata manu Asturiensium, et Vasconum : nec mora a suis destitutus in fugam est versus, captusque a duobus comitibus, Seipione videlicet et Somnane, in territorio Praviensi [a], sic digna factis recipiens, evulsis oculis monasterio deputatus est. Itaque subsequenti tempore Nordomannorum classes per septentrionalem Oceanum ad littus Gegionis civitatis adveniunt, et inde ad locum qui dicitur Farum Bregantium, perrexerunt : quod ut comperit Ranimirus jam factus rex, misit adversus eos exercitum cum ducibus et comitibus, et multitudinem eorum interfecit, ac naves igne combussit : qui vero ex eis remanserunt, civitatem Hispaniæ Hispalim irruperunt, et prædam ex ea capientes, plurimos Chaldæorum gladio atque igne interfecerunt.

C

D

24. Interim Ranimirus princeps bellis civilibus sæpe impulsus est : nam comes palatii Aldoroitus adversus regem meditans, regio præcepto excæcatus est. Piniolus etiam, qui post eum comes palatii fuit, patula tyrannide adversus regem surrexit, et ab eo una cum septem filiis suis interemptus est. Interea supradictus rex ecclesiam condidit in memoriam S. Mariæ in latere montis Naurantii, distante ab Oveto duorum millia passuum, miræ pulchritudinis, perfectique decoris : et ut alia decoris ejus taceam, cum pluribus centris forniceis sit concamerata, sola calce et lapide constructa [b], cui si aliquis ædificium consimilare voluerit, in Hispania non inveniet. Multa non longe a supradicta ecclesia condidit palatia, et balnea pulchra atque decora : nam adversus Saracenos bis præliavit, et victor exstitit. Completo autem anno regni sui septimo, Oveto in pace quievit cum uxore sua domna Paterna, æra 888 (*an* 850).

ORDONIUS I.

25. Ranimiro defuncto Ordonius filius ejus successit in regnum; qui magnæ potentiæ atque modestiæ fuit [c]. Civitates desertas, ex quibus Adefonsus major Chaldæos ejecerat, iste repopulavit, id est, Tudem, Astoricam, Legionem et Amayam Patriciam. Adversus Chaldæos sæpissime præliatus est, et triumphavit in primordio regni sui. Cum adversus Vascones rebellantes exercitum moveret, atque illorum patriam suo juri subjugasset, illo ad propria remeante nuntius advenit, dicens : Ecce ex adverso hostis Arabum est. Illico rex ferrum et acies ad illos invertit : nec mora eorum turbas fugavit, et vibrante mucrone truncavit. Sed nec illud silebo quod verum factum esse cognosco. Muza quidem nomine Gothus [d], sed ritu Mahamentiano cum omni gentis suæ multitudine [e] deceptus, quos Chaldæi vocant Benikazzi, contra Cordubensem regem rebellavit, eique multas civitates partim gladio, partim fraude invasit : prius quidem Cæsaraugustam, deinde Tutelam, et Oscam, postremo vero Toletum, ubi filium suum nomine Lupum posuit præfectum. Postea in Francos et Gallos arma convertit : multas ibi strages et prædas fecit; duos vero Francorum magnos duces, unum nomine Sancionem, et alium Epulonem [f] per fraudem cepit, et eos vinctos in carcerem misit. Ex Chaldæis duos quidem magnos tyrannos, unum ex genere Alkorexi nomine Ibenamax, alium mihtem nomine Alporz cum filio suo Azeth, partim pater Muza, partim filius Lupus præliando ceperunt : unde ob tantæ [g] victoriæ causam eum fuisse origine satis aperte indicat, cum ait : « Natione Gothus, sed ut variis dæmonum erroribus nonnulli illaqueantur, Mahometica superstitiosa secta cum omni domo sua ab Abderramen deceptus, Muza per impositionem vocatus est amittens Christi sectam, » etc.

[a] Perez et Mar., *Premoriensi. Sand. et Berg.* Praviensi.

[b] Sic Perez, et Mar. Alii, « sine calce lapide constructa. »

[c] Addit hic Berg. ex Sand. « Uxorem quoque Munadonam habuit, ex qua hos suscriptos filios genuit, Adefonsum, Veremundum, Nunnium, Odoarium, Froilanum, sive et Aragon jam filiam, » quæ Pelagii Ovetensis tela est.

[d] Gothus, seu *Gotus*, dicitur in tribus mss. Editiones *Gætulus*. Silensis autem monachus Gothum

[e] Sic Mar. Perez, *cum omni gentis suæ*. Alii, *gente sua*.

[f] Ita codices mss. Ber., *Eylonem*.

[g] Mar. *ob tantæ*; alii, *ob actæ* Cod. Reg., *ob tanti*.

tantum in superbia intumuit, ut se a suis tertium regem in Hispania appellari præceperit.

26. Adversus quem Ordonius rex exercitum movit ad civitatem quam ille noviter miro opere instruxerat, et Albaïlda nomen imposuit. Rex cum exercitu ad eam venit et munitione circumdedit; ipse vero Muza cum innumera multitudine advenit, et in montem cui nomen est Laturzo tentoria fixit. Rex vero Ordonius exercitum in duo divisit capita, unum quod civitatem obsideret, alind quod contra Muzam dimicaret : statimque prælium committitur, et Muza cum exercitu suo fugatur. Tanta in eis cæde vacati sunt, ut plus quam decem millia Magnatorum [a] pariter cum genere suo, nomine Garseane, exceptis plebibus interempta sunt : ipse vero ter gladio confossus, semivivus evasit, multumque ibi bellici apparatus, sive et munera, quæ ei Carolus rex Francorum direxerat, perdidit, et nunquam postea effectum victoriæ habuit. Rex vero Ordonius omnem exercitum ad civitatem applicavit, in eam quoque septimo die irruptionem fecit. Omnes viros bellatores [b] gladio interfecit, ipsam vero civitatem usque ad fundamenta destruxit, et cum magna victoria ad propria repedavit. Lupus vero filius de eodem Muza, qui Toleto consul præerat, dum de patre quod superatus fuerat, audivit, Ordonio regi cum omnibus suis se subjecit, et dum vitam hanc vixit, subditus ei fuit; postea vero cum eo adversus Chaldæos prælia multa gessit.

Multas et alias civitates jam sæpedictus Ordonius rex præliando cepit, id est, civitatem Cauriensem cum rege suo nomine Zeth : aliam quoque consimilem ejus. Civitatem Talamancam [c] cum rege suo, nomine Mozeror [d], et uxore sua cepit : bellatores eorum omnes interfecit, reliquum vero vulgus cum uxoribus et filiis sub corona vendidit. Iterum Nordomani piratæ per hæc tempora ad nostra littora pervenerunt : deinde in Hispaniam perrexerunt, omnemque ejus maritimam gladio igneque prædando dissipaverunt : exinde mari transjecto Nachor civitatem Mauritaniæ invaserunt, ibique multitudinem Chaldæorum gladio interfecerunt. Denique Majoricam, Fermentellam et Minoricam insulas aggressi, gladio eas depopulaverunt. Postea Græciam advecti, post triennium in patriam suam sunt reversi.

Ordonius suprafatus rex post sexto decimo anno regni expleto, morbo podagrico correptus, Oveto est defunctus (*ann.* 866), et in basilica S. Mariæ cum prioribus regibus est tumulatus. Felicia tempora duxit in regno, felix stat in cœlo, et qui hic nimium dilectus fuit a populis, nunc autem lætatur cum sanctis angelis in cœlestibus regnis : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto in unitate Deitatis vivit et gloriatur per nunquam finienda semper sæcula sæculorum. Amen.

[a] Sandoval ad oram, *Fortassis Maurorum.*

[b] Ita mss. Berg., *gladiatores.*

[c] *Salmanticam* præferrem, ex confinitate quam invenire videtur, dum *consimilem* appellat. Florez., Adic. mss. Sand. et mss., *Talamancam*, sicut Chr. Albeldense Ferr. et Ber., *Salmuncam.*

[d] Ita Chr. Albeld. Fer. et Ber., *Muzerot.* Perez *Mozror.*

CHRONICON ALBELDENSE

Auctore forte Dulcidio Salmaticensi episcopo, continuatore autem Vigila, monacho Albeldensi.

MONITUM.

(Apud Floresium, España Sagrada.)

Chronicon Albeldense, editum ab incerto auctore æra 921, additum a Vigila, monacho Albaildensi, æra 1014, exstat in codice Conciliorum Gothico, qui fuit monasterii S. Martini Albeldensis, nunc translato in bibliothecam S. Laurentii Regii.

Chronicon hoc scriptum est anno 18 Adefonsi Magni, regis Ovetensium, æra 921 (id est anno Christi 883), anno 32 Mahomat Cordubensis Sarraceni.

Forte scriptum a Dulcidio, Salmanticensi episcopo, qui interfuit consecrationi Compostellanæ æra 917, qui Chronicorum studiosus investigator apparet ex epistola Adefonsi tertii ad Sebastianum. Itaque potuit continuare historiam Sebastiani Salmanticensis sui præcessoris.

Vigila vero monachus Albeldensis monasterii (nunc Alvelda prope Logronium) isti Chronico, quod desinebat æra 921, anno 18 Adefonsi Magni, et 32 Mahomat Cordubensis, addidit usque ad æram 1014, præsertim ea quæ pertinent ad reges Pampelonenses, et catalogum regum Ovetensium usque ad Ranimirum tertium.

Itaque additio Vigilæ desinit æra 1014 (i. e. anno Christi 976), anno 6 Sancionis regis Pampelonensis, filii Garseæ, et anno 10 Ranimiri tertii Ovetensium regis.

Itaque quarto folio istius libri (Alveldensis) dicitur, tunc esse æram 1014, et ab incarnatione 976, et sextum annum Sancionis regis : et idem hic finis transcribitur ex codice Alveldensi in libro S. Æmiliani conciliorum in fol. 4 lib.

Etiam in codice Æmiliano fol. 394 erat hoc Chronicon : sed inde discerptum est, relicto tantum uno folio extremo.

PRÆLUDIA CHRONICI.

Exquisitio totius mundi.

I. Omnis mundus descriptus est a viris sapientissimis, videlicet Nicodoso, Didimito, Theudoto, et Polyclito, tempore Julii Cæsaris. Oriens dimensus est per annos XXI [a], menses II et dies VIII. Occidens per annos XXVI, menses III, dies XVII. Septentrio per annos XXIX, menses II, dies III. Meridies per annos XXII, mensem I et dies XXX.

II. Oriens habet maria VIII, insulas VIII, montes VII, provincias VII, oppida LXXV, flumina XVII, gentes XLV. *Occidens* habet maria VIII, insulas XVIIII, montes XV, provincias XXVII, oppida LXXV, flumina XVI, gentes XXV [b]. *Septentrio*, maria XII, insulas XXV, montes XIII, oppida LVIII, flumina XVI I, gentes XXIX, provincias XVII. *Meridies*, maria II, insulas XVII, montes VI, provincias XIII, oppida LXII, flumina VI, gentes XXIV. Tempore Julii Augusti sub uno in universo mundo maria XXV, insulas LXIX, montes XLI, provincias LXIV, oppida CCLXX, flumina LVII, gentes CXXXIII [c].

Item expositio Spaniæ.

III. Spania prius ab Ibero amne Iberia, postea ab Ispalo Spania cognominata. Ipsa est Esperia ab Espero stella occidentali dicta. Sita est autem inter Africam, et Galliam, a Septentrione Pyrinæis montibus clausa, reliquis partibus undique mari inclusa. Omnium frugum generibus fecunda, gemmarum, metallorumque copiis ditissima..

Alia.

Habet provincias sex cum sedibus episcoporum.

Prima Carthago, quæ est Carpentania.

Teleto metropoli habet sub se, id est Oreto, Biatia, Urci, Bigastre, Ilice, Satabi. Dianum, Castalona, Valentia, Valeria, Secobrica. Arcabrica, Compluto, Sigonza, Oxoma, Secobia, Palentia, XVII.

Secunda provincia Bætica.

Hispali metropoli. Italica, Assidonia, Arepla, Atigi, Cordoba, Egabro, Malaca, Illiberri, et Acci IX.

Tertia provincia Lusitania

Emerita metropoli, Pace, Olixbona, Exonoba, Agitaunia, Conibria, Beseo, Lameco, Caliabria, Talamantica, Abila Talabayra, Elbora et Caurio, XIII.

Quarta provincia Gallitiensi.

Bracara metropoli, Dumio, Portucale, Tude. Auriense, Iria, Luco, Vittania, et Asturica. VIII.

Quinta provincia Terraconensis.

Terracona metropolis, Barcinona, Egara, Gerunda, Ampurias, Ausona, Urigello, Illerda, Dertosa, A Cæsaraugusta, Osca, Pampilona, Auca, Callagurre, Tirasona. XIIII.

Sexta provincia est ultra mare Tingitana.

Gallia non est de provinciis Spaniæ, sed sub regimine Gothorum erat, ita.

Narbona metropolis, Beterris, Agate, Magallona, Nemnase, Luteba, Carcassona, Elena, Tolossa.

Flumina Spaniæ IV.

Bætis currit millia CCCCX. Tagus [d] millia currit DCII. Mineus currit millia CCCXIII. Iberus currit millia CCCIV.

De septem miraculis mundi.

IV. 1. Capitolium Romæ. 2. Pharus Alexandriæ. 3. Bellerophons Exmirne. 4. Theatrum Eraclie. 5. Collosus Rhodi. 6. Templum Quicici. 7. Tetrapulum Emetis, quod melius est ecclesia S. Soffie Constantinopoli [e].

Item de proprietatibus gentium.

B V. 1. Sapientia Græcorum. 2. Fortia Gothorum. 3. Consilia Chaldæorum. 4. Superbia Romanorum. 5. Ferocitas Francorum. 6. Ira Britannorum. 7. Libido Scotorum. 8. Duritia Saxonum. 9. Cupiditas Persarum. 10. Invidia Judæorum. 11. Pax Æthiopum. 12. Commercia Gallorum.

Item res Spaniæ celebres.

VI Polla de Narbona, vinum de Vilasz, ficus de Biatia, triticum de Campis Gothis, mulus de Hispali, caballus de Mauris, ostrea de Mancario, lamprea de Tamer, Lancea de Gallia, scanda de Asturias, mel de Gallicia, disciplina atque scientia de Toledo. Hæc erant præcipua tempore Gothorum.

De litteris.

VII. Litteræ sunt vocales A, E, I, O, U, quia directo hiatu caucium sine ulla conlisione emittuntur et vocem implent.

Semivocales F, N, L, N, S, R, quia ab E vocali incipiunt, et desinunt insaturabilem sonum.

C Mutescunt B, C, D, T, P, Q, G, quia sine subjectis sibi vocalibus non erumpunt. Littera pro adspiratione ponitur, quæ est elaiæ vocis pro solis Kalendis. *Explicit.*

Incipit ordo annorum breviter collectus.

VIII. Ab Adam usque ad diluvium anni MMCCXLII.

A diluvio usque ad Abraham. ann. DCCCCXLII.

Ab Abraham usque ad Moysem anni DV.

Ab exitu illiorum Israel ex Ægypto usque ad introitum in terram repromissionis anni XL.

Ab introitu illorum usque ad Saul primum Regem Israel fuere Judices per annos CCCLVI [f].

[a] Hinc usque ad *Meridies* desiderantur apud Berganzam, et Saz. Constant ex Pellicer. Sed Æthicus rem in Cosmographia editionis Gronovii Lugd. Batav. 1693, sic narrat : « Ergo a Julio Cæs. et M. Ant. Coss. orbis terrarum metiri cœpit, id est, a consulatu suprascripti usque ad consulatum Aug. III, et Crassi, annis XXI, mensibus V, diebus IX. Zenodoxo omnis Oriens dimensus est, sicut inferius demonstratur. A consulatu item Jul. Cæs. et M. Ant. usque in consulatum Aug. X, annis XXIX, mensibus VIII, diebus X, a Theodoto Septentrionalis pars dimensa, ut evidenter ostenditur. A consulatu similiter Jul. Cæs. usque in consulatum Saturni et Cinæ a Polyclito meridiana pars dimensa est, annis XXXII, mense I, diebus X, sicut definita monstratur. Ac sic omnis orbis terræ intra annos XXXII a dimensoribus peragratus est, et de omni ejus continentia perlatum est ad senatum. » Frustra hic Occidentis dimensionem quæras, quæ ex nostro est *Didimito*, seu *Didimico*, tribuenda, annis XXVI peracta.

[b] Tota hæc Occidentis descriptio deest apud Pellic., sicut et verba, quæ infra *tempore Julii Augusti* : quæ in *Julii Cæsaris* corrigenda.

[c] Optima est hæc numerorum subductio : ex qua variantes aliorum lectiones tanquam epilogo adversa prætermisimus.

[d] Saz. Taccus. Deest Durius, sicut et apud Æthicum.

[e] Alia alii miracula narrant.

[f] In codice Conciliorum Æmilianensi, *an.* CCCLXVI teste Jo. Vazquez del Marmol. Ex supputatione tamen quæ in sequenti fit sectione sub tertia ætate anni hic 336 supponendi.

Sani regnat annos XL.

A David usque ad initium ædificationis templi anni XLIII.

A prima ædificatione templi usque ad transmigrationem in Babyloniam, fuere reges per annos CCCCXLIII.

Fuit autem captivitas populi ac desolatio templi anni LXX, et restauratur a Zorobabel [a].

Post restaurationem templi usque ad incarnationem Christi anni DXL.

Colligitur omne tempus ab Adam usque ad Christum V M. CXCVIIII.

Ab incarnatione D. N. Jesu Christi usque ad primum Wambani principis regni annum fuere anni DCLXXII.

A tempore Wambæ usque nunc, quæ est æra DCCCCXXI, finiunt anni CCXI.

Modo vero colligitur omne tempus ab exordio mundi usque in præsentem æram DCCCCXXI, et octavo decimo anno regni Adefonsi principis, filii gloriosi Ordinii regis, omnes anni sub uno V I M. LXXXII [b et ab incarnatione Domini usque nunc DCCCLXXXIII.]

Item de sex ætatibus sæculi.

IX. Prima ætas ab Adam usque ad diluvium anni MMCCXLII.

Secunda ætas a diluvio usque ad Abraham anni DCCCÇXLII.

Tertia ætas ab Abraham usque ad David anni DCCCCXLI.

Quarta ætas a David usque ad transmigrationem in Babyloniam anni CCCCLXXXVI.

Quinta ætas a transmigratione usque ad Christum et Octavianum imperatorem, cujus tempore ex Maria Virgine et Spiritu sancto natus est Christus [c].

Sexta ætas, quæ a Christo cœpit, habet nunc annos DCCCLXXXIII in æra DCCCCXXI. Quantum adhuc protendatur, soli Deo est cognitum, nobis autem manet incertum, dicente Domino in Evangelio : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I, 7).

Item exquisitio milliarium civitatum.

X. De Gadis usque ad Cordobam milliaria CC.
De Cordoba usque ad Toletum milliaria CCXX [d].
De Toleto usque ad Cæsaraugustam milliaria CCC.
De Cæsarangusta ad Oscam milliaria LX.
De Osca ad Eldram [e] milliaria LXXX.
De Eldra ad Gersonam milliaria L.
De Gersona ad Gerundam milliaria CXXX.
De Gerunda ad Clausulas milliaria XL.
De Clausulas ad Ruscilionem milliaria XX [f].
De Ruscilione ad Narbonam milliaria XL.
De Narbona ad Bitteris milliaria XV.
De Bitteris ad Neumase milliaria LXXV.
De Neumase ad Avinionem milliaria XXV.
De Avenione ad Valentiam milliaria CII [g].
De Valentia ad Turnos milliaria CCL.
De Turnis ad Mediolanum milliaria CLXX.
De Mediolano ad Romam milliaria CCCXVI
De Roma ad Thessalonicam milliaria DCCCXLII [h].
De Thessalonica ad Heracliam milliaria CCCXVI.
De Heraclia ad Constantinopolim milliaria CXXX.
Fiunt millia millianorum IIIM. CCLXXXI [i].

Item notitia episcoporum cum sedibus suis.

XI. Regiamque sedem [j], Hermenegildus tenet (*an.* 881, *Vide n.* 25).
Flaianus Bracaræ [k] : Luco episcopus arce Reccaredus [l].
Tudemirus [m] Dumio, Mendunieto [n] degens.
Sisnandus Iriæ sancto Jacobo pollens.
Nausticus [o] tenens Conimbriæ sedem.
Brandericus [p] quoque locum Lamecensem.
Sebastianus quidem sedem Auriensem.
Justusque similiter in Portucalense.
Alvarus Velegiæ [q], Felmirus Uxomæ [r].
Maurus Legione, Ranulfus Astoricæ.

Præfatique Præsules in Ecclesiæ plebe ex regis prudentia emicant clari.

Rex quoque clarus omni mundo factus
Jam suprafatus Adefonsus vocatus,
Regni culmine datus, belli titulo aptus,
Clarus in Astures, fortis in Vascones,
Ulciscens Arabes, et protegens cives.
Cui principi sacra sit victoria data
Christo duce juvatus, semper clarificatus.
Polleat victor sæculo, fulgeat ipso cœlo :
Deditus hic triumpho, præditus ibi regno.

Amen.

[a] Addit hic Pellicerii editio, *anni* 4.
[b] Uncis inclusa desunt apud Berganzam, sed in duabus aliis exstant editionibus.
[c] Desunt numeri, sed ex sectione præcedenti petendi.
[d] Sic Pellicer. Berganza, CCC.
[e] *Herdam* Berganza emendat. Pellicer *Eldra* LXX.
[f] Pellic., XXX.
[g] Idem, XCII.
[h] Idem, DCCCV.
[i] Non hæc summa est quæ ex superioribus coalescit.
[j] Id est, *Ovetum*.
[k] *Laianus* Pellicer.
[l] Sic Pellic. *In Berg. et Saz.* Asce pro *arce*, deestque *Reccaredus*.
[m] Pellic., *Rudezindus*. Saz, *Tuderindus*. Berg., *Tudemirus*.
[n] Pell., *Monduneto*.
[o] Pell., *Austusque*. Sampirus, *Naustus*.
[p] Pell., *Cander.cus*.
[q] Yepes tom. IV, scritura XX, *Albar. Eps. Velegia* pag. 437, p. 443. Vide Pellicer. in Dulcidio. Florez. *Adic. ms.*
[r] Pell., *Vellemirus Oximæ*. Saz, *Felemirus*.

CHRONICON ALBELDENSE.

Incipit ordo Romanorum regum.

I. In Roma regnavit prior Romulus ann. XXXVIII. Iste ædificavit Romam [a],

Titus Tacius rex Sabinorum ann. V.

Numa Pompilius regnavit ann. XXXII, Iste primus annum in XII. menses ordinavit.

[a] Ad oram codicis Gothici Albeldensis scriptum : « Item de Romulo et Remo. Numitor procer superioris regis major filius a fratre Amulio regno expulsus in agro vixit suo. Filia ejus adimendi partus gratia virgo Vestalis lecta : quæ cum septimo patrui anno geminos edidisset infantes, juxta legem in terra viva defossa est. Nam parvulos prope ripam Tiberis expositos, Faustulus regii pastor armenti ad Accam Laurentiam uxorem suam detulit. Quæ pulchritudine et propter rapacitatem corporis questuosi Lupa a vicinis appellabatur. Unde ad nostram usque memoriam meretricum cellulæ lupanaria dicuntur.

Tullius Hostilius ann. XXXIII. Iste primus purpuram induit.

Ancus Marcius [a] regnavit ann. XXVIIII [b].

Tarquinius Priscus regn. ann. XXXVIII. Iste Capitolium fecit.

Servius Tullius regn. ann. XXXVIII. Hic primus censum egit.

Tarquinius Superbus regn. ann. XXV. Iste expulsus regno ob meritum fuit.

Fuerunt consules per annos CCCLXXVI.

Decemviri ann. I.

Reges fuere annis II.

A Romulo ergo et Roma condita, usque ad Gaium Julium Cæsarem, annos DCLXVI.

Primus ergo Gaius Julius Cæsar imperavit annis IIII. Hic pugnavit cum Pompeio pro imperio.

De hinc ætas incipit.

2. *Octavianus* reg. an. LVI. Hujus anno XII (42) Christus natus est. Iste solus omnem mundum imperavit.

Tiberius filius Gaius [c] regn. ann. XVIII. Hujus XVIII anno regni Dominus Christus crucifixus est. Iste dum per cupiditatem reges ad se venientes non remitteret, multæ gentes a Romano imperio recesserunt.

Gaius Gallicula reg. an. IIII. Hic avarus, crudelis, luxuriæ servus fuit. Per idem tempus Matthæus apostolus Evangelium in Judæa primus scripsit.

Claudius reg. an. XIIII. Eo tempore Petrus apostolus Romam venit; et Marcus evangelista [d] in Alexandria scripsit.

Nero reg. an. XIIII. Crudelis et luxuriæ deditus fuit. Retibus aureis piscabatur. Hujus tempore Petrus et Paulus, unus in cruce et alius a gladio necantur.

Vespasianus reg. an. VIII, menses XI, dies XXII. Immemor offensarum fuit. Hujus secundo anno Titus Jerosolymam cepit, ubi undecies centena millia Judæorum fame et gladio perierunt, et centum millia publice venundata fuere.

Titus [e] reg. an. II. Hic facundus fuit et pius, necnon charus hominibus.

Domitianus, frater Titi, reg. an. XVI. Hic superbia exsecrabilis, Deum se appellari jussit, et Christianis persecutionem intulit, senatores peremit. Sub quo et apostolus Joannes in Pathmos exsilio relegatus mens. IIII.

Nerva reg. an. I. Vir imperio moderatus. Hujus tempore Joannes apostolus Ephesum rediit; et rogatus ab Asiæ episcopis Evangelium novissimus edidit [f].

3. *Trajanus* reg. an. XVIIII, menses VII. Hujus tempore requiescit Joannes apostolus.

Pueri cum adolevissent, collecta pastorum et latronum manu, interfecto apud Albam Amulio, avum Numitorem in regnum restituunt. Post excessum Numitoris Romulus ejus nepos Romam condidit et regnavit. »

[a] Irrepsit vox *Philippus* in textum, abest a codicibus monasterii Æmilianensis.

[b] In archetypo : « Ancus Marcus Philippus regnaverunt ans. XXVIII. »

[c] Forte *ejus* vel *Augusti*, ut in codice Æmil.

[d] In archetypo, *Evangelium*.

[e] In archetypo, *Titus rex reg.*

[f] In archetypo, *dedit*.

[g] *Antonius*. Tam hic quam sub cæteris hujus nominis imperatoribus, in codice Vigilano *Antonius* scribitur.

[h] In archetypo, *Helius*.

[i] Mariana in suo ms. addit *dici*.

[j] Sic ibi *noverca* scribitur.

[k] *Maximinus* legendum.

[l] *Gallieno*.

Adrianus reg. an. XXI. Iste Jerosolymam restauravit, et ex nomine suo Æliam vocitavit.

Antonius [g] Pius reg. an. XXII. Hic clemens satis fuit. Pater patriæ dictus est. Galenus medicus, Pergamo genitus, Romæ clarus habetur.

Antonius minor reg. an. XVII. Victor fuit.

Commodus reg. an. XIII.

Helvius [h] *Pertinax* reg. an. I invitus. Uxorem Augustam noluit *dici* [i].

Severus Pertinax reg. an. XVIII. Hujus tempore Origenes Alexandriæ eruditur.

Antonius Caracalla, Severi filius, reg. an. VII. Libidinosus fuit. Nubercam [j] suam uxorem duxit.

Macrinus reg. an. I. Nihil memorabile gessit.

Aurelius Antonius reg. an. III. Iste ob meritum tumultu militari peremptus est.

Alexander reg. an. XIII. Hujus tempore Origenes Alexandrinus claruit.

Maximianus [k] reg. an. III. Christianos persequitur.

4. *Gordianus* reg. an. VII. Fraude suorum interiit.

Philippus reg. an. VII. Iste prior Christianus imperator fuit et credidit Christo, anno Urbis millesimo.

Decius reg. an. I. Persecutor Christianorum fuit. Hujus tempore S. Antonius monachus Ægypto clarus habetur, a quo prius monasteria condita sunt.

Gallus et *Volosianus* filius reg. an. II.

Valerianus cum *Gallenio* [l] reg. an. XV[m].

Hujus tempore S. Cyprianus episcopus martyrio coronatur.

Claudius reg. an. II. Iste Gothos Illyricum et Macedoniam devastantes exsuperat.

Aurelianus reg. an. VI. [Iste Christianos persequitur; a rege Persarum capitur : ibique in dedecore senescit et moritur [n].]

Tacitus reg. an. I.

Probus reg. an. VI. Iste militiæ strenuus et victoriis clarus.

Carus reg. an. II. Ictu fulminis perlit.

Diocletianus et *Maximianus* reg. an. XX. Diocletianus Christianos persequitur. Iste primus gemmas in vestibus et calceamentis inseri jussit, dum sola purpura retro principes uterentur. Sed ambo, imperio relicto, privati vixerunt.

Galerius reg. an. II.

5. *Constantinus* regnavit annos XXX. Iste Christianus effectus licentiam Christianis dedit [o]. Per idem tempus crux Domini ab Helena, Constantini matre, invenitur.

Hic Nicænum concilium fieri præcepit, ut in alio folio [p].

[m] Hic præponenda quæ infra perperam Aureliano tribuuntur : *Iste Christianos persequitur, a rege Persarum capitur, ibique in dedecore senescit et moritur.*

[n] Loco hæc mota, ut proxime monuimus.

[o] Ad horam hic in codice Albendensi scriptum : *Æra* CCCLXXX, *impietas Ariana orta*. Error autem in num. irrepsit : cum circa æram CCCLIII (hoc est Christi 315) serpere illa pestis incœperit.

[p] Sic in autographo Marmol. Post *præcepit* autem legimus apud Marianam : *Hic synodum* CCCXVIII *episcoporum Constantinopolim fecit. In extremo vitæ suæ Arianus efficitur.* » In archetypo, ut in Mariana, Berganza et Saz, *Hic Nicænum concilium fieri præcepit. In extremo vitæ Arianus efficitur.* CCCXVIII *episcoporum concilium*, ubi satis aperte liquet, legendum : *Hic Nicænum concilium fieri præcepit*, CCCXVIII *episcoporum*. Nimirum verba illa : *In extremo vitæ suæ Arianus efficitur*, quæ aliquis in margine fortasse notavit, alter temere filo orationis imperfectæ inseruit.

Constantinus et ***Constans*** reg. an. XXXIII. Constans, erudelis moribus, Arianus effectus, Christianos persequitur.

Arius, amicus ejus, Constantinopoli viscera simul cum vita effudit.

Hilarius [a] doctrina clarus habetur.

Donatus, qui grammaticæ artis Roma claruit [b], eodem tempore passus est.

Antonius monachus id tempus obiit.

Ossa Andreæ et Lucæ apostolorum Constantinopolim transferuntur.

6. ***Julianus*** an. II. Hic, ex clerico imperator et paganus effectus, idola coluit. Christianis martyria intulit. In odium Christi templum Jerosolymæ Judæis restaurari præcepit, sed Dominus non permisit. Julianus autem apud Persas jaculo suscepto interiit.

Jovianus reg. an. I. Iste, Christianus, noluit imperium suscipere : sed omni exercitui, ob amorem illius Christiano effecto, tandem cessit, statimque Christianis privilegia dedit : idolorum templa claudi præcepit.

Valentinianus et ***Valens*** frater ejus reg. an. XIIII. Gothi bifarie in Athanarico et Fridigerno divisi sunt. Alaricus [c] Fridigernum, Valentis Ariani imperatoris [d] auxilio, superat : ob inde ipse rex cum omni Gothorum gente Arianus per Valentem imperatorem efficitur. Gulfila eorum episcopus litteras eis adinvenit.

Gratianus cum fratre ***Valentiniano*** reg. an. VI. Ambrosius Mediolanensis episcopus [e] claruit : Martinusque Turonum [f] Galliæ civitatis episcopus miraculorum signis effulsit.

7. ***Valentinianus*** cum Theodosio reg. an. VII. Synodus Constantinopolitana CL episcoporum [g] colligitur. Jeronymus presbyter in Bethlehem toto mundo clarus habetur.

Caput Joannis Baptistæ Constantinopolim perducitur, et septimo milliario civitatis humatur.

Templum idolorum a Theodosio subvertitur [h].

Theodosius cum Arcadio reg. an. III.

Per idem tempus Joannes anachoreta miraculis claruit.

Arcadius cum fratre ***Honorio*** reg. an. XIII. Hoc tempore Augustinus episcopus doctrinæ scientia claruit.

Per idem tempus Donatus Epiri episcopus virtutibus insignis habetur; qui draconem ingentem, expuens in ore ejus, necavit, quem octo juga bobum ad incendium vix trahere potuerunt.

Per idem tempus corpora sanctorum Abbacuc et Micheæ prophetarum divina revelatione produntur.

Teuflus claruit.

Gothi Italiam, Wandali atque Alani Gallias aggrediuntur.

8. ***Honorius*** cum ***Theodosio*** minore, fratris filio reg. an. XV. His imperantibus Gothi Romam capiunt. Wandali et Alani, atque Suevi Spanias occupant.

Concilium Carthaginis CCXIIII episcoporum agitur.

Cyrillus Alexandriæ episcopus insignis est habitus.

Theodosius minor, Arcadii filius, reg. an. XXVII. Wandali ab Spania ad Africam transeunt, ibique catholicam fidem Ariana impietate subvertunt.

[a] Ms., *Clarius.*

[b] Berganza et Saz, *Donatus grammaticæ arti Romæ claruit. Antonius*, etc., penitus prætermissis quæ sequuntur, *eodem tempore passus est;* quæ si retinenda, melius ut apud Ferreras disponenda : *Donatus grammaticæ arte Romæ claruit. Eodem tempore passus est... Antonius*, etc. Scilicet, ut, lacuna signata, aliquid deesse pateat, quo congruus orationis sensus compleatur.

[c] In archetypo, *Ataricus.*

[d] Ms., male, *Arii imperii;* et statim, ipse rex ut Ephesina synodus adversus Nestorium agitur episcopum.

Hoc etiam tempore diabolus, in speciem Moysi Judæis in Creta apparens, dum eos per mare pede sicco ad terram repromissionis promittit perducere, plurimis necatis, reliqui qui remanserunt, Christiani effecti sunt.

9. ***Martianus*** reg. an. sex. Hujus initio Chalcidonense concilium geritur.

Rudericus [i] rex Gothorum cum ingenti exercitu Spaniam ingreditur.

Leo major cum Leone minore reg. an. XVI.

Zenon reg. an. XVII. Per idem tempus corpus Barnabæ apostoli, et Evangelium Matthæi, ipso revelante, repertum est.

Anastasius reg. an. XXVII. Eo tempore Fulgentius episcopus doctrinæ scientia claruit. Hæreses multæ exortæ sunt.

Justinus major reg. an. VIII. Iste synodi Chalcidonensis amator, acephalorum [j] hæresem abdicat.

10. ***Justinianus*** reg. an. XXXVIII. Iste acephalorum hæresem suscipiens episcopos Chalcidonensis concilii amatores condemnat.

In Africa Wandali per Belesarium patricium Romanum exstincti sunt.

In Italia quoque Attila Ostrogothorum a Narse Romano patricio superatur.

In Spania Attanagildus Agilani imperium [k] tyrannizat.

Per idem tempus corpus sancti Antonii monachi, divina revelatione repertum, Alexandriam perducitur, et in ecclesia sancti Joannis humatur.

Justinus minor reg. an. XI. Iste ea quæ adversus Chalcidonense concilium fuerant edita destruxit; et Symbolum CL Patrum tempore sacrificii concinendum a populo præcepit.

Armeni tunc primum fidem Christi suscipiunt.

Per idem tempus Martinus Bracarensis episcopus, apud Gallæciam prudentia catholicæ fidei clarus habetur tempore Suevorum.

11. ***Tiberius*** reg. an. VII. Longobardi, Roma pulsi, Italiam adeunt.

Gothi per Ermenegildum Liuvigildi regis filium bifarie divisi mutua cæde vastantur.

Mauritius reg. an. XXI. Suevi, a Liuvigildo rege Gothorum obtenti, Gothis subjiciuntur.

Eodem tempore Gothi per Recaredum regem religiosissimum ad catholicam fidem convertuntur.

Hoc tempore Leander episcopus Spalensis ad conversionem gentis Gothorum doctrina fidei et scientiarum clarus in Spaniis habetur.

Focas reg. an. VIII. Iste seditione militari imperator effectus, Mauritium Augustum nob. Romanumque multos interfecit.

Prælia quoque Persarum adversus Remp. gravissima excitantur, a quibus Romani fortiter debellati.

12. ***Eraclius*** reg. an. XXVII. Sclavi Græciam Romanis tulerunt : Persi Syriam et Ægyptum.

In Spanias quoque Sisebutus Gothorum rex quasdam ejusdem Romanæ militiæ urbes cepit : et Judæos regni sui subditos ad Christi fidem convertit.

Ecclesiam quoque sanctæ Leocadiæ Toleto nuper fundavit.

cum omni, etc.

[e] In archetypo addit, *doctrina.*

[f] In archetypo, *Turunorum.*

[g] In archetypo, *Constantinopolim* CL. *Patrum colligitur*, etc.

[h] Melius apud Berg. et Saz., *Templa..... subvertuntur.*

[i] Lege *Theudericus.*

[j] Ms., *Acevalorum.*

[k] Deest in ms. *imperium;* exstat in eo quo usus fuit Ferreras.

Post quem, Suintila princeps receptum regnum Romanis peregit, celerique victoria totius Spaniæ monarchiam obtinuit.

Reges quoque Gothorum a Suintilane usque ad Chintilanem eo imperante fuerunt.

Constantinus reg. an. VIIII. Eo tempore Tulca et Cindasvinctus in Spania, unus post alium reg annis VIIII.

13. *Constans* reg. an. XX. Tunc Recesvinctus in Spania reg an. XX, et supervixit annos tres.

Constantinus novus reg. an. XVI. Supradictus Recesvinctus reg. an. III. Wamba reg. an. VIII. Ervigius reg. V, et supervixit annos II et dies XV.

Justinianus reg. an. XI. Supradictus Ervigius reg. an. II.

Egica reg. an. VIIII, et supervixit annos VI.

Leo [a] reg. an. VII. Egica peragit in Spania an. VI. Post illum Vittiza filius ejus an. I.

Tiberio imperante Vittiza peragit annos VIII.

Rudericus reg. an. III. [Tunc Saraceni Spaniam possederunt et regnum Gothorum exterminatum, æra 852] [b].

Item ordo gentis Gothorum.

14. Primus in Gothis *Ataharicus* reg. an. XIII. Iste prius per Valentem imperatorem in hæresem Arianam cum omni Gothorum gente intravit. Sub isto Gothi legem et litteras habere cœperunt : et cum eodem rege ab Ugnis [c] Gothi de terra propria expulsi sunt. Rex quoque Constantinopolim vitam finivit sub imperatore Teudosio.

15. *Alaricus* reg. an. XVIII [d]. Item ob vindictam Gothorum CC millia, et Ragadaiso scita, quos Romani interfecerant, exercitum movit, et Romam capit : ibique Placidiam, Teudosii imperatoris filiam, cum multis opibus deprædavit. Postea in Italia obiit sub imperatore Honorio et Arcadio.

16. *Ataulphus* reg. an. VI. Iste supradictam Placidiam conjugem accepit, et quinto regni anno de Italia Gallias adiit ; et dum Spanias petere voluisset, a suis interfectus est in Barcinona sub imperatoribus Honorio et Arcadio.

17. *Sigericus* reg. an. I. Iste cum pacem cum Romanis voluisset, mox a suis est interfectus sub imperio prædicto.

18. *Ballia* [e] reg. an. III. Belligerator fuit. Cum imperatore Honorio pacem habuit, et sororem ejus Placidiam ei reddidit. Iste in Spanias ingressus, Wandalos et Silingos in Bætica bello exstinxit, et Alanos ad nihilum redegit. Ad Africam classice transire disposuit; sed Gaditanum mare eum non dimisit. In Gallias rediit, ibique vitam finivit sub imperatore Honorio.

19. *Teuderedus* reg. an. XXXIII. Iste Litorium ducem Romanorum cum multis millibus [f] Romanorum exstinxit. Ex Ugnis [g] CC interfecit ; ibique præliando occiditur sub imperatore Teudosio minore.

20. *Turismundus* filius ejus reg. an. I. Qui dum feralis et noxius esset, a Teuderico et Fridario [h] est fratribus interfectus sub imperatore Marciano.

21. *Teudericus* reg. an. XIII. Iste cum Gothis Avito imperio [i] sumere auxilium dedit; et ob hoc inde cum licentia ejusdem Aviti imperatoris cum ingenti exercitu Spanias intrat, et XII milliario ab Asturica apud Urbicum fluvium Ricciarium Suevorum regem prælio superavit : eumque persequens, in Portucale cepit [atque occidit. Bracarum capit]. [j] Sicque inde per Lusitaniam Gallias repetit : ibique ab Eurico est fratre occisus sub imperatore Leone.

22. *Euricus* reg. an. XXVI. Iste Lusitaniam deprædavit. Pampilonam et Cæsaraugustam cepit. Iste primus Gothis leges dedit. Arelate obiit sub imperatore Zenone.

23. *Alaricus* filius ejus reg. an. XXIII. Quem Huduildus rex Francorum apud Pictavem bello interfecit. Ob cujus vindictam Teudericus socer ejus, Italiæ rex, Francos proterit, et regnum Gothis integrum restituit sub imperatore Anastasio.

24. *Gesalaicus* Alarici filius reg. an. III. Iste a Gundibado Burgundionum rege in Narbona superatus ad Barcinonam fugit. Inde ad Africam Wandalis pro auxilio pergit, et non impetravit : inde reversus, apud Barcinonam a duce Teuderici Italiæ regis est interfectus sub imperatore Anastasio.

25. Supradictus *Teudericus*, occiso Gesalaico, regnum Gothorum tenuit annis XV, et superstiti nepoti suo Atalarico reliquit. Ipse Italiam rediit, et ibi vitam finivit sub imperatore Justiniano.

26. *Amalaricus* reg. an. V. Iste a Childeberto Francorum rege superatus Narbona interimitur sub imperatore Justiniano.

27. *Tudis* [k] reg. an. XVII. Iste, quamvis hæreticus, pacem concessit Ecclesiæ, et episcopis licentiam dedit in Toletana urbe concilia peragere. Francorum reges infra Spaniis usque nimium [l] superavit : eumque in palatio quidam [m] insaniam simulando interfecit sub imperatore Justiniano.

28. *Teudisclus* reg. an. I. Qui dum thoros multorum macularet, et ob id multis necem excogitaret, mox inter epulas gladio Spali jugulatur sub imperatore Justiniano.

29. *Agila* reg. an. V. Iste dum ad Cordobam urbem pugnaret, et [n] in contemptu Christi sepulcrum sancti martyris Acisculi quodam horrore polluerat, filium ibi cum multa copia interfectum, et omne thesaurum regium amisit, et Emeritam fugit : ibique sui eum interfecerunt sub imperatore Justiniano.

30. *Atanagildus* reg. an. XIIII. Iste contra milites Justiniani imperatoris, quos ib suo auxilio contra Agilanem petierat, diu conflixit atque exstinxit. Toleto morte propria decessit sub imperatore Justiniano.

31. *Liuva* reg. an. III in Narbona. Iste fratri Leuvigildo Spaniæ administrationem dedit; ipse Gallis præfuit [o].

32. *Leuvigildus* adepta Gallia et Spania reg. an. XVIII. Iste valde hæresi Arianæ deditus persecutionem catholicis intulit, et ecclesiarum privilegia tulit. [Mansonam Emeritensium episcopum religavit P.] Suis perniciosus fuit; potentes per cupiditatem damnavit. Suevos superavit, et Galleciæ regnum Gothis adjunxit [q]. Primus regali veste opertus solio resedit. Urbem in Celtiberia fecit et Recopolim nominavit. Gothorum leges ante correxit. Toleto propria morte decessit sub Mauricio imperatore.

33. *Reccaredus* filius ejus reg. an XV. Iste in exordio regni sui catholicam fidem adeptus, omnem

[a] Ms., *Neon.*

[b] Ordine hæc sunt præpostero in meo ms. Hic enim legitur *Rudericus reg. an.* III, quæ ante Saracenorum in Spaniam adventum, in aliis exarata. In archetypo exstant ad oram, uncis inclusa, et deest *exterminatum.*

[c] Ms., *Agnis.*

[d] XXVIII legendum, et immediate *iste* ubi *item.*

[e] *Wallia.*

[f] Ms., *cum multa millia.*

[g] Ms., *Agnis* CC, addendum *millia.* Vide Idatium in Chron.

[h] *Fredericus* audit apud Idatium ibidem.

[i] *Imperium* lege vel *imperio sumendo.*

[j] Uncis inclusa desiderantur apud Berganzam, prætermisit etiam Ferreras *Bracaram cavit.*

[k] *Theudis.*

[l] Mariana, *nimium* progressos.

[m] In archetypo, *quodam.*

[n] In archetypo deest *et.*

[o] In archetypo, *præfugiit.*

[p] Uncis inclusa exstant in archetypo.

[q] Ita Mariana et Marmol ; ms., *admiscit*

Gothorum gentem ad cultum rectæ fidei revocavit : et per synodum episcoporum Galliæ et Spaniæ fidem catholicam confirmavit. Francorum hostes LX millia in Spania bello prostravit, et tempora regni sui omni bonitate ornavit. Fine pacifico Toleto decessit imperante Mauricio.

34. *Liuva* filius reg. an. II. Istum præcisa dextera innocuum Vitericus occidit, et regnum sibi suscepit sub imperatore Mauricio.

35. *Vitericus* reg. an. VII. Vir quidem strenuus in armorum arte, sed expers victoriæ. Quod fecit recepit : inter epulas enim prandii a suis interfectus est sub imperio Focatis.

36. *Gundemarus* reg. an. II. Vascones una expeditione vastavit. Morte propria Toleto decessit sub imperatore Eraclio.

37. *Sisebutus* reg. an. VIII. Iste potestate Judæos ad fidem Christi perduxit. Ecclesiam sanctæ Leocadiæ [a] opere miro fundavit. Astures et Vascones in montibus rebellantes humiliavit, et suis per omnia benivolus fuit. Hunc uni proprio morbo, alii immoderato potionis haustu asserunt interfectum sub imperatore Eraclio. Tunc nefandus Mahomat in Africam nequitiam legis stultis populis prædicavit.

38. *Suintila* reg. an. X. Victoria et consilio magnus fuit. Vascones devicit ; duos patricios Romanos cepit. Omnem Spaniam et Galliam strenue rexit, et ob meritum pater pauperum vocari est dignus. Fine proprio Toleto decessit sub imperatore Eraclio.

39. *Sisinandus* reg. an. III. Iste synodum episcoporum egit : patiens fuit, et regulis catholicis orthodoxus exstitit. Toleto vitam finivit sub imp. Eraclio.

40. *Chintila* reg. an. III. Synodos plurimas Toleto cum episcopis egit, et subditum regnum fide firmavit. Toleto decessit sub imp. Eraclio.

41. *Tulga* reg. III. Blandus in omnia fuit.

42. *Chindasvinctus* reg. solus an. VI, et cum filio suo *Recesvinto* an IIII. Hujus tempore quievit Spania, et per synodos erudivit Ecclesia. Toleto obiit sub imp. Constantino novo.

43. *Wamba* reg. an. VIII. Primo regni anno rebellantem sibi Paulum ducem cum quadam parte Spaniæ, seu cum omni provincia Galliæ, hic rex cum exercitatione Spaniæ prius feroces Fascones [b] in finibus Cantabriæ perdomuit ; deinde pergens, cunctis civitatibus Gothiæ et Galliæ captis, ipsum postremo Paulum in Neumausense urbe victum celebre triumpho sibi subjecit. Postea ab Ervigio regno privatur sub imperatore Constantino novo.

44. *Ervigius* reg. an. VI. Iste synodos multas Toleto cum episcopis egit. Filiam suam conjugem dedit Egicani. Toleto obiit sub imperatore Justiniano.

45. *Egica* reg. an. XV. Iste dum regnum accepit filiam Ervigii cum juratione Wambani subjecit [c]. Filium suum Vitizanem principem secum regno præfecit. Toleto decessit sub imperio Leonis.

Vitiza reg. an. X [d]. Toleto vitam finivit sub imperio Tiberii.

[a] In archetypo addit : *Toleto.*

[b] *Fascones*, id est, *Vascones* ; *f* namque pro *v* seu pro *b* sæpe Muzarabes apponebant.

[c] *Conjuratione Vambæ abjecit.* Rud. Tolet. FLOREZ, Adic. ms.

[d] Æmilanensis codex sic apud Saz : « Iste in vita patris in Tudente urbe Galliciæ resedit. Ibique Fafilanem ducem, Pelagii patrem, quem Egica rex illuc direxerat, quadam occasione uxoris fuste in capite percussit, unde post ad mortem pervenit : et dum idem Witiza regnum patris accepit, Pelagium filium Fafilanis, qui postea Saracenis cum Astures rebellavit, ob causam patris, quam prædiximus, ab urbe regia expulit. Toleto Witiza vitam finivit sub imperatore Tiberio. » Sic etiam Tudensis sub Egica.

[e] Vide infra n. 77.

46. *Rudericus* reg. an. III. Istius tempore æra 752, farmalio [e] terræ Saraceni evocati Spanias occupant, regnumque Gothorum capiunt ; quod adhuc usque ex parte pertinaciter possident : et cum eis Christiani die noctuque bella iniunt, et quotidie confligunt, dum prædestinatio usque divina dehinc eos expelli crudeliter jubeat. Amen.

Item nomina regum catholicorum Legionensium.

47. *Pelagius* [f] filius Veremundi, nepos Ruderici regis Toletani. Ipse primus ingressus est in Asturibus montibus sub rupe in antrum de Auseba.

Deinde filius ejus *Fabila.*
Deinde *Adefonsus* gener Pelagii.
Post illum frater ejus *Froila.*
Deinde *Aurelius* [g].
Post illum *Adefonsus* Castus, qui fundavit Ovete.
Deinde *Nepotianus* cognatus regis Adefonsi.
Post Nepotianum *Ranimirus.*
Post illum filius ejus *Ordonius*, qui allisit Albailda.
Deinde filius ejus *Adefonsus*, qui allisit Ebrellos.
48. Post illum filius ejus [h] *Garsea.*
Deinde *Ordonius.*
Deinde frater ejus *Froila.*
[i] Post filius ejus Adefonsus.
Deinde Sancius filius Ordonii.
Deinde *Adefonsus*, qui dedit [j] regnum suum, et convertit ad Deum.
Post frater ejus *Ranemirus.*
Deinde filius ejus *Ordonius.*
[Post illum frater ejus Sancio [k]]
Deinde filius Sancionis *Ranemirus.*

Vacare hic ait Joannes Vazquez del Marmol spatium quasi octo aut novem linearum.

Item nomina Pampilonensium regum.

Animadvertit hic iterum Joannes Vazquez, vacare spatium, ad oramque codicis scriptum : Hic a prædictis regibus ignoro quales fuisse.

49. *Sancio* rex filius Garseanis regis regnavit annos XX.

[*Hic in margine notatum :* Æra DCCCCXIV inquoavit.] *Garsea* filius Sancionis regis reg. an. X (40) et amplius. *Sancio.*

Item ordo gothorum Ovetensium [l] *regum.*

50. Primus in Asturias *Pelagius* regnavit in Canicas annis XIX. Iste a Vitizane rege de Toleto expulsus, Asturias ingressus est, postquam a Saracen s Spania occupata est. Iste primus contra eos sumpsit rebellionem in Asturias, regnante Juzeph in Cordoba, et in Legione civitate Saracenorum jussa super Astures procura..le Monuza : sicque ab eo hostis Ismaelitarum cum Aloamane interficitur ; et Oppa episcopus capitur. Postremoque Monnuza interficitur, sicque ex tunc reddita est libertas populo Christiano. Tunc etiam qui remanserunt, gladio de ipsa hoste [m], Saracenorum in Libamina [n], monte ruente judicio Dei opprimuntur : et Asturorum regnum divina providentia exoritur. Obiit quidem

[f] Desunt aliqua. Videsis Saz, pag. 37.

[g] Post Aurelium *Silo*, *Mauregatus*, et *Veremundus* desiderantur, de quibus post præviam hanc in genere mentionem statim agit auctor in individuo.

[h] Hucusque primus operis auctor, qui æra 921, hoc est anno 883, se scribere testatus est. Reliqua ad num. 50 exclusive, anno 976, addita.

[i] Duo hi versus redundant.

[j] *Fratri* addit Mariana.

[k] Uncis inclusa exstant in archetypo.

[l] Obetensium, et Obeto, per *b* fere semper in codice ms. apud Marmol.

[m] Id est *exercitus*, seu *acies*, voce Hispanica antiquata *hueste*, quæ hic dicitur *hoste*.

[n] *Libana* apud alios, bodie *Liebana.*

prædictus Pelagius in locum Canicas æra 775.

51. *Fasila* filius ejus reg. an. II. Iste, levitate ductus, ab urso est interfectus.

52. *Adefonsus*, Pelagii gener, reg. an. XVIII. Iste Petri, Cantabriæ ducis, filius fuit; et dum Asturias venit, Bermisindam [a], Pelagii filiam, Pelagio præcipiente, accepit. Et dum regnum accepit, prælia satis [b] cum Dei juvamine gessit. Urbes quoque Legionem atque Asturicam, ab inimicis possessas, victor invasit. Campos, quos dicunt Gothicos, usque ad flumen Dorium eremavit, et Christianorum regnum extendit. Deo atque hominibus amabilis exstitit. Morte propria decessit.

53. *Froila* filius ejus reg. an. XI. Victorias egit, sed asper moribus fuit [c]. Fratrem suum, nomine Vimaranem, ob invidiam regni interfecit. Ipse post ob feritatem mentis in Canicas est interfectus æra 806.

54. *Aurelius* reg. an VII. Eo regnante servi, dominis suis contradicentes, ejus industria capti in pristina sunt servitute reducti. Suoque tempore Silo futurus rex, Adosindam [d] Froilæ regis sororem, conjugem accepit: cum qua postea regnum obtinuit. Aurelius vero propria morte decessit.

55. *Silo* reg. an. VIII. Iste dum regnum accepit, in Pravia solium firmavit. Cum Spania ob causam matris pacem habuit. Morte propria decessit, prolem nullam dimisit.

56. *Maurecatus* [e] reg. an. V.

57. *Veremundus* reg. an. III. Iste per ann. III clemens adfuit [f] et pius. Eo regnante prælium factum est in Burbia [g]. Postea voluntarie regnum dimisit.

58. *Adefonsus* magnus reg. an. LI. Iste II regni anno per tyrannidem regno expulsus, monasterio Abelaniæ est retrusus. Inde a quodam Teudane vel aliis fidelibus reductus, regnique Oveto est culmine restitutus. Iste in Oveto templum sancti Salvatoris cum XII apostolis ex silice et calce mire fabricavit. Aulamque sanctæ Mariæ cum tribus altaribus ædificavit. Basilicam quoque sancti Tirsi miro ædificio cum multis angulis fundamentavit. Omnesque has Domini domos cum arcis atque columnis marmoreis auro argentoque diligenter ornavit; simulque cum regis palatiis picturis diversis decoravit; omnemque Gothorum ordinem, sicuti Toleto fuerat, tam in ecclesiam quam palatio in Oveto cuncta statuit. Super Ismaelitas victorias plures gessit. Getulorumque hostes [h]: unam infra Asturias in locum Lutis, et aliam in Gallæciæ provincia in locum Ancro prælio superavit. Suoque tempore quidam de Spania nomine Mahamut a rege Cordobense fugatus, cum suis omnibus Asturias ab hoc principe est susceptus. Posteaque ad rebellium [i] in Gallæcia in castro Sanctæ Christinæ perversum, ibidem eum hic rex prælio interfecit: castrumque ipsum cum omnibus rebus suis cepit. Absque uxore castissimam vitam duxit: sicque de regno terræ ad regnum transiit cœli: qui cuncta pace egit, in pace quievit. Bissena quibus hæc altaria sancta fundataque [j] vigent, hic tumulatus jacet.

59. *Ranemirus* reg. an. VII. Virga justitiæ fuit. Latrones oculos evellendo abstulit. Magicis per ignem finem imposuit: sibique tyrannos mira celeritate subvertit atque exterminavit. Prius Nepotianum ad pontem Narciæ superavit, et sic regnum accepit. Eo tempore Lordomani [k], primi in Asturias venerunt. Postea idem Nepotiano pariter cum quodam Aldoitro tyranno, oculos ab eorum frontibus ejecit, superbumque Puniolum victor interfecit. In locum Ligno dicto [l] ecclesiam et palatia arte fornicea mire construxit. Ibique a sæculo recessit, et Oveto tumulo requiescit sub die Kal. Februar 888 (*an* 850).

60. *Ordonius* filius ejus reg. an. XVII. Iste Christianorum regnum cum Dei juvamine ampliavit. Legionem, Asturicam, simul cum Tude et Amagia populavit: multaque et alia castra munivit. Super Saracenos victor sæpius exstitit. Talamancam [m] civitatem prælio cepit; regem ejus Mozeror ibi captum, voluntarie cum sua uxore Balkaiz, in Petra sacra liberos abire permisit. Albaildam, urbem fortissimam, similiter præliando intravit, regemque ejus nimium potentissimum, nomine Muz, in monte Laturcio in insidiis inventum, et exercitum illius gladio defectum, ipsius [n] Muz jaculo vulneratum ab amico quodam e nostris verum cognoscitur fuisse salvatum et in tutiora loca amico [o] equo esse sublatum.

Ejus tempore Lordomani iterum venientes in Gallæciæ maritimis, a Petro comite interfecti sunt. Mauri in navibus venientes in freto Gallicano [p] devicti sunt. Cui principi tanta fuit animi benignitas et misericordiæ utilitas, et tantum omnibus extitit pius, ut Pater gentium vocari sit dignus. Fine pacifico Oveto decessit sub die VI. Kal. Junias, æra 804 (*an* 866).

61. *Adefonsus* filius ejus XVIII regni deducit annum [q]. Iste in primo flore adolescentiæ, primoque regni anno, et suæ nativitatis XVIII, ab apostata Froilane, Galliciæ comite, per tyrannidem regno privatur. Ipseque rex Castellam se contulit; et non post multo tempore, ipso Froilane tyranno et infausto rege a fidelibus nostri principis Oveto interfecto, idem gloriosus puer ex Castella revertitur, et in patrio solio regnans feliciter conlætatur. Qui ab initio regni super inimicos favorem victoriarum habet semper. Vasconum feritatem bis cum exercitu suo contrivit atque humiliavit. Illius tempore præterito jamque multo, Ismaelitica hostis ad Legionem venit, duce Abulmundar, filio Abderhamam regis, fratre Mahomat Cordobensis regis. Sed dum venit, sibi impediit; nam ibi multis millibus amissis cæterus exercitus fugiens evasit. Ipsisque diebus alia hostis, in Vergidum ingressa, usque ad nihilum est interempta, multosque inimicorum terminos est sortitus. Dezam castrum iste accepit. Antezam pace acquisivit. Conibriam [r], ab inimicis possessam, eremavit, et Gallæcis postea populavit, multaque alia castra sibi subjecit.

62. Ejus tempore Ecclesia crescit, et regnum

---

[a] *Ermisendam* Pellicer.

[b] Vocem *multa* hic addit Mariana.

[c] In archetypo, moribus *egit vel fuit*, etc.

[d] Memorant Adosindam Eterius et Beatus epistola ad Elipandum.

[e] Codex S. Æmil. addit *tyrannice accepto regno*. Apud Berg. et Saz. Ita et Pellicer.

[f] Sic codex S. Æmil. Albeldensis vero, *pro annis tribus fuit et plus*. Apud Jo. Vazquez del Marmol.

[g] Ferrer., *in Burebia*. Berg., *prælium factum est sub æra* 830. Pellic., *prælium factum est in Burobia, sub æra*... (absque numeris).

[h] Id est *acies*, Hispanice *huestes*.

[i] Sic codex S. Æmiliani. Ferrer., *ad rebellionem*. Neutrum apud Marmol adest. In archetypo: *Post-eaque in Gallecia ad rebellium in castro*, etc.

[j] Pellicer, *fundataque;* alii, *fundatisque*.

[k] *Nortmanos* intellige.

[l] Sic Mariana. Deest *dicto* in archetypo et apud alios.

[m] Berg., *Taramancam*. Ferreras, *Salamancam*.

[n] In archetypo, *ipsum*.

[o] Berg., *amici*.

[p] Ferreras, et Jo. Bap. Perez in ms. *Gaditano*.

[q] Annus in quo hæc scribebantur decimus octavus Adefonsi tertii, id est Christi 885, ut infra dicitur num. 74; æra 921, patetque ex ea in qua incepit 904.

[r] *Conimbriam* alii scribunt.

ampliatur. Urbes quoque Bracharensis, Portucalensis, Aucensis [a], Eminensis, Vesensis, atque Lamecensis a Christianis populantur. Istius victoria Cauriensis, Egitaniensis, et cæteras [b] Lusitaniæ limites, gladio et fame consumptæ, usque Emeritam, atque freta maris, eremavit et destruxit. Parvoque procedente [c] tempore, æra 915, consule Spaniæ et Mahomat regis consiliarius Abuhalit bello in fines Gallæciæ capitur, regique nostro in Oveto perducitur. Qui dum se postea redemit, duos fratres suos, filium atque subrinum obsides dedit, quousque centum millia auri solidos regi persolvit.

63. Ipsisque diebus, sub æra 916, Almundar, filius regis Mahomat cum duce Ibenganim, atque hoste Saracenorum ex Cordoba ad Sturicam [d] atque Legionem venit. Sed manus idem [e] hostis ex adverso exercitum sequens qui erant de Toleto, Talamanca, Vathlelhara [f], vel de aliis castris, sub uno XIII millia in locum Polboraria apud flubium Urbicum a principe nostro interfecti sunt. Idem Almundar ad castrum Sublantium volens pertendere, cognovit quod gestum fuerat in Polboraria, etiam comperiens quod rex noster jam in Sublantio castro cum omni exercitu eum bellaturus : exspectabat, metuens retro ante lucentem diem vertitur in fugam. Deinde, imperante Abuhalit, pro tribus annis pax in utrosque reges fuit.

64. Postea rex noster, Saracenis inferens bellum, exercitum movit, et Spaniam intravit sub æra 918. Sicque per provinciam Lusitaniæ, castra de Nepza prædando pergens, jam Tacum fluminem [g] transito [h] ad Emeritæ fines est progressus : et decimo milliario ad Emeritam pergens Anam [i] fluvium transcendit, et ad Oxiferium montem pervenit : quod nullus ante eum princeps adire tentavit. Sed et hoc quidem glorioso ex inimicis triumphavit eventu : nam in eodem monte XV [j] capita amplius noscuntur esse interfecta. Sicque inde princeps noster cum victoria sedem revertitur regiam.

65. Ab hoc principe omnia templa Domini restaurantur, et civitas in Oveto cum regiis Aulis ædificatur : statque scientia clarus, vultu et habitu staturaque placidus. Inflectatque Dominus ejus semper animum, ut pie regat populum, ut post longum principatus imperium de regno terræ ad regnum transeat cœli [k].

66. (*Continuatio an.* 882.) Hoc supradicto principe regnante in æra 920, supradictus Almundar, Mahomat regis filius, a patre suo directus cum duce Abuhalit, et exercitu Spanie LXXX millia a Cordoba progressus, ad Cæsaraugustam est profectus ; ubi Zmael [l] Iben Muza stabat adversus Cordobenses infestus. Hostis dum ad Cæsaraugustam circuivit XXV dies ibidem pugnavit : sed nihil victoriæ gessit. Inde profectus ad Tutelam castrum præliavit, quod A Fortunio [m] Iben Muza tenebat, sed nihil ibi lem egit.

67. Tunc Ababdella, ipse qui Mahomat Iben Lupi [n], qui semper noster fuerat amicus, sicut et pater ejus, ob invidiam de suis tionibus [o], cui rex filium suum Ordonium ad creandum dederat, cum Cordobensibus pacem fecit, fortiamque [p] suorum in hostem eorum misit ; sicque hostes Chaldæorum in terminos regni nostri intrantes, primum ad Cellioricum castrum pugnaverunt, et nihil egerunt, sed multos suos ibi perdiderunt.

68. Vigila Scemeniz erat tunc comes in Alava : ipsa quoque hostis in extremis Castellæ veniens ad castrum cui Ponte curbum nomen est, tribus diebus pugnavit, et nihil victoriæ gessit, sed plurimos suorum gladio vindice perdidit.

69. Didacus, filius Ruderici, erat comes in Castella : castrum quoque Sigerici ob adventum Saracenorum Munio, filius Nunni, eremum dimisit, quia non erat B adhuc strenue munitum.

70. Rex vero noster in Legionense urbe ipsam hostem sperabat, strenue munitus agmine militari, ut cum eis legitime ad civitatis suburbium dimicaret ; sed ipsa hostis, dum comperit quod rex noster illam quotidie alacri animo ad urbem propinquare desideraret, castigante [q] Habuhalit, qui jam viros aspexerat regios longe a civitate XV millibus, ipsa hostis trans fluuen Estoræ perrexit ; castella munita succendit : et de campo Alcopæ ad fluvium Urbicum missos regi nostro direxit, rogans ut filium suum Abulkazem, quem adhuc rex tenebat, reciperet. Sicque filium Zmaelis Ibem Muzæ, quem de Cordoba patri suo causa pacis adduxerant, pariterque Furtum Ibem Alazela, quem in tutela arte [r] ceperant, ad nostrum regem Abohalit direxit : et sic rogans per multa munera filium suum recuperat [s], et super fluvium Urbicum usque in Zelam [t] viam fecit ; sicque tunc Cordobam rediit. Reversi sunt in Cordoba C mense Septembrio unde exierant Martio mense. Et postea rex noster ipsos de Benikazi, quos de Habuhalit pro ejus filio acceperat, suis denique amicis sine pretio dedit.

71. Supradictus quoque Ababdella, filius Jub [u], ob amicitiam Cordobensium, contra suos tios et germanos in odium vertitur, et inter eos pugnæ oritur quæstio ; sed ipsa hieme, ob contumaciam ejusdem Ababdella, tius suus Zmael, et suus congermanus ejusdem Zmael Ibem Furtum, exercitum moverunt, circiter VII millia, contra eum Ababdellam prælium agere volentes. Ipse quoque Ababdella in fragosa loca eos sperabat, vel exspectabat. Sicque venientes ambo Zimaeles levitate [v] deducti in ipso fragoso monte, ubi eum cognoverunt esse, cum paucis viris et famulis ascenderunt [x]. Ababdella quoque præcipiti D

[a] *Auriensis* legit Florez.

[b] L. *cæteræ*, vel *cæteri*.

[c] Joann. Vazq. *præcedenti*.

[d] *Asturiam* alii scribunt.

[e] Mariana, *manus alia hostis*.

[f] *Vathlelhara*, de qua Jo. Vazquez del Marmol, *Suspicor*, inquit, *ex characteribus esse Guadalajara*.

[g] *Tago flumine* leg.

[h] In archetypo addit. *adm*.

[i] In archetypo *unum* pro *Anam* scribit.

[j] Pellic., *Quinque millia capita*. Saz, XV *mille capita*.

[k] Hucusque editio doctoris Ferreras, qui lacuna cuncta præterit quæ usque ad num. 77 consequuntur. Hic Pellicer interserit, *Item noticia episcoporum*, versus qui supra exstant in Præludio num. XI de quibus num. 25.

[l] Alii, *Zimael*.

[m] Pellicer, *Fortun Iben Muza*.

[n] Pellic., *Ab Abddella, ipseque Mahomat Iben-Lupi*. Marmol, *Ababdella ipse, qui Mahomat Ibeniuph*. Saz, *iben Lup*. Congruentior autem lectio est *ipse qui*, quam *ipseque*, ex num. 71, ubi *Ababdella* dicitur *filius Lupi*, hoc est *Iben Lub*. (*Iben* enim Arabice *filius* Latine est.) Ababdella igitur ipse erat qui Mahomat Iben Lup. Res quoque narrata eadem utrobique. In archetypo, *Luph*.

[o] Pell., Berg. et Saz, *de suos tios*, Marmol, et Mariana ut in textu. *Theios* Græce idem ac Hispanis *Tio*, Latinis *Patruus*.

[p] Saz, *fortiaque*. Citra scrupulum vero *fortiam* cum aliis lego ; est enim vox infimæ Latinitatis, idem ac *copiæ* vel *exercitus*.

[q] Pellicer, *ab urbe appropinquante desideraret eastigare*, ex quibus simul collatis legendum : *ad urbem appropinquantem desideraret castigare*.

[r] Alii, *Tutela Arce*.

[s] Ms., *receperat*. Pell., *recepit* : lego *recuperat*.

[t] *Zeiam* infra leges n. 73.

[u] Marmol *Iuph*. — In archetypo *Luph*.

[v] Pellicer, *leritate* ; alii, *lenitate*.

[x] Mariana et Pellicer, *famulis* ; alii, *flamulis*.

cursu ad eos inruens, illi [a] fugam arripientes ibi Zmael Iben Furtum ex equo cecidit, et statim captus est. Similiter quoque et Zmael Iben Muza, dum sibrinum eripere voluit, ibidem capitur; multique ex idoneis Benikazi ibidem capti sunt. Cæterus exercitus in plana consistens fugiens evasit.

72. Ababdella vero, acta victoria, ipsos quos cepit ad suum castrum Beccaria eos ferro vinctos transmisit. Ipse quidem inde progressus ad Cæsaraugustam venit, eamque sub nomine pacis sine gladio cepit jurique suo subjecit. Statimque nuntios ad Cordobam misit, quasi pro gratia regis hæc omnia egisset, ita ut in omnibus fidelis existeret. Sed cum a rege Cordobense ipsa civitas, vel ipsi quos ceperat, peterentur, et hoc Ababdella nullatenus adnueret, mox quoque Cordobenses in ira sunt commoti: et isti in una sunt concordiam versi. Tuncque Ababdella tium dimisit, et ob inde Valterram castrum ab illo accepit; similiter et congermanum dimisit, ob id Tutelam, atque castrum sancti Stephani ab eo accepit; et Cæsaraugustam ipse sicuti eam ceperat, et obtinuit et obtinet.

73. Ipsisque diebus a comitibus Castellæ et Alavæ Didaco et Vigila multas persecutiones et pugnas idem Ababdella sustinuit; et dum vidit se valde opprimi ab eis, statim legatos pro pace regi nostro direxit et sæpius dirigit: sed adhuc hucusque a principe nullatenus pacem accipit firmam [b]. Ille tamen in nostra amicitate persistit et persistere vellet [c]; sed rex noster ei adhuc non consentit.

74. Postea quoque in æra 921, quæ est præsenti anno, jam supradictus Almundar, Mahomat regis filius, cum duce Abohalit, et cum omne exercitu Spaniæ, a Patre suo ad Cæsaraugustam directus est; ubi dum venit, Ababdellam intus invenit. Duobus tantum diebus ibi pugnavit: labores et arbusta diripuit, non tantum ad Cæsaraugustam, sed in omnem terram de Venikasi similiter egit. Degium [d] ex parte intravit, et deprædavit: sed nullum de civitatibus vel castris cepit, sed jam [e] populavit. Postea quoque ipsa hostis in terminis nostri regni intravit, primumque ad castrum Celoricum pugnavit, multosque interfectos e suis ibi dimisit. Vigila comes muniebat ipsum castrum.

75. Deinde ad terminos Castellæ in ponte Curbo Castro pervenit, ibique sua voluntate pugnare cepit, sed tertio die victus valde inde recedit. Didacus comes erat. Dehinc castellum Sigerici munitum invenit, sed nihil in eo egit, Augustoque mense ad Legionenses terminos accessit. Sed dum regem nostrum in eadem urbe esse audivit, et quia in Sublantio castro cum eis præliare jam definitum esse comperit, de fluvio Zelæ [f] nocte præmovit, et lucescente die ad ipsum castrum pervenit, antequam noster exercitus illuc perrexisset; sed nihil in eo castro præter vacuas domus invenit. Alio tamen die cum alacritate eos rex noster ad urbem pugnaturos sperabat; sed ipsa hostis non tantum ad Legionem non venit, sed et viam præteriit anni nullatenus arripuit, nec Estoram fluvium transcendit; sed per castrum Coiancam ad Zeiam iterum reversi sunt, domumque sanctorum Facundi et Primitivi usque ad fundamenta diruerunt. Sicque retro reversi per portum qui dicitur Balatcomalti, in Spaniam ingressi sunt. Ipse vero Abuhalit dum in terminos Legionenses fuit, verba plura pro pace regi nostro direxit. Pro quo etiam et rex noster legatum nomine Dulcidium [g], Toletanæ urbis presbyterum, cum epistolis ad Cordobensem regem direxit Septembrio mense, unde adhucusque non est reversus Novembrio discurrente.

76. Supradictus quoque Ababdella legatos pro pace et gratia regis nostri sæpius dirigere non desinit; sed adhuc [h] perfectum erit [i] quod Domino placuerit.

Item ingressio Saracenorum in Spania ita est.

77. Sicut jam supra retulimus, Ruderico regnante, Gothis [j] in Spania, per filios Vitizani regis oritur Gothis rixarum discessio; ita ut una pars eorum regnum dirutum videre desiderarent: quorum etiam favore atque farmalio [k] Saraceni Spaniam sunt ingressi anno regni Ruderici tertio, die III Idus Novembris, era 752 [l], regnante [m] in Africa Ulit Amiralmuminin filio de Abdelmelic, anno Arabum c. Ingressus [n] est primum Abzuhura [o] in Spania sub Muza duce in Africa commanente [p] et Maurorum patrias defecante [q].

78. Alio anno ingressus est Tarik. Tertio anno jam eodem Taric præsio agente cum Ruderico, ingressus est Muza Iben Muzeir, et periit regnum Gothorum, et tunc omnis decor Gothicæ gentis pavore vel ferro periit.

De rege quoque eodem Ruderico nulli causa interitus ejus cognita manet usque in præsentem diem.

Hi sunt duces Arabum qui regnaverunt in Spania [r].

79. Supradictus quoque Muza Iben Muzeir ingressus Spaniam, reg. an. I, mens. III.
Abdelaziz Iben Muz reg. an. II, mens. VI.
Aiub reg. mens. I.
Alhor reg. an. II, mens. X.
Zama regn. an. III.
Abderahaman reg. an. I.
Hodera reg. an. I.
Jahia reg. an. I, mens. VI.
Hodiffa reg. mens. VI.
Autuman reg. mens. IV.
Geleitam mens. X.

[a] In archetypo, *illi in fugam*, etc.

[b] In Archetypo, *firmen*.

[c] In Archetypo, *relit si rex*.

[d] Vide Moret., Invest., pag. 532, et hic infra n. 87. *Degio* vel *Deio*, hodie *Monjardin*, olim *S. Esteban de Deyo*. Vide Moret., loc. cit.

[e] Mariana, *sed ea*. Moret, Invest. pag. 532, *sed eam populavit*. — Vide infra n. 87. FLOREZ. Addit. ms.

[f] In archetypo, *Zeiæ*; Berg., *Ceia*, infraque *Zeiam* scribit Jo. Vazquez.

[g] *Dulcitium* ediderunt Pellicer et Berganza; Dulcidiumque nominat Breviarium Ovetense in translatione corporis S. Eulogii. In archetypo. *Dulcium*.

[h] Forte *ad hoc*.

[i] Ita codex Albeld., Mariana, et Berg. Alii *est*. Nicol. Anton. lib, VI., num. 254, emendat, *sed adhuc non perfectum est*, quod non bene cohæret cum sequentibus deprecantis verbis *quod Domino placuerit*.

[j] Ms., *Gotisque in Spania pre filiis*. Berg., *Gothis in Spania per filios*. Mariana, *pro filiis*.

[k] Mariana, *formalia*. Supra, num. 47, *farmalio terræ* legimus Saracenos vocatos: sed cum hic *farmalio filiorum Witicæ* ingressus eos in Spaniam dicatur, aliquid supra prætermissum videtur: hic enim *farmalium* seu *formalia* pactum vel conventionem denotat.

[l] In archetypo, *æra* 752 exstat ad oram.

[m] Sic Ferreras; alii, *regnante*.

[n] Berg. et alii, *anno Arabum centesimo ingressus*. Ita quoque in archetypo. Ferreras ut in textu; ex quo vera rimari potest lectio, scilicet, *anno Arabum* 91 *ingressus est*: is enim unus annus *nonagesimus primus* Arabicæ consentaneus chronotaxi.

[o] *Abuzara* apud Pacensem.

[p] *Comorante* apud Ferreras.

[q] Berg., *de fœcente*, forte, *defendente*.

[r] Ad oram hæc transcripsit Jo. Vazquez. Desunt apud Berg. et Saz. Exstant apud Ferreras.

Abdelmelic reg. ann. II.
Aucuba reg. an. IV, mens. V.
Abdelmelic iterum reg. an. I, mens. I.
Abulhatar Ibendimari reg. an. II.
Tauba reg. an. I, mens. II. [a] Sub annos XXVII, mens. XII [b].

Hi duces breve principatus sui agebant tempus [c], quia succedebant alii aliis, prout destinatum erat ab Amiralmauminin. Nonnullos vero vitæ finis terminavit, quousque Venibumeia in Spaniam venerunt.

Item hi sunt qui regnaverunt in Cordoba reges de origene Venihumeia.

80. Juzef reg. an. XI.
Abderrahaman Iben Mavia reg. annos. XXXIII.
Eiscam reg. an. VII, mens. VI.
Alhacam reg. an. XXVI, mens. VI.
Abderahaman reg. an. XXXII, mens. VI. Isto regnante Ordonius, princeps Christianorum in Spania, victorias multas egit.

Mahomath tricesimum secundum [d] regni peragit annum. Istius tempore Abuhalit princeps exercitus illius, sicut jam supra in ordine regum nostrorum diximus in finibus Galliæciæ capitur, et regi domino Adefonso Oveto perducitur. Multæque victoriæ a Christianis in Spania fiunt [e].

Sub uno omnes anni Arabum in Spaniam CLXXIX [f], et die III Idus Novembris incipiunt centesimum septuagesimum; et de prædicatione iniquissimi Mahomat in Africa sunt CCLXX [g], in æra quæ nunc discurrit 921.

81. *Additum hic ad oram* : Quod Saraceni Spaniam intraverunt usque præsentem æram MXIV (1014) fiunt CCLXII. Et de Mahomat nequissimo propheta usque præsentem æram MXIV fiunt anni CCCLXIII.

Item exordium Saracenorum sicut illi existimant.

82. Saraceni perversi se putant se esse ex Sara; verius Agareni ab Agar, et Ismaelitæ ab Ismaele.

Abraham genuit Ismaelem ex Agar, Ismael genuit Kaldar, Kaldar genuit Nepti; Nepti genuit Alhumesca, Alhumesca genuit Eldano, Eldano genuit Muncher, Muncher genuit Excib, Excib genuit Jaman, Jaman genuit Autith, Autith genuit Atinan, Atinan genuit Mahat, Mahat genuit Nizar, Nizar genuit Muldar, Muldar genuit Hindaf, Hindaf genuit Mutirik, Mutirik genuit Humeia, Humeia genuit Kinana, Kinana genuit Melik, Melik genuit Fehir, Fehir genuit Galib, Galib genuit Jubei, Jubei genuit Murra, Murra genuit Kelib, Kelib genuit Cutzei, Cutzei genuit Abdilmelef, Abdilmelef genuit duos filios, Escim et Abdiscemiz. Abdiscemiz et Escim fratres fuerunt. Escim genuit Abdelmutalib, Abdelmutalib genuit Abdella, Abdella genuit Mahomat, qui putatur a suis prophetam esse.

Abdiscemiz frater de Escim genuit Humeia, Humeia genuit Abilaz, Abilaz genuit Accam. Accam genuit Maroan, Maroan genuit Abdelmelic, Abdelmelic genuit Iscem, Iscem genuit Mavia, Mavia genuit Abderrhaman, Abderrhaman genuit Iscem, Iscem genuit Haccam, Haccam genuit Abderrhaman, Abderrhaman genuit Mahomat, Mahomat genuit Al mundar.

83. Iste Mahomat regnavit in æra prædicta 901 [h], atque præliavit cum Rege Ovetense nomine Adefonso. Dehinc prætermittendo et nunquam adjiciendo nomina Ismaelitarum, divina clementia indifferenter [i] a nostris provinciis prædictos trans maria expellat: et regnum eorum a fidelibus Christi possidendum perpetim concedat. Amen

Item explanatio gentis Gothorum.

84. A Gog quidem gens Gothorum est. Et sicut pro omni genere Ismaelitarum solus Ismael infra scribitur cum dicitur prophetæ : *Pone faciem tuam contra Ismaelem;* ita et pro omni Gothorum gente Gog nominatur, de cujus origine veniunt. Inde et vocabulum traxerunt. Et quia Gothorum gens ex Magot venit, adfirmat Chronica id Gothorum (*D. Isidori*) cum dicit: Gothorum antiquissimam esse gentem : quorum origo a Magog filio Japhet descendit, unde et nominatur, a similitudine ultimæ syllabæ, id est, Gog; et magis de Ezechielo propheta id colligentes. Liber etiam generationum similiter affirmat quia de Magog filio Jafet veniunt Gothi, et Gothia, et Scia [j] a Magog nominata sunt.

85. Item quod Saraceni terram Gothorum erant possessuri, invenimus exinde dicta in libro Panticino [k] Ezechielis prophetæ : « Tu, fili hominis, pone faciem tuam contra Ismaelem, et loquere ad eos, dicens : Fortissimum gentibus dedi te; multiplicavi te, corroboravi te, et posui in dextera tua gladium, et [l] sinistra tua sagittas, ut conteras gentes, et sternantur ante faciem tuam; sicut stipula ante faciem ignis : et ingredieris terram Gog pede plano : et concides Gog gladio tuo, et pones pedem in cervice ejus, faciesque servos tributarios. »

86. Jam hoc completum esse dignoscimus. Terra quidem Gog Spania designatur sub regimine Gothorum, in qua Ismaelitæ, propter delicta gentis Gothicæ, ingressi sunt, et eos gladio conciderunt atque tributarios sibi fecerunt, sicuti præsenti tempore patet. Quod vero idem propheta ad Ismaelem iterum dicit : « Quia dereliquisti Dominum, et ego derelinquam te, et tradam in manu Gog, et reddet vicem tibi postquam afflixeris eos, CCLXX tempora facient tibi, sicut fecisti ei. » Spes nostra Christus est, quod completis proximiori tempore CCLXX annis, de quo Spaniam ingressi sunt, inimici ad nihilum redigantur, et pax Christi Ecclesiæ sanctæ reddatur, quia tempora pro annis ponuntur. Quod præstet Deus omnipotens, ut inimicorum crebro deficiente audacia, in melius semper crescat catholicorum Ecclesia. Amen.

[m] *Additio de regibus Pampilonensibus.*

87. In æra 913 surrexit in Pampilona rex nomine Sancio Garseanis. Fidei Christi inseparabiliterque venerantissimus fuit, pius in omnibus fidelibus, misericorsque oppressis catholicis. Quid multa? In omnibus operibus optimus perstitit. Belligerator adversus gentes Ismaelitarum : multipliciter strages gessit super terras [n] Saracenorum. Idem cepit per Cantabriam a Nagerense urbe usque ad Tutelam initium sumit.

[a] In archetypo XII.
[b] Berg., *sub annis* XXIII, *mense* XII. Saz, *sub annos* XXVII; lege, *sub uno* (ut infra) *anni* XXVII. Ex singulorum vero annorum et mensium supputatione hæc tantum summa coalescit XXV annorum et IV mensium. Ex Isidoro tamen Pacensi plus quam XXXIV anni deducuntur.
[c] Ms., *brevem tempora.*
[d] Cum Mahomat anno 852 incœperit, pulchre hic auctor, qui anno 883 scribebat, tricesimum secundum regni ejus connumerat.
[e] In Archetypo *finiunt.*
[f] Ab anno 714 (æra 752, supra num. 77 expressa) CLXI, nempe ab anno 622, quo persecutio incœpit hominis iniquissimi.
[g] In Archetypo DCCCXXI.
[h] In Archetypo DCCCXXI.
[i] *Indifferenter*, id est *absque dilatione.*
[j] F. *Scythia.*
[k] F. *Vaticinii.*
[l] In Archetypo, *et in sinistra*, etc.
[m] Absque titulo, spatio tamen intermedio vacante, sequitur in codice Albeldensi : *In æra* DCCCCXLIII, etc.
[n] In Archetypo deest *terras.*

omnia castra. Terram quidem Degensem [a] Icum oppidis cunctam possedivit. Arbam [b] namque Pampilonensem suo juri subdidit; necnon cum castris omne territorium Aragonense capit. Dehinc expulsis omnibus Biotenatis, XX regni sui anno migravit e sæculo. Sepultus sancti Stephani portico regnat cum Christo in polo.

Item filius ejus Garsea rex reg. an. X. Benignus A fuit, et occisiones multas egit contra Saracenos, et sic decessit. Tumulatus est in castro sancti Stephani.

Supersunt ejus filii in patria ipsius, videlicet Sancio et frater ejus Ranimirus, quos salvet Omnipotens per multa curricula annorum. Amen.

DISCURRENTE PRÆSENTI ÆRA TXIV.

[a] Vide n. 74.

[b] Forte *urbem*.

SIGLOARDI

CANONICI RHEMENSIS

RHYTHMUS DE MORTE FULCONIS EPISCOPI RHEMENSIS.

(Apud Labb., Biblioth. mss., ex codice Igniacensi qui continet Breviarium Flodoardi libris duobus comprehensum. Post epitaphium Fulconis, lib. IV, cap. 8.)

O Fulco præsul optime,
O cunctis amantissime
Re pontifex et nomine!
Homo sed major homine,
Vir nobilis prosapiæ,
Et talis sapientiæ
Qualis nullus est hodie.
Toto formosus corpore,
Magnæque eloquentiæ,
In tuo flentes funere
Vix possumus reprimere.
Det tibi Christus requiem
Atque coronam perpetem.
Nos autem te plorabimus
Diebus atque noctibus:
Nam amasti veraciter,
Nos et tractasti dulciter,
Adornasti Ecclesiam,
Gubernasti familiam
Per summam Dei gratiam,
Bene rexisti patriam:
Sed quidam serpens lubricus,
Et non pater, sed vitricus,
Tibi tendens insidias
Nostras auxit injurias.
Maledictus a Domino
Puniatur in baratro.
Cum gladio et fustibus,
Et armatis militibus,
Invasit te Guinemarus,
Nulli dulcis, sed amarus,
Cui nihil abstuleras,
In quem nihil peccaveras.
In die qua te tradidit,
Et te et ipsum perdidit,
Quam cito clerus audiit
Tantum malum, infremuit.
Et plebs et ordo gemuit,

B Ruit illuc, et rapuit
Corpus et secum detulit,
Multasque fudit lacryma
Dum celebrat exsequias.
Translatus in ecclesia,
Stans rectus ad altaria.
Abbates et episcopi
Hunc sustentant revestiti.
Induunt eum infula
Pallioque et tunica,
Stola collo imponitur,
Et candela accenditur.
Nec deest ibi baculus,
Sed applicatur manibus.
Tunc decanus pontificum
C Jubet et rogat populum,
Ut orent omnes Dominum
Pro anima pontificis
Ne mergatur in inferis,
Sed lætetur cum superis,
Et ut Deo dent hostiam
Quæ purget ejus animam.
Tunc omnes Deo supplicant,
Cum lacrymis et rogitant.
Tenent candelam singuli
Pontifices, presbyteri.
Tyrannum excommunicant,
Et viventem mortificant,
Omnemque cœtum militum
Qui dederunt auxilium.
D Post hoc defunctum efferunt,
Et honeste sepeliunt.
Ejusque ante tumulum
Commendant Deo spiritum.
In requie sit anima
Nunc et per cuncta sæcula
Amen, amen, fiat ita
Dicat omnis Ecclesia.

GOSBERTI CARMEN ACROSTICHUM

AD GUILLELMUM BLESENSIUM COMITEM.

(Ansberti Familia rediviva, auctore M. Ant. Dominici; Paris., 1648.)

Ad Guillelmum Blesensium comitem :
Gosbertus comiti Guillelmo carmine lusit.

TE VIRTUTE CRUCIS SOTER GUILLELME CORONET
Eximium qui stemma dEdit tibi seminis atquE
Vernantis speciem vUltus per amabile visU
Ingenium statmo solIdum moderaminis æqui
Rectoris dynamin, foRmæ spectabile robuR
Tot donis Præses paTrum tibi Gratia luceT
Ut nequam Reticere tUos tent qUare snbactU
Troiu gen Æ primite Te qui prIncipe plaudunT
Ecclesiæ quE patres haEc qui te ilLustria jurE
Corde pio Calcant doCti prædulcibus istiC
Rebus fidEndum flagRris quotiEs feriuntuR
Vivum sane Lucrum ducUnt plus fLere precatU
Compungi Sanctis laCrymis, quaM lusibus illiC
In luctum mOrtis styglæ ZabulO adnumerarI
Sic sic simplicibus Sic te prudentibus addiS
Sunt et apud monachoS sanctæ tibi munia laudiS
Omnis ut in commune bOet tibi turba canendO
TE VIRTUTE CRUCIS SOTER GUILLELME CORONET
Eia tui cordis princEps tibi viscera pandE
Regnorum quod opes ceRte superare probatuR
Gloria mentis enim go Gæmans librat quoque magoG
Ut docet egregius PaUlus præstabile dictU
Immo pius Jesous domInus hinc Gaudia quærI
Luce spleNdidius soLito hoc mOnet omnipotens soL
Lætitiæ Fructus, ceLsæque gaZæ unice præsuL
Est quia vIta manens Est summa Beatio vitaE
Lux inquaM, tibi præLucens haEc o bone ce suL
MortigenUm virtus tuMidum sempeRque duelleM
Effugit aSsistat quE tuis virTutibus altE
Cum vero complens sæClum migraveris istinC
Optime compositum dOxa conscribat in alhO
Rex cujus vexilla geRis certando valenteR
Officiis operum modO clarificatus ab ipsO
Nunc populus vitæ nuNc, nunc venerabile nomeN
Ex animo ad gaudens mEcum sic concine clarE
TE VIRTUTE CRUCIS SOTER GUILLELME CORONET

Francigenum primo proavis ab avisque peralto
Guillelmo Dinami, Sophia, scemate compto
Gosbertus tapinos, micros, apodemus, et exul.

PSEUDO-LUITPRANDI

LIBER

DE PONTIFICUM ROMANORUM VITIS.

PRÆFATIO.

(Ex editione Moguntina anni 1602.)

Prodiit, amice Lector, vernalibus hujus anni 1602 nundinis, Moguntinis typis expressa pervetusti scriptoris Anastasii S. R. E. bibliothecarii, de novem supra centum pontificum Romanorum Vitis Historia, eaque variis mss. codicum lectionibus illustrata; nunc quia aliam ejusdem argumenti, et æque vetustam, ac nusquam hactenus excusam, clarissimorum quorumdam virorum beneficio nacti sumus, operæ pretium nos facturos putavimus, si eam Anastasiano operi nunc adjungeremus. Luitprando Ticinensi diacono, qui sub annum Domini 950, teste Joanne Trithemio, claruit, inscripsimus; non quod ms. Codex, ex quo eam descripsimus, auctorem prodiderit (nullum enim nomen ascriptum invenimus), aut quod firmæ solidæque causæ hujus nomenclaturæ suppeterent; sed quod non pauci Luitprando, tanquam germano ejus auctori, constanter attribuerint. Quibus autem argumentorum momentis inducti id fecerint, ipsi viderint. Nobis certe non levis subolet suspicio, primum historiographos non alio usos ms. exemplari, quam hoc ipso membranaceo, ex quo præsentem Historiam descripsimus. Deinde non alio persuasos argumento, ut Luitprando indigitarent, quam quod negari non possit extremam pontificis Romani Formosi Vitam, verbis Luitprandi, quæ exstant in capite octavo libri primi rerum per Europam gestarum (cujus constat Luitprandum Ticinensem esse auctorem) totam esse comprehensam. Cæterum hoc argumento labefactari potius quam stabiliri videtur istorum opinatio. Cum enim liqueat, totam narrationem de Formoso verbotenus exscriptam esse ex libro Luitprandi jam citato, non omissis quidem illis verbis, *Pater sanctissime*, quæ prorsus furtum fucumque produnt, haud dubium est quin ab aliquo sciolo, post verba illa, *Formosus Portuensis episcopus sedit annos* v, *menses* vi, reliqua narratio fuerit assuta. Usurparat autem Luitprandus in illa de rebus in Europa gestis Historia verba illa, *Pater sanctissime*; quod eam ad Regimundum Liberitanæ Ecclesiæ in Hispania episcopum conscripsisset. Hanc vero de pontificibus Historiam nulli episcopo, vel alii Patri sanctissimo, inscriptam vel dedicatam esse manifestum est. Accedit, quod nec apud Sigebertum, nec Trithemium, nec Gesnerum, ullus de Vitis Pontificum Romanorum liber ascribatur Luitprando. Deinde, quia Trithemius scribit Luitprandum (licet ille vocet Eutrandum) claruisse sub annum Domini 950, imperante Othone I Cæsare. Et recte: nam et Historiam suam Europæam usque ad Othonem perduxit. At Formosus, in quo nostra hæc terminatur Historia, in vivis esse desiit anno 895, a quo anno usque ad dictum 950 viginti circiter pontifices Romani numerantur, de quibus nullum in præsenti pontificum Historia verbum. Ad hæc, in extremis hujus opusculi Vitis particularia quædam commemorantur, quæ non videntur profecta nisi ab eo qui Formosi decessorumque ejus temporibus floruerit, imo ab eo qui in Westphalia, vel Saxonia, ut in monasterio Corbeiensi, Hirsfeldensi, vel Fuldensi tunc florentissimis, vixerit. Nam in Adriano I refert Carolum Magnum Romæ in Divi Petri basilica vovisse Deo, se Osnaburgi in provincia Westphaliæ, quam recens ad fidem Christi traduxerat, episcopatum erecturum; quemadmodum et fecit, teste Alberto Krantzio libro I Metropol., cap. 11, et libro II Saxon., cap. 11. Deinde in Adriano II ait Ludovicum imperatorem (is fuit Ludovicus II, Lotharii imp. filius) dedisse ecclesiæ Corbeiensi et Herifordensi quasdam decimales ecclesias cum ipsis decimis in parœchia Osnaburgensi constitutas, consentiente episcopo et omni clero. Tum Carolum Romanorum imperatorem honorificatæ ecclesiæ et a Deo honorificandæ Hersveldensi quasdam decimas in Frisonevelt et Hassega Halberstadensi adjacentes diœcesi dedisse, quas Stephanus papa (IV, dictus III) in basilica B. Petri die sancto Paschæ sua auctoritate, et imperatoris subscriptione, et Hildegrino Halberstadensi episcopo præsente confirmarit. Præterea in Stephano VI scribit, Hermannum Coloniensem archiepiscopum, et Hadalgarium Hamburgensem archiepiscopum de Bremensi Ecclesia contendentes, Wormatiam venire a summo pontifice jussos, ibique Fulconi Rhemensi episcopo in causa eorum examinanda vices suas commisisse. Quam rem accurate tractat Krantzius lib. II. Metropol., cap. 19, 20 et 24; ejusdemque meminere Albertus Stadensis in Chron. ad annum 896 et Trithem in Chronico Hirsaugiensi. Denique in postremorum pontificum Vitis, nominatim autem Paschalis, Benedicti III, Nicolai I, Adriani II, Joannis VIII, non pauca eorumdem decreta prolixe recitat, quæ in Tomis Conciliorum non exstant, cum tamen exstent pleraque omnia quæ antiquioribus pontificibus hic tribuuntur. In Leone vero IV quadraginta duo capitula e synodo Romana, consilio impp. Lotharii et Ludovici coacta, descripsit; quorum nulla quoque mentio in dictis tomis. Unde conjecturam minime obscuram facere licet, hujus opusculi auctorem ultimorum pontificum temporibus, hoc est, sub annum Domini 860 maxime floruisse, et non sub 950, quo Luitprandus; auctoremque esse non Italum, sed Germanum in Corbeiensi (ex quo aliqui ad Osnaburgensem episcopatum illo sæculo evecti sunt) vel Hirsfeldensi monasterio degentem. Quid si auctor sit Paschasius Ratbertus abbas Corbeiensis, quem Trithemius asserverat Caroli Crassi floruisse temporibus? Carolus enim Crassus imperavit sub Joanne VIII, Marino, Adriano III et Stephano VI, in quibus hæc Historia concluditur.

Quod demum ad operam nostram in hujus opusculi editione præstitam attinet, non habemus aliud,

amice Lector, de quo te commonefaciamus, quam nos summorum pontificum decreta, quæ in his pontificum Vitis passim citantur, sedulo cum fonte contulisse, hoc est cum decretis quæ extant in Conciliorum tomis ; et tum varias lectiones ad margi- A nem, si quando occurrebant, tum etiam e Gratiano Canonum capitula adnotavisse. Quam operam nostram non dubitamus omnibus theologiæ studiosis fore pergratam. Vale.

INCIPIT LIBER.

I. — S. PETRUS APOSTOLUS.

(*Anno Christi* 45.)

Beatus Petrus apostolus, et princeps apostolorum, Antiochenus, filius Joannis, provinciæ Galilææ, vico Bethsaida, frater Andreæ, primum sedit in episcopali cathedra Antiochiæ annos 7. Et post ad expugnandum Simonem Magum, ut Hieronymus dicit (*de Scrip. eccles. in Petro*), Romam ingressus Claudii anno 2, in episcopali cathedra sedit annos viginti quinque, menses duos, dies tres. Qui uno eodemque tempore et die, videlicet, post passionem Domini anno 38, ultimo vero anno Neronis III, Kalendas Julii cum Paulo martyrium consummavit. Hic duas Epistolas fecit, quæ Canonicæ nominantur: in quarum prima, primo generaliter Ecclesiam instruit, explicans beneficia quibus nos divina pietas ad salutem vocare, vel dona quibus aliquando Judæos, nunc autem nos honorare dignata est. Postmodum vero diversas fidelium personas solerter hortatur, ne se tanta Spiritus gratia carnaliter vivendo reddant indignos; ne, qui regali ac sacerdotali vocabulo sunt insigniti, vitiorum malitia subacti, a condonatæ vel promissæ sibi nobilitatis gloria degenerent. Et primo liberos et servos, deinde mulieres et viros specialiter alloquitur: atque post interlocutionem generalis exhortationis, seniores quoque et adolescentes qualiter sese debeant gerere, ostendit. In secunda vero Epistola, quam eisdem scripsit, quibus et primam, miseratus eosdem, jam ut perfectiores ad majora et perfectiora multipliciter commonet et hortatur. Et Evangelium Marci fecisse dicitur, quia Marcus adjutor ejus fuit, et filius de baptismo. Ordinavit autem episcopos tres, Linum, et Cletum, et Clementem, et presbyteros decem, et diaconos septem.

II. — S. LINUS.

(*Anno Christi* 69.)

Linus, natione Italus regionis Tusciæ, patre Herculano, sedit annos undecim, menses tres, dies duodecim. Fuit autem temporibus Neronis, a consulatu Saturnini et Scipionis, usque ad Capitonem et Rufum consules. Sub quibus martyrio coronatur die nono Kalend. Octobr. Hic ex præcepto beati Petri constituit ut mulieres velato capite in ecclesiam introirent. Hic ordinavit episcopos quindecim, presbyteros octodecim.

[a] Ad hæc respondet Baronius tom. I, an 69.

III. — S. CLETUS.

(*Anno Christi* 81.)

Cletus, natione Romanus de regione Vico patricii, patre Æmiliano, sedit annos duodecim, mensem unum, dies undecim. Fuit autem temporibus Vespasiani et Titi, a consulatu Vespasiani VII, et Domitiani V, usque ad Domitianum IX, et Rufum consulem: sub quibus martyrio coronatur VI Kalend. Maii. Hic ex præcepto B. Petri viginti quinque presbyteros ordinavit in Roma. Nota hos duos, Linum et Cletum, nihil pontificale, nisi ex præcepto B. Petri, egisse: unde constat eos coadjutores ejus, non successores fuisse.

IV. — S. CLEMENS.

(*Anno Christi* 93.)

B Clemens, natione Romanus, de regione Cœlio monte, ex patre Faustino, sedit annos novem, menses duos, dies decem. Fuit autem temporibus Galbæ et Vespasiani a consulatu Tragali et Italici, usque ad Vespasiani nonum et Titum [a]. Hic, quamvis in ordine catalogi post B. Petrum tertius inveniatur, revera tamen, sicut ipse in epistola scripsit Jacobo Hierosolymorum episcopo, post beatum Petrum primus, nullo interposito, Romanæ sedis gubernacula procul dubio tenuit; Linus autem et Cletus ideo velut sucessores Petri connumerantur, quia ipse eos in vita coadjutores sibi fecit ut tanto melius ipse vacare posset orationi. Hanc veritatis sententiam Tertius Joannes papa in epistola, quam scripsit episcopis in Germaniæ et Galliæ provinciis constitutis, C manifeste confirmat, ita inter cætera dicens (8, q. 1, c. *Si autem*): *Si autem Petrus princeps apostolorum adjutores sibi Linum et Cletum adscivit, non tamen potestatem pontificii, aut ligandi aut solvendi normam eis tradidit, sed successori suo Clementi, qui sedem apostolicam post eum, et potestatem pontificalem tradente sibi B. Petro tenere promeruit. Linus vero et Cletus ministrabant exteriora: princeps autem apostolorum Petrus verbo et orationi insistebat.* Item, in eadem papa Joannes paulo inferius de eisdem ita subjungit: *Linum namque et Cletum nihil legitur unquam egisse ex pontificali ministerio potestative; sed quantum eis a beato Petro præcipiebatur, tantum solum agebant.* Hic autem, dum multos libros zelo fidei Christianæ religionis asceriberet, martyrio sub D Trajano, tertio anno regni ejus, coronatur, IX Kalend. Decembris.

Hic sollicite ac diligenter gesta martyrum fecit inquiri, et scribi. Hic scripsit duas epistolas Jacobo Hierosolymorum episcopo, quæ catholicæ nominantur. Et primam scripsit ei ex præcepto B. Petri : in qua videlicet, ipso præcipiente, Jacobo narrat qualiter ipse princeps apostolorum, cum finem sibi vitæ imminere præsentit, ipsum Clementem in conventu ecclesiæ Romanæ sedis pontificem ordinavit, et sibi successorem esse constituit, et ei ligandi et solvendi potestatem a Domino sibi traditam tradidit : ita ut de his omnibus, quibus ipse decreverit in terris, decretum sit et in cœlis. Et quare talem ac tantam potestatem ei tradidisset, continuo subjunxit : *Ita ligabit enim quæ ligari oportet, et solvet quæ expedit solvi, tanquam qui ad liquidum Ecclesiæ regulam noverit.* In quo notandum esse non dubito, illud, quod quilibet episcopus ecclesiasticæ regulæ ignarus, vel qualibet iræ aut cupiditatis commotione inductus, si aliter, quam oporteat, ligabit aut solvet in terris, irritum fore in cœlis.

Narrat etiam in eadem epistola, quod princeps apostolorum coram omnibus eum commonuit, qualiter ordinem ecclesiasticæ dispensationis, tam in seipso quam in cæteris sibi subjectis, servare eum oporteat ; ita videlicet, ut ipsum irreprehensibiliter vivere oporteat, et nulla mundialis negotii occupatione perplexus inveniatur, quia nullus episcopus judex aut cognitor esse sæcularium negotiorum ordinatur, ne præsentibus hominum curis præfocatus non possit verbo Dei vacare, et bonos a malis secundum regulam veritatis discernere ; quia sic idem ipse princeps apostolorum omnibus episcopis in persona Clementis paulo inferius dicit : *Si enim mundialibus curis fueris occupatus, et te ipsum decipies, et eos qui te audiunt. Non enim poteris, quæ ad salutem pertinent, plenius singulis quibusque distinguere : et ex eo fit ut tu, tanquam non docueris ea quæ ad salutem hominum pertinent, deponaris, et discipuli per ignorantiam pereant.* Item refert (13, q. 3, c. *Quicunque*) eumdem principem apostolorum de episcopis ita docuisse : *Ipsum qui præest cæteris, oportet medici vicem agere, et non feræ bestiæ furore commoveri.* Item in eadem sic eumdem Clementem instituit : *Si te multi ex fratribus propter rigorem justitiæ odio habuerint, ex hoc quidem non læderis, sed ex hujusmodi odiis amor Dei conciliatur tibi : et ideo satage magis, et refuge, ne lauderis ab iniquis, et ne a pessime agentibus diligaris, sed potius propter justitiæ dispensationem, et æquissimam regulam disciplinæ a Christo collaudari merearis.*

Presbyteros autem sic se habere præcepit (32, q. 7, c. *Quid in omnibus*), ut ante omnia pudicitiam tam in se quam in subditis servare studeant, et caveant, et præveniant, ne quod in ipsis adulterii occultum calescat incendium : quia in omnibus peccatis nil gravius [a], adulterio esse dicit. Secundum namque locum in pœnis obtinere testatur, quoniam primum quidem habent illi, qui a Deo aberrant, etiamsi sobrie vixerint. Adulterii autem primam speciem vocat, virum propria uxore non esse contentum, et mulierem non proprio tantum servare se viro. Item præcipit, ut si inter se negotia habuerint, non apud sæculares judicentur, sed quidquid inter illos sit, apud presbyteros dirimatur. Diaconorum officium esse edocuit actus totius Ecclesiæ diligenter investigare, ac sollicite considerare : ut, si quidem vicinum fieri præcipitio, et proximum esse peccato quemlibet viderint, episcopo notificentur, ut ab eo, qui in præcipitium lapsurus est, commonitus revocetur, ut non corruat in peccatum (dist. 93, c. *Diaconi*). Item, ut negligentes et tardos ad verbum Dei audiendum, ad episcopi tractatum convenire commoneant et hortentur. Similiter et eos, qui secundum carnem ægrotant, sollicite perquirant, et plebi indicentur, ut et ipsi eos visitent, et quæ necessaria sunt præbeant eis : et de omnibus his similibus, quæ ad cultum Ecclesiæ et disciplinam ejus pertinent, diaconis curam debere esse instituit.

Laicos vero id obsequii præstare debere episcopis instituit, ut in his quæ ad communis vitæ usum pertinent, operam fideliter dantes, episcopum ex omnibus, quibus eum vacare oportet, securum facere omnes communiter elaborent. Ad hæc omnium sub episcoporum cura degentium necessariam sollicitudinem debere esse dixit, ut ab amicitia et colloquio, et omni communione omnium eorum se subtrahat, quibus episcopum inimicari pro actibus suis viderint, nec exspectare debent ut episcopus eis dicat. Nam si quis amicus fuerit his, quibus episcopus non loquitur, unus est ex illis qui exterminare Ecclesiam Dei volunt, et nequior hostis est, quam illi qui foris sunt, et evidenter sunt inimici : quia is per amicitiarum speciem, quæ sunt inimica, gerit, et ecclesiam disperdit ac vastat. Item (6, q. 1, c. *B. Petr.*), in eadem epistola intimat Jacobo, qualiter princeps apostolorum per singulas quasque urbes digrediens verbo Dei omnes fideles instruxit. Inter cætera refert, eum homicidas et adulteros, ac cunctis criminum nexibus alligatos, et qui eis coæquales non sunt, ab episcoporum vexatione et accusatione prohibuisse. Item asseruit, majores a minoribus nullatenus posse accusari, aut judicari. Præcepit etiam, ne ullus presbyter in alicujus episcopi parochia aliquid agat absque ejus permissu, sed omnes presbyteri propriis episcopis in omnibus absque mora obediant.

Præcipiebat etiam in sermone suo idem apostolorum princeps, ut omnes principes terræ, et cuncti homines episcopis obedirent, et capita sua submitterent, et, si ipsi episcopi aliter, quod absit, quam debeant, agant, non sunt a subditis reprehendendi aut arguendi, sed portandi, nisi in fide erraverint (2, q. 7, c. *Sacerdotes*). Omnes episcopis contradicentes infames esse monstrabat, et, nisi converterentur, a liminibus Ecclesiæ alienos esse præcipiebat

[a] « Nihil gravius inter peccata, contra proximum in genere. » D. Thom. 2-2, q. 73, art. 3. Aug. Barbosa in *Collectan.* ad. d., c. *Quid in omnibus.*

14, q. 3, c. *Si autem*). Sed ne de hoc episcopi se extollant, animadvertant quid de ipsis dicat. Cunctorum sacerdotum vitam superiorem, sanctioremque, ac discretam a sæcularibus et laicis hominibus esse, et spirituales supra carnales, et sacerdotes supra laicos semper constituere et fore debere docebat : carnales autem spiritualibus resistere prohibebat. Ebrietatem oppido prohibebat, quia ebriosos corpore et anima mortuos esse prædicabat. Homicidarum genera tria esse dicebat (*de Pœnit.* dist. 1), et pœnam illorum parilem fore docebat. Ita enim detractores fratrum, et eos odientes, homicidas esse manifestabat, sicut et eorum interfectores : quia qui occidit, et qui odit fratrem suum, et qui detrahit, pariter homicidæ esse monstrantur (*I Joan.* III).

In secunda autem epistola, quam supradicto Jacobo Hierosolymorum episcopo scripsit, eum de sacramentis, quæ geruntur in sanctis, sicut a principe apostolorum fuerat doctus, ex ordine instruit. Dicit enim, divinorum secretorum sacramenta tribus gradibus esse commissa, id est, presbytero, diacono, subdiacono (*de Cons.* dist. 2, c. *Tribus*). His autem cum timore et tremore reliquias corporis Dominici custodiendas esse insinuat. In altario autem tanta holocausta offerenda esse præcipit, quanta populo sufficere videatur. Si quid vero inde remanserit, non in crastinum reservandum, sed cum timore et tremore clericorum diligentia consumendum esse edocuit. Consumentes autem ea, quæ sunt residua corporis et sanguinis Domini non statim ad communes cibos accipiendos debent accedere; sed si mane, jejunent usque ad sextam: et si tertia vel quarta acceperint, jejunent usque ad vesperam. Altaris autem pallia (*de Cons.* dist. 1, c. *Altaris palla*), velum, et cætera, quæ in sanctuario habentur, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur; cineres vero eorum ita recondantur, ut non pedibus introeuntium inquinentur.

Ministros autem altaris tales eligendos esse instruit, qui ante ordinationem suas conjuges reliquerint : si vero post ordinationem minister proprium cubile uxoris invaserit, ministri officio careat (17 q. 4, c. *Si forte*). Item, si presbyter aut diaconus sindones sacrarii, aut velum cupiditate subtraxerit et vendiderit, Judæ traditoris pœnam susceturum se noverit. Clericos autem (dist. 23, c. *Tales*) ad feminæ tabernaculum solos accedere, aut cum sola femina solos fabulas miscere, vel cum extranea habitare, penitus prohibetur : alioquin, si agnitum fuerit de aliquo, deponatur. Tales autem clericos ad ministerium jubet elegi, qui Dominica sacramenta digne possint tractare. Melius est enim Domini sacerdoti paucos habere ministros, qui digne possint opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave adducant ordinatori. Item, in eadem jubet, tam clericos quam sæculares semper ad Dominum ex toto corde orare, et ab ipso, quæ decent, petere, et ipsi gratias agere, veramque præteritorum gestorum pœnitentiam agere, aliquantulum etiam (si possibile est) per miseri- A cordias pauperum juvare pœnitentiam. Per hæc enim facilior dabitur venia, et indulgenti citius indulgebitur. Item jubet (16, q. 7, c. *Ecclesias*), ecclesias per congrua et utilia loca fieri, easque divinis precibus sacrari, et in singulis sacerdotes poni, quos venerari, non a quoquam gravari, oporteat.

Item, in tertia epistola, quam generaliter omnibus episcopis, et reliquis clericis, et cunctis principibus, omnibusque subditis scripsit; dicit eos qui sacerdotio Domini fruuntur, et in specula sunt positi, plus cæteris scire oportere, ut subditos sibi populos pleniter possint docere, eisque ad cœlorum regna ducatum præbere : et ipsorum sit populos docere; populorum vero sit, ipsis episcopis obedire. Si vero omnes tam clerici, quam et laici, eis non obedierint; non B solum infames, sed extorres a regno Dei, et a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt : quia arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* VII). Qualiter autem cuique sit obediendum, in eadem epistola docet, ita subinferens (16, q. 1, c. *Cunctis*) : Quapropter cunctis fidelibus, et summopere omnibus presbyteris et diaconis, et reliquis clericis attendendum est, ut absque episcopi proprii licentia nihil agant; non utique missas sine ejus jussu quisquam presbyterorum in sua parochia cantet, non baptizet, nec quidquam sine ejus permissu faciat. Similiter et reliqui populi, majores scilicet et minores, per ejus licentiam, quidquid agendum est, agant, nec sine ejus permissu a sua parochia abscedant; nec in ea adventantes mo- C rari præsumant. Item, in eadem paulo inferius dicit (*de Cons.* dist. 1, c. *Hic ergo*) : Nec in aliis locis sacrificare, et missas celebrare licet, nisi in his in quibus episcopus proprius, aut ab episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet civitatem, consecratus fuerit. Item, in eadem dicit : Qui permanet in malo et servus est mali non potest effici portio boni, donec permanet in malo : quia ab initio duo regna statuta sunt a Deo, et apud eum definitum est non posse unum hominem utriusque regni esse servum; sed illius regni erit portio cui se ad obedientem ipse subjecerit.

In quarta autem epistola, quam idem beati simus Clemens papa et martyr Julio et Juliano, ac reliquis consodalibus suis scripsit, edocuit episcopos D qui ad salutem animarum sunt instituti, et ad lucrandas animas consecrati, oportere pro cunctis sollicitudinem gerere, et errantes ad viam veritatis et portum salutis reducere. Viam vero redeundi ad portum salutis, plenissime saluberrimæ doctrinæ sermone in eadem monstravit, videlicet dicens, omnibus necessarium esse, pro his quæ inutiliter ac turpiter gesserint, irasci sibi ipsis quodammodo, et indignari, et postmodum festinare sine mora per aquam baptismi Deo renasci, et demum ab episcopo consignari, id est, septiformem Spiritus sancti gratiam percipere : quia aliter, perfectus Christianus esse nequaquam poterit, nec sedem haberi inter perfectos, si non necessitate, sed aut incuria, aut

voluntate permanserit, et ita se a B. Petro accepisse, et cæteros apostolos ita docuisse, affirmat. Postquam vero quis baptizatus et confirmatus fuerit, agnoscat Dominum honorare; honor autem ejus est, ut ita vivat sicut ille vult. Vult vero Deus unumquemque vivere, ita ut homicidium et adulterium nesciat, odium et avaritiam fugiat; iram, superbiam, jactantiam respuat et exsecretur, invidiam quoque, et cætera illis similia, penitus a se ducat aliena.

Quintam vero epistolam scripsit prædictus B. Clemens papa et martyr, condiscipulis Hierosolymis cum Jacobo fratre Domini habitantibus : in qua eos communem vitam ducere, sicut ab apostolis didicerunt, studiose hortatur. Quam omnibus necessariam esse dicit, et maxime his qui irreprehensibiliter militare cupiunt, et vitam apostolorum, eorumque discipulorum imitari volunt. Monet etiam in eadem, propter quosdam, qui sacram Scripturam non juxta traditionem Petri, sed secundum suum sensum sanis doctrinis adversantes exponebant; ab eo oportere Scripturarum intelligentiam accipi, qui eam a majoribus secundum veritatem sibi traditam servat, ut et ipse possit ea, quæ recte suscipit, competenter asserere. Cum enim ex divinis Scripturis integram quis et firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, si aliquid etiam ex eruditione communi, ac liberalibus studiis, quæ forte in pueritia attigit, assertionem veri dogmatis conferat : ita tamen, ut ubi vera didicit, falsa et simulata declinet. Hic ordinavit episcopos quindecim, presbyteros decem, diaconos quinque.

V. — S. ANACLETUS.

(*Anno Christi* 103.)

Anacletus, natione Græcus, de Athenis, ex patre Antiocho, sedit annos novem, menses duos, dies decem. Fuit autem temporibus Domitiani, a consulatu Domitiani decimo, et Sabini, usque ad Domitiani quartum decimum, et Clementem consulem. Hic memoriam B. Petri construxit, dum ab eo in presbyterum consecratus fuisset. Hic ordinavit episcopos sex, presbyteros quinque, diaconos tres. Hic autem in Idus Julii solutus est de ergastulo corporis.

Hic in epistola quam generaliter scripsit omnibus episcopis (*epist.* 1), et cæteris cunctis fidelibus qui cœqualem cum eo sortiti sunt fidem, paterne consolando eos quibus scripsit, et maxime episcopos, in tribulationibus, ad patientiam diligenter hortatur. De quorum episcoporum detractione et accusatione ita in eadem interserit (*epist. ad Jacobum.* 3, q. 4, c. *Beatus*) : *Beatus prædecessor noster Clemens, vir apostolicus, et Spiritu sancto Dei plenus, una cum reliquis sanctis collegis suis statuit, dicens : Accusandi vel testificandi licentia denegetur his, qui Christianæ religionis et nominis dignitatem, et suæ legis vel propositi sui normam, aut regulariter prohibita, neglexerint. Transgressores enim sponte legis suæ, ejusque violatores, apostatæ nominantur. Omnis autem apostata refutandus est ante reversionem suam, non in accusatione recte agentium, aut testimonio suscipiendus : quia vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis.* Et paulo inferius subinfert, ita dicens : *Ideo variis detractionibus et accusationibus non oportet labefactari judices et primates Ecclesiæ ; sed magis apostolorum et doctorum regulis informari et roborari. Unde justum est, omnes in universo Romanorum orbe doctores legis ea quæ legis sunt recte sapere et operari, et non regulas nascentis Ecclesiæ confundere, aut fidem aut doctrinam apostolorum variis maculare doctrinis.* Item in eadem inferius : *Nullus ergo præjudicium alteri faciat, neque quod sibi fieri non vult exerceat. Nemo dictum de aliquo inveniat, quod in ejus actibus non agnoscat.* Item in eadem : *Ego nolo errore meo alienas culpas asserere, ut quod factum doleo, admisisse convincar.*

Item, in eadem propter calumniam malorum episcopis præcipit, dicens (*de Cons.* dist. 1, c. *Episcopus*) : *Episcopus Deo sacrificans testes secum habeat, et plures quam alius sacerdos : sicut enim majoris honoris fungitur gradu, sic majoris testimonii incremento indiget. Insolemnioribus quippe diebus, aut septem, aut quinque, aut tres diaconos, qui ejus oculi dicuntur ; et subdiaconos, et reliquos ministros secum habeat, qui sacris vestimentis induti, in fronte, et a tergo, et presbyteri e regione dextra lævaque, contrito corde, et humiliato spiritu, ac prono stent vultu, custodientes eum a malevolis hominibus, et consensum præbeant sacrificio. Peracta autem consecratione omnes communicent, qui noluerunt ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim apostoli statuerunt, et sancta Romana tenet Ecclesia.*

Item, in eadem dicit (12, q. 4, c. *Qui abstulerit*) : *Qui malitiam inter homines spargit, et qui fratri suo detrahit, homicida est : et qui aliquid patri vel matri abstulerit, dicens hoc peccatum non esse, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit ; mater vero nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spirituali regeneravit. Ergo qui Christi* (c. *Qui Christi*) *et ecclesiæ pecunias rapit, aufert vel fraudat, homicida est, atque homicidæ ante conspectum justi judicis esse deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui* (12, q. 4, c. *Qui rapit*), *iniquitatem operatur : qui autem pecuniam vel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Privilegia enim ecclesiarum et sacerdotum* (25, q. 2, c. *Privilegia*) *sancti apostoli, jussu Salvatoris, intemerata et inviolata perpetuis decreverunt manere temporibus. Et nos leges Ecclesiæ apostolica firmamus auctoritate, et peregrina judicia submovemus. Unaquæque enim provincia* (3, q. 6, c. *Unaquæque*) *tam juxta ecclesiasticam, quam juxta sæculi leges, suos debet habere justos, et non iniquos judices, et non externos, ut apostolicæ hujus sedis decreverit auctoritas. Si vero negotium fuerit ecclesiasticum, apud episcopos deferatur, interveniente primate, si major causa fuerit ; si vero minor, metropolitano : si autem fuerit sæculare, apud ejusdem ordinis viros, judicio tamen episcoporum : cum apostolus privatorum Christianorum causas magis ad ec-*

clesias deferri, et ibidem sacerdotali judicio voluerit terminari (*I Cor.* VI). *Omnis ergo oppressus* (2, q. 6, c. *Omnis oppressus*), *libere, si voluerit, sacerdotum appellet judicium, et a nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur et liberetur. Si autem difficiles causæ, aut majora negotia fuerint orta, ad majorem sedem deferantur : et si illic facile discerni aut juste terminari, non potuerint; ubi fuerit summorum congregatio congregata, quod per singulos annos bis aut ter fieri solet, et debet, juste, et Deo placite, coram patriarcha, aut primate ecclesiastico, et coram patricio sæcularia* [*sæculari*] *judicentur negotia in commune. Quod si difficiliores quæstiones ortæ fuerint, aut temporum* [*episcoporum*], *aut majorum judicia, aut majores causæ fuerint; ad sedem apostolicam, si appellatum fuerit, referantur, quoniam hoc apostoli statuerunt jussione Salvatoris, ut majores et difficiliores quæstiones semper referantur ad apostolicam sedem.*

Idem ipse B. Anacletus aliam epistolam scripsit episcopis in Italia constitutis, in qua eos consultantes de ordinationibus et accusationibus episcoporum sic instruit, dicens (dist. 64, c. *Ordinationes*) : *Ordinationes episcoporum, auctoritate apostolica, ab omnibus qui in eadem fuerint provincia episcopis celebrandæ sunt; qui simul convenientes, scrutinium diligenter agant, jejuniumque cum omnibus celebrent precibus, et manus cum sanctis Evangeliis, quæ prædicaturi sunt, imponentes, Dominica die hora tertia orantes, sacra eos unctione inungant. Quod si omnes simul minime convenire potuerint, assensum tamen suis precibus præbeant, ut ab ipsa ordinatione animo non desint, quia Jacobus, Justus, et frater Domini nostri nuncupatus, a Petro, Jacobo et Joanne apostolis est ordinatus, data videlicet ex hoc successoribus suis forma, ut nullus episcopus minus quam a tribus episcopis cæteris consentientibus ordinetur. Reliqui vero sacerdotes* (dist. 67, c. *Reliqui*) *a proprio ordinentur episcopo, ita ut cives, et alii sacerdotes assensum præbeant, et jejunantes ordinationem celebrent. Similiter et diaconi ordinentur. Cæterorum autem graduum distributioni trium veracium testium testimonium, cum episcopi scilicet probatione, sufficere potest. Accusatio quoque eorum* (2, q. 7, c. *Accusatio*), *super qua nos consulere voluistis, nonnisi ab idoneis et probatissimis viris, qui et suspicionibus et sceleribus careant, fieri debet.* Et ab illis hoc modo, sicut prædictus papa inferius docet, dicens : *Si quis adversus eos recurrat charitatis studio, ut familiari colloquio commoniti, ea sanent, quæ sananda sunt; et charitative emendent ea quæ juste emendanda cognoverint. Si autem aliqui prius, quam hæc egerint, eos lacerare, accusare aut infestare præsumpserint; excommunicentur, et minime absolvantur, priusquam satisfaciant, et condignam egerint pœnitentiam.*

Item, idem sanctus et beatissimus papa Anacletus omnibus episcopis (dist. 80, c. *Episcopi*), et reliquis Christi sacerdotibus scribit epistolam, in qua sacerdotum ordinem auctoritate apostolorum bipertitum esse comprobat, episcoporum videlicet, et presbyterorum : et hunc ordinem ita a Domino constitutum a nullo perturbari oportet. Episcopi autem non in castellis aut modicis civitatibus debent constitui; sed presbyteri tantum ab episcopo, ad qualemcunque locum vel ecclesiam, quæ in eo constituta sit, sunt præficiendi, et in ea diebus vitæ suæ duraturi. Et non amplius, quam istos duos ordines sacerdotum esse dicit : quia licet alii primates vel patriarchæ, alii metropolitani dicantur; ordo tamen unus est, sed ipsa discretio nominum discretionem indicat majorum in prælatione judicii, non in potestate pontificii. Romanam vero Ecclesiam primam sedem vocat, quia B. Petrus et Paulus suo martyrio eam cæteris omnibus prætulerunt. Secundam vero sedem esse apud Alexandriam dicit, quia B. Petri nomine, et a Marco ejus discipulo atque evangelista consecrata est. Tertiam vero sedem apud Antiochiam, quia B. Petrus, antequam Romam veniret, illic habitavit, et Ignatium ibi constituit episcopum, et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est. Accusatores autem (3, q. 5, c. *Accusatores*) et testes dicit esse non posse, qui ante hesternum diem, aut nudiustertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, vel læsi ulcisci se velint. Dicit etiam pro meritis plebis sæpe pastores Ecclesiæ depravari, ut proclivius corruant qui sequuntur, capite videlicet languescente facilius reliquia corporis membra inficiuntur. Dicit etiam : Si doctor vel pastor ecclesiæ a fide exorbitaverit, erit a fidelibus corrigendus, sed pro reprobis moribus magis est tolerandus, quam distringendus, quia rectores Ecclesiæ a Deo sunt judicandi.

VI. — S. EVARISTUS
(*Anno Christi* 112.)

Evaristus, natione Græcus, ex patre Judæo, Juda nomine, de civitate Bethlehem, sedit annos novem, menses decem, dies duos. Fuit autem temporibus Domitiani et Nervæ, a consulatu Valentis et Veteris, usque ad Gallum, et Bradum [Braduam] consules : sub quibus martyrium passus est VI. Kalend. Novembr. Hic ordinavit episcopos quinque, presbyteros sex, diaconos duos. Hic in suis decretis præcepit septem diaconos in unaquaque urbe constituendos, ad custodiendum episcopum, ne ipse in prædicatione ab insidiatoribus infestetur, aut verbum veritatis quolibet genere detractionis pollui possit.

Hic etiam scriptum misit universis episcopis Africæ regionis (*epist.* 1, *ad episc. Afric.*), quod conjugium legitimum sit in omni ecclesia habendum, ita dicens (3, q. 5, c. *Aliter*) : *Aliter non fit legitimum conjugium, sicut a Patribus accepimus, et sanctis apostolis, eorumque successoribus traditum invenimus, nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, et a quibus custoditur, uxor petatur, et a parentibus aut propinquioribus sponsetur, et legibus dotetur, et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur, et a paranymphis, ut consuetudo docet, custodita et servata* [*consociata*] *a proximis, tempore con-*

aruo petita legibus detur [dotetur], *et solemniter accipiatur; et biduo vel triduo orationibus vacent, et castitatem custodiant : aliter vero præsumpta, non conjugia, sed aut adulteria, vel concubia* [contubernia] *aut stupra, vel fornicationes potius, quam legitima conjugia esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit, et nota succurrerit legitima* [vota succurrerint.]

Hic idem in alia epistola, quam omnibus episcopis per Ægyptum morantibus scripsit (*epist.* 2), de episcopo et ecclesia dicens : Ecclesia jungitur episcopo spiritualiter, velut sponsa carnaliter sponso. Et sicut vir non debet negligere uxorem suam, sed diligere et caste custodire, et prudenter regere : ita et episcopus debet ecclesiam suam, et ecclesia in omnibus obedire, sicut uxor viro suo debet. Et sicut viro non licet dimittere uxorem suam, ita et episcopo non licet dimittere ecclesiam suam, absque inevitabili necessitate, aut apostolica vel regulari mutatione, ut alteri se ambitus causa conjungat. Et sicut uxori non licet dimittere virum, licet sit fornicatus (*I Cor.* VII), ut alterum eo vivente ducat : ita ecclesia vivente episcopo suo non potest alium superducere. De episcopis vero infamatis, et a sedibus pulsis, in eadem præcepit, ut revocentur, et integerrime restituantur, et superducti, velut adulteri, ejiciantur. His peractis, si quis adversus eos querelam habuerit, inquirendum erit, et auctoritate Romanæ sedis terminandum. Qui non a plebe, aut a vulgaribus hominibus sunt arguendi, vel accusandi, licet sint inordinati : quia pro meritis subditorum disponitur a Deo vita doctorum. Item inferius : *Si qui sunt vituperatores* (2, q. 7, c. *Si qui*), *aut accusatores episcoporum, vel reliquorum sacerdotum, non oportet eos a judicibus ecclesiæ audiri, antequam eorum discutiatur æstimationis suspicio vel opinio, qua intentione, qua fide, qua temeritate, qua vita, qua conscientia, quove merito, si pro Deo, aut pro vana gloria, aut inimicitiis, vel odio, aut cupiditate ista præsumpserint, necne. Hæc omnia sunt perscrutanda et diligenter pertractanda.* Deus enim, ut nos a præcipitatæ sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda sint et aperta oculis ejus (*Hebr.* IV); mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, priusquam manifeste agnosceret quæ dicebantur (*Gen.* XVIII). Hic etiam decretum statuit de non injuriandis aut lacerandis episcopis.

VII. — S. ALEXANDER.

(*Anno Christi* 122.)

Alexander, natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione caput Tauri, sedit annos decem, menses septem, dies duos. Fuit autem temporibus Trajani usque ad Helianum et Veterem. Hic martyrio coronatur V Nonas Maii. Hic præcepit de sacerdotibus non vexandis, aut scriptis ab eis vi aut metu aut fraude aliqua non exigendis, ita dicens in epistola, quam omnibus orthodoxis episcopis per diversas provincias commorantibus scripsit (3, q. 4, c. *Illi qui*) : *Eorum accusandi episcopos, vel testificandi in eos, vocem obstruimus, quos non humanis, sed divinis actibus mortuos esse scimus.* Et inferius. *A prædecessoribus nostris inhibitum legimus, ut nemo constringat doctores, neque accusationem adversus eos suscipiat.* Item paulo inferius : *Statuentes decernimus, omnes, qui sanctos Patres persequuntur, aut amovere vel dilacerare nituntur, manifeste infames esse, et alienos a limitibus ecclesiæ usque ad satisfactionem fieri.* Item in eadem inferius dicit (15, q. 6, c. *Si quandoque*) : *Similiter, si hujusmodi personis quædam scripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut se liberare possint quocunque ab eis conscriptæ vel laboratæ* [roboratæ] *fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium aut nocumentum provenire censemus : neque ullam eis infamiam, aut calumniam, aut a suis sequestrationem bonis, unquam auctore Domino, et suis apostolis, eorumque successoribus, sustinere permittimus, quia confessio in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet.* Pessimum est enim de suspicione aut exorta confessione quemquam judicare. Præcepit et in eadem (*de Cons.* dist. 2, c. *In sacramentorum*, et c. *Aquam*), ut in consecratione corporis et sanguinis Domini ejus passio sit commemoranda; et ut aqua cum sale benedicatur, et in domibus fidelium aspergatur, et fidem sanctæ Trinitatis, sicut a Patribus acceperat, ita scripto suo nos edocuit. Hic ordinavit episcopos quinque, presbyteros sex, diaconos duos.

VIII. — S. SIXTUS.

(*Anno Christi* 132.)

Sixtus, natione Romanus, ex patre Pastore, de regione Via lata, sedit annos decem, menses duos, diem unum. Fuit autem temporibus Adriani, usque ad Verum et Anniculum : sub quibus et martyrio coronatur III Non. Aprilis. Hic in decretis suis monendo præcepit fidem rectam, et ab apostolis traditam inconcusse servandam, qua et ipse nos scribendo instruxit (*epist.* 1, *ad omnes episcopos*). Præcepit etiam (*epist.* 2 *ad omnes episcopos.* — De Cons. dist. 15, *In sancta.* — 2, q. 6, c. *Si quis vestrum*) ut sacra vasa non tangerentur nisi ab hominibus ad hoc officium Deo sacratis. Hic constituit, ut quisque episcopus aliqua adversitate pulsatus licenter appellet Romanam et apostolicam sedem; et illuc vocatus, venire non renuat : nec inde absque apostolicis litteris ad propriam redeat; ut vicini sui ex hoc intelligant, qualiter ibi suam aliorumque causam finierit. Constituit etiam, ut nemo episcopum suis rebus exspoliet, aut a propria sede expulsum excommunicare, aut dijudicare præsumat. Hic ordinavit episcopos quatuor, presbyteros undecim, diaconos tres.

IX. — S. TELESPHORUS.

(*Anno Christi* 142.)

Telesphorus, natione Græcus, ex Anachoreta, sedit annos undecim, menses tres, dies viginti duos. Fuit autem temporibus Antonini et Marci. Hic IV Nonas Januarii martyrio coronatur. Hic in decretis

suis (*epist.* 1 *ad omnes episcopos*) statuit firmiter, ut omnes clerici in sortem Domini vocati septem hebdomadas plenas ante Pascha a carne jejunent : et ut clerici nullatenus laicos in sua pulsatione aut accusatione recipiant (c. *Statuimus*, dist. 4); sicut et ipsi laici juxta sæcularem legem clericos in suis infamationibus recipere nolunt. Constituit etiam, ut in sancta nocte Nativitatis Domini nostri Salvatoris missa celebretur (*de Cons.*, dist. 1, c. *Nocte sancta*), et hymnus angelicus, id est, *Gloria in excelsis Deo*, solemniter decantetur. Reliquis autem temporibus, ante horam diei tertiam missam celebrari prohibuit; quia et ea hora Dominus crucifixus, et Spiritus sanctus super apostolos descendisse legitur. Præcepit etiam omnes accusationes (3, q. 5, c. *Accus.*), quas sæculi leges non admittunt, ad accusationem ecclesiasticam non admittendas esse. Hic ordinavit episcopos tredecim, presbyteros undecim, diaconos octo.

X. — S. HYGINUS.

(*Anno Christi* 154.)

Hyginus, natione Græcus, ex philosopho de Athenis, cujus genealogiam non inveni, sedit annos quatuor, menses tres, dies octo. Fuit autem temporibus Severi [Veri] et Marci, a consulatu Magni et Camerini usque ad Orfitum et Priscum, qui III Idus Januarii migravit ad Dominum. Hic composuit Clerum, et distribuit gradus. Hic in fide Christi nos instruxit multis et firmis documentis divinæ Scripturæ, ostendens, nec Patrem præcessisse Filium ut major sit Filio, nec Filium postea natum ut deitate Patris minor esset (*epist.* 1 *ad omnes fideles*). Hic etiam constituit, ut nullus metropolitanus absque cæterorum provincialium præsentia aliquorum audiat causas episcoporum, quia sic actæ irritæ erunt. Constituit etiam, ut majorum natu criminationes non per alios fiant, nisi per ipsos qui crimina intendunt (2, q. 7. c. *Criminationes*). Qui etiam peregrina judicia habenda prohibuit. Hic ordinavit episcopos sex, presbyteros quindecim, diaconos quinque.

XI. — S. PIUS.

(*Anno Christi* 158.)

Pius, natione Italus, ex patre Rufino, frater Pastoris, de civitate Aquileia, sedit annos decem, menses quatuor, dies tres. Fuit autem temporibus Antonini, a consulatu Clari et Severi. Qui V Idus Julii factus est de medio. Hic firmiter decretis suis statuit (*ep.* 2, *ad Italicos*) ut omnis, qui prædia divinis usibus tradita Deo subtrahere, et suis usibus applicare præsumpserit, sacrilegus habeatur, et ut sacrilegus procul dubio judicetur (12, q. 2, c. *Prædia*): nec non et illum, qui sacerdotes Dei insequitur, sacrilegum esse (17, q. 4, c. *Sicut*), et ut sacrilegum judicandum esse confirmat : quia omne peccatum, quod in Deum committitur, gravius est, quam illud quod fit in hominem. Hic etiam instituit (*ep.* 1, *ad omnes fideles.* — *de Cons.* dist. 3, c. *Nosse vos*) ut, quia angelus in habitu pastoris Hermeti doctori fidei et Scripturarum apparens præcepit, Pascha die Dominico ab omnibus Christianis semper celebretur. Hic ordinavit episcopos duodecim, presbyteros novemdecim, diaconos viginti duos.

XII. — S. ANICETUS.

(*Anno Christi* 148.)

Anicetus, natione Syrus, ex patre Joanne, de vico Umisa, sedit annos novem, menses tres, dies tres. Fuit autem temporibus Severi et Marci, a consulatu Gallicani et Veteris, usque ad Præsentem et Rufinum. Hic Martyr obiit XV Kal. Maii. Hic sua auctoritate præcepit (*ep. ad Galliæ episc.* 66, *dist.* c. *Archiepisc.*), et auctoritate decretorum Anacleti confirmat, ne aliquis episcopus ullatenus minus quam a tribus episcopis consecretur, et metropolitanus episcopus ab omnibus suffraganeis sedis metropolis ad ipsam sedem convenientibus est eligendus et consecrandus. Et hoc aliter factum viribus carere non est dubium ; quia quidquid contra statuta Patrum præsumptum fuerit, sine dubio licet non apud homines, apud Deum tamen irritum erit. Constituit etiam (*ibid.* c. 3, 9, q. 3, c. *Si autem*, dist. 23, c. *Prohibete*) ut nullus metropolitanus quidquam agat de causis suffraganeorum episcoporum absque præsentia et communi eorum consilio. Præcepit etiam, ut clericis non liceat comam nutrire. Hic ordinavit episcopos novem, presbyteros septemdecim, diaconos quatuor.

XIII. — S. SOTER.

(*Anno Christi* 175.)

Soter, natione Campanus, ex patre Concordio, de civitate Fundis, sedit annos novem, menses sex, dies undecim. Fuit autem temporibus Severi, a consulatu Rustici et Aquilini, usque ad Cethegum et Clarum. Hic obiit X Kal. Maii. Hic constituit (*Ep.* 2, *ad episc. Italiæ*) ut nulla mulier sacrata, vel monacha, sacra vasa vel sacratas pallas contingeret, nec incensum circa altare deferret. Hic ordinavit episcopos undecim, presbyteros octodecim, diaconos novem.

XIV. — S. ELEUTHERIUS.

(*Anno Christi* 179.)

Eleutherius, natione Græcus, ex patre Abundio, de oppido Nicopoli, sedit annos quindecim, menses tres, dies duos. Fuit autem temporibus Antonini et Commodi usque ad Paternum et Braduam. Qui VIII Kalend. Junii obiit. Hic accepit epistolam a Lucio Britannico rege, ut Christianus efficeretur per ejus mandatum. Hic constitutione sua (*epist. ad Galliæ provincias*, c. 1) firmavit, ut nulla communis esca, quæ rationabilis et humanæ naturæ congruere videretur, a Christianis repudiaretur ; et omnium episcoporum definitiva sententia, non nisi apud Romanam sedem terminaretur (*ibid.*, c. 2), reliquorum vero clericorum causas apud comprovinciales etiam episcopos licite terminandas. Idem præd etus papa de accusationibus episcoporum inter cætera dicit (*ibid.*) : *Nihil absque legitimo et idoneo accusatore fiat. Nam et Dominus noster Jesus Christus Judam furem esse sciebat ; sed quia non est accusatus, ideo*

non est ejectus, et quidquid inter apostolos egit, pro dignitate mysterii ratum mansit (*ibid.*, c. 3). De accusationibus comprovincialium ita legitur esse statutum : *Si quis super quibuslibet criminibus quemlibet Clericum pulsandum credidit, in provincia, in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerat* (*exerceat*) *actiones, nec existimet alibi eum ad judicium pertrahendum. Proditoris nec calumnia, nec vox audiatur.* Hic ordinavit episcopos quindecim, presbyteros duodecim, diaconos octo.

A

XV. — S. VICTOR.

(*Anno Christi* 194.)

Victor, natione Afer, ex patre Felice, sedit annos decem, menses duos, dies decem. Fuit autem temporibus Cæsaris Augusti Antonini, qui et Verus dictus est, a consulatu Commodi v, et Glabrionis, usque ad Lateranum et Rufinum. Hic martyrio coronatur v Kalend. Augusti. Hic constituit (*epist.* 1, *ad Theoph. Alex.* — *de Cons.* dist. 3, c. *Celebritatem*) ut Pascha die Dominico celebraretur, sicut et prius fecerat. Constituit enim, si necesse, periculo mortis urgente, fuerit, quocunque tempore, quocunque in loco, videlicet, vel in mari, vel in flumine, aut in fontibus, quemlibet licite baptizari, tantum in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis fiat. Et hoc decrevit, ut incerta, etiamsi vera sint, nullatenus judicentur, nisi prius manifestis indiciis comprobentur, aut manifesto judicio convincantur, vel judiciario ordine publicentur. Nec alicujus episcopi causam definiri liceat Romano pontifice inconsulto (*ibid.*). Hic ordinavit episcopos duodecim, presbyteros tres, diaconos septem.

B

C

XVI. — S. ZEPHERINUS.

(*Anno Christi* 203.)

Zepherinus, natione Romanus, ex patre Abundio, sedit annos octodecim, menses septem, dies decem. Fuit autem temporibus Antonini et Severi, a consulatu Saturnini et Gallicani usque ad Præsentem et Strigatum consules. Qui obiit VI Kalend. Septembr. Hic etiam constituit (*epist.* 1, *ad episc. Siciliæ*) ut episcoporum causa non terminetur absque præcepto Romani pontificis ; nec ullatenus episcopus judicetur, nisi aut ipse se reum esse confiteatur, aut idoneis testibus, qui non sint minus quam septuaginta duo, convincatur. Constituit etiam (2, q. 1, c. *Primates*) ut quispiam summorum, minorum accusationibus non impetatur, nec in re dubia certa judicetur sententia, nec ullum judicium, nisi ordinabiliter factum teneatur, nec absens judicetur, nec aliquem sententia nisi a suo judice dicta confringat, et episcopus accusatus duodecim, si necesse fuerit, episcopos judices eligat (3, q. 4, c. *Detractores* ; 3, q. 9, c. *Absens*) : nec prius audiatur, aut excommunicetur, vel judicetur, quam ipsi per se eligantur ; et regulariter vocatus ad suorum primo conventum episcoporum per eos ejus causa iterum audiatur [juste aud.], et rationabiliter discutiatur, cum de occultis alieni cordis non temere sit judicandum, et injusta judicia ab omnibus sint cavenda, et episcopi a plebibus et clero sint ferendi. Constituit etiam (*epist.* 2, *ad episc. Ægypt.* — dist. 83, c. *Ordinationes*) ut ordinationes presbyterorum et Levitarum congruo tempore, et multis fidelibus coram astantibus fierent. Hic ordinavit episcopos tredecim, presbyteros quatuordecim, diaconos septem.

D

XVII. — S. CALIXTUS.

(*Anno Christi* 221.)

Calixtus, natione Romanus, ex patre Domitio, de regione Urberavennarum, sedit annos quinque, menses duos, dies decem. Fuit autem temporibus Macrini et Heliogabali, a consulatu Antonini et Alexandri. Hic ab Alexandro imperatore martyrio consummatur pridie idus Octobris. Hic constituit (*epist.* 1, *ad Bened. episc.*) ut jejunia quatuor Temporum ab omnibus Christianis celebrarentur. Hic decretis suis firmavit, ut nullum injustum judicium (11, q. 3, c. *Injustum*) et diffinitio injusta, regis metu, aut jussu, aut cujuscunque potentis, a judicibus ordinata vel acta firmitudinem habeant : quia nulli imperatori, aut cuiquam pietatem custodienti licet aliquid contra divina mandata præsumere. Hic constituit (*eadem epist.*) ut accusationem adversus doctorem nemo suscipiat, nec accusatio facta per scriptum recipiatur (*epist.* 2, *ad episc. Galliæ*), nec absente accusato testimonium de eo dicatur : nec de aliis causis vel negotiis testimonium dicant, nisi de his quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. Nec accusatores (2, q. 8, c. *Accusatorum* ; 11, q. 2, c. *Excommunicatus* ; 9, q. 2, c. *Nullus alterius* ; 9, q. 3, c. *Nullus primas*) vel testes suspecti, vel infamiæ nota aspersi recipiantur, nec excommunicatos a sacerdotibus ante utriusque partis justam examinationem ullus recipiat, nec modo aliquo eis communicet ; et ut nemo alterius terminos usurpet, nec alterius parochianum judicare aut excommunicare præsumat : quia præsumptum irritum erit. Nec etiam metropolitanus diœcesani ecclesiam, vel parochianum, aut aliquid ex ejus parochia excommunicare, vel judicare, aliquidve agere præsumat, absque ejus consilio et judicio : quia et quod fecerit, irritum erit, et ipse gradus sui periculo subjacebit. Constituit etiam ut episcopus quilibet ambitus causa ad aliam civitatem non transmutetur : sed si fieri debet, fiat cæteris fratribus invitantibus, et Romanæ Ecclesiæ auctoritate, et illius Ecclesiæ, ad quam transmutandus est, utilitate. Præcepit etiam (3, q. 4, c. *Consanguineorum*) ut consanguineorum conjunctiones fieri omnino prohibeantur ; quia tales nullum habent pondus testimonii. Confirmavit etiam (*in fine epist.* 2), et saluberrimis exemplis divinæ Scripturæ ostendit tam sacerdotes Domini, quam reliquos fideles post dignam satisfactionem posse revocari ad pristinos honores. Hic ordinavit episcopos octo, presbyteros quindecim, diaconos quatuor.

XVIII. — S. URBANUS.

(*Anno Christi* 226.)

Urbanus, natione Romanus, ex patre Pontiano, sedit annos novem, menses decem, dies duodecim.

Fuit autem temporibus consulatus Antonini et Alexandri. Obiit vero confessor temporibus Diocletiani VIII Kal. Junii. Hic in suis decretis confirmat (*epist.* 1, *ad omnes fideles*) ut prædia et quæcunque res a fidelibus ecclesiæ Dei traditæ sunt, semper esse debeant in potestate et dispositione episcoporum, in quorum parochia ipsæ ecclesiæ sunt sitæ; et ipsi episcopi ex ipsis rebus omnibus communem vitam degere volentibus, cuncta necessaria ministrare; nec quidquam eorum in alios usus, quam ecclesiasticos, convertere debeant, quia *vota sunt fidelium, et pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum*. Et quæcunque in alios usus, quam in prædictos converterint, necessario sacrilegii rei existunt, et si non corpore, anima tamen mortui cadunt. Et sedes episcoporum ideo in ecclesiis excelsæ constituuntur (*ibid.*) ut ex hoc episcopi prælationem atque potestatem ligandi et solvendi habere intelligantur, et omnes fideles per manus impositionem episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debeant, ut pleni Christiani inveniantur. Hic Valerianum Cæciliæ sponsum, multosque alios ad fidem Christi convertit, et ad martyrii palmam perduxit. Hic ordinavit episcopos octo, presbyteros novemdecim, diaconos septem.

XIX. — S. PONTIANUS.

(*Anno Christi* 233.)

Pontianus, natione Romanus, ex patre Calpurnio, sedit annos novem, menses quinque, dies duos. Fuit autem temporibus Alexandri, a consulatu Pompeiani et Peliniani [Pelagiani]. Eodem tempore prædictus pontifex cum Hippolyto presbytero in exsilium est deportatus ab Alexandro in Sardiniam, in insulam Bucinam, Severo et Quintiano consulibus, et in eadem insula afflictus, et maceratus fustibus, defunctus est III Kalend. Novemb. Hic etiam in decretis suis mandavit (*epist.* 1, *ad Felicem*), sacerdotes non esse accusandos ab inimicis, aut a sceleratis, aut hominibus alterius sectæ vel religionis : vel, si forte peccaverint, a reliquis sacerdotibus arguendos, et a summis pontificibus constringendos esse præcepit, ita ut nullo modo a sæcularibus, aut malæ vitæ hominibus arguantur vel arceantur. Hic ordinavit episcopos septem, presbyteros sex, diaconos quinque

XX. — S. ANTHERUS.

(*Anno Christi* 237.)

Antherus, natione Græcus, ex patre Romulo, sedit annos duodecim, mensem unum, dies duodecim : fuit autem temporibus Maximini et Africani coss. Hic gesta Martyrum diligenter a notariis exquisivit, et in ecclesia recondidit. Qui III Nonas Januarii martyrio coronatur. Hic ordinavit (*epist. ad episcop. Bæticæ*) episcopum unum. Hic etiam consultus de episcoporum mutatione (7, q. 1, c. *Mutationes*) fieri licere in suis decretis respondit; non tamen cujusquam libitu aut dominatione, sed communi utilitate aut necessitate, sicut Petrus apostolorum princeps de Antiochia Romam utilitatis causa est translatus, ut ibi plus proficere posset. Et Eusebius etiam de parva quadam civitate apostolica auctoritate mutatus est Alexandriam : similiter et Felix de civitate qua ordinatus erat, electione civium, propter doctrinam et bonam vitam quam habebat, communi episcoporum et reliquorum sacerdotum aut populorum consilio translatus est Ephesum. Quia, sicut episcopi habent potestatem ordinare regulariter episcopos et reliquos sacerdotes, sic quotiescunque utilitas aut necessitas exposcit, supradicto modo et mutare et inthronizare potestatem habent. Non enim de minori ad majorem civitatem transfertur, qui non ambitu, nec propria voluntate, sed aut vi a propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci et populi, non superbe, sed humiliter ab aliis transfertur et inthronizatur. Hic eisdem decretis suis sancivit (*eadem epist.*), ut quisque inobediens spirituali animadversione truncetur, et ejectus de ecclesia rapido dæmonum ore dilanietur : sicut olim in veteri lege, quicunque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a populo, aut gladio cervice subjecta contemptum expiabat cruore (*Deut.* XVII).

XXI. — S. FABIANUS.

(*Anno Christi* 238.

Fabianus, natione Romanus, ex patre Fabio, sedit annos tredecim, mensem unum, dies undecim : fuit autem temporibus Maximini et Africani, usque ad Decium secundum et Quadratum, qui martyrio coronatur XIV Kalend. Februarii. Hic ordinavit episcopos undecim, presbyteros viginti duos, diaconos septem. Hic septem diaconos in Urbe Roma in septem regiones ipsius urbis divisit, qui ad peragendum officium illis congruum omni hora parati invenirentur. Hic etiam septem subdiaconos ordinavit, qui septem notariis immanerent, et gesta martyrum veraciter ex integro colligerent. Hujus etiam tempore Novatus hæreticus ex Africa venit, qui Novatianum et alios quosdam Christi confessores de Christi Ecclesia separavit, et in doctrinam pravam convertit.

Hic paterne monuit, et decreto salubri, et omnibus Christianis hominibus servando sancivit (*epist.* 1, *ad comministros.* — 6, q. 1, c. *Omnes*) ut omnes illi, cum quibus Apostolus cibum nos sumere vetat (*I Cor.* V), a Christianorum consortio sequestrati penitus habeantur, nec in cujuslibet et fidelium accusatione ullatenus suscipiantur, usque ad satisfactionem, dum digne venisse non dubitantur.

Hic etiam in decretis Orientalibus episcopis destinatis (*epist.* 2) inviolabiliter servandum esse præcepit, ut singulis annis novum chrisma conficeretur, et vetus in sanctis ecclesiis cremaretur, quia, sicut ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda, et de anno in annum renovanda, et fidelibus tradenda, quia novum sacramentum est. Hæc apostoli docuerunt, hæc eorum successores tenuerunt, et semper tenenda esse, firmiter mandaverunt. Hic in eisdem decretis statuit

(3, q. 6, c. *Suspectos*), et apostolos eorumque successores statuisse inducit, universaliter ad accusationem, id est, ad nullius Christiani hominis ecclesiasticam accusationem, recipiendos esse suspectos, aut quoslibet inimicos; vel qui non sint bonæ conversationis, vel quorum vita est accusabilis, vel qui in recta fide sunt dubii, aut quorum fides, vita et libertas noscitur, vel qui infamiæ maculis sunt aspersi, aut sceleribus irretiti. Ad sacerdotum vero accusationem nullos debere vel posse recipi dicit (2, q. 7, c. *Sicut*), qui sacerdotes fieri non possunt, aut qui non sunt sui, id est, sacerdotum ordinis: quoniam, sicut sacerdotes vel reliqui clerici a sæcularium laicorum accusatione excluduntur; ita illi ab istorum sunt excludendi et alienandi criminatione. Et si in rebus sæcularibus suum cujusque jus et proprius ordo servatur, multo magis in ecclesiasticis dispositionibus jus et ordo servandus est; et nulla debet induci confusio.

Item in eisdem præcepit, ne ullus unquam præsumat accusator simul esse, et judex vel testis: quoniam in omni judicio, subaudi synodali, quatuor personas necesse est semper adesse, id est electos judices, accusatores, defensores et testes.

Item statuit, ne oves suum pastorem reprehendere audeant, nisi ipse in fide erraverit. Si vero in fide erraverit, erit corrigendus prius secrete a subditis: si autem incorrigibilis apparuerit, tunc erit accusandus apud primates suos aut ad sedem apostolicam. Pro cæteris vero actibus suis magis est tolerandus a subditis, quam publice derogandus aut accusandus.

Item in alia decretali epistola (*epist.* 3), quam ipse prædictus papa Hilario episcopo misit, idem de sacerdotum et majorum natu accusatione statuit, quod et in illa statuerat, quam Orientalibus episcopis destinavit. Insuper peregrina judicia, salva in omnibus apostolica auctoritate, generali sanctione prohibuit; et ita ordinabiliter in episcoporum accusatione agi decrevit, ut episcopus quilibet super certis criminibus accusatus provinciales episcopos electos debeat habere judices, a quibus omnibus in ipsa provincia audiatur: quia non alibi, quam in foro suo oportet accusatum audiri, et, si ibi adversum sibi senserit judicem, metropolitanum videlicet aut primatem, licenter absque ulla afflictione, et injuriosæ detentionis custodia vocem appellationis et defensionis habeat. Item statuit (3, q. 6, c. *Si quis episcopus*) ut quilibet, nisi ante suum judicem pulsatus, si voluerit, taceat; et ut pulsatis, quoties appellaverint, inducíæ dentur. Ad hæc statuit (1, q. 6, c. *Si quis judicem*) crimen quodlibet cuilibet temere ex ira objectum non esse pro accusatione habendum; et ut (3, q. 6, c. *Pulsatus*) quicunque accusationem per scripturam se probaturum esse fateatur, et si non probaverit quod objecit, pœnam, quam intulit, patiatur. Probatio autem et causa ibi semper agatur, ubi crimen admittitur (3, q. 6, c. *Qui crimen*), nisi si episcopus apostolicam sedem appellaverit. Tunc vero id statuendum esse, quod ejusdem sedis pontifex statuerit.

XXII. — S. CORNELIUS.

(*Anno Christi* 254.

Cornelius, natione Romanus, ex patre Castino, sedit annos duos, menses duos, dies tres. Hic ideo, quia epistolam a B. Cypriano Carthaginensi episcopo acceperat, jussu Decii capite detruncatur III Nonas Martii. Hic ordinavit episcopos septem, presbyteros quatuor, diaconos quatuor. Hic rogatus a quadam matrona, Lucina nomine, corpora apostolorum Petri et Pauli de catacumbis noctu levavit; et primo quidem corpus B. Pauli silentio levatum est, ac positum in prædio prædictæ matronæ, via Ostiensi, ad latus ubi decollatus est. Postea vero corpus B. Petri accepit, et condecenter posuit illud juxta locum ubi crucifixus est, inter corpora sanctorum episcoporum in templo Apollinis in monte aureo in Vaticano palatii Neroniani III Kalend. Julii. Idem prædictus papa et martyr, in epistola quam Rufo coepiscopo consultus misit (*epist.* 2), juxta præceptum Domini in Evangelio, et Jacobi apostoli in sua epistola, et omnium apostolorum, et suorum antecessorum præcepta sequens, et jura confirmans; incauta sacramenta a sacerdotibus fieri penitus vetat, quia ante suum tempus a summis sacerdotibus vel a reliquis sacramenta non esse exacta vel exhibita, nisi pro fide recta testatur. Item in eadem (2, q. 4, c. *Nos sanctorum*; et c. *Nos sacramentum*), sicut et alii antecessores sui fecerant, providendum esse affirmat, ne oves suum pastorem, nisi a fide exorbitaverit, reprehendere aut accusare præsumant; quia tales accusationes vim non habent, neque pastoribus nocere possunt. Item prohibet, ne ullus sacerdotum causam suam alieno committat judicio; sed semper habeat comprovinciales, et notos judices, nisi illic vim temerariæ multitudinis timuerit, aut infestos vel suspectos judices habuerit. Pro his enim causis ad majoris auctoritatis judices, et ad alias provincias appellare et venire concessum est. Item in eadem affirmat (3, q. 6, c. *Omnia*) omnino esse vacua omnia illa, quæ in omni negotio aut loco adversus absentes aguntur aut judicantur, quoniam absentem nullus abdicit [addicit], nec ulla lex damnat.

XXIII. — S. LUCIUS

(*Anno Christi* 255.)

Lucius, natione Romanus, ex patre Porphyrio, sedit annos tres, menses tres, dies tres: fuit autem temporibus Galli et Volusiani, usque ad Valerianum tertium, et Gallicanum. Hic primum fuit in exsilio, postea ad ecclesiam incolumis reversus est: demum a Valeriano capite truncatur I Nonas Martii. Hic ordinavit episcopos septem, presbyteros quatuor, diaconos quatuor. Hic propter malevolos et sacerdotum persecutiones constituit, ut duo presbyteri et tres diaconi episcopum in omni loco non deserant, ut, juxta Apostolum, etiam ab his qui foris sunt, studium habeatur bonum conservari testimonium

(*I Tim.* III); quod in epistola quam omnibus Galliæ et Hispaniæ episcopis destinavit (*de Cons.* d. 2, c. *Jubemus*), apud ipsos servari hortatus est. Constituit in eadem etiam (2, q. 7, c. *Criminationes*) ut criminationes majorum natu per alios non fiant, nisi per eos qui crimina intendunt; et ipsi tales, ut digni sint et irreprehensibiles appareant, et actis publicis se omni suspicione et inimicitiis carere doceant, et fidem ac conversationem irreprehensibilem se ducere ostendant. Et quia hoc fieri ante quoslibet judices interdum difficile animadvertit, ad alios ecclesiasticos judices, ubi major auctoritas fuerit, postulanti audientiam non negandam esse decrevit. Item in eadem, juxta sanctorum apostolorum, et eorum successorum, decretum præcipiendo constituit, ut, si quilibet metropolitanus episcopus, nisi quod ad suam solummodo pertinet parochiam, nisi consilio et voluntate omnium comprovincialium episcoporum extra aliquid agere tentaverit, gradus sui periculo subjaceat, et quod egerit, irritum habeatur et vacuum. Consensu etenim et consilio solummodo omnium provincialium pontificum metropolitano episcopo licere, constituit (9, q. 3, c. *Nullus*) agere et disponere de eorum causis, et ecclesiis, et clericis, atque sæcularium necessitatibus, aut de communibus quibuscunque negotiis agi necesse fuerit. Similiter de ipsis provincialibus statuit, ut nihil eis segregatim aut communiter absque metropolitano agere liceat, nisi de his solummodo quæ ad eorum proprias parochias pertinent. Similiter apostolica auctoritate præcepit, ut nullus metropolitanus episcopus absque omnium suffraganeorum suorum præsentia aliquorum eorum audiat causas; alioquin irritæ erunt, et ipse causam dabit pro facto. Item præcepit, ut per singulas provincias hoc episcopi observent, ne posteriores se prioribus suis præferant; ne eis inconsultis, nisi quantum ad propriam parochiam pertinet, aliquid agant: sed de communibus eorum causis consonam sententiam proferant et determinent; quia aliter actæ nullas vires habebunt, nec ecclesiasticæ reputabuntur. Item in eadem epistola de exspoliatione dotis et oblationum ecclesiarum consultus, prius multis rationibus, et multorum auctoritate hoc genus invasionis et rapinæ sacrilegium esse ostendit (17, q. 4, c. *Qui rapit.* et c. *Omnes Ecclesiæ raptores*); postmodum et auctoritate et decreto prophetarum, apostolorum, eorumque successorum, et omnium catholicorum Patrum exemplis, tales præsumptores, et ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores, a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ anathematizat, et damnat, et sacrilegos esse judicat: et non solum eos, sed omnes eis consentientes: quia non solum qui faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt, rei sunt, et judicantur (*Rom.* I). Par enim pœna et agentes et consentientes comprehendet.

A

B

C

D

XXIV. — S. STEPHANUS.

(*Anno Christi* 257.)

Stephanus, natione Romanus, ex patre Lobio, sedit annos septem, menses quinque, dies duos: fuit autem temporibus Valeriani, et Gallicani, et Maximi, usque ad Valerianum tertium, et Gallicanum secundum. Hic cum duobus episcopis, et octo presbyteris, et tribus diaconis in carcerem missus, cum singulis tandem jussu Valeriani capitali sententia plectitur IV Nonas Augusti. Hic ordinavit episcopos tres, presbyteros septem, diaconos quinque. Hic in epistola, quam episcopo Hilario misit (*epist.* 1), infames personas ad gradus sacros promovendas et ad accusationem recipiendas esse prohibuit: infames vero eas personas esse descripsit (6, q. 1, c. *Infames*), quæ pro aliqua culpa qualibet notantur infamia, id est, omnes qui Christianæ legis normam abjiciunt, et statuta ecclesiastica contemnunt. Similiter fures, sacrilegos, et omnes capitalibus criminibus irretitos, sepulcrorum quoque violatores, et apostolorum, eorumque successorum, et cæterorum sanctorum Patrum religiosa statuta libenter violantes, et omnes qui adversus Patres armantur, similiter incestuosos, homicidas, perjuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis fugientes, et qui indigna petunt sibi loca tenere, aut facultates ecclesiæ abstrahunt injuste, et qui fratres calumniantur aut accusant, et non probant: vel qui contra innocentes principum animos ad iracundiam provocant, et omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab ecclesia expulsos, et omnes quos ecclesiasticæ vel sæculi leges infames esse pronuntiant: hos omnes infames esse descripsit, hos ad sacros gradus provehi, et ad accusationem recipi interdixit. Item servos ante legitimam libertatem pœnitentes, digamos eos qui curiæ deserviunt, vel qui non sunt corpore integri, vel qui sanam mentem non habent, aut intellectum, aut inobedientes sanctorum decretis existunt, ad sacros gradus provehendos esse prohibuit. Nec istos, videlicet, supradictos, item nec libertos, neque suspectos, nec rectam fidem, nec dignam conversationem habentes, summos sacerdotes accusare posse asseruit (*de Cons.* dist. 1, *c. Vestimenta*). Prædictus papa in eadem epistola constituit, ne sacerdotes et levitæ vestimentis ecclesiasticis in aliis usibus uterentur, quam ecclesiasticis officiis.

Hic idem pontifex in alia epistola (2 *epist.*), quam destinavit omnibus episcopis per diversas provincias, et cæteros, quos supra enumeravimus, a sacerdotum accusatione removit, ad hoc procul dubio affirmavit pro sacrilego reputandum, quidquid injuste agitur in rebus Deo sacratis, et episcopis, qui sacri [quia sacra] sunt, et violari a quoquam non debent. Item decreto suo asseruit (2, q. 2, c. *Nullus*) ut nullus episcopus, dum suis fuerit rebus exspoliatus, aut a sede propria occasione qualibet pulsus, debeat accusari nec ab aliquo prius crimen ei possit objici, quam integerrime restauretur: et omnia ei quocunque ingenio ablata absque dolo et fraude funditus legibus restituantur; quia non solum ecclesiasticæ, sed etiam sæculi leges hoc fieri prohibent. Item con-

stituit (3, q. 5, c. *Accusatores*) ne ille qui se ab episcopo, aut ab ejus ministris, læsum esse existimat, vel pro aliquibus erratis eos corripere cupit, prius eos accusare præsumat, quam eos charitative bis aut ter conveniat, ut ab eis percipiat, aut familiarem emendationem, aut justam excusationem. Quod si præsumpserit, a liminibus ecclesiæ usque ad dignam satisfactionem jussit eliminandum.

Item constituit, ut nullius per scripta anathematizatio suscipiatur; sed propria voce, si legitima et condigna accusatoris persona fuerit, præsente videlicet eo, quem accusare desiderant, quia nullus absens accusari potest, aut accusare. Item constituit, ut nullus episcopus prius accusetur, aut suis respondeat accusatoribus, quam regulariter a suo primate sit vocatus, et locum defendendi ad abluenda crimina accipiat. Item, ne aliquis episcopus accusetur, aut audiatur, nisi in præsentia omnium provincialium, et ab omnibus comprovincialibus episcopis; quia ipsis absentibus, nec debet, nec potest audiri aut judicari. Item statuit ne licentia accusandi progrediatur ultra terminos provinciæ (3, q. 6, c. *Ultra*; 3, q. 11, c. *Neganda*). Item constituit, ne accusatori prius detur licentia quemlibet criminandi, quam se crimine, quo premitur, purgando exuerit: quia non est credendum contra alios eorum confessioni, qui criminibus impliciti sunt, nisi se prius probaverint innocentes. Dixit etiam (2, q. 7, c. *Quærendum*) nusquam legi facultatem disponendi de ecclesiasticis rebus attributam esse laicis, etiam religiosis. Præcepit etiam de personis accusatorum (2, q. 8, c. *Accusatorum*) ut earum fides, vita et conversatio primo diligenter inquiratur, et postea ea quæ objiciuntur fideliter pertractentur: quia nihil prius fieri debet, quam prædictorum fides, vita et conversatio diligenter discutiatur, ne alicujus invidia, aut inimicitiis, aut intentione mala quisquam vexetur.

XXV. — S. SIXTUS II.

(*Anno Christi* 260.)

Sixtus, natione Græcus, ex philosopho, sedit annum unum, menses decem, dies viginti tres. Fuit autem Valeriani et Decii tempore: et fuit tunc maxima persecutio. Eodem tempore hic comprehensus est a Valeriano, et ductus, ut dæmonibus sacrificaret. Qui, quia præcepta ejus contempsit, capite truncatus est, et cum eo sex diaconi sub die VIII Idus Augusti. Tertia autem die post ejus passionem passus est, et beatissimus Laurentius ejus archidiaconus, IV Idus Augusti. Hic ordinavit episcopos duos, presbyteros quatuor, diaconos septem.

Hic in epistola, quam Grato episcopo consulenti cum misit (*epist.* 1), rationibus et auctoritate plurimorum irrefragabili asseruit et probavit Filium Dei non ex tempore, neque post tempora natum, sed ante omnia tempora de paterno utero inenarrabiliter generatum. Hic, in eadem epistola, hoc quod a multis suis antecessoribus constitutum erat, ad omnium episcoporum auxilium se roborasse ostendit (2, q. 6, c. *Omnes*): videlicet, ut omnes episcopi qui in quibusdam gravioribus pulsantur aut criminantur causis, quoties necesse fuerit, libere apostolicam sedem appellent, atque ad eam, quasi ad matrem, confugiant: et si quis episcopus etiam judicatus a comprovincialibus episcopis venerit ad Romanæ sedis antistitem, in ejus potestate sit, per se, aut per vicarios suos retractare negotium: et dum hoc actum et peractum apud ipsum Romanum pontificem fuerit, nullus alius in ejus loco ponatur aut ordinetur episcopus: quoniam perscrutari quidem accusati episcopi causam comprovincialibus episcopis licet, diffiniri autem inconsulto Romano pontifice non est permissum (3, q. 6, c. *Accusatus*).

Item in alia epistola, quam misit episcopis per Hispaniæ provincias constitutis (*epist.* 2), sicut et antecessores sui fecerant, constitutum fecit (2, q. 7, c. *Si quis*), ut nemo episcopum, vel quemlibet Ecclesiæ prælatum prius accusare præsumat, quam eum conveniat, et, si aliter egerit, communione privetur. Similiter statuit, ut nemo pontificum aliquem episcopum suis rebus exspoliatum, aut a sede expulsum excommunicare, aut judicare præsumat: quia non est privilegium, quo spoliari possit jam nudatus. Item decrevit, ut nullus episcopus alterius parochianum præsumat retinere, vel ordinare, vel judicare: quia, sicut irrita ejus ordinatio erit, ita et dijudicatio; quia nullus nisi sui judicis sententia potest teneri: quoniam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus potest. Similiter constituit, ne illa quæ incerta sunt judicentur: quia quamvis sint vera, non tamen sunt credenda, nisi quæ certis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur. Item auctoritate et verbis Apostoli confirmat (*Exod.* XXIII), inscriptionem adversus presbyterum non esse recipiendam absque duobus vel tribus idoneis testibus (*I Tim.* V). Item a prædecessoribus suis plerumque statutum commemorat, ut nemo anathema in episcoporum suspiciat accusatione: item, nec illi, qui eos in sua nolunt recipere querela vel accusatione.

XXVI. — S. DIONYSIUS.

(*Anno Christi* 261.)

Dionysius ex monacho, cujus generationem non potuimus reperire, sedit annos sex, menses duos, dies quatuor. Fuit autem temporibus Galieni, ex die XI Kalend. August. Æmiliano et Basso consulibus usque in VII Kalend. Januarii, a consulatu Claudii et Paterni. Hic presbyteris Romæ parochias et ecclesias dedit (13, q. 1, c. *Ecclesias*), singulas singulis: et ipsas parochias et cœmeteria eis dimisit [divisit], et unicuique jus habere proprium constituit, ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terminos aut jus invadat, sed unusquisque suis sit contentus. Et in epistola quam Severo episcopo Cordubensis provinciæ destinavit (*epist.* 2), ipsi Severo, cæterisque episcopis, hoc quod ipse inde ipse statuerat, servare et sequi præcepit. Item in eadem constituit, sicut et sui prædecessores fecerant (15, q. 3, c. *Ne-*

mini), ne crimina episcopis per alios liceret impingi, nisi per ipsos qui crimina intendunt, et ipsi tales sint, quales superius antecessores suos determinasse sæpe ostendimus. Hic ordinavit episcopos octo, presbyteros duodecim, diaconos sex.

XXVII. — S. FELIX.

(*Anno Christi* 272.)

Felix, natione Romanus, ex patre Constantio, sedit annos quatuor, menses tres, dies viginti quinque. Hic martyrio coronatur III Kalend. Junii. Hic ordinavit episcopos quinque, presbyteros novem, diaconos quinque. Hic in epistola, quam Paternio [Paterno] episcopo scripsit (*epist.* 1), detractores et inimicorum fautores ab episcopali accusatione submoveri præcipit. Similiter antecessores suos sequendo, firmavit (3, q. 4, c. *Detractores*; 2, q. 7, c. *Majorum*) ne summorum quispiam minorum accusationibus impetatur aut dispereat, neque in re dubia certa judicetur sententia, ne ullum judicium nisi ordinabiliter habitum teneatur. Item, si quis clericum super quibuslibet criminibus pulsandum crediderit (3, q. 6, c. *Si quis*), in provincia, in qua consistit ille qui pulsatus, suas exerat rationes [exerceat actiones], nec existimet eum accusator alibi, aut longius protrahendum ad judicium; et si ille, qui pulsatus fuerit, suspectos habuerit judices, liceat ei appellare primates. Primates quoque accusatum discutientes episcopum (2, q. 1, c. *Primates*), non prius damnationis sententiam proferant, quam apostolica freti auctoritate, aut reum seipsum confiteatur, aut per innocentes et canonice examinatos regulariter testes convincantur, et cætera. In eadem subjunxit de episcoporum injusta damnatione (11, q. 3, c. *Irritum*), de ejus qui accusatus est absentia, de proditoris calumnia, quæ antecessores suos sæpenumero in suis decretis præcepisse supra ostendimus.

Prædictus vero pontifex (*epist.* 2), auditis omnium episcoporum querimoniis, qui per Galliæ provincias constituti fuerant, et eorum oppressionibus paterne compassus, convocatis amplius quam quinquaginta [septuaginta] episcopis, propter malignorum hominum insidias, qui in ecclesiam et ecclesiasticos viros sæviebant indifferenter, synodali decreto episcoporum constituit, de accusatione, ut accusator, si est idoneus, non prius cujuslibet episcopi causam apud primates deferat, quam eum charitative conveniat : et cum ipsam causam corrigere nolle intelligit, tunc demum ad summos primates causa ejus canonice deferatur. Qui videlicet primates congruo tempore, id est, autumnali, vel æstivo, et congruo loco, vel intra provinciam, concilium omnium comprovincialium convocare regulariter debebunt : quo et ipse regulariter convocatus venire debet, si eum infirmitas, aut alia gravis necessitas non detinuerit. Nam si suis, aut ecclesiæ rebus sibi commissis fuerit exspoliatus, aut in detentione aliqua a suis ovibus fuerit sequestratus, antequam in pristinum honorem cum omni privilegio restituatur, et sua omnia legibus A redintegrentur, nec convocari, nec judicari canonice poterit (3, q. 2, c. *Si epi cop.*). Post restitutionem vero suam, et suorum redintegrationem, tunc regulariter infra quatuor vel quinque vel septem menses, juxta quod possibilitas fuerit, convocatus ad concilium legitimum et idoneum veniat; et si ita juste esse videatur, accusantium propositionibus respondeat. Adimi namque episcopo episcopatum, antequam causæ ejus exitus appareat, sacrilegium est, et auctor talium sacrilegus. Si vero ægrotans fuerit episcopus (3, q. 3, c. *Si ægrotans*), aut aliqua eum necessitas detinuerit, pro se legatum ad synodum mittat, ne a communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum judicum die statuta litteris evocatus minime B occurrerit. Quod si ad causam dicendam ex utraque parte venerint, quia unus absque altero audiri non debet, quærendum est in judicio, cujus sint conversationis, et fidei, atque suspicionis accusatores, aut qua intentione hoc faciant : quia ad hoc admitti non debent, nisi bonæ conversationis et rectæ fidei, et qui omni careant suspicione. Si vero culpabiles judicio episcoporum accusatorum personæ apparuerint (3, q. 10, c. *Si accusatorum*), ad arguendum non admittantur. Absente vero adversario accusator non audiatur (3, q. 9, c. *Absente*), nec sententia absente parte alia a judice dicta ullam vim obtinebit; nec absens per alium accusare aut accusari potest; nec affinis testis admittatur. Peregrina item judicia generali sanctione removit (3, q. 6, c. *Peregrina*). Item in eadem synodo super memorias C martyrum missas celebrari constituit, ne memoria eorum a malis possit exstingui, aut veneratio prohiberi.

XXVIII. — S. EUTYCHIANUS.

(*Anno Christi* 275.)

Eutychianus, natione Tuscus, ex patre Marino, de civitate Lunis, sedit annos octo, mensem unum, diem unum. Fuit autem temporibus Aureliani, a consulatu Aureliani tertio, et Marcellini. Hic ordinavit episcopos novem, presbyteros quatuordecim, diaconos quinque. Hic martyrio coronatur VIII Kalend. Augusti. Hic in epistola quam Joanni episcopo et cæteris episcopis per Bæticam provinciam constitutis misit (*epist.* 1), constituit ut fabæ et uvæ, et D cætera quæ apostoli constituerunt, ad altare offerantur, cæteræ vero species ad domum sacerdotum deferantur; et simplici benedictione benedictæ, a populis ita demum sumantur (*Canonum* c. 4).

Hic idem pontifex in alia epistola quam destinavit, universis episcopis per Siciliam constitutis (*epist.* 2), ordinem accusationis exponit, quem ipse cum omnibus episcopis, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ utriusque ordinis fidelibus constituit ac discrevit, ita dicens : *Non ita in ecclesiasticis agendum negotiis* (2, q. 6, c. *Non ita*), *sicut in sæcularibus : quia in sæcularibus, postquam legibus vocatus quis venerit, et in foro decertare cœperit, non licet ei ante peractam causam recedere; in ecclesiasticis vero dicta causa, recedere*

licet, si necesse fuerit, aut si se prægravari viderit. Accusationis autem ordinem talem dicimus, et servari jubemus : id est, si quis clericorum in crimine impetitur, non statim reus existimetur, quia causari [*qui accusari*] *potuit, ne subjectam* [*suspectam*] *innocentiam faciamus. Sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in judicium veniat, nomen rei indicet, vincula inscriptionis arripiat, custodiæ* [*custodiat*] *similitudinem, habitu tamen dignitatis existimatione patiatur* [*potiatur*], *ne forte moverit licen ia* [*noverit licentiam*] *mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.* Hæreticos, et suspectos, et excommunicatos, homicidas quoque et maleficos, fures, sacrilegos, raptores, veneficos, adulteros, et qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, et omnes, qui Christianæ religionis et nominis dignitatem, et suæ legis vel propositi normam, aut regulariter prohibita neglexerint, a licentia tam accusandi, quam testificandi omnino removit. Similiter prohibuit, ut nullæ causæ a judicibus ecclesiasticis audiantur, quæ legibus non continentur, vel quæ prohibita esse noscuntur : quia non solum ecclesiasticæ, sed etiam sæculi leges hæc observare præcipiunt. Item affirmat, quibus regnum Dei excluditur, procul dubio et Ecclesia denegatur.

XXIX. — S. CAIUS.

(*Anno Christi* 283.)

Caius, natione Dalmaticus, ex genere Diocletiani imperatoris, ex patre Caio, sedit annos undecim, menses quatuor, dies duodecim. Fuit autem temporibus Diocletiani : cujus persecutionem fugiens annis novem habitavit in cryptis; qui tandem martyr meruit effici x Kalend. Maii. Hic in epistola, quam Felici episcopo scripsit, quod apostolicæ sedis auctoritas juxta catholicam disciplinam tempore suo tenebat, de multis cum instruere exoratus, curavit, ita dicens : *Primum quidem scias, paganos et hæreticos non posse Christianos accusare* (2, q. 7, c. *Pagani*), *aut vocem infamationis inferre ; deinde nemo unquam episcopum ad judices sæculares, aut reliquos clericos accusare præsumat : et si quis episcopus, presbyter aut diaconus, vel quilibet clericus apud episcopos* (*quia alibi non oportet a qualibet persona, quæ rite recipienda est*) *fuerint accusati, quicunque fuerit, sive ille sublimis vir honoris, sive alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, noverit docenda probationis monstranda documentis se* [noverit prob. documenta se] *debere inferre. Si quis ergo circa hujusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat se jacturam infamiæ sustinere.* Qualiter autem ad concilium veniatur (3, q. 1, c. *Episcopis*), et cætera, et de induciis anniversariis, dicit se ideo in eadem epistola non ponere : quia sufficienter de hujusmodi ab apostolis, et eorum successoribus, et a suis antecessoribus tractatum esse existimat. De ordinibus vero ecclesiasticis in eadem epistola scripsit, et omnibus servari demandavit : ut, si quis episcopus esse meretur, primo sit ostiarius, deinde lector, postea exorcista, inde sacretur acolytus, deinde subdiaconus, deinde diaconus et postea presbyter. Exinde, si meretur, episcopus ordinetur, et regiones in magnis civitatibus inter diaconos dividi præcepit : et omnes difficiles quæstiones, quæ exortæ fuerint, semper ad apostolicam sedem referri præcepit.

XXX. — S. MARCELLINUS

(*Anno Christi* 296.)

Marcellinus, natione Romanus, ex patre Projecto, sedit annos novem, menses quatuor, dies viginti quinque. Fuit autem temporibus Diocletiani et Maximiani. Quo tempore tanta fuit persecutio Christianorum, ut intra triginta dies, septemdecim millia hominum promiscui sexus per diversas provincias martyrio coronarentur. Tunc et ipse Marcellinus compulsus dæmonibus sacrificavit. Sed post paucos dies synodo congregata in civitate Campaniæ coram centum et octoginta episcopis, digne pœnituit. Unde Diocletianus iratus, quia ad sacrificandum eum cogere non valuit, cum aliis tribus capite truncari jussit vi Kalend. Maii; et post triginta dies sepultus est a Marcello presbytero. Et cessavit episcopatus ejus annos septem, menses sex, dies viginti quinque, propter nimiam persecutionem Christianorum. Hic ordinavit episcopos quinque, presbyteros quatuor, diaconos duos. Hic in epistola, quam Salomoni episcopo misit (*epist.* 1), multis rationibus probavit, et multorum irrefragabili auctoritate firmavit, Patrem non esse majorem Filio, nisi secundum naturam humanitatis. Et hoc fecit propter quosdam hæreticos, qui eo tempore exorti econtrario nitebantur probare.

In alia autem epistola, quam universis destinavit episcopis per Orientales provincias constitutis (*epist.* 2), monet et præcipit omnes a fratrum persecutione et litigio cessare; et ut contentiones, quæcunque inter Christianos fuerint ortæ, ad ecclesiam deferantur, et ab ecclesiasticis viris terminentur. Constituit etiam, ut major non possit a minore judicari, et ut episcopus quilibet nullum possit inferre præjudicium illi pontifici, a quo consecratus esse probatur : et, si præsumptum fuerit, irritum esse, et inter ecclesiastica statuta non esse censendum. Item in eadem statuit (11, q. 1, c. *Cleric.*) ne ullus clericus, cujuscunque ordinis sit, absque pontificis sui permissione ullum ad sæculare judicium præsumat attrahere, nec ei laicum liceat accusare [nec laico clericum liceat accus.]. Hic, sicut et Calixtus papa, decreto suo firmavit (2, q. 7, c. *Laico*), ne imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti, liceat aliquid contra mandata divinitatis præsumere, nec quidquam, quod evangelicis propheticisque ac apostolicis regulis obviat, agere. Itaque sic intulit : *Injustum ergo judicium, et definitio injusta regis, vi vel jussu a judicibus ordinata, non valet, nec quidquam, quod contra evangelicæ, vel propheticæ, aut apostolicæ doctrinæ constitutionem, sine sanctorum Patrum fuerit actum, stavit; et quod ab infidelibus aut hæreticis factum fuerit, omnino cessabitur.*

XXXI. S. MARCELLUS.

(*Anno Christi* 304.)

Marcellus, natione Romanus, ex patre Benedicto, de regione Via lata, sedit annos quinque, menses septem, dies viginti et unum. Fuit autem temporibus Maxentii et Maximiani. Comprehensus autem a Maxentio, et traditus in catabulo animalibus ad serviendum, quia dæmonibus sacrificare noluit, diu ibidem cilicio indutus, et inedia maceratus, vitam finivit in Christo XVII Kalend. Februar. Hic ordinavit episcopus viginti et unum, presbyteros viginti quinque, diaconos duos. Hic in epistola quam destinavit universis episcopis, Antiochenæ ecclesiæ subditis, scribit (*epist.* 1) a sanctis Patribus, inspirante Domino, constitutum esse, ne ulla synodus præter Romanæ sedis auctoritatem possit legitime convocari, in qua episcopus super quibuslibet criminibus pulsatus debeat audiri vel judicari; et omnia negotia episcoporum, et summarum causarum, sive cuncta dubia, apostolicæ sedis auctoritate sunt agenda et finienda, et omnia comprovincialia negotia ejusdem sedis auctoritate sunt retractanda. Hæc eadem in alia epistola, quam Maxentio episcopo scripsit (*epist.* 2), summopere servari præcepit; et alia multa de negotiis episcoporum in eadem posuit, quæ hic ideo non adnotavimus, quia eadem sæpe in antecessorum suorum decretis iterando præscripsimus.

XXXII. — S. EUSEBIUS

(*Anno Christi* 309.)

Eusebius, natione Græcus, ex medico, sedit annos sex, mensem unum, dies tres. Fuit autem temporibus Constantis [Constantini]. Qui VI Nonas Octobr. migravit ad Dominum. Hic ordinavit episcopos quatuor, presbyteros tredecim, diaconos tres. Hic tres epistolas decretales fecit, et in illa, quam universis episcopis per Campaniam et Tusciam constitutis scripsit (*epist.* 3), solemniter celebrari præcepit festum Inventionis sanctæ crucis, quæ suis temporibus V Nonas Maii inventa est (*de Cons.* dist. 3, c. *Crucis*). Similiter in eadem præcepit (*de Cons. dist.* 5, c. *Manus*). omnes hæreticos ad conversionem venientes, si in fide S. Trinitatis baptizati essent, per manus impositionem esse reconciliandos: et hoc sacramentum, videlicet manus impositionis, nec debere, nec fieri posse ab aliis, quam ab episcopis dixit, et aliter præsumptum irritum et vacuum habendum, nec inter ecclesiastica jura reputandum.

In illa vero epistola, quam Gallicanis episcopis destinavit (*epist.* 2), et de hæreticorum susceptione idem servari mandavit, et ab accusationibus clericorum et episcoporum infames, et cæteros quos antecessores sui removendos sæpe præscripserant, et ipse removit, dicens : *Qui eorum castitatem et gravitatem imitari nolunt, nec eos impetere possunt.*

Illa autem, quam direxit episcopis per Alexandriam et Ægyptum constitutis (*epist.* 1), prohibuit ne oves pastorem suum reprehendant, nec ullatenus accusent, nisi a recta fide exorbitaverit (2, q. 2, c. *In Scripturis*) : quia pastorum facta, quanquam recte reprehendenda videantur, subditorum tamen gladio ferienda non sunt. Et de expulsis aut exspoliatis in eadem subintulit, ita dicens : *Quos scitis, nec ad synodum provincialem, nec ad generalem posse convocari, nec in aliquo dijudicari, antequam cuncta, quæ eis ablata sunt, legibus potestati eorum redintegrentur, et postmodum non sub angusti temporis spatio; sed tantum temporis spatium eis indulgeatur, quantum exspoliati vel expulsi esse videntur, antequam ad synodum convocentur* (3, q. 2, c. *Prius*). *Et ab omnibus suæ provinciæ episcopis quisque audiatur : nam nec convocari ad causam, nec judicari potest exspoliatus vel expulsus; quoniam non est privilegium, quo exspoliari possit jam nudatus. Unde et antiquitus decretum est, omnes possessiones, et omnia sibi sublata, atque fructus cunctos ante litis contestationem perceptos ut primas possessori restituat. Et alibi scriptum habetur* (2, q. 2, c. *Nullus*) : *Ille qui violentiam pertulit, universa in statu, quo fuerant, recipiat, et quæ possidet securus tenent. Et alibi in synodalibus Patrum decretis, et regum edictis legitur statutum* (3, q. 1, c. *Redint.*) : *Redintegranda sunt omnia exspoliatis, vel ejectis episcopis præsentialiter ordinatione pontificum, et in eorum potestatem, unde abscesserunt, funditus revocanda, quæcunque* [*quacunque*] *conditione temporis, aut dolo, aut captivitate, aut violentia malorum* [*virtute majorum*], *aut per quascunque injustas causas res ecclesiæ vel proprias, aut substantias suas perdidisse noscuntur, ante accusationem, aut regularem ad synodum vocationem eorum*, et reliqua. Multa adhuc in eadem ad idem probandum subjungit.

XXXIII. — S. MELCHIADES.

(*Anno Christi* 311.)

Melchiades, natione Afer, sedit annos quatuor, menses septem, dies octo. Fuit autem temporibus Maxentii et Volusiani et Rufini consulum. Hic ordinavit episcopos undecim, presbyteros septem, diaconos quinque, et IV Idus Decembris migravit ad Dominum. Iste autem, in epistola quam Hispanis episcopis direxit, eos rogando et obsecrando instruxit, ut primo semper omnia diligenter inquirant, et cum justitia et charitate definiant, neminem ante verum et justum judicium condemnent, nullum suspicionis arbitrio judicent, sed primum probent, et postea charitative sententiam proferant, et quod sibi fieri nolunt, alteri non inferant (*Tob.* IV), et episcopos non judicent aut condemnent absque Romanæ sedis auctoritate; quod si fecerint, irritum erit, et facientes condemnabuntur : quia hoc privilegium ipsi Romanæ sedi a temporibus apostolorum servari statutum est; quia, quamvis cunctorum apostolorum par electio foret, beato tamen Petro concessum est ut aliis præemineret, et causas et interrogationes, quæ ad querelam venirent, prudenter disponeret. Idem prædictus pontifex, in eadem epistola, eosdem quærentes instruxit, sacra-

mentum impositionis manuum episcoporum majus esse, quam baptismi, quia a majoribus, id est a summis pontificibus, fit, et a minoribus perfici non potest, et ideo majori veneratione venerandum et tenendum est; sed ita tamen hæc duo sacramenta conjuncta sunt, ut ab invicem, nisi morte præveniente, nullatenus possint segregari, et unum sine altero rite perfici non possit. Nam unum sine altero præveniente morte potest, aliud autem non potest. Non tamen dubitare debemus, ut plenitudinem de fonte suscipiamus, quin Spiritus sanctus, qui super aquas salutiferi baptismi descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuat ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstet ad gratiam. In baptismo enim regeneramur ad vitam; post baptismum vero confirmamur ad pugnam. Et si continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos; confirmatio armat et instruit ad agones mundi hujus et prælia reservandos. Idem papa iu eadem epistola interdicit, ne quis jejunium Dominicæ diei et quintæ feriæ celebret, ut inter jejunium Christianorum et gentilium, fidelium et infidelium, vera, et non falsa, discretio habeatur.

XXXIV. — S. SILVESTER

(*Anno Christi* 314.)

Silvester, natione Romanus, ex patre Rufino, sedit annos viginti tres, menses decem, dies undecim. Fuit autem temporibus Constantini et Volusiani consulum. Hic diversis temporibus ordinavit episcopos sexaginta quinque, presbyteros quadraginta duos, diaconos viginti sex. Hic persecutionem fugiens, diu in monte Soracte latuit; sed postmodum cum gloria rediens Constantinum baptizavit, quem Christus in ipso baptismo a squalore lepræ mundavit. Hic potestate Deo libere serviendi accepta, constitutum fecit de omni Ecclesia. Hujus etiam temporibus, ejus præcepto, facta synodus in Nicæa Bithyniæ, et congregati sunt trecenti et decem et octo catholici episcopi, qui fidem integram, catholicam et immaculatam exposuerunt, et Arium, et Photinum, et Sabellium, eorumque sequaces damnarunt.

Eodem quoque tempore etiam ipse jam dictus papa præfati Constantini Augusti consilio canonica vocatione in urbem Romam ducentos septuaginta septem episcopos congregavit; et iterum, tam Callixtum, quam Arium, et Photinum, et Sabellium damnavit : et constituit ut nullus presbyter Arianum resipiscentem susciperet, nisi episcopus ejusdem loci eum reconciliaret, et sacrosancto chrismate confirmaret. In qua etiam synodo consensu et subscriptione omnium constitutum est, ut nullus laicus clerico crimen inferre audeat (2, q. 7, c. *Nullus*; 2, q. 7, c. *Clericus*), et ut presbyteri non adversus episcopum, nec diaconi adversus presbyterum, nec aliqui minores gradus adversus quemlibet majorem gradum habentem det aliquam accusationem, et non damnetur præsul quilibet nisi septuaginta duobus testibus, neque præsul summus a quoquam judicetur; presbyter cardinalis nisi in quatuor et quadraginta testibus non damnabitur; diaconus cardinalis non damnabitur nisi in viginti sex testibus; subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, nisi, sicut scriptum est, in sex testibus. Testes autem et accusatores sine aliqua sint infamia : testimonium autem laici adversus clericum nemo suscipiat (11, q. 1, c. *Testimonium*). Nemo clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in ecclesia. Nullus clericus, vel diaconus, aut presbyter propter quamlibet causam intret in curiam, nec ibi ante judicem suam causam dicere præsumat. Et si quis clericus accusans clericum, in curiam introierit, anathema suscipiat.

Hic in prædicta synodo constituit (*de Cons. dist.* 1, c. *Consulto*) ut nullus in serico panno aut tincto sacrificium altaris celebrare præsumat; sed in puro lineo ab episcopo consecrato, terræ [terreno] scilicet lino procreato atque contexto. Et si quis in ecclesia militare aut proficere desiderat, debet esse prius ostiarius, deinde lector, et postea exorcista per tempora quæ episcopus constituerit : deinde acolythus annis quinque, subdiaconus totidem, et custos martyrum; et diaconus similiter annis quinque, presbyter annis duobus [tribus] probatus ex omni parte intantum, ut etiam ab his qui foris sunt testimonium bonum habeat, unius videlicet uxoris vir (*I Tim.* m), quæ tamen a sacerdote sit benedicta. Et sic probatus, si fuerit dignus, et vota cleri ac populi occurrerint, canonice episcopus consecretur : quem quidem talis vitæ et, ut prædictum est, accedentem nec clerus nec populus postea perturbare debet. Hoc etiam in memorata constituit synodo (*de Cons.* dist. 1, c. *Nullus*), ut nullus presbyter missam celebrare præsumat, nisi in sacratis ab episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse sacerdotii. Hic etiam constituit, ut presbyter baptizatum, et de aqua lavatum chrismate liniret propter subitaneum transitum mortis. Hic constituit, ut diaconi dalmaticis in ecclesia uterentur, et palliis in læva. Hic pridie Kalend. Januarii confessor Christi catholicus migravit ad Dominum.

XXXV. — S. MARCUS.

(*Anno Christi* 336.)

Marcus, natione Romanus, ex patre Prisco, sedit menses octo, dies viginti. Fuit autem temporibus Constantini, et Nepotiani, ac Secundi. Hic constituit, ut episcopus Ostiæ, qui consecrat episcopum urbis Romæ, pallio uteretur. Hic epistolam direxit Athanasio et universis Ægyptiorum episcopis, in qua multis modis paterne eos super querimonia afflictionis eorum consolatur, et ad solatium defensionis capitula Nicæni concilii, quæ apud eos malorum violentia jam non erant, transmittere in eadem se dicit. Hic ordinavit epi-

scopos viginti septem, presbyteros viginti quinque, diaconos sex : qui Nonis Octobris confessor obiit.

XXXVI. — S. JULIUS.

(Anno Christi 336.)

Julius, natione Romanus, ex patre Rustico, sedit annos quindecim, menses duos, dies sex. Fuit autem temporibus Constantii hæretici filii Constantini, a consulatu Feliciani et Maximini. Hic decem menses in exsilio degens multas tribulationes est passus : post mortem autem prædicti Constantii ad sedem suam est reversus. Qui, imperantibus Constantio et Constante Augustis, Romæ cum centum et sedecim episcopis synodum habuit, in qua fidem in Nicæno concilio a trecentis et octodecim orthodoxis episcopis corroboratam confirmando exposuit, et contra illam omnes sentientes omnium decreto anathematizavit. Hic in prima epistola, quam universis Orientalibus episcopis direxit, multipliciter ac rationabiliter eos a calumniis fratrum documentis retrahere nititur, proponens eis multa ex Nicæni concilii capitulis, et ex suorum prædecessorum decretis confirmans et ipse eadem cum omnibus apostolicæ regulæ subjectis. In ea vero epistola, quam eisdem Orientalibus episcopis hæreticis scripsit, diserto ac libero ore eos de insolentia, quam contra Romanam Ecclesiam habuerant, arguit, et multis capitulis, multorum auctoritate subnixis, et in ea positis, eos injuste Athanasium et cæteros catholicos episcopos a sedibus expulisse convicit, et eosdem hac de causa vocatos culpabiles ostendit, quia toties vocati venire distulerint, ita dicens : *Sane manifestum est eos suum confiteri crimen, qui toties evocati absque inevitabili causa venire distulerint, et purgandi se voluntate non utuntur.* Hic etiam constituit, ut nullus clericus causam quamlibet in publico diceret, nisi in ecclesia. Hic ordinavit episcopos novem, presbyteros octodecim, diaconos quatuor. Qui obiit confessor pridie Idus Aprilis.

XXXVII. — S. LIBERIUS.

(Anno Christi 352.)

Liberius, natione Romanus, ex patre Augusto, sedit annos quindecim, menses septem, dies tres. Fuit autem temporibus Constantini usque ad Constantium Augustum hæreticum, qui prædictum papam annis tribus in exsilio maceravit, eo quod Arianæ hæresi consentire noluit. Deinde sacerdotes congregati, in locum Liberii, Felicem presbyterum episcopum ordinaverunt. Qui habito quadraginta septem [quadraginta octo] episcoporum concilio, Ursacium et Valentem presbyteros Arianæ hæresi consentientes a communione sua, et recte credentium, separavit. Unde ipsi furoris zelo accensi, consilio inito, Constantii auctoritate missa Liberium ab exsilio revocaverunt, hoc videlicet pacto, ut rebaptizandi solum communione cum eis participaret. Qui prædicto pacto consentiens, retractus est ab exsilio, et habitavit in cœmeterio S. Agnetis. Deinde facto ab Arianis concilio, Felix vir catholicus est depositus, et extra civitatem ejectus, et habitavit in prædiolo suo via Portuensi : Liberius autem consentiens Constantio hæretico, ad sedem reductus est; non tamen ipse rebaptizatus est, sed rebaptizandi consensum præbuit, et tenuit Romanam sedem postea annis septem, et fuit Romæ tam in clero quam in populo magna persecutio. Ordinavit autem episcopos novemdecim, presbyteros octodecim, diaconos quinque. Obiit autem VIII Kalend. Maii.

Qui, antequam Arianorum communione prævaricator esset factus, Athanasio et cæteris Orientalibus orthodoxis episcopis decretalem epistolam direxit (*Epist.* 1), in qua diligentissime concilii Nicæni fidem commendat, [et pro ipsa servanda ostendens præmium et pœnam, studiosissime unumquemque debere certare hortatur. Hic item, antequam hæresi Arianæ assentiret, epistolam universaliter omnibus scripsit episcopis (*Epist.* 2), in qua eos hortatur et monet, ut nullus episcopus pro quibuslibet perturbationibus, dum durare poterit, suam relinquat ecclesiam; nec quietem monasterii magis eligat quam pro populo sibi commisso laborare contendat [intendat], ita inter cætera dicens : *Fatuas hominum insidias respuere, et Patres sequi, et Patrum terminos non transgredi, prout Dominus dedit, satagamus, id est, ut nostras ecclesias relinquere non properemus, dum malis resistere valebimus, aut populos nobis commissos negligere, aut quietem amplius eligere, quam pro eis laborare, pro quibus etiam animas ponere debemus.* Et inferius in eadem dicit (7, q. 1, c. *Suggestum*) : *Suggestum namque nobis est, quod pro præteritis laboribus et infestationibus nonnulli vestrum assignatas sibi, et a Deo commissas relinquunt plebes, et fratres plures* [*in futuro plures*] *relinquere velint eas, quas tueri debent ecclesias, et pro oribus sibi commissis laborare negligant, et monasteriorum se quieti jam contradere festinent, et vacationem ab episcopatus laboribus eligere, et silentio atque otio vitam degere magis optant* [*appetant*], *quam in his, quæ sibi commissa sunt, permanere, dicente Domino :* « *Beatus, qui perseveraverit usque in finem* (*Matth.* X, XXIV), » etc. *Ideoque, fratres charissimi, non vos afflictionum amaritudo a pio mentis vestræ proposito coarctet recedere. Attendite itaque vobis et omni gregi, in quo Spiritus sanctus vos constituit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit proprio sanguine suo* (*Act.* XX), *ut non sit qui vos decipiat ac seducat in sublimitate* [*subilitate*] *sermonis, ut plebes vobis commissas relinquatis, et alicubi* [*alicui*] *propter opprobrium malorum hominum quieti vos tradatis, ut vos solummodo salvetis, et filios orphanos relinquatis.* Item in eadem de observatione canonum eosdem ita monet, dicens : *In nullo patiamini providentissima decreta canonum violari, quatenus et Nicænorum canonum instituta, et quæ a nobis, vel a prædecessoribus no-*

stris provide et salubriter sunt decreta, intemerata permaneant.

XXXVIII.—S. FELIX II.

(*Anno Christi* 355.)

Felix, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit annum unum, menses tres, dies duos. Hic declaravit Constantium filium Constantini esse hæreticum, et secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi. Et quia hoc declaravit, ideo postea prædicti Constantii præcepto capite truncatur in civitate Coranna III Idus Novembris. Hic consecravit episcopos novemdecim, presbyteros viginti et unum, diaconos quinque. Hic in epistola quam destinavit Athanasio, et universis Ægyptiorum, Thebaidorum ac Libyorum episcopis (*epist.* 2), quædam capitula a sanctis Patribus, tam in Nicæna synodo, quam in sancta Romana sede constituta interseruit, quibus prædicti episcopi fulti inimicorum insidias melius possent evadere, quæ et nos huic opusculo inserere, non inutile videtur. Sic autem incipit :

1. *Est autem synodicis decretum institutis, ut nemo episcopum penes sæculares arbitros accuset, sed apud summos primates.* 2. *Si quis adversus episcopum causam habuerit, non prius alios episcopos adeat, ut eum accuset, quam familiariter ei indicet suam querelam, et ab eo aut justam emendationem, aut rationabilem percipiat excusationem, ipsa nos instruente Veritate :* « *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum : si te non audierit, adhibe duos vel tres testes : et si vos non audierit, dic Ecclesiæ* (*Matth.* XVIII), » *id est, tunc accusa eum publice, et non prius, et reliqua.* 3. *Si quis episcopum post hæc elegerit accusare, summis primatibus episcoporum suam indicet causam, et non sæcularibus, qui magis ad pacem, quam ad judicium eos revocent, ut charitas in omnibus, et ab omnibus custodiatur. Si primates* (5, *q.* 2, *c. Si primates*), *aut episcoporum accusatores cum eis pacificare familiariter minime poterunt ; tunc tempore legitimo eos ad synodum canonice convocatam non infra angusta tempora canonice convocent, et prius eis* [*quam est*] *per scripta significent quid eis opponant, ut ad responsionem parati veniant.* 4. *Nam si aut vi aut timore ejecti fuerint, aut suis rebus exspoliati, nec canonice ad synodum vocari possunt ; respondere æmulis debent, antequam canonice restituantur, et sua omnia eis legaliter reddantur :* et præsul prius restituatur, *et postea non statim sed diu, per spatiosa tempora suis potestative dispositis, et ad suam necessitatem præparatis, ad tempus veniat ad causam ; et si juste visum fuerit, accusatoribus respondeat suis.* 5. *Nulli infami atque sacrilego de quocunque negotio liceat adversus religiosum Christianum, quamvis humilis servilisque persona sit, testimonium dicere, nec de qualibet re, actione aut inscriptione Christianum impetere.* 6. *Si quis episcopus legitime accusatus, et supradicto ordine ad concilium canonice vocatus fuerit, absque ulla trepidatione ire debet : et, si ipse non potuerit, pro se legatum ad synodum mittat.* 7. *Nullæ causæ a judicibus ecclesiasticis audiantur, quæ legibus non continentur, vel quæ prohibitæ esse noscuntur.* 8. *Si quis aliter non acquieverit, nisi episcopum accuset, supra taxato hoc tenore agere debebit ; quia accusatio aliter non potest rata existere. Tunc primo accusati causam ad primates accusator canonice deferat : nec a communione prohibeatur accusatus, nisi in electorum judicium canonice evocatus, infra tres aut sex aut plures menses pro his* [*suis*] *rationem redditurus venire distulerit ; sed si venire non potuerit, nihil ei nocebit. Ille vero, qui aut* [*vi aut*] *timore a sede pulsus, aut suis rebus fuerit exspoliatus, non prius vocetur ad synodum, quam omnia legibus ei redintegrentur, et tandiu in sede propria pacifice et potestative cuncta disponens resideat* (3, q. 2, c. *Tandiu*), *quandiu expulsus vel exspoliatus carere visus est suis rebus. Cum autem ad judicium venerit, si voluerit et necesse fuerit, induciæ ei petenti a fratribus* [*patribus*] *constitutæ absque impedimento concedantur, et judices a se electi tribuantur in loco, unde est qui accusatur ; aut si aliquam* [*alibi*] *temerariæ multitudinis vim metuerit, locum sibi congruum eligat, quo absque timore suos, si necessitas expoposcerit, testes habere, et absque impedimento suam canonice sententiam finire valeat, quia multa per subreptionem evenire solent.* 9. *Ut testificandi licentia denegetur his, qui Christianæ religionis et nominis dignitate, et legis, vel sui propositi normam, vel regulariter prohibita neglexerint.* 10. *Multum derogatio prævalet, quando derogatori creditur : ideo variis detractionibus* [*detrectationibus*] *atque accusationibus non debet labefactare primatem, sed magis Patrum regulis roborari, ne facile aut indifferenter suscipere accusationes præsumat, dicente Domino :* « *Non suscipias vocem mendacii* (*Exod.* XXIV). » *Prius probare debet suspicionem, et causam, aut quo animo hoc faciat ; et postea suscipere, quia veritatis professionem propinquitas* [*propinquitatis*], *inimicitiæ, timoris, amoris, odii, et cupiditatis intentio impedire et adversa fratribus irrogare solet.*

11. *Personæ accusantium tales esse debent, quorum fides, conversatio, et vita probabilis, et absque reprehensione sit, et qui omnium careant suspicione : quia et hoc tempore præsenti* [*te præsente*], *ut bene nostis, in Nicæna synodo propter malorum hominum insidias sunt hæc et alia quam plura delata* [*deleta*]. *Primates illi, et non alii, sint quam qui in prædicta synodo sunt constituti.* 12. *Reliqui vero qui metropolim sedem tenent, archiepiscopi vocentur, et non primates, salva in omnibus apostolicæ sedis dignitate, quæ et* [*ei*] *ab ipso Domino concessa* (*Matth.* XVI), *et postea a sanctis Patribus roborata est.* 13. *Primo semper in omnium episcoporum accusatione persona, vita et conversatio accusantium enucleatim inquiratur, et postmodum ea, quæ objiciuntur, fideliter pertractentur ; quoniam nihil aliter fieri debet, nisi prædictorum* [*impetitorum*] *fides, persona, vita et actus discutiantur : quia non debet pravorum, aut insidiantium hominum pernicies vitam lacerare innocentium. Sane sæpissime a malis boni persequuntur, qui non cessant*

suis calamitatibus aliis derogare : ideo summopere est prævidendum, ne hæc fiant. 14. *Nullus servus, nullus liber, nullus infidelis, nullus criminibus irretitus, nullus calumniator, nullus qui inimicitiis studet, nullus qui libenter* [*frequenter*] *litigat, et ad accusandum vel detrahendum est facilis, nulla infamis persona, vel quos ad accusandum publica crimina leges publicæ non admittunt ; episcopos accusare præsumant : quoniam accusatores, et accusationes, quas sæculi leges non recipiunt, qua ratione sacerdotalis ens ordo, recipere debeat, invenire nequeo, cum hæc et in Nicæna synodo prohibita sint, et illi magis ab istis, non isti ab illis judicari debeant. Et Apostolus dicit :* « *Spiritualis judicat omnia, ipse vero a nemine judicatur* (*I Cor.* II). » 15. *Hæretici, a quibus nimium opprimimur, excommunicatique, homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, et qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magosque concurrerint, nullatenus ad accusationem vel ad testimonium erunt admittendi.*

16. *Non ita in ecclesiasticis agendum negotiis, sicut in sæcularibus. In sæcularibus enim, postquam legibus vocatus venerit, et in foro decertare cœperit aliquis, non licet ante peractam causam recedere : in ecclesiasticis vero, causa dicta, licet recedere; si necesse fuerit, aut prægravari se viderit.* 17. *Quoties episcopus super certis accusatur criminibus, si tales fuerint accusatores, qui juste et canonice recipi debeant, synodo legitima in suo tempore congregata, ab omnibus canonice audiatur, qui sunt in provincia, episcopis. Quod si non legitimi fuerint accusatores, non fatigetur episcopus, quia sacerdotes ad sacrificandum vocari* [*vocare*] *debent, non ad litigandum; nec illi qui throni Dei vocantur, pravorum hominum insidiis debent turbari, sed libere Christo Domino famulari.* 18. *Quamvis provincialibus episcopis una cum metropolitano eorum causas suæ provinciæ episcoporum liceat charitative et concorditer agitare ; non tamen, sicut in prædicta synodo constitutum est, licet definire absque Romani pontificis auctoritate. Quod si secus a quibusdam præsumptum fuerit, ipsi, qui hoc egerint, suæ præsumptionis suscipiant damnum, et illi, qui ab eis perperam excommunicati aut damnati fuerint, auctoritate hujus sanctæ sedis, et beati præceptoris nostri clavigeri Petri potestate solvantur atque restituantur. Ipse enim Dominus ait :* Quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis. (*Matth.* XVI). 19. *Quoties episcopi se a comprovincialibus vel a metropolitano putaverint prægravari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent sedem, atque absque ulla detentione, et suarum rerum ablatione, libere ire liceat. Et dum prædictam Romanam appellaverint Ecclesiam, aut ab ea se audiri expoposcerint, nullus eos aut excommunicare, aut eorum sedes subripere, aut eorum res auferre, aut aliquid eis inferre præsumat, antequam amborum* [*eorum*] *causa Romani pontificis auctoritate firmetur. Quod si aliter a quoquam præsumptum fuerit, nihil eis oberit* [*nihil erit*], *sed viribus carere non est dubium.* 20. *De inducis vero episcoporum, super quibus consuluistis, diversas a Patribus regulas invenimus institutas. Quidam enim* (3, q. 3, c. *De induciis*) *ad repellenda impetitorum machinamenta, et suas præparandas responsiones, et testes confirmandos, et consilia eorum* [*episcoporum*] *et amicorum quærenda, annum et* [*aut*] *sex menses mandaverunt concedi; quidam autem annum, in quo plurimi concordant; minus vero quam sex menses non reperi ; quia et hæc laicis indulta sunt, quanto magis et Domini sacerdotibus ?*

Hic prædictus papa aliam epistolam scripsit universis spiritualibus fratribus, et reliquis in sacerdotali collegio Domino consecratis (*epist.* 2), in qua eos studiosissime hortatur persecutiones et tribulationes patienter sustinere, ut ejus filii inveniantur, quem quotidie Patrem invocant Deum in cœlis, et ut detrahentibus non detrahant, sed cuncta in spiritu humilitatis peragant, et in patientia longanimitatis, quæ sunt docenda, edoceant.

XXXIX. — S. DAMASUS.

(*Anno Christi* 367.)

Damasus, natione Hispanus, ex patre Antonino, sedit annos octodecim, menses tres, dies undecim. Cum isto ordinatur in contentione Ursinus; sed facto concilio sacerdotum constitutus est Damasus, quia fortior, et plurima multitudo erat : Ursinus autem ejectus est ab Urbe, et Neapolis constitutus episcopus. Damasus autem postea invidiose adulterii arguitur; et facta inde synodo, a quadraginta octo [quadraginta quatuor] episcopis expurgatur : accusatores autem ejus Concordius et Callistus diacones a concilio sunt damnati, et de Ecclesia ejecti. Hic ordinavit episcopos septuaginta duos, presbyteros triginta et unum, diaconos undecim. Hic II Idus Decemb. obiit.

Hic in epistola, quam Stephano archiepiscopo Mauritaniæ, et universis Africanæ provinciæ episcopis destinavit (*epist.* 3), eos instruit, qualiter metropolitanos episcopos et summa ecclesiastica negotia discutere liceat : ita videlicet, ut nemo ex eis desit, et omnes in singulorum negotiis concordent, et cætera in eadem ponit, quæ et antecessores sui constituerunt, id est, de ipsis episcopis quos damnari non liceat, nec synodum convocare canonicam absque Romanæ sedis auctoritate; de canonica vocatione ad synodum, de induciis, quas dandas sex mensium spatio in criminalibus episcopis mandat, de accusatoribus et testibus, quales esse debeant; item de inscriptione calumniatoris, quæ semper primo fieri debet, et quæ criminum discussio ibi agitanda sit, ubi et ipsa crimina sunt admissa : et cætera, quæ plane jam in prædecessorum suorum decretis supra notavimus.

Item prædictus papa aliam scripsit decretalem epistolam Prospero Numidiæ primæ sedis episcopo, et cæteris orthodoxis episcopis ubique consistentibus (*epist.* 4) : de coepiscopis [chorepiscopis],

qui nihil amplius sunt, vel possunt, quam presbyteri, ita inter cætera dicens : *Nimis jam eorum institutio improba, nimis est prava : quia, ut hi de summo sacerdotii ministerio aliquid præsumant, omni caret auctoritate, et sacris canonibus videtur esse contrarium, et vacuum atque inane est, quidquid in prædicto summi sacerdotii egerint ministerio. Nam non amplius, quam duos ordines inter discipulos Domini esse cognovimus* (dist. 68, c. *Chrorepiscopi*). *Unde iste tertius processerit, funditus ignoramus : et quod ratione caret, exstirpari necesse est. Cum enim episcopi non sint, qui minus quam a tribus, aut qui ab uno vel duobus sunt ordinati episcopis, nec nominentur episcopi, si nomen non habent, qualiter officium habebunt? Idcirco benedictionem, quam prædicti co-episcopi ante suam prohibitionem per manus impositionem dabant, magis videtur nobis vulnus inferre, quam salutem : quia qui pontificatus apicem non habebant, quomodo ea, quæ non habebant, dare poterant? quoniam nihil in dante erat, quod ille posset acci,ere; et propterea magis vulnerabant capita, quæ per manus impositionem tangebant, quam ea, quæ eis collata non erant, per aliquam benedictionem darent. Et ubi vulnus infixum est, necesse est adhibere medicinam; qua infixa sanetur macula, id est, reiterari necesse est, quod legitime actum aut collatum minime approbatur, si perfectum esse debebit. Nam quomodo honorem posset retinere, qui ab alio [illo] acceperit, qui potestatem dare non habuit legitime, invenire non possum : cum ille qui pontificalem honorem non habuit, pontificalia non potest jura tribuere : nec hoc sibi poterant vindicare, cujus capaces per hoc, quod illis obstiterat, non fuerunt.*

Aliam iterum scripsit episto'am prædictus papa episcopis pe· Italiæ provincias co·stitutis (*epist.* 6), in qua accusationem fratrum per scripta fieri prohibet, ita inter cætera dicens : *Leges sæculi accusatores præsentes exigunt, et non per scripta absentes; unde canonica Patrum constituta non semel, sed sæpissime clamant, nec accusationes, nec testimonia ullum per scripta posse proferre, nec de aliis negotiis quicunque testimonium dicant, nisi de his quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur* (5, q. 2, c. *Relatum*). *Similiter, et qui accusare alium elegerit* (3, q. 9, c. *Qui accu.are*), *præsens per se, et non per alium accuset, inscriptione videlicet præmissa : neque ullus unquam judicetur, antequam legitimos accusatores præsentes habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.*

Hic sententiam Hieronymi presbyteri de celebratione missæ confirmavit, videlicet, ut die Dominico nullus post tertiam horam diei missarum solemnia celebrare præsumat. Hic præcepit, ut psalmi die noctuque in ecclesia canerentur.

XL. — S. SIRICIUS

(*Anno Christi* 385.)

Siricius, natione Romanus, ex patre Tiburtio, sedit annos quindecim, menses undecim, dies viginti quinque. Hic ordinavit episcopos triginta duos, presbyteros triginta et unum, diaconos sedecim. Hic de hoc sæculo migravit vIII Kalend. Martii. Hic in epistola quam Himmerio Tarraconensi episcopo scripsit (*epist.* 1), baptizatos ab Arianis si ad catholicam fidem festinent, denuo baptizandos esse prohibuit; quia et Apostolus prohibet (*Ephes.* IV), et canones contradicunt, et Liberii papæ decreta post cassatum Ariminense concilium ad provincias missa prohibent, et sola episcopalis manus impositione catholicorum conventui eos sociandos esse asserit. Item in eadem affirmat, nullo tempore anni, nisi in Dominico Paschæ et Pentecostes, quemlibet baptizandum, nisi eum mortis cujuslibet periculum urgeat. Iterum illos, qui ad apostasiam transeunt, et idolorum cultu ac sacrificiorum contaminatione polluuntur, a corpore Christi et sanguine jubet abscindi; resipiscentibus autem, et ad lamenta conversis, pœnitentiam in vita agendam esse, et in fine ultimo reconciliationis gratiam tribuendam esse præcipit. Item puellam alii desponsatam, ne alter in matrimonium accipiat, inhibet (27, q. 2, c. *De conjugali*) : quia illa benedictio, quam sacerdos nupturæ imponit, si transgressione violetur, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est. De his vero, qui acta pœnitentia tanquam canes et sues ad pristinos vomitus et volutabra redeunt, et militiæ cingulum repetunt, et incontinentes existunt (33, q. 2, c. *De his vero*), quia jam pœnitendi non habent refugium; decernit, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, a Dominicæ autem mensæ convivio separentur : transeuntibus autem de hac vita viatico munere subveniri jubet.

De monachis vero vel monachabus, qui se prius clanculo illicita contagione polluerunt, et postea in abruptum conscientiæ desperatione perducti de illicitis complexibus libere filios procrearint, a monasteriorum cœtu et ecclesiarum conventibus eliminandos esse mandavit, ut in suis ergas ulis retrusi purgatorio [purificatorio] possint pœnitudinis igne decoqui, ut eis saltem ad mortem solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subveniri.

De sacerdotibus vero atque levitis (82, dist. c. *Plurimos*), qui post longa consecrationis suæ tempora, tam de propriis conjugiis, quam de turpi coitu sobolem procrearint, et crimen suum defendunt, quia in Veteri Testamento sacerdotibus ministris procreandi facultas legitur attributa, quia non ex alia utique, nisi quam ex tribu Levi quisquam ad Dei ministerium fuerat præceptus admitti; mandat ut his, qui ignorantia lapsos se deflent, hac conditione misericordia non negetur, ut sine ullo honoris augmento, in hoc quo detecti sunt, quandiu vixerint, officio perseverent; si tamen post hæc continentes sese studuerint exhibere. Illos vero, qui se illicita privilegii excusatione defendere nituntur, omni ecclesiastico honore apostolica auctoritate spe futuræ adeptionis prohibita penitus privat. Et quia hcenter ac libere inexploratæ vitæ homines, quibus

etiam fuerant numerosa conjugia, ad præfatas dignitates, prout cuique fuerat libitum, aspirabant; quid de hujusmodi ab universis ecclesiis sit sequendum, quid vitandum, generali pronuntiatione decrevit: ita videlicet, ut qui a pueritia usque ad tricesimum ætatis suæ annum probabiliter vixerit, una tantum uxore contentus, et ea virgine, et cum illa benedicta a sacerdote, promoveri per singulos gradus mora præfiniti temporis poterit, si in singulis irreprehensibiliter vixit: illum vero clericum (dist. 84, c. *Quisquis*), qui aut viduam aut certe secundam conjugem duxerit, omni ecclesiasticæ dignitatis privilegio mox nudandum esse censuit, laica sibi tantum communione concessa; quam ita demum poterit possidere, si nihil præterea [postea], propter quod hanc perdat, possideat. Feminas vero ab omnibus clericis exclusit (dist. 81, c. *Feminas*) nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem synodus Nicæna permisit. Monachos autem (16, q. 1, c. *Monachos*), quos morum gravitas et vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari concessit, temporibus præfixis, vel singulis gradibus servatis.

Illud quoque decrevit (dist. 50, c. *Illud*), ut, sicut pœnitentiam agere cuiquam clericorum non licet, ita et post pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam liceat honorem clericatus adipisci: quia, quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui fuerant vasa vitiorum. Sed quia in hujusmodi (dist. 50, c. *Quicunque*), cum reprehenduntur, sola ignorantiæ excusatio solet obtendi, hac conditione pœnitendi cuilibet digamo, et viduæ marito indebite ad gradum quemlibet promoto veniam relaxat, et omni spe promotionis filii adempta, in quo invenitur ordine, perpetua stabilitate permaneat.

Prædictus papa propter multas præsumptivas causas, quæ suis temporibus emerserant, decretalem epistolam Africanis episcopis destinavit (*epist.* 4), in qua præcepit, ut nemo extra conscientiam sedis apostolicæ, hoc est, primatis, audeat episcopum ordinare; quia integrum dicit esse judicium, quod plurimorum sententia consequatur (dist. 64, c. *Extra*). Item ne unus episcopus episcopum ordinare præsumat propter arrogantiam, ne furtivum beneficium præstitum videatur, quia et in Nicæna synodo (*can.* 4) hoc definitum esse constat. Item, si quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clerum admitti non debet. Similiter, ut clericus mulierem viduam non ducat uxorem, præcepit. Item, ut laicus, qui duxerit viduam, non admittatur ad clerum. Item, ut de aliena ecclesia ordinare clericum nullus usurpet, vel ab ecclesia abjectum suscipiat, et venientes a Novatianis et Montensibus per manus impositionem suscipiantur, eo quod rebaptizati sint. Præterea, in eadem monuit et suasit, ne sacerdotes et levitæ cum uxoribus suis coeant, quia in ministerio ministri quotidianis necessitatibus occupantur, et qui in carne sunt, Deo placere non possunt.

Idem sanctæ memoriæ prædictus papa aliam decretalem epistolam scripsit orthodoxis (*epist.* 4), per diversas provincias degentibus: in qua, quia multa contra ecclesiasticum canonem præsumebantur, præcepit et monuit, ut indignus, et non diligenter examinatus, non efficiatur episcopus, et ne sacerdotium detur illis, quorum fides, baptismus et vita nescitur: et ne neophyti, sive laici, inconsiderate diaconi aut presbyteri ordinentur, cum dicat Apostolus: *Manus nemini cito imposueris* (*I Tim.* v).

Item prænominatus papa aliam Italicis episcopis scripsit epistolam (*epist.* 2), in qua se eis Jovinianum Epicurum sociosque ejus damnasse notificat, qui virginitatis præmium annihilabant, et jejunia condemnabant.

XLI. — S. ANASTASIUS.

(*Anno Christi* 398.)

Anastasius, natione Romanus, ex patre Maximo, sedit annos tres, dies decem. Hic ordinavit episcopos undecim, presbyteros novem, diaconos quinque. Hic Germaniæ et Burgundiæ regionis episcopis epistolam scripsit, in qua eorum consultis ratione certa respondet; videlicet apostolica auctoritate mandat et prohibet (*de Cons.* dist. 2, c. *Apostolica*), ne, cum in ecclesia sancta Evangelia recitantur, sacerdotes et cæteri sedere præsumant; sed venerabiliter curvi Dominica verba intente audiant, et fideliter adorent. Similiter prohibet transmarinum hominem ad honorem clericatus admitti (dist. 98, c. *Trasmarinos*), nisi quinque aut eo amplius episcoporum chirographis designatum: qui multa per subreptionem evenire solent, ideo et hæc summopere cavenda sunt. Item Manichæos, qui tunc erant, non recipiendos, nec cum eis ullatenus participandum esse mandat, priusquam ad rectam convertantur fidem. Hic obiit v Kalendi Maii.

XLII. — S. INNOCENTIUS.

(*Anno Christi* 402.)

Innocentius, natione Albanus, ex patre Innocentio, sedit annos quindecim, menses duos, dies viginti et unum. Hic decretalem epistolam Decentio Eugubino episcopo scripsit (*epist.* 1), in qua eum de multis consulentem catholice instruit, ita incipiens: *Si instituta ecclesiastica, ita ut a beatis apostolis sunt tradita, integra vellent servare Domini sacerdotes; nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque, non quod traditum, sed quod sibi visum fuit, hoc existimat esse tenendum; inde diversa in diversis locis vel ecclesiis, aut teneri, aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis. Qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi, aut ecclesiis [ecclesias] non convenire, aut ab apostolis vel apostolicis viris contrarietatem inductam. Propter hoc oportet omnes sequi quod Romana Ecclesia custodit, a qua eos principium accepisse non est ambiguum.* Ostendit igitur quid in singulis, unde

cum consuluerunt, facere debeant. 1. Videlicet mandat pacem post confecta mysteria dandam esse (*de Cons.* dist. 2, c. *Pacem*) ut per hoc constet populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur, præbuisse consensum. 2. Item præcepit ut prius oblationes in missa commendentur, postea vero eorum nomina, quorum oblationes sunt, recitentur. 3. Item de consignandis infantibus, dicit manifestum esse, non ab alio quam ab episcopo fieri licere : quia, licet presbyteri sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent (*de Cons.* dist. 4, c. *Presbyteros*).

4. Sabbato vero esse jejunandum ratione evidenti demonstrat (*de Cons.* dist. 3, c. *Sabbato*) : quia si sexta feria propter passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quia inter tristitiam passionis et lætitiam resurrectionis videtur inclusum : et apostolos constat biduo isto in mœrore fuisse, quod non est dubium in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari. Quæ forma utique per singulas est tenenda hebdomadas, propter id, quod commemoratio diei illius semper est celebranda. Quod si putatur semel et uno Sabbato jejunandum, ergo et Dominica et quinta feria semel in Pascha utique erit celebranda. 5. De fermento autem quod a papa confectum Romæ per titulos Dominica die per acolytos mittebatur, quia ipsa die presbyteri propter plebem sibi creditam cum ipso convenire non poterant, diem alibi per parochias non esse faciendum, quia sacramenta non longe sunt portanda. 6. De his vero baptizatis, qui postea dæmonio, aut vitio aliquo, aut peccato interveniente arripiuntur, dicit, nec a presbytero, nec a diacono debere nec posse consignari, nisi episcopus præceperit : quia manus imponendæ non sunt, nisi episcopus auctoritatem dederit id efficiendi, propterea quia longe positus difficulter sæpe ad episcopum deduci potest.

7. De pœnitentibus autem (*de Cons.* dist. 3, c. *De pœnitentibus*), qui ex gravioribus commissis, sive ex levioribus, pœnitentiam gerunt, juxta Romanæ Ecclesiæ consuetudinem quinta feria ante Pascha remittendum eis esse demonstrat, si nulla interveniat ægritudo. Si vero quis in ægritudinem inciderit, et usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de hoc sæculo absque communione discedat. 8. De hoc vero, quod in Epistola Jacobi legitur : *Infirmatur quis in vobis* (*Jac.* v)? etc., dicit non esse dubium de ægrotantibus fidelibus accipiendum esse, et intelligendum, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab episcopo consecrato, non solum sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua suorumque necessitate; et quod presbyteris licere non est dubium, episcopis esse licitum, non est ambiguum (dist. 95, c. *Illud*). Sed de presbyteris idcirco dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt : ad quos autem volunt ire et ungere, licenter possunt. Pœnitentibus tamen illud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?

Item præscriptus papa aliam Victricio Rothomagensi episcopo scripsit epistolam (*epist.* 2) propter quosdam, qui eo in tempore ignorantia vel desidia non tenebant ecclesiasticam disciplinam, et plurima non præsumenda præsumebant; in qua mandat et præcipit : 1. Ne extra metropolitani episcopi conscientiam ullus audeat ordinare episcopum (dist. 64, c. *Extra*). Integrum enim est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur. Nec unus episcopus præsumat ordinare episcopum, ne furtivum beneficium præstitum videatur. Hoc et a Nicæna synodo constitutum atque definitum. 2. Item, si quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ secularis habuerit, ad clericatum admitti prohibuit. 3. Item præcepit, ut, si forte causæ vel contentiones inter clericos, tam superioris quam inferioris ordinis, exoriæ fuerint (11, q. 1, c. *Si quæ causæ*), juxta Nicænam synodum congregatis ejusdem provinciæ episcopis jurgium terminetur, nec sine præjudicio Romanæ Ecclesiæ alicui liceat relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Ecclesiam Dei nutu gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si quis forte præsumpserit, eum ab officio clericatus submoveri, et injuriarum reum ab omnibus judicari jussit. Si autem majores causæ in medio fuerint devolutæ ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, post episcopale judicium referendas eas esse mandavit.

4. Item in eadem sancivit, sicut et Siricius fecerat, ut clericus viduam mulierem non ducat uxorem, ne hoc præjudicio impeditus ad sacerdotium pervenire non possit. 5. Item, ne laicus, qui ante baptismum, seu postea, mulierem viduam duxit uxorem, postea admittatur ad clerum præcepit, quia eodem vitio videtur exclusus (dist. 34, c. *Si quis*). In baptismo enim peccata dimittuntur, non tamen acceptæ uxoris consortium relaxatur. 6. Item, ne is qui secundam ducit uxorem, clericus fiat, quia scriptum est : « Unius uxoris virum (*I Tim.* III) »; et iterum : Sacerdotes mei semel nubant. 7. Item, ut de aliena ecclesia clericum ordinare nullus usurpet, nisi ejus episcopus precibus exoratus concedat (dist. 34, c. *Si quis*). Hoc etiam synodus Nicæna constituit (can. 16, 17), ut abjectum ab altero clericum altera ecclesia non recipiat. 8. Item ut venientes a Novatianis, vel Montensibus, per manus impositionem suscipiantur, quia licet ab hæreticis, in Christi tamen nomine sunt baptizati, præter eos qui a nobis ad illos transeuntes baptizati sunt. Hi, si resipiscentes ad nos redierint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt.

9. Item, omnino servari jubet, ut sacerdotes et levitæ cum uxoribus suis non coeant (dist. 31, c. *Tenere*) : quia si sacerdos, cui orandi et sacrificandi juge officium est, carnali concupiscentia fuerit conta-

minatus, quo pudore sacrificare usurpabit, aut qua conscientia, quo merito exaudiri se posse credit, cum dictum sit : *Omnia munda mundis ; coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum?* (*Tit.* I.) 10. De monachis autem (16, q. 1, c. *De Monachis*), qui ad clericatus ordinem pervenerint, jubet, non debere eos a priori proposito deviare : quia sicut in monasterio fuit, ideo quod diu servavit, modo in meliori gradu positus non debet amittere. 11. Item mandat, ne ex curialibus, id est, qui aliquibus publicis functionibus occupati, jure ad curiam retrahi possunt, ad clericatum admittantur (dist. 51, c. *Frequenter*). 12. De virginibus velatis, si postea publice nupserint, vel clanculo corruptæ fuerint, mandavit, non admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi hi, quibus se junxerant, de mundo recesserint (27, q. 1, c. *Quæ Christo*), quia jam de laicis adulteris hæc forma servatur. Sententia autem ista valde severa et timenda nimis, quam multorum casu nostris temporibus necessario mitigari oportuit ; alioquin multi salubris pœnitentiæ solatio destituti [forte] impœnitenti corde vitam finirent. 13. His autem virginibus, quæ nondum velatæ sunt (27, q. 1, c. *Ne vero*), sed in virginitatis tamen proposito se permanere simulaverunt, si forte nupserint, aliquanto tempore pœnitentiam agendam esse dicit : quia sponsio earum a Domino tenebatur : quia si viduæ, quæ a viduitatis proposito discesserunt, juxta Apostolum damnationem habent (*I Tim.* v), quia primam fidem irritam fecerunt, quanto magis virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere conatæ sunt?

14. Item prænominatus papa aliam scripsit epistolam Exuperio Tolosano episcopo (*epist.* 3. — dist. 82, c. *Proposuisti*), in qua ei rescribit, illos diaconos, aut presbyteros, quos esse incontinentes filii generati prodiderunt, omni honore ecclesiastico esse privandos, sicut et Siricius papa fecerat ; nec ad aliquod tale ministerium admittendos esse, quod sola continentia oportet impleri. 2. His autem qui omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, tantum in extremo vitæ suæ pœnitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt ; quamvis juxta priorem consuetudinem pœnitentia quidem concederetur, sed communio negaretur ; cum pœnitentia communionem tribui jussit, ut vel in supremis, permittente Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur.

3. De his vero, qui aut tormenta sola exercent, aut etiam capitalem sententiam proferunt, respondet (23, q. 4, c. *Quæsitum est*), nihil a majoribus definitum esse ; ideo quia meminerant has potestates fuisse a Deo concessas, et propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, et Dei ministrum datum esse in hujusmodi vindicem, et ita se tenere, sicut usque ad ipsum servatum est, ne aut disciplinam evertat, aut contra auctoritatem Domini videatur venire (*Rom.* XIII). Viros autem cum uxoribus adulteris non convenire (32, q. 5, c. *Christiana*), sicut et ipsæ cum ipsis faciunt, si ipsi adulterium committant, non alia de causa fieri dicit, nisi quia latentia peccata non habent vindictam. Non enim mulieres viros suos facile de adulterio, sicut viri mulieres accusant : idcirco virorum latente commisso, non facile quisquam eorum ex suspicionibus submovetur ; submovebitur autem, si ejus flagitium fuerit detectum. Sed quamvis par sit causa, interdum tamen probatione cessante vindictæ ratio conquiescit.

4. Illum vero (23, q. 4, c. *Illud*), qui preces dictat, et alicujus mortem vel sanguinem de reatu a principibus poscit, immunem esse dicit, ideo quia principes nunquam sine cognitione concedunt ; sed ad judices commissa ipsa vel crimina semper remittunt, ut cognita causa vindicent. Quæ cum quæsitori fuerint delegata, aut absolutio, aut damnatio pro negotii qualitate profertur ; et dum legum in improbos exercetur auctoritas, erit dictator immunis. 6. Illos vero, qui interveniente repudio, alii se matrimonio copularint, affirmat sine dubio in utraque parte adulteros esse : quia quamvis conjugium desolatum vel dissolutum esse videatur, non possunt tamen adulteri non videri, qui uxore vivente ad aliam copulam festinarunt (*Matth.* XIX) : in tantum, ut etiam hæ personæ, quibus tales conjunctæ sunt, commisisse videantur adulterium.

Item Felici Nuceriano episcopo prænominatus papa aliam scripsit decretalem epistolam (*epist.* 4), in qua ei indigentia clericorum quærimoniam facienti, cum aliquos mutcos [mutilos], aliquos digamos habere diceret, respondet, 1. illum, qui volens partem digiti sui abscideriit, juxta canones non posse admitti ad clerum ; illum vero, cui aliquo casu contigit, et clericum fieri posse, et inventum abjici non posse asseruit (dist. 55, c. *Qui partem*) ; quia in illo voluntas est judicata, in isto vero casus veniam meruit. 2. Digamos autem, sicut et superius scriptum est, omnino abjiciendos esse mandavit. 3. Laicos autem illos (dist. 51, c. *Designata*), ad clericatus sortem posse admitti non vetuit, qui sic se post baptismum instituerunt, ut eorum opinio in nullo vacillet, et clericis ac monachis adhæserint, et concubinam aut pellicem non noverint, et in bonis operibus vigilarint. Illos vero qui militiæ servierunt, aut in sæcularibus causis agendis versati sunt, aut administraruut, assumendos esse prohibuit.

Idem prædictus papa in illa epistola, quam Maximo et Severo episcopis destinavit (*epist.* 5), jubet presbyteros illos, qui in presbyterio filios procreasse dicuntur, debere in medio collocari, discussisque objectionibus quæ ipsis presbyteris impinguntur, si convinci poterunt, a sacerdotali officio removeri : quia qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt (dist. 81, c. *Maximilianus*). Laudat etiam in eadem laicum, qui a talibus Ecclesiam pollui non patitur.

Idem sæpe dictus pontifex, in epistola quam Apulis episcopis, Macedonio videlicet et Marino, scripsit (*epist.* 6), præcepit, si constiterit clericum pro suis criminibus egisse pœnitentiam, ab omni clericatus

officio removendum : ita scilicet, si post pœnitentiam ad majorem gradum tendere nititur. Et in eadem arguit episcopos, qui dum aut amicis aut obsequentibus gratiam præstare nituntur, religionem violant, ordinesque corrumpunt; et sic evenit ut indigni quique honores suscipiant ecclesiasticos, et admittantur ad clerum, qui nec inter laicos dignum locum habere merentur.

Item in epistola, quam episcopis per Macedoniam constitutis scripsit (*epist.* 7), dicit : *Non oportet grave videri* (35, q. 9, c. *Grave*) *cujuscunque judicium retractari; quia veritas exagitata sæpius magis splendescit in luce, et pernicies revocata in judicium acrius pœnitentia* [*gravius et sine pœnitent.*] *condemnatur; et fructus divinus est justitiam sæpius recenseri.*

Item in illa, quam Florentino Tiburtinensi episcopo misit (*epist.* 8), mandat terminos a Patribus constitutos transiri non oportere : quia nefas est, quod alter semper possederit, alter invadat; quod prædictum episcopum memorat fecisse, quia alterius parochiam invaserat.

Item in epistola Probo episcopo directa (*epist.* 9), jubet mulierem de captivitate reversam, marito, qui jam aliud inierat conjugium, restitui : quia fide catholica suffragante illud statuit esse conjugium, quod erat primitus gratia divina fundatum, conventumque mulieris secundæ priore superstite nec divortio ejecta, nullo modo posse esse legitimum (34, q. 1 et 2, c. *Cum in*).

Item in illa, quam Aurelio Carthaginiensi episcopo scripsit (*epist.* 12), quantum doleat, se non posse exprimere dicit, quod Ecclesiam, et præcipue episcopos, tanta indignitate et molestia tractari legat et audiat, dum facile manus imponuntur, dum negligenter sacerdos summus eligitur, et clerici ecclesiasticorum dogmatum regula nutriti, vel honorati, inter altaria Christi respuuntur, quasi nefas sit ad primatum venire per ordinem. Nam cum laici et monachi undecunque abrupte ad tanti sacerdotii collegium assumuntur, videntur et illi contemni, de quibus oportuerat eligi; et isti male intromitti, qui præter ordinem irrumpunt potius quam eligantur.

Item idem supradictus papa Alexandro Antiocheno episcopo scripsit (*epist.* 1 *al.* 20) et mandat, ut, si una provincia imperiali judicio dijudicatur, metropolitani tamen episcopi secundum pristinum morem provinciarum solummodo numerentur. Item in eadem eidem præcepit, ne ipse Arianorum clericos cum sacerdotii aut ministerii cujuspiam dignitate suscipiat : quoniam, quamvis baptisma eorum ratum esse permittatur, non Spiritum sanctum tamen eos habere cum illo baptismate [indigne suscepto] illisque mysteriis arbitramur; nec ejus plenitudinem dare possunt [ex opere operantis] quæ maxime in ordinationibus operatur.

Item Martiano episcopo per epistolam (*epist.* 21) jussit, quatenus eos clericos in communionem susciA piat, quod Bonosus, antequam damnaretur, ordinasse cognoscitur.

Item scribit universis episcopis in Toletana synodo constitutis (*epist.* 24), et dicit, quod de ordinationibus ab Hispaniæ episcopis illicite factis fuerat aliquid secundum majorum traditionem statuendum, nisi perpenderet inde in ecclesiis quamplurimas perturbationes movendas. Et enumeratis illis, quæ illicite gesta esse cognoverat, subjungit ita : *Quæ si singula discutienda mandemus, non modicos motus aut scandala Hispaniensibus provinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus. Idcirco remittenda hæc potius putamus.* Sed providendum esse mandavit, ne deinceps talia committantur.

B

XLIII. — S. ZOSIMUS.

(*Anno Christi* 417.)

Zosimus, natione Græcus, ex patre Abramio, sedit annum unum, menses tres, dies undecim. Hic ordinavit episcopos octo, presbyteros decem, diaconos tres. Solutus est autem de ergastulo corporis VIII Kalend. Januarii. Hic epistolam Hesitio [Hesychio] Salonitano episcopo scripsit (*epist.* 1), in qua de monachis, quorum solitudo quavis frequentia major est, et de laicis ad episcopum festinantibus præcepit ne quis eorum contra Patrum præcepta, qui ecclesiasticis disciplinis per ordinem non fuisset imbutus (dist. 38, c. *Qui ecclesiasticis*), et temporis approbatione divinis stipendiis sit eruditus, ullatenus ad summum Ecclesiæ sacerdotium aspirare præsumeret; et non solum in eo ambitio inefficax haberetur, verum et ordinatores ejus, ut carerent eo ordine, quem ordinem contra præcepta Patrum crediderant præsumendum (dist. 59, c. *Qui ecclesiasticis*).

C

XLIV. — S. BONIFACIUS.

(*Anno Christi* 419.)

Bonifacius, natione Romanus, ex patre Jocundo presbytero, sedit annos tres, menses octo, dies septem. Hic in contentione una die cum Eulalio ordinatur. Et fuit ista dissensio in clero menses septem et dies quindecim. Eulalius vero ordinatur in ecclesia Constantiniana, Bonifacius in basilica Julii. Placidia autem Augusta, Ravennæ residens cum filio suo Augusto Valentiniano, audiens hoc, quod Romæ factum fuerat, Honorio Augusto Mediolani sedenti notificavit. Unde uterque, missa imperiali auctoritate, ambos de Urbe expelli jusserunt. Sed postea Eulalius omnino expulsus est, et in Campaniam missus; ideo quia Sabbato Paschæ contra edictum imperatorum officium pontificis præsumpsit, eo quod ordinatus fuerat in basilica Constantiniana : Bonifacius vero consensu et præcepto imperatorum in Urbem est revocatus, et in sede stabiliter constitutus. Hic ordinavit episcopos triginta sex, presbyteros tredecim, diaconos tres. Defunctus est autem VIII Kalend. Novemb.

D

Hic Gallicanis episcopis epistolam direxit (*epist.* 2), in qua jubet (3, q. 9, c. *Decernimus*) pro Maximo episcopo, qui a Valentinæ urbis clericis accusa-

tus multoties judicium subterfugerat, intra provinciam synodum aggregandam : ut, si ille adesse voluerit præsens, si confidit, ab objecta respondeat ; si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur : quia manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto et toties delegato judicio purgandi se voluntate non utetur. Prædicti papæ temporibus, ipso consentiente et laudante, Honorius Augustus de constitutione Romani pontificis, ut sine ambitione fieret, ita instituit, dicens (*In rescripto ad epist. 1 Bonifacii*) : *Denique prædicante beatitudine tua, id ad cunctorum clericorum notitiam volumus pervenire, ut, si quid forte religioni tuæ, quod non optamus, humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum ; et si duo contra fas temeritate certante fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus sacerdotem : sed illum solum in sede apostolica permansurum, quem ex numero clericorum nova ordinatione divinum judicium, et universitatis consensus elegerit.* Hic etiam constituit, ut nulla femina aut monacha pallam sacratam contingeret, aut lavaret, aut incensum per ecclesiam, nisi ministri, portaret. Prohibuit etiam, ne servus, aut curiæ obnoxius, clericus fieret.

XLV. — S. CŒLESTINUS.

(*Anno Christi* 423.)

Cœlestinus, natione Romanus, ex patre Prisco, sedit annos octo, menses decem, dies septemdecim. Hic ordinavit episcopos quadraginta sex, presbyteros triginta duos, diaconos duodecim : migravit autem ad Christum VIII Idus Aprilis. Hic Gallicanis episcopis epistolam direxit (*epist.* 4), in qua monet eos, ut presbyteros illos, qui indisciplinatas quæstiones in medium afferebant, et veritati adversantia prædicabant, et ecclesiarum dissensioni studebant, corripiant, et non patiantur eos habere liberum pro voluntate sermonem : quia non debet discipulus ad doctorum injuriam sibi vindicare doctrinam. Idem dicit ut episcopi prædictos presbyteros talia eloqui non permittant : *quia in talibus causis non caret taciturnitas suspicione, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque*, inquit, *causa nos respicit, si silentio faveamus errori.*

Item episcopis per Viennensem et Narbonensem provinciam constitutis aliam destinavit epistolam (*epist.* 2), in qua mandat, ne ultra quoslibet illum morem patiantur servare, videlicet, ut credentes se sanctæ Scripturæ fidem non per Spiritum, sed per litteram completuros, stent in ecclesia pallio amicti, et lumbos accincti, sicut lucernas ardentes cum baculo in manibus non tenent : rudes enim fidelium mentes ad talia non debent induci. Item in eadem jubet ne alicui in ultimo postulanti pœnitentia denegetur (26, q. 6, c. *Agnovimus*) ; quia vera ad Dominum conversio in ultimis positorum mente potius est existimanda quam tempore, hoc asserente propheta : *Cum conversus ingemueris, salvus eris* (*Ezech.* XXXIII). Item prohibet, ne quemlibet, qui ecclesiasticis gradibus per ordinem non fuit initiatus (dist. 59, c. *Ordinatos*), ad episcopatus officium pervenire patiantur ; nec illum, qui virginum incestu pollutus esse asseritur : et qui talem ordinaverit, dignitatem episcopatus, sicut et ipse ordinatus, non obtinebit. Item jubet, ut unaquæque provincia suo metropolitano sit contenta, et unusquisque contentus sibi concessis limitibus in alterius provincia nihil præsumat : nec emeritis in suis ecclesiis peregrini et extranei præponantur ad exclusionem eorum qui bene de suorum civium testimonio merentur (dist. 61, c. *Ne emeritis*). Item jubet, ut nullus invitis detur episcopus (c. *Nullus*), nisi cleri et plebis et ordinis consensus et desiderium inquiratur : tunc alter de altera eligatur ecclesia, si de civitatis ipsius clericis, cui est episcopus ordinandus, nullus dignus (quod evenire non credimus) potuerit inveniri. *Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis clericis merito præferantur, habeatque unusquisque suæ militiæ fructum in ecclesia, in qua suam per officia omnia transegit ætatem. Sit facultas clericis renitendi, si se viderint prægravari ;* et quos sibi ingeri ex transverso cognoverint, non timeant refutare. In eadem etiam jubet, ut ab illicitis abstineatur ordinationibus, ita dicens : *Nullus ex laicis, nullus digamus, nullus qui sit aut fuerit viduæ maritus, ordinetur, sed irreprehensibilis, et qualem elegit apostolus* (*1 Tim.* III). Et inferius dicit : *Et si quæ sunt factæ ordinationes illicitæ, removeantur, quoniam stare non possunt, nec discussionem nostram subterfugere.*

Item prædictus papa universis episcopis per Apuliam et Calabriam constitutis epistolam destinavit (*epist.* 3), in qua præcepit, ne ulli sacerdoti suos canones liceat ignorare (dist. 38, c. *Nulli*), nec quidquam facere quod Patrum possit regulis obviare. Item, ne quis laicum ad ordinem clericatus admittat. Item, quod populus sit docendus (dist. 62, c. *Docendus*), non sequendus, eosque, si nesciunt quid liceat, quidve non, nos commonere, nec his consensum præbere debemus : *Quisquis vero conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram sedis apostolicæ minime defuturam. Quem enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est ut per severitatem congruentem regulis vindicemus.*

XLVI. — S. SIXTUS III.

(*Anno Christi* 432.)

Sixtus tertius, natione Romanus, ex patre Sixto, sedit annos octo, menses octo, dies novemdecim. Hic ordinavit episcopos quinquaginta duos, presbyteros octodecim, diaconos duodecim. Hic, quia Epiphanium quemdam nobilem [a], quem Bassus exconsul ingenuitate et prædiis propriis privare nitebatur, apud Valentinianum Augustum adeo juvit, ut utrumque ejus munitus chirographo retineret, a prædicto Basso et Mariniano, cui prædictus pontifex prædium negaverat, quod Crescentius in Sicilia Ro-

[a] Vide tom. I Concil., pag. 705.

manæ Ecclesiæ dederat, apud Augustum Valentinianum accusatus, quod Chrysogonam quamdam consecratam stuprasset : et tantum inde Augustus et mater ejus accensi sunt, ut a supradicti pontificis communione, et magna pars populi cum eis se suspenderent. Quapropter Valentinianus Augustus prædicti pontificis auctoritate synodum congregari jussit, in qua, licet aliter evadere posset, fugere volens suspicionem, coram quinquaginta sex episcopis se expurgavit. Nec ideo se expurgavit, sed ut aliis per hoc, qui noluerint, formam et exemplum daret; cum ex scripto et ordine synodali constet, illum debere crimen probare, qui objicit, et qui non probanda detulerit, jacturam se sustinere intelligat. Bassus vero a prædicta synodo est damnatus, et a Valentiniano Augusto proscriptus.

Hic Orientalibus episcopis direxit epistolam (*epist.* 1), in qua eis rescribit, a quo et qualiter prælictum jurgium contra eum sit excitatum, et quo et quali fine sit terminatum ; adjiciens in eadem epistola multa, quibus episcopi de reliquo muniti injustas oppositiones et malignorum accusationes secure rejicere valeant : quæ idcirco hic non inserimus, quia superius eadem persæpe adnotata esse meminimus. Prædicti papæ temporibus erat Hierosolymæ quidam episcopus [a], nomine Polychronius, qui imprudentia senectutis in superbiam ductus, se universalem pontificem esse affirmabat, qui clericos de quacunque provincia ad se venientes inconsiderate, et non sine pretio levitas et sacerdotes ordinabat, nec episcopum quemlibet absque digno munere consecrabat : et si ad ecclesiam illius regionis rogaretur consecrandam, non dabat auctoritatis suæ faculam, nisi decem auri libras accepisset in remunerationem. Unde Sixtus papa Romæ synodum octo episcoporum congregavit, et Euphemium episcopum, qui Polychronium de prædictis infamaverat, ut eadem coram omnibus fateretur, introduxit. Quo facto, tres episcopos, totidemque presbyteros, et duos diaconos electos, Hierosolymam miserunt. Qui congregatis illius regionis episcopis [septuaginta sex], et introductis quadraginta testibus, qui juxta Euphemii accusationem omnia comprobarunt vera esse de Polychronio, ipsum Polychronium damnarunt, et Euphemium etiam; ideo quia ipse pontificem suum accusaverat, qui eum consecraverat. Sed Polychronius postea, propter compassionem et eleemosynam quas civibus suis obsessis erogaverat, revocatus et restitutus est a Sixto in pristinam sedem.

XLVII. — S. LEO I.

(Anno Christi 440.)

Leo, natione Tuscus, ex patre Quintiano, sedit annos viginti et unum, mensem unum, dies tredecim. Hic ordinavit centum et nonaginta quinque [centum et octoginta quinque] episcopos, presbyteros autem octoginta et unum. Hic feliciter obiit IV Idus Aprilis. Hic epistolam destinavit universis episcopis per Campaniam, et in universis provinciis constitutis (*epist.* 1), in qua multa prohibuit, quæ et antecessores suos prohibuisse sæpe supra meminimus. Videlicet præcepit, ne illi, qui a dominis suis libertatem consequi minime potuerunt, et qui etiam originali alicui conditioni alligati sunt, ad sacerdotii fastigium provehantur (dist. 54, c. *Admittuntur*), nisi forte eorum petitio aut voluntas accesserit qui aliquid in eos sibi vindicant potestatis. 2. Jubet etiam apostolicæ sedis auctoritate, ab ecclesiasticis officiis et sacerdotali nomine arceri, si qui ex viduarum maritis, aut quibus fuerint numerosa conjugia, sunt admissi. 3. Decernit acriter vindicandum esse in eos clericos (14, q. 4, c. *Nec hoc*), qui usurariam pecuniam exercent, et in fenore ditescere quærunt : commonens etiam illud, ut, sicut non suo, ita non ex alieno nomine aliquis clericorum exercere fenus attentet, quia indecens est crimen suum commodis alienis impendere (dist. 46, c. *Sicut*).

Item in alia, quam universis Italiæ episcopis scripsit (*epist.* 2), ut diligenter Manichæos studeant circumquaque investigare, et a plebibus sibi commissis separare mandavit. Scripsit etiam omnibus episcopis per Siciliam constitutis epistolam (*epist.* 4), in qua arguit eos qui in sacramento illo, quod inter cætera Ecclesiæ sacramenta [ordine exsecutionis] principale est, id est in baptismo, a Romanæ Ecclesiæ consuetudine discrepabant, ita ut baptismi sacramentum numerosius in die Epiphaniæ, quam in Paschali tempore celebrarent; nullam differentiam credentes esse inter diem qua Christus adoratur a magis, et diem qua ipse resurrexit a mortuis; cum proprie in morte Crucifixi, et in resurrectione mortui potentia baptismatis novam creaturam condidit ex veteri, ut in renascentibus et mors Christi operetur et vita (*de Cons.* d. 4, c. *Proprie;* et c. *Si quis*). Trina enim submersio triduanam Christi sepulturam imitatur, et ab aquis elevatio resurgentis est instar de sepulcro. Ipsa ergo qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ diem legitimum eum esse, in quo orta est et virtus muneris, et species actionis. Additur autem sane huic observantiæ etiam Pentecostes ex adventu Spiritus sancti sacra solemnitas, quæ de paschalis festi pendet articulo (*de Cons.* d. 4, c. *Duo tempora*). Alios vero dies huic observantiæ miscendos esse prohibuit.

Scripsit idem prædictus papa Januario Aquilegiensi episcopo epistolam (*epist.* 3), in qua eum commonet, ne presbyteri, sive diaconi, vel subdiaconi, aut cujuslibet ordinis clerici qui ad catholicam fidem quam jampridem amiserant, rursum reverti ambiunt (2, q. 7, c. *Saluberrimum;* 1, q. 1, c. *Omnis*), in catholicam communionem recipiantur, prinsquam errores suos, et ipsos auctores erroris, a se damnari sine ulla ambiguitate fateantur : quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt quam ad desides negligentesque rectores, qui nihil

[a] Vide tom. I Concil., pag. 705.

tam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.

Item ad Rusticl Narbonensis episcopi consultationes respondens, epistolam scripsit (*epist.* 95), suadens ei, ut sanandis ægris spiritualem adhibeat medicinam, et dicente Scriptura : *Noli esse justus multum* (*Eccle.* VII), mitius cum eis agat, qui zelo pudicitiæ modum videntur excessisse vindictæ, ne diabolus, qui decipit adulteros, de adulterii exsultet ultoribus. Item, quia prædictus episcopus nimia adversitate turbatus vacationem ab episcopatus laboribus peroptabat, et vitam in silentio et otio degere magis, quam in his quæ sibi commissa fuerant, permanere dicebat, commonet eum prædictus papa permanere in opere credito, et in labore percepto, et constanter tenere justitiam, et benigne præstare clementiam. *Odio enim* (dist. 86, c. *Odio*) *sunt habenda peccata, non homines. Corripiendi sunt tumidi, tolerandi infirmi, et quod in peccantibus severius castigari necesse est, non sævientis plectendum est animo, sed medentis.* Item in eadem : 1. *Nulla ratio sinit* (dist. 62, c. *Nulla*), *ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus sunt expetiti, nec a provincialibus episcopis cum metropolitani judicio constituti* [*consecrati*]. *Unde, cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur; quis ambigat, nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse donatum? Si qui tamen clerici ab istis pseudoepiscopis in eis ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios episcopos pertinebant, et ordinatio eorum cum consensu et judicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita ut in ipsis ecclesiis perseverent. Aliter autem consecratio vana est habenda, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita.*

2. Item dicit, alienum esse a consuetudine ecclesiastica (dist. 50, c. *Alienum*), ut, qui in presbyterali honore, aut diaconii gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi. 3. Item eamdem legem continentiæ dicit esse ministris altaris, quæ episcopis atque presbyteris. Item dicit (dist. 31, c. *Lex*), non omnem mulierem viro junctam, esse viri uxorem, quia nec omnis filius hæres est patris. 4. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos dicit esse legitima, et inter æquales (32, q. 2, c. *Non omnis*); et cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit (27, q. 2, c. *Cum societas*), ut præter sexus conjunctionem haberet in se Christi et Ecclesiæ sacramenta (*Ephes.* V), dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur non fuisse nuptiale mysterium. Itaque si quis filiam suam viro cuilibet concubinam habenti in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi conjugato eam dederit; nisi forte illa prior mulier, et ingenua facta, et legitime dotata, et publicis nuptiis honestata videatur. Item, *paterno arbitrio viris conjunctæ carent culpa, si mulieres, quæ prius a viris habebantur, in matrimonio non fuerint : quia aliud est nupta, aliud concubina.* 5. Item, ancillam a toro abjicere (32, q. 3, c. *Ancillam*), et uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii est, sed profectus honestatis.

6. De his autem, qui in ægritudine pœnitentiam accipiunt (*de Pœnit.* d. 7, c. *Nemo*), et cum convaluerint eam agere nolunt, dicit talium negligentiam sane culpandam esse, sed non pœnitus desperandam, ut crebris cohortationibus incitati, quod necessario expetiverunt, fideliter exsequantur. 7. De his autem, qui jam deficientes pœnitentiam accipiunt, et ante communionem moriuntur, dicit ita : *Horum causa Dei judicio reservanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium non differretur* (24, q. 2, c. *De communione*). *Nos autem, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.* 8. De his autem, qui nimio dolore perurgente rogant sibi dari pœnitentiam (*de Pœnit.* d. 1, c. *Pœnitentia*), et cum Presbyter venit, daturus quod petebant, si dolor cessaverit, excusant, et nolunt accipere quod offertur, dicit : *Dissimulatio hæc potest non de contemptu esse remedii, sed de metu gravius delinquendi. Unde, cum pœnitentia studiose petitur, non negetur.* 9. De his qui pœnitentiam professi sunt, sed in foro litigare cœperint, sic dicit : *Aliud quidem est debita justa reposcere* (*de Pœnit.* dist. 1, c. *Aliud*), *aliud propria perfectionis amore contemnere; sed illiciterum veniam postulantem oportet etiam a multis licitis abstinere. Unde, si pœnitens habet causam, quam negligere forte non debet, melius expetit ecclesiasticum quam forense judicium.*

10. De his vero qui in pœnitentia vel postea negotiantur (*de Pœnit.* dist. 5, c. *Qualitas*), subjungit dicens : *Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit, quia est et honestus quæstus et turpis. Verumtamen pœnitenti utilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis obstringi, quia difficile est vendentis et ementis commercio non intervenire peccatum.* 11. (c. *Contrarium.*) *Contrarium enim est omnino ecclesiasticis regulis, cum Paulus dicat : « Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus (II Tim.* II).» *Unde non est liber a laqueis diaboli, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare.* 12. Illos qui in adolescentia, aut metu mortis, aut captivitatis periculo pœnitentiam gesserunt, dicit rem venialem fecisse [a], si postea timore lapsus incontinentiæ uxoris copulam elegerunt. In quo tamen dicit, non se regulam constituere, sed quid sit tolerabilius æstimare quia nihil magis congruit, qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans et mentis et corporis.

13. Item propositum monachi, proprio arbitrio ac voluntate susceptum (20, q. 3, c. *Propositum*), non posse absque peccato deseri, quia quod Deo quis vovit debet et reddere (*Psal.* XLIX). Unde, si relicta singularitatis professione ad militiam vel ad nuptias devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione pur-

[a] In recessu a perfectiori continentia.

gandus est; si innocens sit militia, et honestum possit esse conjugium, electionem tamen meliorum deseruisse, transmigratio est. 14. Item, puellæ quæ non parentum coactæ imperio (20, q. 1. c. *Puellæ*), sed spontaneo judicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, prævaricantur, etiamsi nondum gratia consecrationis accessit. 15. De his autem quæ jam consecratæ sunt, si postea nupserint, ambigi non potest crimen magnum admitti, ubi et propositum deseritur et consecratio violatur.

16. De parvulis a Christianis parentibus relictis, si nulla exstant indicia (*de Cons.* d. 4, c. *Si nullu*), quibus baptizati esse intelligantur, ne manifeste pereant, agendum est ut renascantur, quia quod gestum non ostenditur, non sinit ratio ut iteratum videatur. Similiter, si qui ab hostibus parvuli capti sunt, et cum redierint, et ipsi, et cæteri de eorum baptismate incertitudinem habent, conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur, quia non temeritas præsumptionis intervenit, ubi est diligentia pietatis. 17. Illos autem qui aliunde veniunt, et baptizatos quidem se sciunt (*de Cons.* d. 4, c. *Hi de quibus*), sed cujus fidei essent qui eos baptizarunt, se nescire fatentur, dicit non baptizandos esse, sed per manus impositionem catholicis esse copulandos. 18. Illi autem, qui parvuli baptizati, et a gentilibus capti sunt, si reversi communionem petierint, possunt sola manus impositione purgari, si convivio solo gentilium, et escis immolatitiis usi sunt; si autem idola adoraverint, aut homicidiis aut fornicationibus contaminati sint, ad communionem eos nisi per pœnitentiam publicam admitti non oportet.

1. Item, Anastasio Thessalonicensi primati prædictus papa aliam scripsit epistolam (*epist.* 82), in qua eum primo arguit, quia Atticum Ægypti metropolitanum injuste afflixerat, et ecclesiastico officio privaverat: ideo, quia vocatus adesse distulerat, infirmitatis tantum excusationem obtendens, et præfectum Illyrici ad miseriæ cumulum in eumdem Atticum incitaverat, cum a sede Romana episcopum deponere sibi commissum non fuerat, prædicto papa ita attestante: *Vices enim nostras ita credidimus tuæ charitati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* 2. Itaque quia modum mensuræ suæ exierat, quid servare totius usurpationis amputato excessu debeat, per singula prudenter informat, ita dicens: *Igitur* (25, q. 2, c. *Igitur*) *secundum sanctorum canones, metropolitanos episcopos jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita ut a præstitutis regulis nulla aut negligentia aut præsumptione discedant.* 3. De substituendis autem episcopis hanc servari jussit (dist. 32, c. *Omnium*), ut nec laicus, nec neophytus, nec secundæ conjugis maritus, aut qui viduam habeat, vel habuerit, episcopus ordinetur; et cum de ipsius episcopis electione tractabitur, ille omnibus præponetur, quem cleri plebisque consensus concorditer postularit, 4. ita ut, si forte in aliam personam A partium se vota diviserint (dist. 63, c. *Si forte*), metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus et studiis juvatur et meritis: tantum, ut nullus invitis populis et non petentibus ordinetur, ne civitas invita episcopum non optatum aut contemnat aut oderit, et fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuerit habere quem voluerit. 5. Metropolitano vero defuncto (dist. 63, c. *Metropolitano*), cum in ejus locum alius fuerit subrogatus, provinciales episcopi ad civitatem metropolim convenire debebunt, ut omnium clericorum atque civium voluntate discussa, ex presbyteris aut diaconis illius ecclesiæ optimus eligatur. Et jussit provinciales de nomine metropolitani, et similiter metropolitanum de persona cujuslibet consecrandi B episcopi, ad primatis referre notitiam, ut ordinatio rite celebranda sua firmetur auctoritate. 6. De conciliis autem episcoporum (dist. 18, c. *De conciliis*) præcepit, sicut sancti Patres salubriter ordinarunt, ut bis per annos singulos celebrentur. 7. Item, præcepit, ut episcopus, qui civitatis suæ mediocritate despecta majorem ambierit (7, q. 1, c. *Si quis*), et ad ipsam se contulerit, ab aliena pellatur cathedra, sed et carebit et propria. Item, præcepit ut ad exhibendam perfectæ continentiæ puritatem nec subdiaconis carnale connubium concedatur. 8. Interdixit etiam, ne aliquis alienum clericum invito ipsius episcopo suscipiat (19, q. 2, c. *Alienum*), et non sollicitet, nisi id inter dantem et accipientem convenerit.

C Item beatus et discretissimus papa Nicetæ Aquilegiensi episcopo postulanti epistolam destinavit (*epist.* 77), in qua pro inspectione temporalium necessitatum, curatione adhibita, deliberatione salubri mandavit 1. ut mulieres, quæ viris propriis captis, et in captivitatem abductis, aliis interim nupserant (34, q. 1, et 2, c. *Cum per*), prioribus viris de captivitate regressis reddi debeant, quia scriptum est *quod mulier a Deo jungitur viro* (*Prov.* XIX); et: *quod Deus junxit, homo non separet* (*Matth.* XIX). Non tamen culpabilis judicandus est, et tanquam alieni juris pervasor habendus, qui personam ejus mariti, qui jam existimabatur non esse, assumpsit. 2. Si vero aliquæ mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ ut malint his cohærere quam ad D legitimum redire consortium, dixit eas merito esse notandas, ita ut etiam ecclesiastica communione priventur: quia de re excusabili contaminationem criminis elegerunt, ostendentes sibimet pro sua incontinentia placuisse, quod justa remissio poterat expiare. 3. De his, qui ad iterandum baptismum, vel metu coacti, vel errore traducti sunt (26, q. 7, c. *Tempora*), et contra catholicæ fidei sacramentum egisse cognoscuntur, ea moderatione statuit cum eis esse agendum, ut per pœnitentiæ remedium, et per impositionem manus episcopalis, communionis unitatem recipiant.

Cum de ordinationibus sacerdotum in partibus Cæsariensis episcopi ejusdem provinciæ fierent

multa illicita, prædictus papa universis episcopis ejusdem provinciæ scripsit (*epist.* 85), arguens eos (dist. 61, c. *Miramur*), quod ambientium præsumptio, et popularis tumultus intantum apud eos valebat, ut indignis quibusque pastorale fastigium et Ecclesiæ gubernatio crederetur; dicens hoc non esse consulere populis, sed nocere; nec præstare regnum [régimen], sed augere discrimen, quia integritas præsidentium salus est subditorum; et ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Principatus autem (1, q. 1, c. *Principatus*), quem aut seditio extorsit et contulit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus atque non actibus offendit, ipsius tamen initii sui est periculosus [perniciosus] exemplo; et difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Non ergo in cujusquam persona permittendum est, quod in institutis generalibus continetur: nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit contra divinæ legis præcepta collatus. Item inferius: Omnis ecclesiastica disciplina dissolvitur, omnis ordo turbatur, dum in Ecclesia, qui nullum subierunt ministerium perverso eligentium judicio indebitum obtinent principatum. Item in eadem inferius: *Si qui episcopi talem consecraverint sacerdotem* (1, q. 1, et 25, q. 2, c. *Si qui*), *qualem esse non licuit, etiamsi aliquo modo damnum proprii honoris evaserint, ordinationis tamen jus ulterius non habebunt, nec unquam ei sacramento intererunt, quod neglecto divino judicio immerito præstiterunt.*

Item, Theodoro Forojuliensi episcopo aliam scripsit epistolam (*epist.* 89), in qua de his, qui in extremis pœnitentiam petunt, eum sic instruit: *Sollicitudinis tuæ is ordo esse debuerat, ut cum metropolitano tuo primitus de eo quod quærendum esse videbatur, conferres, sed ut quoquo modo instruatur ambiguitas consulentis, quid de pœnitentiæ statu ecclesiastica habeat regula, non tacebo* (dist. 1, *de Pœnit.*, c. *Multiplex*). *Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et petentibus* [*confitentibus*] *actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Si quis autem eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocunque interceptus obstaculo a munere indulgentiæ præsentis exciderit, et priusquam ad constituta remedia pervenerit, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit.* Et inferius: *His autem* (26, q. 6, c. *His qui*) *qui in tempore necessitatis et periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, et mox reconciliationis implorent, nec satisfactio interdicenda, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Propheta:* « *Cum conversus* (*Ezech.* XXXIII), » etc. *Si etiam amisso vocis officio, per integra sensus indicia postulant, non negetur illis actio pœnitentiæ, nec gratia communionis. Et si aliqua ægritudinis vi ita fuerint aggravati, ut, quod paulo ante poscebatur, sub præsentia sacerdotis significare non valeant testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiæ et reconciliationis beneficium consequantur, servata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas, qui in Deum a fide discedendo peccaverint.*

Idem papa in epistola ad Nicetam Aquilegiensem episcopum directa (*epist.* 84) dicit: *Si quisquam salubribus præceptis satisfacere detrectaverit, sive ille sit clericus, sive laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur.*

Item, in epistola ad Dioscorum Alexandrinum episcopum missa (*epist.* 79) præcepit ut in solemnitatibus, quoties basilicam, ad quam itur, præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur.

Item, in epistola universis Campaniæ episcopis missa (*epist.* 78) interdicit ne a postulantibus pœnitentiam professio publice recitanda quæratur (*de Pœnit.* dist. 1, c. *Quamvis*); quia sufficit solis sacerdotibus conscientiarum delicta indicare confessione secreta. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Domino offertur, tunc etiam sacerdoti, qui peccatis pœnitentium precator accedit.

Item, in illa epistola, quam Galliæ regionis episcopis scripsit (*epist.* 86), affirmat chorepiscopos non alterius potestatis esse quam presbyteri sint. Chore enim villa dicitur: inde chorepiscopi villani presbyteri intelliguntur, qui nec frontes signare, nec in missa quemquam possunt pœnitentem reconciliare.

XLVIII. — S. HILARIUS.

(*Anno Christi* 461.)

Hilarius, natione Sardus, ex patre Crispino, sedit annos sex, menses tres, dies decem. Hic ordinavit episcopos viginti duos, presbyteros viginti quinque, diaconos sex. Hic Romæ multorum episcoporum synodum congregavit (*syn. Romana*, cap. 2, 3, 4), in qua omnium collaudatione corroboravit; ne quis, qui uxorem non virginem, et qui secundam duxit, et inscii litterarum, necnon et aliqua membrorum damna perpessi, et hi, qui ex pœnitentibus sunt, ad sacros ordines aspirare audeant. Item, et quodcunque quis commisit illicitum, aut a prædecessoribus suis invenit admissum, si proprium vult vitare periculum, damnabit. Item, generaliter interdixit ne quis unquam successorem sibi subrogare præsumat.

Item, in alia epistola, quam Ascanio episcopo destinavit (*epist.* 3), illos episcopos, qui sine metropolitani consensu consecrati fuerint, stare concessit, ita dicens: *Licet hi, qui præter notitiam atque consensum tuæ dilectionis ordinati sunt sacerdotes, cum suis debuerant auctoribus submoveri; ne quid tamen in necessitate tanta decernamus austerum, eos, qui episcopi facti sunt, ita volumus permanere, si apostolicis præceptionibus et sanctorum Patrum statutis non reperiantur obnoxii, ac deinceps nihil, quod*

contra ecclesiasticam disciplinam veniat, sicut hactenus factum est, perpetretur.

XLIX. — S. SIMPLICIUS.

(*Anno Christi* 467.)

Simplicius, natione Tiburtinus, et ex patre Castino, sedit annos quindecim, mensem unum, dies octodecim. Hic ordinavit episcopos triginta sex, presbyteros quinquaginta octo, diaconos undecim. Hic obiit VI Nonas Martii. Hic constituit ut presbyteri ad S. Petrum, et ad S. Paulum, et ad S. Laurentium manerent propter baptismum. Hic Joanni Ravennati episcopo epistolam scripsit (*epist.* 2), in qua eum arguit quod Gregorium violenter episcopum consecraverat, dicens *illum privilegium mereri amittere, qui permissa sibi abutitur potestate* (11, q. 3, c. *Privilegium*). Et inferius in eadem : *Denuntiamus autem, quod, si posthac quidquam tale præsumpseris, et aliquem seu episcopum, seu presbyterum, aut diaconum invitum facere forte credideris, ordinationes tibi Ravennatis Ecclesiæ, vel Æmiliensis, noveris auferendas.*

Item, aliam epistolam scripsit (*epist.* 3) Florentino [Florentio], Equitio et Severo episcopis, in qua Gaudentio Aufiniensis Ecclesiæ sacerdoti, quia contra statuta canonum et sua præcepta illicitas ordinationes perpetraverat, totam penitus ordinandi potestatem auferri præcepit, et Severum in supradicta ecclesia fungi illo officio injunxit, quo ille abusus esset convictus. Item, præcepit ut ministeria Ecclesiæ, quæ alienata a prædicto Gaudentio fuerant, instantia prædicti fratris, id est Severi, præsumptor reparare cogatur (12, q. 2, c. *De redditibus*).

L. — S. FELIX III.

(*Anno Christi* 483.)

Felix, natione Romanus, ex patre Felice presbytero, de titulo Fasciolo, sedit annos octo, menses undecim, dies octodecim. Hic ordinavit episcopos triginta et unum, presbyteros viginti septem, diaconos quinque. Fuit autem hic usque ad tempora Theodorici regis. Hic in epistola, quam destinavit universis episcopis per diversas provincias constitutis (*epist.* 1), mandavit, episcopos, presbyteros, diaconos, spontaneos seu coactos rebaptizatos, si resipiscunt, usque ad exitus sui diem in pœnitentia oportere jacere, ita ut nec etiam catechumenorum orationi intersint, et communio laica eis tantum in morte reddatur. Cæteros autem (*de Cons.* dist. 4, c. *Eos quos*), id est clericos sive monachos, vel monachas, seu laicas, utriusque sexus personas, quos violentia et periculo coactos iterationem baptismi subisse constiterit, vel qui aliquo commento se hujusmodi facinoris maculis dixerint non teneri ; in pœnitentia per triennium durare decernit, et per manus impositionem ad societatem recipi sacramenti, illo per omnia servato, ut nemo eorum ad ecclesiasticam militiam permittatur accedere. Illud etiam maxime cavendum instituit, ne quis episcoporum aut presbyterorum in alterius civitate, vel sub manu positum sacerdotis, aut eum qui reconciliatum se esse dixerit, sine episcopi vel presbyteri testimonio et litteris, aut in parochia presbyter aut episcopus in civitate suscipiat. Prædicti papæ temporibus Glycerius imperator[a], quia eo in tempore episcopatus ex parte maxime pretio plus quam merito contingebat, edictum inde instituit dicens : *Hoc mansura in ævum lege sanximus, ut quisquis ad episcopatum potentum personarum auxilio suffragante perveniens, sæculariter possideat, quæ sæculariter fuerit consecutus, ut finitis unius anni metis noverit se episcopatu esse privandum. Hi vero qui talem consecraverint pari de sacerdotio sorte dejecti, similes pœnas temerariæ consecrationis exsolvant. Cives quoque uniuscujusque urbis, quos acclamationes ambientium, non personæ dignitas, quæ petenda est, sed venalitas plectenda, sollicitat ; sciant se patriæ, cui tam male consuluni, habitatione pellendos, ac de suis facultatibus eruendos, fiscoque nostro esse permissos.*

[a] De Glycerio vide Baron. ad ann. Domin. 474.

LI. — GELASIUS.

(*Anno Christi* 492.)

Gelasius, natione Afer, ex patre Valerio, sedit annos quatuor, menses octo, dies octodecim. Fuit autem temporibus Theodorici regis et Zenonis Augusti. Hic ordinavit episcopos sexaginta septem, presbyteros triginta duos, diaconos duos. Hic migravit ad Christum XI Kalend. Decembr. Hic generale decretum destinavit ad universos episcopos per Lucaniam, et Brutios et Siciliam constitutos (*epist.* 1), de ecclesiasticis institutis moderate pro temporis qualitate disponendis (dist. 55, c. *Priscis*) ; quæ, ubi nulla rerum vel temporum perurget necessitas, regulariter custodienda præcepit. Sed quia suis in temporibus in multis locis Italiæ officia clericalia belli famisque incursio consumpserat, ita ut usquequaque ministrorum servitium deficeret, sic paternorum canonum decreta libravit, ut clericum quemlibet a primo usque ad ultimum gradum infra anni spatium promovendum concederet (dist. 77, c. *Si quis*). Laicum vero infra annum et sex menses, si nihil eorum, quæ canonum censura prohibet, eis occurreret. Et his institutis, quæ temporum necessitas fieri postulabat, paternorum canonum veterem formam esse instituit, quia non adversus majorum scita nova lege proponitur, quod de accidentis defectus remedio providetur.

Item, prohibuit ut in baptizandis consignandisque fidelibus nulla pretia exigantur (1, q. 1, c. *Baptizandis*), et, si qui hoc perpetrasse fuerint deprehensi, proprii honoris periculum sunt subituri. Item jussit, ut presbyteri modum debitum servent (dist. 93, c. *Presbyteros*), videlicet, non chrisma conficiant, non consignent, nec præsente quolibet episcopo, nisi jubeantur ab ipso, vel orare vel sedere præsumant nec acolythum nec subdiaconum faciant. Diaconos etiam (dist. 93, c. *Diaconos*) suam mensuram servare præcepit, scilicet, ut absque episcopo vel presbytero

baptizare non audeant, nisi his longe constitutis necessitas extrema compellat : quod et laicis Christianis facere plerumque conceditur. Item, prohibuit ne ipsi in presbyterio sedeant, aut sacri corporis prærogationem sub conspectu episcopi vel presbyteri jus habeant exercendi, licet his absentibus. Item, dicit observantiam, quam sedes apostolica pio devotoque proposito tenere studet (*de Cons.* dist. 1, c. *Basilicas*), eam quemquam pontificum vel sequentium ordinum, refutare indignum est.

Item, jubet ordinationes presbyterorum et diaconorum non fieri nisi certis diebus (dist. 75, c. fin.), id est, quarti et septimi et decimi mensis jejunio, et etiam in Quadragesimæ initio, et mediana quadragesimali die Sabbati circa vesperam celebrandas esse sancivit. Virgines autem (20, q. 1, c. *Devotis*) nisi in Epiphania, aut Albis Paschalibus, aut apostolorum natalitiis velare prohibuit, nisi ipsæ languore correptæ implorent, ne de hoc sæculo sine hoc munere exeant. Prohibuit etiam quod nec divina auctoritas delegit, nec forma canonum præstituit, et ita eis ecclesiastica sunt inferenda præsidia, ut nihil committatur illicitum. Item, jubet (dist. 54, c. *Generalis*), ne quis episcopus, presbyter, aut diaconus, aut aliqui eorum, qui monasteriis præesse noscuntur, servum aut originarium nolentibus dominis retineat, ecclesiasticæ servituti, vel religiosis congregationibus applicet, nisi dominorum voluntate sub testimonio scripturæ prius absolvantur ; alioquin proprii honoris periculum se subituros esse non ambigant.

Item, de Clericis (14, q. 4, c. *Clerici*), qui negotiationibus imminent, dicit : *Proinde hujusmodi aut ab indignis posthac quæstibus noverint abstinendum, et ab omnibus cujuslibet negotiationis ingeniis, cupiditateque cessandum, aut in quocunque gradu positi sint, mox a clericalibus officiis abstinere cogantur.* Item, dicit illis (dist. 35, c. *Usque adeo*) qui dæmoniis aliisque passionibus irretiti sunt, mysteria sacra tractare non liceat. Illos autem, qui se sacris virginibus temere sociant, et post dicatum Deo propositum, incesta sacrilegaque miscent fœdera, protinus a sacra communione jubet detrudi, et nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi ; sed his de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, Viaticum dandum esse concessit. Secundas nuptias laicis quidem non negat : ad clericale venire collegium eosdem penitus vetat. Item, dicit : Quisquis propriam Ecclesiam deserens, ad aliam, nullis existentibus causis, putaverit transeundum, temereque fuerit susceptus et promotus ; vel ipse, vel susceptor ejus, reverendorum canonum atque præceptorum constituta non effugiet, quæ de hujusmodi præsumptoribus præfixere servanda. Item, inferius dicit : *Quos constiterit indignos meritis sacram mercatos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri, non sine periculo facinus tale perpetrantes, quia dantem simul et accipientem damnatio Simonis, quam sacra lectio testatur, involvit* (*Act.* VIII).

Item, arguit eos qui novas basilicas sub defunctorum nomine absque præcepto sedis apostolicæ præsumebant sacrare (*de Cons.* d. 1, c. *De locorum*). Quod ideo facit, quia multi eo in tempore etiam in nomine infidelium defunctorum constructiones ædificabant, et sacris processionibus audacter instituebant. Item, valde arguit, et duriter increpat, et sub honoris proprii dispendio jacere affirmat sacerdotes illos qui feminas sacris altaribus ministrare, et cuncta, quæ non nisi virorum famulatui sunt deputata, sexum, cui non competit, exhibere faciunt et permittunt. Item, jubet, tam de redditu quam de oblatione fidelium quatuor fieri portiones (12, q. 2, c. *Quatuor*) ; quarum una sit pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis est applicanda, et hanc huic operi veraciter prærogatam locorum doceat instauratio sanctorum manifesta : *quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum præsul impendia his designata convertat. Ipsam nihilominus ascriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur ; tamen oportet etiam præsenti testificatione prædicari, et bonæ famæ præconiis non taceri.* Et, ne illa quæ præmiserat negligantur, subinfert : *Nec clericorum quisquam* (2, q. 2, c. *Quapropter*) *se hujus offensæ futurum confidat immunem, si in hisque salubriter sequenda deprompsimus, sive episcopum, sive presbyterum, sive diaconum viderit excedentem, si non protinus ad aures nostras deferre curaverit, probationibus duntaxat competenter adhibitis, ut transgressoris ultio fiat, et cæteris interdictio delinquendi.*

Item in epistola Siculis episcopis destinata (*epist.* 2) dicit : *Præsulum nostrorum emanavit auctoritas* (16, q. 3, c. *Præsulum*), *ut facultates ecclesiæ episcopi ad regendam habeant potestatem ; ita tamen ut viduarum, pupillorum atque pauperum, necnon et clericorum stipendia distribuere debeant.* Item inferius : *Si facultates Ecclesiæ* (13, q. 2, c. *Facultates*), *necnon et diœceses, quæ ab aliquibus possidentur episcopis, jure sibi vindicent, quod tricennalis lex conclusit : quia ita imperatorum emanat auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus exclusit.*

Idem papa breviter adnotavit, quid de Scripturis divinis catholica Ecclesia suscipiat, et quid vitare debeat. Et de Veteri Testamento dicit : Genesis librum unum, Exodi librum unum, Levitici librum unum, Numeri librum unum, Deuteronomii librum unum, Jesu Nave librum unum, Judicum librum unum, Ruth librum unum, Regum libros quatuor, Paralipomenon libros duos, Psalmorum librum unum, Salomonis libros tres, Proverbiorum lib. 1, Ecclesiastis librum 1, Cantica canticorum librum 1, Sapientiæ librum 1, Ecclesiastici librum 1, Isaiæ librum 1, Jeremiæ lib. 1, Ezechielis librum 1, Danielis librum 1, Osee librum 1, Amos lib. 1, Michææ librum 1, Joelis librum 1, Abdiæ librum 1, Jonæ librum 1, Nahum librum 1, Habacuc librum 1, Sophoniæ librum 1, Aggæi librum 1, Zachariæ librum 1,

Malachiæ librum 1; historiarum vero veterum, Job librum 1, Tobiæ librum 1, Esdræ libros duos, Esther librum 1, Judith librum 1, Machabæorum libros duos. De Scripturis autem Novi Testamenti recipit Evangeliorum libros 4 Matthæi, Marci, Lucæ, et Joannis; item Actus apostolorum librum unum: Epistolas vero Pauli quatuordecim, Apocalypsis Joannis librum unum; item canonicas Epistolas septem, Petri apostoli duas, Jacobi unam, Joannis tres, Judæ Zelotis apostoli unam.

Item sancta Romana Ecclesia non prohibet suscipi sanctam synodum Nicænam, in qua Arius damnatus est: sanctam synodum Constantinopolitanam, in qua Macedonius item damnatus est: et Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est: et Calcedonensem, in qua Nestoriana et Eutychiana hæresis simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnatæ sunt, et si qua sunt a sanctis Patribus concilia hactenus instituta, post istorum quatuor auctoritatem custodit et recipit. Hæc etiam opuscula sanctorum Patrum in Ecclesia recipiuntur: Opuscula Cæcilii, Cypriani martyris et episcopi, Gregorii Nazianzeni, Basilii Cappadoceni episcopi, Athanasii Alexandrini, Joannis Constantinopolitani, Theophili Alexandrini, Cyrilli Alexandrini, Hilarii Pictaviensis, Ambrosii Mediolanensis, Augustini Hipponensis, Hieronymi presbyteri, Prosperi, Leonis papæ epistola ad Flavianum episcopum destinata [a], contra cujus textum quispiam si usque ad unum iota disputavit, et non eam venerabiliter suscepit, anathema sit. Item, opuscula et tractatus omnium Patrum orthodoxorum, qui in nullo a sancta Romana Ecclesia deviaverint, legenda decrevit.

Item, decretales epistolas, quas Romani pontifices scripserunt; item, sanctorum martyrum gesta. Sed quædam eorum ideo a Romana respuuntur Ecclesia, quia eorum qui scripsere nomina penitus ignorantur. Item Vitas Patrum Pauli et Antonii, et omnium eremitarum; quas tamen vir beatissimus descripsit Hieronymus. Item, Actus Silvestri papæ, licet scriptoris nomen ignoretur. Item, scripturam de Inventione sanctæ crucis, et aliam scripturam de Inventione capitis Joannis Baptistæ recipiendas esse, et cum cautela legendas. Item, de Rufino et Origene ita sentimus, sicut Hieronymus de ipsis sensit et notavit. Chronicum Eusebii Cæsariensis, et ejusdem Ecclesiasticæ Historiæ libros propter singularem notitiam non usquequaque Ecclesia abjicit. Item Orosii historiam laudat, et opus Sedulii et Juvenci.

Ista autem, quæ sequuntur, apocrypha esse dicit, et penitus respuenda: In primis Ariminensem synodum; item, Itinerarium Petri apostoli, quod dicitur Clementis; Actus Andreæ apostoli, Thomæ apostoli, Petri apostoli, Philippi apostoli, Evangelium Thadæi apostoli, et Jacobi Minoris, et Barnabæ et Thomæ et Bartholomæi, et Andreæ; et Evangelia, quæ falsavit Lucianus, et quæ falsavit Ysithius; librum de Infantia Salvatoris, et de Nativitate ejus, et de Maria vel obstetrice; et librum, qui dicitur Pastoris; et illos libros, quos fecit Leutius; et illum librum, qui dicitur Fundamentum; et qui appellatur Thesaurus; et librum de Filiabus Adæ; et Actus Theclæ et Pauli apostoli; et librum qui dicitur Nepotis, et librum Proverbiorum, Sixti nomine prænotatum; et Revelationem, quæ dicitur Pauli apostoli; et illam, quæ dicitur Thomæ; et illam, quæ dicitur Stephani: item, librum qui dicitur Transitus, id est assumptio S. Mariæ; et librum de Pœnitentia Adæ: et de Ogia gigante; et librum, qui dicitur Testamentum Job; et librum, qui dicitur Pœnitentia Jamne et Mambre; et qui dicitur Judæ apostoli; et qui dicitur canones apostolorum; et qui dicitur Sortes apostolorum: et qui dicitur Physiologus, ab hæreticis conscriptus, et B. Ambrosii nomine signatus; et Historiam Eusebii Pamphili: et Opuscula Tertulliani, et Lactantii, et Africani, et Posthumiani, et Galli, et Montani, et Priscillæ, et Maximillæ, et Fausti Manichæi, et Commodiani, et alterius Clementis Alexandrini, et Tharsi Cypriani, et Arnobii, et Thonii, et Cassiani presbyteri Galliarum, et Victorini Pictaviensis episcopi, et Fausti Regiensis Galliarum, et Frumentini cæci; Contende [*f.* Comment. de] Christo; et epistolam Jesu ad Abagarum, et Abagari ad Jesum: et passionem Quirici, Julittæ, et Georgii: et scripturam quæ appellatur Salomonis contradictio; phylacteria omnia, quæ non angelorum, sed dæmonum nominibus conscripta sunt.

Hæc, et his similia, quæ docuere Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus et Bonosus, et qui simili errore defecerunt: Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus; Apollinaris, Valentinus, sive Manichæus, Faustus, Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabatius, Callistus, Donatus, Eustachius, Jubianus, Pelagius, Julianus Edanensis, Cœlestinus, Maximianus, Priscillianus, Nestorius Constantinopolitanus, Dioscorus, Eutyches, Petrus, et alius Petrus; e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit: Acatius Constantinopolitanus cum consortibus suis: necnon et omnes hæreses, quas ipsi eorumque discipuli, sive schismatici, docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minime retinentur, non solum repudiata, verum etiam ab omni catholica Romana Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus, sub anathematis insolubili vinculo confitetur prædictus papa Gelasius esse damnata.

Gelasius prædictus papa (*in tomo de anathematis Vinculo*) multa rationabiliter ponit contra eos qui dicunt hominem anathematis vinculo innodatum jam solvi posse, quia insolubile et perpetuum est vinculum anathematis, ita inter cætera dicens: *Qui in errore sunt, sententia erroris obstricti sunt: et*

[a] De hanc B. Leonis epistola vide Covarruviam lib. IV Variar., c. 16, n. 6.

quan in in eo manent, nullatenus absoluti sunt; sicut A *nec ipse error, in quo sunt, absolvetur. Error enim ipse nunquam veniam promeretur, sed qui eo veraciter carnerit, atque ab ejus participatione discedit. Quandiu ergo error in eis est, damnationem suam tenet, et nunquam absolvitur, quia error semper pœnam meretur. Participes vero ejus, aut semper sunt ejus pœnæ participes, si in eodem perstare non desinant; aut si ab eodem recesserunt, quantum alieni ab errore facti sunt, et ab ejus participatione discreti, tantum et a pœna ejus eruni consequenter alieni. Erranti enim hæc eadem pœna præfigitur, quandiu manet errans, eadem pœna constringitur, quia errans non potest esse sine pœna. Erranti* [pœna errati] *enim hæc eadem pœna perpetua est, et nunquam solvenda, quandiu errans esse perstiterit; quia si errans esse destiterit,* B *pœna, quæ erranti est præfixa, perpetua non erranti, id est, alteri effecto, quam cui præfixa est, non solum potest esse perpetua, sed jam nec esse pœna : non est enim ipse, cui præfixa est; erranti enim præfixa est, non, non erranti. Quæ enim erranti præfixa est perpetua est, et perpetuo constringit errantem; non errantem, non potest jam tenere.* Item inferius : *Quod in Acatii sententia rationabiliter intuendum est; in qua si dictum est, Nunquam es resolvendus, non est tamen adjectum : Etiamsi resipueris, etiamsi ab hoc errore discesseris, etiamsi prævaricator esse destiteris. Quapropter in aperto est ita dictum : Nunquam solvendus; sed talis scilicet, qualis et ligatus est, non autem talis effectus, sicut ligatus* [qui sicut ligandus] *non erat, sic absolutus esse docebitur : sicut carebat* C *obligatione* [enm obligationis causa] *si causa caruisset, sic utique absolutus existeret, qualenus et ipse non necessitate dictæ sententiæ videretur quodammodo non posse jam solvi, non* [nam] *talis effectus, et obligatione carens fieret absolutus, et circa tales præfixa sententia nullo modo insolubilis redderetur. Sed quia nec ipse quæsivit, nec quærens objectus ipse in se insolubilem fecit esse scientiam, qui talis permanere delegit, qualis veraciter non possit absolvi, et voluit talis effici, circa qualem effectum non habet licentiam permanendi.* Item inferius in eodem dicit : *Inferior quippe sedes potiorem absolvere non potest. Sola ergo potior inferiorem convenienter absolvit.*

Item in commonitorio Fausti magistri legationis officio fungentis ita dicit : *Veniam sibi dari proponunt. Legatur* (22, q. 2, c. *Legatur*), *ex quo est religio Christiana, vel certe detur exemplum in Ecclesia Dei a quibuslibet pontificibus, ab ipsis apostolis, ab ipso denique Salvatore, veniam, nisi corrigentibus,* D *non fuisse concessam : auditum autem ab isto zelo* [sub isto cœlo] *nec legitur omnino, nec dicitur, quod eorum voce depromitur, Date nobis veniam, ita ut nos* [dum tamen nos] *in errore duremus.* Item inferius : *Mortuos suscitasse legimus Christum* (*Matth.* IX; *Marc.* V; *Joan.* XI), *in errore mortuos absolvisse non legimus. Et qui hoc certe faciendi solus habuit potestatem, beato Petro principaliter mandat apostolo :* Quæcunque ligaveris super terram, ligata erunt et in cœlo : et quæ solveris super terram, erunt soluta et in cœlo (*Matth.* XVI). *Super terram, inquit : nam in hac legatione defunctum nunquam dixit absolvi. Quod ergo nunquam factum est, vel mente concipere formidamus, scientes, in divino judicio non posse penitus excusari.* Item inferius : *Nullum fas est nobis cum hominibus alienæ communionis inire certamen, divina Scriptura monente :* Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita (*Tit.* III) *sciens, quia hujusmodi delinquit homo, et proprio judicio condemnatur.* Item, inferius : *Remitti culpa de præterito potest, correctione sine dubio subsequente : nam si deinceps fingitur* [*sinitur*] *mansura perversitas, non est benignitas remittentis, sed consentientis* [assensio] *annuntiatio.*

Item, prædictus papa in epistola, quam destinavit Anastasio imperatori, dicit (dist. 95, c. 2) : *Duo sunt quippe, imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur : Auctoritas sacra pontificum, et regalis potestas; in quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino examine sunt reddituri rationem. Impeti possunt humanis præscriptionibus, quæ divino sunt judicio constituta; vinci autem quorumlibet potestate non possunt. Item scriptum legisti :* « *Meliora sunt amici vulnera, quam inimici oscula* (*Prov.* XXVII). »

LII. — S. ANASTASIUS II.

(*Anno Christi* 497.)

Anastasius, natione Romanus, ex patre Petro, sedit annum unum, menses undecim, dies viginti duos. Fuit autem temporibus Theodorici regis. Hic ordinavit episcopos sedecim, presbyteros duodecim. Obiit autem XIV Kalend. Decembris. Hic in epistola, quam Anastasio imperatori direxit, inter cætera probat, eos, quos Acacius baptizavit, vel ordinavit etiam post damnationem suam, nullam portionem læsionis attingere, dicens : *Nam, secundum Ecclesiæ catholicæ consuetudinem* (dist. 19, c. *Secundum*), *serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his, vel quos baptizavit Acacius, vel quos sacerdotes vel levitas secundum canones ordinavit, ulla ex nomine Acacii portio læsionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma videatur. Nam et baptismum, quod procul sit ab Ecclesia, sive ab adultero, sive a fure sit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum : quia vox illa qua declaratur ac dicitur :* Hic est qui baptizat in Spiritu sancto et igni (*Matth.* III), *omnem maculam humanæ pollutionis excludit.* Item ad idem probandum subjungit : *Nam et Judas, cum fuerit sacrilegus et fur, quidquid egit inter apostolos, pro dignitate commissa beneficia per indignum data nulla ex hoc detrimenta senserunt.* Item ad idem inferius : *Quidquid ad hominum provectum quilibet in Ecclesia minister pro officio suo videtur operari, hoc totum continet impendo* [contineri implente] *divinitatis effectu, ita et ille* [ita ille], *per quem Christus loquitur, Paulus affirmat :* « *Ego plantavi, sed Dominus incrementum dedit* (*I Cor.* III). » *Et hic, cujus nomen dicimus esse reti-*

cendum, male bona ministrando, sibi tantum nocuit. Nam inviolabile sacramentum, quod per illum datum est, aliis perfectionem suæ virtutis obtinuit. Quod si est [Quod cum ita sit] aliquorum intantum se extendens curiosa suspicio, ut imaginentur prolata [prolato] a papa Felice judicio, postea inefficaciter in sacramentis, quæ Acacius usurpavit, egisse ac perinde eos metuere, qui vel in consecrationibus, vel in baptismate mysteria tradita susceperunt, ne irrita divina beneficia videantur, meminerint in hac quoque parte similiter tractatum prævalere superiorem, quia non sine usurpato hoc nomine sacerdotum adjudicatus hoc egit, in quo virtutem suam obtinentibus mysteriis, in hoc quoque aliis rea sibi persona non nocuit. Nam et ad illum pertinuit, quod tuba Davidica canitur ita: Verumtamen Deus conquassabit capita inimicorum (*Psal.* LXXXVII), *etc. Nam semper superbia sibi, non aliis ruinam facit. Unde, cum sibi sacerdotis nomen usurpaverit condemnatus, in ipsius verticem superbiæ tumor inflictus est; quia non populus, qui in mysteriis [minis eri s] donum ipsius sciebat [sitiebat], exclusus est, sed anima sola, quæ peccaverat, judicio justo proprie erit obnoxia: quod ubique numerosa Scripturarum testatur auctoritas [instructio].*

A prædicti vero papæ communione, sicut in gestis Romanorum pontificum legitur, multi ex clero Romanorum urbis se suspenderunt; ideo, quia sine consilio eorum Photino Thessalonicensi diacono communicavit, qui erat communionis Acacii: et quia occulte Acacium voluit revocare, sed divino nutu percussus, ad effectum hoc perducere non potuit.

LIB. — S. SYMMACHUS.

(*Anno Christi* 498.)

Symmachus, natione Sardus, ex patre Fortunato, sedit annos quindecim, menses septem, dies viginti septem. Hic ordinavit episcopos centum et octodecim, presbyteros nonaginta, diaconos sedecim. Fuit autem temporibus Theodorici regis, et Anastasii Augusti. Hic et Laurentius uno die in contentione ordinati sunt: Symmachus in Lateranis, Laurentius in ecclesia B. Mariæ. Et quia hujus dissensionis seditio apud ipsas partes terminari non potuerat, uterque Ravennam ad regium judicium missi sunt; sed Symmachus Theodorici regis judicio in sedem reductus est et firmatus eo quod major et dignior pars cleri et plebis suæ electioni consenserat: Laurentius autem a Symmacho postea misericordiæ intuitu Nuceriæ episcopus constituitur. Sed transacto anno a die ordinationis suæ quarto, quidam zelo invidiæ ducti, adulterii crimine et aliis multis apud regem eum diffamaverunt: ad quod confirmandum falsos testes subornaverunt, et Laurentium revocaverunt, et chrisma eum consecrare effecerunt. Et clerus et populus iterum divisus, alii Symmacho, alii adhærebant Laurentio; et quasi ad prædictæ dissensionis impetum comprimendum, quibusdam Romanis id efficientibus, Petrus Altinæ urbis episcopus a rege Romam, ut sedis apostolicæ visitator, mittitur. Inter hæc cædes et homicidia undique committebantur. Nam ex communicantibus Symmacho, quicunque clerici et laici, virgines etiam, publice aut occulte in manus persequentium incidebant, occidebantur, aut plagis aut verberibus affligebantur. Solus autem Faustus exconsul ex parte Symmachi et Ecclesiæ repugnabat. Hac periculi necessitate Symmachus compulsus, regis consensu synodum congregavit (*synod. Rom.*), cui centum et quindecim episcopi interfuerunt. Qui rege consentiente, et ecclesiastica regula exigente, quia nihil de objectis Symmacho comprobari ab accusantibus eum potuit, ipsum immunem ab objectis et liberum esse unanimiter judicarunt, et Laurentium Nucerinum, et Petrum Altinatem, velut eos, qui papa vivente sedem romanam invaserant, pariter condemnaverunt. Hic confessor Christi ad ipsum IV Kalend. Augusti migravit.

Hic papa frequentes ambitus, atque Ecclesiæ nuditatem, vel populi collisionem, quæ molesta et iniqua incompetenter episcopatum desiderantium persæpe generavit aviditas, ut exstingnatur futuris præsumptio tam perniciosa temporibus, in synodo constituit [a], ut si quis presbyter (dist. 79, c. *Si quis.*), aut diaconus, aut clericus papæ incolumi, et eo inconsulto, aut subscriptionem pro Romano pontificatu commodare, aut sacramentum præripere tentaverit, aut aliquid certo suffragio polliceri, vel de hac causa privatis conventiculis factis deliberare atque decernere, loci sui dignitate vel communione privetur. Si vero, quod absit, transitus papæ inopinatus evenerit (dist. 79, c. *Si transitus*), ut de successoris sui electione non possit ante decernere, si quidem in unum se totius ecclesiastici ordinis electio inclinaverit, consecretur electus episcopus; si enim, ut fieri assolet, studia cœperint esse diversa eorum, de quibus certamen emerserit, vincat sententia plurimorum; sic tamen, ut sacerdotio careat, qui captus promissione, non recto judicio de electione decreverit.

Item prædictus papa in epistola, quam Cæsario episcopo scripsit, de multis ejusdem consultationi respondit, ita dicens: 1. *Possessiones ergo* (16, q. 1, c. *Possessiones*), *quas unusquisque ecclesiæ proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienare quibulibet titulis atque distractionibus, vel quocunque argumento non patimur, nisi forsan aut clericis honorum meritis aut monasteriis, religionis intuitu, aut certe peregrinis, si necessitas largiri suaserit: sic tamen, ut hæc ipsa non perpetue, sed temporaliter perfruantur.* 2. Item, in eadem commonet, ut illi, qui rerum ecclesiasticarum promissione præmissa ad sacerdotium nituntur accedere, desideriorum talium priventur effectu. 3. Item, raptores viduarum vel virginum (36, q. 2, c. *Raptores*) ob immanitatem tanti facinoris detestatur illos vehementius persequendo, qui sacras virgines volentes vel invitas suo matrimonio sociare ten-

[a] Synod. II. Rom. — Vide tom. II Concil. pag. 329.

taverint, quos a communione jubet suspendi. 4. Item, viduas (27, q. 1, c. *Neque*), quæ in religioso proposito diurna observatione permanserint, transire ad nuptias prohibet. Similiter et virgines, quas annis plurimis in monasteriis egisse ætatem contigerit. 5. Item ne ullus per ambitum ad episcopatus honorem permittatur accedere (1, q. 1, c. *Nullus*), et potentes personas minime suffragatrices adhibeat, nec ad decretum sibi faciendum clericos vel cives subscribere, adhibito cujuslibet generis timore, compellat, vel præmiis quibuslibet hortetur (1, q. 6, c. *Si quis*). Decretum sine testatoris [visitatoris] præsentia nemo conficiat, cujus testimonium clerus et civium potest unanimitas declarare.

Item, idem in alia synodo (Romana v) de oblationibus fidelium, et de multis præcepta decretalia composuit, ita dicens : *Omnibus summopere convenit observare, ut oblationes fidelium a nemine præsumantur, et absque consensu et voluntate episcopi, in cujus dignoscuntur esse parochia, possideri vel haberi tententur, quoniam multi memores sui pro remissione peccatorum suorum, et pro æternæ vitæ mercatione, de facultate sua tam rerum mobilium quam immobilium quædam per scripturas ecclesiis tradiderunt, et Deo creatori suo perpetualiter habenda dederunt. Quæ et cætera a diversis minus Deum timentibus eatenus mortifera calliditate tenentur, ut aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam, nec intueri corde possunt diem judicii, dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore : unde tale judicium super eos fiat, ut aut manifeste hæretici, quia Ecclesiam Dei scindunt, et anathematizati, atque ab Ecclesia Dei extorres habeantur; aut per satisfactionem Ecclesiæ ad pœnitentiam, et demum, juxta regulas ecclesiasticas ad reconciliationem, et, si digni inventi fuerint, ad communionem recipiantur,* Item : *Qui res Ecclesiæ delegatas et Domino oblatas absque proprii episcopi jussu possidens, præsumpserit deinceps tenere quocunque in loco, et veritate comperta dissimulaverit, aut renuerit reformare, a liminibus ejusdem* [*ejus*] *loci prius arceatur. Debet esse tamen provisio, ut vindictam admonitio manifesta præcedat, et res usurpatas injuste qui abstulit, aut injuste ablatas retinet, æquitate patrocinante legibus restituat. Quod si neglexerit, et necessitas compulerit, demum prædonem sacerdotalis districtio maturata percellat.* Item, Inferius : *Valde iniquum et ingens sacrilegium est, ut quæcunque vel pro remedio peccatorum, vel salute aut requie animarum suarum unusquisque venerabili ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit, ab his, quibus hæc maxime servari convenit, id est, Christianis, et Deum timentibus hominibus, et super omnia a principibus, et primis regionum, in aliud transferri vel converti. Propterea, qui hæc non præviderit, et aliter quam scriptum est, prædia ecclesiis tradita petierit, vel acceperit, vel possederit, vel injuste defenderit, aut retinuerit, nisi se cito correxerit, quo iratus Deus animas perculit, anathemate feriatur, sitque accipienti, et danti, vel* [*et*] *possidenti anathema.* Item, inferius : *Generaliter vero* (16, q. 1, c. *Generaliter*), *quicunque res ecclesiæ confiscare, aut competere, aut pervadere periculosa aut sua infestatione præsumpserit, nisi se citissimè per ecclesiæ, de qua agitur, satisfactionem correxerit, perpetuo anathemate feriatur. Similiter et hi, qui res ecclesiæ jussu vel largitione principum, vel quorumdam potentum, aut quadam invasione, aut tyrannica potestate retinuerint, et filiis vel hæredibus suis hæreditarias reliquerint, nisi cito res Dei, a pontifice admoniti, agnita veritate reddiderint, perpetuo anathemate feriantur. Ferro enim abscindenda sunt vulnera, quæ fomenta non sentiunt* (16, q. 1, c. *Ferro*). Item, inferius : *Omne quod irreprehensibile est, catholica defendit Ecclesia. Non licet ergo imperatori* (dist. 10, c. *Non licet*), *vel cuiquam pietatem custodienti, aliquid contra mandata divina præsumere, nec quidquam, quod evangelicis propheticisque et apostolicis regulis obviat, agere. Injustum enim judicium* (11, q. 3, c. *Injustum*), *et diffinitio injusta regio metu vel jussu a judicibus ordinata, non valet, nec quidquam quod contra evangelicam, vel propheticam, aut apostolicam doctrinam constitutionemve eorum, sive sanctorum Patrum, actum fuerit, stabit; et quod ab infidelibus aut hæreticis factum fuerit, omnino cassabitur.*

LIV. — S. HORMISDA.

(*Anno Christi* 514.)

Hormisda, natione Campanus, ex patre Justo, sedit annos novem, dies quatuordecim. Fuit autem temporibus regis Theodorici et Anastasii Augusti, a consulatu Senatoris, usque ad consulatum Symmachi et Boetii. Hic ordinavit episcopos quinquaginta quinque, presbyteros viginti et unum. Obiit autem catholicæ fidei defensor VIII Idus Augusti. Hic consensu et consilio regis Theodorici, legatos suos direxit in Græciam, dans illis mandatum ut Græcos, propter Petrum Alexandrinum et Achatium Constantinopolitanum, quibus participaverunt, anathematis vinculo obligatos sub satisfactione absolverent. Sed nihil egerunt, quia Anastasius Augustus libello rectæ fidei consentire noluit, eo quod et ipse Eutychianus erat. Itaque Romanos legatos ad fidei suæ errorem inclinare desiderans, muneribus oblatis eos corrumpere nitebatur. Illi autem, contemptis muneribus, de hæreticorum participatione Romanæ sedi satisfactionem debere fieri insistebant. Unde imperator furore accensus, eosdem per posterulam ejectos, et periculosæ navi impositos, remisit; præcipiens ut nullam civitatem ingrederentur, ne fidei epistolas saltem in transitu catholicis ostendere possent. Sed quia eas per omnes civitates expositas a complicibus suis postea comperit, commotus in ipsum Romanum pontificem fertur ei scripsisse, ita inter cætera dicens : Jubere nos volumus, non nobis juberi. Sed eodem tempore divinitus fulmine percussus interiit. Sumpsit autem post illum imperium Justinus orthodoxus; quo adjuvante, postmodum Græci pœnitentia de errore Acacii suscepta, ad sedis apostolicæ

communionem redierunt. Hic clerum constituit, et psalmis erudivit.

Hic in epistola, quam universis Hispaniæ episcopis destinavit (*epist.* 4), ut in episcopis ordinandis cura adhibenda sit per picua, evidenter ostendit dicens : *Irreprehensibiles esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis, nec quidquam illi deesse personæ, penes quam est religiosæ [religionis] summa et substantia disciplinæ. Existimet unusquisque pretium Dominici gregis, ut sciat, quod meritum constituendi debeat esse pastoris.* Item : *Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ.* Item : *Emendatiorem convenit esse populo, quem necesse est orare pro populo.* Item prohibet ne beneficium per impositionem manus, quæ Domini esse [divina esse] creditur, pretio comparetur : quia ante oculos esse convenit, qua Simon Magus Spiritum sanctum volens redemptione mercari, apostoli fuerit detestatione percussus (*Act.* VIII). Item de illo, qui non vendit, sed vendenti consentit, ita subjungit : *Quid prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti? Procul dubio contra mandata committit, et qui habet peccatum proprium, et qui sequitur alienum. Incassum resistit avidus [animus] cupiditati, si non resistit et timori.*

Item, in alia epistola, quam presbyteris et diaconibus et archimandritis Cœlesyriæ direxit, de clericis in adulterio deprehensis, ita dicit : *Ecce manifestissime constat, quia secundum quod et tituli antiquorum Patrum a S. Joanne papa transmissi, et trecentorum et octodecim episcoporum sententia, sed et canones Gallicani continere videntur, clerici in adulterio deprehensi, et aut ipsi confessi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non possunt, et si qui sunt, quibus suprascripta sanctorum Patrum severitas minime placet, sciant se eorum sententias reprehendere vel condemnare : cum hoc facere non sit in eis misericordia; sed est ista benignitas justitiæ inimica, videlicet criminosos palpare, et vulnera eorum usque in diem judicii incurata servare. Si autem eos durissimam pœnitentiam per plures annos agere videmus, ipsis et saluti eorum consulere, et canonum statuta debemus servare. Cum vero in aliquibus nec compunctio, nec humilitas, nec orandi nec plangendi instantia appareant, possumus agnoscere, si ad honorem pristinum redierint, cum quanta negligentia et inimica animæ securitate permaneant : credentes, quod sic eis non acta digne pœnitentia dimisit Deus, quomodo sacerdotes indulsisse videntur. Vere dico, quia illi ipsi, quibuscum periculosa et falsa misericordia indulgere videmus, cum ante tribunal Christi pro tantis peccatis damnandi advenerint, contra nos ipsos causas dicturi sunt, dicentes, quod, dum aut asperitatem linguæ eorum expavimus, aut falsa blandimenta et periculosas adulationes eorum libenter accipimus, nos eos, dum illis inutiliter indulgemus in peccatis permanere, aut ipsa peccata etiam augere permiserimus, non recordantes illud, quod in Veteri Testamento scriptum est : quia, uno peccante, contra omnes ira Dei desævit* (*Num.* XVI, 22). *De talibus B. Cyprianus martyr ita dicit : Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec reprimit ille delicta, sed fovet.* Item, idem papa inferius : *Ego me in hoc periculo mittere omnino non audeo, quia nec talia sunt merita mea, ut aliorum peccata in me excipere præsumam, nec tantam eloquentiam habeo, ut ante tribunal Christi contra tantos ac tales sacerdotes, qui canones statuerunt, causas dicere possim.* Item, idem subjungit : *Si clerici, qui ad uxores proprias redeunt, ab officio suspenduntur, et bigami non ordinantur, sed, si ordinati fuerint, dejiciuntur : quomodo ille, qui adulterium commiserit, iterum ad honorem redire poterit? Non tamen misericordiam, quæ dicit : « Nolo mortem peccatoris* (*Ezech.* XXXIII, 11), *» et alia hujusmodi, se negare dicit; sed definitissime credere, quod qui usque ad finem vitæ suæ pœnitentiam egerit, non solum indulgentiam accipiet, sed ad vitam æternam perveniet. De illis autem clericis, qui ad uxores redeunt, dicit sanctus Faustus in epistola sua : Perdidit gratiam consecrati, qui adhuc vult officium exercere mariti.* Item prædictus papa iterum inferius dicit : *Valde metuo et contremisco illam damnationem, quam Heli sacerdos propter stultam indulgentiam accipere meruit; qui pro eo, quod filios suos leviter castigavit, et eos nec cædere nec excommunicare voluerat, et ipsi filii uno die occisi sunt, et triginta millia de populo interfecta sunt, et Area testamenti in captivitatem ducta est, et ipse retro cadens, fractis cervicibus mortuus est, et nomen ipsius de libro vitæ deletum est. Et econtra Phinees zelo Dei commotus, duos adulteros pariter interfecit, et totum populum Dei, Dei iracundia liberavit.* Nec hoc ideo dicit, ut similes supradictis corporis mortem mereri debeant, sed caveant ne post corporis mortem ad supplicia perveniant.

LV. — S. JOANNES.

(*Anno Christi* 523.)

Joannes, natione Tuscus, ex patre Constantino, sedit annos duos, menses octo, dies sedecim. Fuit autem temporibus Theodorici regis et Justini Augusti catholici. Ordinavit autem episcopos quindecim. Hic pro religione catholica, et pro Theodorici causa negotii Constantinopolim venit; ubi, Justino Augusto patrocinante, Arianorum ecclesias catholicas consecravit. Hoc audiens Theodoricus, quoniam et ipse erat hæreticus, furore accensus, omnem Italiam gladio et igne perdere æstuabat, propter Arianorum ecclesias, quarum in Italia multæ erant; quas etiam catholicas usquequaque consecrari Joannes papa præceperat; et duos viros exsules et catholicos, Symmachum et Boetium, ante reditum papæ tenuit et interfecit. Ipsum autem pontificem reversum in custodia Ravennæ detinuit, in qua duriter afflictus, tandem defunctus est XV Kalend. Januarii. Sed nonagesimo et octavo die post transitum prædicti papæ, et ipse rex hæreticus divinitatis fulmine percussus, ubitò morte sua Italiam liberavit.

Hic Zachariæ episcopo epistolam destinavit, in

qua eum, de quibusdam consultus, instruxit, inter cætera dicens : *De occultis cordis alieni temere judicare iniquum est, et eum cujus opera non videntur nisi bona, peccatum est ex suspicione reprehendere.* Et addit in eadem, quæ sæpenumero dicta sunt, videlicet, quod oves pastorem accusare, nisi pro fide non debeant : et ipse episcopus, nec vocari aut judicari potest, priusquam quæ ablata sint, sibi legibus restituantur ; et ideo hic prætermittenda existimamus.

LVI. — S. FELIX IV.

(*Anno Christi* 526.)

Felix, natione Samnius, ex patre Castorio, sedit annos quatuor, menses duos, dies duodecim. Hic jussu Theodorici regis ordinatus est, et absque contentione. Hic ordinavit episcopos undetriginta, presbyteros quinquaginta quinque, diaconos quatuor. Obiit autem Idibus Octobris, Athalarico regnante. Hic autem multis episcopis per diversas provincias constitutis rescripsit, respondens eisdem de ecclesiarum consecratione, et de missarum celebrationibus ita (*de Cons.* d. 1, c. *Sicut non*) : *Non alibi, quam in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere liquet omnibus, quibus nota sunt Novi et Veteris Testamenti præcepta*, et ponit illa, et illis positis, dicit : *Si Judæi hoc faciebant, multo magis nos debemus templa ædificare, et ornare, et sacrare, et non aliis in locis, quam Deo ab episcopis sacratis missas celebrare, nec sacrificia Domino offerre, nisi hoc summa necessitas exigat. Et satius est missam non cantare, aut non audire, quam in his locis fieri in quibus fieri non oportet.* Solemnitates vero (*de Cons.* d. 1, c. *Solemnitates*) dedicationum ecclesiarum, et sacerdotum per singulos annos celebrandas esse asseruit ; in eadem dicens, ipsum Dominum exempla dedisse, qui ad festum dedicationis templi venit (*Joan.* x) ; et quod octo dierum sint encænia celebranda, libri Regum dedicatione templi peracta ostendunt (*III Reg.* VIII). De ecclesiarum vero consecratione ita præcepit : *Quotiescunque dubitatur, et nec certa scriptura, nec certi testes existunt, a quibus consecratio sciatur, absque ullâ dubitatione scitote eas esse sacrandas : nec talis trepidatio fiat de iteratione* [*faciat deteriorationem*] ; *quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum.*

LVII. — BONIFACIUS II.

(*Anno Christi* 530.)

Bonifacius, natione Romanus, ex patre Dehabentino [Sigibuldo], sedit annos duos, dies duos et viginti. Fuit autem temporibus Athalarici regis hæretici, et Justini Augusti. Hic facta dissensione in clero et senatu, in contentione ordinatur cum Dioscoro : sed Dioscorus non multo post defunctus est. Unde Bonifacius jam pacifice sedem adeptus, quasi damnans Dioscorum, noluit clerum, qui Dioscoro faverat, nisi de vinculo anathematis, pœnitentiæ satisfactione præmissa, in communionem suscipere. Qui postea congregata synodo decretum fecit, ut sibi successorem deberet eligere, et scripto et juramento ipsum decretum muniri jussit. Quod quia contra canones statutum fuerat, a congregatione iterum in synodo episcoporum ratione cassatum est ; et chirographum, quod inde factum fuerat, igne consumptum est.

Hic Eulalio Alexandrinæ Ecclesiæ episcopo epistolam scripsit, in qua ei Carthaginiensem Ecclesiam ad Romanæ Ecclesiæ communionem reversam esse significat, quæ a tempore Aurelii ab ipsa discesserat. Aurelius enim præfatæ Ecclesiæ olim episcopus cum collegis suis, instigante diabolo, superbire temporibus prædecessorum nostrorum, Bonifacii ac Cœlestini, contra Romanam Ecclesiam cœpit. Hic defunctus est XVI Kalend. Novembr.

LVIII. — JOANNES II.

(*Anno Christi* 531.)

Joannes, natione Romanus, ex patre Projecto, sedit annos duos, menses quatuor, dies sex. Fuit autem Athalarici regis et Justiniani Augusti temporibus. Ordinavit autem episcopos viginti et unum, presbyteros quindecim. Obiit autem VI Kalend. Junii. Hic Valerio episcopo epistolam misit, in qua ostendit, et ratione et auctoritate multorum probavit, Filium minorem quidem esse Patre in assumpti hominis forma, æqualem vero Patri esse in deitatis naturæ substantia : et hoc fecit ideo, quia quidam erant apud eum qui negabant Filium Patri esse æqualem.

LIX. — S. AGAPETUS.

(*Anno Christi* 535.)

Agapetus, natione Romanus, ex patre Gordiano presbytero, sedit menses undecim, dies novemdecim. Hic ordinavit episcopos undecim, diaconos quatuor. Hic libellum anathematis in Dioscorum, cui Bonifacius invidiæ stimulo ductus presbyteros et etiam episcopos subscribi compulerat, incendio dedit. Justinianus autem Theodato regi fuerat indignatus, eo quod ipse reginam Amalasintam Theodorici regis filiam sibi commendatam occiderat. Unde rex prædictus, timens indignationem Augusti, prædictum papam Constantinopolim ad imperatorem direxit : qui a Justiniano Augusto honorifice susceptus, post longam altercationem Anthimum ejusdem civitatis episcopum, in Christo duas naturas negantem, convicit, et a communione Christianorum suspendit : et isto in exsilium deportato, alium episcopum nomine Mennam, virum catholicum, in ejus loco consecravit. Post vero ægritudine captus, ibidem idem Constantinopoli X Kalend. Maii est defunctus. Idem papa, antequam veniret in Græciam, Anthimo epistolam misit, in qua ipsum ab errore suo ad veritatem catholicæ fidei redire hortando prudenter commonuit.

LX. — S. SILVERIUS.

(*Anno Christi* 536.)

Silverius, natione Campanus, ex patre Ormisda Romæ episcopo, sedit annum unum, menses quinque, dies quadraginta. Hic ordinavit episcopos octodecim, presbyteros quatuordecim. Hic sine deliberatione decreti a Theodato tyranno constitutus est

Qui corruptus pecunia, talem clero induxit timorem, ut qui ejus ordinationi non consensisset, sine dubio gladio puniretur. Itaque Silverio sub vi et metu jam ordinato, tandem subscripserunt in ejus confirmationem secundum morem presbyteri. Post menses autem duos, prædictus tyrannus nutu divino exstinguitur. Dolens autem eo in tempore Theodora Augusta Anthimum patriarcham a B. Agapeto fuisse depositum, et in ejus locum Mennam subrogatum, consilio cum Vigilio diacono inito, Silverium litteris obsecravit, ut vel ad se festinanter veniret, aut patriarcham Anthimum in locum revocaret pristinum. Qui dum lectis litteris, quamvis vitæ finem per hujus causæ occasionem timeret, tamen fiduciam habens in Domino, rescripsit Augustæ nunquam se revocaturum hominem hæreticum in sua nequitia damnatum juste. Unde indignata Augusta Belisario patricio jussit ut Silverium occasione quacunque inventa deponeret, et Vigilium archidiaconum, qui Anthimum revocare promiserat, in ejus loco substitueret. Qui (hac tandem occasione inventa, ut Romanam urbem Gothis tradere vellet) eum ad se vocatum, et clero et populo ad primum et secundum velum retentis, stolam et albam fecit ei auferri, et veste monachica indui jussit. Et hoc negotio impietatis audito, hi, qui cum eo venerant, fugerunt : et Vigilius archidiaconus, quasi in sua fide eum suscipiens, in Pontum exsilio relegavit : ubi pane tribulationis et aqua angustiæ sustentatus, tandem deficiens, in eodem loco XII Kalend. Julii confessor defunctus est : ubi ægri multi sanantur.

Hic epistolam rescripsit amatori episcopo, in qua et hoc postulanti, qualiter circa se actum fuerat, breviter enarravit, et officium suum non ideo dimisisse, sed congregatis episcopis, quos potuit, illos, qui ipsum deposuerant, se anathematis vinculo obligasse significat, et cæteros, qui deinceps ullum episcoporum ita deciperent, anathema maranatha fieri dixit.

Item, Vigilio jam papæ constituto epistolam in suam damnationem misit, ita inter cætera dicens (23, q. 4, c. *Belisarius*) : *Habeto ergo cum his, qui tibi consentiunt, pœnæ damnationis sententiam, sublatumque tibi nomen et munus ministerii sacerdotalis agnosce, Spiritus sancti judicio et apostolica a nobis auctoritate damnatus. Sic enim decet* (25, q. 2, c. *Sic decet*) *fidem sanctorum Patrum in Ecclesia servari catholica, ut, quod habuit amittat, qui improbabili temeritate, quod non acceperat, assumpserit.*

LXI. — VIGILIUS.

(*Anno Christi* 540.)

Vigilius, natione Romanus, ex patre Joanne, consule, sedit annos septemdecim, menses sex, dies viginti quinque. Hic ordinavit episcopos octoginta et unum, presbyteros quadraginta sex, diaconos sedecim. Eo autem tempore, quo Theodora Augusta Vigilium in sede apostolica, sicut ipsa jusserat, constitutum fuisse accepit ; ei scripsit, rogans ut ipse ad se veniret, et, quod bona voluntate de Anthimo promiserat, adimpleret. Vigilius autem, quamvis prius insipienter promiserat, respondit se nunquam ei consentire, ut hominem hæreticum, et a sanctissimis Agapeto et Silverio damnatum revocaret. Eo tempore Romani dolentes quod Silverius consilio Vigilii depositus fuerat, videntes modo opportunitatem, duos interemisse eum apud Augustam accusaverunt. Quo audito, Augusta Romam Scribonem misit, qui Vigilium cepit, et in navi positum Constantinopolim duxit. Qui tamen ab imperatore, ut vicarius B. Petri, primo honorifice susceptus est, et biennio jam exacto Augustus et Augusta cautionem manus suæ ei ostendentes, de Anthimo revocando, obsecrando et altercando institerunt. Vigilius autem constans ad omnia pati, nullatenus eorum petitioni acquievit, et tandem colaphizatus, quia non Justinianum et Theodoram piissimos, sed Diocletianum et Lutheriam [Eleutheriam] se invenisse dixerat, respondit ad singula : Facite ut vultis ; digna enim factis recipio. Et volens hujus ærumnæ eventum quoquo modo vitare, in ecclesiam S. Euphemiæ fugiens, altaris columnam amplexu astrinxit ; sed ibi arreptus, extra ecclesiam ducitur, funeque collo ejus alligato, per civitatem usque ad vesperam circumquaque distrahitur, deinde in custodia reservatur ; clerici vero, qui cum eo advenerant, dispersi in exsilia relegantur : sed postea Romano clero et senatu rogantibus, redditus et restitutus est Vigilius. Sed in ipso reditu, in Syracusa videlicet urbe, calculi dolore vitam finivit.

Hic Eucherio [Eutherio] episcopo rescriptum direxit, in quo eum instruxit, quid de his tenere debeat, qui ita abstinentiam simulant, ut esu carnium quemlibet pollui credant ; ita post multa præmissa subjungens : *Quapropter nec abstinentiam Deo placitam reprobamus, nec eos, qui exsecrantur Domini creaturam, in nostra societate recipimus.* Item, de his qui in fine psalmorum subducta una conjunctiva syllaba dicunt : *Gloria Patri, Filio et Spiritui sancto :* et ita dicendo, perfectæ Trinitatis vocabulum minuere conantur, subjungit dicens : *Quod si in errore permanserint, socii nobis esse non possunt.* De his qui ab Arianis rebaptizati sunt, qualiter sint recipiendi, dicit : *Quorum reconciliatio, non per illam impositionem manus, quæ per sancti Spiritus invocationem fit, operatur ; sed per illam, qua pœnitentiæ fructus acquiritur, et communionis* [*sanctæ com.*] *restitutio perficitur.* Item : *De fabrica cujuslibet ecclesiæ, si dirupta fuerit, instauranda* (*de Cons.* d. 1, c. *De fabrica*) ; *et si in eo consecrationis solemnitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nihil judicavimus officere, si super eam minime aqua exorcizata jactetur, quia consecrationem cujuslibet ecclesiæ, in qua Spiritui sancto ara non ponitur, celebrationem* [*celebritatem*] *tantum scimus esse missarum : et ideo, si qua sanctorum basilica a fundamentis etiam fuerit innovata, sine aliqua dubitatione, cum in ea missarum solemnitas fuerit celebrata, totius sanctificatio consecrationis implebitur. Si vero sanctuaria, quæ habebat, ablata sint, rursus eorum repositione, et missarum solemnitate, reverentiam sanctificationis accipiet.*

Item : *Ordinem quoque precum in celebratione missarum nullo nos tempore nulla festivitate habere diversum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare.* Item : *Si quis non baptizaverit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, projiciatur extra ecclesiam.*

A

LXII. — PELAGIUS.

(*Anno Christi* 555.)

Pelagius, natione Romanus, ex patre Joanne Vicario, sedit annos undecim, menses decem, dies novemdecim. Hic, dum non essent episcopi qui eum deberent ordinare, ordinatus est a Joanne Perusino, et a Bono Furentino, episcopis, et ab Andrea Ostiensi presbytero. Ab hujus autem communione multi ex utroque ordine religiosi viri se subtraxerunt : imponentes ei quod in morte Vigilii tantis pœnis afflicti se immiscuit. Unde Pelagius accepto libro Evangeliorum, et assumpta cruce, clero et populo in ecclesia B. Petri congregatis, juramento de prædicto crimine satisfecit, et omnium Romanorum assertione firmavit, ut nullus clericus pretio quolibet aut promissione ad sacros ordines provehereturB

Hic Virgilio [Vigilio] episcopo direxit epistolam, in qua eum pleniter docet, et prudenter instruit, qualiter respondere et convincere debeat hæreticos illos qui garriunt Patrem et Filium unum Deum esse non posse. Hic ordinavit episcopos quadraginta novem, presbyteros viginti sex, diaconos novem. Obiit autem VI Nonas Martias.

C

LXIII. — JOANNES III.

(*Anno Christi* 559.)

Joannes, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit annos duodecim, menses undecim, dies viginti sex. Hic amavit et restituit cœmeteria sanctorum Martyrum, et constituit oblationes et luminaria ibidem per singulas Dominicas de Lateranis ministrari. Hujus temporibus Narses a Romanis apud Justinianum et Sophiam Augustam accusatus, Longobardos ad occupandam et possidendam Italiam vocavit : qui non multo tempore post Romæ defunctus est. Hic universis Germaniæ et Galliæ episcopis epistolam decretalem transmisit, in qua, evidentissima ratione et firmissima multorum auctoritate, comprobat chorepiscopos episcopos non esse, nec aliquid de privilegio pontificali debere agere ; et ad hoc probandum introducit Linum et Cletum, quamvis adjutores Petri fuissent, nullam tamen potestatem pontificalem habuisse, sed exteriora tantum ministrasse Et quia sententiam et verba ipsa notavimus, cum de Clementis ordine et actione in principio hujus opusculi scripsimus ad cætera quæ instant transire non incongruum esse existimamus. Hic ordinavit episcopos undesexaginta, presbyteros duodetriginta, diaconos duodecim. Obiit autem II Idus Julii.

D

LXIV. — BENEDICTUS.

(*Anno Christi* 573.)

Benedictus, natione Romanus, ex patre Bonifacio, sedit annos quatuor, mensem unum, dies viginti octo. Scripsit autem iste David episcopo, et illos qui dicebant neminem in veritate posse probare Trinitatem unitatem fieri, cum neque tres unum, neque unum in tribus possit a quoquam approbari, jussit ut ad rectam fidem converti faceret, aut ab Ecclesia repelleret. Et multis modis probavit, et auctoritate multorum firmavit, unitatem substantiæ esse in personarum trinitate, et personarum trinitatem esse in substantiæ unitate. Hujus temporibus valida fame afflictus est populus Romanus. Hic ordinavit episcopos unum et viginti, presbyteros quindecim, diaconos quatuor. Obiit autem II Kalend. Augusti

LXV. — PELAGIUS II.

(*Anno Christi* 576.)

Pelagius, natione Romanus, ex patre Vinigildo, sedit annos decem, menses duos, dies decem. Hic ordinatus est absque principis jussione, eo quod Longobardi obsiderent civitatem Romanam. Eo tempore tantæ pluviæ fuerunt, ut omnes dicerent, quod aquæ diluvii superinundarent, et talis clades fuit, qualem a sæculis nullus fuisse meminit. Hic Orientalibus episcopis universis, quos Joannes Constantinopolitanus episcopus præsumptive ad synodum convocaverat, scribit (*epist.* 1) et mandat eis, si nolint cum prædicto Joanne damnari consentiendo ei, a superba præsumptione recedant, et pœnitentiam agere studeant, quia necesse est ea cassari quæ contra ordinem et auctoritatem facta esse noscuntur. Scribebat enim se esse episcopum universalem, et ex hac sua præsumptione convocabat synodum generalem, cum generalem synodum convocandi auctoritas apostolicæ sedi beati Petri privilegio singulari sit tradita. Item, eosdem dubitantes, quæ dicenda esset certa provincia, informat et instruit, dicens : *Scitote* (6, q. 3, c. *Scitote*) *certam provinciam esse, quæ habet decem vel undecim civitates et unum regem, et totidem minores civitates* [*potestates*] *sub se, et unum episcopum, aliosque suffraganeos* [*suffragatores*] *decem vel undecim episcopos judices ; ad quorum judicium omnes causæ episcoporum et reliquorum sacerdotum ac civitatum referantur, ut ab his omnibus juste consona voce discernantur.*

Item, Benigno archiepiscopo de episcoporum transmutatione consulenti transmisit epistolam (*epist.* 2), in qua eum, qualiter regulariter transmutari, vel non possint, plenissime instruit. Et hæc jam supra notavimus. Item, in eadem prædictum archiepiscopum ad justitiam sectandam hortando dicit : *Dona iniquorum non probat Altissimus* [a], *nec respicit in oblationibus iniquorum* [b], *nec in multitudine sacrificiorum eorum peccatis propitiabitur* [c] (*Eccli.* XXXIV,

[a] Immediate ad gloriam.
[b] Approbando ad gloriam.
[c] Ut ex merito condigno.

23). Item : *Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi in conspectu patris victimat filium* (*Ibid.*, 24). Item : *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum ; quid proficit lavatio ejus ? sic et homo qui jejunat in peccatis suis, iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se ? orationem ejus quis exaudiet ?* (*Ibid.*, 30, 31.) *In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exsultatione sanctifica decimas tuas* (*Eccli.* xxxv, 11).

Item universis episcopis, et specialiter Campaniæ et Italiæ episcopis scripsit (*epist.* 3), et ad monitionem episcoporum, quæ sæpenumero a prædecessoribus suis posita et superius annotata sunt, videlicet, de accusatoribus et cæteris pleniter posuit, et inter cætera de monachis dicit : *Nullusque monachus* (2, q. 7, c. *Nullus*) *talia usquequaque arripiat, nec sæcularia aut ecclesiastica negotia perturbare præsumat, quia vox eorum in talibus est mortua.*

Item episcopis regionum Germaniæ et Galliæ instrui rogantibus præfationum ordinem quem Ecclesia Romana servaret, rescripsit (*epist.* 4), ita dicens : *Sacrum ordinem Romanum* (*de Cons.* dist. 1, c. *Invenimus*), *sacraque constituta nostrorum antecessorum solerter relegentes, invenimus, has novem præfationes in sacro catalogo solummodo recipiendas, quas longa retro vetustas in Romana Ecclesia hactenus servavit : unam, in Albis Paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Nativitate Domini, quintam de Apparitione Domini, sextam de Apostolis, septimam de sancta Trinitate, octavam de Cruce, nonam de Jejunio Quadragesimæ* [*has tenendas vobis mandamus*]. *Si quis his supradictis dempserit vel addiderit, anathema sit.* Hic ordinavit episcopos duodequinquaginta, presbyteros viginti et octo, diaconos octo. Obiit autem VII Idus Februarii.

LXVI. — S. GREGORIUS.

(*Anno Christi* 590.)

Gregorius, natione Romanus, ex patre Gordiano, sedit annos tredecim, menses sex, dies decem. Hic fecit homilias quadraginta, et exposuit Job et Ezechielem : composuit dialogum et pastoralem curam. Scripsit etiam numerosa decretalia : quæ quia plurima sunt, separatim, et suo in loco, Deo dante, et vita comite, breviter excipiemus. Nunc autem, quia præsentis negotii serie ad prædicti papæ ordinem et actionem adnotanda perveninus, pauca saltem ponenda esse existimamus. Hic in synodo constituit (*Syn. Rom.*, cap. 2), ne laici pueri ad secreta cubiculi Romani pontificis servitia exhibeant, sed clerici vel monachi : ut is qui est in loco regiminis habeat testes, et tales viri ejus in secreto conversationem videant, qui ex visione sedula exemplum profectus sumant. Constituit etiam (c. 4) ut feretrum, quo Romani pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, nullo tegminis velamine veletur. Quod ideo fecit, quia corpora pontificum, cum humi mandanda deferebantur, dalmaticis tegebantur, et eas pro sanctitatis reverentia scindentes, particbantur. Constituit etiam (c. 5), et sub vinculo anathematis prohibuit, ne aliquid de ordinationibus, aut ex datione pallii, aut ex traditione chartarum accipiatur : sed si is, qui ordinatus est, post acceptas chartas seu pallium aliquid offerre voluerit, gratiæ tantummodo causa id accipiendum esse non negat ; quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non procedit.

Hic Augustino Anglorum episcopo de multis consulenti [a] ad singula juxta barbariem gentis et novitatem eorum conversionis rescripsit, dicens : *Oportuerat quidem, quandiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad copulam matrimonii non accedere : sed in tam barbara gente magis placet respectus temperantiæ, quam districtio censuræ : concedendum est, ut post quartam generationem jungantur.* Ad hoc autem quod quæsivit, si mulier infirmitate detenta non valuerit viro debitum solvere, quid faciat jugalis ? Respondit, *bonum quidem esse, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret : sed quia hoc magnorum est ; ille qui se non poterit continere, nubat magis, non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas prægredi, et non detestabilis culpa excludit.* De Presbytero vero a populo accusato dicit : *Si certi non fuerint testes qui crimini illato approbent veritatem, jusjurandum erit in medio ; et illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda et aperta sunt omnia, sicque maneat in proprio gradu.* Item præcepit ne eis quos pater vel mater juxta septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderunt disciplina, egredi liceat, postquam pubertatis anni inoleverint. Illos, qui absque interrogatione subdola ab adulteratis presbyteris baptizati sunt, prohibet rebaptizari. Leprosis autem Christianis corpus et sanguinem Domini concedit dari : cum sanis autem celebrare convivia interdicit. Item, valde fatuum esse judicat, si morbus aut mortalitas quibuslibet in locis irrepserit, illos, quos nondum tetigit, a loco civitatis periculum fugere, quia nemo aufugere Dei manus poterit. De his vero presbyteris qui multis vitiis irretiti, quorum vita in se ipsis sacerdotium maculat, præcepit ut eos apostolica auctoritate redarguendo admoneat, et ad munditiam ecclesiasticam perducat : et si obedierint, salvabunt animas suas, et ipse mercedem habebit : *Verumtamen collocutionem et mensam communem cum eis agere non recuses. Plerumque contingit, ut, quos correctio disciplinæ tardos fecit, ad percipiendam veritatis normam, convivarum sedula pastio, et admonitio blanda ad viam perducat justitiæ. Idipsum autem et in ipsis proceribus, qui tibi adjutorium præstant, observare debebis.*

Hic auxit in canone : *Diesque nostros in pace dispone*, etc. Hujus tempore ad Dominum conversi sunt Angli. Hic jussit ut supra corpus B. Petri missa celebraretur, et in ecclesia B. Pauli eadem fecit. Hic ordinavit episcopos sexaginta duos, presbyteros undequadraginta, diaconos octo. Migravit autem ad Christum IV Idus Martii,

[a] Concil., tom. II, pag. 744.

LXVII. — SABINIANUS.

(*Anno Christi* 604.)

Sabinianus, natione Tuscus, de civitate Blera, de patre Bono, sedit annum unum, menses quinque, dies octo. Hic addidit luminaria in ecclesia B. Petri. Hic ordinavit episcopos viginti sex. Obiit autem VIII Kalend. Martii.

LXVIII. — BONIFACIUS III.

(*Anno Christi* 606.)

Bonifacius, natione Romanus, ex patre Joanne, sedit menses octo, dies viginti duos. Hic obtinuit apud Phocatem principem ut Ecclesia Romana, sicut omnium Ecclesiarum caput est, ita etiam Constantinopolitanæ, quæ se omnium Ecclesiarum primam esse jactabat. Hic constituit ut nullus vivente episcopo de ejus successore agat, sed tertio die depositionis ejus, adunato clero et populo, fiat electio. Hic ordinavit episcopos viginti duos.

LXIX. — S. BONIFACIUS IV

(*Anno Christi* 607.)

Bonifacius, natione Marsus, de civitate Valeria, ex patre Joanne medico, sedit annos sex, menses octo, dies duodecim. Hujus temporibus fames valida, et inundationes aquarum gravissimæ fuerunt. Hic templum Pantheon quod vocabatur, a Phoca principe petiit, quod et consecravit in honorem S. Mariæ virginis et omnium martyrum. Hic ordinavit episcopos triginta sex, diaconos octo. Defunctus est autem x Kalend. Junii.

LXX. — S. DEUSDEDIT.

(*Anno Christi* 614.)

Deusdedit, natione Romanus, ex patre Stephano subdiacono, sedit annos tres, dies triginta. Hic clerum multum dilexit, et sacerdotes, et cæteros clericos ad pristina loca revocavit. Hujus temporibus mense Augusto fuit terræmotus magnus, quem secuta est clades, et gravis percussio scabierum, ita ut nullus mortuum suum posset agnoscere. Gordianus episcopus Hispaniensis Ecclesiæ litteris ad prædictum papam directis, de viris et mulieribus qui nescientes pro magno populorum incursu paschali Sabbato filios a fonte baptismi susceperant, ipsum consuluit, si jam ad proprium suum usum redire debeant? Qui in ecclesia Isauriæ et Hierosolymæ, et in multis aliis ecclesiis talia olim evenisse dicit, et antecessores suos, Julium, et Innocentium, et Cœlestinum cum plurimorum episcoporum conventu talia prohibentes præscripsisse asserit, ut nullo modo jam se in conjugium reciperent mulieres et viri, qui per quamcunque rationem susciperent natos, sed separarent se, ne, suadente diabolo, tale vitium peccati inolescat per mundum, et universorum error accrescat. Addidit ad hoc, dicens: *Scitis quia, quomodo sunt septem dona Spiritus sancti, ita sunt septem dona baptismatis, a primo pabulo salis sacrati, et ingressu sanctæ Ecclesiæ usque ad confirmationem sancti Spiritus per chrisma. Ab hoc ergo Spiritus* [*primo Spiritus*] *sancti dono usque ad septimum nullus Christianus suam commatrem in conjugium recipere debet: et qui præsumpserit, anathematis vinculo religetur in perpetuum, nisi pœnitentiam egerit digne. Mulieres vero, cum separatæ fuerint hac pro ullicitatione* [*illicita re*] *a propriis viris, totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt, et post expletum annum recipiant alium virum, si voluerint. Similiter et vir uxorem.*

LXXI. — BONIFACIUS V.

(*Anno Christi* 617.)

Bonifacius, natione Campanus, de civitate Neapoli, sedit annos quinque, menses decem. Hic constituit ut testamentum secundum principis jussionem valeat. Constituit etiam ut nullus violenter de ecclesia auferatur: nec aliquis, nisi presbyter, sanctorum martyrum reliquias de ecclesia levare præsumat. Fuit vir mitissimus, et amavit clerum. Hic ordinavit episcopos undetriginta, presbyteros viginti sex, diaconos quatuor. Qui defunctus est VIII Kalend. Novembr.

LXXII. — HONORIUS.

(*Anno Christi* 626.)

Honorius, natione Campanus, ex patre Petronio consule, sedit annos duodecim, menses undecim, dies octodecim. Hic clerum erudivit. Hic de ordinationibus episcoporum minime differendis ita dicit: [a] *Placuit, ut quisque metropolitanus, si ultra tres menses consecrationis suæ, ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum, ad apostolicam sedem non miserit, commissa sibi careat dignitate; sit licentia metropolitanis aliis, post secundam et tertiam commonitionem, viduatis ecclesiis cum consilio Romani pontificis ordinando episcopum subvenire. Si vero consecrandi episcopi negligentia provenerit, ut ultra tres menses ecclesia viduata consistat, communione privetur, quousque aut loco cedat, aut consecrandum præbere non differat. Quod si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam ecclesiam, neque ibi, neque alibi consecrationis donum percipiat, imo metropolitani sui judicio cedat.*

Item: *Quicunque sane metropolitanorum per plateas vel in litaniis uti pallio præsumpserit, et non tantum in præcipuis festivitatibus, et apostolica sede indictis temporibus ad missarum solummodo solemnia, permissa, qua abutitur, careat dignitate: quoniam jure privilegium meretur amittere, qui audacter usurpat illicita.*

Item: *Episcopos vero qui percutere, detruncare, vel contra canonicam auctoritatem infamare, aut propriis rebus absque legali judicio exspoliari præsumpserit, sive eos a commissis ecclesiis insequendo expellere, communione privetur. Si vero bis vel ter conventus, ei in quem deliquisse dignoscitur, emendando non satisfecerit, anathematis vinculis innodetur.*

Item: *Si quis domum Dei violaverit, et aliqua sine licentia illius, cui commissa dignoscuntur, inde abstulerit, vel ecclesiasticis personis injuriam fecerit, donec conventus et admonitus legitime satisfaciat,*

[a] Gratianus, dist. 100, c. *Quoniam*, hæc tribuit Pelagio.

sciat se a communione privatum. Si vero post secundam et tertiam conventionem coram episcopo satisfacere detrectaverit, sacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur. Quicunque sanctimonialem, sive quamcunque feminam, in matrimonium vel concubinatum rapuerit, donec eam coram episcopo civitatis parentibus vel civibus restituat, cum omnibus fautoribus suis excommunicatum se esse cognoscat : si vero post secundam et tertiam conventionem, quam rapuit sub satisfactione congrua non reddiderit, tanquam anathematizatus, ab omni Christianorum consortio repellatur. Raptas enim, nec immerito, dicimus, quæ sine consensu parentum, vel civitatis episcopi, aut ipsæ ultro diffugiunt, aut nolentes ab aliis abducuntur. Si quis homicidium membrorum truncatione, domorum incendia fecerit, aut fieri jusserit, aut facienti consenserit; quousque de his legaliter, vel amicabiliter coram episcopo civitatis aliisque civibus non emendaverit, ab ecclesia privatum se esse cognoscat. Si ergo post secundam et tertiam conventionem cuncta, in quibus arguitur, non emendaverit, tanquam ethnicus et publicanus ab omni Christianorum collegio separetur. Porro de his qui deprædationes fecerint, aut facere jusserint, vel facienti consenserint, instituimus, ut, si ab episcopo civitatis admoniti minime resipuerint, quadraginta dies pane et aqua contenti, reliquis cibis et potibus sint omnino privati. Quod si hanc excommunicationem suspicati fuerint violasse, satisfaciant episcopo, quod illam non violaverint : sicque demum, si convicti fuerint hanc violasse, non solum, quod unicuique arguuntur fecisse emendent; sed etiam bis aut ter commoniti, si se non correxerint, ab omni communione privati sint. Si vero post secundam et tertiam commonitionem cuncta, in quibus arguuntur, perfecte non emendaverint, anathematis sententia se noverint obligatos.

Item : *Hi sane, qui ante audientiam communicare tentaverint, donec per pœnitentiam reatum suum defleant, ad communionem nullo modo reducantur, excepto mortis urgente periculo. Qui vero excommunicato scienter communicaverit, et amodo saltem in domo simul oraverit, atque latebras defensionis, ne cominus ad satisfactionem perducatur, præbuerit, donec ab excommunicatore pœnitentiam suscipiat, corporis et sanguinis Domini communione se privatum esse cognoscat. Quicunque ergo intra anni spatium humiliter sive publice causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi audientiæ aditum clausisse videantur. Quod si obstinato animo sine communione defuncti fuerint, nos illorum causam juxta B. Leonis prædecessoris nostri sententiam divino judicio reservantes, quibus vivis non communicavimus, mortuis communicare non possumus.*

Item : *Curæ sit omnibus episcopis excommunicatorum nomina omnino tam vicinis episcopis quam suis parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita pro foribus ecclesiæ cunctis convenientibus inculcare, quatenus in utraque diligentia et excommunicatis ubique ecclesiasticis aditus excludatur, et excusationis* A *causa omnibus auferatur. Si quis sane venerabilium episcoporum vel sacerdotum in hac re districtissime non vigilaverit, et in aliquo cohibuerit, quo minus ecclesiasticæ severitatis invectio circa personas delinquentium conservetur, donec coram provinciali synodo satisfiat, a communione sciat se esse suspensum. Si vero post tertiam conventionem in sua negligentia manserit, canonico judicio subjacebit. Illos autem, qui pro diversis suis excessibus se conveniendos legaliter timent, aliumque ad senioratum confugiunt, et ibi pejora prioribus operantur; jubet ut a nemine suscipiantur, donec sub prioris domini districtione satisfaciant cunctis quibus deliquerant. Si vero prius suscepti fuerint, cum suo susceptore communione priventur. De illis autem qui prolationem sententiæ sub-*
B *terfugere cupientes, a matricularibus ecclesiæ vel baptismalibus se subducunt, statuit, ut hi qui intra regionem positi, a publicis ecclesiarum se conventibus ultra tres dies Dominicos voluntarie prolationem sententiæ subterfugiendo abstinent, donec sub satisfactione se emendandos astruant, communione priventur.*

Item : *Administratores plane sæcularium dignitatum, quos ad ecclesiarum tuitionem, pupillorum et viduarum protectionem, rapaciumque refrenationem constitutos esse cognovimus, quoties ab episcopis et ecclesiasticis viris conventi fuerint, eorum querimonias fideliter audiant, et secundum quod necessitas expetierit, absque negligentia examinent, et diligenti studio emendent. Quod si Dei timorem præ oculis non*
C *habentes negligere post secundam et tertiam commonitionem inventi fuerint, omni se noverint communione usque ad condignam satisfactionem privatos.* Item : *Qui presbyterum ordinare necessarium ducit, deputet eum ecclesiæ, in qua Domino serviens jugiter perseveret.* Hic ordinavit episcopos septuaginta et unum, presbyteros tredecim, diaconos undecim. Obiit IV Idus Octobr.

LXXIII. — SEVERINUS.

(*Anno Christi* 638.)

Severinus, natione Romanus, ex patre Abieno, sedit menses duos, dies quatuor. Hic ordinavit episcopos quatuor. Obiit autem IV Idus Octobris.

LXXIV. — JOANNES IV.

D (*Anno Christi* 639.)

Joannes, natione Dalmaticus, ex patre Venantio scholastico, sedit annum unum, menses novem, dies octodecim. Hic per Dalmatiam et Istriam multum pecuniæ misit ad redemptionem captivorum. Hic ordinavit episcopos quatuor. Defunctus est autem IV Idus Octobris.

LXXV. — THEODORUS.

(*Anno Christi* 642.)

Theodorus, natione Græcus, ex patre Theodoro episcopo, de civitate Hierusalem, sedit annos sex, menses quinque, dies quatuordecim. Hic ordinavit episcopos quinquaginta sex, presbyteros viginti et

unum, diaconos quatuor. Qui defunctus est pridie Idus Maii.

LXXVI. — S. MARTINUS.

(*Anno Christi* 649.)

Martinus, de civitate Tudertina provinciæ Tusciæ, sedit annos sex, mensem unum, dies viginti sex. Hic centum et quinque episcopos in urbe Roma congregavit, cum quibus condemnavit Theodorum quemdam episcopum Pharanitarum, et Cyrum Alexandrinum, et Sergium Constantinopolitanum, et ejus successores Pyrrhum et Paulum, qui novitates contra immaculatam fidem præsumpserunt innectere. Et dæmum prædictus papa, quia hæreticis consentire noluit, ductus est in exsilium, ubi et vitam in Christo finivit IV Idus Novembris. Ordinavit autem episcopos triginta quatuor, presbyteros undecim, diaconos quinque.

LXXVII. — S. EUGENIUS.

(*Anno Christi* 652.)

Eugenius, natione Romanus, ex patre Rufiniano, sedit annos duos, menses novem, dies viginti tres. Hic ordinavit episcopos viginti et unum; defunctus est autem IV Nonas Junii.

LXXVIII. — S. VITALIANUS

(*Anno Christi* 655.)

Vitalianus, natione Signiensis, Campaniæ provinciæ, de patre Anastasio, sedit annos quatuordecim, menses sex. Hic regulam ecclesiasticam atque vigorem, ut mos erat, omnino conservavit. Hic ordinavit episcopos nonaginta septem, presbyteros viginti duos, diaconum unum. Hujus temporibus Constantinus Augustus Romam venit, ibique omnia, quæ ad civitatis ornatum suspensa erant, deponi fecit, et ecclesiam S. Mariæ ad Martyres, quæ de tegulis æreis erat tecta, discooperuit, et in regiam urbem ipsas tegulas cum aliis diversis, quæ deponi fecerat, emisit. Scripsit autem epistolam Paulo Cretensi archiepiscopo, in qua eum arguit, quia Joannem episcopum Lampeon urbis in custodiam duci fecit. Insuper contra canonum jussa, contra legum instituta, existens in custodia, cogebatur ut daret fidejussores. Unde omnia, quæ ipse archiepiscopus de jam prædicto episcopo in synodo egit, inania esse decrevit, et ecclesiam suam ei judicio synodi, datis litteris, reddi præcepit. Defunctus est autem VIII Idus Februarii.

LXXIX. — ADEODATUS.

(*Anno Christi* 669.)

Adeodatus, natione Romanus, ex monachis, de patre Joviniano, sedit annos quatuor, menses duos, dies quinque. Hic ordinavit episcopos septem, presbyteros quatuordecim, diaconos duos. Qui defunctus est VIII Idus Junii. Post ejus vero transitum, et pluviæ et tonitrua tanta fuerunt, quanta prius fuisse nemo eo in tempore vivens audierat. Unde homines et pecudes ex nimio ictu fulguris interierunt.

LXXX. — DONUS.

(*Anno Christi* 676.)

Donus, natione Romanus, ex patre Mauritio, sedit annum unum, menses quinque, dies decem. Hic ordinavit episcopos sex, diaconos quinque. Post electionem hujus, Augusto mense apparuit stella præfulgida valde in Oriente. Oriebatur autem assidue in galli cantu apparens usque mane, sed emenso trium mensium spatio, suæ pulchritudinis radios nunquam parens abscondit, quam in eadem plaga Orientis innumeræ multitudinis hominum mors secuta est. Hujus tempore Ecclesia Ravennæ, quæ prius acephalicum caput contra Romanam Ecclesiam erexerat, denuo fracta cervice superbiæ, apostolicæ sedi humiliata subjacuit. Obiit autem iste III Idus Aprilis.

LXXXI. — S. AGATHO.

(*Anno Christi* 678.)

Agatho, natione Siculus, sedit annos duos, menses quinque, dies quatuor. Hic ordinavit episcopos octodecim, presbyteros decem, diaconos quatuor. Legati Constantinopolim directi e latere hujus papæ, Macarium Antiochenum patriarcham in synodo deposuerunt, quia duas naturas et voluntates in Christo esse negavit. Prædictus papa hoc obtinuit apud imperatores, Constantinum videlicet, et Heraclium, et Tiberium, ut juxta postulationem suam remitteretur quantitas illa, quæ solita erat dari pro ordinatione Romani pontificis facienda : sic tamen, ut, si contigerit post ejus transitum vel electionem ordinationem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi prius decretum generale deferatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem, et cum eorum, id est imperatorum, scientia et jussione ordinatio debeat provenire. Hic defunctus est IV Idus Januarii.

LXXXII. — S. LEO II.

(*Anno Christi* 683.)

Leo, natione Siculus, ex patre Paulo, sedit menses decem, dies septemdecim. Hic fuit eloquentissimus, Græca et Latina lingua eruditus. Hic fecit constitutum, ut, qui ordinatus fuerit archiepiscopus, nulla consuetudine pro usu pallii, aut diversis officiis ecclesiæ, persolvere debeat. Hic ordinavit episcopos unum et viginti, presbyteros quatuordecim, diaconos tres. Defunctus est autem IV Kalend. Julii.

LXXXIII. — BENEDICTUS II.

(*Anno Christi* 684.)

Benedictus, natione Romanus, ex patre Joanne, sedit menses decem, dies duodecim. Hic suscepit præceptum Constantini Augusti datum clero et populo, et exercitui Romano, per quod concessum est, ut, cum quis fuerit electus ad regendam Romanam sedem, continuo absque tarditate consecretur pontifex. Obiit vero VIII Maii.

LXXXIV. — JOANNES V.

(*Anno Christi* 685.)

Joannes, natione Syrus, ex provincia Antiochia, de patre Cyriaco, sedit annum unum, dies novem. Fuit autem vir valde strenuus, atque scientia præditus, et omnino moderatus. Hic consecratus est a tribus episcopis, Ostiense, Portuense et Veliter-

nense, sicut et præcessor ejus Leo fuerat. Defunctus A est vero IV Nonas Augusti.

LXXXV. — CONON.

(*Anno Christi* 686.)

Conon, oriundus patre Thraceseo, educatus apud Siciliam, sedit menses undecim. In hujus electione non minima est contentio habita, eo quod clerus archidiaconum, exercitus autem Theodorum presbyterum nitebatur eligere. Sed hac contentione aliquandiu habita, tandem clerus et populus unanimiter hunc denominantes elegerunt. Post aliquot vero dies exercitus videns cleri et populi concordiam, et ipse in prædicti electionis decreto subscripsit. Hic ordinavit episcopos sedecim. Defunctus est autem X Kalend. Octobris.

LXXXVI. — SERGIUS. B

(*Anno Christi* 687.)

Sergius, natione Syrus, Antiochiæ regionis, ortus ex patre Tiberio, sedit annos tredecim, menses septem, dies viginti tres. Ante hujus electionem populus Romanus, ut fieri assolet, divisus est : nam pars una Theodorum archipresbyterum, alia vero elegit Paschalem archidiaconum. Cum autem isti duo electi contenderent, nec alter eorum alteri cedere vellet, maxima pars cleri, necnon primates judicum, et exercitus Romanæ militiæ diu pertractanies, qualiter duorum altercantium contentio sopiretur, consilio inito, demum prænominatum Sergium unanimiter elegerunt, et altercantium tumultuatione repressa, in sede eum concorditer statuerunt. Hic in sacrario B. Petri apostoli capsam argenteam in angulo obscuro jacentem, et ex nigredine nimiæ annositatis, nec si esset argentea jam apparentem, Deo ei revelante, reperit. Itaque oratione facta, sigillo fracto, et capsa aperta, invenit in ea crucem diversis ac pretiosis lapidibus perornatam. In qua etiam aperta invenit miræ magnitudinis et ineffabilem portionem salutaris ligni vivificæ Crucis repositam : quæ ex die illo pro salute humani generis ab omni populo Christiano die Exaltationis S. Crucis in ecclesia Salvatoris adoratur. Hic statuit, ut in fractione corporis et sanguinis Domini a clero et populo *Agnus Dei* cantetur. Hic ordinavit episcopos viginti septem, presbyteros duodeviginti, diaconos quatuor. Defunctus est autem D Idibus Septembris.

LXXXVII. — JOANNES VI.

(*Anno Christi* 701.)

Joannes, natione Græcus, sedit annos tres, menses duos, dies duodecim. Hic captivos, quos in Campania Gisolphus dux gentis Longobardorum ceperat, donariis suis redemit. Hic ordinavit episcopos quindecim, presbyteros novem, diaconos duos.

LXXXVIII. — JOANNES VII.

(*Anno Christi* 705.)

Joannes, natione Græcus, de patre Platone, sedit annos duos, menses sex, dies septemdecim. Hic ordinavit episcopos undeviginti. Sepultus est autem XV Kalend. Novembr.

LXXXIX. — SISINNIUS.

(*Anno Christi* 708.)

Sisinnius, natione Syrus, ex patre Joanne, sedit dies viginti. Hic ordinavit episcopum unum. Defunctus est autem repentina morte.

XC. — CONSTANTINUS.

(*Anno Christi* 708.)

Constantinus, natione Syrus, ex patre Joanne, sedit annos septem, dies quindecim. Hic ordinavit Felicem archiepiscopum Ravennatem, qui juxta antecessorum suorum consuetudinem scribere noluit, fastu arrogantiæ tentus. Qui postea elatione superbiæ suæ a Justiniano Augusto capi jubetur, oculis privatur, et in exsilium in Ponticam mittitur. Sed, mortuo imperatore, ad sedem propriam revertitur, et sic humiliatus, ab apostolica sede veniam petiit, et absolutionem promeruit. Prædicti papæ temporibus venit Romam Benedictus Mediolanensis archiepiscopus, et certavit pro ecclesia Ticinensi ; sed convictus est, eo quod a præfatis temporibus Ticinensis ecclesiæ antistitis consecratio ad sedis apostolicæ Pontificem pertinebat. Ordinavit autem episcopos sexaginta quatuor, presbyteros decem, diaconos duos. Obiit autem VI Idus Aprilis.

XCI. — S. GREGORIUS II.

(*Anno Christi* 714.)

Gregorius, natione Romanus, ex patre Marcello, sedit annos sedecim, menses novem, dies undecim. Hic in Germania per Bonifacium episcopum verbum salutis prædicavit, et gentem illam sedentem in tenebris doctrina lucis convertit ad Christum. Hujus temporibus Saraceni Franciam occupare conati sunt ; sed judicio Dei una die trecenta et sexaginta quinque millia a Francis ceciderunt, ut epistola a Francorum duce pontifici missa continebat. Hic constituit, ut Quadragesimali tempore, quinta videlicet feria jejunium, atque missarum celebratio fieret, quod prius non fiebat. Hujus temporibus Leo imperator ad pejora progressus, compulit omnes Constantinopoli habitantes, ut sanctorum imagines deponerent, et igni consumerent. Cujus errori, quia Germanus non consensit patriarcha, a sede est pulsus, et in ejus loco Anastasius presbyter est ordinatus. Hic in synodo communi omnium præsidentium judicio confirmando dixit (*C. Romanum*, tom. III *Concil.* cap. 1-12) : *Si quis presbyteram, aut diaconissam, aut manacham, aut nurum, aut consobrinam, aut de propria cognatione, aut quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit.* Item : *Si quis viduam furatus fuerit in uxorem et virginem, nisi eam desponsaverit, anathema sit.* Item : *Si quis ariolos, aruspices, vel incantatores observaverit, aut phylacteriis usus fuerit, anathema sit.* Hic ordinavit episcopos centum quinquaginta, presbyteros viginti quinque, diaconos quatuor. Qui defunctus est III Idus Februar.

XCII. — S. GREGORIUS III.

(*Anno Christi* 731.)

Gregorius, natione Syrus, ex patre Joanne, sedi

annos decem, menses octo, dies viginti. Hic fuit vir valde mitis, et in divinis litteris bene instructus, et Græca Latinaque lingua pleniter eruditus. Hic in synodo residens, omnes illos anathematis vinculo innodavit, qui antiquæ ecclesiasticæ consuetudini adversantes, sanctorum imagines venerari contemnerent. Hic ordinavit episcopos octoginta, presbyteros viginti quatuor, diaconos tres.

XCIII. — S. ZACHARIAS.

(*Anno Christi* 742.)

Zacharias, natione Græcus, ex patre Polychronio, sedit annos decem, menses tres, dies quatuordecim. Hujus temporibus Karlomannus, filius Karlomanni [Caroli Martelli] Francorum regis, præsentis vitæ gloriam et potestatem relinquens, clericatus jugum Romæ ab ipso papa suscepit. Deinde ad montem Cassinum pervenit, ibique facta juxta morem professione, professionis habitum devote suscepit. Ejusdem papæ temporibus Ratechisus rex Longobardorum regalem dignitatem relinquens, a prædicto papa detonsus, monachico habitu cum uxore et filiis induitur. Hic ordinavit episcopos triginta quinque, presbyteros viginti tres, diaconos sex. Hic in synodo constituit ut episcopi cum mulieribus omnino non habitent, et presbyteri vel diaconi subintroductas mulieres nullo modo secum audeant habere, nisi matrem, et illas quæ suspiciones effugiunt; alioqnin gradus sui priventur honore. Item statuit ut episcopi, presbyteri, diaconi sæcularibus indumentis minime utantur, nisi, ut condecet, tunica sacerdotali: sed neque dum ambulaverint in civitate, aut in via, aut in plateis, sine indumento præsumant ambulare, nisi in itinere longo ambulaverint: quia sacerdos incedens sine operimento sibi congruo, sacerdotium suum deturpat. Quod si præsumpserit, communione privetur, donec, quæ statuta sunt, adimplere maturet. Item, ut presbyteri et diaconi non utantur monacha, vel etiam spirituali commatre. Nam qui hujusmodi opus perpetraverit, sciat se anathematis vinculo obligatum, et Dei judicio condemnatum, atque a sacro corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi alienum, statuente apostolica censura. Et quicunque sacerdotum talibus communicare præsumpserit, eorum consortio condemnatus, sacerdotii sui honore privetur. Si autem hi, qui convicti sunt, admoniti declinaverint, et ab adulterio fuerint divisi, pœnitentiæ submittantur, ut sacerdos loci providerit. Item de presbyteris, diaconis, seu clericis, qui inter se causam habuerint, nullo modo præsumat publicis auctoritatibus interpellationem facere, nisi suo episcopo: et si forsan episcopus causam habuerit, ad vicinum episcopum confugium faciant, juxta canonum statuta. Et si minime convenerit, ut decidatur inter eos contentio, ad apostolicam veniant sedem. Si quis vero præter statuta præsumpserit agere, gradus sui honore privetur, et ab ecclesia pellatur, usque dum causa susceperit finem. Item, ut episcopus, aut presbyter, dum ingressus fuerit ad missarum solemnia celebranda, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio episcopo aut presbytero missarum solemnia suppleantur, sed qui initium posuit, suppleat usque in finem. Si quis aliter agere præsumpserit, a Dominico corpore et sanguine sit suspensus. Prædictus papa universis episcopis, cunctis etiam ducibus, comitibus, omnibusque Deum timentibus per Gallias et Francorum provincias constitutis epistolam destinavit, in qua omnes commonuit, ut falsos et schismaticos, homicidas et fornicarios sacerdotes ab ipsis expellerent.

XCIV. — STEPHANUS III.

(*Anno Christi* 752.)

Stephanus, natione Romanus, ex patre Constantino, sedit annos quinque, dies viginti tres. Post obitum Zachariæ papæ Stephanus quidam presbyter a cuncto populo electus est, et in patriarchium inthronizatus. Qui post biduum subito alienatus obmutuit, et die sequenti defunctus est. Post hæc vero omnes unanimiter hunc eligentes, in patriarchium juxta morem introduxerunt: erat enim amator ecclesiarum, traditionem ecclesiasticam firma stabilitate conservans. Hujus temporibus Aistulphus Longobardorum rex, occupatis bonis Ecclesiæ, multa Romanis intulit mala, sed plurima minatus est. Unde prædictus papa coactus Pippinum regem Franciæ postulatum auxilium adiit, contra quem venit Karlomannus frater regis, quamvis monachus; malignis tamen Aistulphi suasionibus deceptus, ut ejus petitionem in irritum duceret. Sed, Deo id agente, propositi inefficax exstitit, et ibi idem in Francia in monasterio a fratre statutus, vitam finivit: pontifex vero apud regem voluntatem suæ petitionis obtinuit. Hic ordinavit episcopos quindecim, presbyteros duos, diaconos duos. Defunctus est autem VI Kalend. Maii.

Prædictus pontifex in quadam epistola de infirmitatis suæ liberatione ita inter cætera dicit: *Cum jam medici desperarent, fui sicut in oratione in ecclesia B. martyris Dionisii subtus campanas, et vidi ante altare domnum Petrum et domnum Paulum, et nota mente illos recognovi, et tertium B. Dionysium ad dexteram B. Petri subtilem et longiorem. Dixitque domnus Petrus: Hic frater noster postulat sanitatem. Et dixit B. Paulus: Modo sanabitur. Et appropinquans misit manum suam ad pectus domni Dionysii amicabiliter, respexitque ad domnum Petrum. Et dixit domnus Petrus ad Dionysium hilariter: Tua gratia est sanitas ejus. Et Dionysius veniens ad me ait: Pax tecum, frater, non morieris, donec ad sedem tuam prospere revertaris. Surge, et hoc altare in honore Dei, et veneratione apostolorum Petri et Pauli dedica: moxque sanus factus, implevi quæ jussa sunt.*

XCV. — S. PAULUS.

(*Anno Christi* 757.)

Paulus, natione Romanus, ex patre Constantino, sedit annos decem, mensem unum. In hujus autem electione populus Romanus divisus est. Nam alii

Theophylactum archidiaconum, alii hunc volebant habere pontificem : sed pars illa, quæ major ac validior fuit, tandem hunc elegit ; et ita cæteris dispersis, iste sedem obtinuit. Hic consecravit episcopos viginti, presbyteros duodecim, diaconos duos.

XCVI. — STEPHANUS IV.

(*Anno Christi* 768.)

Stephanus, natione Siculus, ex patre Olivio, sedit annos tres, menses quinque, dies viginti septem. Dum Paulus papa ex hac vita migrasset, continuo Constantinus quidam laicus a germanis fratribus, et illis quos fratres quoquo modo attrahere potuerunt, latrocinio in patriarchium est introductus ; ibique repente una die fit clericus, alia vero die subdiaconus et diaconus, a Georgio Prænestino episcopo consecratus est : et proximo Dominico die cum multitudine armatorum ad ecclesiam B. Petri properans, a prædicto Georgio et aliis duobus episcopis, Albanense videlicet et Portuense, in pontificem ordinatus est, et unius anni et mensis spatio Romanam Ecclesiam hac invasione detinuit : et infra hoc spatium episcopos octo, presbyteros totidem, et diaconos quatuor ordinavit. Sed prædictus Prænestinus episcopus non multo post divina ultione correptus est : nam dextera manus ejus aruit, et contracta est, adeo ut ad os eam erigere non posset ; et taliter languens vitam finivit. Constantinus vero decurso anni et mensis spatio, a Romanis et Longobardis repente supervenientibus, interfecto uno ex fratribus suis, capitur. Deinde prædicto papæ Stephano jam electo præsentatur, ibique assistentium judicio deponitur. Postmodum prædictus electus in pontificem ordinatur. Inter hæc Theodorus episcopus, Constantini vicedominus, a turba raptus, oculis privatur, lingua truncatur, et Passivus ejusdem Constantini germanus excæcatur, et ipse Constantinus demum capitur, lumine privatur, misere in platea jacere relinquitur. Deinde pro impiæ invasionis præsumptione synodo in urbe Romana congregata, primo omne scriptum de ejus actionibus gestum igni mandatur. Deinde statuitur ut omnia quæ idem Constantinus in ecclesiasticis sacramentis, aut divino cultu egerat, iterarentur, præter sacrum baptisma, aut sanctum chrisma. De contumacibus et inobedientibus, et contentioni et scandalo insistentibus præcepit, si post primam et secundam admonitionem se minime correxerint, ut quasi zizaniorum seminatores ab Ecclesiæ gremio abjiciantur. Hic constituit septem cardinales episcopos, qui alternatim in ecclesia B. Petri apostoli hebdomadas celebrarent, et hymnum angelicum in missarum solemniis decantarent. Hic ordinavit episcopos decem, presbyteros quinque, diaconos quatuor.

XCVII. — S. ADRIANUS.

(*Anno Christi* 772.)

Adrianus, natione Romanus, ex patre Theodoro, de regione via Lata, sedit annos viginti tres, menses decem, dies septem. Hic vir valde nobilis, et fortissimus orthodoxæ fidei, et patriæ suæ, et plebis sibi commissæ defensor, ad sedandas calumnias, et devastationes, quas Desiderius Longobardorum rex in bonis S. Petri exercuit, Carolum Magnum Francorum regem Romam vocavit. Qui cum quinto anno regni sui illuc venisset, inter cætera, quæ ab ipso ibi magnifice gesta sunt, etiam partem aliquam Saxoniæ in provincia Westphalia, quam ad fidem Christianitatis convertit, ut ipse jam prædictus papa præcepit, et docuit, secunda feria Paschæ in basilica S. Petri apostoli, inter cætera, quæ ad manum papæ offerebat, Deo in sacrificium obtulit, et in loco Osbrugge vocato episcopatum constituere, et decimis noviter ad fidem conversorum, si sanus et incolumis remeasset, papa ita dictante, et privilegiis suis confirmante, dotare devovit. Ordinavit autem episcopos centum et octoginta sex, presbyteros viginti quatuor, diaconos sex. Qui defunctus est Kalendis Januarii. Hic episcopis Hispaniarum epistolam destinavit, in qua multis rationibus, multisque multorum auctoritatibus, Christum verum, et non putavium, proprium, et non adoptivum Patris Filium esse comprobavit.

XCVIII. — LEO III.

(*Anno Christi* 795.)

Leo, natione Romanus, ex patre Azuppio, sedit annos viginti, menses quinque, dies sedecim. Hic in natali S. Stephani protomartyris electus est, et insequenti die ordinatus est. Hic cum ex more paratus in litania, quæ major dicitur, incederet, ab iniquis Romanorum captus, oculis est privatus, et lingua truncatus, in arctaque custodia reclusus. Sed, Deo cooperante, et B. Petro suffragante, et visum recepit, et lingua ei ad loquendum restituta est, et ex ipsa custodia liberatus Dei auxilio, ad Carolum regem et Romanorum patricium profectus est : a quo et devotissime susceptus est. Quod nefandissimi Romanorum audientes, falsa crimina ei imponere studuerunt, ut regi et omnibus eum ita odiosum efficerent. Sed prædictus pontifex ad sedem suam reversus, paulo post prænominato rege præsente, cunctisque etiam clero et populo præsentibus, non coactus, sed spontaneus de impositis criminibus jurejurando se expurgavit. Post hæc die Natalis Salvatoris nostri ab omnibus prædictus rex, Romanorum imperator Augustus est constitutus, et a papa nominato pontifice coronatus, et ita ejus tempore primum Romanorum imperium pervenit ad Francos. Hic constituit, ut tres dies ante Dominicam Ascensionem litaniæ celebrarentur. Hic ordinavit episcopos centum et triginta sex, presbyteros triginta, diaconos undecim. Sepultus est autem II Idus Junii.

XCIX. — STEPHANUS V.

(*Anno Christi* 816.)

Stephanus, natione Romanus, ex patre Marino, sedit menses septem. Hic ordinavit episcopos quinque, presbyteros novem, diaconos quatuor.

C. — PASCHALIS.

(*Anno Christi* 816.)

Paschalis, natione Romanus, ex patre Bonoso, sedit annos septem, menses quinque, dies tredecim. Ordinavit autem episcopos, presbyteros et diaconos per diversa loca. Hic de his, qui ob causam frigidæ naturæ se dicunt non posse ad invicem opera carnis dantes commisceri, requisitus, respondit dicens : *Si non possunt, habeant uxorem quasi sororem. Quod si retinaculum jugale volunt recidere, maneant innupti. Nam si hinc non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conveniet? Igitur, si vir aliam vult recipere uxorem, manifesta ratio patet, quia, suadente diabolo, fomite odii exosam habuit eam, et idcirco aliam dimittere mendacii falsitate molitur. Quod si mulier causatur, et dicit : Volo mater esse, et filios procreare; eligantur ex utraque parte tres propinqui parentes, qui jurejurando dicant tactis sacrosanctis Evangeliis, quod nunquam hi permistione carnis conjuncti una caro efferti fuissent; tunc videtur mulier secundas posse contrahere nuptias. Humanum dico, propter infirmitatem carnis eorum. Vir autem, qui frigidæ naturæ est, maneat innuptus. Quod si ille aliam copulam, cui conveniat, requirit, tunc hi, qui juraverunt, sunt perjuri, et rei crimine tenentur. Ex hoc nimirum eorum fraus detegitur, si uterque alias nuptias expetunt.*

Hic Mediolanensi Ecclesiæ de Simoniaca hæresi scripsit epistolam, quæ ita incipit : *Fraternæ mortis crimen incurrit, si quis, cum potest, fratrem a morte minime defendit. Nos vero, qui excellentiæ vestræ animarum discrimen audivimus, summi reatus pœnam incurrimus, si taceamus, Domino per prophetam intonante : quia profecto sanguinem fundit, qui impiorum iniquitatem tacendo dissimulat. Audivimus enim, quod valde miramur, quod sacri ordines apud vos pecuniis distrahuntur, cum quicunque tale aliquid tentaverint, omnino hæretici comprobentur, Spiritu sancto per Gregorium sic intonante : Quia quisquis per pecuniam ordinatur, ad hoc ut fiat hæreticus promovetur : et quisquis contra Simoniacam hæresim neophytorum pro officii sui loco, non exarserit, eum eo non dubitet se habere portionem, qui primus commisit hoc piaculare flagitium. Et quod æterna morte hoc flagitium sit dignum, Augustinus et Fulgentius ostenduni, ita dicentes : Firmissime tene, et nullatenus dubita, omnem hæreticum et schismaticum, quamvis multas eleemosynas faciat, vel etiam sanguinem suum fundat, cum diabolo et angelis ejus æterni ignis incendiis mancipandum, nisi ante finem hujus vitæ catholicæ incorporatus et redintegratus fuerit Ecclesiæ. Et turpe nimis est, ut plenissimo jam vigore confirmata Ecclesia tam ferali inimico succumbat, de quo in primordio suæ infantiæ tanta virtute triumphavit. Si quis autem objecerit, non consecrationes, sed res ipsas quæ ex consecratione proveniunt, vendi; videtur quidem aliquid dicere, nihil autem penitus sapere. Nam cum corporalis ecclesiæ, aut episcopus, aut abbas, aut aliquis alius sine rebus corporalibus et exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore temporaliter vivit; quisquis eorum alterum vendit, sine quo alterum haberi non provenit, neutrum venditum dereliquit. Quam tamen objectionem sacer penitus canon exterminat, cum procuratorem vel defensorem ecclesiæ, vel regulæ subjectum adeo per pecunias ordinari prohibeat, ut interventores quoque tanti sceleris anathematis mucrone succidat.* Item in eadem paulo inferius : *Quod tales episcopos, vel abbates, vel reliquos clericos non devitamus, si eorum missas audimus, vel cum eis oramus, excommunicationem cum eis subimus : quos quidem sacerdotes esse saltem credere, omnino errare est.*

CI. — EUGENIUS II.

(*Anno Christi* 824.)

Eugenius, natione Romanus, sedit annos quatuor, menses septem, dies viginti tres. Hujus diebus Romani judices, qui in Francia tenebantur captivi, reversi sunt.

CII. — VALENTINUS.

(*Anno Christi* 827.)

Valentinus, natione Romanus, ex patre Leontio, sedit mensem unum, dies decem.

CIII. — GREGORIUS IV.

(*Anno Christi* 827.)

Gregorius, natione Romanus, ex patre Joanne, sedit annos sedecim. Hic ordinavit episcopos, presbyteros, diaconos per diversa loca, numero centum et octoginta quinque. Hic civitatem Ostiæ, quæ vetustate diruta fuerat, a fundamento renovavit, ne Agareni in eo tempore circumvagantes, Christianis ibidem morantibus nocere possent, et ipsam urbem Gregoriopolim nominari jussit.

CIV. — SERGIUS II.

(*Anno Christi* 844.)

Sergius, natione Romanus, ex patre Sergio regionis quartæ, sedit annos tres. Hic absque jussione Lotharii imperatoris est ordinatus. Unde, cum ejus consecrationis rumor ad prædicti aures imperatoris pervenit; indignatus de hac præsumptione, filium suum Ludovicum et Drogonem Metensem episcopum cum magno exercitu Romam direxit. Qui post multa damna Romanis illata, ipsos Romanos imperatori fidelitatem jurare fecerunt, et prædictum Sergium post multas contentiones in sede demum confirmaverunt : qui prædictum filium imperatoris in regem Longobardorum unxit. Hujus pontificis fuit frater, Benedictus nomine, brutus et valde stolidus : qui propter pontificis imbecillitatem, ecclesiasticam et publicam curam usurpavit; ad hoc etiam maximis muneribus primatum et dominium Romæ ab imperatore sibi acquisivit; demum vero Albanensem episcopatum usurpare non metuit, et omnia intra et extra Romam sua avaritia et vanitate vastavit. Vigebat etiam istius pontificis et fratris ejus tempore Simoniaca hæresis in tantum, ut etiam venderentur episcopatus : et qui plus dabat, episcopatum accipiebat. Nec erat aliquis episcoporum, aut quisquam virorum ecclesiasticorum, qui zelo Dei ductus, cum

imperatore aut rege ageret ut hoc nefas prohiberetur. Et quia nemo erat Christianorum, per quem hoc malum corrigeretur, misit divina potentia flagellum paganorum ad ulciscenda peccata Christianorum. Nam supervenientes Saraceni innumeros hominum interfecerunt, castella et urbes multas captas accepta præda igni dederunt : demum regem expugnantes fugaverunt, et, multis captis et interfectis, maxima hominum et omnium rerum præda onusti reversi sunt. Hic ordinavit episcopos viginti quinque, presbyteros octo, diaconos tres.

CV. — LEO IV.

(*Anno Christi* 847.)

Leo, natione Romanus, sedit annos octo, menses sex, dies tres. Hunc Romani omnes unanimiter elegerunt : et dum in ejus electione nimis gauderent, cœperunt iterum non mediocriter contristari, eo quod sine imperiali auctoritate futurum non audebant consecrare pontificem ; et periculum Romanæ urbis maxime metuebant, ne iterum, ut olim, ab aliis hostibus fieret obsessa. Hoc timore futuri casus perterriti, cum continuo pontificem non exspectata principis sententia, consecraverunt. Hic secundum antiquam consuetudinem canonica auctoritate constituit, ut, dum sacra missarum solemnia in ecclesia celebrantur, nullus ex laicis in presbyterio stare, vel sedere, aut ingredi præsumat, nisi illi qui ad hanc ministrationem sacri officii constituti videntur. Hujus temporibus Romæ in quibusdam cavernis basiliscus ortus est, qui flatu suo ac visione omnes accedentes necabat, et morti mandabat : quem prædictus pontifex ad ipsum foramen veniens, sua oratione fugavit, et nullum postea ex ipso signum læsionis apparuit. Hic octavam Assumptionis sanctæ Dei genitricis Mariæ devotissime primum celebravit, et semper celebrandam esse firma institutione mandavit.

Hic consilio et auxilio Lotharii imperatoris, urbem, quam circa ecclesiam B. Petri incœperat, pleniter consummavit, et cum litania eam circumdans, et aqua exorcizata aspergens, sanctificavit, et suo postmodum nomine Leonianam eam vocavit. Hic videns multa suo in tempore contra Deum et salutem animarum impudenter fieri, consilio imperatorum Lotharii et Lodewici Romæ synodum habuit cum sexaginta septem episcopis : cum quibus quadraginta duo capitula Christianorum saluti necessaria edidit, et firmiter firmanda esse præcepit.

In primo enim capitulo instituit, ut episcopus juxta Pauli discretionem et admonitionem irreprehensibilis, et boni operis desiderabilis (*I Tim.* III) consecretur.

Secundo, quisque sacerdos caveat ne præmiis consecrationem adipiscatur, ne exemplo Simonis in laqueum incidat diaboli (*Act.* VIII).

Tertio, ut bono opere episcopus existat, et bene speculetur qualiter populum verbo prædicationis instruere debeat.

Quarto, ut, si episcopus inveniatur inductus, a metropolitano admoneatur, et presbyteri, et diaconi, et subdiaconi a suo episcopo, ut doceri possint, admoneantur : et interim tales presbyteri et clerici celebrare divina mysteria et officia suspendantur, ut docti valeant ad debitum ministerium pervenire.

Quinto confirmavit, quæ Cœlestinus et Magnus Leo de episcopis instituerant, videlicet, ut non conveniat episcopum consecrari, nisi a clericis et populo fuerit postulatus : quia nulla ratio sinit ut aliter consecrati inter episcopos habeantur. Et cum in eadem ecclesia dignus non invenitur, tunc primum altera ecclesia eligatur ; et quamvis necessitas eveniat, tamen invidiose nullo modo consecretur.

Sexto præcepit, ne, juxta Sardicensem synodum, ultra trium hebdomadarum spatium episcopi a propriis ecclesiis morentur, nisi forte per jussionem metropolitani vel principis ex necessitate contingat : quia absentia episcopi plerumque fit calamitas plebis.

Septimo necessario servari præcepit, ut juxta ecclesiam claustra constituantur, in quibus clerici disciplinis ecclesiasticis imbuantur, et omnibus unum sit refectorium ac dormitorium, sive cæteræ officinæ ad usus clericorum necessariæ. Ministri vero post episcopum tales eligantur, quorum vita et doctrina illos potius exornent quam dehonestent.

Octavo, ut episcopi diligenter curam habeant in baptismalibus plebibus, et, cum necessitas in eis presbyteros ordinandi occurrerit, ut reverentius observentur, non sine consensu ibidem habitantium fieri convenit.

Nono, ut in congregandis clericis non plures admittantur, quam facultas rerum eis canonice attributa sufficere possit.

Decimo, ut sacerdotes constitui non oporteat, nisi ecclesiis, aut speciali monasterio deputentur, ne necessitas in sæcularibus domibus illis habitandi occurrat ; aliquin a propriis episcopis, aut in episcopio, aut in monasteriis causa habitandi et conversandi pro exercendo officio constituantur, ubi mulieres nullam habeant copiam conversandi.

Undecimo, ut sacerdotes divina eloquia sedulo perscrutentur, et populum admoneant, et ludos aliquos ante se fieri non delectentur. Transgressores quippe admonitione episcopi ulterius agere desinant ; sin autem, canonice judicentur.

Duodecimo, ut sacerdotes, qui ad debita et opportuna officia in ecclesiis indifferenter adesse debent, fenore aliquo, aut venatione, vel aliqua aucupatione, rusticorum ministerio omnino non occupentur, nec sine ornatu sacerdotali extra domos suas appareant, et ea solum, quæ Patrum constituta videntur, observent ; contrarii denique inventi, aut deinceps desinant, aut canonicæ disciplinæ subjaceant.

Tertiodecimo, ut sacerdotes in sæcularibus negotiis pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non rogentur, quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si enim eventu causæ aliquid videriut aut

audierint, ubi nullæ sæcularium idoneæ personæ inveniantur, ne veritas occultetur, et malus ut bonus existimetur, in providentia sit episcopi, ut coram se et competentibus judicibus hanc aliter veritatem honorifice attollant.

Quartodecimo, ut sacerdos, aut quis alius in ecclesiastico ordine provectus, si in eo scelere inveniatur quo abjiciendus sit, depositus providentia episcopi bene proviso loco constituatur, ubi peccata lugeat, et ulterius non committat.

Quintodecimo, ut, si episcopus (dist. 81, c. *Si quispiam*), presbyter, diaconus, vel subdiaconus de quacunque femina crimine fornicationis suspicatus, post primam et secundam et tertiam admonitionem metropolitani, vel alterius episcopi, aut ejus cui subjacere videtur, inveniatur fabulari cum ea, aliquove modo conversari, canonice judicetur : quia cui propriam habere uxorem non permittitur, ab omni femina debet se abstinere.

Sextodecimo, ut nulli episcoporum liceat res immobiles de subjectis plebibus aliisque piis tollere locis, ne in tali facto pauperes inveniantur ; contra agens canonica auctoritate coarctandus existat.

Septimodecimo, ut presbyteri omnium ad se currentium in quibuscunque sacris locis oblationes ad missarum solemnia recipiant : quia cum Dei et hominum mediatores existant, in exercendis votis, et relaxandis peccatis, largissimam debent orationem peragere.

Octavodecimo, ut episcopus sibi subjecto sacerdoti, vel alii clerico, nisi ab alio postulatus, dimissorias non faciat : et ne falsæ ut veræ credantur, et veræ ut falsæ suspicentur, universalis pontificis, vel imperiali, vel metropolitani bulla eas roborari oportet.

Nonodecimo, ut episcopi, universique sacerdotes, quia ad solam Dei laudem, bonorumque operum actionem constituuntur, debeant tam pro ecclesiasticis, quam pro propriis suis actionibus, excepto publico crimine, habere advocatum non malæ famæ suspectum, sed bonæ opinionis, et laudabilis artis inventum, ne, dum humana lucra intendunt, æterna præmia perdant.

Vigesimo, ut, si quispiam sacerdotum inventus fuerit, qui advocatum in judicio proferre non valeat, coram plebe propria suus episcopus ipsum sacerdotem discutiat, si bonæ an malæ conversationis existat, aut cujus rei causa debite advocatum habere non possit : male vero inventus, pro qualitate culpæ secundum canonem normam emendari curetur.

Vigesimoprimo, ut monasterium, vel oratorium, canonice constructum a dominio constructoris, eo invito, non auferatur ; liceatque illi idem presbytero, cui voluerit, pro sacro officio illius diœceseos, et bonæ auctoritatis, dimissorie cum consensu episcopi, ne malus existat ; commendare, ita ut ad placitam et justam reverentiam illius episcopi obedienter sacerdos recurrat, alioquin canonicis ultionibus subjaceat.

A Vigesimosecundo sancivit, ut, si quispiam comprobatus invasor, dicat pro parte ecclesiæ se egisse de privata sibi re pertinente, ab ipso suoque hærede persolvatur invasio. Sacerdos denique in tali culpa pauper inventus, a proprio canonice judicetur episcopo, episcopus a metropolitano ut non ecclesia sibi commissa damnum sustineat de invasione.

Vigesimotertio, de monasteriis monachorum, sive sanctimonalium, et de omnibus aliis pro diversis necessitatibus ad eleemosynam constitutis præcepit, ut per episcoporum sollicitudinem, in quorum diœcesi hæc existunt, ordinentur ad easdem utilitates, quibus constituta sunt.

Vigesimoquarto, disposuit de ecclesiis, quæ in diversis regionibus sacerdotibus et solitudine destiB tutæ, nullo debito officio resonant, ut episcopus, si proprio juri ecclesiæ sunt subjectæ, ibidem sine intermissione presbyterum constituat ; ut, si in sæcularium hominum sunt jure constitutæ, ab episcopo admoneantur, et si, admoniti, presbyteros infra trium mensium spatium ibidem neglexerunt constituere absque neglectu principis, urgeat episcopus, ut ejus sententia emendetur.

Vigesimoquinto, ut ecclesiæ quælibet destructæ proprio stipendio restaurentur ; non sufficiente vero necessario, a populo plebis auxilientur.

Vigesimosexto, ut nulli episcoporum liceat a subjecto sacerdote, vel alio quolibet clerico ex piis locis donationes ultra statuta Patrum exigere, aut superimposita [superposita] in angariis inferre.

C Vigesimoseptimo, ut abbates tales constituantur, qui sui vocabuli ministerium Deo possint indubitanter supplere : ita docti, ut quæcunque fratrum negligentia acciderint, omnino cognoscere possint, et emendare.

Vigesimooctavo, ut episcopus in sua diœcesi diligenter perscrutetur illos, qui solo habitu monachi existunt, et ad proprium monasterium redire eos cogat, aut prospectu congruo in aliud mittat, ut regularem vitam servent.

Vigesimonono, ut feminæ quæ habitum religiosum, aut velamen obtentu religionis susceperunt, deinceps viro sociari non permittantur ; prævaricatæ autem, ad pœnitentiam coerceantur.

D Trigesimo, ut die Dominico nullus audeat mercationes, nisi in cibariis rebus, aut quælibet rustica opera facere ; alioquin, ut transgressor, ad pœnitentiam redigatur.

Trigesimoprimo, ut Dominico die personam suspectam et reatu infamem, aut optima satisfactione solvant, aut in custodiis constituant, ut licitis diebus judicetur ; nam legibus infirmatur judicium Dominico die depromptum.

Trigesimosecundo, ut nulli laicorum liceat in eo loco, ubi presbyteri et cæteri clerici existunt, quod presbyterium nuncupatur, quando missa celebratur, consistere : quia, sicuti in ecclesia singula loca videntur exposita, ita virorum pars et mulierum partibus suis debet esse contenta.

Trigesimotertio statuit, ut, sicut hi, qui monasteria elegerunt, a monasteriis egredi non permittuntur: ita hi, qui inviti sine justæ offensionis crimine monasteriis sunt intromissi, nisi volentes non teneantur; quia quod non petunt, non observant.

Trigesimoquarto, ut magistri et doctores in singulis locis, in quibus necessitas occurrit, constituantur, qui liberales artes assidue doceant: et si tales non inveniuntur, tamen divinæ Scripturæ magistri et institutores ecclesiastici officii nullatenus desint.

Trigesimoquinto, ut sacerdotes admoneant viros ac mulieres, qui festis diebus ad ecclesiam concurrunt, ne ballando, et turpia verba decantando choros teneant ac ducant, similitudinem paganorum peragendo: quia tales, si cum minoribus peccatis ad ecclesiam veniunt, cum majoribus revertuntur. Si vero non cessant admoniti, a communione modis omnibus suspendantur.

Trigesimosexto, ut nulli liceat, excepta causa fornicationis, uxorem relinquere, et aliam sibi copulare: alioquin convenit transgressorem sociari priori conjugio. Si autem vir et uxor solummodo pro religiosa vita divortire inter se consenserint, nullatenus sine conscientia episcopi fiat, ut ab eo singulariter proviso constituantur loco: nam uxore nolente, aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non solvatur.

Trigesimoseptimo, ut nulli liceat uno tempore habere uxorem et concubinam; quia cum domi non sit lucrum, animæ fit detrimentum: alioquin ecclesiastica communione videatur indignus: et si perseveraverit, ab ecclesia penitus amputetur.

Trigesimooctavo, ut de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, nullus audeat in conjugium copulare: si quis vero fecerit et perseveraverit, sciat se vinculis anathematis innodatum.

Trigesimonono, ut nullus absolute presbyter ordinetur, et ut juxta facultatem rerum ecclesiæ, et oblationes, vel reditum clerici ordinentur.

Quadragesimo, ut presbyteri urbani et suburbani, et rurales omnes, indifferenter ad concilium episcopi veniant, aut canonum correptionibus subjaceant.

Quadragesimoprimo, ut laicus, qui presbyterum sine consensu episcopi proprii sua potestate ecclesiæ cuicunque instituerit, a fidelium communione separetur. Presbyteri, si tertio ab episcopo, vel legato ejus, de alterius ecclesia recedere admoniti, obedire noluerint, proprii officii gradum amittant.

Ultimo vero capitulo immutabiliter præcepit, ne ullus abbas, aut quilibet alius præsumat presbyteros in ecclesiis statuere, nisi qui et sacerdotis gradus licite dare possunt, et canonice de neglectis presbyteros increpare: sed ab his venerabiliter sacerdotes ad divini ministerium officii expetantur episcopis, quibus singulariter et diœceses pertinent, et qui canonice debent ipsis ecclesiis providere, et provisas ordinare.

Prædictus pontifex in prædicta synodo Anastasium presbyterum in aliena diœcesi morantem, et sæpenumero vocatum, demumque excommunicatum, et tamen ad propriam parochiam redire nolentem, deposuit, et penitus sacerdotali honore privavit. Item in eadem synodo monuit, et apostolica auctoritate præcepit, ut unusquisque episcopus per diœceses et parochias suas, per se et per sacerdotes suos subjectum sibi populum moneat, ut primitias et decimas incunctanter persolvant: has autem dare nolentes, quousque suppleant, a cibo et potu suspendant. Quod si nec pro hac suspensione supplere curaverint, sancta communione priventur. Item, in eadem irrefragabiliter affirmando instituit, ut nullus episcoporum vel sacerdotum rem sui tituli usurpare aut alienare præsumat: qui autem hoc fecerit, canonicam sine dubio subeat ultionem. Hic ordinavit episcopos quadraginta tres, presbyteros vero undeviginti, diaconos septem. Obdormivit autem in Domino XVI Kalend. Augusti.

CVI. — BENEDICTUS III.

(*Anno Christi* 855.)

Benedictus, natione Romanus, ex patre Petro, sedit annos duos, menses sex, dies decem. Fuit autem temporibus Loduwici filii Lotharii, filii Loduwici imperatoris. Postquam clerus et populus hunc et renitentem elegerunt, et juxta morem in patriarchium deduxerunt, decretum componentes, et manibus propriis roborantes, ut prisca consuetudo poscebat, invictissimis Lothario ac Loduwico Augustis destinaverunt. Sed legati, qui decretum deferebant, in itinere, corrupti in Anastasium presbyterum a Leone depositum, voluntate illum præficiendi, declinaverunt, et hoc apud principes prædictos versutia calliditatis effecerunt, quatenus eorum voluntati consentientes Romam legatos, qui Anastasium inthronizarent, dirigerent. Qui cum illuc venerunt, prædictum depositum violenter in patriarchium introduxerunt, et Benedictum ejectum, et pontificali veste denudatum, in arcta custodia servari jusserunt. Sed demum ex communi voto et sententia, triduano jejunio cum oratione et vigiliis celebrato ab omnibus, et etiam ab his qui prius excommunicato presbytero faverant, unanimiter nutu divino in Benedictum convenerunt; et in præsentia et consensu imperialium legatorum, est in pontificem consecratus.

Hic Ratoldo episcopo de parricida ita scripsit: *Volumus, ut per duodecim annos sub onere pœnitentiæ constituatur, ita ut omnibus diebus jejunium celebret usque ad vesperum, et absque carne vinoque ac pisce cibum sumat, exceptis diebus festis ac Dominicis, et a Pascha usque Pentecosten: per quinquennii vero tempus in ecclesiam intrare non præsumat, neque communicet; ante fores ecclesiæ tantum perseveret, dum sacra celebrantur officia. Cum autem quinque annorum fuerint adimpleta curricula, ingrediatur ecclesiam, et inter audientes stet cum omni timore atque obedientia. Dum vero ad annum pervenerit decimum, sanctæ communionis consors existat, et inter fidelium consortium maneat. Si vero ante constitutum tempus finis vitæ*

illius auxenerit, viaticum ei non negetur, juxta traditiones canonum.

CVII. — NICOLAUS I.

(*Anno Christi* 858.)

Nicolaus, natione Romanus, ex patre Theodoro regionario, sedit annos novem, menses septem, dies novemdecim. Hic a Romano clero et populo unanimiter electus, præsente et jubente Cæsare Loduwico, est consecratus. Hic Joannem episcopum Ravennatem multa contra canonica instituta præsumentem communione privavit, qui ter ad synodum litteris vocatus, venire contempsit : sed postea misericordia motus, eidem humiliter veniam postulanti communionem reddidit : cui inter cætera in mandatis dedit, ut episcopos per Æmiliam non consecraret, nisi post electionem ducis, et clerici, et populi, per epistolam apostolicæ sedis præsules eos consecrandi licentiam acciperet. Idem pontifex quemdam diaconum apostolicam sedem appellantem, ab episcopo suo invidiose depositum, officio suo restitui jussit : et quia sine certo numero episcoporum, imo sine criminis approbatione, et sine oris professione ipse diaconus fuerat judicatus, omnem illam judicii sententiam cassavit, et ad rectitudinis tramitem apostolica pietate causam reduxit.

Hujus pontificis temporibus Lotharius rex uxorem legitimam, nomine Thietbergam, dimisit, et Waldradam concubinam in matrimonium assumpsit. Hujus autem sceleris auctores et defensores erant Theotgaudus Treverensis, primas Belgicæ provinciæ, et Guntarius Coloniensis archiepiscopus. Unde prædicti episcopi Romam vocati fiducialiter venerunt, et summo pontifici libellum incesti matrimonii defensionem continentem obtulerunt, dicentes se nihil plus minusve egisse, quam in prædicto libello continebatur. Sed multa in eo continebantur, quibus merito in prædictos archiepiscopos postea depositionis sententia proferebatur, sicut summus pontifex dicit in epistola quam Rhemensi archiepiscopo et cæteris episcopis in regno Caroli regis degentibus destinavit ; et in alia, quam scripsit omnibus episcopis qui erant in regno Loduwici. Inquit enim, eos depositos fuisse : primum, quia jussionibus quas de Ingeltrude, et Thietberga, sive Waldrada, fecerat, inobedientes fuerunt. Secundo, quia Ingeltrudam anathematis vinculo innodatam recipere et absolvere præsumpserunt cum hi, qui ab uno abjiciuntur, ab aliis non sint recipiendi. Tertio, quia scripta apostolica subtrahendo et addendo transmutantes, falsitatis rei manifestissime claruerunt. Quarto, quia adulteris consenserunt, et tantum flagitium defendere tentaverunt, juxta illud : *Et cum adulteris portionem tuam ponebas* (*Psal.* XLIX). Quinto, quia de negotio, unde ad Romanam sedem fuerat appellatum, præter auctoritatem apostolicam judicare ac definire temere præsumpserunt : quod nullatenus licet. Sexto, quia hoc in absentia peregerunt, contra illud : *Ne maledicas surdo* (*Levit.* XIX). Surdus namque quodammodo est, qui in absentia positus, quæ sibi objiciuntur, non audit ; sicut Thietberga fuit, cui rex securitatem idoneam veniendi tribuere noluit. Septimo, quia profanis gestis subscripserunt, et alios subscribere compulerunt, et tot animarum rei constituti sunt, quot, utpote præeminentes, in hoc verbo vel facto prævaricationis præcipitium submiserunt.

Idem summus pontifex in alia epistola, quam Viennensis Ecclesiæ archiepiscopo scripsit, de pontificibus, qui aliqua ægritudine occupantur, decreto statuit non esse abjiciendos, nec alios in eorum loco consecrandos, nisi ex hac luce fuerint subtracti : sed de ministerio eorum, quæ sunt licita, sacerdotes expleant ; in his vero, quæ eis non licent, vicinorum episcoporum auxilia subrogentur. Item in eadem præcepit, ne episcopi, qui Dominici gregis curam susceperunt, a ministratione eorum discedant. Item, nec clerici, qui in adolescentia a dæmonibus cognoscuntur oppressi, ad superiorem graduni ascendere permittantur. tem (dist. 50, c. *Hi qui*), si arbor cadens forte occidit hominem, innoxii sint qui eam inciderint, si nec voluntate nec desiderio eorum homicidium perpetratum est. Si vero aliqua culpa vel neglectu eorum morientis hominis periculum cognoscitur evenisse, abjiciendi sunt gradu, et nullatenus in sacro ordine suscipiendi. Item concessit, ut viri, qui pro illicitis pœnitentiam agere videntur, si se continere non possunt, post peractam pœnitentiam propter periculum fornicationis uxores accipiant.

Idem pontifex in epistola, quam Carolo Moguntinensi episcopo destinavit, vetuit, ne episcopus plebem sibi commissam juramentis constringeret. Item, ut nulli Christiano liceat de propria consanguinitate sive cognatione uxorem accipere, usque dum generatio cognoscitur, aut memoria retinetur. Item, ut sacerdotes (dist. 50, c. *Sacerdotes*, et c. *Studeat*), si in fornicationis laqueum ceciderint, et criminis actus manifestus sive ostensus fuerit, sacerdotii honorem habere canonice non possint : si vero in crimine fornicationis fuerint accusati, et crimen illud non fuerit comprobatum, aut ipsi non manifestaverint ; licentiam habeant, si se voluerint, juramento purificare. Similiter et diaconi, si fuerint accusati, peragant. Item feminæ sub velamine consecratæ, si fuerint fornicatæ ; velum tamen non deponant, sed jugo pœnitentiæ submissæ, ad gratiam remissionis studeant pervenire. Item patricidas et fratricidas primo anno extra ecclesiam stare præcepit, secundo in ecclesiam introduci ; non tamen communicare : tertio anno corporis et sanguinis Domini communionem eis tribui jussit : carnem cum vino vitent, exceptis diebus festis usque ad nonam jejunent, vinum et pulmentum sumere non præsumant nisi tres dies per hebdomadam : arma non gerant, nisi contra paganos : et nullo vehiculo deducantur, sed pedites, quo debent, proficiscantur. Hujus pœnitentiæ tempus in arbitrio sit episcopi juxta conversationem illorum, abbreviare. Si uxorem habent, non separentur ; sed si vero non habent, et se continere

non valent, legitime accipiant. Si quis cum duabus sororibus, aut cum his, quas sacra Scriptura prohibet, fuerit fornicatus, si dignam egerit pœnitentiam, liceat ei uxorem accipere. Similiter et mulieri tali scelere lapsæ facere licet. Item, quærentibus, utrum marito uxorem adulteram juxta mundanam legem interficere liceat, respondit, dicens : *Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus, quæ gladium non habet nisi spiritualem, qui non occidit, sed vivificat. Mundavit etiam, ut homicidas post unius anni spatium liceat ecclesiam introire.* Item, ut vidua velata, et in eodem habitu permanere professa non præsumat.

In alia epistola, quam Luitberto archiepiscopo idem pontifex direxit, præcepit, illum, qui paganum, non in bello, sed odii meditatione, vel propter avaritiam occiderit, ut homicidam debere pœnitere. Item juxta morem Romanæ Ecclesiæ a Quinquagesima usque in Pascha etiam laicis a carne abstinendum esse præcepit. Item de eo, in cujus lancea alter se interemit, ita præcepit : *Si ejus voluntate, qui lanceam tenuit, gestum est, homicidii reus habetur; si autem eo ignorante patratum est, innoxius esse videtur.* Item illum, qui causa probandæ chordæ sagittam emittens filium proprium nolens interemit, jussit pœnitere, ut de homicidio non sponte peracto. De eo, qui insaniens aliquem occiderit, dicit : *Si ad sanam mentem perveniret, levius pœnitere debet, quam si quis sanæ mentis hoc faceret.*

Idem pontifex Constantiensi episcopo Salomoni (30, q. 1, c. *Salomoni*) epistolam scripsit, in qua prohibet, ne unus homo accipiat duas commatres spirituales, unam post aliam : quia cum vir et uxor una caro per connubium efficiantur, restat nimirum compatrem constitui illi mulieri, cujus in matrimonio assumpta uxor commater esse videbatur : et idcirco dicit, virum non posse illi mulieri jungi in copula, quæ commater erat ejus, cum qua una caro fuerat effectus. Item præcipit, ne mulier, quæ viri filium ex alia femina genitum de sacro fonte levavit, propter hoc a viro separetur, quia secundum sacros canones, nisi ex amborum consensu et religionis obtentu non debet conjugem dimittere conjux : habet tamen grave peccatum mulier, quæ odio habens maritum, quasi causa pietatis operatur impietatem. Item de presbytero (15, q. 5, c. *Presbyter*) vel diacono, quem asserebat Salomon episcopus crimina nolle publice confiteri, sed velle se cum sacramento defendere, et tamen dicebat notum esse episcopo scelus ipsius fore patratum; respondet, non esse episcopo scelus legitime manifestum, si presbyter vel diaconus non fuerit per approbationem testium forte convictus, aut ipse sua fuerit sponte scelus ipsum confessus. Idcirco, priusquam alterum horum eveniat non debere suo privari officio : quia sola spontanea confessio, vel canonicus numerus, et qualitas testium, decernentibus episcopis, et accusatore, quod objecerit, comprobante, clericum proprio gradu privat.

Item dicit, monachum, qui semel se Deo vovit, et regulam sanctorum Patrum suscepit, non jam a proposito posse reverti.

Prædictus pontifex Photium Constantinopolitanum deposuit, quia ex laico consecratus ab excommunicato episcopo, et adhuc Ignatio patriarcha superstite, subito episcopus est consecratus; et quia ante audientiam excommunicatis communicare præsumpserat.

Idem pontifex Rothardum episcopum Suessionensem, ab Hincmaro Rhemensi archiepiscopo depositum, sedi suæ restituit; quia Romanæ sedis appellatio apud prædictum archiepiscopum tempus dilationis impetrare non valuit. Hic ordinavit episcopos sexaginta quinque, presbyteros septem, diaconos quatuor. Idibus autem Novemb. migravit ad Dominum.

CVIII. — ADRIANUS II.

(*Anno Christi* 867.)

Adrianus, natione Romanus, ex patre Thalaro, sedit in episcopatu annos quatuor, menses undecim, dies decem. Hic ab omnibus Romanis unanimiter electus est. Quorum unanimitatem et desiderium audiens Lodewicus imperator, cognoscens etiam, qualiter in eo decretum suis subscriptionibus roborassent, valde gavisus, mox imperialem scripsit epistolam, per quam electam fieri præsulem collaudavit. Hujus temporibus Lodewicus dedit Ecclesiæ Corbeiensi et Herifordensi quasdam decimales ecclesias cum ipsis decimis in parochia Osbrugensi [Osnabrugensi], consentiente episcopo et omni clero. Carolus Romanorum imperator et patricius dedit honorificatæ Ecclesiæ, et honorificandæ a Deo Hersveldensi, quasdam decimas in Frisonevelt et Hassega Halberstadensi adjacentes diœcesi, quas Stephanus papa in basilica B. Petri die sancto Paschæ sua auctoritate et imperatoris subscriptione, et Hisdegino [a] Halberstadensi episcopo præsente, confirmavit. Carolus quippe omnes decimas in Saxonia constituerat ad regale servitium, et eas rex dare potuit, quo voluit.

Hic apostolica auctoritate firmavit, si deinceps quispiam episcopum occidere tentaverit, vel flagellare, aut saltem percutere, ut a Deo et sanctis ejus omnibus sit anathema. Illos autem, qui illicitas et incestuosas copulas contrahunt, si secundo vel tertio admoniti eas non dissolvunt, et dignam pœnitentiam non egerint, a liminibus ecclesiæ cum suis sequacibus eliminandos esse decrevit. Item raptores virginum, qui eas legitimo nuptiali jure, vel secundum ritum, vel legem, vel pacem, acquisivisse noscuntur, eadem sententia feriri jussit : quos tandem, nisi a prava intentione recesserint, anathemati submittendos esse modis omnibus judicavit. Item homicidas, et hominum truncatores, si non secundum legem emendaverint, et pœnitentiam non egerint, similiter invasores et incendia facientes, atque raptores, pari sententia feriendos esse dixit. Item statuit, ne ulli

[a] *Hildegrino* de quo Alb. Krantzius lib. I Metropolis, c. 2.

liceat clericum attitulare in ecclesia præter episcopum, ad cujus ordinationem et potestatem diœcesis omnium jure Ecclesiarum, secundum antiquam constitutionem, pro sua cuique pertinente parochia.

CIX. — JOANNES VIII.

(*Anno Christi* 872.)

Joannes sedit annos decem, dies duos. Hic decreto suo statuit, ut nulli ducum liceat quemlibet episcopum in præsentiam Romani præsulis introducere, vel census ab eo ad sumptus publicos, seu dona quælibet exigere; sed nec coram laicis episcopum concessit : clericos et sanctimoniales, pupillos et viduas sub tutela episcoporum esse decrevit, et eos ad sæcularia judicia trahi modis omnibus interdixit. Quemlibet autem ducem vel alium contra hæc agentem, excommunicandum esse decrevit; perseverantem vero anathematis vinculo innodandum.

Idem inter cætera de decimis sacerdotibus dandis ita præcepit : *Quas*, scilicet decimas, *unumquemque fidelem illi sacerdoti dare censuimus* [a] *in cujus parochia dum procul dubio constat sub episcopi proprii ditione, quia ad hoc recipiendum ab episcopo suo est constitutus, manere; et ideo nullum alterius diœceseos sacerdotem aut levitam alteri jure ea novum* [fors. *canonum*] *debita hujusmodi audire impudenter, vel temere quærere, aut accipere damnationem* [*for. tantum*, donationem] *vel donationem. Cum vero qui aliter dare vel accipere præsumpserit, ecclesiastica communione tandiu judicamus manere privatum, donec secundum hoc nostræ apostolicæ auctoritatis capitulum studuerit agere.*

Hujus temporibus Lodewicus imperator ab Adalgiso Beneventano duce constrictus timore vitæ, jurejurando firmavit, nunquam se Beneventi fines ultra intraturum, neque ex periculo injuriæ tunc sibi illatæ vindictam aliquando exacturum. Ab hoc autem juramento postmodum prædictus papa eum Romæ absolvit auctoritate Dei et S. Petri, affirmans nihil sibi obesse, quod ob mortis periculum evadendum coactus fecerat, nec sacramentum esse dicendum, quod contra salutem reipublicæ, quamvis cum multis exsecrationibus, fuerit prolatum.

CX. — MARINUS.

(*Anno Christi* 882.)

Marinus sedit annum unum, menses quinque.

CXI. — ADRIANUS III.

(*Anno Christi* 884.)

Adrianus sedit annum unum, menses quatuor.

CXII. — STEPHANUS VI.

(*Anno Christi* 884.)

Stephanus sedit annos sex. Hic Herimannum [b] Coloniensem archiepiscopum, et Adalgarium Hamburgensem archiepiscopum de Bremensi ecclesia contendentes Wormatiam ad synodum venire jussit; ubi Fulconi Rhemensi episcopo vice sua commissa causam eorum examinari mandavit.

CXIII. — FORMOSUS.

Formosus Portuensis episcopus, sedit annos quinque, menses sex [c]. Qui Formosus religiosissimus a Romanis vehementer afflictabatur; cujus et hortatu rex Arnulphus Romam advenerat. In cujus ingressu, ulciscendo papæ injuriam, multos Romanorum principes obviam sibi properantes decollari præcepit. Causa autem simultatis inter Formosum papam et Romanos hæc fuit : Formosi decessore defuncto, Sergius quidam Romanæ Ecclesiæ diaconus fuit, quem Romanorum pars quædam papam sibi elegerat : quædam vero pars non infima natu Formosum [nominatum Form.] Portuensis civitatis episcopum, pro vera religione, divinarumque doctrinarum scientia papam sibi fieri anhelabat. Nam dum in eo esset, ut Sergius apostolorum vicarius ordinari debuisset, ea quæ Formosi favebat partibus pars, non mediocri cum tumultu et injuria Sergium ab altari expulit, et Formosum papam constituit. Descenditque Sergius in Tusciam, quatenus Adelberti potentissimi marchionis auxilio juvaretur : quod et factum est. Nam Formoso defuncto, atque Arnulpho in propria exstincto [reverso], is qui post necem Formosi papa constitutus est [d], expellitur, Sergiusque papa per Adelbertum constituitur. Quo constituto, ut impius, doctrinarumque divinarum inscius, Formosum extra sepulcrum extrahi, atque in sede pontificatus sacerdotalibus vestimentis indutum collocari præcepit, cui et ait : Cum Portuensis esses episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem sedem usurpasti? His expletis, sacratis exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, in Tiberim jactari præcepit, cunctosque quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit. Quod quam male egerit, pater sanctissime, animadvertere poteris; quoniam et hi, qui a Juda Domini nostri Jesu Christi proditore ante proditionem salutem, seu benedictionem apostolicam, perceperunt; ea post proditionem, propriique corporis suspensionem minime sunt privati, nisi quos improba forte defœdarant flagitia. Benedictio siquidem quæ ministris Christi impenditur, non per eum, qui videtur, sacerdotem infunditur : neque enim qui rigat est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat, Deus (*I Cor.* III). Quantæ autem auctoritatis, quantæque religionis papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus; quoniam dum a piscatoribus postmodum esset inventus, atque ad B. Petri apostolorum principis ecclesiam deportatus, sanctorum quædam imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Hoc namque a religiosissimis Romanæ urbis viris persæpe audivi.

[a] Locus mendosus.

[b] *Hermannum*. Vide Aranzium lib. II Metrop., c. 19 et 24. Alb. Stadens. in Chron. ad ann. 896; Trith. in Chron. Hirsaug.

[c] Verba reliqua sunt Luitprandi lib. I Rerum per Europ.. gest. c. 8.

[d] *Mortem* Onuph. in Adnot. ad Platinam putat esse fabulam.

SÆCULI IX AUCTORES ANONYMI.

EPISTOLA PEREGRINORUM MONACHORUM

IN MONTE OLIVETI HABITANTIUM

AD LEONEM III PONTIFICEM ROMANUM

(Apud Baluz., Miscellanea sacra, tom. II, pag. 84.)

Sanctissimo ac reverentissimo domino in Christo Patri Leoni summo pontifici et universali papæ sedis sanctæ apostolicæ urbis Romæ congregatio montis Oliveti.

Domine Pater, te dignatus est Dominus exaltare super omnes sacerdotes, et exaltata est sedes tua sancta super omnes sedes Christianorum, cui suo ore dignatus est Christus dicere : *Tu es Petrus* (*Matth.* XVI, 18), etc. Benignissime Pater, nos, qui sumus hic in sancta civitate Jerusalem peregrini, ullum hominem super terra non amamus plusquam vos, et in quantum valemus in istis sanctis locis pro vobis die noctuque Domino fundimus preces prostrati omnes servi tui super terram cum lacrymis. Itaque notam tibi facimus tribulationem nostram, quam hic patimur. Joannes, qui fuit de monasterio S. Sabæ, quem Theodulus iguminus servus vester scit, ipse levatus est super nos dicendo quod Franci qui sunt in monte Oliveti hæretici sunt, et dixit nobis quia omnes Franci hæretici estis, et reprobat fidem nostram dicendo quia non est major hæresis. Et nos ei dicimus : Frater, sile. Quod si nos dicis hæreticos, de sede sancta apostolica dicis hæresim. Et usque in tantum nos conturbavit ut in die natalis Domini in sanctam Bethlehem in sancto præsepio, ubi noster Dominus redemptor humani generis pro mundi salute nasci dignatus est, submitteret laicos homines qui nos foras projicere vellent, dicendo quod hæretici estis, et libri quos habetis hæretici sunt. Sed per vestram sanctam orationem et fidem confortavit nos Dominus. Non enim potuerunt nos foras ejicere. Diximus omnes : Hic volumus mori. Nam foras nos non ejicietis. Unde et fecimus vocem nostram omnes nos servi vestri pariter dicendo ad sacerdotes qui sunt in sancta civitate : Videte, patres et fratres, de isto homine qui contra nos tanta et talia loquitur et contra fidem sanctam Romanam, quia talia verba nunquam audivimus de gente nostra. Et post hæc die sancto Dominico congregati sunt sacerdotes cum clero et populo contra sanctum sepulcrum Domini et inter sanctum Calvariæ locum, et interrogaverunt nos de fide nostra ipsi sacerdotes qualiter crederemus symbolum. Nos autem dicendo quod sic credimus sicut sancta Ecclesia Romana. diximus et dicimus in nostra lingua quæ vos non dicitis in Græca, et in *Gloria Patri* non dicitis *sicut erat in principio*, et in *Gloria in excelsis* non dicitis. *Tu solus altissimus*, et *Pater noster* alio modo dicitis, et in symbolo nos dicimus plus quam vos, *qui ex Patre Filioque procedit*, unde dicit iste Joannes inimicus animæ suæ propter hunc sermonem eo quod hæretici simus. Quos Hierosolymitas rogavimus dicentes : Nolite [audire] odire hunc hominem, nec dicatis de nobis hæreses. Quod si nos dicitis hæreticos, de throno beati Petri dicitis hæresim. Et si hoc dicitis peccatum inducitis super vos. Et sacerdotes scripserunt nobis cartam de fide nostra quam licet crederemus, dicendo nobis : Creditisne sicut sancta resurrectio Domini? Nos autem diximus quod sic credimus quomodo sancta resurrectio Domini et sedes sancta apostolica Romana. Post hæc ipse archidiaconus in sancto Constantino una nobiscum ascendit in pergo et legit ipsam cartam in populo. Et nos servi vestri anathematizavimus omnem hæresim et omnes qui de sancta sede apostolica Romana dixerint hæresim. Et nunc, domine Pater benignissime, cogitare digneris de nobis servis tuis, qui etsi de longinquo simus, oves tuæ sumus, et tibi commissus est omnis mundus, sicut vestra sanctitas scit, sicut ait Dominus Petro : *Si diligis me, Petre, pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 16). Benignissime pater, dum essem ego Leo servus vester ad sancta vestigia vestra et ad pia vestigia domni Caroli piissimi imperatoris filiique vestri, audivimus in capella ejus dici in symbolo fidei *qui ex Patre Filioque procedit*, et in homilia sancti Gregorii, quam nobis filius vester domnus Carolus imperator dedit, in parabola octavarum Paschæ, ubi dixit : *Sed ejus missio ipsa processio est, qui de Patre procedit et Filio.* Et in regula sancti Benedicti, quam nobis dedit filius vester domnus Carolus, quæ habet fidem scriptam de sancta et inseparabili Trinitate, dicit : *Credo Spiritum sanctum Deum verum ex Patre procedentem et Filio.* Et in dialogo quem nobis vestra sanctitas dare dignata est similiter dicit. Et in fide sancti Athanasii eodem modo dicit. Itaque per ipsum Joannem facta est nobis grandis confusio in sancta civitate, quoniam dicit quod Spiritus sanctus non procedit de Patre et

Filio, et de hoc misit grandem errorem per omnia monasteria, et requirebat fidem nostram et libros nostros, et de domino Gregorio dicit quod non sint recipiendi ejus libri. Unde iterum atque iterum, sancte Pater, in terram prostrati cum lacrymis postulamus et rogamus te per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, qui Trinitas inseparabilis unus dicitur, ut digneris inquirere tam in Græco quam in Latino de sanctis Patribus qui Symbolum composuerunt istum sermonem ubi dicitur *ex Patre Filioque procedit*. Et in Græco non dicunt sicut nos, sed dicunt *qui ex Patre procedit*, et vident istum sermonem gravem quem nos dicimus in Latino. Et mandare digneris domno Carolo imperatori filio vestro quod nos istum sermonem in ejus capella audivimus, *qui ex Patre Filioque procedit*. Et nos hic servos vestros certos facere digneris, quia nulla species hujus sacramenti tam nobis amabilis videatur quam sanctus vester vultus et sancta oratio et deprecatio seu memoria vestra. Unde et poscimus, benignissime Pater, vestram sanctissimam pietatem ut hos servos vestros Joannem presbyterum, quando Deo gubernante ad sacrosanctam vestram gravitatem pervenerint, benigne suscipere dignemini et nobis servis vestris certum mandatum dirigere. Commendamus nos Dominicus, Theodorus, Arimundus, Gregorius, Joannes, Leo, et omnis congregatio de monte sancto Oliveti humilis servi vestri vestris sac is ac Deo dignis orationibus. Deus et Dominus noster te, sanctissime Pater, cum omnibus tuis ad exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ et ad salutem animæ tuæ et ad gaudium nostrum regere, protegere, et pia miseratione in omnibus et per omnia custodire dignetur, qui dicitur benedictus in sæcula.

Leo Papa III Carolo Augusto.

Domino piissimo et serenissimo victori ac triumphatori filio amatori Dei et Domini nostri Jesu Christi Carolo Augusto Leo episcopus servus servorum Dei. Omnia quæ de singulis partibus nobis accidunt necesse est ut vestræ intimemus imperiali potestati. Præsenti siquidem anno direxerunt nobis epistolam monachi qui in sancto monte Oliveti morantur fidei contentionem continentem quam inter se habebant. Nos vero Symbolum orthodoxæ fidei illis misimus, quatenus omnes secundum hanc nostram sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam rectam et inviolatam teneant fidem. Quam vero epistolam vestræ imperiali potentiæ misimus relegendam. Interea revertentes præsentes fideles servientes vestri, Agamus videlicet et Roculphus, a Hierosolymis detulerunt nobis epistolam Thomæ Hierolosymorum patriarchæ. Quam relegentes reperimus ut per nostram precatoriam epistolam vestræ pietati eos commendaremus. Qua de re precamur vestram imperialem potentiam ut, sicut soliti estis, super omnes fideles vestros impertire suffragium, ita cum eis misericordiam facere jubeatis. Ipsam vero epistolam quam nobis prædicti fideles vestri detulerunt vestræ serenitati misimus. His prælibatis, omnipotens Deus sua vos protectione custodiat, atque a perfidis omnibus regnum vestrum sui extensione brachii defendat, vosque post longa annorum curricula ad gaudia æterna perducat. Piissimum domini Caroli imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

Incipit Symbolum orthodoxæ fidei Leonis papæ.

Leo episcopus servus servorum Dei omnibus orientalibus Ecclesiis. Hoc symbolum orthodoxæ fidei vobis mittimus ut tam vos quam omnis mundus secundum Romanam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam rectam et inviolatam teneatis fidem. Credimus sanctam Trinitatem, id est, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem, unius substantiæ, unius essentiæ, unius potestatis, Creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, Patrem a se ipso, non ab alio, Filium a Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, sed unum lumen. Spiritum sanctum a Patre et a Filio æqualiter procedentem, consubstantialem coæternum Patri et Filio. Pater plenus Deus in se, Filius plenus Deus a Patre genitus, Spiritus sanctus plenus Deus a Patre et Filio procedens. Non tamen tres deos dicimus, sed unum Deum omnipotentem, æternum, invisibilem, incommutabilem, qui totus est ubique præsens, non per partes divisus, sed totus in omnibus, non localiter, sed personaliter, qui sine commutatione sui mutabilia creavit et creata gubernat, semper manens id quod est, cui nihil accidens esse poterit, quia simplici divinitatis naturæ nihil addi vel minui potest, quia semper quod est, cui semper primum est, cui sempiternum est, cui idem est esse, vivere, et intelligere. Et hæc tria unus Deus. Hæc tria idem Deus et Dominus, vera et sempiterna Trinitas in personis, vera et sempiterna unitas in substantia, quia una est substantia Pater et Filius et Spiritus sanctus. Hæc vero sancta Trinitas nihil est in tribus personis simul nominatis quam in una qualibet persona semel dicta, quoniam unaquæque persona plena est substantia in se, non tamen tres substantiæ, sed unus Deus, una substantia, una essentia, una æternitas, una magnitudo, una bonitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Nec aliud est Pater in natura quam Filius vel Spiritus sanctus, nec aliud Filius et Spiritus sanctus quam Pater in natura, quibus est una natura. Sed alius est Pater in persona, alius Filius in persona, alius Spiritus sanctus in persona. In Patre æternitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto æternitatis æqualitatisque connexio. Unum omnes in substantia et essentia, omnipotentia, et divinitate. Sicut enim eadem sancta Trinitas inseparabilis est in substantia, ita inseparabilis est in operibus, quamvis opera Dei quibusdam personis specialiter conveniant, sicut Patri vox illa quæ de cœlo sonuit super Christum baptizatum, et ad Filii personam humanitatis tantummodo pertinet susceptio, et Spiritus sancti personæ proprie congruit illa

columba in cujus specie idem Spiritus sanctus descendit super eumdem Filium secundum hominem baptizatum. Tamen absque omni dubitatione illam vocem et illam columbam in Christi humanitatem tota sancta Trinitas operata est, cujus opera inseparabilia sunt. Credimus eumdem Filium Dei Verbum æternaliter natum de Patre, consubstantialem Patri per omnia, temporaliter natum de Spiritu sancto et Maria virgine, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem, qui etiam Filius Dei suæ carnis conceptione conceptus est et suæ carnis nativitate natus. Deum verum confitemur conceptum et Deum verum natum, eumdem verum Deum verum hominem unum Christum Filium Dei unigenitum, per primum et perfectum in duabus naturis in unius personæ singularitate impassibilem et passibilem, mortalem A atque immortalem, crucifixum in infirmitate nostra, eumdemque semper viventem in virtute sua, qui mortuus est carnis suæ morte et sepultus, atque ab inferis, damnato et spoliato principe totius iniquitatis, rediens tertia die resurrexit, atque cum triumpho gloriæ videntibus discipulis cœlum ascendit, sedens in dextera Patris, id est, majestate divinitatis, inde jam venturus judicare vivos et mortuos, quem impii judicantem videbunt in ea forma qua crucifixus est, non in ea humilitate qua injuste judicatus est, sed in ea claritate qua juste judicaturus est mundum; cujus majestatis visio æterna est omnium sanctorum beatitudo. Qui secundum hanc fidem rectam non crediderit, hunc damnat sancta, catholica et apostolica Ecclesia, quæ fundata B est ab ipso Jesu Christo Domino nostro, cui est gloria in sæcula. Amen.

HOMILIA DE DECIMIS ET DE JEJUNIO

Auctore incerto, sed qui ævo Caroli Magni vixit.

(Apud Baluz., Capitul. tom. II.)

Totos nomines debetis amare et benefacere, dilectissimi fratres. Sed plus illis debetis facere bene qui plus Deo serviunt et cum bona fide vivunt. Primitias de fructibus vestris et de laboribus debetis offerre ad altare, id est, spicas novas et uvas et fava. Alias primitias ad domum presbyteri de omni fructu debetis portare, et presbyter eas benedicat. Et sic cum benedictione Domini manducate. Et precamini Dominum ut cum sua gratia et misericordia concedat vobis in pace colligere alios fructus et in suo sancto servitio usitare et quod illi placet inde facere. Et decimas vestras non debetis retinere nec tarde donare nec peimi causa. Nec debetis exspectare ut presbyteri et clerici alii decimas vobis requirant; sed cum bona voluntate vos ipsi sine admonitione debetis donare et ad domum presbyteri ducere. Alias elimosinas debetis dispensare per hospites et pauperes. Sed decimas non licet vobis donare alteri quam sacerdoti. Et ille dispensat eas cum timore et reverentia Dei ad tecta Ecclesiæ et in luminaria et in susceptione hospitum et pauperum et in suos usus et suam necessitatem. Jejunia debetis custodire Quatuor Tempora in anno, id est, mense Martio in prima septimana, quando intrat Martius, debetis jejunare die Mercoris et die Veneris et die Sabbati. In mense Junio in secunda septimana postquam Junius intrat, debetis jejunare die Mercoris et Veneris et die Sabbati. In mense Septembr. in tertia septimana postquam September intrat, jejunate die Mercoris et Veneris et Sabbati. In mense December in quarta septimana C jejunate die Mercoris et Veneris et Sabbati. Et in illis diebus debetis venire ad Ecclesiam audire unusquisque missam et Deo offerre sacrificia et luminaria et incensum et elimosinas donare. Nullus Christianus debet laxare ista jejunia, si talis infans non est qui non possit jejunare, aut talis senex vel infirmus. Et qui ista jejunia laxat aut negligit, peccatum grande inde habet. Ista jejunia debetis custodire et observare, id est, die Mercoris ante initium Quadragesimæ, et die Jovis, Veneris et Sabbato. Et totum Quadragesimum debetis jejunare, nisi in die Dominico non debetis jejunare. Qui in die Dominico sine aliqua necessitate jejunat, peccatum inde habet. In vigilia Natalis Domini jejunate, et in vigilia Paschæ et Pentecosten. In vigilia sancti Petri et sancti Andreæ et sancti Johannis Baptistæ jejunate, et precamini ut ipsi orent pro vobis ad Dominum. Et illo D tres dies ante Ascensionem Domini jejunate. Et cruces et reliquias sequimini, non in joco, nec caballicando; sed cum humilitate et contritione cordis celebrate ipsas Rogationes, et a carne omnes abstinete, et missas audite. Qui vel alio tempore vel aliis diebus jejunat, mercedem inde habet. Tamen ista jejunia quæ diximus nullus dimittere debet, sed cum bona voluntate debet ea custodire et orare pro se et pro suis amicis, ut per hæc jejunia et per alia bona et per elimosinas pium Dominum propitium et placatum habere possimus, ipso præstante qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

NARRATIO

De Monacho Cenomanensi ad canonicam vitam et habitum converso.

(Apud Baluz. ubi supra.)

Sicut cotidie sancta Ecclesia ad sortem electorum atque beatitudinem perpetuæ vitæ capessendam diversis evocationibus, non solum despectus seculi, sed etiam eos, quod majus est, quos mundialis actio perfloridos facit, adtrahere decertat, ut illos hic et diversitas bonorum actuum multiplicet et illic dissimilitas retributionis variæ ornet, ita e contrario antiquis hostis pios indesinenter subripere non cessat, ut quos consortes non potest habere in gloria, saltim socios secum cognoscat in pœna. Nam cum in tribus ordinibus, id est, laicorum, canonicorum, monachorumque, non desint qui a primævo tempore nobiliora acta perscrutari atque aggredi tentarint dato divinitus intelligibili animo, eos maxime insidiari nititur quos in juvenili ætate creverit se ultro Dominicis præceptis mancipasse, ut tanto profundius ad ima gaudens projiciat quanto a suis cruentis faucibus semel evasisse dolebat : quorum deviatio a proposito sancto quam damnabilis esse censeatur evangelica et apostolica documenta edocent, suisque medicaminibus ut denuo reformentur, qualiter serpentinis venenis sauciantur, corroborant. Cum enim unicuique modus correctionis secundum gravitatem contagii conveniat, idque a doctoribus Ecclesiæ sanciri permissum sit data auctoritate altitonantis judicis, ut aliter obtecta detegantur, aliter aperta deleantur, in his etiam qui post devotionem nobiliorem ad secularem iterum habitum dilabuntur atque apostatæ efficiuntur major sollicitudo et cura adhibenda esse decernitur. Quæ prævaricatio pessima in utroque sexu modernis temporibus supra modum invenitur, plurimosque vacillantes suis volubilitatibus implicare et deperire a recto tramite obfuscatis luminibus inlisit. Sed quia hoc devitabile genus in promptu stare videtur, ac propter hoc in cœtu bonorum malorumque catholicorum pars sit in redargutione, pars in defensione mali, ita ut eos quos in tali facinore depressos, dum non possunt innocuos facere in toto, suis mendosis sermocinationibus aut per abnegationem aut dissimulationem actus vel per aliquam occasionem innocentes conantur ostendere, sitque jam gravior casus multorum quam unius, restat de hac ipsa controversia quæ modo nostris in partibus excrevit aliquid ad medium deducere; quatinus cognita veritate judicium observetur veracium, et falsitas confusa evanescat

Quidam namque sacerdos nomine Urso valde nobilis fuit Cenomannis civitate, qui unum ex suis nepotibus superstitem esse volebat. Cumque super hac re consultum ipsius urbis episcopi, videlicet venerabilis Rotberti, peteret, non solum suæ petitioni assensum præbuit, verum etiam omnimodo id agendum exhortare curavit, reputans in puero et Ecclesiæ utilitatem pro genere spectabili profuturam et immortalitatem animæ dulcius vivendo atque Ecclesiæ instituta militando recepturam. Prædictus itaque sacerdos hoc negotium adimplere festinans, adhibito secum fratre suo nomine Wanilone, obtulit supradictum nepotem, cognomine Rigrannum, domno episcopo Ecclesiæque ejus, ut ab eo et ipsius congregatione honorem clericatus suscipere mereretur. Quod cum factum diebus sanctum Paschæ fuisset nobiliter, denuo domnus episcopus præfato avunculo, qui eum in spiritalis filii vicem susceperat, commendavit ut tutor custosque corporis et animæ ejus fieret ac nutrimenta præberet, quatinus post edocationem aptum divinis et humanis servitiis ei reddere posset. Qui imperium sui senioris libenter obtemperans, recepit puerum. Cumque apud se non esse copiam litterarum cognosceret, misit eum in quoddam monasterium ipsius episcopi, ubi ordo monasticus vigebat, ut illic instrueretur sacris litteris et erudiretur. Ergo susceptus puer in monasterio, traditusque magistro, cum perplures dies scholasticis disciplinis operam dedisset, quodam tempore cœpit fatigari languore gravi corporis. Itaque dum sæpissime talibus impulsionibus cruciaretur, dirusque dolor intestinarum ac viscerum inremediabiliter eum vexaret, nulla arte medicinali medelam præbente, obtupescere cœpit magister quæ et cur agitatio tantæ infirmitatis adolescentem infligeret; sciscitansque ab eo quam ob causam tot et talia invisa pateretur. Qui cum diutine interrogaretur et nullum certum responsum dedisset, quadam die acriores sustinens cruciatus, ut pene exanimis jaceret, vix languido hanelitu flante, tandem confessus est se a patre Deo devotum fuisse in annis prioribus in monasterio quod vocatur Cornaricus, propterea quod Dominus se ipsum jam emortuum pro eventu nimiæ infirmitatis patri post votum reddidisset, ac ideo sperare se pati tam gravia. Quo audito, magister tacitus intra se requirebat ei recepto robore, cum tempus inquisitionis adesset, si fuissent insania quæ ab eo audierat hora infirmitatis. Ille autem adfirmabat vera esse, docebatque ordinem rei. Dicebat etiam velle se esse monachum, ut ipsius et patris anima a periculo voti liberaretur. Siquidem pater ejus supra memoratus, videlicet Rohtbertus, jam humanis rebus excesserat. Decidebat

enim in capturam Norcomannorum, et sic eorum pœnis attritus interierat. Itaque paulatim adolescens informabatur ut collum sub levi jugo Christi submitteret atque propositum patris expleret. Sed magister id fieri posse negabat, dicens : Quia nequaquam huc venisti ut monachus efficereris, nec ideo tonsuram accepisti, sed nec parentes tui his sermonibus adquiescent. Perseverante autem illo in adfirmatione et defensione rei quæ petebatur non fiendæ, contigit ut avunculus ejus, qui cum paterno affectu susceperat, videlicet Urso, declinaret in monasterium causa visitationis. Quod cum edilia præpararentur et invicem confabularentur, inter cætera orsus est adolescens avunculo ostendere voluntatem propositi, laboremque quem patiebatur, ac votum patris. His auditis, sacerdos non minime anxius graviter ferebat, non [tamen] minime contradicere audebat quod exhortari nolebat. Consensit tamen nolens diu petenti ut faceret quod poscebat. Statimque mutato habitu indu it cucullam ; ac cadens ad pedes avunculi, osculatus est illos. Sic ab illo die et magister qui denegabat, et illi qui deridebant vocem loquentis, in exhortationem et consolationem versi sunt. Interea illis diebus episcopus a civitate longius recesserat, exercens opus prædicationis et confirmationis per provinciam locis necessariis. Cum autem reverteretur et esset non longe ab urbe, vocavit magistrum supra memorati adolescentis, qui et abbas monasterii erat, ut sciret quæ agerentur circa monachos et monasterium. Postquam vero cuncta cognovit, novissime de discipulo interrogavit. Quibus interrogationibus responsum dedit abbas, atque omnia quæ facta fuerant enuntiavit. Quo audito, domnus episcopus admiratus, concitus in eundo usque ad civitatem pervenit, scire volens quam speciem haberet res audita, sed incredibilis ; jussitque abbatem et novitium vocare et quosdam ex fratribus. Cumque coram eo assisterent, stante circum circa omni caterva clericorum laicorumque (erat enim hora ad celebrandum missarum solemnia, quia festivitas Purificationis sanctæ Mariæ instabat), ait stupefactus ad jamdictum novitium : Nuper te, frater Rigranne, canonicum dimisi, et modo cucullatum video. Dic ergo nobis cur hoc fecisti, vel quis coegit, aut consilium dedit. At ille respondit : Nullius consilio vel suggestione, sed sola voluntate et sponsione proprii animi, a me hoc actum est. Retulit itaque audientibus omnibus cuncta superius dicta. Addebat etiam somnium mirabile se vidisse, cujus interpretatio talis erat, ut seculum dimitteret, et vitam monasticam teneret. Adhuc autem non credente episcopo, nec cæteris adtendentibus, adjuravit eum ex suo ministerio terribiliter ut profiteretur si vera essent. Ipse vero confirmabat cum jurejurando nihil mendose locutum se esse. Quamobrem venerabilis episcopus mœstus et omnis congregatio ejus dolebant quasi ablatum solatium adjutoriumque Ecclesiæ suæ traditum, sciscitantes etiam inter se admirando quæ tanta prudentia in adolescente posset apparere, præsertim cum in periculosiori ætate jam perveneral. Erat enim, ut æstimabatur, decem et octo annorum. Iterum autem venerabilis episcopus perquisivit si cunctis diebus destinasset perseverare in ordine monastico. Illo vero adfirmante et contestante coram omnibus, dedit ei benedictionem domnus episcopus, concessitque locum et ordinem monasticum quem petebat. His ita transactis, cum audisset præfatus avunculus, videlicet Urso, rem actam ab episcopo (non enim fuerat tunc præsens, quia infirmatus quodam loco jacebat), graviter accepit cum cæteris parentibus quod nepos eorum perditus esset seculo et adquisitus Deo. Misit ad arcersiendum eum. Cumque ante eum adstitisset, cum omni ira et mentis insania ita ad eum locutus est : Quid fecisti, miser? Quare monachus esse voluisti? Cur elegisti unum parvum panem pro numero centenario et parum vinum pro calicibus epotandis usque ad satietatem? Quamobrem vita porcorum in leguminibus et horto ut sufficiens tibi esses voluisti? Ubi erunt deliciæ carnium quas dimisisti, suavitas potionum, delectatio canum accipitrumque, tactus voluptuosus mulierum? Cum ergo animum adolescentis contra hæc fortiter resistere vidisset et responsa non juvenilis sed robore senilis cerneret, addebat multo sceleratiora, ita ut etiam lenones immitteret qui eum provocarent ; necnon etiam concitavit cæteros avunculos, scilicet Lethardum, Wanilonem, et multos alios parentes, qui et dicebant ei : Cur nos degenerare voluisti? Opus progeniei nostræ cum pauperibus et mendicis non fuit. Nobis floruit mundus, copia auri et argenti lapiduroque apud nos fuit. Nobis arma fulgida resplenduerunt, equi auratis oris et torto collo arriserunt. Et tu omnia ista sprevisti? Hæc dicebant scelestes, qui eum ad meliora excitare debuerant, qui magis pompatice viventes demergi letheas in undas volunt quam cum liberatis fonte salutari ablui et piissimo liberatori effectu decantari post veniarum laborem, dicendo : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* (*Psal.* LXV, 12). Sed animus juvenis invictus permansit, cupiens observare quod cœperat, ita ut per quinque annos eum revocare non possent, ordines suos et affectus regulares in monasterio cum cæteris custodiens. Porro inter hæc cum omnem bacchationem super jamdictum magistrum exagitarent, culpando illum, et requirendo discipulum, festinus magister reddere commendatum non neglexit. Qui recipientes nepotem, retinuerunt apud se semper figuram monachi habentem. Post retentionem vero octo dierum et amplius, rursus valde obsecrantes remiserunt eum in monasterium, deprecante discipulo, et illis consentientibus. Cum autem tempus accipiendi primos gradus ecclesiasticos pertransiret, audita circumventione avunculorum venerabilis episcopus misit ad prædictum sacerdotem, ut quod prius concesserat, sicut diximus, et postea a consensu longius se retraxerat, jam tunc assentaretur, ut gradus ecclesiasticos sub ipso habitu mo-

nachus susciperet. Ergo diu dissimulante illo, novissime mandavit domno episcopo ut faceret quod ratio et auctoritas commendabat. Quod et factum est; accepitque benedictiones quinque graduum, degens et perseverans voluntarie in sanctam conversationem. Igitur expletis postea annis duobus, supervenit repentina dies adimprovisus finis vitæ Ursonis. Cumque ad exitum urgueretur, vocavit prædictum monachum nepotem suum. Ipso vero adsistente coram eo, ammonere curavit de gloria mundi quam relinquebat, non dimittens intentionem quam semper habuerat ut ad canonicam vitam reverteretur, dato consilio, et rebus maxime omnibus quæ habere potuerat, ut ejus mentem ad cupidiciam et inanem gloriam excitaret. Atque ita obiit. Implevitque mortuus quod explere nequiverat vivus. Ex illa ergo die a pristina voluntate subdiaconus cœpit esse alienus, junctus conversatione et animo a vunculis suis, Lethardo scilicet et Amarrico, quorum consilio et ingenio totus fertur in præceps; fiuntque ipsi sacerdotes contra legem, arripiendo ministerium episcopi. Nam incluserunt eum in quodam cœnaculo, ubi sine judicio venerabilis episcopi et sacerdotum exuendo illum vestem monasticam, induerunt albis. Atque ita ad secularem conversationem reversus est. Omnemque delictum super magistrum et domnum episcopum congesserunt pro benefactis. Ipsos enim vana versutio contenebratis oculis graviter ad ruinam laquei subduxit. Qui per septem annos hanc violentiam timuerunt facere, ut multo damnabilior fieret longius ventilata et patrata, etiamsi malum esset. Quia quanto plus aliquod bonum perduraverit, tanto, si ceciderit, profundius ruit. Similiter et malum quanto amplius succreverit, tanto graviori pœnæ subjacebit. Quos talia sectantes, neglecto fructu pœnitentiæ, inanes socius [socios] habere cupiunt atque avernus suscipere desiderat

Hujus rei testis est omnis ordo ipsius Ecclesiæ, qui unusquisque secundum suum ministerium probare potest ita factum esse.

EPISTOLA CLERI RAVENNATIS AD CAROLUM JUNIOREM.

Ex Biblioth. PP. max.)

Divinæ largitatis munere, sapientia, potentiaque præfulgido, domino regi Carolo glorioso, sancta Ravennas Ecclesia, inclytos cum felice successu semper manere triumphos.

Quanquam enim vestræ celsitudinis gloriæ, pro sapientiæ altitudine, et honore imperii, quod inter mortales principalis habetur, vivendi et docendi ecclesiasticæ regulæ pene omnia nota videantur, nihilque sit quod de sacris lectionibus minus intellectum vestræ regali prudentiæ arbitretur : tamen quoniam quondam difficultatem et scrupulum super quorumdam habitu, qui ex diversis morum et regulæ disciplinis ad sacram proveniunt dignitatem, in vestra sacra mente fore audivimus, collectis super hoc quibusdam Patrum antiquorum exemplis, quod de hoc priores sensisse contigerit, et quid data auctoritate mandaverint, servato in talibus nostræ tenore Ecclesiæ, dignum duximus et morem nostræ Ecclesiæ demonstrare, et vestram in talibus ferventem diligentiam serenare.

Pontificum enim Romanorum auctoritas, quibus in B. Petro cura et sollicitudo pascendi gregem Ecclesiæ a Domino Jesu Christo est tradita, ex clara fidei puritate docet, quibus rebus et regulis Christianorum vita in sua cujusque professione debeat contineri, qualisque servetur in urbis Romæ ecclesiis disciplina, quorum beatus Cœlestinus de hac re disputans, inter cætera infert : « Dicimus enim Domini sacerdotes superstitioso potius cultui inservire, quam mentis vel fidei puritati, et non mirum, *ait*, si contra ecclesiasticum morem faciunt, qui in ecclesia non creverunt : sed alio venientes itinere, secum hæc in ecclesiam, quæ in alia conversatione habuerant, intulerunt. Amicti enim pallio, sicut Græci monachi, et lumbos præcincti credunt se sanctæ Scripturæ fidem non per spiritum, sed per litteram complecturos. Nam si ad hoc ista præcepta sunt, ut taliter servarentur : cur non fiunt pariter quæ sequuntur, ut lucernæ ardentes una cum baculo teneantur? Habent enim suum ista mysterium, et intelligentibus ita clara sunt, ut ea magis, quam decet, significatione serventur. Nam in lumborum significatione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus fulgor operis boni demonstratur. »

Habent tamen hi istum forsitan cultum, morem potius quam rationem sequentes, qui remotioribus habitant locis, et procul a cæteris degunt. Unde hic habitus in Ecclesiis Gallicanis, ut tot amiorum, tantorumque pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? Discernendi a plebe vel cæteris sumus, doctrina, non veste; conversatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Docendi enim sunt populi potius quam ludendi; nec imponendum est eorum oculis, sed mentibus præcepta sunt infundenda. Leo enim sanctæ Romanæ sedis episcopus dicit : « Propositum monachi proprio arbitrio vel voluntate susceptum, deseri non posse absque peccato. Quia quod quis vovit Deo, debet reddere. Unde enim, qui relicta singularitatis professione ad

militiam, vel ad nuptias devolutus est publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandum. » Relictam singularitatis professionem, non scapulare, quod pro opere fertur, exemplo supra dicto accipimus. Neque si ad sacerdotii dignitatem ascenderis, sed si ad militiam vel ad nuptias devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus habetur. In quibus licet innocens possit esse militia, et honestum conjugium, electionem meliorem, quæ in sacerdotali officio esse non potest, deseruisse, transgressio est. In quo capitulo propositum monachi, devotionem sanctæ conversationis, non vestium cultum intelligentes, qui multiplex et varius pro locorum et regnorum diversitate, in Græcorum et Latinorum monachis invenitur; in his qui ad regimen ecclesiasticum canonico ordine, episcopali dignitate sacrantur, si in sacerdotali habitu et consuetudine ministrent ecclesiis, in quibus provecti sunt, nihil obviare paternis antiquorum regulis pro nostræ capacitatis intelligentia omnino confidimus, sed potius ecclesiasticis et apostolicis regulis innitentes, concordiam quam in habitu sacerdotum Romana conservat Ecclesia sequendam omnimodis judicamus : melius multo magis arbitrantes, ut uniformis sacerdotalis vestis æqualitate, commune ministrandi ecclesiæ ministerium sortiantur, quam amicto sub honore pontificatus pallio singulari, ab utriusque ordine, singularitatis siquidem, et episcopalis, professione, vita, et moribus discrepetur. Nec enim dicimus, ut generaliter omnibus ecclesiis hac lege habitus constringendi auctoritatem donemus.

Scimus enim, *quod unusquisque in suo sensu abundet :* sed nos nostrarumque ecclesiarum pontifices, quos ex diversis morum et regulæ disciplinis ad sacram pervenisse dignitatem gaudemus, si in habitu sacerdotali ecclesiis ministraverint, nullum habendum præjudicium, neque pro habitus qualitate feriendos censura canonica formidamus, ex antiquorum Patrum institutis omnimodo arbitramur.

Verum insuper consuetudinem ac morem nostræ ecclesiæ concorditer retinendum, quem cæteris stola vestibus superjecta pro dignitate sacerdotii, qua in populo principantur, conservandum, ejus pontificis, quam sub veste pœnitentiæ et laboris in suo ordine statuerunt tenentes, pro vestium qualitate et habitu, nullum hujus ordinis, si vita ejus in cujuscunque proposito nullo gravi facinore probatur infecta, id est, si non sit secundæ uxoris copulæ alligatus, si pœnitentia publica non famosus, si, nulla parte corporis immunitus, si servili aut originariæ conditioni nequaquam obnoxius, si curiæ probatur nexibus absolutus, paternorum decretorum regulis aut institutis obnoxium, sed potius morem qui in ea ecclesia ex antiquo est, inviolabiliter omnimodo observandum. Neque enim ad conservandam totius singularitatis professionem, quam sacerdotale officium in forma vitæ ecclesiasticæ minime patitur; observandum in singulis ; quæ hujus sectæ regularis auctoritas præcipit operanda, in esu, in silentio, in horis custodiendis, et in omnibus regularibus actibus exhibendis, solum scapulare pallium, neglectis cæteris, sufficiens omnium auctorum judicio retinemus : sed potius sub habitu singulari a vita penitus discordantes, in communis vitæ participatione reprehendendos acrius æstimamus. Nec hoc quidem dicimus, ut in omnibus hujus religionis, cum ad sanctam pervenerint dignitatem, relicto more ecclesiæ vel religionis, in qua provecti sunt, mutandam vestem singularitatis generaliter censeamus : sed potius in utroque habitu sacerdotum, morem ecclesiarum et ordinem in quibus provecti sunt, nullis Patrum præjudiciis obnoxium, irreprehensibiliter arbitramur sequendum.

Hujus enim nostræ consuetudinis causam, o bone rex, pro nostræ reprehensionis necessitate, vestræ serenitati reddentes, placitam Deo solicitudinem vestram, quam pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ in omnibus suis utilitatibus vos ferventissimo mentis studio habere multorum relatione comperimus, serenare data auctoritate humiliter exoptamus : pariterque etiam immensas gratiarum actiones principali magnitudini vestræ referimus, quæ nos in nostris filiis, vestris siquidem fidelibus oratoribus, monere et corrigere suis sacris apicibus est dignata, et insuper quantum pro sancta religione ferveant in suæ devotionis admonitione nobis, ne reprehensibiles videamur, ostensa. Unde ne statutorum canonum in hac nostra consuetudine semper transgressores apud vos videamur, quibus regulis ad hujuscemodi tenorem et ordinem nostræ ecclesiæ conservandum innitimur, in his nostris satisfactionis literulis vestræ principali magnitudini relegendis ostendendum curavimus lubentissime, si quid melius aut piorum regulis canonica scriptione congruentius tenendum de hac re vestra reperit devota regalisque prudentia, vestris in omnibus monitis annuentes. Conservet Deus omnem vestram salubrem dominationem, ad gubernandam et tuendam Ecclesiam suam sanctam : Amen

FRAGMENTUM

Ex Historia de Conversione Boiorum et Carentanorum ad fidem Christianam, quæ circa annum 858 *scripta est.*

(Apud Duchesn. Script. rer. Franc., tom. II, pag. 220.)

Igitur Carolus imperator, anno Nativitatis Domini 716, Ericum comitem destinavit, et cum eo immensam multitudinem, Hunnos exterminare. Qui minime resistentes, reddiderunt se per præfatum comi-

tem Carolo imperatori. Eodem ergo anno misit Carolus Pippinum filium suum in Hunniam cum exercitu multo. Qui perveniens usque ad celebrem eorum locum, qui dicitur Rinch, ibi iterum omnes eorum principes se dediderunt Pippino. Qui inde revertens, partem Pannoniæ circa locum Pelessæ inferioris, ultra fluvium qui dicitur Rapa, et sic usque ad Dranum [*al.*, Dravum] fluvium, et eo usque ubi Dranus fluit in Danubium, prout potestatem habuit, prænominavit eum doctrina et ecclesiastico officio procurare populum qui remansit de Hunnis et Slavis in illis partibus Arnoni Juvavensium episcopo, usque ad præsentiam genitoris sui Caroli imperatoris. Postmodum ergo, anno 803, Carolus imperator Boiariam intravit, et in mense Octobri Salzpurgensem, et præfatam concessionem filii sui cernens, potestative multis astantibus fidelibus suis confirmavit, et inconvulsam fieri concessit.

Iterum contigit, anno Nativitatis Domini 798, Arnonem jam episcopum, a Leone papa accepto pallio, remeando de Roma venisse ultra Padum, eique obviasse missum Caroli cum epistola sua, mandans illi ipsi itinere in partes Slavorum ire, et exquirere voluntatem populi illius, et prædicare ibi verbum Dei. Sed quia hoc facere nequibat, antequam responsum referret suæ legationis, festine perrexit ad imperatorem, et retulit ei quidquid per eum dominus Leo papa mandavit. Post expletam legationem imperator præcepit Arnoni archiepiscopo pergere in partes Slavorum, et prævidere omnem illam regionem, ecclesiasticum officium more episcopali colere, populosque in fide et Christianitate prædicando confortare. Sicut ille præcepit, fecit : illuc veniendo consecravit ecclesias, ordinavit presbyteros, populumque prædicando docuit, et inde rediens nuntiavit imperatori quod magna utilitas ibi potuisset effici, si quis inde habuisset certamen. Tunc jussu imperatoris ordinatus est Theodoricus episcopus ab Arnone episcopo Juvavensium. Quem ipse Arnon et Geroldus comes perducentes in Slavoniam, dederunt in manus principum ; commendantes illi episcopo regionem Carentanorum, et confines eorum occidentali parte Drani fluminis, usque dum Dranus fluit in amnem Danubii, ut potestative populum regeret sua prædicatione, et evangelica doctrina doceret servire Deo.

Postquam ergo Carolus imperator, Hunnis ejectis, episcopatus dignitatem Juvavensis Ecclesiæ rectori commendavit, Arnoni videlicet archiepiscopo et suis successoribus tenendi perpetualiter atque regendi perdonavit, cœperunt populi sive Slavi seu Boiarii inhabitare terram, unde illi expulsi sunt Hunni, et multiplicari. Tunc primus ab imperatore constitutus est confinii comes Gonterannus, secundus Werenharius, tertius Albricus, quartus Gotefridus, quintus Geroldus. Interim vero dum prædicti comites orientalem procurabant plagam, aliqui duces habitavere in illis partibus ad jam dictam sedem pertinentibus. Qui comitibus præfatis subditi fuere ad servitium imperatoris. Quorum nomina sunt, Prinniblawga, Ceincias, Hroymar, Etgar. Post illos vero duces Boiarii cœperunt prædictam terram dato regum habere in comitatum, Hebriwinus, Albgarius et Palio. His ita peractis, Ratbodus suscepit defensionem termini, in cujus spatio temporis quidam Prinnina, exsulatus a Moymaro duce Moravorum supra Danubium, venit ad Ratbodum. Qui statim præsentavit illum domino regi nostro Ludovico, et suo jussu fide instructus baptizatus est in ecclesia sancti Martini, loco Treisma vocato, ante videlicet pertinenti ad sedem Juvavensium. Qui postea Ratbodo commissus, aliquod cum illo fuit tempus. Et non multo post de Vulgariis [Bulgaris] Hecilo Ratimari ducis adiit regionem. Illoque tempore Ludovicus rex Boiariorum misit Ratbodum cum exercitu multo ad exterminandum Ratimarum ducem. Qui diffisus se defendi posse, in fugam conversus est cum suis, qui cædem evaserunt, et prædictus Prinninas substitit cum suis, pertransivit fluvium Savum, ibique susceptus a Salachone comite pacificatus est cum Ratbodo. Aliqua vero occasione iterum percepta, rogantibus prædictis regis fidelibus, præstitit rex Prinninæ aliquam inferioris Pannoniæ in beneficium partem circa fluvium qui dicitur Sava.

EXCERPTUM

E libello de conversione Carentanorum.

(Apud Wilhelm Wattenbach, *Bei ræge zur Geschichte der Christlichen Kirche*, ex Cod. Bibl. Cæs. 423, sæc. XIII.)

Carentanis primo prælicavit Modestus episcopus missus et consecratus a beato Virgilio sub Pippino Francorum rege. Post hunc missus et consecratus est Theodoricus episcopus in præsentia Caroli imperatoris ab Arnone archiepiscopo. Post hunc Otto episcopus consecratus ab Adelrammo archiepiscopo. Post hunc Hosbaldus episcopus sub Liuprammo et Adelwino archiepiscopis. Huic Osbaldo scripsit Nicolaus papa duos canones qui in corpore decretorum inveniuntur. Post hunc interjecto aliquo tempore supervenit quidam Sclavus ab Hystrie et Dalmatie partibus nomine Methodius qui adinvenit Sclavicas

litteras et Sclavice celebravit divinum officium et vilescere fecit Latinum; tandem fugatus a Carentanis partibus intravit Moraviam, ibique quiescit.

Tempore Dagoberti regis Francorum præerant Carentanis dux Samo, post quem Boruth, post quem Carastus et post hunc Cheitmarus et post hunc Waltunc. Item sub Carolo et ejus successoribus Priwizlauga, Cemicas, Ztoimar, Etgar.

A In orientali etiam parte Bavariæ expulsis Hunnis hi comites ab imperatore Carolo et ejus successoribus sunt constituti : Goterammus, secundus Werenharius, tertius Albricus, quartus Gotfridus, quintus Geroldus, et post hos duces Helmwinus, Albgarius, Pabo et duces Carentanorum suprascripti sub iis comitibus et ducibus erant

ANONYMI

LIBER DE COMPUTO.

(Apud Muratori, Analect. tom. III, pag. 108.)

MONITUM.

Compotus, sive computus, apud rudium sæculorum scriptores nihil aliud erat quam notitia cursus lunæ, ac Kalendarium, sive scientia certificandi tempus secundum solis et lunæ progressum, ut Durandus ait, lib. VIII, cap. 1, Rational. Nempe nomen ductum a *computando*, quod necessarium sit computare solis lunæque cursum, annos, menses, ac dies, ut discantur cycli decemnovennales, epactæ, bissextus, saltus lunæ, Kalendæ, Idus, ac præcipue Paschatis tempus, atque alia id genus, quæ omnia nunc Kalendarii appellatione communius significantur. Computi vero scientia olim cum presbyteris tum clericis magna sollicitudine commendata ; legibusque etiam cautum, ne quis ab ea addiscenda eximeretur, ut Ducangius in Glossario Latino ex multis documentis ostendit. Et in id quidem argumentum nonnullos veterum libros editos habemus ; alios bibliothecæ clariores adhuc servant manuscriptos. In computi vero explicatione præsertim Beda excelluit, cujus non unum hac de re opusculum inter ejus Opera occurrit. Librum C de Computo Rabani Mauri edidit Baluzius tom. I Miscellan., pag. 1. In bibliotheca quoque Cottoniana Gildæ monachi exstare librum ms. de Computo, capitulis 99 constantem, ex Usserio didicimus, ut Maximum monachum, Isaacum Argyrum, Durandum, aut alios etiam longe antiquiores, tum apud Græcos, tum apud Latinos, præteream, qui de cyclis paschalibus aut de computo egere in variis epistolis atque tractatibus.

Proxime autem præteritis sæculis, quibus litteræ tam prospero successu excoli sunt cœptæ, ut potius veteres nobis quam nos veteribus hic invidere jam debeamus, Kalendarii scientia anxie admodum eruditeque pertractata celeberrimos dedit scriptores, quos nulla non miretur ætas. Et adhuc ævo nostro habemus Cassinum, Blanchinium, Bonjourium, Manfredum, Quartinonum, aliosque præstantes viros, in quorum scriptis renovata, atque agitata est controversia de correctione Gregoriana. Non ingratum vero eruditis hisce aliisque Kalendarii cultoribus facturum me puto, si et hunc librum evulgem, cum D

B antiquorum eruditio, quanquam sterilis interdum, atque interdum etiam fabulis ac erroribus intermista, non parum inservire possit ac soleat ad juvandam perficiendamque recentiorum eruditionem in hocce potissimum argumento.

En ergo librum de Computo, quem uti nondum editum descripsi ex codice 70, lit. S. Ambrosianæ bibliothecæ. Codicis characteres perantiqui sunt, at non ausim affirmare ad ipsam ætatem referendos qua vixit libri auctor. Innumera illic, ad fastidium usque, et in grammaticam, et in orthographiam peccata, quorum nonnulla, quia nimis in oculos incurrentia, sustuli ; reliqua vero dimisi, condonanda illorum temporum, sive etiam librariorum aut imbecillitati, aut usui. Quo tempore auctor vixerit, non facile deprehendas ; nam huc ille congessit aliorum scriptorum lucubrationes, quæ ad varia tempora spectant. Attamen anno Christi 810, aut summum paucis post annis, auctor floruisse videtur, quod conjicere possumus e cap. 153 et ex aliis locis. Non dubito autem quin præter multa quæ in libris Bedæ, Rabani aliorumque repetita occurrunt, alia quoque hic habeantur quæ frustra alibi quæras, quamvis a falsis ac fabulosis non semper sejuncta. Epistolas Proterii, Dionysii aliorumque omisi, quippe a Bucherio, et partim etiam a celebri Petavio publici juris jam factas. Retinui tamen prologum libri, nempe epistolam sancti Cyrilli Alexandrini, quanquam a Petavio editam in appendice ad libros de Doctr. temporum, ut collatione utrorumque exemplarium, mendis scatentium, conentur eruditi veram Cyrilli mentem expiscari. Cum prologo sive epistola laudata conjungitur in Ambrosiano codice fragmentum aliud cum hoc titulo : *Item ratio solis, vel lunæ cursus, atque bissexti*, quod apud Petavium non legitur, et certe Cyrillo sive Græco homini tribuendum nequaquam videtur, quamvis continuato stylo omnia nectantur in eodem codice Ambrosiano. Sed ultra detinere lectorem non placet.

LIBER DE COMPUTO.

Incipit prologus sancti Cyrilli Alexandrini episcopi de ratione Paschæ.

Sanctum Paschæ mysterium, ejusque sacra solemnitas, sicut est a Salvatore nostro apostolis tradita, observatur, inlibata mansisset, si eam quorumdam perversitas inter cetera fidei sacramenta minime temerasset. Illi etiam qui eorum pravitati respondere conati sunt, et 84 annorum circulum instituerunt, perfectæ rationis circulorum tenuissent, si in supputatione mensium vel annorum humanam seu divinam traditionem sequi potuissent. Unde tantis sunt ignorantiæ tenebris involuti, ut in utrumque paschalis ignorantiæ periculum deciderint. Ita etiam luna 14, quam vulgus 16 putat, cum adhuc orbis sui circulus nonæ non implevisset, ad vesperam Sabbati, et ante mensem novorum, Pascha celebrando, contra præceptum Domini frequenter docentur errasse, quod alii pervidentes, ac reprehendentes, et quasi emendare cupientes, quia non divina revelatione inluminati, sed humana scientiæ præsumptione elati sunt, pejus aliis addiderunt, ut sicut illis sex quatuor decennitates, ita et isti per septem sedecennitates, et quasdam dimensionum pergulas duplicatos, vel multiplicatos numeros ac monogrammos adnotantes, diversos et inextricabiles circulos describere niterentur. Per quorum difficultates angustas, et infinitas controversias, quibus se invicem impugnantes ita sunt offensi nonnulli, ut relictis observationibus omnibus octavo tantummodo Kalendarum Aprilium die quotacunque luna vel feria incidisset, jam non Pascha Domini (quod enim est in die solemnitatis Resurrectionis, et in luna plenitudinis luminis, ac societas sempiterni Solis) sed in natale mundi tantummodo irrationabiliter celebrassent. Superfluo autem quis extendit humanum ingenium, et linguam habuit expolitam, nisi ab eo qui stultam facit sapientiam hujus mundi, ad veram sapientiam sensus ejus dirigatur. Cum his igitur atque hujusmodi dissensionibus per universum orbem Paschalis regula turbaretur sanctorum totius orbis synodi consultatione decretum est, ut quoniam apud Alexandriam talis esset reperta Ecclesia, quæ in hujus scientia clareret, quoto Kalendarum vel Iduum quota luna Pascha debeat celebrari, per singulos annos Romanæ Ecclesiæ literis intimasset, unde apostolica auctoritate universalis Ecclesia per totum orbem definitam Paschæ diem sine ulla disceptatione cognosceret. Quod cum per multa sæcula partim custodissent, nullamque inde scripturam quispiam crederet, ubi nulla quæstio solveretur, et nonnunquam occurreret, ut in Sabbato luna a 20, quam illi a 23, XII Kal. Maiarum usque in VIII easdem Kal., quasi in secundo mense Pascha celebrare metuerent, essetque magna confusio in omni Ecclesia, prætorio, vel palatio, Theodosius religiosissimus, qui non solum in humanis, verum etiam in divinis legibus placere Deo semper studuit, sanctum Theophilum totius Alexandriæ episcopum urbis suis literis conrogavit, ut de sacramento Paschæ evidentissima ratione dissereret, sibique dirigere dignaretur. Cujus sanctissimis præceptis obtemperans 428 annorum cyclum paschale instituit, ejusque clementiæ ab anno 1 consulatus ejus usque ad 100 calculans, quoto Kalendarum talium, Iduum, et quota luna Pascha debeat celebrari, subjectis suis literis destinavit, manifestamque veritatem sub libello fideliter breviterque perstrinxit, in quo, revelante sibi Domino, perfectæ rationis ordinem pandit, omnesque errores, ac superfluas quæstiones luce clarius expugnavit, atque dissolvit.

Quoniam jam illi diversi circuli per totum orbem disseminati, et jam nostrorum animos inconcusse possederunt, iste quinus est edictus, vix ad paucos potuit pervenire; cujus cum nimiam profunditatem pæne omnes sensus excedere pervidissem, revelationem Domini postulavi. Et hoc, quod de ipso fonte haurire promerui, in ipso libello præsumens, quia nec illos, apud quos ipsum circulum vidi, intellexisse cognovi. Et ne forte 428 annorum infinita congeries aut fastidium cognoscendi, aut pigritiam describendi quibusdam afferat, in 95 annos eumdem circulum breviavi, quos per illos annos volvere sine ulla differentia cognovi. Unum tantum assem in quibusdam annis, propter rationem bissexti, qui occurrere non potuit usque ad illum summum circuli ultimum annum, qui redit ad caput, adjiciendum, vel potius dimittendum admonui.

A XII autem Kalendarum Aprilium, usque in VIII Kalend. Maiar. per dies 35, qui faciunt septimanas quinque, sanctum Pascha celebrari confirmans, de ipsa septimana habere manifestum est, reliquos ejus quinque dies adjecit, ut propter Dominicam diem a luna 14 usque ad 21, sicut præceptum est, distendisset. Quæ quidem luna efficitur 14 a XII Kal. Mai. protenditur, in primi mensis terminos pernoscitur, et impletur, et secundum supputationem Hebræorum, quibus Pascha rationem Christi perceptum est. Post annum embolismum occurrerit, qui 13 menses lunares idem 384 dies habere sancto Moysi divinitus revelatus, unde constat hos dies quinque mensis novorum additos, non secundi mensis esse, sed primi, quia etiam secundi essent propter Domini resurrectionem erga Ecclesiæ plenitudinem non immerito viderentur adjecti illi etiam, qui longius habitabant, vel immundi in anima fuerint, in secundo mense jussi sunt Pascha celebrare, quod in typum intelligitur sanctæ Ecclesiæ, quæ cum omnibus dæmonibus fornicata immunda videbatur in anima; salubri vero confusione mundata, et secundum nativitatem quasi ad secundum mensem transire videbatur percipitur. Ante mensem autem novorum mensis est ultimus veterum, in quo Pascha fieri penitus abnegatur. Sed ut breviter dicam quæ sint in eorum disputatione diversa: luna, quam illi 3 vel 16, vel 25, improprie nuncupant, hanc sanctus Theophilus 1, 14, vel 21, cœlo demonstrante, confirmat. Pascha autem quod ultra XII Kal. Maii celebrare formidant, sanctus Theophilus usque in VIII differre non dubitat. In ordine annorum illorum quidam in anno 14, quidam in 16, unam diem lunarem de incrementis lunaribus addiderunt. Hanc sanctus Theophilus in anno 19 adjecit. Unde illorum supputatio, quia inconveniens ac diversa est, perperat. Hujus autem, quia veritate subnixa est, superat, et in perpetuum perseverat. Ita enim luna 14 vult videre in cœlo Theophilus in pleno orbis circulo eodem momento oriatur, quo occidit sol, eademque nocte transacta luna occidente sol oriatur. Unde evidenter apparet quia luna, quam illi 23 vigilare in Sabbato Paschæ formidant, ipse 21 adsignans sine ulla trepidatione sanctum Pascha censeat celebrari, et quam illi præterito Sabbato 15 metientes anticipant, ipse 16 ostendens, non eos juste celebrare contendens ad 21 differre non dubitat.

Viginti autem et novem semis dies lunam habere manifestum est, qui duplicati efficiunt 59, quibus una dies præter illos duos semisses adjicitur, ut 60 videantur implere, et efficitur lunaris legitimus saltus, ut si verbotenus fuerit luna 5 alia die, non dicatur 6, sed 7. Lunæ vero 30 medietatem habere minuentis, et medietatem crescentis exinde, quæ dicitur 30, quæ et 1, calculorum nullus ignorat. Talis ergo debet videri 29, qualis pro pridie prima. Luna vero 30 videri omnino non potest, quia ad ultimum finem medio ipso tricesimo die consumitur, solique conjungitur, eodemque momento renascitur, paulatimque ab eo recedens, et per reliquam ipsius diei tricesimam partem usque ad aliam diem, quæ prima dicitur, crescens, post solis occubitum sic videtur, quemadmodum, ut dixi ante, pridie 29 diluculo tenebatur. Qualis ergo est cæcitas mentis, vel dementiæ, ut cum videri non posse 30 videatur adhuc deficiens, et dicatur 1 nonnumquam etiam et 2, ac si per omnem ordinem mentiuntur? Sicut enim pro 30, 2, et pro 1, 3 vocant, sic pro 14, 16, et pro 21, dicere compelluntur 23, sicut illius parvitatem, qui dictus est bissexti dies, invenisse, ut per hanc fallaciam diabolus inter ipsa fidei sacramenta aucupetur animas Christianas. Hoc itidem in summo et insuperabili ponit exemplo, quod Salvator noster luna 14, fer. 5, Pascha cum suis discipulis celebrasset, et ut super hac fieri semper imperavit. Quod hodieque, sicut traditum celebratur sanctumque chrisma conficitur, et cœna Dominica anniversaria solemnitate completur. Quod et Pascha perfectum ac maximum sacramentum, sicut sanctus Apostolus narrat sibi traditum, et ita tradidisse Corinthiis gloriatur. 14 traditur, 15 passus, et 17 resurrexit, ea videlicet luna, quæ nullis interjectis tenebris etiam secundum supputationem vulgi solis lumine diluculo sociatur. Hoc enim veræ salutis inditium, ut post tergum relinquentes tenebras totius malitiæ, æterno illo sole solis lumine perfruantur. Hunc ergo biduum lunæ superfluum si dimiseris, illosque quinque dies mensis novorum juxta rationem additos intellexeris, sed et illum diem de incrementis lunaribus in nono decimo anno, quod 14 vel 16 adjeceris, omnem vim, et rationem veri-

A tatis hujus ministerii recognosces. Lunam autem quæ ab his dicitur 3, hodieque a Judæis et Græcis dicitur 1, et merito videtur ad vesperam, quia jam et semisse habere de 30, et quæ æque 1. Item ratio solis, vel lunæ cursus, atque bissexti. Annus habet dies 365 menses 12, tempora 4 : ver, æstas, autumnum, et hiems, et per quatuor tempora duo sunt æquinoctia, et duo solstitia. IX Kal. Apr. unum æquinoctium, et VIII Kal. Jul. in natale sancti Joannis fit unum solstitium, et VIII Kal. Januar. in natali Domini nostri Jesu Christi fit aliud solstitium. Nam et sol in anno lucet dies 365, quadrans vero lucet dies 354 : reliqui sunt dies 11, quos supra videtur sol lucere. Et hi sunt 11, quia annis singulis ad lunæ cursum adduntur, et ut clarius manifestetur ratio : 12 sunt menses in anno, et 7 ex ipsis mensibus sunt, qui habent supra 30 singulos dies : id est, Januarius, Martius, Maius, Julius, Augustus, October, December, et ideo tolle Decembri, et Ja-

B nuario singulos dies, et adde eos Februario, qui habet dies 28, et fiunt ei 30. Reliquos vero dies, qui in capite 5 mensibus super 30 numerum adjacent, tolle eos, et æquantur omnes menses, ut habeant dies 30. Et unus mensis lunaris 29, et semis, dies lucet, sicut jam in suprascripta epistola prælocuti sumus, quia diem 30 non complectitur. Ideoque 12 sunt lunares menses in anno. Per singulos vero lunares singulos semisses minus lucet. Et ideo de duodecim lunaribus tolle 12 semisses, et comple in unum, efficiunt dies 6, ad quos adde illos 5 dies de 5 mensibus, et efficiunt in unum dies 11, quos ad lunæ cursum addere videntur, quia eos in annum lunæ de sole minus lucet. Quadrans vero, qui super 365 dies bissexti facit post quadriennium crescere diem. Ipsum vero quadrans 3 habet uncias, quæ in anno uno crescunt. Item in alio anno 3, in tertio 4, in quarto nihilominus 3, et fiunt in unum horæ 12, faciuntque diem 1, qui vocatur bissextus; et sicut

C ceteri dies, qui ducunt annum, computantur, et dimittuntur, ita et bissextus cum venerit post annos 4, dies qui venerit in ordine ducere annum illum, utpote 5 feria dimittenda est, et 4 feria computanda, sicque traditur per majorum traditionem bissextus.

Explicit prologus sancti Cyrilli Alexandrini episcopi.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI INCIPIUNT CAPITULA DE COMPUTO.

1 De compoto Græcorum, vel Latinorum.
2 Item alia.
3 De die anni inveniendo.
4 De anno communi et embolismali.
5 De epistolis Græcorum.
6 De argumentis paschalibus.
7 Item quod verius est.
8 De die mensis Paschæ.
9 Item apud Græcos.
10 Item apud Latinos.
11 De nativitate lunæ.
12 Item alia.
13 De communi anno et embolimæo.
14 Item de anno communi, et embolimæo.
15 De quatuor differentiis lunæ.
16 De celebrando sancto Paschate.
17 De embolismo majore.
18 De augmento lunæ.
19 De Kal. mensium.
20 Item de Kal. mensium.
21 De feriis monstrandis in Kal. 12 mensium.
22 De epactis in Kal. 12 mensium.
23 De feriis in quoque mense.
24 De feria, aliter de lunæ paschalis termino.
25 De concurrentibus, id est epactis solis.
26 De epactis XI Kal. Apr.
27 De temporibus mensium.
28 Item de temporibus mensium.
29 De solstitio et æquinoctio.
30 Item de solstitio et æquinoctio.
31 Item de solstitio.
32 Item de temporibus mensium.
33 De momentis.
34 Item de momentis.
35 Item de momentis ad bissextum.
D 36 Item ad bissextum inveniendum per 12 signa.
37 Item ad 5 dies intercalares per 12 signa.
38 De punctis.
39 De diebus anni et horis.
40 De ratione bissexti.
41 Item de bissexto.
42 Item de bissextis
43 Item de bissextis.
44 Item de bissexto et quadrante.
45 Item de solstitio et æquinoctio.
46 De saltu lunæ.
47 De lunæ cursu.
48 De interrogatione 19 annorum cycli
49 De mensibus.
50 De luna Paschæ.
51 Argumenta ad initium Quadragesimæ inveniendum.
52 Item de Quadragesima inveniendi.
53 Item ad Pentecostem inveniendam.

54 De supputationibus.
55 De termino paschali.
56 De hebdomade.
57 Item de hebdomade.
58 Item de mensibus.
59 Item de mense.
60 Item de mensibus.
61 Item de mense et lunæ longitudine.
62 De mensibus et interrogatione lunæ.
63 Item de mensibus, et quot horas habent in die et nocte.
64 Item de mensibus.
65 De puncto lunæ,
66 De numero apud Hebræos.
67 De annis naturalibus.
68 De incendio lunæ.
69 De die solis orientis.
70 De die
71 De nocte.
72 De 14 luna paschali.
73 Item de 14 luna quota feria sit.
74 Item de termino paschali.
75 De die septimanæ quotus sit.
76 De luna in Kal. Jan.
77 De annis a principio mundi.
78 Item de annis a principio mundi.
79 De annis ab origine mundi.
80 Item de annis ab origine mundi.
81 De mundi principio.
82 Item de mundi principio.
83 De annis ab Incarnatione.
84 De luna primi mensis.
85 De bissexto per cyclum solarem.
86 Argumenta de concurrentibus monstrandis
87 De anno bissextili ab origine mundi.
88 De concurrentibus monstrandis.
89 De divisionibus temporum.
90 De atomis in primo momento.
91 De horis in anno quot sint.
92 Item de horis et momentis in anno.
93 De punctis in anno.
94 De minutis in anno.
95 De momentis in anno.
96 Item de momentis.
97 De quadrante.
98 De septimanis in anno.
99 De concurrentibus solis per totum annum.
100 De partibus lunaribus in XI Kal. Apr.
101 De concurrentibus monstrandis.
102 Item de concurrentibus.
103 De feria in Kal. Jan.
104 De cyclo solari et lunari.

A

105 De principiis 4 temporum.
106 De cyclis solis et lunæ.
107 Ad epactas solis in 12 mensibus.
108 De 11 signis cœli, siderali circulo.
109 De causis quibus nomina accipiunt.
110 De cursu solis et lunæ.
111 De cursu solis per 12 signa.
112 De septem sideribus errantibus.
113 De velocitate cursus lunæ.
114 De ascensu solis et descensu
115 De eclipsibus solis et lunæ.
116 De variis nominibus solis.
117 Argumenta de initio Quadragesimæ.
118 De cyclo magno 19 lunarum.
119 De numero cyclorum.
120 Item de cyclo 19 lunarum.
121 Præfatio sancti Felicis abbatis.
122 Incipit prologus sancti Cyrilli.
123 De concordia mensium

B

124 De cyclo libri Romanorum.
125 De ætate lunæ.
126 Item de lunæ cursu.
127 Epistola de ratione lunæ 1 anni.
128 Item de 2 anno embolimæo.
129 De 3 anno embolimæo
130 Item de 1 anno embolimæo. End.
131 Item de 2 anno embolimæo.
132 Item de 3 anno embolimæo.
133 Item de 4 anno embolimæo.
134 De cursu lunæ per 12 signa.
135 De cursu solis per 12 signa.
136 De luna per 12 signa.
137 De saltu lunæ per 19 annos.
138 De flexibus digitorum.
139 De ratione paschali.
140 Epistola Cyrilli episcopi.
141 Epistola Paschasini episcopi.
142 De nominibus stellarum.
143 Epistola Dionysii Exigui.

C

144 Epistola sancti Cyrilli.
145 Epistola sancti Proterii.
146 Epistola Moriani episcopi.
147 Præfatio Patronio episcopo.
148 De mundi principio.
149 Epistola papæ Leonis.
150 De Pascha autem.
151 De nomine mensium.
152 De regularibus annis Domini et indictione.
153 De argumentis ad Incarnationem Christi.
154 De cyclo decemnovali.
155 De partibus.
156 Item de cyclo decemnovalis Paschali.

Expliciunt capitula libri de Computo.

Si vis scire omni die datarum quota feria evenerit, computa quot dies de illo mense habes, et subtrahe diem Kalendarum. Memor esto, lector, quotam feriam habueris in Kalendis, adde illam feriam ad illos dies superius memoratos, et partire per 7 partem, et quidquid remanserit, tota feria erit. Si nihil remanserit, 7 feria erit.

Si vis scire omni die datarum, quota luna fuerit, computa quot dies de illo mense habeas. Subtrahe diem Kalend. Memor esto, lector, quotam lunam habueris in Kal., adde illam lunam ad illos dies superius memoratos, et partire per 30 partem, et quidquid remanserit, tota luna erit, et si nil remanserit, 30 erit luna. Similiter qui 29 lunam habuerit, partire per 29 partem. Quidquid remanserit, tota luna erit. Si nihil remanserit, 29 luna erit.

D *Ad feriam inveniendam Febr. in Kal.* XXXII *usque in finem.*

Si vis scire hoc vel illo die quota sit feria, computa dies a Kal. Jan. usque in diem de quo inquiris, et cum noveris, adde feriam quæ fuit die Kal. Jan., et si bissextilis annus est, etiam bissexti diem. Partire omnia per 7, et quot remanent dies, adde septimanæ, ubicumque quæris, ostendit 350 50 septem vicies multiplicati faciunt 350 usque in finem.

De quota luna in Kal. Jan.

Si vis scire hoc, vel illud, quota sit luna, computa diem a Kal. Jan. usque in diem de quo inquiris, et cum scieris, adde ætatem lunæ quæ fuit in Kal. Jan. Partire omnia per 58. Et si amplius 50 remanserint, tolle 50 et quod super-

est ipsa est luna diei quem quæris. Adde in fine 6, usque finem hoc quære A, B, C, D.

De luna in Kal. Jan.

Si hoc scire desideras, sume cyclum anni præsentis. Multiplica per 11, adde epactam regularem. Partire per 30. Quod remanet, ipsa est ætas lunæ in Kal. Jan. Sed tantum memor esto ut 17, 18, 19 cyclo non 1 adjicias, sed 2 adjicias regulares. Si hoc scire cupis, quota luna ipsius, quemque velis, duces cyclum; adde 1. Duc eumdem sexies, sive triginta positus; sive 1 superfuit mus totam lunam esse reperies. Postea sedecim duobus adjicies.

AD FERIAM.		AD LUNAM.	
350.	50.	354.	6.
280	40	295.	5.
210	30.	226.	4.
70.	10.	277	3.
63.	9.	118.	2.
56.	8.	58.	1.
48.	7.		
42.	6.		
35.	5.		
28.	4.		
21.	3.		
14.	2.		
7.	1.		

Incipit computatio Græcorum vel Latinorum qualiter calculare debemus omnibus annis.

I. Januarius, Augustus, et December IV Non. habent, XIX post Id., et dies 31. Martius, Maius, Julius, et October VI Non. habent, XVII post Id., et dies 31. Aprilis, Junius, September, et November IV Non. habent, XVIII post Id., et dies 30. Mensis Februarius IV Non. habet, XVI post Idus, et dies 28. Omnes menses VIII Idus habent.

Item alia.

II. In Januario, Augusto, et Decembri Kal. et VI Id., et XVIII Kal., et XI Kal., et IV Kal., unus dies est. In Martio, Maio, Julio, et Octobri Kal., et VIII id., et Idus, et XI Kal., et IV Kal., unus dies est. In Aprili, Junio, Septembri, et Novembri Kal., et VI Id., et XVII Kal., et X Kal., et III Kal., unus dies est. In Februario vero Kalendæ, et VI Id., et XV Kal., et VIII Kal., unus dies est. Ille mensis qui habet IV Non., facit in Nonis dies 5, et in Idibus dies 13, et ille mensis qui habet VI Nonas, facit in Nonis dies 7 et in Idibus dies 15.

Hic invenies dies anni.

III. Februarius in Kal. XXXII. in Nonis XXXVI. in Idibus XLIV.

Martius in Kal. LX, in Non. LXVI, in Id. LXXIV.

Aprilis in Kal. XCI, in Non. XCV, in Id. CIII.

Maius in Kal. CXXI, in Non. CXXVII, in Id. CXXXV.

Junius in Kal. CLII, in Non. CLVI, in Id. CLIV.

Julius in Kal. CLXXXII, in Non. CLXXXVIII, in Id. CXCVI.

Augustus Kal. CCXIII, in Non. CCXVII, in Id. CCXXV.

September in Kal. CCXLIV, in Non. CCXLVIII, in Id. CCLVI.

October in Kal. CCLXXIV, in Non. CCLXXX, in Id. CCLXXXVIII.

November in Kal. CCCV, in Non. CCCIX, in Id. CCCXVII.

December in Kal. CCCXXXV, in Non. CCCXXXIX, in Id. CCCXLVII.

Januarius in Kal. CCCLXVI, in Non. V, in Id. XIII.

Concurrentes ad feriam muta in Kal. Martias. Epactam muta in Kal. Septembr.

Ad. Kal. inveniendas

Kal. Mart. feria illa. Kal. April. IV Non. Mart. Kal. Maii. Prid. Non. Mart. Kal. Jun. VI Non. Mar. Kal. Jul. IV Non. Mart. Kal. Aug. Non. Mart. Kal. Septemb. V Non. Mart. Kal. Octobr. III Non. Martias. Kal. Novembr. Kal. Mart. Kal. Decembr. V Non. Mart. Kal. Januar. prid. Non. Mart. Kal. Februar. VI Non. Martias

Si vis scire Kal. mensium quo die intrant, hoc calculo cognoscetur volentibus annis.

Incipit regula ad Kal. mensium inveniendas.

Mart. V. Apr. I. Maius. III. Jun. VI. Jul. I. Augustus IV. September. VII. October. II. Novemb. V. Decemb. VII. Jan. III. Febr. VI.

Regulam habes. His semper adde ad epactas solis cujuslibet anni, et deinceps partire per 7 partem, sicque calculationis feriam sine errore reperies.

Incipit epacta solis

B. I. II. III. IV. B. VI. VII. I. II. B. IV. V. VI. VII. B. II. III. IIII. V. B. VII. I. II. III. B. V. VI. VII. I. B. III. IV. V. VI

Incipit regula ad lectiones lunæ.

Septemb. V. Octob. V. Novemb. VII. Decemb. VII. Januar. IX. Febr. X. Mart. IX. Apr. X. Mai. XI. Jun. XII. Jun. XII. Jul. XIII. Aug. XIV.

Regulam habes. His semper adde ad epactam lunarem cujuslibet anni, et deinceps partire per partem, sicque calculationem lunæ sine errore reperies.

Incipit epact. Idem ad lectiones lunares.

Nullæ. XI. XXII. III. XIV. XXV. VI. XVII. Ogd. XXVIII. IX. XX. I. XII. XXIII. IV. XV. XXVI. VII. XVIII. End.

Incipit epacta secundum Latinos.

IX. XX. I. XII. XXIII. IV. XV. XXVI. Ogd. VII. XVIII. XXVIII. X. XXI. II. XIII. XXIV. V. XVI. XXVII. End.

Incipit terminus quadragesimalis.

Luna II. VIII. Kal. Mart. III. Id. Febr. VI. Non. Mart. XI. Kal. Mart. VI. Id. Febr. III. Kal. Mart. XIV. Kal. Mart. Non. Mart. IV. Ogd. VI. Kal. Mart. Id. Febr. IV. Non. Mart. IX. Kal. Mart. IV. Id. Febr. Kal. Mart. V. XII. Kal. Mart. VII. Id. Febr. II. IV. Kal. Mart. XX. Kal. Mart. II. Non. Mart. End.

Incipit terminus paschalis.

Luna XIV. Non. Apr. V. VIII. Kal. Apr. Id. Apr. II. IV. Non. Apr. XI. Kal. Apr. IV. Id. Apr. III. Kal. Apr. XII. Kal. Mai. Ogdo. VII. Id. Apr. VI. Kal. Apr. XVII. Kal. Mai. Prid. Id. Apr. VIII. Kal. Apr. Prid. Id. Apr. Kal. Apr. X. Kal. Apr. V. Id. Apr. IV. Kal. Apr. XX. Kal. Mai. End.

Incipit iterum de termino paschali.

Non. Apr. norunt quin. v. viii. Kal. inde promunt i. Id. Apr. etiam sexies vi. Nonæ quaternæ namque dipondio ii. Item undenæ ambiunt quin. v. iv. Id. capiunt ternos iii. Ternæ Kal. titulant senæ vi. Quatuordenæ cubant in quad. iv. Ogd. Septenæ Id. vii. eligent vii. Feriæ Kal. sortiuntur ternos iii. Denæ septenæ dant ass. i. Pridie Non. porro quaternis iv. Novenæ Kal. notantur namque septenis. vii. Pridie Id. panditur quin. v. Kal. Apr. unus exprimitur i. Duodenæ namque docte quaternis iv. Septenæ quinæ sperant duo ii. Quartanæ Kal. Quinæ conjiciunt v. Quindenæ constant tribus adeptæ iii. End.

Incipit terminus ad Rog.

Luna xx. vi. Id. Mai. v. iii. Kal. Mai. i. xv. Kal. Jun. vi. Non. Mai. ii. vii. Kal. Mai. v. Id. Mai. iii. iv. Non Mai. vi. x. Kal. Jun. iv. Ogd. iv. Id. Mai vii. Kal. Mai. iii. xiii. Kal. Mai. i. vii. Id. Mai. iv. iv. Kal. Mai. vii. xvi. Kal. Jun. v. Prid. Non. Mai. i. vii. Kal. Mai. iv. Prid. Id. Mai. ii. v. Non. Mai. v. xi. Kal. Jun. iii. End.

Incipit terminus Pentecostis.

Luna iv. ix. Kal. Jun. v. iii. Id. Mai. i. Kal. Jun. vi. xii. Kal. Jun. ii. vi. Id. Mai. v. iv. Kal. Jun. iii. xv. Kal. Jun. vi. viii. Id. Jun. iv. Ogd. vii. Kal. Jun. vii. Id. Mai. iii. iii. Non. Jun. i. x. Kal. Jun. iv. iv. Id. Mai. viii. Prid. Kal. Jun. v. xiii. Kal. Jun. i. vii. Id. Mai. iv. v. Kal. Jun. ii. xvi. Kal. Jun. v. x. Jun. iii. End.

De annis communibus et embolimæis.

Com. com. emb. com. com. emb. com. emb., ogd. Com. com. emb. com. com. emb. com. com. emb. com. emb., end.

Tu istos regulares, qui ante istos 4 terminos positi sunt, adde concurrentibus cujuslibet anni, et deinceps partire per septimam partem. Si 7 remanent, 7 feria erunt illi termini. Si super 7 sunt 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7 totæ feriæ erunt illi termini.

De annis communibus et embolimæis.

IV. Primus annus communis xv Kal. Mai. incipit. Secundus Non. Apr. Tertius embol. incipit viii Kal. Apr. Annus solaris habet dies 365. Annus communis habet dies 354. Annus embolimæus habet dies 384 Communis dicitur, quia similis est numero dierum. *Embolimæus* vero Græc., quod in Latinum vertitur *augmentum*, sive majorem annum.

De epistolis Græcorum.

V. Legimus in epistolis Græcorum, quod post passionem apostolorum sanctus Pachomius abbas in Ægypto cum monachis suis in oratione a Domino rogaverit, ut ostenderet eis quomodo Pascha deberent celebrare. Et misit Dominus angelum suum, et scripsit ad præfatum sanctum Pachomium cyclum decemnovalem hoc modo. Non. Apr., et reliqua usque in finem.

A *Ratio qualiter secundum Latinos vel Græcos argumenta paschalia recto tramite invenire debeas.*

VI. Latini namque a iii Non. Mart. usque in iv Non. Apr., diebus scilicet 29, observandum maxime censuerunt, ut quocumque eorum die luna nata fuerit, efficiat primi mensis initium, cujus luna 14, si Feria 6 provenerit, subsequenti Dominica, id est luna 16, festivitatem paschalem sine ambiguitate celebrabis 14. Porro luna mensis ejusdem a xv kal. Apr., usque in xvi Kal. Mai. ad fer. esse servandas.

Item quod verius est.

VII. Sancta synodus 318 pontificum, qui apud Nicæam civitatem Bythiniæ convenerunt, inlustrante Spiritu sancto, firmiter sanxerunt, ut ab viii Id.
B Mart. usque in diem Non. Apr., quod sunt dies 29, qualiscumque luna nata fuerit, perhibet facere initium primi mensis.

Item de die mensis et lunæ paschalis ultimæ qualiter celebretur.

VIII. Statutum invenimus in concilio Romanorum, ut nec ante xi Kal. Apr., nec post vii Kal. Mai. Pascha non debeat fieri.

Item apud Græcos.

IX. Sanctæ memoriæ contra Theophilus Alexandrinus episcopus, datis epistolis ad Theodosium imperatorem, in quibus adnuntians ab viii Id. Mart. usque in diem Non. Apr., diebus scilicet 29, qualiscumque luna nata fuerit, in quolibet medio spatio perhibet facere initium primi mensis. Luna vero
C 14 a xv Kal. Apr., usque in xv Kal. Mai. solerter inquiri, etiam si die Sabbatorum inciderit, consequenti die Dominico, id est luna 15, Pascha celebrare conscripsit. Si die Dominico luna 14, ejusdem mensis, id est primi mensis evenerit, ipsa hebdomada transmissa, ad alteram diem Dominicam Pascha celebrari sine dubio conscripsit.

Item apud Latinos

X. Esset aliud exemplum de initio primi mensis, ut quota luna fuerit in Kal. Jan. tot dies de mense Martio in fine computabis, et invenies procul dubio lunam, et initium primi mensis potest tantum tres ætates lunæ, hoc est, 25, 28, 26.

Item de nativitate lunæ.

XI. Quærenda est nativitas lunæ 14 ab viii Id. Mart.
D usque in Non. Apr., quæ primi mensis novorum ostendit initium. A xii vero Kal. Apr. usque in xiv Kal. Mai, in quacumque die 14 luna occurrerit, ipsa te ad celebrationem sancti Paschæ perducit

Si vero 14 luna ante xii Kal. occurrerit, idem aut xiii Kal. Apr., aut xiv Kal. Apr., aut xv Kal. Apr., scito quoniam paschalis luna non est, sed eamdem lunam cum ad 30 perduxeris, lunaque alia die nata fuerit, in ipsa autem sanctum Pascha celebrabis. Similiter cautus esto, ut xiv Kal. Mai. luna 14 non transcendat, ut ad xiii Kal. Mai. aut at xii Kal. Mai. Nam incipies in magnum deduci errorem.

Item alia.

XII. Christianorum vero Pascha ab xi Kal. Apr.

usque in VII Kal. Maias, quocumque die Dominico regulæ videlicet luna occurrerit, sanctum Pascha modis omnibus celebraris. Quod si ante XI Kal. Apr. etiamsi luna occurerit, vel post VII Kal. Maii Pascha nullatenus celebratur.

De communi anno et embolimæo.

XIII. Communium et embolimæorum ratio ista est, ut per ogdoadem et endecadem concurrere debeant. Sunt autem ogdoades 8, endecades 11 : com. com. emb. com. com. emb. com. emb. Endecades 11 : com. com. emb. com. emb. com. com. com. emb. com. emb. Et inveniendi sunt verbi gratia 14 luna paschalis festivitatis in anno præterito. Prid. Id. Apr. fuit ipsa luna 14. Anno præsente in eo datarum si super extenderit diebus 19, erit annus embolimæus, si retro inventa fuerit diebus 11, erit annus communis.

Item de annis communibus et embolimæis.

XIV. Si vis scire quando in anno communi, vel quando in embolimæo debeat Pascha Dominicum celebrari, accipe rationem. Namque decemnovalis circulus, qui enneacædecaetiris Græco vocabulo nuncupatur, per ogdoadem et endecadem semper in se revolvitur, id est per 8 et 11 annos, qui simul juncti 19 faciunt. Ogdoas ergo incipit anno decemnovali 1, et clauditur ejusdem 8; cujus 1 et 2 annus communes sunt, 3 embolismalis, 4 et 5 communis, 6 embolismalis, 7 communis, 8 embolismalis est. Sicque ogdoas communibus 5 et embolismalibus 3 expletur. Endecas autem, quæ incipit anno decemnovali 9, et terminatur 19, taliter graditur, ut 1 et 2 annum communem habeat, 3 embolismalem, 4 et 5 com., 6 emb., 7 et 8 com., et 9 emb., 10 com., 11 emb. habeat. Sicque endecas communibus annis ideo dicitur, quia de minoris annor. que duodenis mensibus secundum lunæ cursum et diebus 354 explent, invicem juncti in paschali felicitate socientur, quibus ad rationem solis 11 dies desunt, quos Ægyptii epactas, id est adjectiones vocant, quas supra scriptis diebus adjicientes numerum vocant solaris anni, id est 365 adimplent, quod etiam in embolismorum ratione dirigens perscrutatur, potens invenire, quorum vis talis est, ut pro sui longitudine communium annorum detrimenta compensent. *Embolismalis* etenim Græce, Latine *superaugmentum* dicitur, quia id est annus 13 lunaribus mensibus, et diebus 384 impletur, solarem annum diebus 19 transcendens. Nam communium et embolismorum talis comprobatio est. Si enim a 15 luna præterit festi usque 14 anni ejusdem sequentes dies 354 fuerunt, communis annus erit. Si autem fuerint dies 384, embolismalis erit. Quod ut aptius fiat, a primo anno decemnovennali usque ad ultimum ejusdem subjecta poteris formula edoceri, cujus ordo talis est.

Anno decemnovennali 1, luna 17 a 15 luna præteriti festi paschalis usque ad 14 ejusdem sequentes; id est a 16 Kal. Mai. usque in Non. Apr. quia communis annus est, fiunt dies 354.

Anno decemnovennali 2, luna 18 a 15 luna præteriti festi usque ad 14 sequentes, id est a prid. Non. Apr. usque in VIII Kal. Apr., quia communis annus est, fiunt dies 354.

Anno decemnovennali 3, luna 19 a 15 luna præteriti festi usque ad 14 sequentes, id est a VII Kal. Apr. usque in Idus Apr., quia embolismalis annus est, fiunt dies 384.

Anno decemnovennali 4, luna 1 a 15 luna præteriti festi usque ad 14 sequentes, id est a prid. Id. Apr. usque in IV Non. Apr. quia communis annus est, fiunt dies 354.

Anno decemnovennali 5, luna 2 a 15 luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est a III Non. Apr. usque in XI Kal. Apr., quia communis annus est, fiunt dies 354.

Anno decemnovennali 6, luna 3 a 15 luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est a X Kal. Apr. usque in III Id. Apr., quia embolismalis annus est, fiunt dies 384.

Anno decemnovennali 7, luna 4 a 15 luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est a V Id. Apr. usque in III Kal. Apr., quia annus communis est, fiunt dies 354.

Anno decemnovennali 8, luna 5 a 15 luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est a prid. Kal Apr usque in XIV Kal. Mai., quia embolismalis annus est, dies 384.

Ogdoas.

Anno decemnovennali 9, luna 6 a 15, luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est a XV Kal. Mai. usque in VII Id. Apr., quia communis annus est, dies 354.

Anno decemnovennali 10, luna 7 a 15 luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est a VIII Id. Apr. usque in VI Kal. Apr., quia communis annus est, dies 354.

Anno decemnovennali 11, luna 8 a 15 luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est a V Kal. Apr. usque in XVII Kal. Mai., quia embolismalis annus est, dies 384.

Anno decemnovennali 12, luna 9 a 15 luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est a XVIII Kal. Mai. usque in prid. Non. Apr., quia communis annus est, dies 354.

Anno decemnovennali 13, luna 10 a 15 luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est a III Non. Apr. usque in IX Kal. Apr., quia communis annus est, dies 354.

Anno decemnovennali 14, luna 11 a 15 luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est ab VIII Kal. Apr. usque in prid. Id. Apr., quia embolismalis annus est, dies 384.

Anno decemnovennali 15, luna 12 a 15 luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est ab Id. Apr. usque in Kal. Apr., quia annus communis est, dies 354.

Anno decemnovennali 16, luna 13 a 15 luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est a Prid. Kal.

Apr. usque in XII Kal. Apr., quia communis annus A est, dies 354.

Anno decemnovennali 17, luna 14 a 15 luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est ab XI Kal. Apr. usque in V Id. Apr. quia annus embolismalis est, dies 384.

Anno decemnovennali 18, luna 15 a 15 luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est a VI Id. Apr. usque in IV Kal. Aor. quia annus communis est, dies 354.

Anno decemnovennali 19, luna 16 a 15 luna præteriti festi usque in 14 sequentes, id est a III Kal. Apr. usque in XV Kal. Mai., quia annus embolismalis est, dies 384.

Sic facies semper in omnibus annis, excepto in primo anno, in quo 24 ultimi usque in 14 primi B numerabis a Pasch. solemnitatis, utrum in anno communi, an embolismali debeat celebrari, rite, et absque ullo errore reperies.

De quatuor differentiis lunæ.

XV. Quatuor differentiæ lunarum. Victorinus, 30; Onatilius et Laterculus alius 30; alius 29; apud Hebræos 29 et semis. Apud Ægyptios 29. Ægyptii faciunt in omni anno 12 menses. In unoquoque mense 30 dies, in uno mense 5 ad. Communis annus habet dies 354. Adde 11 : fiunt dies 365. Adde supra 19, et fit embol. Hic annus habet dies 384.

De celebratione sancti Paschatis.

XVI. Quo die debemus Pascha celebrare, idem 30, vel 31, et hoc, ut dixi, in 19 anno cycli fit propter C concordiam epactarum. Isti autem 30 dies sunt, idque 354 dies anni communis supra crescunt usque in 384 dies anni embolismalis, quia communi anno, aut 354, dies Pascha non licet celebrare. Supra vero hos dies licet. In embolismali autem anno ante 384, vel 5, non debet Pascha celebrari. Supra vero licet. Iste ergo numerus dierum in communibus annis, et embolismalibus in celebratione Paschæ observandum est.

De embolismo majori.

XVII. Incipit de embolismo majori. Majorum embolismorum ratio probatur existere, quod communium annorum videtur damna supplere, quatenus et solare tempus lunaris exsequitur excursio. Embolismus quare fit, et quomodo fit, et quid esset, si non fuisset, quomodo id fit. Commune et commune, et fiunt duo anni solares, et resident 22 dies de duobus annis solis. Fit tertio anno, et supersunt 23 dies solis. Fit embolismus tertio anno lunæ, et deponit 30 dies, et supersunt 3, et fiunt similiter com. com. duo anni, singulares 3 tertio anno lunæ, id embolismus deponit 30 dies. Supersunt 3, id 6 dies de 6 anno communi. Id 11 dies supersunt anni solis, quia si com. aliter ann. id supersunt a sole 22, inter 2 annum, et 6 superiores, ideo necesse est ut in altero anno fiat embolismus, et non solum embolismus implet dies 19, sed supersunt duo dies lunæ.

De augmento lunæ.

XVIII. Incipit augmentum lunæ. Augmentum lunæ quare fit, et quomodo fit, et quid esset si non fuisset. Quare idem, quia est in natura lunæ tarditas, quod superius ascensio ejus in natura, quam putaretur, addit tarditas ejus, donec non interest, quod addit in capite 19 in noctem, quam adderet id per quam venerint 19 per 15, quando putaretur ascensio lunæ esse in plenitudine, licet prius deprehenderetur.

De Kalendis mensium.

XIX. Kalendæ Græcus sermo est, sed ad colendum dicitur, in Latinum vocationem dicuntur. Apud Græcos de *calo* Kalendæ, apud Latinos de *voco* vocationes derivantur. Nonæ Græcus sermo est, unde veniunt Nonæ. Nonæ a nundinis derivantur apud Græcos. Apud Latinos mercatum, vel mercimonia dicuntur. Idus Græcus sermo est. In Latinum dicitur cor mensium, vel medietas mensium.

Item de Kalendis mensium.

XX. Quid sunt dictæ Kalendæ? Kalendæ, Nonæ, Idus Græcus sermo est. Propter festos dies Romani instituerunt, vel propter officia magistrorum; in his enim diebus congregabantur in urbibus. Quidam autem Kalendas a *colendo* appellari existimarunt, vel a *calo*, id est *voco*, nam astrologus vocabat populum, ut viderent accensum lunæ, id est initium primæ lunæ, vel stellarum cursum, quæ ante, aut retro currunt; apud veteres enim omnium mensuum principia colebantur. Nonæ pro quo dicuntur? Nonæ a nondinis vocatæ. Nondinæ enim sunt publicæ conventiones, id est a negotiatione, sive a mercimonia nondinæ solemnitas dicitur. Quare antiqui IV Non., vel VI Non. ideo diviserunt? IV Non., vel VI Non. non ideo diviserunt, ut non scirent latrones mercatum illorum, quando esse deberet, qui abscondebant se per diversa latibula in secretis locis juxta viam, et venientes ad mercatum occidebant, et spoliabant. Qua causa dictæ sunt Idus cor mensium, vel medietas mensium? Idus autem plerique Latinorum ab *edendo* dictas putant, quod hi dies apud veteres epularum essent, vel species mensis sequentis, vel propter medium mensis, quia *iduare* Græce medium dicitur.

De feria monstranda in Kal. 12 mensium.

XXI. Si vis nosse feriam, hoc est diem 7 in Kal. 12 mensium, scito quot regulares habet unusquisque mensis, a Martio incipiens, quia in illo die factus est mundus, et ille mensis fuit principium anni apud antiquos Romanos tempore Romuli, et in illo mense discurrunt epactæ solis, id est concurrentes 7 dies, et IX Kal. Apr. in cyclo 28 annorum. Martius ergo habet regulares 5, Aprilis 1, Mad. 3, Jun. 6, Jul. 1, Aug. 4, Septemb. 7, Octob. 2, Novemb. 5, Decemb. 7, Jan. 3, Feb. 6. Hos ergo regulares adde concurrentibus præsentis cujuslibet anni per 28 annos, tunc enim cyclus solis in se revertitur totus. Qua summa in septem divisa, quotus numerus remansit, tota erit feria in Kal. 12 mensium. Si autem totum numerum

per 7 diviseris, Sabbato erunt Kalendæ illius mensis, de cujus feria quæritur. Si vero ille numerus regularum et concurrentium simul ad 7 non pervenerit, quotus numerus fuerit, tota erit feria præsens in Kal. uniuscujusque mensis per totum annum.

De epactis in Kal. 12 mensium.

XXII. Si vis scire epactas in Kal. 12 mensium, scies quot regulares habet unusquisque mensis incipiens a Septembri, quia ille est principium anni, et principium mensium apud Ægyptios, et in principio Septembris mutant Ægyptii epactas, et illas epactas primas, quas Ægyptii habent in principio cycli in Kal. 12 mensium nos regulares habemus, v. g., a Sept. 5, Octob. 5. Insunt ergo regularibus additis epactis, quæcumque fuerint in XI Kal. Apr., quolibet anno invenies epactas in Kal. 12 mensium.

Ad feriam in unoquoque mense.

XXIII. Si vis sapere quota feria est in unoquoque die datarum per totum annum, sume dies a principio mensis, qui tibi præsens fuerit, usque ad terminum paschalem, qui est anno præsenti XV Kal. Mai. Dies mensis sunt 17; adde dies septimanæ, qui præcesserint Kal. illius mensis, id est 6; mitte simul cum 17, fiunt 23. Hos divide per septimam partem, dimitte 21, fit ter septies, remanent 2. Secunda feria est terminus paschalis anni præsentis, sicque per omnes menses, qualis sit feria in unaquaque die ostenditur, colligens omnes dies a Kal. illius mensis usque ad præsentem diem quem volueris. Adde dies septimanæ, qui præcesserint Kalendas illius mensis, quicumque fuerunt. Si autem prima feria fuerint Kal., id est die Dominico, nihil addes, nisi dies mensis. Divide per 7, quotus numerus remanserit, tota erit feria præsens. Si autem totum numerum per 7 partitus fueris, Sabbatum erit illa feria, quæ quæritur.

Item de feria, seu ad terminum paschalem.

XXIV. Si vis nosse, quota feria sit, qualicumque die computare volueris, tene regulares mensis præsentis, adde concurrentes cujus volueris anni, comprehende in unum. Si usque septem pervenerint, septima feria est. Si autem minus a septem, talis erit feria. Si autem super septem creverint, subtrahe 7, et quidquid superfuerit, tota feria erit. Hoc quidem de Kal. dictum est. Similiter et si luna scire vis quota sit, die quocumque volueris, scito quota in Kal. ipsius mensis per epactas et regulares inventa fuerit, et tene supradictum numerum. Adde etiam dies mensis præteritos, sicut supra ad feriam diximus, et unum semper subtrahe. Comprehende in unum. Si usque 30 pervenerint, trigesima luna est. Si autem minus a 30, ita et luna. Quod si super 30 fuerint, subtrahe 30, et quotquot remanserint, tota est luna. Hoc autem memento, ut diem præsentem semper subtrahas, et si tricesima lunatio est, 30 subtrahe. Si autem 29, tunc 29 subtrahe. Quia ab initio Janu. usque ad Kal. Decembris una lunatio 30, alia 29. Quando vero bissextus est, vacat dies cum luna. V. g. si hodie computatur sexta, eti nerastino sexta. [a]

De epactis in XI Kal. Apr.

XXVI. Si vis nosse epactas in XI Kal. Apr., scito quota luna fuerit in XI Kal. Apr., talem epactam habebis omni tempore. Quia Græci vero epactas XI Kal. Apr. ponunt, pro eo quod luna primatum noctis, jubente Domino, tenet; dicit enim Scriptura: *Et fecit Deus duo magna luminaria, et posuit ea in firmamento cœli. Luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti;* et ideo tres dies quos atros appellat antiquitas, qui antequam luminaria crearentur a Domino facta in Genesi describuntur suis partibus, sibique vindicant. Ad quem, ut dictum est, finem faciunt anni initium que prævaluit.

De tempore mensium.

XXVII. Tempora mensium quot sunt? Quatuor: ver, æstas, autumnus et hyems. Ver quippe exoritur VIII Kal. Mart., permanens diebus 91, et constat ex humore et igne. Æstas incipit VIII Kal. Jun. permanens diebus 91, et constat ex igne et siccitate. Autumnus sumit principium X Kal. Septemb., permanens diebus 92, et constat ex siccitate et humore. Hyems inchoatur VIII Kal. Decembr., permanens diebus 91, et constat ex frigore et humore, et inde fiunt anni vertentes diebus 365.

Item de tempore mensium.

XXVIII. Tempora mensium quatuor sunt: ver, æstas, autumnus et hyems. Dicta sunt tempora a communione temperamentorum, quod invicem se humore, siccitate, calore et frigore temperent. Hæc et curricula dicuntur, quia non stant, sed currunt. Constat autem post factum mundum ex qualitatibus cursu solis tempora in ternos menses fuisse divisa, quorum temporum talem veteres discretionem faciunt, ut primus mensis ver novum dicatur, secundus adultum, tertius præceps. Sic æstas in suis tribus mensibus nova, adulta, et præceps; sic et autumnus novus, adultus, et præceps, sive extremus. Unde et est illud: *Extremæ sub casum hyemis.* Ver autem dictum, quod viret, tunc enim post hyemem vestitur tellus herbis, et in florem cuncta rumpuntur. Æstas dicitur ab æstu, id est a calore, et æstas quasi usta, id est exusta et arida. Nam calor aridus est. Autumnus a tempestate vocatus, quando folia arborum cadunt, et omnia maturescunt. Hyemem ratio hyemis feri: id est dici nuncupavit, quia tunc breviori sol volvitur circulo. Unde et hoc tempus bruma dicitur quasi braxim, id est brevis, vel a cibo, quod major sit tunc vescendi adpetitus, edacitas enim Græce bruma appellatur, unde et inbrumati dicuntur, quibus fastidium est ciborum. Hybernus autem inter hyemem et vernum est, quasi hybernus plerumque a parte totum hyemem significat. Hæc tempora singulis etiam cœli partibus adscribuntur. Ver quippe orienti datur, quia tunc ex terris omnia oriuntur. Æstas vero meridiano, eo quod pars ejus calore flagrantior sit. Hyems septentrioni, eo quod frigoribus et perpetuo gelu torpet. Autumnus occiduo, propter quod graves morbos ha-

[a] Deest cap. 25, *de concurrentibus;* exstat tamen in summario capitulorum.

bet, unde et tunc omnia arborum folia defluunt. Ut autem autumnus abundat morbis, facit autem finem frigoris, et caloris, et pugnantia intra se contrariorum.

De solstitiis et æquinoctiis.

XXIX. Solstitia duo sunt. Primum hyemale VIII Kal. Jan., quod sol stat, et crescunt dies, et est ipsa die in Bethleem Nativitatis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. Alterum æstivale VIII Kal. Jul., quod sol stat, et crescunt noctes, et est ipsa die in provincia Palæstinæ civitate natale sancti Johannis Baptistæ, et in Epheso sancti Johannis evangelistæ. Hisce contraria duo æquinoctia sunt, unum vernale secundum Latinos VIII Kal. Apr., et secundum Græcos XI Kal. Apr., ex quo dies crescunt, et ipsa die in Hierosolyma Dominus noster Jesus Christus crucifixus fuit, et est Conceptio sanctæ Dei genitricis Mariæ, quando salutata est ab angelo. Alterum autumnale VIII Kal. Octobr., ex quo dies minuuntur, et fuit in Macheronte Castello Conceptio sancti Johannis Baptistæ.

Item de solstitiis et æquinoctiis.

XXX. Solstitium dictum quasi solis statio, quod tunc sole stante cresunt dies, vel noctes. Duo sunt autem solstitia, unum hyemale VIII Kal. Jan., quo tempore sol altiores incipit circulos petere. Ascendit unoquoque die duo momenta et medium, et sextam partem momenti, alterum æstivale VIII Kal. Jul., de quo tempore remeare sol ad inferiores incipit circulos; descendit unoquoque die duo momenta, et medium, et sextam partem momenti, unde hyemali solstitio dies minimus, sicut æstivo maximus invenitur. Item duo sunt æquinoctia, unum vernale, et alterum autumnale, quæ Græci τροπὰς vocant. Æquinoctium appellatum quod tunc dies et nox horarum spatia æqualia constituunt. Sunt autem æquinoctia die XI Kal. Apr., alterum autumnale VIII Kal. Octobr., quia annus olim in duas partes tantum dividebatur, hoc est in hyemalem et æstivum. Solstitium in duo hemispheria id est dici *.

De solstitiis.

XXXI. Si sapere vis duo solstitia per XII signa quomodo crescit dies, et nox per momenta et horas, solstitia duo sunt, hyemale VIII Kal. Jan., alterum æstivale VIII Kal. Jul., quod ascendit sol et descendit. Si hoc scire vis, ita investigandum est ab XII Kal. Januar. usque in XI Kal. Jul. dies incipit crescere in unaquaque die duo momenta, et medium, et sextam partem momenti, id est duas tertias momenti. Primo signo id est a XII Kal. Jan. usque in XIV Kal. Febr. fiunt momenta 80, et ipsa momenta faciunt horas duas, et sunt dies 30. Secundo signo, id est a XIII Kal. Febr. usque in XII Kal. Mart. fiunt momenta 80, et ipsa momenta faciunt horas duas, diebus 30. Tertio signo, id est ab XI Kal. Mart. usque in XI Kal. Apr. fiunt momenta 80, ipsaque momenta faciunt horas duas, diebus 31. In his tribus signis in unoquoque signo tricenis diebus, et uno die addito, hoc est 91 tot dies sunt, momenta 240, et ipsa momenta faciunt horas 6 a XII Kal. Jan. usque in XI Kal Apr., et tunc æquinoctium vernale diebus, et noctibus, et momentis, et horis æqualibus consistit. Quarto signo, id est a X Kal. Apr. usque in XI Kal. Mai. fiunt momenta 80 et ipsa momenta faciunt horas duas, diebus 30. Quinto signo, id est a X Kal. Mai. usque in XI Kal. Jun. fiunt momenta 80, ipsaque momenta faciunt horas duas, diebus 31. Sexto signo, id est a X Kal. Jun. usque in XI Kal. Jul. fiunt momenta 80, horæ duæ, diebus 30. Et ita tribus signis, hoc est ab æquinoctio vernali usque ad solstitium æstivum, id est ab XI Kal. Apr. usque in XI Kal. Jul. 91 tot dies sunt, momenta 240, et ipsa momenta faciunt horas 6, in 6 signis fit summa ad crescendum momentorum 380, horarum 12.

Incipit in nocte solstitium æstivum, quod nox crescit, et dies minuitur. Crescunt autem in unaquaque nocte duo momenta, et medium, et sextam partem momenti, id est duas tertias momenti. Septimo signo, id est a X Kal. Jul. usque in XI Kal. Aug. fiunt momenta 80, horæ duæ, diebus 31. Octavo signo, id est a X Kal. Aug. usque in XII Kal. Septembr. fiunt momenta 80, horæ duæ, dies 30. Nono signo, id est ab XI Kal. Septemb. usque in XII Kal. Octobr. fiunt momenta 80, horæ duæ, dies 30. Et ita in tribus signis a solstitio æstivo usque ad æquinoctium autumnale in unoquoque signo dies 30, et uno addito die fiunt 91 dies. Sunt autem momenta 240, horæ 6, a X Kal. Jul. usque in XII Kal. Octobr., et tunc æquinoctium autumnale diebus, et noctibus, et momentis, et horis æqualibus consistit. Decimo signo, id est ab XI Kal. Octobr. usque in XII Kal. Novemb., fiunt momenta 80, horæ duæ, diebus 30. Undecimo signo, id est ab XI Kal. Novemb. usque in XII Kal. Decemb., fiunt momenta 80, horæ duæ, diebus 30. Duodecimo signo, id est ab XI Kal. Decembr. usque in XI Kal. Jan., fiunt momenta 80, horæ duæ, diebus 30. In his tribus signis in unoqnoque signo tricenis diebus, et uno die addito, fiunt 91 dies, momenta 240, horæ 6, ab XI Kal. Jul. usque in XI Kal. Jan. In noctibus ad crescendum fiunt momenta 480, horæ 12. In toto anno dies 365, momenta 960, horæ 24.

Item de temporibus mensium.

XXXII. Sanctus Augustinus episcopus alloquitur de annis. A V Id. Febr. usque in V Id. Maii tempus vernum est, dies sunt 91. A V Id. Mai. usque in V Id. Aug. tempus æstatis est, diesque sunt 91. A V Id. Aug. usque in V Id. Novemb. tempus autumni est, diesque sunt 92. A V Id. Novemb. usque in V Id. Febr. tempus hyemis est, diesque sunt 91. Decemb. Jan. Febr. hyems est, Mart. Apr. Mai. tempus vernum est. Jun. Jul. Aug. æstas est. Septemb. Octob. Novemb. tempus autumni est.

De momento.

XXXIII. Momentum Græcum est. Anatholius Græcus episcopus dixit: Per 15 dies sole ascendente per singula momenta, id est per 4 in una die ab XI Kal. Jan. usque in XI Kal. Apr. hora diminuitur, et dimidio. Punctum vero 1 facit X momenta. Puncta 2 faciunt XX momenta. Puncta 3 faciunt XXX momenta.

Puncta 4 faciunt 40 momenta. Ista 40 momenta faciunt 1 horam. Horæ 6 faciunt 1 quadrantem. Quadrantes 4 per 4 annos faciunt diem et noctem.

Item de momentis.

XXXIV. Momentum a velocitate dictum est, quasi motus mentis. Nihil enim aliud velocius habemus motione mentis, ex quibus duobus nominibus momentum nomen accepit. Minutum vero dictum est, quasi aliquid minutum, etenim *minuo* verbum activum tertiæ conjugationis correptæ invenitur, et exinde participia *minutus, minuta, minutum* derivantur, quod ut nomen aliquod accipitur ad parvitatem pertinens, ut per ejus etymologiam dignoscitur. Punctus autem a punctione etymologiam nominis accepit, quia fit *pungor*, et inde *punctus, puncta, punctum*. Hoc autem nomen a Græcis definitur. Est igitur punctum intervalli principium, et natura insecabile, quod Græci atomum vocant, id est ita diminutum atque parvissimum, ut ei par inveniri non possit, unum non de numero * puncto dicitur. Interrogandus est denique quot momenta, vel quot minuta, aut quot puncta in unaquaque hora inveniantur. Momenta vero 40 et 10 minuta, 4 quoque puncta in unaquaque hora fiunt, quia in 4 momentis, in 1 minuto 2 quoque minuta et dimidium in puncto implicantur. In 24 horis diei, noctisque 960 momenta, minuta autem 240, puncta vero 96, computari dicuntur. In hebdomada vero momenta 6,720, minuta 1,680, puncta 671, esse creduntur. Sume adspirationem, ut alii quasi de * milite dicta, eo quod sunt diei noctisque limites. Lunæ * a meridie usque ad meridiem dies dictus sit, qui dies jucundus sit, sive dividendo lucem, et tenebras dies solis ab ortu solis usque ad ortum dici. Numerus a numerando nomen accepit, aut de Numeria dea. Est collectio unorum, ut Augustinus ait, qui cum 2 sint singuli, et plus 4 sunt, quibus constat definitio numeri, et quo hæret numerus 90 mil. murias * initium anni lunaris ab initio primi mensis apud Hebræos, et ita secundum regulam Ecclesiæ. Græci autem enumerant annum a 15 usque in 14 præter decemnovennalem cycli annum, qui incipit a 14 propter commutationem lunæ.

Item de momentis ad bissextum.

XXXV. Momentum Græcum est, Latinum dicitur minimum, atque angustissimum tempus a motu siderum dictum; est enim extremitas horæ in brevibus intervallis, cum aliquid sibi cedit, atque succedit. Anatholius Alexandrinus Lauditiæ civitatis Græcus episcopus dixit: Per medium signum, id est per 15 partes, et fiunt 15 dies sole ascendente per momenta, idque in unoquoque die a XII Kal. Jan. usque in XI Kal. Apr. ascendit unoquoque die duas partes momenti. In primo signo momenta 20 fit media hora dies 30. In secundo signo momenta 20. In tertio signo momenta 20. In his tribus signis a XII Kal. Januar. usque in XI Kal. Apr. fiunt momenta 60. Ipsa momenta faciunt horam 1, et mediam, dies 90. A XII Kal. Jan. usque in XI Kal. Apr. hora diminuitur, et dimidia de tenebris crescit in lumine. Item tria signa a X Kal. Apr. usque in XI Kal. Jul. fiunt momenta 60, hora 1, et media, dies 91. Iterum tria signa a X Kal. Jul. usque in XII. Kal. Octob. fiunt momenta 60, hora 1 et media, dies 91. Itemque tria signa ab XI Kal. Octob. usque in XI Kal. Jan. fiunt momenta 60, hora 1, et media, dies 92; et fiunt in anno 12 signa, dies 335, momenta 240; et ipsa momenta faciunt horas 6, et ipsæ horæ faciunt 1 quadrantem, quadrantes 4 per 4 annos faciunt diem et noctem, quia 6 horæ qnadragies ductæ faciunt horas 24, et ipsæ horæ faciunt diem et noctem, qui additur VI Kal. Mart.

Ad bissextum inveniendum per 12 signa.

XXXVI. Si vis cognoscere quomodo bissextus crescit singulis annis, et mensibus, et diebus, solis cursu per 12 signa, in unoquoque signo media hora ex duobus punctis, et ipsa media hora facit 20 momenta. Da unicuique diei ex 30 diebus duas partes momenti. Secundo die momentum 1 et tertiam partem momenti. Tertio die mom. 2. Quarto 2 et secund. part. momenti. Quinto momenta 3 et tert. par. mom. Sexto mom. 4. Septimo mom. 4 et duas partes mom. Octavo mom. 5 et tert. partem momen. Nono momenta 6. Decimo mom. 6 et duas partes mom. Undecimo mom. 7 et tert. part. mom. Duodecimo die mom. 8. Decimotertio mom. 8 et secund. part. mom. Decimo quarto mom. 9 et tertiam partem mom. Decimo quinto mom. 10. Decimo sexto mom. 10 et duas partes mom. Decimoseptimo mom. 11 et tertiam partem. mom. Decimo octavo mom. 12. Decimonono mom. 12 et secund. partem mom. Vigesimo mom. 13 et tert. partem mom. Vigesimo primo mom. 14. Vigesimo secundo mom. 14 et secund. partem mom. Vigesimo tertio mom. 15 et tert. partem. mom. Vigesimo quarto mom. 16. Vigesimo quinto mom. 16 et secund. partem mom. Vigesimo sexto mom. 17 et tert. partem mom. Vigesimo septimo mom. 18. Vigesimo octavo momen. 18 et secund. partem mom. Vigesimo nono mom. 19 et tert. partem mom. Trigesimo die mom. 20.

Hæc in unoquoque signo fit summa momentorum 20 et ipsa momenta faciunt mediam horam, et dies 30. Secundo signo mom. 20 ex dimidia hora, ibi 30 dies. Tertio signo mom. 20 ex dimidia hora, ibi 30 dies, et sic de singulis. Hæc 12 signa faciunt 360 momenta. Ipsa momenta 240 faciunt horas 6, et ipsæ horæ faciunt 1 quadrantem in 1 anno, et quadragies ductæ per 4 annos faciunt horas 24, quod est 1 dies naturalis, quem Latini bissextum vocant.

Ad quinque dies intercalares inveniendos per 12 signa.

XXXVII. Si nosse vis quomodo adcrescunt 5 dies intercalares singulis mensibus et diebus in 1 anno solis cursu per 12 signa, in unoquoque signo 10 horæ crescunt. Multiplico 10 per decies, fiunt 100, quia 1 hora 10 minuta facit. Multiplica 10 per decies, fiunt 100 minuta. Da unicuique diei ex 30 diebus 3 minuta, et tertiam partem minuti, quia omni die ex 30 diebus adcrescunt 3 minuta, et ter-

tia pars minuti. Primo anno p.° bissextus initium prima hora noctis in primo signo intret in Arietem in unoquoque die ex 30 diebus crescunt 3 minuta, et tertia pars minuti. Secundo die 6 momenta, et secunda pars minuti. Tertio 10 minuta. Quarto 13 minuta, et tertia pars minuti. Quinto 16 min. et secunda pars min. Sexto 20 min. Septimo 23 min., et tertia pars min. Octavo 26, et duas partes minuti. Nono 30 min. Decimo 33 min., et tertia pars min. Undecimo 36 min., et secund. part. min. Duodecimo 40 min. Decimotertio 43 min., et tert. part. min. Decimoquarto 46 min., et secund. part. min. Decimoquinto 50 min. Decimosexto 53 min., et tert. part. min. Decimoseptimo 56 min., et secund. part. min. Decimo octavo 60 min. Undevigesimo 63 min., et tert. part. min. Vigesimo 66 min., et duas partes min. Vigesimo primo 70 min. Vigesimo secundo 73 min., et secund. part. min. Vigesimo tertio 76 min., et secund. part. min. Vigesimo quarto 80 min. Vigesimo quinto 83 min. et tert. part. min. Vigesimo sexto 86 min., et secund. part. min. Vigesimo septimo 90 min. Vigesimo octavo 93 min., et tert. part. min. Undetrigesimo 96 min. et duas partes min. Trigesimo die 100 minuta.

Hæcque unum signum integrum, et fit summa 190 minutorum. Ipsa minuta faciunt horas 10 et 30 dies. Similis numerus in 12 signis; in unoquoque signo 100 minuta, ipsaque minuta faciunt horas 10 et 30 dies. Hæc 12 signa faciunt dies 360, horas 120. Ipsæ horæ faciunt minuta 1200. Partire 120 horas per 24, et fiunt quinquies 24, quod sunt 5 dies qui dicuntur intercalares, et erunt totius anni dies 365.

De punctis.

XXXVIII. Unus punctus quarta pars horæ est. Puncti 4 faciunt 1 horam. Punctus 1 facit 10 mom. Puncti 4 mom. 40, et ista 40 mom. faciunt 1 horam. Et 6 horæ in 1 anno faciunt 1 quadrantem, et 4 quadrantes in 4 annis faciunt diem et noctem, et ipsi 4 quadrantes id est 6 quater ducti faciunt horas 24, id est 1 dies ex 24 horis, qui dicitur bissextus, quia bis legitur VI Kal. Mart.

Punctus 1 facit 2 minuta, et medium. Puncti 2 minuta 5. Puncti 4 minuta 10. Ipsa minuta faciunt horam. Puncti 40 faciunt horas 10, et faciunt ipsæ horæ 100 minuta. Ipsa minuta quater ducta faciunt 1,500 minuta, quia 1 minutum quater ductum facit 4 minuta. In 12 mensibus ter. quater ducta faciunt minuta 1,200. Ipsa minuta quater ducta faciunt momenta 4,800 ex 360 diebus in 1 anno.

De diebus anni.

XXXIX. Annus 1 habet dies 365, et inter dies et noctes 8,760. Fac ex ipsis 7 partes millenas, remanent 1,760. Ex ipsis fac 7 partes ducentenas, remanent 360. Fac ex ipsis septies quinquagenes, supersunt 10. Ex his fac septies 1, supersunt 3 horæ, quæ faciunt in 4 annis diem 1, qui additur VI Kal. Mart.

De ratione bissexti.

XL. Annus habet menses 12, hebdomadas 52, et diem 1; et quando bissextus evenerit, dies 2, et habet ipse annus horas 1[8]770, et habet punctos 1,035, et insuper horas 40. Ipsas horas divide in 7 partes, septima pars ex ipsis horis sunt horæ 1,260, et de ipsis remanent horæ 3 extra portionem horarum, et ipsæ 3 horæ faciunt bissextum.

Item de bissexto.

XLI. In mensibus 12 adcrescunt puncti 12 in anno 1, qui faciunt horas 3. In alio anno horas 3. In tertio horas 3. In quarto anno horas 3, et ipsæ horæ faciunt horas 12. Et VI Kal. Mart. faciunt diem 1, et ipsam diem mensis Februarius, quando bissextus evenerit, accipit.

Item de bissexto.

XLII. Bissextum non ob illum diem fieri, ut quidam putant, cum Josue solem orabat stare, credendum est, quia ille dies fuit, et præteriit. Sed ob hoc dicitur bissextus, quod in unoquoque mense punctus 1 adcrescat. Punctus vero 1 quarta pars horæ est. Puncti vero 4 horam 1 faciunt. Puncti vero 12 horas 3 explent. Ergo in 4 annis 4 ternæ horæ, quod sunt 12, diem faciunt 1 qui additur Februario, cumque VI Kal. Mart. habuerit, et ut in crastino sic habeat. V. g. si hodie VI Kal. Mart. additur ille dies, qui quarto anno expletus est, ut et in crastino sic habeat VI Kal. Mart. Et ideo bissextus dicitur, quia bis legitur VI Kal. Mart.

Item de bissexto.

XLIII. In 6 diebus fecit mundum Deus, in septimo requievit. Ergo ut plenius intelligatur compotus, vide quot horas habeat 1 annus, et divide illas in 7 partes, quotquot remanent exinde. Primum computa dies 300 quomodo horas decies centeni sunt 1000. Bis trecenteni 600 fiunt. In 300 dies 1,600 fiunt. Iterum facies 10 sexagen 120. Fiunt horæ 720. Iterum facies quinquies 10, fit 50, et bis 5 fit 10. Ecce habebis 65 dies. Fiunt simul inter dies et noctes horæ in toto anno 8,760. Divide illas in 7 partes. Primum facies septies mille, remanent 1,760. Iterum facies septem 200. Fiunt 1,400. Iterum facies septies quinquagent. Fiunt 350, remanent 10. Iterum facies septuag. 7 remanent 3. Istæ 3 horæ faciunt 1 diem in 4 annis. Anni ogdoas habet horas 70,080. Anni endecas habet horas 95,360. Fiunt insimul ogdoa set endecas 165,900 [165,440].

Item de bissexto.

XLIV. Quare fit bissextus, et quomodo fit, et quid esset, si non fuisset? Quare, id est quia non implent 365 dies solarem annum, nisi fuisset quadrans. Fit quadrans per totum annum, et mensem, et diem. Primo anno incipit quadrans a solis ortu usque in medium noctis. Incipit quadrans anno secundo a dimidio noctis usque ad solis ortum. Quadrans tertio anno usque ad sextam horam. Quadrans quarto anno a sexta hora usque ad solis occasum. Turbaretur ordo temporum, si non fuisset quadrans. Quadrans namque dicitur quarta pars diei naturalis, vel cujuslibet rei; et ideo quarta pars

diei, quia 24 horis cum sua nocte completur, ideo horas 6 quadrantem vocare solemus. Quare bissextus VI Kal. Mart. intercalatur? Respondetur, ob hoc bissexti diem in mense Februar. placuit intercalari Romanis, quia hic brevior ceteris extremus anni mensis erat. Verum ideo nondum explete ' eo quemadmodum Ægyptii, et Græci decurso totius anni circulo facere volebant, et omnino decisa lege sua veter. initium Martii mensis a Febr. fine sejungere, ideo non a VI Kal. Mart. die quem terminum colentes Terminalia sacraque 23 mensis ejusdem die semel instituerant, et alium diem mutare prorsus non audebant. Sed hi sunt ' rite celebrantes unum quadrantem interponebant diem.

Item de solstitio et æquinoctio.

XLV. Solstitia duo sunt. Primum hyemale VIII Kal. Jan., quo sol stat, et crescunt dies, et est ipsa dies Nativit. Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. Alterum æstivale VIII Kal. Jul. quo sol stat, et crescunt noctes, et est in provincia Palæstinæ natale sancti Joannis Baptistæ. His contraria duo æquinoctia sunt. Unum vernale secundum Latinos VIII Kal. Apr., secundum Græcos ab XI Kal. Apr., quia sancta synodus non permittit ut illi tres dies, id est quinta feria, in qua Dominus a Judæis comprehensus est, et sexta, in qua crucifixus est, et septima feria, quando jacuit in sepulcro, foras terminum excludantur. Et tunc incipiunt crescere dies. In ipsa Dominus noster Jesus Christus crucifixus, et est Conceptio sanctæ Dei genetricis Mariæ, quando salutata est ab angelo. Alterum autem autumnale VIII Kal. Octob. ex quo dies minuuntur, et fit in Macherunte castello conceptio sancti Joannis Baptistæ et martyris. In istis enim quatuor temporibus, id est vere, æstate, autumno, et hyeme universus annorum ordo currit, per quos certissime Conceptionis, et Nativitatis Domini et Salvatoris nostri, nec non sancti præcursoris Joannis plenissime dignoscuntur.

De saltu lunæ.

XLVI. Saltum lunæ anno 1 decemnovennali ponunt pro eo quod ideo ultimus annus decemnovennalis epacta lunaris decemnovennalis tunc retinens anno 1 decemnovennali non 11 dies, ut in cæteris annis solet fieri, sed 12 dies accommodat. Et quia 30 dierum fine volvuntur, nullæ epactæ in principio ipsius ponuntur; secundo autem anno epactas suscipit. Unde autem sumant exordium, dicendum est. Fac de anno solari, qui habet dies 365, annum communem, qui habet dies 354, hoc modo: prius subtrahe 300, remanent 65. Iterum tolle 50, remanent 15, itemque subtrahe 4, remanent 11. Inde sumunt exordium, et inde multiplicant ceteræ epactæ. Saltus autem lunæ ideo in 19 annis protenditur, quia sicut solis cursui adcrescit dies, quæ fit per puncta, et momenta, et quadrantes, quæ in 4 annis facit bissextum, ita per lunæ cursum 19 annis decrescit nox, quæ facit lunæ saltum; luna enim tardiorem habet cursum, quam sol, quia sol propter velocitatem sui cursus ab ea prolongat spatium.

De lunæ cursu.

XLVII. Omnes igitur lunares cursus secundum Hebræorum Ægyptiorumque supputationem potest facere juxta naturalem cursum per singulos menses dies 29, et semissem, et dimidium horæ, et 10 pæne momenta. Omnis namque dies et lunæ computatione, non eodem numero cum mane incipit, ad vesperam finit, quæ dies quæ ' mane in luna minus ad ' sexta, et dimidium horæ horam 14 adnumeratur. Idem vesperam ' 14 invenitur. In quo manifeste dicere videtur in 29 diebus, et semisse, id est 6 horis, et dimidio horæ, id est 20 momentis, lunarem cursum finiri, additis tamen, ut supra dictum est, 10 pæne momentis, et tunc ad alteram lunam incipit prima. Kalendæ a *colendo* dictæ vel a *calo*, id est voco. Astrologus vocabat populum, ut viderent ascensionem lunæ, id est initium primæ lunæ vel stellarum cursum, quæ ante vel quæ retro currerent. Nonæ, id est nundinæ, negotium, mercatum. Inter IV Non. vel VI Non. ideo diviserunt, ut non scirent latrones mercatum illorum, quando esse deberet, quia reponebant se in silvis, et in secretis locis juxta viam, et venientes ad mercatum occidebant vel prædabant. Idus, id est ab *edendo* dictæ vel species mensis seqoentis. Per ann. 8 in Nicæna synodo computaverunt 14 lun. et iterum per annum 18 computaverunt sine quadrante, et non revertebantur in se nisi in annum ' addidissent, nec concordabat solis cursus cum lunæ cursu, et ideo in ogdoadem et endecadem diviserunt circulum decemnovennalem. Indictio dicta juxta censum Romanorum, et non juxta 5 dies intercalares Ægyptiorum. Indictiones VIII Kal. Apr. incipiunt in capite annorum ' 5. Romam reveniebant semper cum sensu, capite autem 15 revertebantur in primum ordinem. Si autem de auro esset forma Cæsaris, aurum dabant, si argentum, argentum, si æs, æs erat.

De interrogatione 19 annorum cycli.

XLVIII. Prima igitur ratione debeas interrogare de 19 annorum cyclo; secundo quomodo luna per Kal. mensium; tertio qualiter luna in suo mense habeat numerum; quarto quali die et luna sit paschalis solemnitas; quinto quomodo Pascha memoriter computandum; sexto de lunæ ascensione et solis descensione; septimo responsum his qui discordant in Paschæ compoto. Licet omnis homo quoad compunctionem cordis salutemque animæ pertinet, hæc debet meditari. Qui compotum scire vult, debet instare qualiter sancti viri in paschali Dominica Resurrectionis festivo ordine celebranda inquirentes pervenerint. Non est igitur hoc otiosum scire vel quemadmodum illi cyclum scripserunt, et ad ipsam intelligentiam pervenerunt.

De mensibus.

XLIX. Quibus modis dicuntur menses 4 quomodo sub idolis, sub rebus, sub regibus, sub numeris? Januarius quibus modis dicitur? Duobus, sub idolo et

sub re. Sub idolo dicitur eo quod a Jano pagano accepit nomen, et bifrons fuit. Et sub re dicitur, quia sicut homo ingreditur per ostium in domo, ita anni ingrediuntur per istum Januarium. Febr. quibus modis dicitur? Duobus sub idolo et sub re. Sub idolo erat generatio, quæ appellabatur Luperci vel Lurconis, quia omnes immunditiæ, quæ per totum annum fiebant, vel lavabant eorum corpora, nisi tantum in istum Februarium, et sic febrizabant in aqua frigida. Et sub re dicitur, eo quod omnes creaturæ Dei omnes conjunguntur in eo. Martius sub idolo accepit nomen, et a Marso pagano, ita et dies Martis. Aprilis sub re dicitur, et ab *aperiendo* dicitur eo quod aperit mundum, et floret in eo. Maius a Maia matre Mercurii accepit nomen vel a majorum sapientia Romanorum. Junius a juniorum sapientia Romanorum. Julius Cæsar et Augustus ad dignitatem acceperunt nomina. Sept., Oct., Nov. et Decemb. a numero acceperunt nomina. Sept. quia septimus a mense Martio; Octob. quia octavus; Nov. quia nonus; et Decemb. eo quod decimus, et imber pluviæ est.

De luna paschali.

L. Luna in Pascha non potest fieri minor quam 15, major quam 21. In Quadragesima vero minor non potest fieri quam 3, nec major quam 9, nisi bissextus evenerit. In Rogationibus minor non potest fieri quam 22, nec major quam 28. In Pentecoste minor non potest fieri quam 5, nec major quam 11. Si fuerit in Pascha luna 15, in Quadragesima erit 3, in Rogationibus 22, in Pentecoste 5. Et quantos dies creverit in Pascha, tantos crescit in Quadrag. similiter in Rogation. seu in Pentecoste.

Argumentum ad initium Quadragesimæ inveniendum.

LI. Quantos dies Pascha fuerit ante prid. Kal. Mart., in Febr. habebis Quadragesimam, et quantos dies post prid. Id. Apr. habueris Pascha, tantos dies post Kal. Mart. habebis Quadragesimam. Et si prid. Id Apr. habueris Pascha, Kal. Mart. habebis Quadragesimam..

Item ad Rogationes inveniendas.

LII. Quantos dies ante Kal. Apr. habueris Pascha, tantos dies ante Non. Mai. habebis Rogationes. Et quantos dies prid. Kal. Apr. habueris Pascha, tantos dies prid. Non. Mai. habebis Rogationes, et si evenerit ut Kal. Apr. habueris Pascha, Non. Mai. habebis Rogationes.

Item ad Pentecostem inveniendam.

LIII. Quantos dies ante Kal. Apr. habueris Pascha, tantos dies ante XIII Kal. Jun. habebis Pentecostem, et quantos dies prid. Kal. Apr. habueris Pascha, tantos dies post XIII Kal. Jun. habebis Pentecostem. Et si evenerit ut Kal. Apr. habueris Pascha, XIII Kal. Jun. habebis Pentecostem.

De subpotationibus.

LIV. Subpotatio Eusebii, Hieronymi ab Adam, usque ad diluvium anni 2,252. A diluvio usque ad Abraham anni 942. Ab Abraham usque ad Moysen anni 505. A Moyse usque ad Salomonem, et primam ædificationem templi, anni 488. In secundum minorem quæ tertius Regnorum liber continet jam juxta judicium anni 650. A Salomone usque ad instaurationem templi quæ sub Dario rege facta, colliguntur anni 512. Porro a Dario usque ad prædicationem Domini nostri Jesu Christi, et usque ad 15 annum Tiberii primus explentur anni 548. Itaque fiunt simul ab Adam usque ad prædicationem Christi et 15 Tiberii anni 5,228 [5,897]. Ætas proprie duobus modis dicitur; aut enim homines sic infantia, juventus, senectus. Aut mundi ab Adam usque ad Noe. Secunda a Noe usque ad Abraham. Tertia ab Abraham usque ad David. Quarta a David usque ad transmigrationem Judææ in Babyloniam. Quinta deinde usque ad adventum Salvatoris. Sexta quæ nunc agitur usque quo mundus iste finiatur.

Si vis scire annos ab initio mundi multiplica quindecies, 400, et 15, et 10, et 15, 9. Adde indictionem ejusdem anni, et partire per 15 partem.

De termino paschali.

LV. Si vis invenire subito quotus terminus paschalis sit, si in mense Martio evenerit terminus, tene de Martio regulares 36. Subtrahe epactam lunarem ipsius anni, et quotquot dies post subtractam epactam de ipso numero remanserunt, collige numero in articulis, et in quo datarum evenerit, talem habebis terminum. Si autem in mense Aprili terminus incurrerit, tene de Aprili regulares 35, et de ipsis regularibus 35. Eodem modo calculabis quo superius diximus. Quod si mense Martio post deductam epactam 30 tantum remanserint, 30 die Kal. Mart., id est III Kal. Apr. habebis terminum. Incipiente autem anno primo decemnovennali in mense Apr. epactam minime habes, quod recedas de ipsis regularibus 35. De Aprili recede 30, remanent 5. Quinto die de mense Apr., id est Non. Apr. habebis terminum, et sic omnibus annis.

De hebdomada.

LVI. Hebdomada apud Græcos et Romanos 7 dierum cursu peragitur. Apud Hebræos autem 7 anni sunt. Declarat hoc Daniel de hebdomadibus. Hebdomada autem feriis constat. Feria quoque a *fando* dicta, quasi *fari*, eo quod in creatione mundi per singulos dies dixit Deus : *Fiat*. Item quia dies Sabbati ab initio feriatus habetur, inde dies solis prima feria nuncupatur, quia primus est a feria. Item luna perinde secunda feria, quia secundus est a feria, id est a Sabbato, quod est feriatum. Sic et ceteri dies alii ex numero sumpserunt vocabula. Apud Romanos autem hi dies a planetis, id est erraticis stellis nomina acceperunt. Primus enim dies a sole vocatus, qui princeps est omnium siderum, sicut et idem dies caput est cunctorum dierum. Secundus a luna, quæ soli splendore proxima est, et magnitudine, atque ex eo nutrit lumen. Tertius a stella Martis, quæ Vesper vocatur. Quartus a stella Mercurii, quam quidam candidum circulum dicunt. Quintus a stella Jovis, quam Felon dicunt. Sextus ab stella Veneris, quam Luciferum asserunt, quæ inter sidera plus lucis habet.

Septimus a stella Saturni, quæ * sexto cœlo collocata 30 * annis fertur explere cursum suum. Proinde autem gentiles ex his septem stellis nomina diebus dederunt, eo quod per eosdem aliquid sibi effici existimarent dicentes : habere ex sole spiritum, ex luna corpus, ex Mercurio linguam, et sapientiam, ex Venere voluptatem, ex Marte fervorem, ex Jove temperantiam, ex Saturno tarditatem. Talis quippe extitit gentilium stultitia, qui sibi finxerunt tam ridiculosa figmenta.

Item de hebdomada.

LVII. Hebdomada dicta est a Græca appellatione, quasi Hebdom a numero 7 dierum dicta. Hebdomada enim apud Græcos 7 adest * dies veteres dicebant. Inde dicitur hebdomada, et reliquæ hebdomadæ. Apud Græcos et Latinos septem dierum cursus peragitur, apud Hebræos 7 annis dicebant. Hoc Daniel de septuaginta hebdomadibus, id est ab exitu sermonis, et exultationis captivitatis de Babylonia sub Esdra, et Nimian, et Zorobabel septuaginta hebdomadæ, id est septem vicibus septuaginta anni sunt, quæ efficiunt 490, quod spatium fuit a reditu captivitatis Babyloniæ usque ad Nativitatem Christi. Et idcirco septem diebus hebdomada completur, quoniam scilicet universitatem creaturarum 6 diebus Deus operatus est, in septimo requievit. Prima die condidit lucem, secunda firmamentum, tertia mare et terras, quarta sidera, id est solem et lunam, quinta volucres et reptilia, sexta hominem ad imaginem et similitudinem suam, septima die requievit ab omnibus operibus suis. Nomina dierum hebdomadæ secundum Hebræos duobus modis dicuntur, id est ordinem, et requiem, hoc modo. Prima Sabbati, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta Sabbati, Sabbatum. Secundum Græcos dictione, et ordine nuncupantur hoc modo : Prima feria, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, septima feria. Secundum Latinos a diis gentilium et reliquiæ nominantur. Habuerunt enim duos deos cœlestes, et quinque terrenos. Martem patrem Romuli, Mercurium eloquentiæ et ingenii dominum, Jovem virtutis, et humor * ejus idolum, Venerem libidinis, concupiscentiæ et omnis turpitudinis inventricem ; Saturnum patrem Jovis, frugum, et ventorum moderatorem. His delusa erroribus vetusta gentilitas, quæ propter frequentiam usitandi nomina deorum diebus sæculi imposuerunt. Sed propter eorum confusionem hæc ipsa nomina Christiani non mutaverunt, ut cum singulis diebus nominantur, singulis horis despiciantur tam ipsi, quam et cultores eorum.

Item de mensibus.

LVIII. Mensis a mensura quadam nomen accepit, quoniam omnis mensis secundum lunæ cursum 29 diebus et semisse mensuratur. Menses primitus in lunari cursu reperti sunt, et ab Hebræis hæc observatio primitus abstracta est, apud illos enim primum Kalendæ et neomeniæ dictæ sunt. Menes enim apud Hebræos luna, vel neomenia dicitur. Inde neomenias novæ lunæ observatione celebrant. Deinde apud Latinos menses solares reperti sunt. Arcades enim annum suum 3 mensibus numerabant, id est in nomine 121 diebus computabant. Archanenses vero 6, id est singulos menses 62 diebus computabant. Græci reliqui 354 annum proprium computabant. Incipiebat a Martio, computabatur mensibus 11. Romani vero auctore Romulo annum suum 10 mensibus computabant. Incipiebant a Martio mense, perficiebatur a Decembrio mense diebus 301. Symphronius autem adjunxit unum mensem, qui dicebatur Februarius, qui et modo Februarus dicitur, et computabant annum 322 diebus. Aurelius Clepa addit mensem 30 dierum, quem Græci Afronitem vocant, quem nos Aprilium dicimus, et computabatur annus hoc modo 364 diebus. Numa Pompilius addidit unum diem in honorem paris numeri, et annum 12 mensibus, et quatuor temporibus per incisionem duorum solstitiorum, et duorum æquinoctiorum in numerando distinxit. Nomina mensium secundum Ægyptios ita dicuntur : Dius, Apollonius, et Dyneus, Filisteus, Distreus, Artemisius, Pharemeneus, Laus, Scurpeus, Iperventius.

Item de mensibus.

LIX. Mensis est luminis lunaris circuitus, ac redintegratio, sive nova ad novam, in cujus figura plerumque hujus vitæ cursus intelligitur, quæ suis incrementis quasi mensis peragitur, eodem * nationibus suis certissimis terminatur. Mensem autem antiqui definierunt : quamdiu zodiacum circulum perducit. Antiqui autem gentiles mensibus nomina quædam ex diis suis, quædam ex causis suis, quædam vero ex numero imposuerunt, incipientes a Martio, quia ex ipso anni orientis ordinem servaverunt. Hunc enim Martium propter honorem Romuli sic appellaverunt, quia Martis filium eum credidderunt. Aprilem vero nullo deorum suorum nomine, sed de re propria, quasi Aprilem nominaverunt, eo quod tunc primum germina aperiantur in florem. Inde mensem Maium pro Maia Mercurii matre, quam deam æstimaverunt, vel propter majores. Deinde Junium a Junone, quam sororem, vel conjugem Jovis fuisse testantur. Alii autem sicut majoribus, ita pro junioribus Junium vocari dixerunt. Item Julium a Julio Cæsare, Augustum vero ab Augusto cæsare Octaviano vocari dixerunt. Nam prius Julius Quinctilis, et Augustus Sextilis vocabantur, sed eorum nomine a Cæsaribus Julio et Augusto sunt commutata. Jam September, quod septimus sit a Martio, qui est principium veris, similiter quoque October, November, et December ex numero imbrium atque aeris acceperunt vocabulum. Porro Januarium ex nomine Jani vocaverunt, sed specialiter Januarius appellatur, eo quod janua sit anni, atque principium. Februarium autem a Februbus Lupercorum sacris appellarunt. Apud antiquos itaque Latinos 10 mensibus cursus anni computabatur, sed Januarium Romani, Februarium vero Numa Pompilius addidit, atque in 12 menses distinxit.

Plerique autem asserunt Cyminum Sabinorum regem prius annum in mensibus divisisse, Id., Kal. et intercalares dies instituisse; in codicibus autem sanctarum Scripturarum 12 menses fuisse in anno etiam ante diluvium ostenduntur: sic enim ibi legitur: *Aqua autem minuebatur usque ad undecimum mensem. Undecimo autem mense prima die mensis apparuerunt cacumina montium*, sic enim tunc menses denumerabantur, non sicut nunc, hos enim Kal. et Idus, illos vero luna finita concludebat. Kalendæ a *colendo* dictæ; apud antiquos enim semper mensium principia celebrabantur. Idus quoque dictæ a diebus, et Nonæ a nundinis. Menses autem apud Latinos ex Kal. sumunt principium. Apud Hebræos ex lunæ nascentis recursu. Apud Ægyptios autem principia mensium esse ante Kal. 3 aut 2 dies pronunciantur. Annum autem quasi quidam anum dici putant, id est cyclum, unde anuli dicti sunt diminutive. Principium anni alii ab Roma putant, ut populi Romani, alii ab æquinoctio vernali, ut Hebræi, alii a solstitio, ut Græci, alii ab autumno, ut Ægyptii. Æra a die Kal. Januar. adcrescit. Bissextus autem a VI Non. Mart. usque ad diem Kal. Jun. lunæ cursu proponitur. Annus Ægyptiorum sine bissextis habet initium VII Kal. Septemb., cum bissextus autem annus evenerit, ut Kal., ut supra Scripturarum. Solstitium autem dicitur quasi solis statio. Æquinoctium vero, quod tunc dies et nox in æquitatem horarum duodenarum revertantur, coæquatis spatiis suis. Solstitium æstivum ideo lampas dicitur, eo quod ex eo infundat diem lampas solis, claritatem majorem accipiat, caloremque nerum advenientis æstatis.

Item de mensibus.

LX. Sini ut hii * menses Ægyptiaci, Orientales, Mauri, et Græci, Macedones, Alexandrini, Asiani, Persæ, Medi, Chaldæi non numerant dies. Mensium per Kal., et Non., et Idus, sed his Romani præjudicant. Sed Græci, et hi supradicti omnes 12 menses habent, et sub mense eorum dies 30 semper præter Ægyptios concordant omnes. In eodem mense bis, et in sole * lunæ exceptis Ægyptiis, qui 13 menses faciunt, decimo tertio mense de 5 diebus remanentibus completo Agusto * ann. 3 sine bissexto, et 3 anno cum intret bissextus, sex dies adhuc de Agusto remanent propter bissextum, et fit iste mensis decimus tertius 6 dierum, quos dies vocant Ægyptii epagomenas, id est Latine concurrentes.

Item de mensibus et lunæ longitudine.

LXI. Menses quoque lunæ secundum Latinos longitudine dispares: 6 longi, et 6 breves per omnem * communium lunæ longe in anno embolismali simul cum luna embolismus, et dies bissextus, in eumdem annum conveniunt. Ut si luna 30 in Kal. Jan., et luna ipsius Jan. 30, et luna Februar. pro bissexto 30 computabitur. Et luna Mart. semper 30 secundum Latinos. Sed quod dicimus lunares menses longitudine dispares secundum numerum, non secundum naturam omnes lunæ mensis æquales sunt. Unde apud Hebræos omnes menses 29, et semissem semper habent ætates; v. g., si accendatur luna media die, et ejusdem dies quatuor hebdomadibus in medio expletis, altera media die 29 luna * esse deinde semis usque in medium noctis: una enim vice apud Hebræos media die, altera mensis vice media nocte accenditur luna. Sed parum Romani ab Hebræis discrepant, non enim multum distat, si in altera luna diem integrum adjicias, an duos menses dividens æquas partes utriusque distribuas. Cum autem media die luna accenditur, locus accensionis medium Austri adfirmatur. Cum vero media nocte illuminatur, in medio Septemtrionis, sed ignito cœli loco inluminari traditur. In duobus horis apud Hebræos luna accenditur, id est in media hora post 6, et in medio noctis apud Romanos quibus videatur altera luna 30, altera 29 post 7 accenditur. Quia facilius est apud eos ad tenendam rationem unum imponere diem, qui efficit 30. Ideo Aquilonares hanc regulam non observant, quia consequens est apud eos ut mensis 31 die, luna 30, mensis 30 die, luna 29 habet. Sed si hoc dixerimus propter præparationem bissexti vel solis accensio variatur, ut in toto cœli orbe circulo, quo luna currit, nullum locum arbitremur ejus accensione vacare luna longa 30, luna brevis 29, luna Jan. 30, luna Febr. 29, sic et omnes menses. Sed lunas mensis adsignare magis traditione magistrorum, et maxime Latinorum, quam literis divulgatum est. Ægyptios autem lunæ narrat litera singulas lunas singulis mensibus distribuere. Necesse est vero lectorem scire quamlibet lunam cuilibet mensi adscribat, utrumque in eo accenditur, an illo in quo ea extinguitur. Nam si semper Kalendis mensium lunæ deficere essent solitæ, et semper in Kal. mensium primæ lunæ compotibus præbere, et alterius mensis luna in alterum non vagaretur, profecto quæstio solubilis foret, et ea luna quæ in eodem mense extinguitur et accenditur, ejusdem mensis esse definirent. Sed quod esse in Kal. mensium, et reliquis in exordio mensis diebus lunæ deficiunt, et lunæ accenduntur immobili ratione defigitur, ut luna quælibet, in quo mense defecerit, et non inlustraverit, de eodem mense nisi unum diem tantum mense ipsius erit luna, excepta luna embolimæa, quæ 13 sine mense vel luna mensibus non deputatur, dum fit mensis, in quo duos * extinctionis fiunt, et mensis sine extinctione invenitur.

De mense et interrogatione lunæ.

LXII. Dic de unoquoque mense luna quot dies habet, et qualiter menses solares numerantur. Diximus namque unoquoque mense lunam habere dies 29, et dimidium, et ob hoc in una lunatione 29. Sequente autem die jam prima numeratur; altera vero lunatione cum illa alia medietate quæ relicta fuerat numeratur luna 30, etiam sequenti die 1, sic per totum annum uno mense luna 29, alio mense 30, sicque fit ut 6 menses luna numeretur usque 29. Sex autem alii menses usque luna 30, et in capite anni solaris inde fertur habere luna minus dies 11, id est sex

superius memoratos, et 5 qui ad mensem solarem adduntur supra 30 dies. Et cum ergo lunæ 13 mense, id est dies 11 ad annos solares implendos fuerint adjuncti, restant de eodem mense lunæ dies 19. Et hinc embolismorum ratio probatur existere, quod communium annorum videtur damna supplere, usque expleto decemnovennali cursu conveniunt in unum. Hoc quoque non est admittendum, quod in illo solari, in quo luna incipit accendi, si habet dies 31, tunc dicitur luna 30; in illo vero qui habet minus quam 31, tunc dicitur 29, et inde 1, nisi quando in Kal. Aug. fuerit 29, quod ceteris rationibus intermisso die noscitur addere, vel minuere. Ipsum quoque numerum clare noscitur, quibus mensibus 31 dies habere dicitur. Scilicet Jan., et Mart., Mai., Jul., Octob., ceteri vero IV Non. et cuncti VIII Id.

Item de mensibus quot horas habeant in die et nocte.

LXIII. Aprilis et Sept. habent horas in nocte 12, in die 12. Maius et Augustus horas in nocte 11, in die 13. Junius et Julius horas in nocte 9, in die 15. October et Martius horas in nocte 13, in die 11. November et Febr. horas in nocte 14, in die 10. Decemb. et Jan. horas in nocte 15, et in die 9.

Item de mensibus.

LXIV. Januar. IV Non. XIX, dies 31, luna 30. Febr. IV Non. XVI, dies 28, luna 29. Mart. VI Non. XVII, dies 31, luna 30. April. IV Non. XVIII, dies 30, luna 29. Maius VI Non. XVII, dies 31, luna 30. Junius IV Non. XVIII, dies 30, luna 29. Julius VI Non. XVII, dies 31, luna 30. Augustus IV Non. XIX, dies 31, luna 29. September IV Non. XIX, dies 30, luna 30. October VI Non. XVII, dies 31, luna 29. November IV Non. XVIII, dies 30, luna 30. December IV Non. XIX, dies [31], luna 29.

De punctis lunæ.

LXV. Luna prima, 4 punctis lucet, id est 40 momentis. Luna 2, 1 hora et 3 punct. Luna 3, 2 horis et 2 punct. Luna 4, 3 horis et 1 punct. Luna 5, 4 horis lucet. Luna 6, 4 horis et 4 punct. Luna 7, 5 hor. et 3 punct. Luna 8, 6 hor. et 2 punct. Luna 9, 7 hor. et 1 punct. Luna 10, 8 hor. lucet. Luna 11, 8 hor. et 4 punct. Luna 12, 9 hor. et 3 punct. Luna 13, 10 hor. et 2 punct. Luna 14, 11 hor. et 1 punct. Luna 15, 60 puncta, id est 12 horas. Luna 16, 11 hor. et 1 punct. Luna 17, 10 hor. et 2 punct. Luna 18, 9 hor. et 2 punct. Luna 19, 8 hor. et 4 punct. Luna 20, 8 hor. lucet. Luna 21, 7 hor. et 1 punct. Luna 22, 6 hor. et 2 punct. Luna 23, 5 hor. et 3 punct. Luna 24, 4 hor. et 4 punct. Luna 25, 4 hor. lucet. Luna 26, 3 hor. et 1 punct. Luna 27, 2 hor. et 2 punct. Luna 28, 1 hor. et 3 punct. Luna 29, 4 punct. habet Luna 30, 2 punctis crescit, et 2 decrescit.

Dic mihi quot horas lucet luna, vel quot punctos habet luna, quibus partibus hoc reperiri possit. Quare per 4 partem multiplicas ipsam lunam, quia quarta die factus est sol et luna. Quare per quintam dividis, et quinque puncti unam horam explicant.

De numeris.

LXVI. Numerus apud Hebræos, Chaldæos et Syros mina dicitur, cum Græcis arithmus nuncupabatur, apud Ægyptios laterculus, penes Macedones calculus, cum Latinis compotus, ema cum Hebræis, apud Græcos emera, penes Latinos dies. Libia in Hebræo, nicta in Græco, nox apud Latinos. Primus apud gentiles dies nominatur a sole, secundus a luna, tertius a Marte, quartus a Mercurio, quintus a Jove, sextus a Venere, septimus a Saturno.

De annis naturalibus, et magnis seu solstitialibus.

LXVII. Annus naturalis est, ut cum se soli luna subponit, ut inter orbem solis et oculos nostros media facta tenebras totius orbis efficiat, quod dicitur eclipsis.

Annus magnus dicitur, quando omnia sidera certis temporibus, numerisque completis ad suum locum, vel ordinem revertuntur, quem annum antiqui finire, vel adimplere dixerunt.

Annus solstitialis est cum sol expleto per omnia signa circuitu in id, unde principium cursus sui sumpsit, recurrit. Ipse est solaris annus, vel civilis, qui diebus 365 peragitur.

De incendio lunæ.

LXVIII. Incenduntur lunæ 225 certis computatis minutis, id est 10 pæne minuta in unaquaque hora per singula continent momenta 10. Ita dies et nox raro diminuitur, donec in fine anni 14 id efficiunt. Sic mutatio lunæ intelligitur per 19 annos.

De die solis orientis.

LXIX. Dies est solis orientis præsentia, quousque ad occasum perveniat. Dies autem geminatur appellari solet proprie a solis ortu usque quo veniat ad occasum, spatie, * die duo sunt inter diurnum et nocturnum, et est dies horarum 12. Partes abusivæ diei 3 sunt, mane, meridies, et suprema. Initia diei alii a solis ortu putant, ab occasu, alii a media nocte. Nam Chaldæi a solis ortu diei initium faciunt, totum id spatium hi diem appellantes. Ægyptii autem ex initio noctis sequentis diei originem trahunt. Romani autem a medio noctis initium oriri diei volunt, et in medio noctis finiri. Fasti dies sunt, quibus fatur, id est dicitur, ut nefasti quibus non dicitur. Feriati dies, in quibus res divina fit, et abstinere homines a litibus oportet. Profesti dies festis contrarii, id est sine religione. Atri dies sunt, qui et communes vocantur. Siderales, in quibus sidera moventur, et homines a navigationibus excluduntur, isti continuo 30. Præliares, quibus fas est hostem bello lacessere. Intercalares dies sunt 5, qui juxta Ægyptios supersunt 12 mensibus, et incipiunt IX Kal. Sept. et V Kal. memoratarum finiuntur. Dies epactarum sunt 11, qui per singulos annos ad cursum lunarem adcrescunt. Nam in anno 12 lunæ 354 dies habent, remanent ad cursum anni solaris dies 11, quos epactas Ægyptii vocavere, pro eo quod ad inveniendam lunam per totum annum adjiciantur. Solstitiales dies sunt, in quibus sol stat,

crescenje spatio dierum vel noctium. Æquinoctiales dies sunt, in quibus dies et nox in æqualibus horarum spatiis concordant, seu evolvuntur. Nox est solis absentia, quamdiu ab occasu rursus ad ortum recurrat. Noctem autem umbram fieri terræ tanquam datum ad requiem corporis credimus, non ad alicujus operis officium; nox autem a *nocendo* dicta, eo quod oculis noceat.

De die.

LXX. Dies est prima creaturarum, ostensio rerum, comes solis. Item dies solis præsentia, quousque ad ortum perveniat. Isidorus dicit : « Dies gemine appellari solet, proprie ab ortu solis, donec rursus oriatur, abusive vero ab ortu solis, usque quo ad occasum perveniat, quæ ideo dies dicta est a dividendo lucem a tenebris. » Item Phragonus dicit : « Sol super terram dies est, sol sub terra nox est. Initia dierum 4 sunt secundum Hebræos; ab ortu solis dies. In principio operum Domini, » et reliqua. Secundum Chaldæos a medio die. Secundum Græcos et Ægyptios ab ortu stellarum. Secundum Romanos a media nocte. Ab ortu solis Hebræi computant propter physicam scientiam rerum, quia natura creaturarum a lumine initium sumpsit. Prima enim die condidit lucem testimonio Moysis : *Fiat lux, et facta est lux.* Chaldæi ideo a media die incipiunt, quia cursum lunæ observant, quæ assidue circa mediam diem accenditur, et extinguitur. Ægyptii vero quia astrologi sunt, et circulum siderum observant, a vespere et ortu stellarum incipiunt, quarum cursus et tempora observant. Romani a media nocte incipiunt, sequentes illud quod scriptum est : *Media nocte factus est mundus, et media nocte iterum destruetur.* Et in Evangelio : *Media nocte clamor factus est*, et reliqua. Et iterum : *Sicut fur in nocte, ita veniet.* Partes diei tres sunt, mane, meridies, suprema. Mane dictum est a manibus infernorum diis, qui res ad gaudendas fruges distillant, quorum conversata luna ad terram est. Vel mane a Manibus diis, quos antiqua gentilitas oriente colebat. Vel mane a Mano dictum est, quod veteres Latini bonum dicebant, ut Isidorus meminit : « Mane a Mano, » et reliqua. Meridies, quasi medies, hoc est medius dies; tunc enim purior micat lux, quando sol medio cœlo rutilat, et totum orbem pari claritate inlustrat. Vel meridies, quasi meridios, quia tunc purior micat æther; *merum* enim purum dicitur. Suprema dicta est pars diei novissima, quia superest ultima. Tunc dies ad vesperum supprimitur, quando nubilosæ noctis caligine obumbratur. Mane ab ortu solis usque ad horam quartam dicitur, quod ut quadrans artificialis. Meridies 5, 6, 7, 8, horam tenet. Suprema 9, 10, 11, 12 horam obtinere videtur.

De nocte.

LXXI. Nox est obscuritas mundi, latibulum, requies vivorum. Nox dicta est a *nocendo*, eo quod obtutibus nocet humanis, vel quia fures et bestiæ in ea noceant. Vel quia negotiis et laboribus humanis nocere, vel impedire videtur. Vel quia ab etymologia Græca nomen accepit; nictus enim Græci, noctem Latini dixerunt, ut in Psalmis legitur : *In merasce nictus*, id est, die ac nocte. Partes noctis sex sunt : vesper, crepusculum, conticinium, intempestivum, gallicinium, matutinum. Vesperum dictum est a stella occidentali, quæ Vesper vocatur, et ipsa stella ab Hesperia regione nomen adsumpsit, mutata *v* pro *h*, vesper dicitur. Hesperia autem dicta est pridiem Spania ab Hespero regionis filio, qui hanc regionem bellicis virtutibus subjugavit. Et hanc stellam nautæ, ne nocturna in navigatione oberrarent, navigantes a Gallograecia observabant. Hanc stellam alii ferunt uno anno solem præcedere, cum Lucifero lumen matutinum æqualibus radiis præclarare, et duobus annis post in occasu solis remanere. Mutato nomine vesper nominatur, cum Lucifero vero Lucifer dicitur. Crepusculum dictum est nocturni temporis spatium a *crepero*, id est commixtione tenebrarum, et luminis, quia Græci diafodi nominant, id est dubitantia inter excessum diei et introitum noctis aut exitum noctis et introitum diei; et ob hoc dubium, quia si quis expergefactus fuerit a somni gravitudine in hoc tempore incertum se putat esse, utrum transacto noctis spatio ad diei claritatem pervenerit, aut exacto die ad initium noctis perducit. Conticinium, hoc est silentium; conticescere enim silere est, quia in ipso tempore omnes tacent, et silent, et primi somni gratia adgravantur. Intempestivum, medium, et inactuosum spatium noctis, tempus, quando nihil agi potest, et omnia sopore quieta sunt. Gallicinium dictum est a clangore volucrum nuncupatum quasi gallicanium, propter gallos, videlicet lucis prænuncios; et hoc tempus antelucinium dicitur, quia galli antelucani nuncupantur, eo quod naturaliter præconio, et plausu alarum lucis adventum prænuntiant. Matutinum dictum est noctis tempus a maturitate lucis accedente die, recedente aurora. Aurora dicta est, quasi Eurora ab Euro vento dicta, quia in ipsa hora Euri spiramen ad excitandas fruges ab Austro emittitur. Inter vesperum, et vesperam, et vesperem, hoc interest, quia vesperum diei, vespera inclinatio solis ad occasum, vesper uniuscujusque rei consummatio vespere nuncupatur. Hæc sunt 6 spatia noctis, et binas horas obtinent.

De 14 luna paschali.

LXXII. Si vis scire quibus annis 19 circuli Martio mense 14 luna paschalis incurrat, hoc est anno 2, 5, 7, 10, 13, 16 et 18. Hos suprascriptos 7 in Martio mense reperies; residuos vero 12 secundum regulam subter adnexam Aprili mense indubitanter calculabis.

Item de 14 luna paschali quota feria sit.

LXXIII. Incipit calculatio quomodo reperiri possit, quota feria singulis annis 14 luna paschalis, id est decemnovennalis primi circuli. Anno primo, quia non habet epactas lunares pro eo quod cum 19 inferioris anni 18 et suas 11 epactas additur etiam Ægyptiis die uno fiant 30, id est luna mensis unius

integra, et nihil remanet de epactis. Et quia Apr. mens. incidit in eo anno luna paschalis 14, tene regulares semper in eo mense 35, subtrahe 30, id est ipsam lunam integram, et remanent 5. Die 5 a Kal. Apr., hoc est Non. Apr. occurrit luna 14 paschalis. Tene suprascriptos, adde concurrentes ejusdem anni 5 : fient 10, adde et regulares in eodem semper mense Aprilis 7 : fiunt 17. Hos partire per 7, id est bis septies, fit 14. Remanent 3. Feria 3 incurrit luna paschalis 14 et Dominicus festi paschalis dies luna 19.

Item præfati circuli anno 2, a quo sumunt exordium epacta 11, et incidit in eodem anno luna paschalis 14 in mense Martio. Tene 36 regulares semper in eo mense, subtrahe epactas 11, remanent 25. Die 25 mensis Martii a Kal. quod est VIII Kal. Apr. occurrit luna paschalis 14. Tene suprascriptos 25, adde concurrentes ejusdem anni 5 : fiunt 30, adde semper in fine hujus mensis Martii regulares 4 : fiunt 34. Hos partire per 7, id est septies 4, fiunt 28, remanent 6; si nihil remanserit Sabbatum est, 7 feria erit 14 luna paschalis, et Dominicus festi paschalis dies luna 15.

Iterum mense Aprili sæpe dicti circuli anno 3 tene semper in primis regulares 35, subtrahe epactas ejusdem anni 22, remanet 13. Die 13 mensis, id est Id. Apr. occurrit luna paschalis 14. Tene hos 13, adde concurrentes ejusdem anni 6, fiunt 19. Adde in Apr. mense semper inferius regulares 7, fiunt 26. Hos partire per 7 septies 5, fiunt 21, remanent 5. Feria 6 erit 14 paschalis, et Dominicus dies festi paschalis luna 15. Ita annis singulis a primo anno usque ad 95 annum calculabis. Si quando mense Martio 14 luna paschalis incurrit, 36 regulares in primis teneas. Ex quibus epactas cujus volueris anni deducas, et concurrentes adjicias, et in finem semper 4 regulares augmenta.

April. vero mens. 35 in capite tene, ex quibus deduc supra scriptas epactas, et adjectis ejusdem anni concurrentibus suis, et regularibus in finem 7 augmenta. Latinius namque ac brevius omnia argumenta paschalis calculabis. Hoc tamen propterea lectori sit cognitum, quoties in utroque mense suprascripto in prima regula contingit, ut deductis epactis amplius quam 30 remaneant, demittenda esse 30. Quod si 1, aut 3, aut amplius superfuerint, tot dies ipsius mensis a Kal. sit luna paschalis 14. Quando hoc deductis epactis infra 30, ut puta 20, seu amplius, minusque remanserit, idem tot dies mensis a Kal. occurrit luna paschalis 14. Si enim deductis epactis 30 tantum remanserint, quod semel in 19 annis accidere manifestum est, 30 die a Kal. erit luna paschalis 14.

Item de luna termino paschali.

LXXIV. Si vis cognoscere quota luna festi paschalis occurrat, si in Martio mense Pascha celebratur, compota menses a Septembri, fiunt 6. His semper adjice regulares 2, fiunt 8; adde et epactas, id est adjectiones lunares cujus volueris anni, ut puta indictiones 3 epactas 12, qui fiunt 20, et diem mensis quo Pascha celebratur, id est de Martio mense dies 31, fiunt simul dies 51. De his deduc 30, remanent 21 Luna 21 in die Resurrectionis Domini. Si vero mense Apr. Pascha celebratur, computa menses a Septembri usque ad Martium, fiunt 7. His semper adjice regulares 2, fiunt 9. Adde et epactas lunæ cujus volueris anni, ut puta indictione 4 epactas 23, qui fiunt 31, et diem mensis Apr. quo Pascha celebratur adde, id est de Aprili dies 13, qui simul fiunt 45, de his deduc 30, remanent 15, Luna 15 est in die Resurrectionis.

De die septimanæ quotus sit.

LXXV. Si vis sapere quotus dies septimanæ sit, sume dies a Januario mense usque ad mensem, quem volueris, ut puta usque ad 31 diem mensis Martii, fiunt dies 90. His semper adjice 1, fiunt 91, et semper adde concurrentes cujus volueris anni, ut puta anni præsentis indictione 3, concurrentem 1, fiunt simul 92. Hos partire per 7, id est septies 10, fiunt 70. Iterum septies 3 fiunt 21, remanet 1. Sic quamlibet diem a Kal. Jan. usque ad diem 31 mensis Decembris, quota feria fuerit invenies computando, ut et regularem 1, et concurrentes ejusdem anni, quæ a Januario mense semper incipiunt, pariter adsumes.

Si requirere volueris quotus dies septimanæ sit hodie, quocumque die computare volueris, fac omnes menses esse dierum 29, et quicquid ex eis remanserit 29 prætende in manu tua propter compotandum, et quanti dies venerint de mense tunc tibi præsenti quando hoc computare volueris, adde et accessores solis anni cujus volueris, et indictionem anni, quem quæris, et divide in septimas, et dimitte ex eis quanti fuerint, et quicquid tibi remanserit, ipse dies est septimanæ, ut puta indictione 1 anno quo fecimus Pascha VII Id. Apr., habet sol adjectiones 4, adde 1 indictionis. His adde 1 Kal. Jan. 3, et tolle de 9, 2 et de 10, 3, 8, ergo et 6 quid sunt nisi 14. Si non remanserit tibi aliquid Sabbatum 6 feria erit Kal. Jan. isto anno. Si remanserit 1 Dominica, si 2, secunda feria. Ita in reliquis feriis observandum est.

Si nosse vis Kal. Jan. per singulos annos quota feria intrent, sume annos ab Incarn. Domini nostri Jesu Christi 808, hos partire per 7 partem, et 4 partem, quam partitus es, adjice super 909, fiunt simul 1011. Hos partire per 7, remanent 3. Feria 3 erit Kal. Jan.; si 4, feria 4, si nihil Sabbatum; si 1, Dominica.

Si vis scire Kal. mensium qua die intrent, hoc argumento cognoscitur volventibus annis, hoc modo. Octob. 1 literam habet. Novemb. 4. Decemb. 6. Jan. 2. Feb. 5. Mart. 5. Apr. 1. Maii 3. Jun. 6. Jul. 1. Aug. 4. Septemb. 7. His semper adde epactam solis cujuslibet anni, et deinceps partire per 7, septies 1, aut septies 2, sicque calculationis seriem sine ullo errore reperies, excepto in bissextili anno. In his 5 mensibus vacat, hoc est Octob., Novemb.,

Decemb., Ja·., Febr., deinde in supradicto numero decidit.

Si vis agnoscere quota feria sit septimanæ cujuslibet mensis, computa hoc modo. Octob. 3, Novemb. 2, Decemb. 3, ut qui 31, diem habent, 3 adsumas de eo mense, et qui 30, de eo mense semper adsumas 2, et diem mensis quo requiris; deinde partire per 7, et quicquid remanserit in manu tua, adjectis accessoribus solis, quæ eo anno eveniunt, ipsa est feria cujuslibet anni. Febr. autem mense prætermittas, quia imperfectum numerum habet, nisi tantum dies ipsius mensis, quando intrat, usquequo exeat.

De luna in Kal. Jan. et XI *Kal. Apr.*

LXXVI. Si vis agnoscere, quota luna sit in XI Kal. Apr., sume annos Domini qui fuerint eodem anno, quosque computare volueris, deinde partire per 19 partem, et quicquid remanserit ex eis in manu tua, rursum ipsas multiplica per 11, ac deinde partire per 30 partem, et quicquid remanserit de eodem compoto, tota luna erit in XI Kal. Apr. eo anno. Si requirere volueris a Septembri in Decembrem, in his 4 mensibus 3 regulares adjicies. In bissexto autem solummodo anno 2 regulares semper in mense numerabis, et pro 30 die 32 annis singulis, et mens. adsumes in fine.

Si vis sapere quota luna fuerit mense, quo volueris, ut puta anno quo facimus Pascha III Id Apr. fuit, v. g., 9 mense post illud Pascha, computa lunam ejus tali modo. Tolle de Septemb. 1, id est pro eo uno pones de Octob. 1. Mitte 2 regulares, fiunt simul 4, pone et dies mensis, qui transierunt de eo, quem computas, ut puta modo hodie quando hoc compotavi 23, vel qualiter evenerit, mitte et adjectiones lunæ 22, adde 7, fiunt simul dies 52. Tolle de his 30, remanent 22. Hodie quando hoc compotavi, 22 luna est mensis Novembris. Tali ordine lunæ ætatem omni die mensium invenire facile poteris, si sic semper compotaveris.

Si vis nosse quota luna sit Kal. Jan., scito quotus cyclus lunaris sit. V. g., cyclus 15. Tene tibi 1, id est ipsas Kal. Jan., adjice quinquies decies quinquies, fiunt 75, quos adjicies super 1, et fiunt simul 76. Item decies sexies quindecies faciunt 90 quos adjicies super 76, et fit summa numerorum 166, in quibus partitis per 30 remanent 16. Luna 16 erit Kal. Jan., et puncti 16. Isto modo per decemnovennalem cyclum lunares computabiles semper, et Kal. Jan. quota sit luna sine errore reperies. Dum autem veneris ad cyclum lunarem 17, et dixeris quinquies decies septies super Kal. Jan., qui faciunt 85 si partiris sexagesimam, et adjicies super 85 ipsum 1, fiunt 86. Deinde decies sexies decies septies fiunt 102, quos adjicies super 87, et fiunt 189. Ibi tricesim. remanent 9. Luna 9 est Kal. Jan., et puncti 27. Sic et 18 et 19 cyclo facies. A primo vero cyclo lunari usque 16 non partire 60 partem, ne in errorem incidas.

Item aliud compendiosum nuper inventum. Scito quotus lunaris cyclus sit. V. g. præsenti anno 3. Multiplica hoc per 11 : undecies 3 fit 33. Divide per 30, remanent 3. Adde et primum diem Kal. Jan. fiunt 4. Luna 4 erit in Kal. Jan. præsente anno, sicque per 19 annos cycli lunaris facile poteris invenire, ut scias quotus cyclus lunæ sit absque eo dividente per 19, atque eis iterum multiplicatis per 11. Iterum partiris per 30, et ex eis quicquid remanserit addito etiam uno Kal. Jan. tota luna erit in Kal. Jan. Hoc autem firmissime memento, ut quotiens ad 9 cyclum lunarem perveneris, deinde sumas et aliud 1 usque ad primum cyclum, et absque titubatione reperies quota luna sit Kal. Jan.

De qua re juxta Ægyptiorum argumenta veracia talis supputationis probantur adhibuisse compendium. Ponunt in primis epactas, id est, adjectiones lunares, quæ per hanc indictionem 4 23 sunt. In his adjiciunt 4, id est medietatem numeri 8 mensium, a Septembri scil. usque ad Apr., fiunt 27. Super hos addunt et quota die mensis Pascha contingat, id est a Kal. Mai. dies 19, et quia 5 dies Ægyptii præire noscuntur, fiunt simul 24, et ita 51 omnis summa colligitur. Ex his subtrahunt 30, remanent 21. Ipse est numerus lunæ paschalis. Hæc autem veræ rationes expliciunt. Deo gratias. Amen.

De annis a principio mundi.

LXXVII. A principio mundi usque ad diluvium anni 2,245. Item a diluvio usque ad nativitatem Abrahæ anni 942. Natum autem 43 Abraham regnante jam Nino eadem monumenta testantur, a cujus tempore etiam gestarum rerum publici scriptores apud barbaros esse cœperunt, anni 3,688, 5 feria IX Kal. Apr. luna 13 incipiente jam vespera doceantur impleti, cujus sequenti die scilicet anno 3,690 procedente, mense primo, VIII Kal. Apr., luna 14, noctis initio, Hebræos clarnit agni sacrificium peregisse. Passum autem Dominum nostrum Jesum Christum peractis 2,228 annis ab ortu mundi, quod gestum est inchoante anno 2,229 non potest dubitari, 6 feria id est VIII Kal. Apr. crucifixus est et sepultus. Tertia autem die, hoc est VI Kal. Apr. Dominica resurrexit a mortuis. Per 450 annos cum consulibus, ac deinceps sine consulibus per annos 102 futuros, ut 532 annorum omnis summa constat.

Item de annis a principio mundi.

LXXVIII. A principio mundi usque ad diluvium anni 2,245. A diluvio autem usque ad Abraham anni 942. Ab Abraham vero usque ad egressionem filiorum Israhel ex Ægypto usque ad ædificationem templi Salomonis anni 481. Ab ædificatione ergo templi usque ad dissolutionem ejus et transmigrationem in Babyloniam, anni 390. A transmigratione igitur Babyloniæ usque ad Passionem Domini anni 659. A passione usque ad transitum sancti Martini anni 412. A transitu sancti Martini usque ad transitum Chlodovæi regis anni 141. A transitu Chlodovæi usque ad transitum Theodoberti anni 30. A transitu Theodoberti usque ad transitum Sigiberti

anni 29. Ab initio mundi usque ad regnum Theodorici sunt anni 5,660.

De numero annorum ab origine mundi usque ad adventum Domini.

LXXIX. Anni ergo sunt ab origine mundi usque ad Nativitatem Christi, sicut in Orosio legitur, 5,199. Hinc ipse dixit ab orbe condito usque ad Urbem conditam anni sunt 4,484. Ab urbe autem condita usque ad Nativitatem Christi anni sunt 715. Colliguntur ergo anni ab origine mundi usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi 5,199.

De annis ab origine mundi, vel Incarnatione.

LXXX. Ab Incarnatione autem Domini nostri Jesu Christi usque ad præsentem annum, sicut in omnibus cyclis, qui recte scripti sunt, et sicut per argumenta ostenditur, anni sunt 784. Sed tamen secundum lunam cœpit annus 99 a XVI Kal. Mai. Simul autem anni sunt ab origine mundi usque in præsentem annum 5,989. In chronicis legitur. Anni autem ab origine mundi usque ad prædicationem Domini nostri Jesu Christi quæ facta est anno 15 Tiberii Cæsaris, et usque ad baptismum Domini 5,228. Item Orosius dicit. Sunt autem ab Adam primo homine usque ad Ninum magnum, ut dicunt, primum regem Persarum, quando natus est Abraham anni 3,184, qui ab omnibus historiographis vel omissi, vel ignorati sunt. A Nino autem vel Abraham usque ad Cæsarem Augustum, id est usque ad Nativitatem Christi, quæ fuit anno imperii Cæsaris 42, cum facta bella toto orbe cessarunt, colliguntur anni 2,015. Fiunt simul 5,199. Item in chronicis legitur secundum Eusebium, et Hieronymum, et Prosperum ab Adam usque ad diluvium anni sunt 2,242. Ab Abraham usque ad Moysen, et egressum Israhel ex Ægypto computantur 505. A Moyse usque ad Salomonem, et primam ædificationem templi sunt anni 479. A Salomone usque ad instaurationem templi, quæ sub Dario Persarum rege facta est colliguntur anni 512. Porro a Dario usque ad prædicationem Domini nostri Jesu Christi et usque ad 15 annum Tiberii Cæsaris principis Romanorum explentur anni 547. Omnes autem anni usque ad prædicationem Domini nostri Jesu Christi 5,235. Isidorus autem dicit: Cessante regno ac sacerdotio Judæorum Dominus noster Jesus Christus ex Virgine nascitur anno 42 regni Cæsaris Augusti, 15 annis de regno ejus adhuc restantibus. Regnavit autem annis 56. Post illum regnavit Tiberius Cæsar 23 annis; 15 autem anno regni Tiberii Dominus crucifixus est, peractis annis a principio mundi 5,228. Hunc eumdem numerum Victorius confirmat dicens: Passum ergo Dominum nostrum Jesum Christum, et reliqua.

Incipit de mundi principio.

LXXXI. Quomodo factus est mundus, initio creaturarum Dei, etc. *Reliqua omittuntur, quod eadem infra cap.* 148 *habeantur.*

Item de mundi principio.

LXXXII. Interrogatio de mundi principio, quomodo factus sit initio creaturarum Dei? in quo die? et in diebus septimanæ? et in quo anno? et in quo tempore? Si in die anni? in nocte? et in qua hora? interrogamus. In æquinoctio autem et in die Dominico, et in communi anno secundo, et in ogdoade, et in prima hora creatus est, et in momento oculi omnia simul creata sunt a Deo. Latini namque æquinoctium VIII Kal. Apr. facere volunt, sed hoc sancta synodus minime permisit propter illos 3 dies, id est 5 feriam, quando Dominus noster Jesus Christus tentus est, et sextam feriam quando crucifixus est, et septimam feriam, quando in sepulcro quievit, quos foras limitum etiam tanto minime abjiciendos putavit, et ideo in ipso sancto concilio statutum est, ut æquinoctium ab XI Kal. Apr. computetur.

De annis ab incarnatione mundi.

LXXXIII. Si vis scire quotus sit annus ab incarnatione mundi, compota 391 per 15, fiunt 5,865. His semper adde 33 regulares, fiunt 5,903. Isti sunt anni ab initio mundi, anni scilicet ab incarnatione Domini 703, memor esto in 15 indictione supradictam regulam observare.

Si vis scire quota sit indictio, sume annos a mundi initio, ut puta 5,903. His semper adde 7 regulares, fiunt 5,911. Partire per 15 : quindecies 300, 4,500. Remanent 1,311. Quindecies 60, 900. Remanent 511. Quindecies 30, 450. Remanent 61. Quindecies 3 [4], 60. Remanet 1, prima indictio. Si nihil remanserit, 15 indictio est.

Si vis scire quotus sit annus solaris circuli, et quot vicibus in se revolutus sit : sume annos ab initio mundi, ut 5,903. Partire hos per 28. Vicies octies 210, 5,980. Remanent 34. Annus 24 annus est solaris circuli.

Si vis scire concurrentes septimanæ dies, tene suprascriptum numerum 24. Tolle semper 1, remanent 23. Adde 4 partem, fit 28, et partire per 7 partem, id est quater 7, fit 28. Nihil remanet, Sabbatum est in IX Kal. Apr. Quicquid supra 7 remanserit, tota feria erit.

De prima Luna primi mensis monstranda.

LXXXIV. Si vis agnoscere, quomodo initium primi mensis, hoc est prima luna invenitur, scito eodem anno quolibet, et quot epactæ sunt in Kal. Jun., et quota luna fuerit, tot dies in Martio mense a fine retro subtrahe, et ubi deveneris, ibi initium primi mensis invenies, exceptis tribus embolismis, id est novissimo embolismo ogdoadis, et primo endecadis, et novissimo. In novissimo enim embolismo ogdoadis initium primi mensis in Non. Apr. invenitur. In primo autem embolismo endecadis in IV Non. Apr. invenitur prima luna primi mensis. In ultimo vero embolismo endecadis in III Non. Apr. initium primi mensis invenitur.

De bissexto monstrando per cyclum solarem.

LXXXV. Si vis scire de bissexto, tene annos solaris cycli quotcunque fuerint in præsenti quolibet anno. V. g. 14 anno cycli solaris; dimitte semper 1; remanent 13. Partire per 4 partes, dimitte 12. Quater quaternos, remanet 1; primus annus est

præparationis bissexti. Si nihil remanserit, bissextus erit.

Item argumenta de concurrentibus monstrandis.

LXXXVI. Si vis scire adjectiones solis, id est concurrentes septimanæ dies IX Kal. Apr., sume annos ab incarnatione Domini, quicumque fuerint, v. g. 810. Hos divide per quatuor partes, et annorum qui fuerint 4 partem semper adjice, bissextilem diem 4 semper anno invent. * hic addit. In 400 ergo annis bissextiles dies sunt 100. In 200, dies 50 bissextiles. Item in 160 annis, hoc est in duobus octogenis 40 dies, bissexti 28 annis 7 sunt. Simul autem in 810 annis bissextiles dies sunt 204. Quod adjicit Dionysius super annos Domini, peractis 5,228 annis ab ortu mundi eadem Chronicorum relatione monstratur. Item in Chronicis legitur. Omnes anni ab origine mundi usque ad prædicationem Domini nostri Jesu Christi, quæ facta est 15 anno Tiberii Cæsaris, et usque ad baptismum Domini 5,228, usque ad annum autem præsentem 6,038.

Ad ann. præparationem bissexti ab origine mundi.

LXXXVII. Si vis scire iterum bissextilis annus num sit, an etiam annus præparationis bissexti : sume annos ab initio mundi usque ad præsentem annum, v. g., 5,989. Hos divide per 4. Dimitte per 4,000 quæ 4 partes æquales sunt, et postea dimitte 1,600, quia 400 sunt 4 vicibus. Remanent 389. Dimitte 320. Quia 4 octogeni sunt ; remanent 69. Dimitte 40, quia 4 deni sunt ; remanent 29. Dimitte 28, quia 4 septem sunt ; remanet 1. Primus annus est præparationis bissexti. Si autem 2 remanent, secundus annus præparationis bissexti. Si 3, tertius. Si autem totum numerum annorum ab origine mundi per 4 partes æquales partitus fueris, bissextilis annus erit.

De concurrentibus monstrandis per annos ab origine mundi.

LXXXVIII. Si vis scire quot concurrentes sunt in unoquoque anno præsenti, sume annos ab initio mundi, v. g. 5,989. Hos divide per 4 partes ; hoc est 1,497 quatuor vicibus ; et 4 partem, quam partitus fueris, hoc est 1,497 mitte super 5,989. Fiunt simul 7,486. Hos divide per 7 partes, quia diem septimanæ quæris ; dimitte 7,000, quia septem partes æquales sunt, hoc est 1,000 septem, remanent 486. Dimitte 7 vicenos, remanent 56. Dimitte 63, quia 9 septem sunt, remanent 3. Concurrentes 3 sunt anno præsenti, sicque per alios annos hoc argumento concurrentes invenies, totum numerum annorum ab initio mundi usque in præsentem annum colliges, et 4 partem superaddendo per 7 dividens. Quotus numerus remanserit, tot concurrentes erunt in præsente quolibet anno. Si autem totum numerum per 7 partitus fueris, 7 concurrentes erunt in illo anno, et IX Kal. Apr. Sabbato erunt in illo anno.

De divisionibus temporum.

LXXXIX. Divisiones temporum 16 sunt : id est atomus, momentum, minutum, punctum, hora, quadrans, dies, hebdomada, mensis, tempus, annus, cyclus, vicissitudo triformis, sæculum, ætas, mundum. Atomus nomen Græcum est, quod interpretatur indivisibilis, nam *atomon* apud Græcos indivisum, vel indivisibile interpretatur. Omne enim quod in mundo est sive corporale, seu incorporale, quod dividi ac partiri non potest, atomus est. Sicut ait Isidorus : Atomos philosophi dicunt quasdam partes in mundo minutissimas, ut visui non pateant, nec sectionem recipiant. Huc illucque feruntur sicut minutissimi pulveres, qui effusi per tenebras solis radiis videntur. Atomorum genera quinque sunt, id est atomus in re, atomus in corpore, atomus in oratione, atomus in numero, atomus in tempore. In re sicuti prædicti pulveres. In corpore veluti cum partiris quamlibet partem lapidis in 1,000 particulas, millesima pars quæ partiri, vel dividi non potest, atomus in corpore dicitur, id est indivisibilis. Atomus in oratione, sicuti oratio in versus, in partes, in syllabas dividitur, ita syllaba in literas, litera autem dividi, vel solvi non potest, ideoque atomus a Latinis philosophis dicta est. Atomus in numero sicuti solvitur millias in 1,000, 1,000 in 100, 100 in 20, 20 in 10, 10 in 5, 5 in 2, 2 in 1, 1 vero quod dividi, aut solvi non potest, atomus in numero dicitur. Atomus in tempore, sicuti solvitur sæculum in ætates, ætas in annos, annus in menses, mensis in hebdomadas, hebdomada in dies, dies in quadrantes, quadrans in horas, hora in punctos, punctus in minuta, minutum in momenta, momentum in atomos 16, pars 16, quæ dividi non potest, atomus dicitur, id est indivisibilis. Sed de hoc philosophi mundum factum esse dicunt.

Item de atomis in primo momento.

XC. Si vis scire quot atomi sint in 1 momento, divide 1 momentum in 12 partes, et unamquamque partem in 47, quia 47 pars 12 partes momenti atomus est in tempore. 47 duodecies multiplicati fiunt 564 : tot atomi sunt in uno momento. Momenta autem sunt in 1 die 480.

Si vis scire quot atomi sunt in 1 hora, duc 564 quadragies, fiunt 22,564 [22,560]. Item si scire volueris, quot atomi sunt in 1 die naturali, qui habet 24 horas, multiplica supradictum numerum atomorum unius horæ, qui sunt 22,564. Hos ergo multiplica vicies quater [per 24], fiunt simul 541,540 [541,536]. Tot atomi sunt in 1 die. Tu nobis, lector, ignoscas, quia hæc calculandi et litteriolo * doxibus.

De horis in anno quot sunt.

XCI. Si vis scire quot horæ sunt in anno, multiplica vicies quater 365. 320 [vicies] quater multiplicati, fiunt 7,200 [7,680]. Item 60 vicies quater ducti 1,440 fiunt. Simul autem et prædictus numerus 8,640 fiunt. Item 5 vicies quater, vel 24 quinquies ducti 120 sunt. Hos mitte supra numerum supradictum, fiunt simul 8,760. Tot horæ sunt in anno. Propterea autem 365 vicies quater multiplicari diximus, quia 24 horæ sunt in 1 die naturali, id est in-

ter diem et noctem. Per hunc ergo numerum horarum 1 diei naturalis, hoc est 24 omnes dies totius anni, qui sunt 365, multiplicati, vel 24 [quater] vicies trecenties sexagies quinquies 8,760 horas efficiunt. In bissextili autem anno 8,780 horæ sunt.

Item de horis et momentis quot sunt in primo anno.

XCII. Primus annus in 7 dividitur partes, et 7 partes 52 dies et noctes, et 7, 52 dies et noctes 288 horæ. Alii 12 dies et noctes similiter 288 horæ. Junge 2. Summa facit 576 horas 52, 52, 52. Adde alios 20 dies et noctes, faciunt 1,152 supra 4, 52, 52, 52, dies et noctes 60, 56 faciunt. Et ita in ista prima parte 1,000 in CII, 53 invenies, et in secunda similiter, et in tertia eodem numero, et in 360 quarta æquali, et quinta æquali simili, et in sexta non impari, et in septima in quinque dies quoque numerabis eumdem numerum, et superfluus dies, et nox, et quadrans 27 horas habet, et totus numerus horarum, dierum et noctium anni septies supputatus 8,760 horæ. Momentorum numerus, dierum ac noctium anni incipit. Hora 40 momenta habet. 4 horæ 160. Junge. Summa facit 480 momenta. Nox similiter 12, et facit eumdem numerum 480. Junge diem et noctem, 960 25 dies et noctes 24,000 momentorum. Alii 25 dies et noctes 24,000 momentorum. Nullus ambigat. Summa 50 dierum et noctium 48,000. Duos dies et noctes, qui reliqui sunt, 2,000. Si adjiciantur duæ horæ, id est 80 momenta duobus ipsis diebus de 53 die, et de eodem supradicto die supersunt 380 momenta, et pars secunda, id est 52 dies et noctes, 50,000, et adjiciuntur duæ horæ de eodem die supradicto, et supersunt die illo a 300 momenta. Et tertia pars similiter 50,000, et adjiciuntur duæ horæ de supradicto, et supersunt a 220 momenta. Et quarta simili modo 50,000 et duæ horæ adjiciuntur de eodem die, et supersunt a 140 momenta. Et quinta pars pari modo 50,000, et duæ horæ adjiciuntur de eodem die, et supersunt a 60 momenta. Et sexta pars æqualiter 50,000, et duæ horæ adjiciuntur de eodem die, et supersunt a 480. Et septima pars similiter 50,000 momenta, et duæ horæ adjiciuntur de eodem die singulis partibus, ut supra, et supersunt 400 momenta, et quadrans supputatur, id est 3 horæ, et facit 120 momenta, et ut breviter dicam, annus 365 dies et quadrans habet horas 8,753. Momenta habet 350,040.

De punctis in anno

XCIII. Si nosse desideras quot puncti sunt in anno, duc quater illum numerum horarum, quem diximus, hoc est 8,760. Si ergo 8,000 per 4 multiplicati fuerint, 32,000 sunt. 700 autem quater ducti 2,800 sunt. Simul autem 34,800 fiunt. Item 60 quater multiplicati, 240 sunt. Mitte simul ad supradictum numerum, fiunt 35,040. Tot puncti sunt in anno. Ideo autem diximus numerum horarum totius anni, hoc est 8,760 per 4 multiplicari, quia 4 puncti unam horam in sole perficiunt. In anno autem bissextili puncti sunt 35,136.

De minutis in anno.

XCIV. Si vis scire quot minuta sint in anno, multiplicabis numerum supradictum punctorum, id est 35,040, qui multiplicati bis, fiunt 70,080. Adde dimidiam partem punctorum supradictorum, hoc est 17,540, simul autem fiunt 87,620. Tot minuta sunt in anno. In bissextili autem anno minuta sunt 87,680. Id autem totum numerum punctorum bis multiplicari diximus, et dimidiam partem addi, quia 2 minuta, et dimidium 1 punctum faciunt

De momentis in anno.

XCV. Si vis scire quot momenta sunt in anno, multiplica quater supradictum numerum minutorum, hoc est 87,620; qui numerus quater ductus 352,480 facit Tot momenta sunt in anno. In bissextili autem anno sunt mom. 352,540. Ideo autem numerum momentorum per 4 vices multiplicari diximus, quia 4 momenta munitum 1 efficiunt.

Item de momentis.

XCVI. Momentum minutum atque angustissimum tempus a motu siderum dictum : est enim extremitas horæ in brevibus intervallis, cum sol aliquid sibi cedit, atque succedit. Item momentum quasi motum mentis est; scit enim mens nostra mutatam esse creaturam. Tunc enim mutatur mens in scientia mutatæ creaturæ. Momentorum genera 6 sunt. In sole, id est de eo quod sol ' hora orbis sui superiore ostendit, quousque inferiora ' horam ibidem posuerit. Id est dum se totum ' momenta erit mora temporis, qui ibidem esse videtur, certus lectus solis est in cœlo. In mente momentum dicimus cum per aliquid offendiculum, seu quodlibet detrimentum mens humana mutatur. Nam postquam protoplastus noster patrato delicto vidit omnia elementa ex vi peccati mutasse virtutem, tunc repente propter detrimentum creaturæ mens ejus de sublimi culmine beatitudinis et incorruptæ lætitiæ tramite in mortalem mœstitiam mutata est. Et inde primum momentum dierum, et motus scilicet mentis. In tempore momentum dicitur, cum tempus a serenitate in nubilum, a tranquillitate in tempestatem mutatur. Momentum in cœlo cum sphæra superior cœli ab occasu ad ortum convertitur, vel mutatur. Momentum dicitur in volucri, dum quilibet ales quantocumque tempore quietis pinnis volatum duxerit usquequo alas concitans mutaverit tempus, quod in hac transigitur, aut gallus cum plausu alarum præsagio lucem indicat, usque dum in cantu vocis duxerit moram temporis in medio positam. Momentum in homine dicitur, cum quislibet obtutum immotis palpebris suspenderit; ac momentum in oculo dicitur, de quo philosophi dicunt, quia facta sunt omnia in momento, vel ictu oculi. In rota ' commutatur de cantu; in cantu momentum dicitur, quod est unus passus. Est præterea momentum magnum, quod est motus cœli ab occasu in meridiem. Momentum malus motus superioris speræ ab occasu in orientem, quod est spatium 12 horarum. Momentum maximum cœli per duas hemisperias motus naturalis ab oriente in orientem.

aut ab occasu in occasum, quod tenet spatium 24 horarum, et ab aliis amplum momentum nuncupatur. Sophonias propheta minutum ex minutis elementis dictum, cujus visus tactusque acuitur. Iterum : Minutum velut minus momentum, quia minus numerant id, quod majus implet. Punctum pungendo aciem oculorum dictum; tunc enim post hyomem, et brumalis frigoris caliginem adjunctis 10 momentis ab acie solis de luminis gratia oculos obtensos transactis frigoris nebulis acies solaris, quasi pungere, seu rutilare humanus visus videtur, et inde illud spatium temporis punctum nominatur. Aliter Isidorus dicit : Punctum opus illorum qui horologia faciunt, nam in fine 12 lunarum ponebant : de hac hora est finis temporis. Sic horæ sunt fines maris, fluviorum, vestimentorumque, sed hora finium per *o*, hora dierum per *h* scribendum. Item hora dicta est quasi hora, eo quod temperat articulos diei. Horam autem maris, et horas vestimentorum dicimus. Hoc nomen Græcum est, quod Latine dicitur species vel pulchritudo, filiæ enim Jovis 10 horæ apud Homerum dictæ sunt, id est 10 pulchritudines.

De quadrante.

XCVII. Quadrans dicitur eo quod quarta parte unciæ appendit. Apud enim geometras quarta pars uniuscujusque rei quadrans dicebatur. Quarta pars diei dicitur. Item in Scripturis divinis quarta pars actus humani quadrans dicitur; actus enim hominis quatuor modis probatur consistere, sive in bono, sive in malo. Idem opere, consensu et cogitatione. Ut in Evangelio legitur : *Non exiet inde, donec reddat novissimum quadrantem*, id est ultimam culpæ cogitationem. Et quadrans temporis dicitur quarta pars anni, sicut legitur de Antichristo tribus annis et duobus quadrantibus decepturum esse mundum, et inlusurum gentibus tribus annis et sex mensibus. Item Theophilus dicit : « Quadrans dictus est a quadrata figura, quæ in sua soliditate consistit. » Sublata enim quarta parte cujuslibet rei, trina figura remanet. De qua apertius dicit : « Quadrans dicitur, eo quod quartam partem diei suspendit, quem Hebræi quadrantem, Græci dodrantem, Latini quadrantem vocant. » Quadrans sine *n* scribi deberet, sicut gigas non gigans, ita quadras non quadrans; lex enim literaturæ est * in gentem a nominativo crescat amplius literis, vel syllabis. Hieronymus dicit : « Non ut imperiti gigans gigatis, sed ut gigaphi * gigantes, ita et quadras quadrantis. »

De septimanis in toto anni circulo.

XCVIII. Si vis scire quot septimanæ sunt in anno, duc quater 12, fiunt 48. Tot septimanæ sunt in 12 mensibus, id est 4 septimanæ uniuscujusque mensis, illi autem residui dies, qui supersunt, id est a quatuor tricenis, et 22 a mensibus, qui 31 dies habent, simul fiunt 29, hoc est 4 septimanæ, et 1 dies. Quandocumque autem bissextus fuerit, tunc annus habet 52 septimanas et dies 2.

De concurrentibus solis per totum annum

XCIX. Si vis scire a die datarum per totum annum, v. g., IX Kal. Apr., ubi discurrunt concurrentes solis, quali feria erunt in centesimo anno, sic investigare debes. Qualiscumque feria fuerit in IX Kal. Apr. in præsenti anno, computa 6 dies septimanæ sequentes illam feriam, et ille sextus dies qui tibi occurrerit, scias eumdem futurum esse in illo die datarum centesimo anno. V. g., isto anno præsenti IX Kal. Apr. tertia feria fuit. Sume 6 dies sequentes, id est quartam, quintam, sextam, septimam, primam, et secundam feriam, hæcque ipsa secunda feria 6 dies occurrit post tertiam feriam; in illa secunda feria erunt IX Kal. Apr. centesimo anno, quia qualiscumque feria fuerit in qualibet die datarum in præsenti anno supra diximus IX Kal. Apr. 3 concurrentes, quia 3 feria fuit IX Kal. Apr. anno præsenti; sic erit post 28 annos 3 feria erit VIII Kal. Apr., id est 3 concurrentes. Sed post 56 annos, 7 incipiente, 3 feria erunt IX Kal. Apr. Et ita post 84, quinto anno incipiente, 3 feria erit, et 3 concurrentes, id est 1 annus præparationis bissexti. Remanent tibi 16 anni de 100 annis. Curre ergo per ordinem recurrentium, id est 4, 5, 6, cum bis. 1, 2, 3, 5, cum bis. 6, 7, 1, 2, cum bis. 4, 5, 6, 1. cum bis. 2 feria erit ille 100 annus. In illo erunt VIII Kal. Apr. id est 2 concurrentes 100 anno. Sic et alios dies quoslibet datarum per totum annum investigare debes, quali feria erunt usque ad 100 annum. Qualiscumque enim tibi feria presens erit in illa feria præcedenti hoc est heri v. g., ut in 6 die septimanæ, quæ sequitur, eadem feria erit. In eodem die datarum erit in 100 anno, et in qualicumque ordine fuerit illa feria, in illo anno concurrentes, id est * sive cum bis. sive 1, aut 2, vel 3 annus post bissextum in illo ipso ordine erit illa feria, aut concurrentes in 100 anno.

De partibus lunaribus in XI *Kal. Apr.*

C. Si nosse desideras partes lunares a præsenti qualibet die usque ad 100 annum, ita observare debes. Qualiscumque epacta fuerit in præsenti quolibet die datarum per totum annum, v. g., XI Kal. Apr. 20 epacta fuerit anno præsenti. Collige 11 undecies epactas per 5 annos sequentes, quæ sunt 55. Si autem saltus fuerit, erunt 56. Mitte simul et epactam præsentis anni, id est 20, fiunt 75. Dimitte 60, remanent 15. Epacta 15 erit in 5 anno post præsentem annum. Hæc etiam epacta erit et in anno 100, quia qualiscumque epacta fuerit in præsenti quolibet anno, v. g., sicut diximus, XI Kal. Apr. 20, eadem erit et in anno 20, id est 20 epacta, et ita in 38 anno 20 erit, et in 76 anno 20 erit, et in 95 anno 20 erit. Remanent tibi 5 anni de 100. Curre per ordinem epactarum 1, 12, 23, 4, 15, hæcque in 100 anno 15 epacta erit, sicut etiam diximus. In 5 anno futuro 15 erit, hoc est quartum. Fiunt ergo simul 986. His ergo adde 3 regulares, quia in anno Incarnationis Christi VIII Kal. Apr. 4 feria fecerunt. 4 ergo additis ad supradictum numerum fiunt 990. Hos divide per 7, dimitte 700, centies septeni sunt. Remanent 290, dimitte 214, viceni sunt, hoc est bis

7 viceni, qui habet 47. Remanent 10. Dimitte septenos, remanent 3. Concurrentes 3 sunt anno præsente IX Kal. Apr., 3 feria fuerunt. Hoc argumento etiam ostenditur quota feria sit in Kal. Jan. in unoquoque anno præsente, 1 tantum regulari dimisso, sicut bonus sanctus Primicerius ostendit.

De concurrentibus monstrandis.

CI. Si vis scire concurrentes septimanæ dies in IX Kal. Apr. scies quotus annus sit cycli solaris, v. g. 14 adde semper 4 partem, hoc est modo 3, fiunt simul 17; divide per 7. Dimitte 14, quia bis 7 sunt, remanent 3. Concurrentes 3 fuerunt in IX Kal. Apr., id est 3 feria anno præsente. Sicque per alios annos facies, quicumque fuerint, divide per 4 partes, et 4 partem adjicies, v. g., quinto anno cycli post 4 addas 1. Nono anno, post 8 addas 2 anno 13, post 12 addas 3; post 16 addas 4; post 20 addas 5; post 24 addas 6, post 27 addas 7. Et sic invenies concurrentes præsentis cujuslibet anni. Iste ergo cyclus solaris habet annos 28 in se, idest 4 septimanas, vel 7 quaternos, quia non potest consummari, priusquam bissextus, qui quarto anno redire solet, cunctos septimanæ dies circumeat, et contingat, id est Dominicam 6 feriam, 4 feriam, 2 feriam, 7 feriam, 5 feriam, 3 feriam; hoc enim ordine circumeunt, et percurrunt omnes septimanæ dies, namque unaquæque anni dies suos concurrentes habet, qui concurrentes adfixi sunt in IX Kal. Apr., videlicet ut proprias festivitates Paschalis 14, luna quota sit feria pandunt, et diem epactarum, ac per hoc et Paschalis diei inventionum planum faciunt iter. Dionysius de concurrentibus dicit: *Concurrentium autem Hebdomadum ratio, quæ de solis cursu supervenit septeno annorum circulo quater ducto jugi circuitu terminatur.* In quo per annos singulos idest 3 unum addere, et concurrentes præteriti anni curabis. In eo tantummodo anno, idest 4, in quo bissextus fuerit duos adjicias. Istas ergo epactas solis, idest concurrentes septimanarum dies IX Kal. Apr. auctores ponunt, quia secundum traditionem divinæ auctoritatis, vel sancti Nicæni concilii sidera cœli solem, et lunam in ea datarum die a Domino creata, et in cœlo posita ad officium humani generis esse adscribunt.

Item de concurrentibus.

CII. Si vis scire subito quot concurrentes sint eodem anno, ad feriam curre. Inveni Kal. Apr. quota feria sit, et ubi Kal. inveneris, statim retro inveni IX Kal. Apr. Et in quota Feria IX Kal. Apr. inveneris, v. g. in Feria 1, 2, 3, 4, 5, 6 vel 7, quia plus non crescunt, talem habebis concurrentem, quia Græci epactam solis, id est concurrentes septimanæ dies, qui de solis cursu perveniunt, IX Kal. Apr. ponunt. Quia secundum traditionem divinæ auctoritatis, vel sancti Nicæni concilii sidera cœli, id est solem et et lunam, et stellas in eo datarum a Domino creata, vel in cœlo posita ad officium humani generis esse adscribunt.

Ad feriam monstrandam in Kal. Januar.

CIII. Si vis scire diem Kal Januar. per singulos annos, quota sit feria, sume annos ab Incarnatione D. N. J. C. ut puta modo 810, subtrahe semper unum, remanent 809, hos partire per 4 partes, et quartam partem, quam partitus es, adjice, hoc est 202 fiunt simul 1011, hos partire per 7 partem, dimitte 700, fit septies centum, remanent 311, dimitte 280 septies 40 sunt, remanent 31, dimitte 28 quater septies sunt, remanent 3. Tertia feria fuerit Kal. Januar. anno præsente.

De cyclo solari et lunari per digitos demonstrando.

CIV. Quidam ad compendium calculandi utriusque ordinem circuli, solaris videlicet, et lunaris, transferunt in articulos. Nam quia manus humana articulos habet 19 adjunctis unguibus singulis artubus, et unguibus singulos aptantes annos lunarem cursum per 19 annos. In læva manu intrinsecus radice pollicis incipiunt, et in ungue minimi digiti, hoc est auricularis intrinsecus eumdem cyclum lunarem consumunt. Et quia manus binæ articulos habent 18 intrinsecus autem exceptis unguibus his singulis artubus singulos annos aptant in quantas a minimo digito lævæ manus hoc est summo articulo auricularis, quasi prima feria cum bissexto, et in sinistro pollice, hoc est a summo articulo, in 6 feria cyclum solarem complentes, et terminantes, non ut in lunæ cyclo singulos exordio ne digitos expedientes in numerum, sed propter rationem quadrantis per quaternos intrans versum digitos quadriennium omne signantes, ita ut minimorum digitorum, hoc est auricularium bis terni articuli, idest 6 ad totidem annos bissextiles deputant. Item proximorum digitorum a minimis bis terni articuli ante hos est 6 primus annus præparationis bissexti in utraque manu demonstrat; similiter secundi digiti a minimis duabus manibus per 6 articulos 2 sex annos præparationis bissexti ostendunt, et tertii digiti a minimis utriusque manus 3 ann. 6 præparationis bissexti per 6 articulos utriusque digiti demonstrat. Porro septimus bissextilis annus cum tribus annis sequentibus bis binos articulos duorum pollicibus teneat. In hoc ergo ordine calculator bissextiles 7 annos per 28 percurrens invenit, incipiens bissextum in prima feria a minimo digito in summo articulo auricularis, et sic dicis prima feria cum bissexto. In secundo articulo minimi digiti 6 feria cum bissexto. In tertio articulo 4 feria cum bissexto. Deinde in dextera manu in summo articulo minimi digiti dicis secunda feria cum bissexto. In secundo articulo 7 feria cum bissexto. In tertio articulo hoc est in radice minimi digiti 5 feria cum bissexto. Deinde in radice pollicis dextræ dicis 3 feria cum bissexto. Hucusque de concurrentibus.

De principiis quatuor temporum.

CV. Si vis scire, qua die septimanæ intrant quatuor tempora, hoc est ver, æstas, autumnus, et hyems, sume principium a Kal. Maii, quacumque enim feria fuerint Kal. Maii, sequenti die septimanæ intrant Kal. Aug., hoc est principium au-

tumni tertia die Kal. hyemis, quarta die principium veris, hoc est Kal. Febr., nec bissextus mutat hanc rationem.

Item Sesebutus de eclipsibus solis et lunæ dicit.

CVI. Sesebutus dicit :

Quur fesso Luna * hbescit circulus orbe
Purpureumque jubar nivei quur tabeat horis
Infima vicinis novum quam decolor umbris
Fratre * curet vacuasque exanguis deficit hora.
Inviolatum * erit sed vasto corpore tellus
Quæ medium tenet immo polum dum culmina fratres
Deserit umbriferis noctibus dum sidere casso
Poliescit terræ umbra rotæ dum transeat axem
Agere velox cumulo speculoque rosanti
Fraternas reparet per cœlum libera flammas.
Quur autem sola spolietur lumine Luna,
Nil vero mirum est, quippe illam lucis egentem
Lux aliena fovet, quam cum pars proxima metæ
Invidet, expectat radius male cærula fratres.
Ad chorum austrorum [a] reliquus non tangitur umbris,
Et proprium cunctis jubar est, nec Sole rubescunt
Sed porro ultra Solem rapitur cum vertice coli.
Jam quur menstruo non semper palleat orbe
Inflexi præstant illico jam trámite, cursus
Namque vagans errore rato cum devia tortus
Tum legit anfractus, metam sol eminus exit
Intorquetque peplum noctis, radiatque sororem.
Hæc eadem ratio est subitis ubi frangitur umbris
Augusti Solis rutilum jubar lndiga lucis,
Quando inter terram et Solem rota corporis albi
Lunam erat fratrem recdis arguens.

Argumentum ad epactas solis in Kal. 12 mensium.

CVII. Si vis scire uniuscujusque mensis diem septimanæ in Kal. per unam septimanam, ita invenies, hoc est per illos dies 7. Primus Mart. mensis usque ad Non. Mart. ; quia qualicumque feria fuerint Kal. Mart., in illa erunt Kal. Novemb. ; et qualicumque die septimanæ fuerint 6 Non. Mart., in illa ipsa die erunt Kal. Jun. et Kal. Febr ; et in quali feria fuerint 6 Non. Mart. in ipsa erunt Kal. Febr. et Decembr ; in quacumque feria fuerint 4 Non. Mart. in illa erunt Kal. Apr. et Kal. Jul. Item 3 Non. Mart. Kal. Octob. prid. Non. Mart. Kal. Maii, et Kal. Januar. Non. Mart. Kal. Aug. in eadem feria sunt.

De duodecim signis cœli, quæ currunt in zodiaco circulo, cui circulus signifer dicitur, hoc est sideralis cursus.

CVIII. Zodiacus cursus, idest siderius vel sideralis, et signifer dicitur, eo quod 12 signa inferre videtur. Undique enim gyrum cœli rotundissimum per lineam zodiaci circuli, quasi personam amplissimæ speræ circumdatam distincti ordines gemmarum 12 sese invicem contingentium ab oriente usque in occidentem, ita obsident et cohærent. Hæc ergo zona, quæ zodiacus et sideralis dicitur, et Mazaroth, et horum cobus cingit cœlum 12 stellis distincta, per quæ sol et luna discurrunt. Et sunt tantæ magnitudinis, ut non minus quam duabus horis singula signa oriri, vel occidere, vel de loco moveri possint. Tantum vero ambitum zodiaci ictis 65 diebus et 6 horis peragit. Luna autem 26 diebus, et 8 horis eadem 12 signa pervolat, binis vero diebus, et 6 horis, ac besse unius horæ unumquodque signum percurrit. Hæc autem signa 12, per quæ sol et luna currunt, ita vocantur : Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. In unoquoque signo ex his sol moratur 30 diebus et 10 horis, et dimidia hora. Luna autem duobus diebus, et 11 horis unumquodque signum percurrit. Et hæc 12 signa cum firmamento currunt linea obliqua candido circulo ab oriente in occidentem, et ab occidente in orientem semel in die et nocte per 24 horas. Sol autem et luna, et stella Saturni, stella Jovis, stella Martis, stella Veneris, stella Mercurii contra firmamentum currunt, sed fortitudo cursus firmamenti trahit ea secum retro, unde retro gradiuntur. Et hæc causa est inæqualitatis dierum, et noctium in longitudine et brevitate obliquitas signiferi, per quem sol et luna currunt, cum pars æqua mundi super subterque terras omnibus fiat momentis. Inde Isidorus dicit : *Sol enim obliqua linea pergit ad Boream, et ita ad orientem revertitur.*

[a] Forte *At chorus astrorum*

De causis quibus nomina acceperunt 12 signa.

CIX. Signa 12, vel a causis annalibus, vel a Gentilium fabulis nomina sumpserunt. Nam Arietem Martio mensi propter Ammonem Jovem tribuunt, qui ut fabula fert, in illo mense Libero patri cum suo exercitu in India in arenosis locis, ubi aquam non habebant, et illis sitientibus Jupiter ostensus est in forma arietis, et ostendit illis fontem. Propterea in ejus simulacro arietis cornua finxerunt. Item Eusebius in Chronico ait : *Frixus cum Helle sorore sua fugiens insidias novercales visus est per eram vehi ab ariete velleris aurei.* Fuit autem navis parata ei fugienti, cujus insigne aries erat. Taurum Aprili tribuunt propter eumdem Jovem, eo quod in bovem conversus sit, ut fabulæ ferunt. Geminos, idest Castorem et Pollucem, quibus Maium propter insignes virtutes eorum adsignarunt. Porro Cancrum Junio adsignarunt, eo quod sol in illo mense ad inferiora revertitur, sicut Cancer impulsus retro cursum dirigere solet. Leonem, quem occidit Hercules, Julio propter vim fervoris adsignant. Virginem Augusto, eo quod tunc tellus exusta caloribus nihil pariat. Libra Septembri ob æqualitatem diei et noctis. Scorpium et Sagittarium equinis cruribus formatum propter fulmina mensium ipsorum Octobrem et Novembrem accipiunt ; Capricornum December sortitur propter capram Jovis nutricem, cujus extrema pisci similia pinguntur, eo quod hujus mensis ultima spatia sunt pluvida. Aquarium Januario et Februario. Pisces tradunt propter menses illos imbriferos. Unumquodque ergo signum de his 12 annis a medio die mensis semper incipit; hoc est XXV Kal. Jun. cujusque mensis exceptis duobus mensibus Januar. et Febr., quia XVI Kal. Febr. sol intrat Aquarium, et XIV Kal. Mart. ingreditur Pisces. In aliis autem 10 signis sol intrat principium uniuscujusque signi XV Kal. Primum signum Arietis oriri incipit medio Martio, idest a XV Kal. Apr. Secundum Tauri incipit XV Kal. Maii. Tertium Geminorum XV Kal. Jun. Quartum Cancri XV Kal. Julias. Quintum Leonis incipit XV Kal. Aug. Sextum signum Virginis

incipit xv Kal. Sept. Septimum signum incipit Libræ xv Kal. Octob. Octavum signum Scorpio xv Kal. incipit. Nonum signum Sagittarius xv Kal. Decemb. incipit. Decimum signum Capri xv Kal. Januar. incipiunt. Undecimum signum Aquarii incipit xvi Kal. Febr. Duodecimum signum Piscium incipit xiv Kal. Mart. Decem horæ et semis, quæ plus sunt in signis singulis, computari negliguntur, sed tamen computari et memorari debent. Tricenis enim diebus et 10 horis et semis hoc est 20 momentis sol in unoquoque signo moratur. Singulis signis 30 partes, ternæ vero decades deputantur, et singula signa 10 punctos habent, idest duas horas 5 Emm. puncti in luna unam horam faciunt. Singuli igitur menses sua signa habent : Aprilis signum Arietis, Maius Tauri, Junius Geminorum, Julius Cancri, Augustus Leonis, September Virginis, October Libræ, November Scorpionis, December Sagittarii, Januarius Capricorni, Februarius Aquarii, Martius Piscium, sicut quidam veterum etiam versibus explicavit.

De cursu solis et lunæ, idest in quo signo currit sol et in quo signo luna.

CX. Si vis scire, in quo signo luna est, et quot signa, quot partes sunt inter solem et lunam in unaquaque die, sume lunam, quam volueris, ut puta primam. Multiplica unum per 4 fiunt 4. In 4 ergo punctis luna prima semper a sole distat. Duc quater ter, fiunt 12. Duodecim ergo partibus hoc est 12 diebus luna prima semper a sole elongatur. Propterea autem quotacumque luna fuerit per 4 multiplicatur, quia 4 punctis semper crescit splendor lunæ recedendo a sole, et 4 punctis splendor lunæ decrescit semper omni die post plenilunium adpropinquando ad solem usque ad ascensionem, et 4 punctis semper luna crescens omni die elongatur a sole usque ad plenilunium. Sic etiam luna decrescens, 4 punctis omni die adpropinquat ad solem. Propterea, sicut diximus, quæcumque luna fuerit per 4 multiplicatur. Et ideo postea ille numerus quaternarius quotuscumque fuerit ter ducitur, quia tres partes sunt in unoquoque puncto, et ita in 4 punctis ter ductis 12 partes sunt. Aut eo amplius, hoc est 13 partibus. Quod enim luna currit in unoquoque die per 4 punctos illud spatium cœli, et temporis, non potest sol currere minus, quam 12 vel 13 partibus hoc est diebus. Item luna secunda multiplica 2 quater, fiunt 8. Tot puncti sunt inter solem et lunam, hoc est una hora, et 3 puncti. Quando luna secunda est, duc 8 ter, fiunt 24. Tot partes sunt inter solem et lunam, quando secunda est. Item tertia luna multiplica ter quater : 12 fiunt. Duc ter, fiunt 36. Uno ergo signo et 6 partibus luna 3 elongatur a sole. Sic luna 4 multiplica, 16 fiunt. Duc ter, fiunt 48. Uno signo, et 18 partibus luna quarta elongatur a sole. Item luna 5 multiplica quinque quater, fiunt 20. Tot puncti sunt inter solem, et lunam, quando luna quinta est, hoc est duo signa integra; 10 enim puncti in luna, hoc est duæ horæ unum signum faciunt; 20 autem puncti duo signa complent. Si enim ter duxeris 60 sunt, hoc est bis 30, qui faciunt duo signa. Tricenæ enim partes unum signum faciunt. Item luna 6 si vis scire, quantum a sole distet, multiplica 6 quater, fiunt 24. Hos partire per decies, bis deni sunt, hoc est duo signa, remanent 4. Multiplica ter, fiunt 12. Duobus ergo signis, et 12 partibus luna 6 semper a sole distat. Item luna septima multiplica 7 quater, fiunt 28. Duc ter, fiunt 84. Duobus signis, et 24 parte tertii signa luna a sole elongatur. Item luna 8 multiplica 8 quater, fiunt 32. His ductis ter fiunt 96 tribus signis, et 6 partibus luna 8 elongatur a sole. Sic luna nona si volueris scire quantum distat a sole : multiplica 9 quatuor vices, fiunt 36. Duc ter, fiunt 108 tribus signis, et 17 partibus luna nona a sole elongatur. Item luna 10 multiplica 10 quater, 40 fiunt 40 punctis, hoc est 8 horis luna decima elongatur a sole; 10 ergo puncti, idest duæ horæ unum signum faciunt, et 40 puncti, hoc est 14, 4 signa complent, et ita luna 10, 4 signis semper a sole distat. Luna ergo 15 si vis scire, quantum a sole distet, et quot signa sunt inter solem, et lunam, quando plenilunium est, multiplica 15 per 4 vices, fiunt 60. Tot puncti sunt in luna 15, et tot punctis lucet, hoc est 12 horis, et tot punctis, et tot horis distat luna decimaquinta, hoc est 6 signis; si enim 60 per decem partitus fuerit, hoc est per signa integra, quia 10 puncti semper signum faciunt. Sexaginta ergo sexies deni sunt, hoc est 6 signa. Item 60 ter multiplicati fiunt ter sexageni, hoc est 6 triceni, qui perficiunt 6 signa. Sex ergo signis semper, idest dimidio spheræ cœlestis luna 15 a sole discernitur. Denique orbem lunæ, quotiens plenissimus est, contra solem cernis oppositum, humilem videlicet sole sublimi, et sublimem lunam sole humili. Sole æstivum tenente circulum, hoc est confinia solstitii æstivi plena luna tenet brumalem circulum, hoc est confinia hyemalis solstitii. Sole devexo et inclinante in brumalem circulum, lunam plenam solstitiali circulo scandere nox longissima prodit. Cum sol unum æquinoctium tenet, in plenilunio alterum æquinoctium luna servat. Sol æquinoctii transgressus longitudinem noctis superat luna per plenilunium totam noctem in æquinoctio, et post æquinoctium inlustrat; idest totum spatium, quod sol per diem percurrens inlustravit, similiter luna tota nocte peragrando illuminat. Hucusque de luna crescente diximus per quot punctos, horas, partes, et signa elongatur a sole usque ad plenilunium; nunc etiam videamus, quomodo luna decrescens adpropinquet ad solem omni die. Æquali numero punctorum, et horarum, et partium, et signorum usque ad accensionem in 30 die. Sicut ergo luna crescens 4 punctis omni die elongatur a sole, sic etiam luna decrescens 4 punctis omni die adpropinquat ad solem : et quantum 15 luna distat a sole recedendo, idest 5 signis, et 18 partibus, hoc spatio luna 16 distat a sole adpropinquando, hoc est 5 signis, 18 partibus. Et quantum luna 13 elongatur a sole rece-

dendo, idest 5 signis, et 6 partibus interpositis; et sicut luna 12 quatuor mensibus et 24 partibus elongatur a sole, hoc numero interposito luna 18 adpropinquat ad solem. Et sic de singulis usque ad lunam 30.

Argumenta de cursu solis per 12 signa.

CXI. Si scire volueris, in quo signo, vel in qua parte signi est luna, et quot partes, vel quot menses sunt inter solem et lunam, in omni die sume lunam præsentem, quamcumque volueris, et multiplica duodecies, quia 12 partibus luna omni die elongatur a sole, et quotus numerus de illa multiplicatione fuerit, tot partes, idest dies, vel signa sunt inter solem, et lunam. Si autem terdecies lunam quamlibet multiplicaveris, quotus numerus fuerit, tot partes vel menses erunt inter illum locum, in quo luna accensa fuerit, et illam partem cœli, ubi luna currit præsens. Illam ergo partem cœli, quam prima luna die nocteque completa percurrit, sic luna 2, ubi currit, ibi 24 dies sol perveniet, et ita investigandum est per cetera.

De septem sideribus errantibus.

CXII. Inter cœlum terramque septem sidera pendent certis discreta spatiis, quæ vocantur sol, et luna, stella Saturni, stella Jovis, stella Martis, stella Veneris, stella Mercurii. Hæc autem 7 sidera errantia dicuntur contrarium ' mundum agentia cursum, idest lævo illo semper in dextera percipiet, quamvis assidua conversatione, in mense celeritatis adtolluntur ab eo, rapianturque in occasum, adverso tamen ire motu per suos quæque passus adverteruntur nunc inferius, nunc superius propter obliquitatem. Signiferi vagantur; radiis autem solis præpedita, anomala, vel retrograda, vel stationaria fiunt. Summum planetarum, idest errantium siderum, Saturni sidus est natura gelidum. Inde Augustinus dixit: *Stella Saturni circulum suum 30 annorum spatio implet, quæ pro aquarum vicinitate frigida esse fertur.* 30 annis Signiferum peragit. Hæc ergo stella in septimo cœlo posita esse dicitur; 7 enim cœli esse dicuntur. Inde enim Isidorus dicit: *Philosophi mundi 7 cœlos globorum consono motu introduxerunt.* In sexto cœlo stella Jovis esse dicitur, quæ alio nomine vocatur stella Phaetonis, natura temperata, annis 12 cursum suum peragit. In 5 circulo stella Martis currere dicitur, quæ Vesper vocatur natura fervida, annis duobus cursum suum peragere videtur, totum vero circulum zodiacum 15 peragit annis. In quarto cœlo sol medius planetarum currit 365 diebus, et quadrante cursum suum peragens, sed tamen post 28 annos peractos in eumdem circulum revertitur. In tertio cœlo stella Veneris infra solem discurrens, quæ Lucifer dicitur, ut' aliodem 348 diebus cursum suum perficiens. Totum autem circulum novem annis implere dicitur. In secundo cœlo Mercurii sidus currere dicitur 340 diebus ociore ambitu modo: ante solis exortum, modo post occasum splendens. In primo circulo luna percurrere dicitur 28 diebus, et 12 horis, ut alii autem dicunt 27 diebus, et tertia parte diei, hoc est 8 horis signiferum pervolat. Post 19 autem annos completos in eumdem circulum revertitur.

De velocitate cursus lunæ.

CXIII. Luna vicinior est terris, quam sol, unde et breviore orbe celerius peragit cursum suum; nam iter, quod in diebus 365 et quadrante sol peragit, luna currit per 30 dies; unde et antiqui menses in luna annos; non in solis, cursu posuerunt. Crescens autem luna orientem cornibus petit; decrescens occidentem; et merito, quia casura, et amissura est lumen.

De ascensu solis, et descensu per totum annum, quomodo crescit in unaquaque die, vel quomodo decrescit.

CXIV. Quot dies sunt in ascensione solis, et descensione, ut sit æqua divisio inter lucem, et tenebras, hoc est inter ascensum solis, et descensum? Si hoc scire volueris, ita investigandum est. A XII Kal. Januar. dies incipit crescere usque in XI Kal. Jul. hoc est per duo 90, et duos dies, idest per 6 menses, qui habent dies 182. Per hos ergo sex menses, et dimidium diem naturalem, hoc est 12 horas crescit lux, et dies, et decrescit nox, et tenebræ in omni die per 2 momenta, et dimidium, et sextam partem momenti, hoc est duas tertias momenti. Et ita per 15 dies, et paulo amplius hora crescit. Per 30 autem dies duæ horæ crescunt, sed tamen non sunt illæ duæ horæ integræ adhuc usque dum pervenias ad octo horas diei de mense sequente. In duobus autem mensibus 4 horæ crescunt in sole in augmento diei, sed tamen illæ 4 horæ non sunt plenæ usque ad 16 horam diei de mense tertio. Et ita in tribus mensibus tricenis, et in uno die addito, hoc est per 91 dies sex horæ crescunt. Tot dies sunt a XII Kal. Januar. usque ad XII Kal. Apr., hoc est 12 horis in die, et 12 in nocte; æqualem namque horarum, et momentorum, quæ 480, et totidem in die quot in nocte. In 6 horis autem crescentibus momenta sunt 211. Item ab XI Kal. Apr. usque ab XII Kal. Jul. 3 menses sunt, qui habent dies 91, et sic crescit sol in unoquoque die per duo momenta, et duas tertias momenti. Per 15 autem dies una hora crescit, sed tamen paulo amplius, quia usque ad 4 horas 15 diei non est illa hora integra. Et sic in uno mense 30 dierum duæ horæ crescunt. In duobus mensibus 4 horæ, et ita in tribus mensibus; hoc est ab Æquinoctio vernali, usque ab Solstitium, id est ab XI Kal. Apr. usque ad XI Kal. Jul. per 91 dies aliæ sex horæ crescunt, sic enim Anatholius Alexandrinus Laodiciæ civitatis episcopus demonstrat licens: *Per 15 dies sole ascendente per duo momenta, et dimidium, et sextam partem momenti, hora diminuitur de tenebris, hoc est de nocte, et crescit in lumine hoc est in die.* Et sic crescunt 12 horæ, hoc est 480 momenta a XII Kal. Jan. usque in XI Kal. Jul. et tunc fiunt 18 horæ in die solstitiali æstivo, hoc est 3 partes diei naturalis, qui habet 24 horas in se, et quarta pars illius diei naturalis fit in nocte sol-

stitiali, hoc est sex horæ simili modo, et simili numero dierum, hoc est nonageni bini, et duodecies per 6 menses, et dimidium diei naturalis; idest 12 horas per duo momenta, et duas tertias momenti in unoquoque die decrescit lux, et crescunt tenebræ: et nox ab XI Kal. Jul. usque in XII Kal. Januar. usque ad Solstitium hyemale simili numero horarum, et momentorum, et dierum sicut lux sic decrescit, et crescunt tenebræ hora per 15 dies duæ horæ, per 30 horæ 4 per duos menses, hoc est per 40 dies sex horæ. Per 3 menses hoc est a Solstitio æstivo ab XI Kal. Jul. usque ad Solstitium hyemale, et ad XII Kal. Janu. secundum Græcos 12 horæ crescunt in tenebris; et duæ diminuuntur per dies 182, hoc est per momenta 480. Et tunc habentur in illa nocte solstitiali hyemali 18 horæ, hoc est tres partes diei naturalis, et quarta pars in die illo solstitiali, nempe 6 horæ. Hucusque de ascensu, et descensu solis sit dictum, sapientiori majora relinquendo.

De eclipsi lunari et solari Plinius et Hieronymus.

CXV. Plinius secundus in opere pulcherrimo naturalis Historiæ ita descripsit: *Certum solis defectum non nisi novissima vel prima luna fieri, quod vocant cœlum. Luna autem non nisi plena patitur eclipsin; omnibus autem annis fieri utriusque sideris defectus sub terra, nec tamen cum superne fiunt ubique cerni, aliquando propter nubila, sæpius globo terræ obstante, et convexitatibus Mundi.* Item Hieronymus: *Deliquium solis, idest defectus veris, æstatisque temporibus accidere solet, nunquam nisi ortu lunæ fieri solet.*

Lacteus circulus est via candida, quæ in spera videtur, a candore dicta, quia alba est, quam aliqui viam esse dicunt, quia circuit sol * splendoris ipsius transitu, ita Lunare.

Sol dum igneus sit, præ nimio motu conversionis suæ amplius incalescit, cujus ignem dicunt philosophi aqua nutriri, et e contrario elemento virtutem luminis, et caloris accipere.

De variis nominibus solis per varias linguas.

CXVI. Quam se in Hebræo luna simplicia. Ælios in Græco, Phanath cum philosophis, Tithan cum Caldæis, sol cum Latinis de soliditate luminis, vel eo quod solus appareat obscuratis sideribus radiis ejus potentibus.

Argumenta de initio Quadragesimæ, et ae clausula Paschæ, et de Rogationibus, et Pentecoste.

CXVII. Si volueris scire quota luna sit initium Quadragesimæ in Rogationibus, scias quota luna fuerit in Pascha in unoquoque anno. De illa epacta præsenti in Pascha rescinde 12, sic erit luna initii Quadragesimæ. Item adde 7 super illam ætatem, quam in Pascha præsenti habueris, sic erit luna in Rogationibus. Item hoc scias, quia qualis luna fuerit in clausula Paschæ in unoquoque anno, talis erit in Rogationibus. Quando enim 15 luna in Pascha fuerit, tunc 22 luna in clausula Paschæ, sic etiam 22 erit in Rogationibus. Sic per 7 ætates luna in clausula Paschæ, et in Rogationibus, id est a 22 usque ad 28.

A Item quando 15 luna in Pascha fuerit, tunc erit 25 in Ascensione Domini, et quando 21 luna in Pascha invenitur, tunc prima luna erit in Ascensione Domini a 25 luna usque ad 31. Et quandocumque 15 luna fuerit in Pascha, tunc erit 5 in Pentecoste, et quando 21 in Pascha, tunc erit 11 luna in Pentecoste. Hæ enim sunt 7 ætates lunæ servandæ in Pentecoste a 5 luna usque ad 11. Et quando 15 luna in Pascha invenitur, tunc 8 luna in Dominica Palmarum est; et quando 21 luna in illa die Palmarum ante Pascha, et hæ sunt 7 ætates lunæ die illius, idest ab 8 luna usque ad 11.

Argumenta de cyclo magno decemnovennali, et lunari et de cyclo magno demonstrandis per annos ab origine mundi.

B CXVIII. Si vis scire quotus sit annus cycli solaris, qui 28 annis peractis in se revertitur 29 anno incipiente; quod si volueris scire, quotus annus cycli 19, immo etiam quotus annus sit cycli magni, qui 533 anno incipiente in semetipsum revertitur, aut quot anni sunt ab origine mundi, et quot cycli solares, et decemnovennales, et quot saltus, et bissextiles dies, et quot cycli magni: computa undecies 533; 500 ergo anni undecies multiplicati fiunt 5000. Item 30 undecies multiplicati fiunt 330, simul autem et prædictus numerus 5830. Item 3 undecies multiplicati 33, qui additi super numerum prædictum fiunt simul 5863. In 11 ergo cyclis magnis tot anni sunt, idest 5863, remanent 126. De numero annorum ab initio mundi. Centesimus igitur vigesimus C sextus annus nunc agitur duodecimi magni cycli. Hos ergo omnes annos divides per cyclos solares, et decemnovennales, ut sciamus, quot cycli solares sint, et quot decemnovennales ab origine mundi, et quotus annus sit in præsenti anno cycli solaris, et cycli decemnovennalis. In uno ergo cyclo magno, quem dicunt in se reverti 533, anno incipiente, solares cycli sunt 19. Decemnovennales vero 28. Si enim 28 decies et novies multiplicaveris, vel 19 per 28, 532 efficiunt. Et si in 11 cyclis magnis 209 solares cycli sunt; nam 10 undecies multiplicati fiunt 110 et 9 undecies, vel undeno ducti 99 sunt, simul autem 209. Item in 11 magnis cyclis decemnovennales sunt 308, 20 enim undecies multiplicati 220 sunt, et 8 undecies, vel 11 octies ducti 88 faciunt; simul vero 308 D in quibus sunt anni 5863. Item in annis 126, qui supersunt, 4 cycli solares continentur, 20 enim quater ducti fiunt 80, et 8 quater multiplicati fiunt 32, sunt simul autem 112. Adde istos 4 cyclos solares super alios supradictos 209, fiunt 213. Tot cycli solares integri ab initio mundi, in quibus anni continentur 5575 remanent 14. Quartus decimus annus est cycli solaris. Item in 126 annis, qui remanent super 11 cyclos magnos per 19 divisi 6 decemnovennales sunt. Si enim de 120 tolle 6, sex decemnovennales fecisti, et illi 6 quos tulisti, et alii 6 qui super 120 fuerant, fiunt simul 62. Duodecimus annus est cycli decemnovennalis. Qui annus communis incipit a 16 Kal. Mai. usque in prid. Non. Apr. dies

habens 354. Illos ergo 6 decemnovennales, quos fecisti de 120 mitte super 308 supradictos, fiunt 314, tot cycli decemnovennales sunt integri ab initio mundi, in quibus sunt anni 5977 ; remanent 12 : duodecimus annus est cycli decemnovennalis, sicut diximus.

De numero cyclorum, et quot dies bissextiles, et quot saltus ab origine mundi.

CXIX. Quot ergo cyclos decemnovennales habet ab origine mundi, 314 tot saltus sunt, idest 314. Bissextiles autem dies sunt 1497, in quibus continentur anni 4, et dies 37.

Incipit cyclus decemnovennalis, quem Græci Enneacaidecaeterida vocant.

CXX. Constitutus a sanctis Patribus, in quo 14 Paschales omni tempore sine ulla reperies falsitate : tantum memineris annis singulis, qui cyclus lunæ, et qui decemnovennalis existet. In præsenti namque tertia Indictio est consulatu Probi junioris tertius decimus circulus decemnovennalis, 10 lunaris est, finit.

Hic autem cyclus Dionysii 5 decemnovennalis constat, hoc est 95 annis, sumitque exordium a 32 anno Incarnationis Domini, et desinit in 526 annos. Hunc ergo cyclum prætermisimus, quia præterlit totus.

Incipit præfatio sancti Felicis abbatis Cyrillitani.

CXXI. Olympiade 194 mediante, idest 42 anno imperii Octaviani Augusti natus est Dominus Noster Jesus Christus in carne. A nativitate ergo Domini usque in olympiadem 45, tam idem usque in primum annum Diocletiani fiunt anni 284. Et a primo anno Diocletiani usque in primum cyclum Dionysii invenies annos 248, fiunt quippe simul anni 532. Ab hoc et Dionysius annos 532 in primo suo cyclo ab Incarnatione Domini. Nam hic cyclus sancti Cyrilli in 247 finivit. Addes 1, quem inchoat Dionysius, et invenies annos 248, sicut supradictum est. Finit.

Incipit Prologus sancti Chyllitani. Iterum sermo Felicis, incipit de Dionysio, et de semetipso in Christi nomine.

CXXII. Dionysius quondam Urbis Romæ sanctissimus, abbas utriusque linguæ Græcæ scilicet et Latinæ, eleganti scientia præditus, Paschalium interea rationum decemnovennales numero 5 sagaci ingenio anteriores composuit cyclos, exordium scilicet sumens ab Incarnatione D. N. J. C. 532 ann. Indictione 10 usque ad 626 Incarnationis annum Indict. 14 memoratorum cyclorum serie continuata produxit. Et quoniam memorati viri quintus nunc peragitur cyclus, ad cujus supplementum 10 adhuc supersunt anni, ad * nostram providet parvitas alios subsequentes cyclos decemnovennales numero 5 ad instar superiorum cyclorum rationali dispositione componere, initium facientes a 627 Incarnationis anno Indict. 15 usque ad 721 Incarnat. annum Indict. 4 certum præfixum est posuimus terminum. Quapropter monuimus lectorem, ut dum præfati, et venerabilis Dionysii quintus expletus fuerit, ad nostros subsequentes cyclos, ut diximus 5 transitum faciat, et absque ulla erroris caligine dies festos Paschales, vel lunas per ordinem fida ratione reperiet.

Expliciunt Chyllitani 5 cycli decemnovellanes prætermissi, eo quod omnes præterierint.

Anno XIX. IV. Luna 1 a Kal. Jan. usque ad 13 Kal. Jan. quia communis est, dies 354.

Anno XIX. V. Luna 2 a 12 Kal. Jan. usque in 5 Id. Decemb. quia communis est annus, dies 354.

Anno XIX. VI. Luna 3 a 4 Id. Decemb. usque in 5 Kal. Jan. quia embolimæus est, dies 384.

Anno XIX. VII. Luna 4 a 4 Kal. Jan. usque in 17 Kal. Jan., quia communis est, dies 354.

Anno XIX. VIII. Luna 5 a 15 Kal. Jan. usque in 8 Id. Decemb. quia communis annus est, dies 354.

Anno XIX. IX. Luna 6 a 7 Id. Decemb. usque in 8 Kal. Januar. quia embolismalis est, dies 384.

Anno XIX. X. Luna 7 a 7 Kal. Januar. usque in 8 Kal. Janu. quia communis est, dies 354.

Anno XIX. XI. Luna 8 a 18 Kal. Januar. usque in 4 Non. Januar., quia embolimæus est, dies 384. Ogdoas.

Anno XIX. XII. Luna 9 a 3 Non. Janu. usque in 11 Kal. Januar., quia communis annus est, dies 354.

Anno XIX. XIII. Luna 10 ab 11 Kal. Januar. usque in 3 Id. Decemb., quia communis est, dies 354.

Anno XIX. XIV. Luna 11 a prid. Id. Decemb. usque in 3 Kal. Jan., quia embolimæus est, dies 384.

Anno XIX. XV. Luna 12 a prid. Kal. Jan. usque in 14 Kal. Jan., quia communis annus est, dies 354.

Anno XIX. XVI. Luna 13 a 13 Kal. Januar. usque in 6 Id. Decemb. quia communis est, dies 354.

Anno XIX. XVII. Luna 14 a 5 Id. Decemb. usque in 6 Kal. Januar. quia embolimæus est, dies 384.

Anno XIX. XVIII. Luna 15 a 5 Kal. Januar. usque in 17 Kal. Januar. quia communis est, dies 354.

Anno XIX. XIX. Luna 16 a 16 Kal. Januar. usque in Non. Decemb., quia communis annus est, dies 354.

Anno XIX. I. Luna 17 a Nonis Decemb. usque in 10 Kal. Janu., quia embolimæus est, dies 384.

Anno XIX. II. Luna 18 a 9 Kal. Januar. usque in prid. Id. Decemb. quia communis annus est, dies 354.

Anno XIX. III. Luna 19 ab Id. Decemb. usque in prid. Kal. Jan., quia embolimæus est, dies 384.

Idcirco autem 17 luna anno compotus ab ipso, quo prior explicitur est annus die incipit, et non a sequente, ut cæterorum, ne propter saltum lunæ, quem dicunt, unum eidem anno dies 10 videatur, quia ipsum Dionysius decemnovennalem cyclum hujusmodi vocavit percurrens edocuit ab eodem die, quo ultimi conclusit anni ætas primi inchoando principium.

Mensis lunaris habet dies 19, et dimidium, hoc est 12 horas, sed illam medietatem de altero mense

auctores conjungunt, et faciunt unum diem, et posterea dicitur unus mensis in Luna 29 Luna habere. et alteram 30.

De concordia mensium.

CXXIII. Januarius autem cum Decembrio in horarum mensura concordat. Februarius cum Novembrio spatium æquale consummat. Martius consentit cum Octobrio. Aprilis æquat Septembrem. Maius respondet Augusto. Junius compar est Julio.

De cyclo Libri Romanorum incipit, qui inventus est apud Romanos 30 anno ante Nativitatem Christi.

CXXIV. Quinto cycli decemnovennalis regione lunaris cyclus includitur a quarto hujus anno incipiens, et in tertio ejusdem anno completur. Hic autem cyclus proprie Romanorum est, et ad mensem Januarium pertinens, nam sicut annum decemnovennalis cycli propter legalem Hebræorum observationem a Paschali mense inchoat, ibidemque finitur, ita et hic Romanorum institutione a luna Januarii mensis inchoat, atque ibi desinit. Sicut ille, sic et iste primum et secundum annum habet communes, tertium habet embolimæum, quartum et quintum communes, sextum embolimæum, septimum communem, octavum embolimæum. Huc usque Ogdoas. Endecas quoque cycli lunaris instar decemnovennalis cycli 7 annos communes habet, et 4 embolismales, et habet communis annus menses lunares 12, id est dies 354. Embolimæus autem annus habet 13 menses, videlicet dies 384 præter unum dumtaxat 17 annum cycli hujus, qui est decemnovennalis primus, in quo unus de ratione saltus lunæ intercipitur. Quæ ut manifestius clara fiant, singulorum annorum ordinem, et cursum videamus, et quæ Dionysius in mense Paschali, nos in Januario facere curamus.

Annus solaris incipit a Kal. Janu., et habet dies 365. Annus communis habet dies 354. Annus autem embolimæus habet dies 384, et menses 13.

Anno decemnovennali I. Luna 17 a 15 Kal. Maias usque ad Non. Apr. quia communis est, dies 354.

Anno XIX. II. Luna 18 a prid. Non. Apr. usque in 8 Kal. Apr. quia communis annus est, dies 354.

Anno XIX. III. Luna 19 ab 7 Kal. Apr. usque in Id. Apr. quia embolimæus est, dies 384.

Anno XIX. IV. Luna 1 a prid. Id. Apr. usque in 4 Non. Apr. quia communis annus est, dies 354.

Anno XIX. V. Luna 2 a Kal. Apr. usque in 11 Kal. Apr. quia communis annus est, dies 354.

Anno XIX. VI. Luna 3 a 10 Kal. Apr. usque in 4 Id. Ap. quia embolimæus annus est, dies 384.

Anno XIX. VII. Luna 4 a 5 Id. Apr. usque in 3 Kal. Apr. quia communis est, dies 354.

Anno XIX. VIII. Luna 5 a prid. Kal. Apr. usque in 14 Kal. Maii, quia embolimæus est, dies 384. Ogdoas.

Anno decemnovennali IX. Luna 6 a 15 Kal. Maii usque in 7 Id. Apr. quia communis annus est, dies 354.

A Anno XIX. X. Luna 7 a 8 Id. Apr. usque in 6 Kal. Apr. quia communis est, dies 354.

Anno XIX. XI. Luna 8 a 5 Kal. Apr. usque in 19 Kal. Maias, quia embolimæus est, dies 384.

Anno XIX. XII. Luna 9 a 6 Kal. Maias, usque in 2 Non. Apr., quia communis annus est, dies 354.

Anno XIX. XIII. Luna 10 a Non. Apr. usque in 9 Kal. Apr. quia communis annus est, dies 354.

Anno XIX. XIV. Luna 11 ab 8 Kal. Apr. usque in prid. Id. Apr., quia embolimæus est, dies 384.

Anno XIX. XV. Luna 12 a 3 Id. Apr. usque in Kal. Apr. quia communis est, dies 354.

Anno XIX. XVI. Luna 13 a 4 Non. Apr. usque in 12 Kal. Apr., quia communis annus est, dies 354.

Anno XIX. XVII. Luna 14 ab 11 Kal. Apr. usque
B in 5 Id. Apr., quia embolimæus est, dies 384.

Anno XIX. XVIII. Luna 15 a 14 Id. Apr. usque in 4 Kal. Apr. quia communis est, dies 354.

Anno XIX. XIX. Luna 16 a 3 Kal. Apr. usque in 15 Kal. Maias, quia embolimæus est, dies 384. Endecas.

Quot sunt menses qui habent 31 dies? 7, hoc est, Januar. Mart. Mai. Jul. Aug. Octob. Decemb. Item 4 menses, qui habent dies 30, hoc est Apr. Jun. Septemb. et Novemb. Februarius autem 28. Cœqua omnes menses, ut unusquisque 30 dies habeat, supersunt 5 dies intercalares. Cum ipsis augmenta, ubi opus fuerit. Hoc autem scito, quia si unus dies plus aut minus fuerit, evidens error est.

De ætate lunæ si quis computare non potest.

CXXV. Quod si adeo quiquam deses, vel hebes sit,
C ut absque omni labore computandi lunæ cursum scire voluerit, innitetur Alphabetis, quæ in hujus annali videlicet libello juxta cursum distinata lunarem, ubi duos lunæ circuitus, idest quinquagenos, et novenos dies terna tenet Alphabeta. Et quamcumque literam luna in hac ætate semel habet, eamdem per totum annum simili modo notatam in eadem semper ætate habere non desinit, nisi forte (quod tamen raro accidit), embolismorum hæc ratio immutet; v. g. anno tertio cycli decemnovennalis luna quæ 30 dies habitura est, semper ab A nodo incipit, secunda est in B, tertia in C similiter nodis, idest nullo puncto * adnotaris. Et sic ex ordine suæ literæ quamque reserva ætatem lunæ. Item luna, quæ eosdem 30 dies habitura est ab I
D subnotato incipiens, secunda semper in M, tertia est in N simili figura, et sic ex ordine recurrens lunam sui cuicumque literæ restituit ætatem. Descendendi enim gratia primum de ternis Alphabetum nodis utrinque literis secundum subnoteris, tertiam semper notaris determinandum providit antiquitas.

Item de lunæ cursu si quis ignorat.

CXXVI. Si quis vero etiam calculandi minus idoneus lunaris circuitus existit curiosus, et huic ad commoditatem ingenioli sui commodamus argumentum, ut omnes inveniat. Siquidem totam annalis circuitus seriem, que 12 mensibus continetur, Alphabetis distinximus, ita dumtaxat, ut primi et

secundi ordo vicenos septenos dies, tertius autem uno amplius complectatur, illo videlicet, qui de tertio repetitis octo horis superfluis adcrescit, et ut dies, quo signare volebamus, literæ sufficerent, non singulis has diebus adposuimus, atque ideo non ultra O Alphabetum tangere opus erat. Præposuimus eidem operi paginam regulam, quæ decem et novem Alphabeta hujusmodi a diversis literis inchoantia totidem annorum circuli decemnovennalis caperet simul et mensium singulorum, signorumque vocabula duodecim, quæ hoc ordine disposita est. Juxta numerum dierum, quibus luna zodiacum persolvat 27 lineas habet in longitudine nominibus singulorum ante, nominibus vero mensium retro adnotatis, ut qui signorum imperitus est, ex mensium tamen notitia possit invenire quod quærit. Decem vero et novem habet in latitudine lineas, quæ ordine decemnovennalis circuli superscripto adnotato annorum ex numero præmonstret. Cum igitur anno quolibet diem quemlibet in quo signo, vel cujus mensis in partibus lunam habet, scire volueris aperto, literam q. * idem sit proposita die, recurres ad regularem paginam, in qua literarum est distincta congeries, eodemque statim anno ex titulo frontis invento illam, quam quærebas, literam ejusdem diei invenies, atque ante, ac retro incipiens quod signum, quemve mensem e regione habet adnotabis. Ponamus aliquod, quo ad cætera Lector convalescat exemplum. Quæris, ubi sit luna v. g. in Kal. Apr. anno sexto circuli decemnovennalis. Aperi Codicem, quære diem Kalendarum memoratarum, invenies E literam præscriptam. Recurre ad paginam regularem, videbis annum sextum, perspecto ejus Alphabeto E literam reperies. Circumfer oculos ad latera, hinc Geminorum extrema, illinc Junii mensis initia deprehendes esse notata, et sive eruditus, sive simplex es lector, palam te quod cupiebas, investigasse lætaberis in supernotato illo anno quibuscumque diebus E literam videris, adscriptam sive crescentem, sive decrescentem in hisdem cœli partibus lunam noveris esse conversatam.

Incipit Epistola de ratione lunæ primo anno embolimæo ogdoad.

CXXVII. In primo igitur anno embolimæo, hoc est in ogdoade * tertia sunt epactæ 22 et ideo est luna in Kal. Septemb. et Octobr. 27. In Kal. Novemb. et Decemb. 29. Ipsa autem luna, quæ est 29 in Kal. Decemb. * extingit illic, sua luna est. Illa

II

vero luna, quæ in quarto Non. Decemb. incipit, et terminatur 30, 2 Kal. Jan. embolismi est. Quæ autem in Kal. Jan. et prima luna, ipsius est, quam et ipsam tricesimam terminare debeas. Ecce invenisti lunam in primo anno embolimæo in Kal. Jan. primam.

Item de secundo anno embolimæo ogdoad.

CXXVIII. Item de secundo anno embolimæo idest ogdoadis 6. Sunt autem in ipso anno epactæ 25 luna vero in Kal. Septemb. 30 extingit illic, quia luna ipsius est. Illa enim luna, quæ initiatur prima 4 Non. Septemb., et finitur 30 Kal. Octob. embolismalis est. Et illa, quæ incipit prima 6. Non. Octob. et 3 Kal. Novemb. finitur 29, luna Octobris est. In Kal. vero Novemb. et Decemb. fit luna 2 in Kal. Januar. 4, sicut ordo est.

Item de tertio anno embolimæo ogdoadis.

CXXIX. Item de tertio anno embolimæo, sunt autem in ultimo embolimæo ogdoadis epactæ 17; luna vero in Kal. Septemb. et Octob. 22, in Kal. Novemb. et Decemb. 24, in Kal. Mart. 26, in Kal. Apr. et Maii 27, in Kal. Jun. et Jul 29, in Kal. Aug. 1, in Kal. Septemb. 3. Quare facis unam ætatem lunæ in Kal. Apr. et in Kal Mai., quia nusquam sic in calculo requiritur; ideo quippe quia luna, quæ 27 est in Kal. Apr., in 4. Non. Apr. 28, 3 Non. Apr. 29, prid. Non. Apr. 30 embolismalis est extingit illic. Et illa quæ initiatur Non. Apr. ipsa est Paschalis, et evenit 14, 14 Kal. Maii, et terminatur 29, 5 Non. Maii luna Aprilis est. Illa vero quæ est prima 4 Non. Maii, et finitur 30, 4 Non. Jun., luna Maii est; luna enim, quæ initiatur prima 3 Non. Jun. finiturque 29 Kal. Jul. luna Junii est. Luna namque quæ incipit 6 Non. Jul., terminaturque 30 prid. Kal. Aug., luna Julii est. Postea autem fit luna in Kal. Aug. prima in Kal. Septemb. 3, sicut ordo habet. Nam si non fecisses unam ætatem lunæ in Kal. Apr., et in Kal. Maii, et si non fuisset luna embolismalis, quæ finitur 30 in Apr., sed 29, evenisset tibi in ipso anno in termino Paschali, quod est 14 Kal. Maii, non 14 sed 15, et fuisset error in Pascha, seu in ætatibus lunæ.

Item de primo anno embolimæo in endecade.

CXXX. In primo igitur anno embolimæo endecadis sunt epactæ 20 et idcirco est luna in Kal. Septemb. et Octob. 25 in Kal. Novemb. et Decemb. 27, in Kal. Jan. 29, in Kal. Febr. prima, in Kal. Mart. 29, 6 Non. Mart. 30 luna Martii est. Illa autem luna, quæ 5. Non. Mart. incipit, et extingit 30; in Kal. Apr. embolismalis est. Illa vero quæ 4. Non. Apr. initiatur prima, ipsius luna est, extingit 29 prid. Kal. Maii: Et luna quæ in Kal. Maii evenit prima, ipsius lunæ est. Cæteræ vero ordinem suum sequuntur.

Item de secundo anno embolimæo endecadis.

CXXXI. In ipso autem anno sunt epactæ 23; luna in Kal. Septemb. et Octob. 28, in Kal. Novemb. et Decemb. 30. Illa autem luna, quæ in Kal. Novemb. 30 terminatur, luna ipsius est Novemb. Et illa quæ in Kal. Decemb. 30 finitur embolimæa. Quæ vero prima 4 Non. Decemb. inchoat, finitque 29, 3 Kal. Jan., ipsa est Decemb., in Kal. Jan. 2, et in Kal. Febr. 3. Cæteræ autem ordinem suum sequuntur.

Item de tertio anno embolimæo endecadis.

CXXXII. Sunt autem in ipso anno epactæ 26. Nullatenus tamen lunam embolismalem per ipsas epactas reperies, nisi ad epactas anni communis superioris reverteris. Nam anno communi præterito fuerunt epactæ 15. Ideo autem luna in Kal. Aug. 29, ibique terminatur quia luna ipsius est. Illa vero,

quæ 4 Non. Aug. inchoat, finiturque 30 prid. Kal. Septemb. embolimæa est. In Kal. igitur Septemb., et Octob. per epact. 26 fit luna prima. Cæteræ vero deinceps ordinem suum sequuntur.

Item de IV anno embolimæo endecadis.

CXXXIII. Sunt namque epactæ in ultimo embolimæo endecadis 18. In Kal. autem Septemb. et Octob. luna 23. In Kal. Novemb. et Decemb. 25. In Kal. Jan. 27. In Kal. Febr. 28, in Kal. Mart. 27, in Kal. Apr. et Maii 28, in Kal. Jun. 30, in Kal. Jul. prima. In Kal. Aug. 2, in Kal. Septemb. 5. Ideo namque facimus unam ætatem lunæ in Kal. Apr. et in Kal. Maii, quia luna, quæ in Kal. Apr. est 28, 4. Non. Apr. 29, 3. Non. Apr. 30, embolismalis est. A Illa enim luna, quæ prid. Non. Apr. initiatur prima, et extenditur usque in 6 Non. Maii, 29 luna Aprilis est. Ipsa enim Paschalis, et evenit 14, 15 Kal. Maii : Et nisi ita fecisses, evenisset tibi in termino Paschali luna 15, et fuisset error in Pascha, sive in ætatibus lunæ. Luna vero, quæ initiatur prima 5 Non. Maii, et finitur 30 in Kal. Jun., luna Maii est. Illa vero quæ in Kal. Jul. est prima extingit 3 Kal. August., 30 luna Julii est. Illa autem luna, quæ in Kal. Augusti est 2 jam ordinem suum tenet; terminatur enim 29, 5 Kal. Septemb. Ideo namque evenit luna prima 4 Kal. Septemb., et 3 Kal. Septemb. 2 prid. Kal. Septemb. 3 in Kal. vero Septemb. non 4 secundum compotum, sed 5 propter saltum.

CXXXIV.

De cursu lunæ per 12 signa in anno.

Aries.	AKE.	NHC.	MGB	KEO.	DMG.	BLF	Martius.
Taurus.	B.	OID.		LFA.	NH.	C.	Aprilis.
Gemini.	CLF.	AKE.	NHC.	MGB.	EOI.	DMG	Maius.
Cancer.	DMG.	BLF.	A◦ID.	NHC.	FAR.	ENH.	Junius.
Leo.	ENH.	CMG.	BKE.	OID.	GBL.	FA◦I.	Julius.
Virgo.	FA◦I.	DNH.	CLF.	AKE.	HCM.	CBK.	Augustus.
Libra.	GBK.	EOI.	DMG.	BLF.	IDN.	HCL.	September.
Scorpius.	HCL.	FAK.	EMH.	CMG.	KEO.	IDM.	October.
Sagittarius.	IDM.	GBL.	F"AI.	DNH.	LFA.	KEN.	November.
Capricornus.	KEN.	HCM.	GBK.	EOI.	MGB.	LFA◦	December.
Aquarius.	LFA◦	IDN. KE.	HCL. M.	FAR. GBL.	NHC. OID.	MGB.	Januarius.
Piscis.	NGB. NBC.	LFA◦.	ID N. KE	HEM.	A B KE	NHC. OID.	Februarius
Aries.	OID.	MGB.	LFA◦.	IDN.	CLF.	AKE.	Martius.

A a KAL. JANU. Circumcisio Domini.
b iv. Non.
B c iii.
d ii.
C e Non.
f viii. Id. Epiphania.
D g vii.
h vi.
E i v.
k iv.
F l iii.
m ii.
G n Id. Octava Epiphaniæ.
o xix. Kal. Febr.
H p xviii.
q xvii.
I r xvi. Depos. S. Antonii monachi.
Sol in Aquario.
s xv.
K t xiv.
u xiii. S. Sebastiani martyris.
L a xii S. Agnetis.
b xi. Natale S. Anastasii ad aquas Salvias.
M c x.
d ix.
N e viii.
f vii.
O g vi.
h v. S. Perpetuæ, et Agnetis.
A i iv.
B k iii.
l ii.
C m KAL. FEBR.
n iv. Non. dies S. Mariæ.
D o iii
p ii.
E q Non. S. Agathæ.
r viii. Id.
F s vii. Id. veris initium habet dies XCI.
t vi.
G u v.
a iv.
H b iii.
c ii.
I d Idus.
e xvi. Kal. Mart.
K f xv. Diabolus retrorsum recessit a Domino.
xiv. S. Julianæ in campo Faustinæ.
Sol in Piscibus.
L h xiii.
i xii.
M k xi.
l x.
N m ix.
n viii.
O o vii.
p vi.
A q v. Septb. Ægyp. mense Famenoth.
r iv.
B f iii.
C t ii.
D a KAL. MART.
b vi. Non.
E c v.
d iv.
F e iii.
f ii.
G g Non.
h viii. Id. Prima incensio Lunæ Paschalis.
H i vii.
k vi.
I l v.

m iv. Depos. S. Gregorii papæ.
K n iii.
o ii.
L p Idus.
q xvii. Kal. Apr.
M r xvi.
s xv. Sol in Arietem.
N t xiv.
u xiii.
O a xii. Natale S. Benedicti Abbatis. XIV. Luna et æquinoctium.
b xi. Primum Pascha, et sedes Ep. prim. scl. el.
A c x.
d ix. Sedes concurrentium.
B e viii. Dominus crucifixus est, et conceptus.
f vii.
B g vi. Ogd. Endec. mens. Farmuthi.
h v.
D l iv.
k iii.
E l ii.

m KAL. APRIL.
F n iv. Non.
o iii.
G p ii.
q Non. Ultima incensio Lunæ Paschalis.
H r viii. Id.
s vii.
I t vi.
u v.
K a iv.
b iii.
L c ii.
d Id.
M e xviii. Kal. Maii.
f xvii.
N g xvi.
h xv. Sol in Taurum.
O i xiv.
k xiii.
A l xii.
m xi.
B n x.
o ix.
C p viii. S. Gregori martyris.
D q vii. S. Marci evang. et Letaniæ majores.
r vi. Nonus Ægypt. Amphaom pasch.
E s v.
t iv.
F u iii.
a ii.

G b KAL. MAII. Natale apostolorum Philippi, et Jacobi fratris Johannis.
c vi. Non.
H d v. Inventio S. Crucis.
e iv.
I f iii.
g ii.
K h Non.
i viii. Id. Ortus virgiliarum.
L k vii. Æstatis initium : † : habet dies XC.
l vi
M m v.
n iv. Natale S. Pancratii martyris.
N o iii.
p ii.
O q Id. Pentecostes primus.
r xvii. Kal. Jun.
A s xvi
t xv. Sol in Geminos.
B u xiv.
a xiii
C b xii.
c xi
D d x.
e ix.
E f viii.
g vii. Dec. Ægypt. mens. Paoni.
T h vi.
i v.
G k iv.
l iii.
H m ii. S. Petronillæ.
n
I o KAL. JUN.
p iv. Non.
K q iii. Depos. S. Benedicti, et S. Johannis, et S. Faustini.
r ii.
L s Non.
t viii. Id.
M u vii.
a vi. Dedicatio S. Stephani.
N b v.
c iv.
O d iii. Bernabe Ap.
e ii.
A f Id.
g xviii. Kal. Jul.
B h xvii.
i xvi.
C k xv. Nicandri, et Marciani. Sol in Cancrum.
l xiv.
D m xiii. Gervasii, et Protasii.
E n xii.
o xi.
F p x. S. Jacobi Alphæi Apost.
q ix.
G r viii. S. Johan. Baptistæ. Solstitium.
s vii. Dec. Ægypt. Mens. Ephipi.
H t vi. Johannis, et Pauli.
u v. Dedicatio S. Petri.
I a iv.
b iii.
K c ii. S. Pauli proprie Petoni Abbatis.
d
L e KAL. JUL.
f vi. Non.
M g v.
h iv.
N i iii. Dedicatio S. Martini.
k ii.
O l Non.
m viii. Id.
A n vii.
o vi.
B p v.
q iv. Naboris, et Felicis.
C r iii.
s ii. Dies Caniculares.
D t Id.
u xvii. Kal. Aug.
E a xvi.
b xv. Depos. Hermeresii Abb. Sol in Leone.
F c xiv.
d xiii. S. Severi.
G e xii. S. M. Magdalenæ.
f xi.
H g x. S. Apollinaris Martyris.
h ix.
J i viii. Jacobi Zebedæi Apost. fratr. Johannis.
k vii.
K l vi.
m v. Nazarii, et Celsi.
L n iv.
o iii.
M p ii.

q KAL. AUG.
N r iv. Non.
s iii.
O t ii.
u Non.
A a viii. Id. Romæ Sixti, Felicissimi, et Agapiti.
b vii. Autumni :†: initium.
B c vi
d v.
C e iv. Natale S. Laurentii.
f iii.
D g ii.
h Id.
E i xix. Kal. Sept.
k xviii. Adsumptio S. Mariæ.
F l xvii.
m xvi.
G n xv. Sol in Virgine.
o xiv.
H p xiii.
q xii.
I r xi.
f x. Autumnus oritur.
t ix. Residui v dies Ægyp. Epagomenæ.
a viii. Natale S. Bartholomæi Apostoli.
b vii.
M c vi.
d v. Natale S. Augustini.
N e iv. Decollatio S. Johannis Baptistæ. Primus Ægyptiis mens. Thoth.
f iii.
O g ii.
h KAL. SEPTEMB.
A i iv. Non.
k iii.
B l ii.
m Non.
C n viii. Id.
o vii.
D p vi. Nativitas S. Mariæ.
q v.
E r iv.
s iii.
F t ii.
u Idus.
G a xviii. Kal. Octob. Cornelii, Cypriam, et Exaltatio S. Crucis.
b xvii.
H c xvi. S. Euphemiæ, et S. Luciæ.
d xv. Sol intrat in Libram.
I e xiv.
f xiii.
K g xii.
h xi. Matthæi Apost. et Evangelistæ.
L i x. Passio S. Mauricii Martyris.
k ix.
M l viii.
m vii.
N n vi.
o v. Cosmæ, et Damiani.
O p iv.
q iii. Dedicatio Basilicæ S. Angli Ægypt. mens Saofi.
A r ii. Depos. Hieronymi presbyteri.
s
B t KAL. OCTOB.
u vi. Non.
C a v.
b iv.
D c iii.
d ii.
E e Non.
f viii. Idus.
F g vii.
G h vi.
i v.
H k iv.
l iii.
I m ii.
n Idus.
K o xvii. Kal. Novemb.
p xvi.
L q xv. Lucæ Evang. Sol in Scorpionem.
r xiv.
M s xiii.
t xii.
N a xi.
b x.
O c ix.
d viii.
A e vii.
f vi.
B g v. Apostoli Simonis, et mutet h. ter. Ægypt. mens. Athyr.
h iv.
C i iii.
k ii.
D l KAL. NOVEMB.
m iv. Non.
E n iii.
o ii.
F p Nonæ.
q viii. Id.
G r vii. Hyemis initium : † : habet dies XCII.
s vi.
H t v.
u iv. S. Marci Evisccpi.
I a iii.
b ii.
K c Idus.
d xviii. Kal. Decemb.
L e xvii.
f xvi.
M g xv. Sol in Sagittario. Teclæ Virginis.
h xiv.
N i xiii.
k xii.
O l xi.
m x. Natale S. Ceciliæ.
A n ix. Natale S. Clementis.
o viii. Chrysogoni.
B p vii.
q vi.
C r v. Quart. Ægypt. mens. Choeac.
s iv.
D t iii.
u ii. Natale S. Andreæ.
E a KAL. DECEMB.
b iv. Non.
F c iii.
d ii.
G e Nonæ.
H f viii. Id.
g vii. S. Ambrosii.
I h vi.
i v.
K k iv
l iii
L m ii.
n Id. S. Luciæ de Syracusis.
M o xix. Kal. Januar.
p xviii.
N q xvii.
r xvi.
O s xv. Sol in Capricorno.
t xiv.
A u xiii.
a xii. In India translatio Thomæ apostoli.
B b xi.
c x.
C d ix.
e viii. Nativ. D. N. J. C.
D f vii. S. Stephani.

g vi. S. Johannis.
E h v. Infantium et lactentium.
i iv.
F k iii.
l ii. S. Columbæ virg. et Sylvestri.

De cursu solis per duodecim signa.

CXXXV. Quasi quodam modo 4 dierum munera primordialis 4 dierum creationis designarent. Et quia prima die lux condita est, prima die lucis materia ostendit mihi. Secunda die Creator firmamenti pulchritudinem extendit inter aquas, et aquas. Secunda die in muneribus vestimenta Sacerdotalia divisionum inter corpora Sacerdotum, et populi demonstrare cognovi. Tertia die, terra cum ornamentis suis apparuit. Tertia die auri electissima species, quæ gremio eruitur terræ, directa est mihi. Quarta die sol honor seculi cum sideribus cœlo inditus est. Quarta die clara quædam, et rotunda in similitudine solis species honor mensæ allata est mihi, habens 27 semicirculos, qui si bis ducantur, erunt 54 propter horas lunaris cursus, quibus per singula signa currere solet, habens circulum rotundum in medio propter solis perpetuam rotunditatem, quomodo 10 horæ, et semis singulis mensibus adcrescere solent.

Sol igitur primo anno post bissextum initio primæ horæ noctis intrat in Arietem, et post dies 30 et decem semis horis exit de Ariete, hoc est hora 11 noctis trigesimæ primæ, et secundo puncto, et tertio puncto 11 hora ejusdem noctis intrat in Taurum, et ibi moratur 30 dies, et decem semis horas; et exit de Tauro 9 hora diei plena, et ibi habes unam horam ex 4 punctis in duobus signis, et fiunt duorum signorum 60 dies, et 21 hora. Et decima hora diei intrat in Geminos, et exiet de Geminis 7 hora plena noctis, et duobus punctis 8 hora noctis, et tertio puncto intrat in Cancrum, et exiet de Cancro sexta hora diei plena, et ibi habes secundam horam, et 5 punct. duorum signorum, et fiunt in Geminis, et in Cancro dies 60, et horæ 21, et habes in his 4 signis horas 42 et dies 120. Et intrat in Leonem septima hora diei, et exiet de Leone quarta hora noctis, et duobus punctis decima horæ et 3 puncto. Quinta hora noctis intrat in Virginem, et exiet de Virgine tertia hora diei plena, et habens unam horam ex 4 punctis Leonis, et Virginis, et habent 60 dies hæc duo signa, et horas 21, et fiunt horum sex signorum dies 182 et horæ 63 et fiunt, ut dixi, dies 182 et tertius dies dimidius ex duodecim horis, et tres horæ supra quadrantiles. Et intrat sol in Libram hora diei quarta, et exiet de Libra prima hora diei, et secundo puncto secundæ horæ noctis exiet de Scorpione 12 hora noctis plena, et habes unam horam ex 4 punctis, et fiunt horum duorum signorum dies 60 et horæ 21. Et intrat sol in Sagittarium prima hora diei, et exiet de Sagittario decima hora diei plena, et duobus punctis. Decima hora intrat in Capricornum tertio puncto 11 horæ diei, et exiet de Capricorno hora 9 noctis plena. Et habent hæc duo signa dies 60, et horas 21. Has adde ad supra scripta signa, et habes dies 300, et horas 105. Et intrat Sol in Aquarium decima hora noctis, et exiet de Aquario hora septima diei, et secundo puncto hora octava, et intrat tertio puncto octava hora diei in Pisces, et exiet de Piscibus sexta hora noctis plena; et hæ sunt sex horæ, quæ de punctis singulorum signorum adcrescunt, et habent hæc duo signa 60 dies, et 21 horas. Has adde ad suprascriptos dies vel horas, fiunt dies 12 signorum 360 et horæ 126. Partire 120 horas per 24 et fiunt quinquies 24 quot sunt 5 dies, et erunt totius anni tricenteni, sexageni, et quinque dies, et sex horæ, quia ante habuisti centum viginti sex horas. Has sex horas per quadriennium ductas faciunt 24 horas, quod est unus dies, quem Latini bis sextum vocant; et si non adderetur in Februario quarto anno hæc dies, intraret * itaque sol quartas decimas Kal. Apr. prima hora noctis in Arietem, et post 120 annos traditas solis, dum Arietem intrare debuisset, intrasset itaque in Taurum, nisi dies 30 in centum 20 annis bissextiles augerent cursus illius. Hæ et hujusmodi rationes tam suaves sunt in consideratione scientibus, ut cæteræ artes philosophiæ solent esse dicenti, et intelligenti eas. Nam philosophi non fuerunt conditores harum artium, sed inventores. Nam Creator omnium rerum condidit eas in naturis, sicut voluit. Illi vero, qui sapientiores fuerunt in mundo inventores erant harum artium in naturis rerum, sicut de sole, et luna, et stellis facile potest intelligi. Quid enim aliud in sole, et luna, et sideribus consideramus, et miramur, nisi sapientiam Creatoris? Et cursus illorum naturalis fertur. Itaque Abraham patriarcha ex astrologiæ ratione Creatorem Deum intellexisse, et venerasse, et inde amicus Dei appellatus est, et temptatus in fide jam fortis inventus est. Nam dicunt Hebræi, exisse eum de Hur Chaldæorum, idest de igne Chaldæorum, qui Chaldæi ignem pro Deo coluerunt. Solebat magister meus mihi sæpe dicere: Sapientissimi hominum fuerunt, qui artes in naturis rerum invenerunt. Obproprium grande, ut dimittamus eas perire diebus nostris, sed nunc pusillanimitas multorum non curat rationes rerum, quas Creator condidit in naturis. Scis optime, quam dulcis est in rationibus arithmeticæ versari, quam necessaria ad cognoscendas Scripturas divinas, quam jucunda est cognitio cœlestium astrorum, et cursus illorum; et tamen rarus est, qui talia scire curet, et quod pejus est, reprehendunt hoc scire studentes, et ut cum * ille naturæ rerum ignoratio inculpabilis potuisset illis * esset, si divinis se ipsos tradere voluissent Scripturis, et laborare in illis, in quibus vitæ æternæ cognitio consideratur, et ut potuissent fidem catholicam veraciter defendere, et fiducialiter stare contra adversarios Christi, per quos multis modis diaboli astutia fidem catholicam impugnare studet, et sunt modo tempora, de quibus B. Paulus prædixit: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidem a fide adtendentibus Spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquen-*

tium mendacium habentes cauteriatam suam conscientiam.

Item alia

Si vis scire, quomodo adcrescunt singulis annis mensibus solaris cursus decem semis horas, multiplica decem per 10 fiunt 100 quia una hora decem minuta habet; decies vero decem minuta faciunt 100 minuta. Da unicuique diei ex triginta diebus tria minuta, faciunt 90 minuta, et remanent 10 minuta. His adde quinque minuta, quæ fiunt ex dimidia hora, et fiunt 15 minuta. Hæc partire per 30, faciunt tricies dimidium minutum 15 minuta. Et adcrescunt quotidie in 30 diebus tria minuta, et dimidia pars unius minuti.

Item alia.

Et si scire vis, quantum quotidie crescat ad bissextum, partire 5 minuta in 30 fiunt sexies quinquies; sexta pars unius minuti adcrescit quotidie, ut dimidia hora fiat per mensem unum; hanc dimidiam horam duc duodecies, et fiunt sex horæ. Has multiplica in 4; quater sex faciunt 24, quot sunt horæ unius diei per quadriennium adcrescit, ut bissextus fieri possit, et fiunt quarto anno 366 dies, qui senarius numerus multum valet in circulo anni, nam 360 faciunt sexies sexaginta, qui sexagenarius si per denarium * esse perfectum, sicut senarius per unitatem; nam unum duo, et tres faciunt sex, et est perfectus numerus in partibus suis. Ita sexagenarius quamdam perfectionem habet, si partitur per denarium numerum. Nam semel decem, et bis decem, et ter decem sexaginta sunt; nam quantum valet in primo versu numerorum senarius, ut perveniatur ad decem, tantum valet in secundo versu numerorum sexagenarius, ut perveniatur ad centum. Quicunque vero dies, qui supersunt trecentenis sexagenis diebus in singulis mensibus est sexta pars mensis uniuscujusque. Sex vero horæ, ex quibus quarto anno sexta dies adcrescit, habent suam perfectionem in partitione senarii numeri, sicut paulo ante præfati sumus, et sicut Creator æquissimus in sex diebus fecit omnia opera primordialis mundi, ut significaretur in perfectione numeri senarii omnia in naturis suis fecisse eum perfecta, et ille ipse Creator magnus admirabilis perfectus est in natura sua, cui placuit omnia in senarii numeri perfectione perficere. Unde et sexto die creatus est homo perfectus anima, et corpore, propter quem omnia creata sunt, quæ sex diebus condita esse leguntur. Unde et ipse Deus Dei Filius, qui est virtus, et sapientia Dei sexta ætate venit in mundum salvare hominem, quem sexta die creavit. Ita senarius numerus et in conditione primordialium creaturarum, et in successione sæculorum, quæ sex ætatibus concurrerunt, et quod sexta ætate venit Filius Dei humanum genus reparare ad pristinam dignitatem conditionis suæ, multum valent tales rationes.

Item alia.

Si omnipotens Deus universa in pondere, et mensura, et numero disposuit, ita ut etiam multitudinem stellarum nominibus simul numeroque complecteretur, quanto magis illius præcipui, maximique sideris cursus gloriose ordinatus extitit qui super omnia sidera splendore pariter, atque virtute præcellit? De cujus subtilissimo, magnificoque cursu quamvis multa subtiliter magnificeque et dicta sint, et dici possint, vix tamen aliquid invenitur, quod operosius numerando aliquid, dum examinatur, quam quod de bissexto, et quadrantis ratione distinguitur. De quo videlicet bissexto quamquam multi et magni multa, et magna dixissent jam edidissent, propter compendium tamen legentium seu scire ejusdem bissexti incrementa volentium, quædam secundum ingeniolum mihi ab omnipotenti Deo gratis datum breviter dnotare curavi, obsecrans ut ea dilectione a legentibus suscipiantur, quam nostræ humilitati præbent. Et si quid largiente Christo utile invenerit, datori omnium bonorum mecum gratiæ agantur. Si quid vero ineptum, corrigere, vel emendare caritatis studio non dedignetur, et quanquam quædam a majoribus ad minora, quædam vero a minoribus ad majora numerari soleant, sicut exemplis quamplurimis ostendi potest; nos tamen quia præfatos bissextos non ex majoribus ad minora, sed ex minoribus ad majora crescendo perducitur, incrementa illius subtiliter, quantum nostra pusillitas ratiocinando comprehendere valet, rimare cogitantes, a minimis inchoemus, ut ad majora, Domino ducente, pervenire valeamus. Verumtamen illud non est prætereundum, quod in quibusdam locis per æquas divisiones, seu collectiones, vel a minimis ad majora, vel a majoribus ad minora præfata ratio duci potest, eo quod propter indivisibilem, seu insensibilem atomi quantitatem sectio ulla haberi nequit. Sed et ad illud commemorandum, quod in quibusdam prædictorum numerorum nominibus, seu numeris auctoritatem, in quibusdam vero consuetudinem in hoc ipso opere tamdiu sequimur, quousque aliquis nobis auctoritatem majorem tribuat, aut consuetudinem meliorem ostendat. Ut igitur quibusdam placet, atomi 376 faciunt unum ostentum. Ostentum vero et dimidium procreant unum momentum continent atomos 564. Momenta autem duo, et duæ partes unius momenti procreant partem unam habentem ostenta 4, atomos 1504. Pars quoque, et dimidia efficiunt minutum unum comprehendens minuta 3, ostenta 6. Atomos 5256. Minuta etiam duo gignunt punctum unum amplectentem partes 4, momenta 8, ostenta 12, atomos 4512; puncta vero 5 complent horam unam constantem minutis 10, partibus 15, momentis 40, ostentis 60, atomis 22560. Horæ autem 24 reddunt unum diem habentem puncta 120, minuta 240, partes 360, momenta 960 ostenta 1440, atomos 541,440. Dies autem 30 efficiunt signum unum continens 720 puncta 3,600 minuta 7,200 partes, 10,800 ostenta, 43,200 atomos sedecies mille millia 243,200. Signa autem 12 reddunt dies 360 horas 8,640, punctos 44,200, minuta 86,400, partes 129,600, ostenta 518,400, atomos centies nonagies

mille millia, et quater mille millia, et 918,400. Et desunt ad completionem anni solaris dies 5 et quadrans, qui habent horas 123, puncta 630, minuta 1,260, partes 1,890, momenta 5,040, ostenta 7,560, atomos bis mille millia 842,540. Qui numeri singuli si diligenti cura considerantur, reddunt, ut dictum est, dies 5 et quadrantem, quorum rursus dierum et quadrantis summa collectio propter tarditatem solis per signa.

Item alia.

Inter primum enim diem spiritalem adstrues esse creaturam, et quomodo habuit vespere, et mane? Respondetur: Omnis namque creaturæ cognitio in semetipsis vespere erat; in Deo autem mane, quia plus videtur ipsa creatura in Deo, quam in se ipsa videtur; creatura scilicet plus videtur in arte, quia facta est. Propterea enim ait Evangelista Johannes: *Quod factum est in ipso vita est.* Omnia igitur, quæ facta sunt, et vitam habent in ipso verbo Dei, vita sunt, in se ipsa non sunt vita. Cœlum, terra, lapis vitam non habent, et tamen in Deo vita sunt. Vivant igitur in Deo sine initio, atque incommutabiliter omnes rationes creaturarum. Ac per hoc plus videtur in angelis sanctis in Verbo Dei, ubi sunt vita, quam in se ipsa. Ergo in cognitione firmamenti secundus in cognitione discretionis terræ, et maris. Tertius in cognitione solis, ac lunæ, et stellarum. Quartus in cognitione reptilium. Quintus in cognitione jumentorum, et ferarum, vel ipsius hominis, sextus neque enim hi dies solares intelligendi sunt, sed ipsius diei unius, quem intelligimus spiritalem creaturam, idest Evangelicam, sexies facta cognitio. Sex dies fecit propter senarii perfectionem. Si vis ut aliquid tibi de Scripturis colligam, libens adesto, et totum te ad audiendum præpara. Unus in numeris dividi non potest, ab ipso enim surgit omnis numerus. Ergo duo dividi possunt, et pars ejus unus est. Igitur divisio duorum in unum est. Quid aliquid hic numerus ostendit, nisi Trinitatem, quæ Deus est? Quæ quamvis tres personæ sint, in una creduntur unitate naturæ. Quaternarius scilicet duas partes habet; nam quarta ejus unus est, media ejus duo. Unum videlicet, et duo tria sunt. Ecce partes suas nec ultra excrescent, nec complent, et ideo imperfectus est numerus. Quinarius vero non habet nisi unum, quod est quinta ejus pars. Unus senarius igitur numerus perfectus est, quia partibus suis completur; habet enim unum, quod est sexta ejus, duo, quod est tertia, tria, quod est dimidia. Unum ergo, duo, et tria sex faciunt. Ideoque hujus numeri perfectionem sex diebus operatus est Deus omnem creaturam. Tres hæ partes senarii numeri demonstrant nobis Trinitatem numeri, mensuræ, et ponderis fecisse omnem creaturam. Primum valere senarii numeri perfectionem in Scripturis Sanctis frequenter reperimus, præsertim in morte Domini simpla. Mors itaque D. N. J. C. non fuit in anima, sed in carne sola; mors vero nostra non solum in carne, sed etiam in anima propter peccatum, in carne propter pœnam peccati. Ille vero quia peccatum non habuit in anima, non est mortuus nisi tantum in carne, et hoc propter similitudinem carnis peccati, quam de Adam traxerat. Igitur simpla ejus mors profuit de * plebe nostræ, et simpla ejus resurrectio profuit duple nostra mors carnis ejus, et resurrectio ejus mors animæ nostræ, et resurrectio ejus duas mortes nostras, et duas resurrectiones nostras, duas et duas quatuor sunt; unam mortem Domini, et unam resurrectionem ejus, adde quatuor nostras, sex faciunt. Igitur simplum Domini, et duplum nostrum tres sunt, et tres partes habet, secundum quod supra diximus, senarius numerus. Nam et 36 horæ, quibus fuit Dominus in inferno, huic simplex, et duplex congruunt duodecim. Igitur horæ fuerunt diurnæ, et 24 nocturnæ. Istæ 24 nocturnæ ad duplam mortem nostram concinnant, et illæ duodecim horæ ad mortem Domini simplam. Revera enim natura ejus senarium numerum habet 46 annis ædificatum est templum, adstruerunt in Evangelio Judæi, quod intelligitur de corpore Domini. Quadraginta sex anni pro diebus positi sunt 46 diebus dicunt infantem formari in utero, et subinde usque in diem parturitionis augmentari. Quadragies quippe seni fiunt 266 qui faciunt menses novem, et dies sex. Compota ergo ab 8 Kal. Apr., quando passus est Dominus, et tunc etiam creditur fuisse conceptus usque ad diem 8 Kal. Januar., et reperies dies a 76, qui constat per senarium numerum. Quid de illa muliere in Evangelio, quam 18 annis curvaverat Satanas, quam sanavit Dominus, nisi quia et ipsi anni senarium numerum habent? Ter igitur sex decem, et octo faciunt. Illa itaque mulier intelligitur genus humanum, quod sexta ætate scilicet a captivitate diaboli Dominus liberavit. Prima ætas est ab Adam usque ad Noe. Secunda ætas est a Noe usque ad Abraham. Tertia ætas est ab Abraham usque ad David. Quarta ætas est a David usque ad transmigrationem Babyloniam. Quinta ætas est a transmigratione usque ad adventum D. N. J. C. Sexta ætas, quæ nunc agitur, donec Excelsus veniat ad judicium. Sexta igitur ætate seculi reformatur genus humanum ad imaginem Dei. Profecto enim anni decem et octo non solum sex ætates, sed etiam tria tempora evidenter demonstrant; unum scilicet ante legem, alterum sub lege, tertium sub gratia. Igitur et ipse annus senario numero continetur; habet enim dies 355, sexies quippe sexageni 360, remanent profecto 5 et quadrans 5 dies sexta sunt mensis tamen si et illud pro die ponas aperte totum sex faciunt. Ecce quantum me Deus adjuvet, de senarii numeri perfectione, etsi non quantum volui, tamen quantum potui, reddidi rationem.

De luna per 12 signa.

CXXXVI. Luna duobus diebus, et 6 horis, et besse unius horæ singula signa pervolat velociore suo cursu. Singula vero signa 30 habent partes. Si vis scire quantas horas luna peragat medium signum, idest 15 partes cujuslibet signi, divide 54 hor. in duas

bedietates, et bessem unius horæ, quæ sunt horæ miuscujusque signi, et habebis 27 horas, et medium signum partes 15 peragendas, et trientem, idest tertiam partem unius horæ. In quibus horis 15 partes præpositi tibi signum luna percurrit.

Si vis scire, quo spatio unam partem signi pervolat, tolle exinde 22 horas, 15 horas da singulis partibus singulas horas, remanent 12 horæ. Has 12 divide per punctos singulos ea lege, quia hora a luna * 5 punctos habet ergo 12 si quinquies ducantur, faciunt 60 puncta; partire per 15, quater 15 60 sunt. Da 4 punctos singulis partibus, et videbis, quod unam partem signi luna percurrit in spatio unius horæ ex 4 punctis, et remanet triens, idest tertia pars unius horæ; quot sunt ostenta 20, quia plena hora 60 habet ostenta. Da singulis partibus unum ostentum, et videbis, quod luna spatio unius horæ, et 4 punctorum, et unius ostenti, quod est triens, partem unam signi, quod est tricesima pars unius signi, peragit.

De saltu lunæ per 19 annos, quomodo decrescit nox.

CXXXVII. Si vis sapere in 19 annis quomodo dies, et nox minuitur, quando luna facit saltum, singulis annis et mensibus per momenta, et atomos unoquoque anno momenta 50 et medium (ª et nona decima pars de dimidio momenti) facit ipse medius momentus atomis 283 in unoquoque mense momenta 4. Et sextam partem momenti atomis 24. Secundo mense momenta 4 et sextam partem momenti, atomis 24. Tertio mense momenta 4 et sextam partem momenti, atomis 24. Et sic in singulis mensibus. Hæcque 12 menses ad saltum lunæ, fit summa in uno anno momenta 50 et dimidium. De isto momento facimus atomos 282. Ipsa 50 momenta faciunt unam horam, et quartam partem de hora, et dimidium momentum, simili numero in 19 annis. Ad saltum lunæ momenta in 19 annis 960. Ipsa momenta faciunt horas 24, quæ minuit dies et nox in 19 annis, quæ luna facit saltum.

De flexibus digitorum.

CXXXVIII. Ita digitorum flexus servantur per primum digitorum trium in læva ab extremo, inflexionem palmæ in medium artum dicitur 1, 2, 3, cum dicis 4 extremum digitum leves. Cum dicis 5 secundum ab extremo similiter erigas. Cum dicis 6 medium in medium palmæ extremo, et medio levatis eriges. Quando ab 7 perveneris, minorem solum cæteris levatis super palmæ radicem pones, juxta quem in 8 medium. In 9 autem impudicum e regione compones 10, ungues indicis in medio fixus artu pollicis 20, summitas pollicis medio artu inter indicem, impudicumque 30 * in immollis in summitate pollicis indicisque complexus 40, pollicis summitas adjiacens artui, in medio latere pone * a dorsu indicis 50, curvate pollex in palmam cæteris erectis 60, pollicem curvam in exteriore artu inter eumdem artum, ungulamque indicis trie * undique medio tere indicis artum; medio pollicis fronte, inter artum et ungulam sito, circumpone 70, pollicis artu curvato trans medium indicis artum radicem pollicis a latere circuivit * indicis 80 pollicem in longum tendens indice illius summitatem, ungulamque circumpone 90 indicis, ungulamque in pollicis radice eriges. 100 in dextera quomodo 10 in læva. 200 in dextera, quomodo 20 in læva. 300 in dextera, quomodo 30 in læva. 400 in dextera, quomodo 40 in læva. 500 in dextera, quomodo 50 in læva. 600 in dextera, quomodo 60 in læva. 700 in dextera, quomodo 70 in læva. 800 in dextera, quomodo 80 in læva. 900 in dextera, quomodo 90 in læva. Sic quoque a mille currit in dextera compotus usque 7,000, quomodo currunt monades in læva 1 usque ad 9, 10,000 in sinistra palma supra verticem supinatum retro ponas. 20,000 eodem situ prona super manum colli. 30,000 eodem situ prona in medio pectoris. 40,000 eodem situ prona in latere dextro. 50,000 pollex in umbiculo. 60,000 sinistra palma sub umbiculo supina. 70,000 eodem situ in inguine prona. 80,000 eodem situ in femore sinistro. 90,000 eodem situ prona, sed foris. Ita facitur in dextera manu, cum dicis 100 millia. Cum autem dicis decies centena millia, duæ palmæ apertæ erga faciem e regione interpositæ, sed ante aures retro respicientes tres digiti in sinistra manu, idest auricularis, medicus, et impudicus usque ad 9 continent 1, 2, 3, etc. Duo digiti in sinistra manu, idest index, et pollex usque ad 90 continent. 10, 20, 30, etc. Duo in dextera manu digiti semper continent usque ad 900 pollex, et index. 100, 200, 300, etc. Tres in dextera manu digiti continent usque ad 9,000, auricularis, impudicus, et medicus. 1,000, 2,000, 3,000 etc. Continet sinistra manus particulas semper usque ad 90,000, 10,000, 20,000, 30,000, etc. Continet dextra manus per juncturas semper usque ad 9,000, 100,000, 200,000, 300,000, etc.

In Dei nomine incipit ratio Paschalis, et ceterorum 318 episcoporum, qui consideratione festi Paschalis, et ceterorum sapientium virorum, qui dixerunt auctoritatem.

CXXXIX. Cum omnes Apostoli de hoc mundo per universum orbem per singulas provincias Ecclesiæ diversa tenebantur jejunia. Nam et omnes Galli quacumque die 8 Kal. Apr. fuisset, semper Pascha celebrabant dicentes: Quid nobis est a 14 luna compotum cum Judæis facere Paschæ? Sed sicut est Domini natalis quocumque die evenerit 8 Kal. Janu., ita et 8 Kal. Apr., quando traditur Christi Resurrectio, debemus Pascha tenere. ᵇ Orientales vero, sicut Eusebii Cæsariensis narrant eloquia, quocumque die in mense Martio 14 luna fuisset inventa, Pascha celebrabant. In Italia autem alii diebus 40 jejunabant, alii 20, alii 7 diebus, in quibus mundus omnis concluditur, sic sufficit jejunare. Alii quia Dominus 40 diebus

ª Alia manu hæc addita sunt.

ᵇ Confer ista cum iis, quæ habent de isto concilio Beda, Baronius ad an. 198, et Labbe, tom. I Concil., pag. 596.

jejunasset, et alii 40 horas. Cum hæc talis * observationis per singulas provincias, unde error erat sacerdotibus, eo quod a quibus una fides recta tenebatur, eorum dissentirent jejunia. Tunc papa Victor Romanæ Urbis episcopus hoc elegit, ut dirigeret auctoritatem, quia tunc non Hierosolyma, sed Cæsarea metropolis dicebatur, unde Paschalis ordinatio proveniret, quo modo Pascha recto jure a cunctis catholicis celebraretur ecclesiis, ubi Dominus, et Salvator mundi in carne fuerat conversatus. Accepta itaque auctoritate Theophilus non solum de sua provincia, sed etiam de diversis regionibus omnes episcopos, et sapientes viros ad concilium evocavit. Ubi cum illa sacerdotum vel sapientium virorum multitudo in omnibus Scripturis erudita in unum fuisset collecta; tunc prædictus episcopus protulit auctoritatem ad se missam a papa Victore, et quid sibi operis fuisset injunctum ostendit. Tunc pariter omnes episcopi dixerunt. Primum nobis inquirendum est, quomodo in principio mundus fuerit factus, et cum hoc fuerit diligentius investigatum, tunc poterit ex eo Paschalis ordinatio salubriter perveuire. Dixerunt ergo episcopi: Quo die credimus primum fuisse factum mundum, nisi Dominico? Alii dixerunt: Quomodo ergo potes probare, quia primus dies, dies Dominicus fuerit? Theophilus episcopus dixit: Probate, quod dicitis. Episcopi responderunt: Secundum Scripturæ auctoritatem divinæ factum est vespere, et factum est mane dies unus, et secundus, et tertius, et quartus, et quintus et septimus. In quo septimo requievit ab omnibus operibus suis, quem diem septimum Sabbatum appellavit. Cum ergo novissimus dies sit Sabbatum, quis potest esse primus, nisi Dominicus. Theophilus episcopus dicit: Ecce de die Dominico quia primus sit, probatum. De tempore quid vobis videtur? 4 autem tempora mundi in anno accidunt: Ver, Æstas, Autumnus, et Hyems. Quod ergo tempus primum factum esse creditis in mundo? Episcopi dixerunt: Vernum. Theophilus episcopus dixit: Probate quod dicitis. Et illi responderunt: Scriptum est: *Germinet terra herbam feni secundum genus suum, et lignum pomiferum ferentem fructum.* Hæc enim veris temporibus videmus fieri. Theophilus episcopus dixit: Quo loco caput mundi esse creditis? in principio temporis, an medio temporis, an in fine? Episcopi dixerunt: In Æquinoxio, idest 8 Kal. Apr. Theophilus episcopus dixit: Probate quod dicitis. Et illi responderunt: Scriptura dicit, quia *fecit Deus lucem, et vocavit Deus lucem diem, et fecit Deus tenebras, et tenebras vocavit noctem, et divisit inter lucem et tenebras, æquas partes.* Theophilus episcopus dixit: Ecce de die, vel tempore probastis. De luna quid vobis videtur? utrum crescentem, an plenam, an imminutam a Domino fuisse creatam? Episcopi responderunt: Plenam. Et ille dixit: Probate quod dicitis: Episcopi responderunt: Dicit divina Scriptura: *Fecit Deus duo luminaria magna, et posuit ea in firmamento cœli, ut lucerent super terram, luminare majus, ut præesset diei, et lumi-*

A *nare minus initio noctis.* Non poterat, * nisi plenum.

Nunc ergo investigavimus, quomodo in principio factus fuerit mundus: idest die Dominico, verno tempore, in æquinoxio 8 Kal. Apr. luna plena. Per ipsum tantummodo tempus dies, et elementa resurgunt. Theophilus episcopus dixit: Nunc igitur agendum de ordinatione, quomodo debeamus Pascha tenere. Episcopi dixerunt: Numquid dies Dominicus præterire potest, et in eo Pascha celebraretur, qui tot et talibus benedictionibus sanctificatus est? Theophilus episcopus dixit: Apertius ergo dicite, quibus, et qualibus benedictionibus eum fuisse sanctificatum asseritis, ut scribere possimus. Episcopi responderunt: Prima illi benedictio est, quod in ipso tenebræ remotæ sunt, et lux apparuit. Secunda illi benedi-
B ctio est, quod de terra Ægypti populus Israeliticus, velut de tenebris, quasi per fontem baptismi, per mare Rubrum de duro servitio fuerit liberatus. Tertia illi benedictio est, quia in eodem die cœlestis cibus manna hominibus datum est: Quarta illi benedictio est, quia Moyses mandavit ad populum: *Sit vobis observatus dies primus, et novissimus.* Quinta illi benedictio est, ut CXVII psalmus dicit, qui totus de Passione, et Resurrectione cantatur. De Passione ait: *Circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini vindicavi in eis. Circumdederunt me sicut apis, et exarserunt sicut ignis in spinis.* Et interjectis versibus: *Lapidem, quem reprobaverunt, factus est in caput anguli.* De Resurrectione autem dicit: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, et lætemur in*
C *ea.* Et item interjectis versibus: *Constituit diem festum in confrequentationibus usque ad cornu altaris.* Sexta illi benedictio est, quod in ipsa Dominus resurrexit. Videmus ergo, quia diem Dominicum singulariter in Pascha tenere præcepit. Theophilus episcopus dixit: De tempore autem ad Moysen mandatum est a Deo: *Hic vobis erit mensis initium mensium; Pascha facite in eo.* Non dixit in prima die mensium, aut in decima, aut in alia qualibet, sed totos 30 dies in Pascha sanctificavit. Episcopi responderunt: Qui sunt illi 30 dies. Superius ergo jam responsum dedimus, principium mundi esse in æquinoxio 8 Kal. Apr., et ab 8 Kal. Apr. usque in 8 Kal. Mai: legimus consecrandos. Theophilus epi-
D scopus dixit: Et impium non est, ut illi tres dies passionis Dominici tantum sacramenti mysterium foras limitem excludantur? Passus namque Dominus ab 11 Kal. Apr. 5 Fer. quam Cœna Domini vocamus, quia nocte a Judæis traditus, quando et cum discipulis discubuit, quando et Judæ prædixit, quod ab ipso esset traditurus. Quod et ita constat fuisse suppletum, et 8 Kal. Apr. resurrexit. Quomodo ergo hi tres dies foras terminum excludentur? Episcopi dixerunt: Nulla ratione fieri debet, ut tantum sacramentum foras limitem excludatur, sed introducantur in ordine Paschali hi tres dies. Constitutum est ergo in illa synodo ut nec ab ante 11 Kal. Apr., nec post 7 Kal. Mai, Pascha non debeant observare, et nec antea, nec postea cuicumque constitutum limitem

transgrediendi esset libertas. Similiter et de luna præceptum divinum servetur, quod mandatum est per Moysen, sit vobis observatum a 14 luna usque in 21. Has ergo 7 lunas constat fuisse consecratas, sed quia Judæi a 14 luna tenent Pascha, nos necesse est a 15 usque in 21 celebrare Pascha. Quando ergo sit intra illum limitem constitutum ab XI Kal. Apr. usque in VII Kal. Mai : dies Dominicus, et luna aliqua ex illis 7 sanctificata obveniret, Pascha nobis 'ussum est'celebrare.

Incipit epistola Cyrilli Alexandrinæ Urbis episcopi.

CXL. Antiquitus Ecclesia Pascha 14. Luna cum Judæis celebrabat, quocumque die occurreret. Sed hunc ritum sancti Patres in Nicæna Synodo prohibuerunt, constituentes non solum Paschalem et mensem inquirere, sed etiam diem Resurrectionis Dominicæ observare, et ob hoc Pascha a 15 luna usque in vicesimam primam extenderunt, ut dies Dominicus non obmitteretur. Pascha autem vocabulum non Græcum, sed Hebræorum est, nec a Passione, quam Phasin Græce dicimus pati, sed a transitu Hebræo verbo Pascha appellata est, eo quod tunc populus Dei ex Ægypto transierit. Unde in Evangelio, *cum vidisset*, inquit, *Jesus, quia venit hora, ut transiret de mundo ad Patrem.* Cujus nox ideo per vigiliam ducitur propter adventum Regis, ac Dei nostri, ut tempus Resurrectionis ejus nos non dormientes, sed vigilantes inveniat. Cujus noctis duplex ratio est, sive quod in eadem vitam tunc recepit, cum passus est, sive quod postea hora, qua resurrexit, ad judicandum venturus est. Eo autem modo agimus Pascha, ut non solum mortem et resurrectionem Christi in memoriam revocemus, sed etiam cætera, quæ circa eum adtestantur, ad Sacramentorum significationem inspicimus; propter initium enim novæ vitæ, et propter novum hominem, quem jubemur induere, et exuere veterem, *expurgantes vetus fermentum, ut simus nova conspersio, quoniam Pascha nostrum immolatus est Christus.* Propter hanc ergo vitæ novitatem primus mensis novorum in anni mensibus ad celebrationem Paschæ mystice adtributus est. Quod tertia Hebdomada dies Paschæ celebretur, id est qui dies occurrerit a 15 in 21 hoc significat, quia toto tempore seculi, qui septenario numero agitur, nunc tertium tempus est, quod hoc Sacramentum apparuit. Primum enim tempus est ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Ubi jam manifestum est Sacramentum prius occultum Prophetiæ Ænigmaticæ. Ideo et propter hæc tria tempora sæculi Resurrectio Domini triduana est. Quod vero a 15 luna usque ad vicesimam primam per dies septem Paschalis dies quæritur, propter ipsum numerum septenarium in universitate. Unde et Johannes Apostolus in Apocalypsi ad septem scribit Ecclesias. Ecclesia vero adhuc in ista mortalitate carnis constituta propter ipsam mutabilitatem lunæ nomine in Scripturis significatur. Varia autem observantia opinionum Paschalis festivitatis interdum errorem gignit. Latini namque a tertio Nonas Martias usque in III Non. Apr. primi mensis lunam inquirunt, et si 15 luna die Dominico provenerit, in aliam diem Pascha protrahunt. Græci primi mensis lunam ab VIII Id. Mart. usque in diem Non. Apr. observant, et si 15 luna die Dominico concurrerit, sanctum Pascha celebrant. Hujusmodi ergo dissensio inter utrosque Paschalem regulam turbat. Communis autem annus dicitur, qui tantum 12 lunas, hoc est dies 354 habet; dictus autem communis, quia sæpe duo ita conjuncti incedunt invicem, et se in Paschali solemnitate sequuntur. Nam embolismalis annus semper solus est, embolismalis annus est, qui 13 menses lunares, id est 384 dies habere monstratur. Ipse est annus sancto Moysi divinitus revelatus, in quo jubentur hi, qui longius habitabant, in secundo mense Pascha celebrare. Embolismus autem nomen Græcum est, quod interpretatur Latine superaugmentum, eo quod expleat numerum annorum communium, quibus 11 lunares dies deesse cernuntur. Embolimæi autem anni, et communes sic inveniuntur. Si enim a 15 luna Paschæ præcedentis usque ad quartam decimam sequentis 384 dies fuerint, Embolismalis annus est. Si 354, communis. Bissextus est per annos 4 unus dies adjectus. Crescit enim per singulos annos quarta pars assis, ac ubi quarto anno assem compleverit, bissextilem annum facit. Dictus autem bissextus, quia bis sexies ductus assem facit, quod est unus dies, sicut et quadrantem propter quater ductum, quod est bissextum, quod super dierum cursum in anno sol facit. A VII autem Non. Mart. usque in diem prid. Kal. Janu. in lunæ cursu bis adponitur, atque inde detrahitur. Intercalares autem dies idcirco vocantur, quia interponuntur, ut ratio lunæ solisque conveniat. Calare enim ponere dicitur. Intercalare interponere. Epactas Græci vocant, Latini adjectiones annuas lunares, quæ undenarium numerum usque ad tricenarium in se revolvuntur, quas ideo Ægyptii adjiciunt, ut lunaris mensis rationi solis æquetur. Luna autem juxta cursum suum 29, et semis dies lucere dignoscitur, et sunt in anno lunares dies 354, remanent ad cursum anni solaris dies XI, quos Ægyptii adjiciunt, unde et adjectiones vocantur. Absque his non invenies lunam, quota sit in quolibet anno, et mense, et die. Istæ Epactæ semper in XI Kal. Apr. reperiuntur in eadem luna, quæ fuerit eo die. Continentur autem circulo decemnovennali, sed cum ad 19 pervenerint, qui est circulus decemnovennalis, jam sequenti anno non addes super 29 11, ut 10 adnuncies, destructis 30, sed inde revertere ut 11 pronuncies.

Explicit epistola S. Cyrilli.

CXLI. Epistola Paschasini episcopi ad beatissimum Papam Leonem de indaganda ratione Paschali. (*Edita est a Bucherio et aliis.*)

De nominibus stellarum, quibus ex causis nomina acceperunt.

CXLII. Sol appellatus, eo quod solus appareat obscuratis fulgore suo cunctis sidéribus. Luna dicta quasi Lucina, ablata media syllaba, de qua Virgi-

lius : *Casta fave Lucina.* Sumpsit autem nomen per derivationem a solis luce, eo quod ab eo lumen accipiat, acceptum reddat. Stellæ dictæ a stando, quia fixæ stant semper in cœlo ; nec cadunt ; nam quod videmus e cœlo stellas labi, non sunt stellæ, sed igniculi aere lapsi, qui fiunt, dum ventus altiora petens æthereum ignem secum trahit, qui tractu suo imitatur stellas cadentes. Nam stellæ cadere non possunt, immobilesque, ut prædictum, sunt, et cum cœlo fixæ feruntur. Sidera dicta, quod ea navigantes considerando dirigunt ad cursum consilium, ne fallacibus undis, aut ventis alio deducantur. Quædam autem stellæ idcirco signa dicuntur, quia ea nautæ observant in gubernandis remigiis, contemplantes aciem fulgoremque eorum, quibus rebus status cœli futurus ostenditur. Sed et omnes homines ea intendunt ad prævidendas aeris qualitates per æstatem, et hyemem, vernalemque temperiem. Ortu enim vel occasu suo certis stationibus temporum qualitates significant. Signorum primus Arcton, qui in axe fixus Septentrionali in se revolutus rotatur. Nomen est Græcum, quod Latine dicitur Ursa, quæ quia in modum plaustri vertitur, nostri eam Septemtrionem dixerunt. Triones enim proprie sunt boves aratorii dicti, eo quod terram terant, quasi teriones. Septemtriones enim non occidere axis vicinitas facit, quia in eo sunt. Arctophilax dictus, Arctonidem scilicet cursum sequitur eumdem, et Bootem dixerunt, eo quod plaustro hæret, *multis signum expectabile stellis.* Inter quas Arcturus est. Arcturus sidus est post caudam majoris Ursæ positum in signo Bootis, unde Arcturus dicitur, ἄρκτου οὐρά, quia Bootis præcordiis conlocatus est. Oritur autem Autumnali tempore. Orion Austrum ante Tauri vestigia fulget, et dictus Urion ab urina, id est ab inundatione aquarum ; tempore enim hyemis ortus mare, et terras aquis, ac tempestatibus turbat. Hunc Latini Jugulam vocant, quod sit armatus, ut gladius, et stellarum luce terribilis atque clarissimus. Quo fulgente omnis serenitas tollitur, ac obscuratur, et imminere tempestas cernitur. Hyades dictæ ab Hyan, id est a succo, et pluviis, nam pluviæ hyetos dicuntur. Ortu quippe suo efficiunt pluvias, unde et eas Latini succulas appellaverunt, quia quando nascuntur, pluviarum signa nascuntur. De quibus Virgilius : *Arcturum, pluviasque Hyadas.* Sunt autem septem in fronte Tauri, et oriuntur tempore vernali. Pleiades a pluralitate dictæ, quia pluralitatem Græci a to ' tylicton appellant. Sunt autem stellæ septem ante januam Tauri, ex quibus sex videntur, nam latet una. Has Latini, Virgiliusque dicunt a temporis significatione, quod est ver, quando exoriuntur. Nam occasu suo hyemem, ortu æstatem primæ, primæque navigationis tempus ostendunt. Canicula æstuale sidus, quæ et Syrius dicitur. Æstivis mensibus in medio centri cœli est, et dum Sol ad eam ascenderit, conjuncta cum Sole, duplicatur calor ipsius, et dissolvuntur corpora, et vaporantur. Unde, et ipsi stellæ dies Caniculares dicuntur, quando et molestæ sunt purgationes. Canis autem vocatur, propterea quod corpora morbo afficiat, sive propter flammæ candorem, quæ hujusmodi sit, ut præ cæteris lucere videatur. Itaque quo magis eam cognoscerent, Syrion appellarunt. Cometes stella est dicta, eo quod comas luminis ex se fundat, quod genus sideris quando apparuerit, aut pestilentiam, aut bella, aut famem significat. Cometes autem Latine crinitus appellatur, quia in modum crinium flammas spargit, easque Stoici dicunt esse ultra triginta, quorum nomina et effectus quidam Astrologi scripserunt. Lucifer dictus, eo quod inter omnia sidera plus lucis ferat. Est autem unus ex Planetis. Hic proprie et jubar dicitur, eo quod jubas lucis ostendat. Sed et splendor Solis, et Lunæ, et stellarum jubar dicitur, quod in modum jubæ radii ipsorum extendantur. Vesperus stella Occidentalis, quam cognominatam perhibent a Vespero Spaniæ Rege. Est autem et ipsa ex quinque stellis planetis noctem ducens, et Solem sequens. Fertur autem, quod hæc stella Oriens Luciferum, Occidens Vesperum facit. De qua Statius : *Et alterno dependitur unus in ortu.* Planetæ stellæ sunt fixæ in cœlo, ut reliquæ, sed in aere feruntur. Dictæ autem planetæ apo to planos, id est ab errore ; nam interdum in Austrum, interdum in Septemtrionem, plerumque contra Mundum, non nunquam cum Mundo feruntur. Quarum nomina Græca sunt. Phaeton, Phaetonta, Phyriona asperum, Stelbom. Has Romani nominibus deorum suorum, id est Jovis, Saturni, Martis, Veneris, atque Mercurii sacraverunt ; decepti enim, et decipere volentes in eorum adulatione, qui sibi aliquid secundum amorem præstitissent, sidera adtendebant in cœlo dicentes : Quod Jovis esset illud sidus, et illud Mercurii, et concepta est opinio vanitatis. Hanc opinionem erroris Diabolus confirmavit, Christus evertit. Jam vero illa, quæ ab ipsis Gentilibus signa dicuntur, in quibus et animantium imago de stellis formatur, ut Arcton, ut Aries, Taurus, Libra, et hujusmodi alia, hi qui sidera perviderunt, in numerum stellarum specie corporis superstitiosa vanitate permoti finxerunt, et ex causis quibusdam deorum suorum et imaginis nomen confirmarunt. Nam Arietem primum signum, cui, ut Libræ, mundi lineam tradunt propter Ammonem Jovem ideo vocaverunt. In cujus capite qui simulacra faciunt arietis cornua fingunt, quod signum Gentiles ideo inter signa constituerunt, quia in Martio mense, qui est anni principium Solem in eo cursum suum agere dicunt. Sed et Taurum inter sidera conlocant et ipsum in honorem Jovis, eo quod in bovem sit fabulose conversus, quando Europam transvexit. Castorem quoque et Pollucem post mortem inter novissima signa constituerunt, quod signum Geminos dicunt. Cancrum quoque inde dixerunt, eo quod cum ad illud signum mense Junio Sol venerit, retro graditur in modum Cancri, brevioresque dies facit ; hoc enim animal incertam habet primam partem, denique ad utramque par-

tem gressum dirigit, ita ut prior pars sit posterior, et posterior prior. Leonem in Græcia ingentem Hercules occidit, et propter virtutem suam hunc inter astra et duodecim signa constituunt. Hoc signum Sol cum adtigerit, nimium calorem mundo reddit, et annuos flatus, Etesias nempe facit. Virginis etiam signum idcirco inter astra collocaverunt, propterea quod iisdem diebus, in quibus per illud Sol decurrit, terra exhausta Solis ardore nihil pariat. Est enim hoc tempus Caniculariorum dierum. Libram autem vocaverunt ab æqualitate mensis ipsius, quia VIII Kal. Octob. Sol per illud signum currens Æquinoctium facit, unde et Lucanus : *Ad justæ pondere libræ*. Scorpium quoque et Sagittarium propter fulgora mensis ipsius appellaverunt. Sagittarius vir equinis cruribus deformatus, cui sagittam et arcum adjungunt, ut ex eo mensis ipsius fulmina demonstrentur, unde et Sagittarius.

Incipit epistola Dionysii Exigui.

CXLIII. Dominis a me plurimum venerandis Bonifacio Primicerio Notariorum, et Bono Secundicærio Dionysius Exiguus, etc. (*Edita a Bucherio in Append.*)

Incipit epistola S. Cyrilli V *Kal. Decembr.*

CXLIV. Dominis venerabilibus sanctis Fratribus episcopis Aurelio, Valentino, sed et omni Sanctæ Congregationi, etc. (*Edita a Bucherio pag.* 72. *Hunc autem finem in Codice nostro habet.*) Et omnia scripta autentica synodi Nicænæ protuli Innocentio presbytero ut adferat ad vos. Pax cum spiritu vestro et meo in Christo Jesu. Finit. Amen.

Incipit Epistola sancti Proterii Alexandrini episcopi ad Beatissimum Papam Leonem Romanæ Urbis Episcopum de ratione Paschali.

CXLV. Domino meo dilectissimo Fratri, et Consacerdoti Leoni Proterius, etc., (*Edita a Bucherio, p.* 82.)

Incipit Epistola Moriani Episcopi Alexandrini de ortu Paschali, eo quod senserunt alii diverse.

CXLVI. De eo quod scriptum est : *Post biduum Pascha fiet*, incongruum fuit Pascha Judæorum in Æquinoctio, hoc est in VIII Kal. Apr. In Æquinoctio renovatio novissima Mundi, et redemptio per Crucem Christi, quia in Æquinoctio fuit Mundi constructio, et compositione dispar sibi invicem fuerat utraque. Deinde Adam longitudo facta est, et potentia Dei tribus diebus factis ; sed Sol addidit cursum dierum, quando inluxit in Mundo quarto diei ' e contrario dempsit. cur ' noctium etenim Adæ venerationem et honorem æquinoctii novissimi, et Paschæ Christi persignata est, et facta est prima Mundi constructio in æquinoctio primo. In æquinoctio quaque facta est solutio, et redemptio Israhel de servitute Judæorum, et in eodem æquinoctio post XII Kal. Apr. præcepit filiis Israel celebrare Pascha, quod est typus Paschæ futuri Christi per omnia in finem ex initio. Typus namque Christi agnus, qui est occisus, et manducatur quotidie Agnus a septem viris, hoc st a septem gradibus Ecclesiæ. Tantum autem misA nisterium Dei scitote, quod non mirum si accenderet, ' si in judicium convenerit æquinoctium, quod est VIII Kal. Apr. sexta Feria luna 14, et resurrectio luna 16 post XII Kal. Apr., quod æquinoctium vernale, hoc est initium anni Solaris, et ante hoc initium non facitur Pascha apud Hebræos, et Græcos, et Latinos, nisi in errore, quia dies Dominica, in qua facta est lux, non fuit ante XII Kal. Apr., quod est in nocte 2. Feria numero crucis. XII autem Kal. Apr. 3 Feria, et X Kal. Apr. 4 Feria, in qua dictum est : *Post biduum Pascha fiet*. Deinde aliquod ita fiat post biduum Pascha, idest post completionem et integritatem duorum testamentorum, et transcensus ad regnum Dei conveniente ad 6. Feriam æquinoctio luna 14 et solemnitate Resurrectionis die Dominica, B hoc est totius generis humani, ex quo genere virga de radice Jesse exiit quæ redemit Israhel de Ægypto, quæ conversa est in Serpentem, ut liberarentur Israhelitæ ab Ægypto Quid Serpens persuasit homini, hoc est Diabolus mortem. Si ergo a Serpente est mors, Virga in Serpentem, Christus in mortem, Serpens exaltatur in heremo aere, ' ut sanaret vulnera corporum respicientem ' aenium. Ut solvit servitutem Israhelitarum famulantium in Ægypto, sic omnis ' Moysi a serpentibus a venenis intuendo Serpentem magnum Sacramentum quod est intuendo Serpentem sanari, nisi credo in mortuum Christum sanari a morte peccatorum. Et ut liberaretur populus ab Ægypto per Virgam in Serpentem conversam, et Agnum in Pascha occisum, hoc est Christum in C mortem, ita liberator totum humanum genus in Pascha Passionis Christi, qui est verus serpens occidens Serpentem, idest Diabolum, et devorans Virgas Magorum, idest Philosophorum, et ministrorum Diaboli. Qui est autem, expavit Moyses, et fugit, quia quando mortificatus est Christus, expaverunt, et fugerunt discipuli. Caudam apprehende posteriore adprehendente, ut est illud : *Posteriora mea videbis*. Primo factus est Serpens sed cauda retenta, visus est Cæphæ, deinde 11. Est etiam in cauda Serpentis finis seculi, quia mortalitas generis humani ambulat per mortem a Diabolo inlatam, sed in fine seculi, sicut a cauda redimus ad manum Dei, et efficimur stabilitum regnum Dei. Post hæc autem omnia breviter dicam, quod numquam breviter apud Hebræos D ante XII Kal. Apr. quia luna nata in VIII Id. Mart. 14 in XI Kal. Apr. Observa igitur cursum lunarem juxta regulam Græcorum, et more Ægyptiorum, et non secundum Epactas, idest adjectiones lunares, quia ibi pervenitur a 4 luna usque ad 16, hic autem ad 15 juxta compositionem Eusebii, qui primus conscripsit circulum 19 annorum, Athanasii, Theophili, Cyrilli, Dionysiique exigui, usque dum scripsit Victorius Hilario Papæ Urbis Romæ Episcopo. Tunc accesserunt disputatores Alexandrini et Antiocheni circulos post alios describere. Finiunt hæ Epistolæ in Dei nomine. Amen.

Incipit præfatio Patronio Episcopo.

CXLVII. Domino Beatissimo et nimium deside

ratissimo Patri Patronio Episcopo Dionysius Exiguus, etc. (*Edita a Bucherio pag.* 485. *Hic vero ista leguntur.*) Quia vero S. Cyrillus primum Cyclum ab anno Diocletiani centesimo quinquagesimo secundo cœpit, et ultimum in anno 47 terminavit, nos a ducentesimo quadragesimo octavo anno ejusdem, etc. *In nomine Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti de Mundi principio.*

CXLVIII. Quomodo factus est mundus initio creaturarum Dei? in quo die? in diebus mensis? et in diebus septimanæ? et in quo anno? et in quo tempore? sive in die? an in nocte? et in qua hora? interrogamus. In Æquinoctio autem, et in die Dominico, et in communi anno, et in Ogdoade, et in prima hora creatus est, et in momento oculi omnia simul facta sunt a Deo, secundum Apostolum dicentem hunc sermonem : *ut dixit, omnia simul facta sunt*, et similiter a Deo vivo in die Judicii omnia simul destruentur, et in meliorem statum renovabuntur. Recto ergo tramite dierum, quos prædiximus superius nuper, principium, et finis illorum numeratur, quod primum XII Kal. Apr. in principio diei Dominicæ incipit, quasi fuisset ante in sabbato dimidium ipsius diei, et in sexta hora Dominici diei finitur, sed paulo post X Kal. Apr. consecutus est. Et similiter in sexta hora 2. Feria consummatus est, et X Kal. Apr. usque ad dimidium 3. Feriæ incipiens a sexta hora secunda Feria migravit, et IX Kal. Apr. usque ad dimidium 4 Feriæ apparuit, incipiens ante sextam horam 5 Feriæ, et in hoc die Sol luxit. Initio ipsius, et in VIII Kal. Apr. usque ad dimidium 5 Feriæ morabatur, incipiens a sexta hora 4 Feriæ ante, et in VIII Kal. Apr. ostensa est luna in cœlo in fine illius diei in 14 Lunæ ætate. Sciendum est autem, cur major facta est Aurora Solis in principio mundi, quam maneat in his temporibus, eo quod splendidior erat Sol ante peccatum Adæ septem lucernis, quas habebat, et non manet in eo, nisi una pars tantum de septem lucernis causa peccati illius Adæ. Sed nemo potuisset sustinere eum propter ardorem ejus, nisi defendisset nos Deus tribus cœlis pro eo.

Nos scire volentibus, quomodo dicunt Hebræi 12 menses anni, hoc modo respondemus : quod non adnumerant Judæi secundum Solem, sed secundum cursum Lunæ. Tantum adnunciat qui lun. 29 et semisse utuntur ætati cum uniuscujusque incipientis a 15 luna primi mensis usque ad 14 lunam Paschæ, excepto videlicet primo anno, quem curamus numerari a 15 luna usque ad 14 lunam primi mensis.

Initia mensium apud Ægyptios hæc sunt : IV Kal. Septemb., IV Kal. Octob., V Kal. Novemb., V Kal. Decemb., V Kal. Jan., VII Kal. Febr., V Kal. Mart., VI Kal. Apr., VI Kal. Maii., VII Kal. Jun., VII Kal. Jul., VIII Kal. Aug. Ii sunt intercalares dies, ut IX Kal. Sept., VIII Kal. Sept., VII Kal. Sept., VI Kal. Sept., V Kal. Sept. Et congregantur in unum apud Ægyptios intercalares dies, quia 300ª unius mensis non habent secundum Solem, sed trecentesim 12 menses habere monstrantur. Illi autem Ægyptii supradicti totum annum complent, incipientes a IV Kal. Septemb. usque in IV Kal. Septemb. Sciendum est nobis quot sunt partes mensis, et quot habuerunt apud Romanos. Primum illud autem hoc modo solvitur. Quatuor partibus monstrantur habuisse, ut est tres menses, et 14, et decimus. Sed tamen principium incipientes a mense Martio, et Aprili et Maio, annum totum suum compleverunt in tribus mensibus. Et aliquando in 4 mensibus, quando Junius conjungitur ipsis mensibus supradictis tribus, et tunc in decem mensibus adjectis quinque ipsis, ut est Jul., Aug., Septemb., Oct., Novemb. et Decemb., et tunc in 12 mensibus postea ii sunt adjecti Jan. et Febr. omnibus, quos diximus nuper, et consummatur annus Solis per hos duodecim menses. Sed de cauda anni Januarium et Februarium addiderunt sapientes Gentilium virorum. Nobis ergo interrogantibus, qui sunt isti, qui constituerunt menses primitus a Romanis, scire convenit, hoc modo solvitur, quod Numa Pompilius, et Zyngus duces mirabiles composuerunt menses apud Romanos, et invenitur proprium numeris ipsorum ab ipsis mensibus, eo quod Numa Pompilius Julium et Augustum tantum addidit, et Zyngus alios omnes composuit menses in commemoratione Idolorum suorum facere utilitatem per hos menses supradictos. Ideo facti sunt omnes per potestatem Domini. Quibus modis nomina sortiti sunt menses apud Romanos? Quatuor modis dicuntur : Idolis, Regibus, et numeris, ut est : Januarius a Jano Idolo accepit, quia in eodem mense docuit Romanos, ut implerent illi sua verba tota dicens : Lignum fumigantem, oleumque tincta ad corpus meum devorandum, et totos inimicos vestros retro jacentem pro eo quod me videt morientem, omnes vos amici mei accendite, et postquam moriturus sum, templum ædificate in nomine meo ad orandum in eo, et imaginem meam facite cum duabus speciebus facies viri et mulieris, ut adorent me viri, et mulieres in hoc templo, et multa ostia in eo templo aptate, ut aperiantur adversus eos, qui vos persequentur, et non possint bellum facere adversus vos causa hujus rei. Et hic Janus bifrons, de quo accepit Januarius nomen; aliter Januarius de janua nomen accepit, quia hic est janua anni. Mensis Februarius dictus est de Lavatione, quia Febrium interpretatur lavacrum, eo quod Lurconis, vel Luperci corpora sua de immunditia hyemis lavaverunt, vel eo quod sit febris. Deinde Februarius nominatur propter frigiditatem temporis istius. Martius de Marte idolo accepit nomen, quia mortuus erat in illo Mense, et propter hoc colebatur apud Gentiles hic mensis. Aprilis ab aperiendo dicitur, eo quod aperit mundus flores in eo, vel eo quod aperitur cœlum oculis, quod opertum nubibus erat ante. Maius dictus est de majoribus Romanorum in sapientia, vel de Maja matre Mercurii. Aliter de Majo Deo idolo, qui Opiter magni-

tudine potentiæ dicitur. Junius a Junioribus Romanorum dictus est in sapientia. Aliter de Junone dictus est, quæ soror Jovis, filia Saturni fuit. Julius a Julio rege Romanorum dicitur propter honorem regis. Nomen illius positum est in illo mense, quia primus dedit regnum Romanis. Numa Pompilius hos duos menses addidit Julium et Augustum. Julius Cæsar cedente populo, quia per vim abstrahit regnum. Augustus ab Augusto Octaviano rege dictus est. Augustus autem, qui solemniter stans interpretatur, quia per pacem invenit regnum. September eo quod sit septimus imber a Martio, qui est principium veris. Simili quoque ordine October, November et December ex numero imbrium, atque veris acceperunt vocabulum. Kalendæ dictæ sunt pro Kalendo, vel colendo, eo quod initia mensium apud gentiles. Aliterque id est vocationis, quæ fit a verbo Græco Kalo, et interpretatur voco. Ideo Kalendæ dicuntur a vocando, quia vocabantur omnes apud gentiles in die hoc ad sacrificandum ad oppidum magnum, et dicebatur eis, qui debuissent offerre. Kalendæ lunæ dicebantur primitus, invento hoc nomine lunæ, idest prima lunæ primi mensis dicuntur Kalendæ mensium diebus. Nonæ a nundinis dicuntur, eo quod in hoc die exercebantur nundinæ. Aliter eo quod nonus dies sit ante idus. Idus a die dictæ sunt primitus in medio mensis, ut ejus cognosceretur medietas. Id de die dicitur transmutata una litera, et immutatur u pro e, factumque est nomen. Aliter Græcum est, et interpretatur cor mensium, et nominis ejus genitivus invenitur, ut est idus, iduum, idibus. Interrogandum, quare dicatur mensis quarto Nonas habere, et sexto Nonas, et quare non decem post Idus, et septemdecim, et octodecim, aut sexdecim? Ab imperatoribus Romanorum factum est, ne alii insidiatores dolum fecissent uno die * facito conductionis, ut dubitatio esset in die conductionis absque dubio quando * quam dabitur in mensem 30 tertio dicitur malioniensem aurem. In mense tricenario unum quarto dicitur malum id trigentarios trans diem silet trigentarios unos trans duos dies dic, quo incipit prid. Kal. Jan. absque dubio incipit Apr. absque bissexto : eodem autem die incipiunt, si bissextus fuerit. Quarto autem die incipiunt Febr. et Mart. a die quo initiatur Jan. Die vero ex quo incipiunt Kal. Jan. secundum initiatur Majus, tertio incipit Augustus, quarto incipit November. Hæ sunt observationes Kalendarum mensium.

Incipit epistola papæ Leonis ad Marcianum imperatorem per Darianum.

CXLIX. Tam multis per omnes Christi ecclesias fides vestræ pietatis innotuit, etc. (*Edita est a Bucherio, pag.* 78.)

De Pascha autem.

CL. Tamquam de maximo sacramento salutis nostræ paulo latius aliquid dicturus, etiamsi non est hujus temporibus cuncta disserere, prius ostendere volo, quibus vel quantis rationibus phase Domini custodire præcipitur. Mense primo decimo die mensis agnus anniculus immaculatus segregari et seriari usque ad 19 et in nono decimo die Domino per Moysen occidi præcipitur ab universo filiorum Israhel cætu ad vesperum, qua fractiones ipse Dominus verus agnus, cum ad verum Pascha progreditur, aliquid permanere volens, custodit aliquas, non servari cupiens, commutavit, quia cum in primo mense secundum præceptum legis immolari dignatus est, et 14 nullo modo pervenire suæ Passionis tempore permiserit. Aliqua tamen contra figuram fecisse narrat Evangelium, quia cum a Juda traderetur Judæis, non decima die mensis præmittendus est, et cum sui corporis et sanguinis sacramenta dare in sua vita discipulis suis dignatus fuerit, hoc contra figuram fecisse monstratur. Cui ille agnus qui typo Christi in Pascha præcipitur occidi, assatus igne cum capite, et pedibus, et intranciis post suam occisionem consumi a populo manducaretur. Hoc autem, ut mihi videtur, propter duas rationabiles causas Dominus fecisse cognoscitur. Nam cum Pascha cum discipulis manducaret, nisi postea sacrificium commutasset dicens : *Hoc est corpus meum*, sic etiam postea observari debere crederetur. Hæc autem altera, ut opinor, causa, ut cum Corpus Domini integrum, et suum sanguinem in se continens ante Passionem cernerent, hoc corpore spiritaliter refici crederent, et sic etiam nunc a nobis crederetur. Hoc etiam intueri debemus, quod non 14 ad vesperum, ut lex præcipit, ille agnus qui tollit peccatum mundi, et Pascha nostrum immolatus est Christus, sed quinto decimo die, in quo manifestum est diem Festum Judæorum cum suo sacrificio a Domino esse solutum. Sed quid in hoc intelligere debemus, quod prius figuralis Agni carnem comederet, et postea sui corporis cibo suos apostolos reficeret, et post Judæorum typicum nostrum Pascha immolatus est Christus, hoc ut opinor ut non veritas figuram, sed figura veritatem præcederet, quia non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Unde eleganter amica Sponsa Christi sponsi universalis Ecclesia anaihematizat eos, qui cum Judæis Festivitatem Paschalem 14 luna celebrari definiunt, et cetera. Et hujusmodi umbralis observantiæ, et hoc tantum observare dignatus est, quod et Dominus in primo mense post quartam decimam diem Paschalem festivitatem procedente una Sabbatorum celebrari sine ulla ambiguitate censuerit, licet in hoc varietas Ecclesiæ orta est, allis sufficere credentibus, ut non cum Judæis 14 luna Pascha celebrarent. Alii autem hoc fortiter, cauteque custodiunt, ut immolationem veri Agni Dei, qui tollit peccata mundi ante 14 lunam celebrare non audeant. Secundum illos legale præceptum, quod et Dominus ad Passionem veniens minime contempsit, observabitis * eum usque ad 14, quod nunc maxime Ecclesia auctoritatem Sedis Apostolicæ sequens observat. Sed et hæc deserentes, quia non est hujus temporis per singula discurrere, ad spiritalem intelligentiam

mentes etiam convertamus, quibus præcipitur spiritaliter mense novorum 14 die mensis primi Paschalem carnem comedere, ut in vobis nascentibus bonorum operum fructibus, cum Decalogi a nobis fuerint verba completa in Evangelii perfectione quater numero consistentes * ternis nostri agni in vespere mundi, in quo seculorum finis pervenerit; non enim est * tenebricatis cordibus Spiritu sancto noctem nostram inluminante comedamus. Finit.

De nominibus Mensium.

CLI. Januarius, Aquarius, hydrodios, Februarius, Piscis, Acthis. Martius, Aries, Crios, Aprilis, Taurus, Taurus. Majus, Geminus, Dasdamus. Junius, Cancer, Carcenos. Julius, Leo, Leon. Augustus, Virgo, Parthenos. September, Libra, Tygos. October, Scorpius, Scorpios. November, Sagittarius, Toxotis. December, Capricornus, Evoceros.

De Mensibus Hebræorum.

Nisan, Aprilis. Jar, Majus. Siban, Junius. Tahani, Julius. Ab, Augustus. Elur, September. Theseri, October. Marsuan, November. Casleu, December. Tereth, Januarius. Sabath, Februarius. Adare, Martius.

De Mensibus Macedonum.

November Apolus. December Audinæus. Januarius Peritus. Februarius Disthor. Martius Psanticus. Aprilis Artemisius. Majus Desios. Junius Panemos. Julius Loos. Augustus Sarpicos. September Hyperberetheus. October Dius.

De Mensibus Ægyptiorum.

Thot Septemb. Paophi Octob. Athir Novemb. Chiac Decemb. Tubi Janu. Mechir Febr. Famenoth Martius. Farmuthi Aprilis. Paschon Majus. Pacni Junius. Epifa Julius. Mensuri Augustus.

De regulari Anno Domini, et de Inductione.

CLII. Ad annos Domini ab Incarnatione ideo mittimus 12 regulares, quia nato D. N. J. C. illa Indictione, quæ tunc erat anni 3, erant præteriti et remanserunt 12. Propterea auctores ad supplendum numerum de ipsis 12 regulares constituerunt.

Ad indictionem vero ideo mittimus 3 regulares, quia illi 3 anni, qui de illa Indictione præterierant, inde 3 regulares constituerunt.

Ad bissextum unum require, quia nato Domino primus annus erat post bissextum.

Ad Cyclum decemnovennalem unum regularem mittimus, quia nato Domino unus annus Decemnovennalis Cycli præcessit.

Ad circulum lunæ de annis Domini duos subtrahimus, quia nato Domino de illo Cyclo Lunari duo anni remanserunt.

Ad concurrentes 4 regulares mittimus, quia per quaternos 7 Cyclus Solaris discurrit, id est 28 annos.

Ad Epactam per 40 multiplicamus, quia de anno Solari 11 remanserunt, et per ipsos 11 ceteras Epactas multiplicamus.

Incipiunt in Christi nomine argumenta Græcorum de cyclis paschalibus Ægyptiorum, quæ investigata solertia Dionysius urbis Romæ sanctissimus abbas, utriusque linguæ Græcæ videlicet et Latinæ elegantis scientia præditus composuit, et conscripsit de numero annorum ab initio mundi, vel Incarnatione D. N. J. C. quomodo invenire debeas, nec non et reliqua, quæ subneza sunt.

CLIII. Si vis scire annos ab initio mundi, multiplica 15, 400, fiunt 6. Iterum multiplica 15, 21, fiunt 315. Adde Indictionem ejusdem anni, in quo computas, ut puta anni præsentis, quæ est 3, fiunt simul 6,318. Isti anni sunt ab ortu mundi. Hoc tantummodo memor esto lector solicitus, ut succedentibus annis semper, quando ad 15 Indictionem perveneris, 21 per 15 multiplices, iterumque per 22 per 15 multiplica, et post 15 Indictionem completam, et unum semper adjice.

De indictione.

Si vis scire de annis ab initio mundi indictionem facere, sume annos ab initio mundi, ut puta 6,318. Hos divide per 15 partes, quia indictio per 15 annos discurrit, hoc modo: Prius subtrahe 15, 400, fit 6,000. Remanent 318. Iterum 20, 15. Fit 300. Item 15, semel fit 15, remanent 3 tota indictio est. Si nihil remanserit, decima quinta erit.

De annis ab Incarnatione D. N. J. C.

Si vis nosse quotus annus est ab Incarnatione D. N. J. C. compota 15, quinquaginta quatuor, fiunt 810. His semper adde 12 regulares. Propterea autem auctores 12, regulares ad annos Domini adposuerunt, quia quando Incarnatio facta est, 12 anni de illa indictione remanserunt. Ideo autem regulares dicuntur, quia numerum annorum Domini regulare videntur. 12 ergo additis ad prædictum numerum, fiunt 521. Adde indictionem ejusdem anni, cujus volueris, ut puta 6, fiunt simul 827. Isti sunt anni Domini N. J. C. Hoc tantummodo memor esto lector solicitus, ut succedentibus annis semper quando ad quintam decimam indictionem perveneris, si 54 per 15 multiplicabis, iterum 55 per 15 multiplicabis, et post 15. Indictione completa et unum semper adjice, quibus additis semper 12 suprascriptis regularibus, implebis numerum annorum Domini, et nihil remanet, quod per 12 addere possis, sicut in aliis indictionibus remanet, ut in prima indictione 1, in secunda 2, in tertia 3, vel usque ad 14, tot remanent de compoto suprascripto quota fuerit indictio. In 15 vero indictione si ad summam superiorem, id est 54, vel 55 per 15 multiplicabis, semper 1 addas. Hoc argumento ad annos Domini inveniendos pervenies.

Item alia de annis Domini.

Si vis invenire annos ab Incarnatione Domini N. J. C., multiplica 15 quadragies, fiunt 600 et 15 terdecies, fiunt 795. Adde semper regulares 12 ad prædictum numerum, et indictionem ejusdem anni 3 fiunt simul 810. Isti sunt anni D. N. J. C. Hoc tantummodo memor esto solicitus lector, ut succedentibus annis semper quando ad 15. Indictionem perveneris, si 13 per 15 multiplicabis, iterum 14 per 15 multiplica, et post 15. Indictionem unam semper adjice.

De indictione.

Si vis scire quota sit indictio anni præsentis, sume annos Domini, quot fuerint, ut puta 810. His semper adjice 3 regulares. Propterea vero auctores posuerunt 3 Regulares ad indictionem, quia tertia indictio erat, quando Incarnatio fuit. Tribus ergo additis ad prædictum numerum, anni Domini fiunt 813. Hos partire per 15 partem, quia cyclus indictionum per 15 annos discurrit. Ideo quinquageni 15 fiunt 750. Item quaterni quindecies fiunt 60, remanent 3. Tertia indictio est anni præsentis, si nihil remanserit, 15 erit indictio.

De circulo decemnovennali.

CLIV. Si vis sapere, quotus annus sit circuli decemnovennalis annorum, sume annos Domini, qui fuerint, ut puta 810, et semper 1 regularem adjice, quia quando Incarnatio facta fuit, unus annus decemnovennalis cycli præcessit, uno ergo addito ad annos Domini, fiunt 811. Hos partire per 19 partem, quia cyclus decemnovennalis per 19 annos discurrit, 19 quadrageni, fiunt 760. Item bis decemnovies fit 38, remanent 13. Tertius decimus circulus est decemnovennalis anni præsentis. Quod si nihil remanserit, nonus decimus annus est decemnovennalis cycli.

De epactis lunæ

CLV. Si vis cognoscere, quot sunt epactæ, id est adjectiones lunares, sume annos Domini, qui fuerint, ut puta 810, hos partire per 19 partem, quia cyclus lunaris per 19 annos discurrit. Decemnovies quadrageni fiunt 760. Item bis decemnovies fiunt 38, remanent 12. Hos per 11 partem multiplica, fiunt 132. Hos partire iterum per 30 partem. Quaterni triceni fiunt 120, remanent 12. Duodecima epacta est adjectionis lunaris.

De Cyclo Lunæ.

Si agnoscere volueris, quotus Cyclus Lunæ est qui decemnovennali Cyclo continetur, tene annos Domini in manu tua, qui fuerint, ut puta, 810. De his semper subtrahe duos, quia quando Incarnatio facta est, duo anni de illo Cyclo Lunari remanserunt. Subtractis ergo duobus, remanent 808, hos partire per 19 partem, quia Cyclus Lunaris post 19 annos in se revertitur. Decemnovies quadrageni fiunt 760. Item bis decem novies fiunt 38, remanent 10, nonus Lunæ est decemnovennalis Circuli. Quotiens autem nihil remanet nonus decimus est.

De Concurrentibus.

Si vis nosse adjectiones Solis, id est Concurrentes septimanæ dies, sume annos Domini, qui fuerint, ut puta 810 et annorum Domini quartam partem semper adjice supra annos Domini, sunt 202, qui fiunt simul 1012. His semper adde 4 regulares. In fiue fit omnis summa 1016, hos partire per 7, quia Cyclus Solis per 28 annos discurrit. Septies centum fiunt 700. Item septies 40 fiunt 280. Itemque septies 5 fiunt 35, remanet 1. Tot concurrentes sunt septimanæ dies, qui de Solis cursu perveniunt.

De bissexto.

Si vis scire, utrum bissextus sit annus, an vero annus præparationis bissexti : sume annos Domini, qui fuerint, ut puta 810. Hos partire per quartam partem. Si 4 tantum remanent, bissextus est, quia post 4 annos peractos intervenit. Centum quaterni fiunt 400. Item nonageni quaterni fiunt 360. Item deni quaterni fiunt 40. Item bis quaterni fiunt 8, remanent duo. Secundus annus est præparationis bissexti. Si 3 remanserint, tertius annus erit præparationis bissexti. Si nihil remanserit, hoc est, si totus numerus per quaternos æqualis fuerit, bissextus annus erit. Ne tibi forsitan aliqua caligo erroris occurrat per omnem compotum, quem duces, si nihil supra fuerit, scies eumdem compotum esse, per quem duces, ut puta si per 19 duces, et nihil superfuerit, scies 19 esse; si per 15 duces, 15; si per 7 duces, 7; si per 4, quatuor.

Item de bissexto.

Si vis scire de bissexto, tene annos Solaris Cycli, quicumque fuerint in præsenti anno, V. G. 14 annus Cycli Solaris est. Dimitte semper 1, remanent 13. Partire per 4 partes. Dimitte 12, quia 4 terni sunt, remanet 1. Primus annus est præparationis bissexti. Si nihil remanserit, bissextus erit.

Sequuntur cycli decemnovennales Cyrilli, et Dionysii ab anno 798 incipientes, et in 987 desinunt.

De Cyclo Paschali.

CLVI. Paschalem Cyclum Hippolytus episcopus temporibus Alexandri imperatoris, etc. (*Edita sunt ab Isidoro Hispalensi lib.* VI, *cap.* 17, *Origin.*).

Incipit Tractatus sancti Athanasii episcopi Alexandrini de ratione Paschæ.

Mensis hic vobis initium mensium primus erit vobis in mensibus anni, etc. (*Opusculum istud olim misi ad Cl. V. D. Bernardum de Montfaucon Monachum Benedictinum Congr. S. Mauri, qui et illud publici juris fecit tom. II, pag.* 741, *Operum S. Athanasii a se editorum ; quare omittendum hic censui.*

Incipit cyclus annorum octoginta, et quatuor, qui computatur die Kalendarum Januariarum Festo et Gallo consulibus (*est ann.* 298), *et impletur Siagrio et Antonino coss.* (*est ann.* 382), *et redit ad caput Merobaldo et Saturnino coss.* (*est ann.* 383), *et tertio redit ad caput Posæo et Joanne V. C. coss.* (*est ann.* 467) [a].

Anni	Dies solis	Luna xxi	Pasch. v Id. Apr.	Luna xxi
ii	die ii	luna xxiii	Pasch. ix Kal. Apr.	luna xvii
iii	die iii	luna iv	Pasch. Id. Apr.	luna xvii
iv	die v	luna xv	Pasch. Non. Apr.	luna xx
v	die vi	luna xxvi	Pasch. xii Kal. Apr. sive xiv Kal. Maii	luna xvi luna xv

[a] Consulat lector egregiam de Paschali Latinorum Cyclo Dissertationem, editam ab immortalis memoriæ viro Henrico Norisio S. R. E. cardinali, qui hæc pluribus illustravit.

vi	die vii	luna ii	Pasch. v Id. Apr.	luna xvii
vii	die ii	luna xix	Pasch. Kal. Apr.	luna xix
viii	die iii	luna xxviii	Pasch. Kal. Maii.	luna xxii
ix	die iv	luna x	Pasch. viii Id. Apr.	luna xvi
x	die v	luna xxi	Pasch. v Kal. Apr.	luna xix
xi	die vii	luna ii	Pasch. xv Kal. Maii	luna xix
xii	die i	luna xiv	Pasch. iv Non. Apr.	luna xvi
xiii	die ii	luna xxv	Pasch. viii Kal. Apr.	luna xix
xiv	die iii	luna vi	Pasch. xviii Kal. Maii	luna xx
xv	die v	luna xvii	Pasch. Non. Apr.	luna xxii
xvi	die vi	luna xxviii	Pasch. xiv Kal. Maii	luna xvii
xvii	die vii	luna ix	Pasch. iv Id. Apr.	luna xix
xviii	die i	luna xx	Pasch. Kal. Apr.	luna xxi
xix	die iii	luna i	Pasch. xi Kal. Maii	luna xxii
xx	die iv	luna xii	Pasch. viii Id. Apr.	luna xviii
xxi	die v	luna xxvi	Pasch. iv Kal. Apr.	luna xxi
xxii	die vii	luna iv	Pasch. xv Kal. Maii	luna xx
xxiii	die i	luna xv	Pasch. iv Non. Apr.	luna xvii
xxiv	die ii	luna xxvi	Pasch. viii Kal. Apr.	luna xxi
xxv	die iii	luna viii	Pasch. xviii Kal. Maii	luna xxii
xxvi	die iv	luna xix	Pasch. iv Kal. Apr.	luna xvii
xxvii	die vi	luna xxx	Pasch. xiv Kal. Maii	luna xix
xxviii	die vii	luna xi	Pasch. iv Id. Apr.	luna xxi
xxix	die i	luna xxii	Pasch. vii Kal. Apr.	luna xvii
xxx	die ii	luna iii	Pasch. viii Kal. Maii	luna xvii
xxxi	die iv	luna xiv	Pasch. viii Id. Apr.	luna xx
xxxii	die v	luna xxv	Pasch. xi Kal. Apr.	luna xvi
xxxiii	die vi	luna vi	Pasch. iii Id. Apr.	luna xvii
xxxiv	die vii	luna xvii	Pasch. iv Non. Apr.	luna xx
xxxv	die ii	luna xxi	Pasch. viii Kal. Apr.	luna xxii
xxxvi	die iii	luna x	Pasch. vii Id. Apr.	luna xvi
xxxvii	die iv	luna xxi	Pasch. iii Kal. Apr.	luna xx
xxxviii	die v	luna ii	Pasch. xiii Kal. Apr	luna xx
xxxix	die vii	luna xiii	Pasch. iii Non. Apr.	luna xvi
xl	die i	luna xxiii	Pasch. vii Kal. Apr.	luna xix
xli	die ii	luna v	Pasch. xvii Kal. Maii	luna xx
xlii	die iii	luna xvi	Pasch. vii Id. Apr.	luna xxi
xliii	die v	luna xxvii	Pasch. xi Kal. Apr.	luna xvii
xliv	die vi	luna xxvii	Pasch. iii Id. Apr.	luna xix
xlv	die vii	luna xix	Pasch. iii Non. Apr.	luna xxii
xlvi	die i	luna xxx	Pasch. xvii Kal. Maii	luna xvi
xlvii	die iii	luna xi	Pasch. vii Id. Apr.	luna xvii
xlviii	die iv	luna xxii	Pasch. iii Kal. Apr.	luna xxi
xlix	die v	luna iv	Pasch. ii Id. Apr.	luna xvi
l	die vi	luna xv	Pasch. iii Id. Apr.	luna xvi
li	die i	luna xxvi	Pasch. vii Kal. Apr.	luna xvi
lii	die ii	luna vii	Pasch. xvii Kal. Maii	luna xxi
liii	die iii	luna xix	Pasch. ii Kal. Apr.	luna xviii
liv	die iv	luna xxix	Pasch. xi Kal. Apr. sive xii Kal. Maii	lunæ xxi xviii
lv	die vi	luna x	Pasch. iii Id. Apr.	luna xxi
lvi	die vii	luna xxi	Pasch. vi Kal. Apr.	luna xvii
lvii	die i	luna ii	Pasch. xii Kal. Maii	luna xviii
lviii	die ii	luna xiii	Pasch. vi Id. Apr.	luna xxi
lix	die iv	luna xxiv	Pasch. x Kal. Apr.	luna xxi
lx	die v	luna vi	Pasch. ii Id. Apr.	luna xviii
lxi	die vi	luna xvii	Pasch. ii Non. Apr.	luna xxi
lxii	die vii	luna xxviii	Pasch. xv Kal. Maii	luna xvi
lxiii	die ii	luna ix	Pasch. vi Id. Apr.	luna xvii
lxiv	die iii	luna xx	Pasch. ii Kal. Apr.	luna xx
lxv	die iv	luna i	Pasch. xii Kal. Maii	luna xxi
lxvi	die v	luna xii	Pasch. ii Non. Apr.	luna xvi
lxvii	die vii	luna xxiii	Pasch. vi Kal. Apr.	luna xix
lxviii	die i	luna iv	Pasch. xvi Kal. Maii	luna xx
lxix	die ii	luna xv	Pasch. Kal. Apr.	luna xvi
lxx	die iii	luna xxvi	Pasch. x Kal. Apr.	luna xviii
lxxi	die v	luna vii	Pasch. ii Id. Apr.	luna xix
lxxii	die vi	luna xix	Pasch. v Kal. Apr.	luna xvi
lxxiii	die vii	luna xxx	Pasch. xv Kal. Maii	luna xvii
lxxiv	die i	luna xi	Pasch. vi Id. Apr.	luna xix
lxxv	die iii	luna xxii	Pasch. ii Id. Apr.	luna xx
lxxvi	die iv	luna iii	Pasch. Id. Apr.	luna xxi
lxxvii	die v	luna xiv	Pasch. Non. Apr.	luna xviii
lxxviii	die vi	luna xxv	Pasch. vi Kal. Apr.	luna xxi
lxxix	die i	luna vi	Pasch. xvi Kal. Maii	luna xxi
lxxx	die ii	luna xvii	Pasch. Kal. Apr.	luna xviii

lxxxi	die iii	luna xxviii	Pasch. x Kal. Apr.	luna xxi
lxxxii	die iv	luna ix	Pasch. ii Id. Apr.	luna xxii
lxxxiii	die vi	luna xx	Pasch. Kal. Maii	luna xviii
	die vii	luna i	Pasch. xv Kal. Maii	luna xviii

Iterum ad caput revertitur.

Explicit.

Nullum sane pes moveat, eo quod quintus annus Cycli designatum diem Paschæ habeat, hoc est XII Kal. Apr. Die Dominica luna 16 hoc semel in annis 84 faciendum est hac ratione, eo quod violentia lunæ, vel lex Paschæ prohibet, ne die V Kal. Apr. aliquis præsumptive æstimet se Pascham facere, qua die erit luna 23 et super semisse. Maxime cum lege sit cautum, ne modum lunæ statum aliquis excedat, et in gravem offensionem incurrat. Sed potius est ut die XII Kal. Apr. celebretur Pascha; ubi levis reprehensio est, quam criminis nota, sicut et in veteri laterculo continetur. Et hoc necessario oportuit intermitti, esse quosdam annos, in quibus duplicis Paschæ, sive duæ in unum veniunt, et quia una observanda est, erit in arbitrio summi Sacerdotis conferre cum Presbyteris, qui dies eligi debeat, dummodo omnes unanimes ipsum diem Paschæ in unum convenientes celebremus.

Explicit Tractatus de ratione Paschæ, hoc est de 12 Kal. Apr.

In commentariis Victorini inter plurima hæc etiam scripta reperimus. Invenimus in membranis Alexandri Episcopi, qui fuit in Hierusalem, quod transcripsit manu sua de exemplaribus Apostolorum, ita VIII Kal. Janu. natus est Dominus N. J. C. Sulpitio et Camerino Coss. Et baptizatus est VIII. Id. Janu. Valeriano et Asiatico Coss. Passus est X Kal. Apr. Nerone III et Valerio Messala Coss. Resurrexit VIII Kal. Apr. Coss. suprascriptis. Ascendit in cœlos V Non. Mai. post dies 40 Coss. suprascriptis. Johannes Baptista nascitur VIII Kal. Jul. et circumciditur Kal. Jul. Ad Mariam vero locutus est Angelus VIII Kal. Apr. Sexto jam Conceptionis mense Elisabeth habere dicens. Ex quo supputatur eodem die Dominum fuisse conceptum quo et resurrexit Amen

Domino et filio Sisebuto Esidorus.

Dum te præstantem ingenio, facundiaque, etc. (*Editum est opusculum inter S. Isidori Hispalensis Opera hoc titulo:* De rerum natura.

Incipit Versus

Annus Solis continetur
Quatuor temporibus,
Ac deinde adimpletur
Duodenis mensibus.
Quinquaginta, et duabus
Currit Hebdomadibus,
Una die superducta,
Et sex horis paribus.
Tricentenis sexaginta,
Atque quinque diebus.
Sic ambitum Zodiaci
Sollustrat discursibus,
Sed excepta parte quarta
Noctis atque diei,
Quæ dierum superesse
Cernitur seriei.
De quadrante post annorum
Bis binorum terminum
Calculantes colligendum
Decreverunt bissextum.
Tantus ei honor datus
A regali culmine,
Quod si; fuit nominatus
A Julio Cæsare.
Quem ponendum anni fine
Decrevente Gajus
Dies quinque iterante
Quam brevis Februarius
Hinc annorum diversantur
Luna longitudinis,
Quorum quidem Embolismi
Quidem fiunt communes;
Brevis quippe qui vocatur
Communis Lunaribus.
Sic semper duodecim
Terminatur mensibus
Tricentenis quinquagen.
Bisque binis diebus.
Hic undenis annus Soli
Percurrit discursibus;
Longus annus Embolismi
Supercrescens dicitur;
Lunæ tribus, atque decem
Mensibus colligitur.
Longus iste annus lunæ
In dierum termino
Continetur tricenteno
Octogeno quaterno
Novem idem Embolismis,
Atque decem diebus
Pervidetur annum Solis
Superatur est cursibus.
Brevioris Annus totus
Terminatur circulos
In trecentis quinquaginta
Atque quatuor diebus.
Uno nempe atque decem
Diebus in ordine
Brevis annus anno Solis
Superatur agmine.
Embolismo incremento
Magna larga copia
Anni lunæ brevi ordine
Suppletur inopia.

Dehinc decem atque novem
Annorum constituitur
Tempus certum, quo lunaris
Terminus porrigitur,
In quo luna replicantur
Cursu quodam subtili
Decies quini quinquies noni
Simul quinis circuli.
Huic cyclus ut exigit
Perscrutando ratio
Semper partes dies saltus
Interserit spatio
In duodenæ horæ fine
Percurrit incensio.
Sic momento quater ducto
Cursu * semper menstruos.
Et momenti duodenæ
Addita particula
Per mensuum duodenorum
Singula curricula
Atomi superadditis
Ducenteno numero
Trigesies et quinquies
Ducto eorumdem cumulo.
Saltus lunæ supercrescit
Cursu subtilissimo
Ducenteno mense quino
Necnon et trigesimo.
Qui sic fiant quater ducti
Efficiunt cumulum
Momentorum nongentorum
Quadraginta ad cumulum.
uibus puncti fiunt cuncti
Sex et novem decies
Momentorum nongentorum
Atque decem sexies,
Denis nonis annis ductis
Habent suum spatium
Dies solis atque lunæ
Æquum pondus partium.
Dionysius attentus

A Cyclum nobis tradidit,
Communis et imbolissimus,
Jus Paschale reddidit.
Sanctissimus ipse abbas,
Diem saltus memorat,
Quinis denis Kalendarum,
Magii demonstraverat,
Calculavit unum diem
Bis * obtimini termini,
Ne deesset idem munus
Primo anno communi
Hoc augmentum si concrescit
Mensibus plurissimis
Ducentenis, atque quinis
Nec non et trigesimis.
B Græci dicunt, et Ægyptii
De saltu certissima
In undenis Kalendarum
Epacta trigesima
In Latinis diem saltus
Memorant in quindecim
Kal. Decemb. concelebrant.
Hujus cycli pars vocatur
Ogdoas anterior,
Ac deinde appellatur
Endecas ulterior.
Ogdoadi deputantur
Octo anni priores.
Endecadis undena
Comprobatur series
C In hoc cursu fiunt anni
Communes duodecies.
Anni vero embolissim
Subputantur septies.
Per decem et novem annos
Hic calculus tenditur
In eumdem lunæ cursum
Cyclus revertitur
Sex millia nongentorum
Triennarum biennium
Bisque trinis supramissis.

Reliqua desiderantur.

HISTORIA

TRANSLATIONIS CORPORIS S. CORNELII PAPÆ

Apud Compendium.

(Lebeuf. *Recueil de divers écrits pour servir d'éclaircissements à l'Histoire de France; monuments historiques sur Charlemagne et Charles le Chauve.*)

MONITUM.

Je n'ai pas été des derniers à marquer du mépris pour le Martyrologe gallican de du Saussay. Il y a bien des années que j'ai appris de feu M. Chastelain, chanoine de Paris, le cas qu'il en fallait faire. Il est inutile de rappeler ici le jugement que d'autres en avaient porté avant lui. André du Saussay écrivait

indifféremment tout ce qui lui venait, bon ou mauvais, et toujours sans citer ses garants ni sans faire connaître les sources d'où il puisait ce qu'il disait. Cette manière d'écrire a indisposé les lecteurs contre lui; et c'est avec assez de raison : je ne voudrais pas cependant lui intenter pour cela procès sur tous les articles généralement de son ouvrage. En voici un sur lequel il faut qu'il ait eu quelques Mémoires, et qui prouve qu'on peut trouver à profiter jusque dans les livres les moins exacts. Il regarde saint Corneille patron de l'abbaye de Compiègne. Baillet, qui ne peut guère se résoudre à pardonner à du Saussay, observe que cet hagiologiste marque au 4 mars la translation du corps de ce saint pape à Compiègne, et qu'il le dit transporté directement de Rome et placé près de S. Cyprien par l'empereur Charles le Chauve; et le même Baillet, après avoir mis tout ceci sur le compte de du Saussay, ajoute aussitôt : *Quoiqu'on n'en ait pas de preuves.* Il est fâcheux que ces preuves qui ne sont pas entièrement perdues, n'aient pas été connues du P. Mabillon. Il avait tout lieu d'en faire mention dans le troisième volume des annales de son ordre, s'il en avait eu connaissance. Il se contente de nous citer Helinand et Albéric sur une translation de ce saint faite en 1073, sans dire en quel endroit elle fut faite. Il nous dit encore qu'on lit dans la bibliothèque de Steinwchius, tom. II, que le q. *Cives apostolorum*, fut composé à l'occasion de la réception des corps de S. Corneille et de S. Cyprien à Compiègne. Loin que toutes ces circonstances développent le fait, elles me paraissent l'embrouiller davantage : car la translation du corps de S. Corneille est sûrement du neuvième siècle et non du onzième; et son corps fut reçu seul et non avec celui de S. Cyprien. Il est vrai que j'ai vu une chronique rédigée au quatorzième siècle, dans laquelle je lis à peu près les mêmes choses que dans Steinwchius; elle marque de Charles le Chauve cette circonstance : *Reliquias SS. Cornelii et Cypriani ibidem* (compendii) *posuit; in quorum adventu composuit Responsorium quod cantat Ecclesia :* Cives apostolorum. Mais je ne crois pas ce fait assez authentique pour mériter qu'on y ait égard; et je trouve dans le recueil des actions de Charlemagne par le moine de Saint-Gal, une autre origine de ce répons (*a*). Pour appuyer le sentiment où l'on est à Compiègne que l'on tient le corps de S. Corneille des libéralités de Charles le Chauve, je ne citerai point un auteur tout à fait contemporain, mais je produirai un écrivain qui avait connu des personnes témoins de sa réception. Je tire de ses propres paroles la preuve qu'il vivait peu de temps après. *Et ut quibusdam nostrorum tunc temporis præsentium ipsorum* (*episcoporum*) *ore prolatum fuisse dignoscitur deferentium, tam videbatur illis ferre onus levissimum, ac si omni modo maneret vacuum quo ossa vehebantur beati papæ capulum.* L'écrivain veut parler en cet endroit de la facilité avec laquelle les évêques portèrent la châsse : il nous apprend que ce fut de Rome que Charles le Chauve apporta ces saintes reliques lorsqu'il en revint avec la qualité d'empereur : qu'on alla jusqu'à trois mille pas au-devant du corps; que ce fut là où les évêques commencèrent à le porter; que trois aveugles recouvrèrent la vue, trois sourds l'ouïe, trois muets l'usage de la langue, et plusieurs paralytiques la guérison, dans un endroit où, en mémoire de cela, on avait élevé une grande croix (*b*); que l'empereur fonda à cette occasion des clercs sous le titre de S. Corneille, lesquels il égala à ceux de Notre-Dame, qui était l'ancien titre qu'il avait donné à l'église de Compiègne bâtie par ses soins; qu'il combla cette église de présents, comme de vases et autres meubles; ce qui fut imité par les officiers français. Quoique l'auteur fût très-peu éloigné du temps de cet événement, il ne laisse pas de dire que depuis cette fameuse cérémonie, l'église avait été brûlée deux fois. Il marque encore que le S. corps avait été déposé dans les cryptes de cette église. Ce qu'il y a de plus singulier dans le style de cet écrivain, est que, quoiqu'il écrive en prose, son style est rempli de rimes qui se trouvent à toutes les *incisions* des périodes, ce qui le rend souvent inintelligible (*c*); et comme de son temps on goûtait fort le mètre prochaïque pour transmettre les faits à la postérité, il s'avise tout à coup, après son narré prosaïque, de célébrer son saint en cette espèce de vers qui paraissent venir d'une autre plume : et faisant un supplément à ce narré, il ajoute qu'il y eut vingt mille âmes présentes à cette cérémonie; que l'église était ornée de tapis de soie, de couronnes d'or et d'argent; que les reliques furent déposées dans un sépulcre; qu'il s'y opérait une infinité de miracles; il dit un mot des barbares au nombre de dix mille (apparemment des Normands) qui mirent le feu à dessein de brûler l'église, et qui brûlèrent véritablement le palais du roi et le cloître du clergé : il ajoute qu'ils furent ensuite tués en grand nombre par les Chrétiens, dont aucun ne périt par un effet de l'assistance du saint. L'historien ni le poëte ne disent pas un seul mot des reliques de S. Cyprien : ce qui fait voir que son corps ne fut point apporté avec celui de S. Corneille, et qu'il ne faut pas être étonné si, dans le concile de Reims de l'an 1049, on voit une châsse du nom seul de ce saint pape, sans aucune mention de S. Cyprien.

M. Baillet n'avait pas tort de demander des preuves au sujet des traditions telles que celles-ci; mais il ne s'ensuit pas toujours qu'il n'y en eût point, parce que cet historien ne les connaissait pas. M. Baillet n'était point un scrutateur de manuscrits. J'ai trouvé celui dont je viens de faire l'extrait parmi ceux de M. Loisel de Beauvais, qui ont appartenu depuis à M. Joly, chantre de l'église de Paris, et qu'il a légués à cette église. Je m'étonne que ce savant qui en avait tant communiqué d'autres à Dom Mabillon, ne lui ait point fait part de celui-là. Je ne le produis point en son entier, parce qu'il y a plusieurs endroits qui ont été gâtés par la longueur du temps, et qui ne sont pas lisibles, et d'autres qui ne renferment que des réflexions morales assez inutiles. Cependant j'essaierai de le donner le plus exactement qu'il me sera possible, à cause qu'il regarde un fait important de la vie de Charles le Chauve, et qu'on ne doit rien négliger de ce qui concerne l'histoire de nos rois de la seconde race, laquelle est encore pleine d'obscurités et de difficultés. La ville de Compiègne pourra me savoir bon gré de ce que je tire des ténèbres un monument qui éclaircit les commencements de la célèbre église de Saint-Corneille. Il y a toujours de l'honneur à concourir à illustrer une ville que notre glorieux monarque honore si souvent de sa présence, et qu'il se plaît si fort à embellir de toutes les manières.

(*a*) Il dit que ce chant fut fait par les Romains, lorsque Pepin, après avoir vaincu les Lombards, alla à Rome par dévotion; et qu'on le chanta à son arrivée. M. Servin rapporte ainsi le fait dans son plaidoyer contre l'évêque d'Angers au sujet du Bréviaire d'Anjou (in-4° pag. 25).

(*b*) Serait-ce le lieu qu'on appelle aujourd'hui *La Croix de Saint-Ouen?*

(*c*) La fin de la vie de S. Chaffre (*Theofridus*) dans le P. Mabillon est du même style. *Sac. III. Bened.* t. I, pag. 481.

HISTORIA TRANSLATIONIS CORPORIS S. CORNELII PAPÆ APUD COMPENDIUM.

Est operæ pretium ac satis proficuum cunctis, beati papæ Cornelii fidentibus meritis, ejus gloriosæ qualitatem non ignorare translationis; quatenus ipsius archimandritæ loco quo sancta requiescunt ossa cognitio, omni labyrintheo errore postposito, ejusdem suffragia perniciori valeant appetere corpore et animo. Noscat igitur circumquaque diffusa Christianæ religionis fraternitas, qualiter domnus Carolus Lodovici filius ab illo magnanimo Carolo rex cognomine tertius, progenieque quintus, qui tunc temporis Romanæ perindeque Franciæ gratulabatur regimine, conscissis Christo duce inimicorum labaris, undique Francorum patriæ cœpit solerter loca collustrando perquirere, quo gratia victoriæ divina sibi de hoste miseratione concessa, Christi sub honore nominis basilicam valuisset fundando condignanter construere. Cujus optimum boni cordis desiderium præclarus ille oculus quem nil fallere nequivit, nec quit, nec unquam potuit ex alto prospiciens, quidquid de Dei servitio inerat ut supplere pro voto valuisset misericorditer enucleando suggerere dignatus est. Dum enim imperator prælibatus velut alter Salomon superni amoris igne succensus, ad jacienda divini templi fundamenta suo cum omni exercitu, tam plana quam dumosa diversorum circuiret Franciæ locorum spatia, contigit illum non fortuitu, sed cœlestis providentiæ nutu, quemdam penetrare saltum percito cursu. Illius videlicet saltus si requiris, frater, vocabulum, noscas dictum nostrorum prisca relatione patrum [a]…….

Videns itaque imperator prædicti saltus diversorum veluti secundum paradisum diversorum generum arboribus mirifice consitum habileque tam ad piscandum quam ad ignem fervidæ pestis salubriter reprimendum, limpharum rivulis affatim irriguum, mox superna inspirante clementia animadvertit velle sibimet Christum inibi constrari domicilium. Cujus loci divino ad ædificandum numini tabernaculum habilitate comperta, cunctique Francorum exercitus phalange imperiali jussu in uno conglobata, cœpit Carolus tam mentem intrinsecus vitiis exutus spiritalibus, quam frontem extrinsecus corporeis nudatus crinibus [b] a suis sciscitari consilium, quorum ratione in eodem loco valuisset fundare templum. Quorum omnium assensu votoque benevolo salutifera in decretione corroboratus imperator, suo jussit officio, ut demptis acutis vepribus surculisque silvarum radicitus evellatis omnibus, sub laude Christi nominis salubre ædificaretur asylum, hoc est, cunctis credentibus medicabile refugium. Rite etenim cautaque provisione actum est, ut subductis lappis, paliuris et carduis, tali in loco ecclesiæ erigerentur maceriæ, in quo ab eodem in posterum tempore, pio corde petentibus, integroque cerebro aures Christi pulsantibus, materialium spinarum acutissimæ velut vigorem disrumpentes internum, animæ humanorum criminum cœlesti pietate erant obliterandæ maculæ.

De hujus scilicet ecclesiæ fabrica miro lapidea contabulatu constructa multum nobis quod loqueremur aderat; sed quia ejus minime frustramur præsentia, idcirco ratiocinando de ea dividi prohibemur sensu per plurima. Sed illud obtegi silentio sat indignum decernitur, qualiter pius pater Carolus qui instar cœlestis sideris mundo splendebat conspicuus, ubi regia fulvis emicans aula tholis evecta est supremi ad arcem usque culminis, centenisque clericorum satis opipare ornata numeris, ac plurimis variarum possessionum dicata de donariis, cœpit anxiari et sollicitus esse, ignorans quibus hanc, ut ita dicam, superham Jerusalem sanctorum pignoribus valuisset decorare attentius. Hæc et his similia imperiali dum versantur in peccatore, divina illi ad memoriam reducitur pietate semet, Dei gratia procurante, totius pene orbis ditione vigere; ac proinde non illi opus esse talia volvendo in corde nimium intima turbari mente, quia de quacunque voluerit locorum parte, nullo hominum obstante, sibi valebit sumere, unde præscriptam basilicam quibit decorando pompare: cujus secreti ac divini supplemento refocillatus consilii, omni Francorum iterato exercitu congregato, dixit se Romam velle petere desiderio ardentis animi plus solito [c]. Nec mora, quisque Francorum exercituum miles inclytus, in nullo jussis audens contraire imperialibus, tantæ expeditionis festinat sibi pro posse acquirere apparatus, ut hora qua moveri castra jusserit imperator Carolus, nullam moram ingerere videatur regiis curribus partes Italicas ardenter properantibus. Quod ita ut factum est, imperator laxis habenis Romam ocius petiit, sanctumque quod diu mente disposuerat desiderium compos Christo adminiculante complevit; beatissimi videlicet papæ Cornelii corpus inde deferens, victoriosisque Francorum partibus toto lætus corpore et animo gratulanter inferens.

Hic auctor sermonem convertit ad urbem Romanam, ac postea ad sanctum Cornelium; deinde pergit alloquens eumdem sanctum:

Quæ gesta sint illic (*loquitur de Compendio vicinisque locis*) promere nequeo: unum saltem quod

[a] Hic exscriptor operis omisit nomen proprium silvæ; forte quod illud minio pingere sibi proposuisset ipse auctor operis ac postea oblitus fuisset.

[b] Notanda rasura frontis in hac occasione.

[c] *In annalibus Bertinianis legitur Carolum a summo pontifice fuisse invitatum, eumque illuc advenisse die Decembris XV, atque ibi coronatum fuisse.*

veridica Patrum cognovi relatione meæque mandans attitulavi quanquam fragili memoriæ, omnigeno Christo loquens, propulso frivolo, fraternis auribus, prout audivi, intimare curabo. Fertur etenim quod dum tui sanctissimi corporis per opaca supradicti saltus humeris episcopalibus ferebantur, per viam contigit divino nutu in ejusdem parte fere media ita aggravari illa, ut penitus episcoporum eadem ferentium nequirent sufferre ulterius spatularum fulcra. Qui quantocius aureis subtractis vestibus tantæ molis humotenus deponentes, reatuum jusserunt acclamari veniam, ut huic spectaculo statim adesse festinare... Procul namque dubio sensatus mente imperator Carolus... te hujus aulæ hospitem post beatæ memoriæ virginem vult gloriari, ut erat consequens totius dominii ac basilicæ principem. Quo divinitus cognito de locorum more plicatis vadiis quidquid te sentire potuit velle, pro posse imperiali dicto citius devota mente non distulit libenter supplere. Ac deinde tale imperiale sanxit privilegium, ut inter tuos sanctæque Mariæ famulos nulla distantia nullumque deinceps adforet digladiabile discidium, sed ut vestrum æquanimiter valuissent exsequi servitium, æquali foverentur pondere præbendarum. Ut autem hoc securi totius sæcularis inopiæ, absque ullius impedimenti intercapedine quivissent agere, sua de propria supellectile, cum omni quæ adesse videbatur Francorum non minima phalange, sub clarissimo tui nominis decore, omnem dotem hujus aulæ regiæ duplicibus donariis imperialiter curavit ampliare. Nemo etenim illic tunc Francorum exercituum visus est, qui juxta posse proprium huic ecclesiæ denegare voluisset beneficii donativum. Quis namque mortalium tam obstinati pectoris eo loci adesse poterat qui tot visis miraculorum signis in eadem solitudine triplicia æternæ virtute peractorum potentiæ huic beato papæ cujus fiebant merito requirente famulaturis fugitivæ non provideret tribuere quo alerentur donarium substantiæ? dum tres cæcos visum, tres atque surdos auditum, tribus nec non mutis solvit linguæ vinculum, paralyticos quoque quamplurimos ante beati papæ ostium pristinæ sanitatis hauriret oculis recuperare remedium. Quod verissima assertione testificatur adhuc crucis signaculum in eodem loco sublimi stipite fixum. Illinc nempe tantum in honorem excrevit locus iste, ut, etsi in tot vicibus repertus foret jacturatus, nullus locorum Franciæ huic se ornatu præsumpsisset ullomodo comparare. Sed ubi sæpe ignis vorans exigente populi mole peccaminum accidere dignoscitur, excidium graverinum et inextricabile terrestrium consuescit parere dispendium. Non miretur itaque quis assistentium præsentem locum auri argentique copia nudatum, quia bis post gravem labentium invasionem flammarum..... cedentibus non erit restauratum: sed potius tali cessans ab admiratione, Christo satagat preces suppliciter fundere, ut ita dignetur precibus beati papæ Cornelii hunc locum misericorditer conservare, quo amplius tali pro re opus non habeat restaurationis. O summa et ineffabilis æternæ virtus deitatis! quæ tam miris modis honorem nunquam desinit impendere testibus suis! mox namque ut præsentis, de quo sermo ventilatur, martyris desiderium ex olympi celsitudine prospexit efficaciter completum, ita ejus iterum permisit alleviari corpusculum, ut si (quo ita dicam) istud voluisset discurrere per inane magnum, omni procul repagulo remoto volitare valuisset more volucrum ipsas nubes remigio alarum quandocunque excedentium. Quod ipsius rei certissimo comprobatur exitu; quia quod dudum bis mille nequibat moveri manibus hominum, nunc cernitur deferri binorum scapulis episcoporum præsentis ovilis usque in atrium. Et, ut quibusdam nostrorum tunc temporis præsentium ipsorum ore prolatum fuisse dignoscitur deferentium, tam videbatur illis ferre onus levissimum, ac si omni modo maneret vacuum quo ossa vehebantur beati papæ capulum. Unde minime hæsitans, papa beate, credo quod divinæ voluntatis obsequens munio cunctis Franciæ profuturis incolis requiescere cupiebas sub umbra cryptarum basilicæ astantis. Quantum denique ab eodem tempore pollet locus iste tuo felix stemmate, tibi loquens frater ille, [a] mente crevit, papa sancte, sic orsus tunc metrice:

Est locus beatus ille,
Corneli sanctissime,
Post agones et coronas,
Quo quiescis corpore,
Qui tuo felix triumpho
Gloriatur præpotens.
Roma quondam, te fruendo
Pullulabat actibus,
Nunc tua virtute fulta
Gratulatur Francia
Prosperis versisque rebus
Dote tanta nobilis.
Qua pius rex æde facta
Transtulit te Carolus,
Cujus est enorme pondus
Preminenti fabrica,
Quæque valde pretiosis
Pollet in donariis.
Quo loco multo triumpho
Regis atque principum,
Clericorum cum favore
Ac sequentum militum,
Æque vulgi perstrepentis
Es receptus pondere.
Tanta... ibi triumphans
Obviavit gloria,
Ut comes phœbea lampas
Crederetur adfore,

[a] *Hic in ms. videtur error aliquis irrepsisse... Forsitan* ill. *tenet locum nominis proprii.*

Sic refulsit per viarum
Terna milliaria.
Hi cruces auri ferebant,
Alteri candelabra;
Thura fumant hinc et inde,
Hi refulgent coccino:
Supplices omnes adorant,
Nuda dant vestigia.
Colla tunc episcoporum
Atque regis inclyti
Dulce pondus deferebant
Ædis ad sacrarium,
Plebsque supplex confluebat
Fulcra gaudens tangere.
Antecedit turba multa
Clericorum candida,
Subsecuta est turba plebis
Ut viginti millia,
Concinentes voce magna
Gratias Altissimo.
Nulla vox nullusque sermo
Prævalet depromere,
Quanta sit hujus diei
Obsequens lætitia,
Cum receptus es, patrone,
Regis in palatium.
Hi canunt, illi resultant
Clara laudum carmina,
Fit tubarum bombus ingens,
Perstrepunt et organa,
Insuperque lacrymantur
Plurimi lætitia.
Emicabat namque templum
Sericis in palliis
Aureis argenteisque,
In coronis splendidis,
Luminumque aromatumque
Cum decore maximo.
Quanta tunc tibi fuit, rex,
Pectoris lætitia,
Cum greges magnos videres
Sospitati redditos,
Atque plures ad salutem
Cerneres consurgere.
O beate Carle Cesar!
O beata Francia!
Quæ patrono fulta tanto
Promereris gaudia:
Nec pavebis ad ruinam
Illius pericula.
Inde rex iste receptum
Dote multa munerat;
Namque sacrum clericorum
Duplicavit ordinem,
Resque multas largiendo
Esse fecit divitem.
Addiditque argenta multa,
Pondus auri maximum,
Pretiosas inde vestes

A Aggerans quamplurimas,
Et simul gemmas nitentes
Præbuit largissime.
Es tamen locatus æde,
Aureis in sedibus
Vivis, in qua gloriosus,
Multiplex virtutibus,
Hicque Franci te patronum;
Ore, votis ambiunt.
Gloriosa sanitatum
Hic fiunt miracula,
Qui petit capit salutem,
Nemo frustra supplicat;
Hinc locus felix triumphat,
Atque pollet patria;
B Dæmones hic te timentes
Confitentur crimina,
Versipellis atque prædo
Capta linquit corpora,
Et miser fugit repente
Horrido cum murmure.
Verba mutis, atque cæcis
Porriguntur lumina,
Aurium pedumque tarda
Dissecantur vincula:
Languor omnis hic quiescit,
Ægritudo pellitur.
Sæpe vero de remota
Parte regni debiles,
Dum tuum petunt sepulcrum
C Se medendi gratia,
In via sunt restituti
Sanitati pristinæ.
Est et illud valde mirum
In relatis partibus
Languidi cum vota mittunt
Ad tuam præsentiam,
Ac velut sopor recedat
Sic medela subvenit.
Nullus hic impune prædo
Allevabit lanceam,
Ut ruina comprobavit
Barbarorum maxima;
Igne templum concremare
Quinque vellent millia.
D Spiculis dum dimicarent
Æque quinque millia,
Hispidam volante ferro
Redderentque machinam
Ordinati per phalanges
Horridi ceu dæmones.
Ac velut si pars Averni
Ructuaret sulphura,
Mistus ignis fluctuaret
Alta pulsans sidera,
Barbari circum furentes,
Tanta dant incendia
Nempe mira tanta ignis
Tunc erant spectacula,

Claustra cleri, regis aulam
Cum voraret proximam,
Lamberetque flamma templum.
Nec valeret urere.
Sic tuos favore fultos
Extulisti servulos,
Sternerent ut multa passim
Barbarorum corpora
Ac periret nullus horum
Cum forent paucissimi.
Horrores malis in bello,
Externis victoria;
Sic ait qui te vocavit
Hostis in certamine,
Ut tuos fecisse constat
Cum salutis munere.
Esto virtus illa tecum
Permanet robustior,
Schismatum bellator olim
Quam gerebas pectore.

Propter hoc modo triumphas
Proterisque barbaros.
Mira sunt quæ replicamus.
Præterimus plurima:
Sed tamen sensu modesto
Dicta sunt non frivolo;
Comprimamus jam relatum,
Ne salus fastidiat.
Posce, o sancte, tonantem
Pro tuis clientulis!
Ut queamus expiari,
Omni ab molestia,
Ac beata confoveri
Angelorum curia.
Conglobati atque tuo
Translatori Carolo,
Summæ formam deitatis
Mereamur cernere,
Quæ disponens regit cuncta
Sæculorum sæcula.

DE ANTIQUIS EPISCOPORUM PROMOTIONIBUS

Cum diversis formularum ad eas spectantium et formatarum exemplis.

(Apud Mansi, Conc. tom. XVI, Append. pag. 879.)

PRÆFATIO JAC. SIRMONDI S. J.

Quo more olim rituque, tum in cætera ecclesia, tum maxime in Gallia, promoti fuerint episcopi.

Vetus olim totius Ecclesiæ mos fuit, episcopos cleri et plebis, cui præfuturi erant, suffragiis creari. Sic enim, ut altius non repetam, Cornelium Romæ clericorum plebisque suffragio episcopum factum. Cyprianus epistola quadragesima prima et quinquagesima secunda, Cyprianum Carthagine judicio Dei, et favore plebis ad officium sacerdotii et gradum episcopatus electum, Pontius diaconus in ejus Vita, Alexandrum in Comanorum Ecclesia, rejectis iis quos cives suffragiis suis commendabant, episcopum a Gregorio Neocæsariensi designatum fuisse, auctor est Gregorius Nyssenus. Et quanquam in Oriente postea usus invaluit ut in episcoporum electionibus populi suffragia non exquirerentur: post synodum nempe Nicænam, quæ canone quarto et sexto episcopos, nulla cleri plebisve facta mentione, ab episcopis provinciæ creari et ordinari jubet, et post Laodicenam, cujus canon decimus tertius sacerdotum electiones turbis, id est populis, permitti vetat: atque hoc modo Epiphanium Salaminæ in Cypro episcopum ab episcopis insulæ, Basilium Cæsareæ ab episcopis, qui ea de causa convenerant, electos tradant, qui eorum Vitas conscripserunt: et eo spectans Basilius ipse Nicopolitanis epistola centesima nonagesima quarta scribat, episcoporum partes esse, populo episcopum dare, populi datum suscipere. In Occidentalibus tamen Ecclesiis jus idem suffragii populo in renuntiandis episcopis etiam post synodum Nicænam perseverasse, tum Romanorum pontificum Siricii, Cœlestini, Leonis decreta, quæ cleri plebisque consensu eligendos statuunt; tum Damasi, Ambrosii, Augustini, Fulgentii et aliorum, quos eo modo creatos constat, innumera passim exempla declarant. In Gallia quoque nostra morem eumdem, quandiu sub Romanorum imperio stetit, obtinuisse manifestum est. Nam et Hilarium, apud Pictavos concordante favore populi sacerdotem factum, Fortunatus; et apud Turonos Martinum Severus, multitudinis, quæ ad suffragia ferenda venerat, conspirantibus votis episcoporum factum; Illidium similiter populo eligente sacerdotem Arvernæ Ecclesiæ, pastoremque constitutum, docet Gregorius Turonensis. Germanum præterea Antissiodori, clericorum, nobilitatis ac plebis urbanæ et rusticæ sententia expetitum, Constantius presbyter; et Remigium apud Rhemos, Hincmarus testatur omnium generaliter votis ad pontificii culmen raptum potius quam electum. Plebis etiam et oppidanorum judicii ac voluntatis, in Simplicii Bituricensis, et Joannis Cabillonensis episcopi electione, meminit Sidonius. De Cæsario denique Arelatensi narrat Cyprianus diaconus, Æonium episcopum sub mortem suam clerum et cives allocutum, ut postquam decederet, Cæsarium sibi substituerent. Ex quibus exemplis, aliisque id genus, apparet libera in Galliis, quandiu imperio Romano paruerunt, cleri plebisque in episcoporum electione suffragia fuisse. Cæterum, postquam in Gallia vel in aliis gentibus, pulsis Romanis, exorti sunt reges, fecit episcoporum apud omnes dignitas eximia, ut sua interesse principes ducerent, illos nisi arbitratu et voluntate sua non creari. Qua in re licet reclamarint sæpenumero episcopi nostri, atque in synodis suis pristinam electionum libertatem sartam tectam retinere conati sint, ut in concilio Aurelianensi III, can. 3; in Arvernensi, can. 2; in Aurelianensi V, can. 11; in Parisiensi II, can. 8; in Parisiensi V, can. 1; in Rhemensi, can. 25, et in Cabillonensi, can. 10, vicit tamen regum auctoritas, obtinuitque ut episcopi nulli haberentur, nisi quos vel ipsi imperarent, vel a clero civibus-

que expetitos probarent et annuerent. Ita ergo Nicetium Triveris docet Gregorius Turonensis, Theodorici regis jussu, ad episcopatum fuisse accitum, datoque populi consensu, et decreto regis, ordinatum. Quintianum itidem, et hoc mortuo Gallum, Arvernis ab eodem Theodorico rege datos episcopos. Ita, ut de multis pauca commemorem, Germanum Parisiensem Childeberti, Ommatium Turonensem Clodomeris, Medardum Viromandensem, et Euphronium rursus Turonensem, et Domnolum Cenomanensem, Clotarii regis jussu, vel assensu, cathedram adeptos memorant Gregorius idem et Fortunatus.

Eodemque modo deinceps a Chilperico fratribusque, tum a Clotario II, Dagoberto, Clodoveo juniore, ac reliquis Meroveicæ familiæ regibus, delatos fuisse aut concessos episcopatus, et historiæ produnt, et fidem faciunt apud Marculfum et alios, quæ tum in usu erant veteres formulæ : quarum aliæ populi ad regem preces continent, hunc aut illum sibi episcopum flagitantis : aliæ, præceptum regis de collato episcopatu ; aliæ indiculos ad metropolitanum et episcopos, pro episcopi novi ordinatione. Nec diversam porro sub primis secundæ familiæ regibus Pippino et Carolo rationem exstitisse, tum eorum quibus episcopatus commiserunt, exempla demonstrant, tum synodi illorum temporibus celebratæ : in quibus cum multa de episcoporum officio et disciplina præcipiantur, nulla usquam electionum episcopalium fit mentio. Primus antiquæ consuetudinis memor Ludovicus Pius, anno, ut reor, imperii sui tertio, eligendorum episcoporum potestatem Ecclesiæ restituit lege lata, quæ in primo libro Capitularium, cap. 84, legitur his verbis : « *De episcopis eligendis.* Sacrorum canonum, non ignari, et ut in Dei nomine sancta ecclesia sua liberius potiretur honore, ad sensum ordini ecclesiastico præbuimus, ut scilicet episcopi per electionem cleri et populi, secundum statuta canonum, de propria diœcesi, remota personarum et munerum acceptione, ob vitæ meritum, et sapientiæ donum eligantur, ut exemplo et verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant. »

Sed hujus tamen legis beneficio ita electionum jure in posterum usæ sunt ecclesiæ, ut singulæ mortuo episcopo, primum omnium novi eligendi facultatem per metropolitanum a rege peterent, cum visitatore qui præesset electioni. Tum electionis factæ decretum ad metropolitanum referebatur, ut ea regi probata, et electo coram provincialibus episcopis examinato, tum demum ordinaretur, mandatumque ab ordinatoribus acciperet, quomodo ipsum in episcopali munere juxta canonum statuta versari oporteret. Quæ singula cum multis sæpe locis ab Hincmaro Rhemensi explicari soleant, tum in libro contra Hincmarum nepotem fere omnia breviter expressa sunt, ubi de metropolitani præ cæteris episcopis dignitate ac præstantia tractat in hunc modum : « In Rhemensi provincia, inquit, si fuerit defunctus episcopus, ego, et non tu, visitatorem ipsi viduatæ designabo ecclesiæ, et electionem cum decreto canonico præcipiam fieri. Et si in partes se eligentium vota diviserint, meum, et non tuum, erit eligere, qui majoribus ad ordinandum studiis juvetur et meritis, et meum est, ordinandum examinare, non tuum. Tuum est autem cum aliis mecum ordinare episcopum, et litteris canonicis, quas ordinatus ab ordinatoribus suis jubetur accipere, post me in tuo loco subscribere. » Quemadmodum autem geri hæc singula solerent, ut apertius pleniusque cognosci ac percipi liceat, operæ pretium duximus diversas eo spectantium epistolarum aliarumque actionum formulas, quæ in manus nostras venerunt, hoc loco subjicere : præmissis etiam, de quibus dictum est, antiquioribus formulis, quibus ante restitutas electiones utebantur.

A FORMULÆ ANTIQUÆ DE EPISCOPATU

Quarum olim usus fuit sub primis regibus.

INDEX.

1. *Cleri plebisque viduatæ civitatis preces ad regem pro episcopo instituendo.*
2. *Præceptum regis de episcopatu, ad episcopum designatum.*
3. *Indiculus regis ad metropolitanum, ut designatum episcopum ordinet cum suis comprovincialibus.*
4. *Indiculus alter ad episcopum ; pro eadem designati episcopi ordinatione.*

(*Vide Patrologiæ* tom. LXXXVII.)

—

FORMULÆ DIVERSÆ

B *In episcoporum promotionibus usurpatæ post restitutam electionum libertatem.*

1. *Epistola Hincmari ad regem, ut electionem et visitatorem concedat ecclesiæ Silvanectensi.*
2. *Epistola Hincmari ad Gedenulfum, ut visitatorem agat in ecclesia Cameracensi.*
3. *Epistola Hincmari ad clerum et plebem Cameracensem, ut electionem faciant.*
4. *Epistola Hincmari ad Belvacenses, de forma et modo faciendæ electionis.*
5. *Excusatio Rhemensium, qui electionem ante visitatoris adventum fecisse dicebantur.*
6. *Allocutio visitatoris ad electores.*
7. *Decretum electionis Hedenulfi episcopi Laudunensis.*
8. *Decretum aliud electionis Æneæ episcopi Parisiensis.*
9. *Decretum III electionis Ansegisi archiepiscopi Senonensis.*
10. *Epistola Senonensis ecclesiæ ad Hilduinum archicapellanum, pro tuenda electione quam fecerant.*
11. *Examinatio Willeberti Catalaunensis ordinandi Episcopi.*
12. *Professio Adalberti futuri episcopi Morinensis.*
13. *Professio altera futuri archiepiscopi.*
14. *Tractoria Prudentii episcopi Trecassini, cum electioni Æneæ adesse non posset.*
15. *Documentum de ordinatione Electranni episcopi Redonensis.*
16. *Canonicæ litteræ ab ordinatoribus datæ Hedenulfo episcopo Laudunensi.*

(Vide ubi supra.)

—

EPISTOLA FORMATA.

IN NOM. ΠΑΤΡΗΣ ET ΨΙΑΙΗ.

D Ετ cpc ckh Domino sanctissimo atque veneratissimo et a nobis summa cum dilectione nominando *ill.* episcopo *ill.* provincia fratri in Christo Domino. Ego *ill.* episcopus servus Christi, sanctæ *ill.* Ecclesiæ humilis episcopus, vester confrater ac devotus orator, paciferam transitoriæ vitæ atque futuræ in Domino salutem. Cognoscat denique, almitas vestra, quia iste Clericus, nomine *ill.* noster tonsuratus, petiit nostræ humilitatis dimissoriam, sive formatam, ut a vobis ad sacrum ordinem promoveatur. Propterea nos, ejus precibus inclinati, secundum statuta sanctorum Patrum Nicæni concilii hanc dimissoriam, sive ut diximus, formatam, vestræ fraternitati atque sanctitati emittimus, ut eum ad Sa-

cerdotii onus consecrare non dubitetis, et nobis remittatis. Et ut verum credatis ac cognoscatis, litteris Græcis cum earum numero subter eam jussimus juxta præfatum consilium roborari. Bene vale, in Domino dilectissime et amatissime frater. ΠΟϹΑ LXXX LXX CCI ΠΔΜΟΛΛΩ Indict. XV Q Θ XCVIIII AMHN I XLVIII. L.

Alia M. episcopi Theatini [a].

2. Π, Υ, Α. Celerimo (*forte* celeberrimo) vati fratrique sanctissimo et prompto, sapientia cum omni honore recolenda, et decorato in omnibus, in Domino fideli, et valde doctissimo, seu ab omnibus orthodoxis multiplici scientiæ... gratia decorato... dilecto in Christo Joanni M. speculator sanctæ sedis Ecclesiæ Theatinæ episcopus... Nos *de ill.* sanctæ sedis Ecclesiæ *ill.* episcopus in Domino Jesu Christo optamus vobis magnam salutem atque honorem hic et in ævum. Propter incommoditatem, quod iter arreptus sum partibus Beneventi, sicut domina imperatrix per suos apices innotuit, ut in ejus servitio allaturi simus quibus jam semper in molestia corporis diutius fatigamur, ad clericos nostræ diœceseos sacris ordinibus sublimandos insufficientes arbitramur. Idcirco præsentibus nostræ mediocritatis apicibus exoramus, hunc præsentem clericum nostrum Luponem ad gradum levitarum promoveri, et ad vestram specialiter fraternitatem dirigimus. Et ut hoc certius probabiliusque credatur, Græca huic elementa paginæ secundum statuta sanctæ ac magnæ synodi Nicænæ inseri præcipimus, videlicet Patris et Filii et Spiritus sancti. Primas litteras ΠΟϹΑ, quæ LXXX LXX CC et primum significat numeros. Petri quoque apostolorum principis prima littera Π, quæ LXXX significat. Nostræ quoque mediocritatis primam litteram M, sublimitatis vestræ secundam O, ejus qui accipit tertiam Π civitatis nostræ quartam... et Indict. præsentis anni istius XV, est autem nomen ejus Luponem clericum futurus levita. Addidimus etiam XCVIII Q Θ per hæc Græca elementa adnotantur. AMHN.

Burchardi Vormatiensis episcopi Formata.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Walterio Spirensis episcopo. Ego Burchardus sanctæ Vormatiensis Ecclesiæ devotus gregis Christi famulus, in Deo veræ summæ felicitatis beatitudinem. Cum sancta Catholica Ecclesia prompta sit sequi documenta evangelica, quæ dicunt : *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet ; et qui recipit justum in nomine justi*, etc. (*Matth.* X, 41); et Apostolus jubeat (*Rom.* XII) hospitalitatem sectari, et necessitatibus sanctorum virorum communicare, tamen propter eos qui cauteriatam habent conscientiam suam, dicentes se esse simplices, cum sint astutia diabolica repleti, et pro opere pietatis dicunt se de loco ad locum transire, cum sint fugitivi sua malitia laciente; et dicunt se esse ministerio sacro insertos, cum non sint: statutum est a sanctis Patribus neminem clericum alienum et ignotum recipi ab aliquo episcopo et inthronizari in sua ecclesia, nisi habeat a proprio episcopo epistolam quæ in canonibus nominatur formata. Ideo notum facimus paternitati vestræ, quod præsens frater noster harum litterarum portitor nomine Ecmannus non pro sua nequitia expulsus est a nobis, sed postulantibus fratribus nostris, eo quod ex familia nostra fuit, et noster baptizatus, fecimus ei libertatem receptam cornu altaris canonice et ordinavimus eum ad gradum presbyterii; cui etiam has dimissorias sive commendatitias litteras fecimus, et eum ad vestram dilectam fraternitatem dirigimus, ut in vestra parochia sub vestro sacro regimine et defensione consistere valeat. Ego, inquam, Burchardus, humilis episcopus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et in unitate sanctæ Ecclesiæ in qua Petro datum est jus ligandi atque solvendi, absolvo Ecmannum presbyterum de civitate Vormatiensi indictione X, et licentiam do vobis inthronizandi eum in quamcunque ecclesiam vultis vestræ parochiæ. Hanc ergo epistolam Græcis litteris hinc indeque munire decrevimus et a nullo ecclesiæ nostræ Firmacrensium. Fraternitatem vestram Christus nobis incolumem conservet.

Π. Υ. Α. Π. Β. Θ. V. W. d.)-(. H. Z.

Data Vormatiæ Id. Martii, anno Dominicæ incarnationis MIC. XII, indictione decima.

Juramenta episcoporum præstita sedi Arelatensi.

Ego Pontius S. Mariæ Aquensis sedis nunc ordinandus episcopus debitam subjectionem, et reverentiam, et obedientiam a SS. Patribus constitutam secundum præcepta canonum S. Sedi Arelatensis Ecclesiæ, rectoribusque ejus in præsentia domni archiepiscopi Raimbaldi perpetuo exhibiturum promitto, et super sanctum altare propria manu firmo.

Ego frater Rostagnus S. Aquensis Ecclesiæ ordinandus episcopus debitam, etc., *ut supra*.

Ego Stephanus Vendacensis Ecclesiæ vocatus episcopus promitto coram Deo et sanctis ejus omnem subjectionem, et obedientiam canonicam, et fidelitatem Ecclesiæ S. Stephani sedis Arelatensis, ubi corpus B. Trophimi confessoris quiescit, et Annoni

[a] In hac secunda formata, quæ luxatissima et mendosissima est, quasdem voces punctis indicatas omisimus, eo quod sensum non redderent. Alia pauca tute emendavimus, uti *M speculator* pro eo quod scriptum est *inspeculator*. Episcopi enim nomen, quod hoc loco signatur, incipit a littera M, ut sub finem ipsius formatæ traditur; facilique amanuensium oscitantia *in* pro *m* nonnunquam scribitur. Catalogus episcoporum Ecclesiæ Theatinæ apud Ughellum, cum sit imperfectus, hujus episcopi nomen a littera *M* incipiente non suggerit. Cum vero memoretur imperatrix, quæ Beneventi partibus versabatur, noteturque indictio XV, indicari videtur sive Adelais Ottonis I uxor, sive Theophania conjux Ottonis II, quæ aliquoties in iisdem partibus exstitere. Etsi enim Angilberga Ludovici II uxor ibidem fuerit; indictio tamen XV ipsi non congruit. Hinc ergo ille Theatinus episcopus M. sub Ottonis I vel II imperio vixit, ac Theatinorum episcoporum catalogo adjiciendus est. (Ballerinii.)

præsenti archiepiscopo, et successoribus ejus, si eum supervixero.

Ego Arnulphus Vinciensis Ecclesiæ vocatus episcopus, etc., *ut in præcedenti. Solum pro* Annoni, præsenti archiepiscopo *habet* Pontioni præsenti archiepiscopo.

Ego Bertrandus S. sedis Ecclesiæ Forujulensis nunc ordinandus episcopus, etc., *ut supra in juramento Pontii Aquensis.*

Ego Bertrandus Regensis Ecclesiæ episcopus vocatus, profiteor me deinceps sub ditione Arelatensis metropolitæ consistere, et ejus jussionibus obtemperare.

Ego Agelricus sanctæ Regensis Ecclesiæ nunc ordinandus episcopus, etc., *ut in juramento Pontii Aquensis.*

Ego Adilricus Arausicensis Ecclesiæ vocatus episcopus, etc., *ut in juramento Stephani Vendacensis.*

Ego Adilricus Arausicensis, et Tricastrinensis vocatus episcopus, etc., *ut in juramento ejusdem Stephani Solum* pro Annoni *habet* Raimbaldo.

Ego Petrus Ecclesiæ Avenione vocatus episcopus profiteor me, etc., *ut in juramento Bertrandi Regensis.*

Ego Benedictus Avenionensis Ecclesiæ vocatus episcopus juro coram Deo et sanctis ejus omnem subjectionem et obedientiam canonicam et fidelitatem Ecclesiæ S. Stephani sedis Arelatensis, ubi corpus almi Trophimi apostoli quiescit, et Raimbaldo præsenti archiepiscopo, et successoribus ejus, si eum supervixero.

FORMATARUM VETERUM EPISTOLARUM CANONICARUM EXEMPLA XI.

Post formulas promotionum episcopalium non alienum est formatarum exempla subjici, quarum usus inter episcopos frequentissimus fuit clericorum maxime causa, cum alio migrabant, quia sine formatis ad communionem illos recipi, vel in alia ecclesia ordinari non licebat. Græcam earum originem Græcæ litteræ ostendunt, quarum in his numeros, etiam in Latinis nominibus, observabant. Nicænorum quoque Patrum auctoritate institutas fuisse, cum alii vulgo tradunt, tum ipsa, quæ Attici episcopi Constantinopolitani titulo circumfertur, vetus conficiendarum formatarum formula docet, quam primo loco proponemus.

De modo conficiendarum epistolarum formatarum, quem Nicæna synodus inter episcopos in faciendis epistolis conservandum esse instituit.

Græca elementa litterarum numeros etiam exprimere, nullus, qui vel tenuiter Græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos Latinus formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temere præsumeretur, hoc a Patribus CCCXVIII Nicæam congregatis, et saluberrime inventum est, et constitutum, ut formatæ epistolæ hanc calculationis seu supputationis habeant rationem: id est, ut assumantur in supputationem prima Græca elementa Patris, et Filii, et Spiritus sancti, hoc est Ιι, Υ, Α, quæ elementa octogenarium, et quadringentesimum, et primum significant numerum, Petri quoque apostoli prima littera, id est Ιι, quæ numerum octoginta significat. Ejus quoque qui scribit episcopi prima littera; cui scribitur, secunda; accipientis tertia; civitatis de qua scribitur, quarta; et Indictionis, quæcunque est id temporis, idem qui fuerit numerus assumatur: atque ita his omnibus Græcis litteris, quæ, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, unam quæcunque collecta fuerit summam epistola teneat. Hanc qui suscipit omni cum cautela requirat expresse. Addat præterea separatim in epistola nonagenarium et nonum numerum, qui secundum Græca elementa significat AMHN.

(Ex superioribus liquet, numerorum qui in formatis observantur, alios in omnibus formatis eosdem semper esse, alios in singulis diversos: illos proinde omnibus communes esse, hos singularum proprios. Communes sunt, qui fiunt ex primis litteris Patris, Filii, Spiritus sancti, et Petri: nimirum ex litteris Ηι, Υ, Α, Ιι, quibus numeri respondent LXXX, CCCC, I LXXX atque ex omnibus litteris AMHN, quarum numeri sunt I, XL, VIII L, id est ϟ XCIX, omnium vero summa DCLX. Quare hic idem numerus formatis omnibus est communis, atque in omnibus idem est. Proprius autem, qui ex prima littera scribentis, secunda ejus cui scribitur, tertia accipientis, quarta civitatis de qua scribitur, et ex indictionis cujusque nota ducitur; quæ vix unquam in diversis formatis consentiunt. Eo fit ut in singulis diversus existat, ac diversa proinde in diversis utriusque numeri sit summa: quod ex sequentibus formatarum exemplis patefiet, si prius quos numeros Græcæ litteræ significent ostenderimus.)

Quos numeros singula Græcorum elementa significent.

Α	α	1.	Ι	ι	10.	Ρ	ρ	100.
Β	β	2.	Κ	κ	20.	Σ	σ	200.
Γ	γ	3.	Λ	λ	30.	Τ	τ	300.
Δ	δ	4.	Μ	μ	40.	Υ	υ	400.
Ε	ε	5.	Ν	ν	50.	Φ	φ	500.
ϛ		6.	Ξ	ξ	60.	Χ	χ	600.
Ζ	ζ	7.	Ο	ο	70.	Ψ	ψ	700.
Η	η	8.	Π	π	80.	Ω	ω	800.
Θ	θ	9.	ϟ		90.	ϡ		900.

INDEX FORMATARUM SEQUENTIUM.

I. *Ebroini Bituricensis archiepiscopi ad Magnonem Senonensem.*
II. *Wolfleonis episcopi Constantiensis ad Bernaltum Argentariensem.*
III. *Teutgaudi Trevirensis episcopi ad Carolum regem, episcopos,* etc.
IV. *Joannis Camaracensis episcopi ad omnes episcopos.*
V. *Liutadi episcopi Vinciensis ad Wanilonem Rotgomagensem archiepiscopum.*
VI. *Æneæ episcopi Parisiensis ad Hincmarum Rhemensem archiepiscopum.*
VII. *Hedilonis episcopi Noviomensis ad Didonem Laudunensem episcopum.*
VIII. *Hedilonis ejusdem episcopi ad Radulphum Laudunensem episcopum.*
IX. *Rathodi Trevirensis archiepiscopi ad Rotbertum Metensem episcopum.*
X. *Dadonis episcopi Virdunensis ad Rottrodum Trevirensem archiepiscopum.*
XI. *Durandi episcopi Arnensis ad Radulphum Turonensem archiepiscopum.*

I.

Ebroini Bituricensis ad Magnonem Senonensem archiepiscopum pro Dodoberto presbytero, ut in ejus parochia apud Hercambaldum manere possit.

Sancto et Deo amabili Magnoni dono Dei archiepiscopo ex Senonica urbe, ego in Dei nomine Ebroinus dono Dei archiepiscopus ex Biturige urbe, in Domino Jesu salutem optamus vobis in perpetuum.

De cætero notum facimus sanctitati vestræ quia istum præsentem presbyterum, nomine Dodobertum, parochianum nostrum, in nostra diœcesi natum, et sacras litteras edoctum, ad ordinem sacrum promoveri jussimus. Postea vero petiit a nobis licentiam, ut in vestra parochia apud hominem aliquem nomine Hercambaldum manere possit. Nos vero petitionem illius non denegavimus, nisi licentiam illi dedimus, quia scimus quod de bene liberis hominibus ortus sit. Unde has litteras commendatitias, more ecclesiastico factas, ad sanctitatem vestram misimus, ut scire valeat Deo digna charitas vestra, eum nec fuga lapsum, nec sua malitia a nobis ejectum, sed nostra voluntate destinatum. Et ut certius credatis, Græca elementa, quæ octogenarium, quadringentesimum et primum numeros exprimunt, in primis annexuimus. Π. Petri quoque nominis primam litteram sumptam in medium ascribere rogavimus. Nihilominus etiam parvitatis nostræ nominis primam litteram Ε, magnitudinis vestræ secundam litteram Α, istius fratris nominis tertiam litteram Α, civitatis nostræ quartam Υ, et indictionem quartam adjunximus. Addidimus nonagenarium et nonum numerum ; id. Ϟ. et Θ' Et insequenter impressione sigilli nostri subterfirmavimus. Et manu propria eam roboravimus, et a clericis nostris roborari jussimus. Actum in anno x imperii domini nostri Caroli, et anno XLIII regni ejus, in Dei nomine feliciter Amen.

(Indictio IV et anni regni atque imperii Caroli Magni annum Christi designant 810; summam vero numeri omnes formata comprehensi efficiunt MLXXIV; nam ad communem omnium formatarum numerum DCLX adjiciendus est hujus proprius CCCCXIV, qui conflatur ex litteris Ε, Α, Δ, Υ, et indictione IV).

II.

Wolfeonis Constantiensis episcopi ad Bernaltum Argentariensem, pro Annone clerico, ut in parochia manere et ad sacros ordines promoveri possit.

Π, Υ, Α, Π. sanctissimo in Christo fratri, summaque dulcedine amplectendo, Bernalto Argentariensis civitatis episcopo, Wolfe, Constantiensis Ecclesiæ præsul, perpetuæ beatitudinis optat in Christo salutem. Υ, Ε, Ν, Σ.

De cætero noverit sancta fraternitas vestra quod iste clericus, nomine Anno, nostra in parochia instructus ac detonsus, parvitatem nostram rogavit, quatenus illi commendatitias litteras conscriberemus, quibus vestræ celsitudini commendatus, sub tuitione vestri regiminis degere possit. Cujus voluntati consentientes, secundum canonicam auctoritatem litteras ei dimissorias dedimus: per quas et ipsi concedimus, ut sub vestro magisterio divinæ servituti insistens, suæ deserviat utilitati, et vobis licentiam tribuimus, ut si dignum eum judicaveritis, ad sacros ordines promoveatis. Commendatum ergo eum curæ vestræ suscipite, et nostris ex partibus absolutum in vestrarum ovium numero custodite. Quas litteras, ut vigore veritatis firmatæ indubitanter a vobis suscipiantur, litteris Græcis, ut canonica docet auctoritas, confirmare satagimus. Sancta Trinitas vestram beatitudinem ad regimen sanctæ suæ Ecclesiæ perpetualiter bene valere concedat. Π. indictione x. Continet hæc formata epistola summam numeri MCCCXXV.

(Indictio x et Wolfeonis episcopatus annum denotant 817. Summa vero totius numeri sub finem formatæ ascripta conflatur ex numero communi DCLX et ex proprio DCLXV, qui exsurgit ex litteris Υ., Ε., Ν., Σ., et indictione x; una enim conjuncti reddunt MCCCXXV.)

III.

Teutgaudi archiepiscopi Trevirensis epistola generalis ad Carolum Calvum regem, episcopos et alios universos, pro Hegilone presbytero ad sanctorum loca peregrinante.

Gloriosissimo et a Deo coronato magno et pacifico regi Carolo, et omnibus beatissimis præsulibus, cæterisque in gradibus ecclesiasticis ordinatis, et universis in regno ejus sæcularem administrantibus dignitatem, seu cunctis fidelibus Domini nostri Jesu Christi adventum diligentibus, Teotgaudus humillimus Trevirorum archiepiscopus plenam pacem, et perpetui gaudii optabilem implorat salutem.

Quia sæpe fieri solet ut magni viri, summa religionis arce conspicui, virtutum robore prævalidi, armis justitiæ accincti, castitatis candore insigniti, sapientiæ decore præfulgidi, migrandi de suis locis concipiant amorem, quo per talem occasionem humanam possint subterfugere laudem, et minoris meriti æstimentur ab extraneis qui granditer honorificabantur a nobis. Plurima quippe sunt istiusmodi occasionis Veteris et Novi Testamenti hortamenta, et evidentissima præ oculis documenta, quæ vobis quia satis agnita esse non ambigimus, opportunius ea præterimus. Hac igitur felicissima consuetudine et saluberrima doctrina commonitus quidam frater nobis carissimus, et cunctis benevolentibus, nomine Hegilo, quia diœcesanus noster erat, in nostra videlicet diœcesi nutritus et tonsus, sacroque dogmate sanctarum Scripturarum plenissime eruditus, et honestissime conversatus, atque in Ecclesia nobis commissa ad sacerdotii dignitatem fuerat promotus, licentiam a nobis petiit, ut more canonico absolutione suscepta, et largita sibi benedictione, tutius atque securius loca sanctorum visitare, et ad vestram præsentiam liberius ac familiarius accedere valeret, ad quemcunque ex vobis illum itineris varietas perduxisset. Itaque nos petitioni ejus assensum tribuentes, et venerationi illius consentientes, acquie-

vimus consentiendo quod secundum Deum desiderare videbatur. Quocirca suppliciter deprecamur, et obnixe deposcimus humanitatem vestram, ut honorabiliter susceptum, sicut Dei templum, et habitaculum Spiritus sancti, veluti mansionem sanctæ Trinitatis, quemadmodum pretiosissimum membrum Christi, sicuti auctum dono et largitate septiformis gratiæ Dei, quocunque pervenerit, sive modico, seu argiori spatio apud vos moraturus, benigne tractetis, humane exhibeatis : ut Christum in eo suscipientes, prout rogamus, fideliter, pro illo meritum munificentiæ vestræ acquiratis æternaliter. Denique cum propter memorabilem justificationum ipsius prærogativam has vobis pacificas litteras porrigere decerneremus, operæ pretium fore arbitrati sumus, ut Græca quoque elementa ex nomine Patris Π, et Filii Υ, et Spiritus sancti Α, primam quoque litteram ex nomine beati Petri apostoli Π., et AMHN in fine insereremus, cum litteris nihilo minus Græcis summam illarum demonstrantibus ΦΞΑ, ut per hoc vobis evidentius luceret honorificentia ejus quem exoramus, præfixis apicibus sanctæ Trinitatis, ut sacrosancta Trinitas illum ubique conservet, muniat, atque defendat, intercedente beato Petro apostolo. AMHN vero in extremo apponere studuimus, optantes ut iter illius salubriter dirigatur, oculis divinæ majestatis efficiatur acceptabile, receptabile sanctis, et memorabile in æternum, per Dominum nostrum Jesum Christum. Hac ratione in hac epistola Græca elementa posuimus, non ut canonicam formatam formaremus, sed ut eidem etiam intimato Hegiloni prospera per elementa indita precaremur. Valete. Dextera Dei Patris, per quem facta sunt sæcula, religionem vestram tueatur, et bonam impleat voluntatem juxta desiderium vestrum, omnes fideles et cuncti beatissimi fratres, cum rege Carolo, a Rege omnium regum pro magis meritis in perpetuum coronandi. Amen

(Theutgandi episcopatus Caroli Calvi congruit temporibus, sed indictio hic nulla est ex qua de anno Christi statuere liceat. De numeris autem, cum alii sint communes omnium, ut dictum est, alii proprii cujusque formatæ, propriis omissis communium tantum summam, neque illam integram, Græcis litteris expressit ΦΞΑ id est DLXI; nam adjicienda erant XCIX, quæ in AMHN continentur, ut fieret integra summa DCLX.

IV.

Joannis episcopi Camaracensis epistola generalis ad omnes episcopos, pro Ursione presbytero, ut in qualibet illorum parochia recipi possit.

In nomine Π, Υ, Α, Π, Ι, Π, Σ, Α, indictione XIII AMHN. Omnibus sanctæ matris Ecclesiæ pastoribus pio sollicitudinis studio filiorum ipsius curam gerentibus, Joannes Camaracensis sanctæ matris Ecclesiæ episcoporum extimus, inocciduæ prosperitatis tripudium.

Permaximo scelerum pondere prægravati, non solum paganorum, verum etiam pseudochristianorum crebberrimis atterimur infestationibus Quocirca gregem divina nostræ sollicitudinis providentia commissum intra proprii ovilis septa pastoralis nequit regere vigilantia. E quibus præsens sacerdos, Ursio vocabulo, a beatæ recordationis prædecessore nostro Teuderico, apud matrem Ecclesiam nostram per omnes gradus canonice promotus, religioseque dum licuit conversatus, suppliciter efflagitavit litteras, Græcorum elementis imprævaricabilibus sanctissimi Nicæni concilii decretis roboratas; nostra pastorali indulgentia sibi largiri, quibus munitus dimitti, et quocunque sibi aptum reperisset locum, posset canonice recipi, ac ministerium divinitus sibi concessum peragere. Nos igitur hujusmodi petitionem suscipientes, nostræ etiam atque ipsius miseriæ condolentes, omnique carentem dolo cognoscentes, migrandi facultatem liberalissime indulsimus, eminentiam vestram, ad quos pervenerit, obnixe exposcentes, ut in sacrosancto vestræ paternitatis gremio eum suscipientes, ministerii sui officium intra vestram diœcesin celebrare sinatis. Ut vero hi nostræ parvitatis apices verius credantur, Græcorum numerum suis supputationibus inservimus : Patris videlicet primam Π, Filii quoque primam Υ, et sancti Spiritus Α; Petri etiam apostolorum principis primam Π, nostri quinetiam nominis primam Ι, quoniam ignoramus cujus pontificis diœcesin nominatim adire debeat, pro speciali littera nominis episcopi, quæ hoc loco deberet esse secunda, generalis ibidem nominis secundam ponimus, quæ est Π, quæ similiter significat octoginta. Istius insuper fratris tertiam Σ, quartam nihilominus urbis nostræ litteram Α, cum indictione instantis anni XIII subnectentes AMHN. Ideo vero hæc innexa sunt, ne forte beatitudinis vestræ pura quæ est in Christo simplicitas aliquo fraudis obnubiletur accessu : et ut profecto sciatis hunc fratrem neque fuga lapsum, nec alicujus criminis nævo fuscatum, sed instante Nortmannorum feritate nolentem propulsum. Valeat sanctitas vestra superno propitiante Christi clementia munita præsidio. Summa numerorum epistolæ DCCCCLXIV.

(Indictio XIII et episcopatus Joannis Camaracensis annum designant 865. Summa numerorum ad calcem adjecta, et initio quoque suis litteris expressa, conflatur ex numero communi DCLX et ex proprio hujus formatæ CCCIV, qui conficitur ex litteris Græcis Ι, Π, Σ, Α, et indictione XIII.)

V.

Liutadi episcopi Vinciensis ad Wenilonem Rothomagensem archiepiscopum, de Wlfado diacono, quem olim sibi traditum ab Ebbone Rhemensi, nunc ipsi concedit.

Π. Σ. Α. Reverentissimo et sanctissimo patri Weniloni Rothomagensi archiepiscopo Liutadus Vinciensis episcopus æternam in Domino salutem.

Optarem valde, si nobis spatia terrarum sinerent, fraternum et amicissimum vobiscum habere colloquium, atque de nostris communibus opportunitatibus tractare. Sed quia id prolixitas itineris denegare videtur, vestram sanctitatem humiliter exoro ut mei

memoriam coram sancto altari habere dignemini, vestræque me commendare Ecclesiæ, quoniam vestram charitatem jam in gremio Ecclesiæ nostræ recepimus, et pro vobis quotidianis precibus Deum exoramus. Cæterum comperiat sanctitas vestra quemdam fratrem nostrum, et filium Ecclesiæ nostræ, nomine Wlfadum, subdiaconum mè petente traditum mihi per litteras, quas ecclesiastica consuetudo formatas appellat, a venerabili Ebbone quondam Rhemensi archiepiscopo. Et quia impendentibus quibusdam causis, postquam mihi traditus erat, in propria remansit Ecclesia, me suggerente ordinavit eum idem Ebbo in gradu diaconatus. Nunc autem, quia scitis cum propter causas necessarias in partibus vestris morari, sicut mihi commendatus erat, vobis eum committo, vestræque custodiæ et providentiæ delego, et ut ad majores gradus eum proveh tis suppliciter exoro. Credimus enim quoniam et sapientia et mores ad hoc eum dignum indicant. Commendamus igitur vestræ beatitudini Ecclesiæque vestræ præfatum fratrem nostrum Wlfadum, et de profectu ejus petimus vos lætari in æternum. Ac sicut mos ecclesiasticus est, et inventum ac constitutum a CCCXVIII, in Nicæna synodo episcopis, formatam epistolam facientes, ut in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis nostrum opus largitionis et dimissionis hujus nostri dilecti fratris roboratum, fructuosius et utilius fieret, in supputatione calculationis assumpsimus prima elementa Græca, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Π, Υ, Α, quæ octogenarium et quadringentesimum et primum significant : nostram quoque qui scribimus primam litteram Α, vestramque cujus beatitudinis scribimus secundam Υ, accipientis fratris tertiam Α, civitatis nostræ, de qua scribitur, quartam Σ, indictione Ι, canonicum ordinem tenentes, huic nostræ epistolæ affigimus; atque Græcarum litterarum numeros in summam collectos epistolam tenere facimus, id est, LXXX, CCCC, Ι, XXX, CCCC, XXX, CC, Ι, ut per omnia rata et legitima nostræ dimissoriæ auctoritas procederet. Separatim autem, ut epistolam claudereimus, nonagenarium et nonum numerum Græcis elementis etiam signavimus, et omnino firmavimus. ϡθ.

(Indictio Ι et Wenilonis episcopatus congruunt anno Christi 868. Proprius formatæ numerus DCLXI, quem efficiunt litteræ Α, Υ, Δ, Σ, et indictio Ι, numerus communis, non DCLX, ut in aliis, sed DXXC, omissa littera Π, quæ prima erat nominis Petri. Summa ergo utriusque numeri MCCXLI.)

VI.

Æneæ Parisiensis episcopi ad Hincmarum Rhemensem, ut ei Bernonem acolythum in parochia sua retinere et ordinare liceat.

Venerabili in Christo Patri Hincmaro Rhemorum archiepiscopo, Æneas sanctæ Parisiacensis Ecclesiæ episcopus in Domino salutem.

Nostri fratres de monasterio sancti Dionysii, per licentiam domni abbatis Ludovici, ad educandum atque erudiendum commiserunt mihi quemdam adolescentem nomine Bernonem, quem vestra fraternitas acolythum ordinavit. Propterea, quoniam sine vestra licentia eum nolumus in nostra ecclesia diutino tempore immorari, petimus dilectionem vestram, ut de illo nobis litteras canonicas faciatis, quatenus eum in Ecclesia nostra possimus regulariter ordinare.

Hincmarus nomine non merito Rhemorum episcopus, ac plebis Dei famulus dilecto fratri et venerabili episcopo Æneæ salutem.

Canonica atque ecclesiastica sancit auctoritas ut nemo episcoporum alterius Ecclesiæ ordinatum, sine consensu, vel litteris dimissoriis illius episcopi, cujus ordinatus fuerat, in propria parochia retinere aut ordinare præsumat. Hanc denique institutionem sanctorum Patrum plenissime retinentes, rogasti nobis quemdam ecclesiæ nostræ filium, et a nobis nuper acolythum ordinatum, nomine Bernonem, qui causa discendi atque educandi vestris in partibus quondam missus, etc. *Reliqua desunt.*

VII

Hedilonis episcopi Noviomensis ad Didonem Laudunensem pro Arnegiso presbytero, ut in ejus parochiam migrare ipsique subjici liceat.

In nomine Patris Π, et Filii Υ, et Spiritus sancti Α, Hedilo Noviomagensium episcopus Didoni inclyto et venerabili coepiscopo æternam in Domino felicitatem.

Comperiat dilectio vestra quod Arnegisus presbyter, frater ac filius noster, petiit ut per meam licentiam, et a me formatam epistolam, secundum auctoritatem canonicam, sicut inter dantem accipientemque fieri oportet, vestræ ditioni subjici valeret. Misimus ergo vobis hanc epistolam canonica institutione formatam, ut cognoscatis justam atque canonicam eum a me accepisse licentiam. Tria siquidem Græca elementa prius inserta octogenarium, et quadringentesimum, et primum continent numerum. Ex nomine quidem Petri apostoli prima littera, id est Π, similiter, ut prius, octoginta exprimit. Ex nostræ parvitatis nomine similiter prima littera, id est Ε, quinto congruit numero : vestræ quoque sanctitatis secunda nominis littera, id est Ι, proculdubio denarium format numerum. Præfati presbyteri ex ipsius nomine tertia, id est Ν, numerum ostendit quinquagesimum. Denique ex nostræ civitatis nomine quarta, id est Ι, decimum, ut supra, exprimit numerum. Sed et vestræ civitatis quinta littera ipsius nominis, id est Υ, quadringentesimum approbat numerum. Est etiam nunc indictio XI. Addidimus insuper nonagenarium nonum numerum, qui secundum Græca elementa significat ΑΜΗΝ. Summa vero totius numeri in omnia ducti complet MCXLVI. Hæc autem omnia requirenda sunt diligenter, et cum omni cautela. Data VII. Kalendas Octobris.

(Indictio XI, episcopatus Heidilonis et Didonis, annum Christi designant 892. Summa porro numerorum, quæ sub finem ascripta est MCXLVI ex communi numero ducitur DCLX, et ex proprio CCCCXXCVI, qui fit ex litteris Ε, Ι, Ν, Ι, Υ, adjecta indictione XI

Peculiare igitur est huic formatæ, quod quintam quoque litteram observat civitatis episcopi ad quem scribit.)

A

VIII.

Heidilonis ejusdem episcopi Noviomensis ad Rodulfum Laudunensem pro Rotgero diacono, qui in illius parochiam transferri expetierat.

In nomine Patris Π, et Filii Υ, et Spiritus sancti Α, Heidilo superna ejusdem Patris, et Filii, et Spiritus sancti, favente clementia, Noviomensium humilis episcopus, sancto et venerabili ac charissimo nobis Rodulfo sanctæ Laudunensis Ecclesiæ episcopo, geminam in Christo pacem exoptat et gloriam.

Vestræ intueatur magnitudinis experientia, hunc præsentem clericum nomine Rotgerum, a nobis per singulos ecclesiastici honoris gradus ad onus diaconi fore promotum. Isdemque frater ob sui commodam facultatem a nostra saluberrime et juste expetiit mediocritate licentiam ad vos eundi, et in vestra parochia commorandi, ac penitus discedendi. Nos itaque petitioni ejus, quam non subdolam, sed veram, agnovimus, libenter assensum præbuimus, et effectum justum et congruum minime denegavimus. Quocirca totis viribus conquiniscentes, celsitudinem vestram humiliter obsecramus ut cum vestra paterna sollicitudo dignanter excipiat, et ut pius et prudens pastor ac pater in gremio vestræ dilectionis accipite. Vita vero et moribus hactenus inter nostros probum laudabilemque sciatis : scientiæ [*f.* scientia. HARD.] denique capax ministerii sibi commissi, quantum autumamus, officium scire dignoscitur. Nos etiam more canonico hanc ei formatam epistolam, secundum decreta Nicæni concilii Græcis characteribus insignitam, vobis deferendam concessimus, per quam ipsum vestræ tuitioni committimus, et a nostra parochia penitus sequestramus. In qua quidem, post Æolica superius elementa in supputatione Patris, et Filii et Spiritus sancti, assumpta, Petri quoque primum elementum Π, ut nos corde fidem sanctæ Trinitatis habentes, confiteamur ore ad salutem, per ejusdem principis apostolorum doctrinam, rationabili ordine subnexuimus. Et ne aliqua fraus falsitatis in ea locum obtinere prævaleat, nominis nostri qui scribimus primam litteram Η, cui scribitur secundam Ο, vestri tandem qui accipitis tertiam Δ, civitatis nostræ insuper addentes quartam Ι, cum indictione V. Hujus igitur calculationis summam in unum pariter comprehensam, ita diligentius adnotare studuimus; Π, LXXX; Υ, CCCC; Α, Ι; Η, LXXX; Η, VIII; Ο, LXX; Δ, IV; Ι, X. Addidimus præterea nonagenarium et nonum numerum, qui secundum Græca elementa sacratissimum Domini nostri Jesu Christi significat juramentum ϟ XC, Θ IX. Optamus felicitatem vestram valere hic et in ævum.

B

C

(Indictio V, cum Heidilonis et Rodulphi episcoporum annis comparata, Christi annum indicat 902. Numerorum qui ex propriis formatæ notis conflantur, summa est XCVII, quæ communi numero DCLX adjecta, utriusque summam reddit DCCLVII.)

D

IX.

Ratbodi Trevirensis archiepiscopi ad Rotbertum episcopum Metensem, pro Gislemaro presbytero, ut ei deinceps in ipsius parochia degere liceat.

In nomine Π Patris, et Υ Filii, et Α Spiritus sancti, Ratbodus sanctæ Treverensis Ecclesiæ ac plebis ipsius humilis famulus, Rotberto reverendo sanctæ Metensis Ecclesiæ antistitis, in Christo principe pastorum mansuram cum gaudio prosperitatis ac perpetuitatis, gloriam.

Decreta sanctorum trecentorum decem et octo Patrum Nicææ constitutorum saluberrima servantes, Deo dignam piamque fraternitatem vestram canonice aggredimur, et sub nomine formatæ epistolæ reverenter vestram sanctitatem adimus : vobis videlicet intimando, quia præsenti presbytero nostro, nomine Gislemaro, has dimissorias dedimus litteras, quem in nostra diœcesi ecclesiasticæ educatum, de ordine clericatus ad presbyteratus proveximus gradum. Ut his canonicis munitus apicibus, cum nostra licentia ei in vestra parochia sub defensione ac regimine vestræ caræ dilectionis degere liceat : illumque in sinu sanctæ matris ecclesiæ canonice fovendum ac regendum vobis committimus. Hanc ergo epistolam Græcis litteris hinc inde munire decrevimus, et annulo ecclesiæ nostræ bullare censuimus. Christus pastorum princeps, interventu beati Petri, cui specialiter ovile Dominicum commissum est, fraternitatem vestram ad custodiam sui gregis diu nobis conservet incolumem. AMEN. Summa horum MCDXXXIX. Π, Υ, Α, Ρ, Ο, Σ, Υ, Θ. AMEN.

Data Treveris Idibus Octobris, anno Dominicæ incarnationis 906, indictione IX.

(Indictio IX Idibus Octobris et episcopatus Ratbodi congruunt anno Christi 905. Summa numerorum quæ sub finem ascripta est, colligitur ex numero communi DCLX et ex proprio DCCLXXIX, qui fit ex litteris Ρ, Ο, Σ, Υ, et indictione IX. Utriusque enim numeri summa, MCDXXXIX.)

X.

Dadonis episcopi Virdunensis ad Ratbodum Trevirensem, pro Adruino presbytero, ut ei deinceps in ipsius parochia manere ac censeri liceat.

Reverentissimo et sanctissimo Ratbodo sanctæ Treverensis Ecclesiæ archiepiscopo, Dado Virdunensis Ecclesiæ devotus gregis Christi famulus, in Domino vero summæ felicitatis beatitudinem.

Cum sancta catholica Ecclesia prompta sit sequi documenta evangelica, quæ dicunt : *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, et qui recipit justum in nomine justi*, etc.; et Apostolus jubeat hospitalitatem sectari, et necessitatem sanctorum virorum communicare : tamen propter eos qui cauteriatam habeant suam conscientiam, dicentes se esse simplices, cum sint astutia diabolica repleti, et pro opere pietatis dicunt se de loco ad locum transire, cum sint sua malitia faciente fugitivi, et dicunt se esse ministerio sacro inserto, cum non sint : statutum est a sanctis Patribus ne-

minem clericum alienum et ignotum recipi ab aliquo episcopo, et inthronizari in sua Ecclesia, nisi habeat a proprio episcopo epistolam, quæ in canonibus nominatur formata. Ideo notum facimus paternitati vestræ, quod præsens frater noster, harum litterarum portitor, nomine Adruinus, non pro sua nequitia expulsus est a nobis, sed postulantibus fratribus nostris, eo quod ex familia nostra fuit, dedimus ei libertatem receptam a cornu altaris canonice, et ordinavimus eum ad gradum presbyterii. Cui etiam has dimissorias sive commendatitias litteras fecimus, et eum ad vestram dilectam fraternitatem dirigimus, ut in vestra parochia sub vestro sacro regimine et defensione consistere valeat. Ego, inquam, in nomine Ⲡ Patris, et Ⲩ Filii, et Ⲁ Spiritus sancti, et in unitate sanctæ Ecclesiæ, in qua Petro datum est jus ligandi atque solvendi, absolvo Dado humilis episcopus presbyterum Adruinum de civitate Virdunensi, indictione IX, et licentiam do vobis, Ratbode, venerabilis archiepiscope, inthronizandi eum in quacunque ecclesia vultis vestræ parochiæ. Dilectam paternitatem vestram virtutum floribus insignitam, omnipotens Deus conservare dignetur.

AMHN. ΔCCLXXVIII. Ⲡ. Ⲩ. Ⲁ. Ⲡ. Ⲁ. Ⲁ. Ⲁ. Θ. Ϛ. Θ.

Data quinto Idus Maii, anno Dominicæ incarnationis 906, indictione IX.

(Indictio IX mense Maio, et episcopatus Dadonis anno Christi competunt 906. Numerorum autem summa, quæ sub finem exprimitur, et Græcis litteris designatur, fit ex numero communi DCLX, et ex proprio CXVIII, quem reddunt litteræ Δ, Α, Ρ, Δ, cum indictione IX. Omnium enim una summa est DCCLXXVIII.)

XI.

Ⲡ, Ⲩ, Ⲁ, Ⲡ, Δ, Ⲁ, Θ, Ⲏ, Ⲙ, Ⲭ. *Durandi episcopi Arvernorum ad Radulfum Turonensem, pro subdiacono quodam, quem ejus curæ committit.*

Durandus Dei gratia Arvernensis episcopus Rodulfo excellentissimo Turonicensi archiepiscopo, quod in terra felicius vel beatius in cœlo.

Comperiat dilectio vestra quod hic præsens subdiaconus, quem manu propria consecravimus, misericorditer formatam a nobis expetiit epistolam, et omnem auctoritatem canonicam, sicut inter dantem et accipientem fieri oportet; quatenus hac auctoritate securus, jure vestræ ditioni subjici valeret. Cujus petitionibus annuentes, mittimus nobilitati vestræ hanc epistolam canonica institutione formatam, ut quem sanctitatis vestræ amodo custodiæ rogando committimus, eum libera nostra concessione ad quodcunque officium, seu ad quemcunque gradum visum fuerit, promoveatis, et omnem quam erga eum hactenus potestatem nobis licuit, exercere sit vobis licitum. Et ut nullus in vestro animo scrupulus hæsitationis remaneat, ea signa quæ sancti patres in Nicæno concilio statuere in hujusmodi epistolis scribenda, in primis et ultimis adnotavimus. AMHN.

(Litteræ fronti præfixæ non satis integræ videntur, et subdiaconi nomen non expressum rem obscuram facit. De tempore autem formatæ conjicere licet ex obitu Durandi, quem incidisse constat in annum 1095, sub initium concilii Arvernensis Urbani II. Hactenus ergo formularum exempla undecim quæ proposueramus, auctorum suorum nominibus insignita: quibus addi potest extremo loco et aliud generale, quod inter formulas veteres post Marculfum editas legitur numero 12. Sic autem habet:)

Formula generalis epistolæ formatæ.

In Dei nomine sanctissimo ac reverendissimo fratri *Illi* episcopo, *Ille Illius* urbis episcopus, in Domino sempiternam salutem.

Cognoscat fraternitas seu charitas vestra, quia iste præsens presbyter nomine *Ille*, in parochia et in ecclesia nostra sacris litteris educatus fuit, et ab infantia fuit apud nos, seu prædecessores nostros, bonum habens testimonium, bonamque continentiam et innocentem vitam deducens. Unde placuit illi modo ut ad aliam Ecclesiam se converteret, volens sibi quærere seniorem, qui se de rebus temporalibus adjuvet, et cui ille secundum ministerium, quod sibi injunctum est, obsequium præbeat. Unde vestram fraternitatem compertam facimus, ut cuicunque placuerit eum suscipere, absque ulla ambiguitate hoc faciat, sciens illum et boni esse testimonii, et a nobis sibi ab Ecclesia, quæ nobis ad regendum concessa est, migrandi licentiam accepisse. Et ut hæ litteræ firmiorem obtineant dignitatem, meliusque eis fides adhibeatur, manu nostra eas subterfirmavimus.

Opusculum sequens, bone lector, cui primus inter anonymos locus debetur hic ultimum typothetarum oscitantia ponitur.

BENEDICTIO DEI,

HOC EST COMMENTARIOLUS

QUOMODO DEUS PRÆCIPUE PER PSALMOS BENEDICENDUS ATQUE LAUDANDUS SIT.

Ex Cassiodoro et Isidoro magna ex parte contextus ab anonymo quodam, sed, ut videtur, monacho Ratisbonensi, ad Bathuricum episcopum Ratisbonensem, qui sedem illam obtinuit anno Redemptoris 814.

In lucem primum editus studio Petri Stevartii Leodii, SS. theologiæ doctoris et professoris, etc.

(Bibliot. veterum Patrum Lugdun. tom. XXVII, Supplem.)

PETRUS STEVARTIUS LEODIUS LECTORI SALUTEM.

Hunc Commentariolum, ante aliquot centenos annos ex verbis veterum Patrum contextum, visum est cæteris adjungere, quod ego post duos et triginta annos, quibus publice SS. Scripturam in Academia Ingolstadiensi prælegi hoc ipso anno Psalmorum Davidicorum explanationem sim auspicatus. Continet vero hic libellus non pauca quæ ad dictorum psalmorum commendationem et intelligentiam plurimum facere possunt.

Secutus est autem hujus opusculi collector (quisquis fuit) inveteratum quorumdam morem, qui cum aliquid scriberent, semper antiquorum potius quam suis verbis loqui optabant; quod etiam in nonnullis venerabilis Bedæ Commentariis videre licet. Tu, amice Lector, hoc libello jam primum publicato fruere, et quod docet, age. At nil aliud docet quam quod angelus ille cujus hoc ad Tobiam et familiam monitum: Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit vobiscum misericordiam suam (*Tob.* XII, 6).

PRÆFATIO AUCTORIS

Ad Bathericum episcopum Ratisbonensem.

Domino semper in Christo venerando Batherico episcopo.

Ego desiderii vestri flagrans amore, memor benignitatis et charitatis vestræ, ac sermocinationis invicem sæpius habitæ, de divinæ servitutis officiis, qua scilicet reverentia et honore debeant celebrari: sanctorum et venerabilium doctorum pro exiguitate sensus mei perscrutans eloquia, ex quibus, qua valui brevitate, quosdam colligens flosculos, vobis obtuli relegendos, quatenus vestro studio magna ex illis suavitas accepta, divinis offeratur conspectibus. Sunt enim maxime ex Psalmorum expositione, qui quodam privilegio Deitatis sacrati habentur laudibus, ipsa, perparva excerpta capitula: quos sancti Patres nostri et doctores Ecclesiæ exposuerunt, Hieronymus videlicet, Augustinus, Cassiodorus magnus et eloquens vir: sed et Isidori de Antiphonis Responsoriisque, et aliis rebus: Bedæ quoque eximii magistri inserui monita, ut quod reverenter interim agitis, perspecta Patrum auctoritate, ferventior, divina instigante gratia, in vestra Ecclesia, ad hæc peragenda studiosius accendatur affectus.

Contigit enim me multa peragrando loca, audisse divina officia inordinate et sine auditus delectatione celebrari. Sunt namque nonnulli qui tantum ob verecundiam hominum, ne forte ignavi ab ipsis judicentur, intrantes ecclesiam, sine antiphonis, cursim et omni cum velocitate, ut citius ad curam carnis exeant peragendam, divinis negligenter assistunt laudibus, cum in mundanis studiosi habeantur operibus. Qui nesciunt, quia sancti doctores et eruditores Ecclesiæ, sancto Spiritu et gratia Dei repleti, instituerunt modulationem in antiphonarum vel responsoriorum repetitione honestissimam, quatenus hac dulcedine animus audientium delectatus, ad Dei laudes et amorem cœlestis patriæ ardentius accenderetur. Hujusmodi vero tales non solum alios ad Deum laudandum non excitant, sed nec seipsos. Quia si sine verecundia potuissent, penitus dimitterent.

Alii vero, qui, quod pudet dicere, etiam episcopi, tota die conviviis et poculis vacantes, et pene usque in noctis medium vel usque ad gallorum cantum, aut, eo amplius, diversis student potionibus suæ satisfacere voluntati; quibus convenit illud, quod dixit Spiritus sanctus per Salomonem : *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?* (*Prov.* XXIII, 29, 30.) Et illud prophetæ : *Cithara et lyra et tympanum, et tibia et vinum in conviviis vestris; et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis* (*Isa.* V, 12). Isti tales, magis studentes hominibus placere quam Deo, priusquam dormitum eant, nocturnas vigilias desidiose persolventes, stratu mox decubant, donec iterum tempus manducandi et bibendi redeat. Surgentes vero dum se vestibus induunt, diurna peragunt officia, putantes sibi sufficere posse si saltem quoquo modo illa decantent; ignari quia horæ sunt in sancta Ecclesia constitutæ, quibus per diem et noctem divinæ servitutis officia persolvantur, id est, matutinum, prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorium. De his enim dixit Propheta : *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII, 64). De nocturnis vero vigiliis ait : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Ibid.*, 62). Sed et de matutinis alibi dicit : *In matutinis meditabor in te, quia tu fuisti adjutor meus* (*Psal.* LXII, 7). In istis enim debemus laudes cum summo studio creatori nostro referre. Nam reliquæ horæ nostris usibus sunt concessæ. Quas si negligimus, sanctorum Patrum institutis contraimus, quibus contraire periculosum est. Neque enim possunt communionem sanctæ Ecclesiæ habere, qui ejus instituta, etsi non verbis, operibus vero oppugnare nituntur : dum, quod permaximum est, in sancta Ecclesia (si cum charitate et studio pietatis peragatur), id est, laudis divinæ psalmodia modulata, et missarum solemnia, nec temporibus congruis, nec religiosis celebrant affectibus. Non enim talia referendo vos denotare volo, sed, ne his participemini admonere summa humilitatis subjectione præsumo : ideoque SS. Patrum, quæ sequuntur, dicta pauca obtuli ut, horum devitantes errorem et istorum sequentes exemplum, irreprehensibiliter coram Deo et hominibus Divinitatis opera divinis digna conspectibus strenue in vestra Ecclesia persolvantur, quatenus, sicut aliis mirandis et magnificandis præclari estis operibus, in hoc etiam sitis perlucidi, ut exemplo vestro corrigatur supradictorum ignavia.

Hæc, domine Pater, quæ solo charitatis et amoris instinctu pauca collegi ex pluribus, licet vestra sagacitas potiora, sicut sunt in dictis Patrum sanctorum, valeat invenire, gratissimo suscipite affectu, ut meus labor vestro perficiatur studio. Bene vos valere semper opto in Domino vestri benigne memor.

DE LAUDE PSALMORUM ET PSALTERII,

Ex præfatione Cassiodori in Psalmos.

Repulsis aliquando in Ravennati urbe sollicitudinibus dignitatum, et curis sæcularibus noxio sapore conditis, cum Psalterii cœlestis animarum mella gustassem, id quod solent desiderantes efficere, avidus me perscrutator ingessi, ut dicta salutaria suaviter imbiberem post amarissimas actiones. Sed familiaris inchoantibus occurrit obscuritas, quæ variis est intexta personis et velata parabolis. Hæc in dictis vitalibus noxia dissimulatione præteritur, dum sæpe illud reperiri solet ambiguum, quod magni sacramenti gestat arcanum. Tunc ad Augustini facundissimi Patris confugi opinatissimam lectionem, in qua tanta erat copia congesta dictorum, ut retineri vix possit relectum, quod abunde videtur expositum. Credo, cum nimis avidos populos ecclesiasticis dapibus explere cupit, necessario fluenta tam magnæ prædicationis emanavit. Quocirca, memor infirmitatis meæ, mare ipsius quorumdam psalmorum fontibus profusum, divina misericordia largiente, in rivulos vadosos, compendiosa brevitate deduxi, uno codice tam diffusa complectens, quæ ille in decadas quindecim mirabiliter explicavit.

Sed, ut quidam de Homero ait : Tale est de ejus sensu aliquid subripere, quale Herculi clavam de manu tollere. Est enim litterarum omnium magister egregius; et, quod in ubertate rarum est, cautissimus disputator. Decurrit quippe tanquam fons purissimus, nulla fæce pollutus, sed in integritate fidei perseverans. Nescit hæreticis dare, unde se possint aliqua colluctatione defendere. Totus catholicus, totus orthodoxus invenitur : et in Ecclesia Domini suavissimo nitore resplendens, superni luminis claritate radiat.

Quædam vero noviter inventa, post tam mirabilem magistrum, sola Domini præsumptione subjeci, qui parvulis confidentiam, cæcis visum, mutis sermonem, surdis præstat auditum.

Quem enim codicem etiam per 50 psalmos cum præfationibus suis trina sum divisione partitus : ut et claritas litteræ sanioribus oculis se pulchrius aperiret, et desiderio legentium fratrum numerosi codicis corpora præstarent : ita et ad bibliothecæ cautelam unus relictus est, et propter congregationis studium commodissime forsitan esse noscitur divi-

sus. Quapropter mandato Domini confidentes, cœlestis mysterii claustra pulsemus, ut aperiat sensibus nostris floriferas sedes, quatenus in illo cœlesti paradiso salutariter introducti, spiritalia poma sine aliqua primi hominis transgressione carpamus. Vere coruscus liber, sermo lampabilis [a], cura sauciati cordis, favus interioris hominis, pinax spiritualium personarum, occultarum lingua virtutum : qui inclinat superbos humilitati, reges pauperibus subdit : affabilitate parvulos nutrit. Quanta enim illic est pulchritudo sensuum, et stillantium medicina verborum, ut merito hic illud Salomonis aptetur quod dixit in Cantico canticorum : « Hortus conclusus, et fons signatus, paradisus plenus omnium pomorum (*Cant.* IV). » Modo enim quidam Psalmorum salutari institutione formati, turbidos et tempestuosos animos declinant ad limpidam et tranquillissimam vitam. Modo promittentes Deum propter salutem credentium visualiter humanandum, et ad judicandum orbem esse venturum, modo commonent lacrymis peccata diluere, elemosynis delicta curare, modo sacris orationibus reverenter attoniti, modo Hebræi alphabeti virtute profundi, modo de passione et resurrectione Domini salutaria prædicantes, modo lamentantium deploratione piissimi, modo versuum repetitione, quædam nobis sacramenta pandentes, modo canticorum graduum ascensione mirabiles ; postremo supernis laudibus feliciter inhærentes, beata copia, inexplicabile desiderium, stupenda profunditas. Non potest animus fidelis expleri qui cœperit inde satiari.

Psalmi sunt denique, qui nobis gratas facium esse vigilias, quando silenti nocte, psallentibus choris, humana vox erumpit in musicam ; verbisque arte modulatis, ad illum redire facit, a quo pro salute humani generis divinum venit eloquium. Cantus, qui aures oblectat, et animas instruit, fit vox una psallentium, et cum angelis Dei, quos audire non possumus, laudum verba miscemus, per illum scilicet qui venit ex semine David, Dominum Christum, sicut ipse in Apocalypsi dicit : *Ego sum radix et origo David* (*Apoc.* XXII, 16) ; a quo et religionem salutarem accepimus, et S. Trinitatis mysteria revelata cognoscimus. Unde merito eis Patris, et Filii, et Spiritus sancti una gloria sociatur, ut perfecta eorum præconia comprobentur. Ipsi enim diem venturum matutina exsultatione conciliant, ipsi nobis primam horam diei dedicant, ipsi nobis horam tertiam consecrant, ipsi sextam in panis confractione lætificant, ipsi nobis nona jejunia resolvunt, ipsi die postrema concludunt, ipsi noctis adventu, ne mens nostra tenebretur, efficiunt sicut ipsi dicunt : *Nox illuminatio mea in deliciis meis, quoniam tenebræ non tenebrabuntur abs te, Domine* (*Psal.* CXXXVIII, 11, 12) ; ut merito se a vera vita credat alienum, quisquis hujus muneris jucunditate non fruitur. Quorum virtutes, ut breviter divinus sermo concluderet, in LXX psalmo dicturus est : Ego autem confitebor tibi in vasis psalmorum veritatem tuam. Revera, vasa veritatis, quæ tot virtutes capiunt, tot divinis odoribus farciuntur, tot thesauris cœlestibus cumulantur. Hydriæ, quæ vinum cœleste recipientes, puritatem ejus semper in novitate custodiunt. Dulcedo mirabilis, quæ sæculi corruptionibus non acescit ; sed in sua permanens dignitate, gratia semper purissimæ suavitatis augetur. Apotheca valde copiosa, de qua cum bibant tam magni terrarum populi, ubertas ejus nescit expendi. Quam mirabilis autem ex ipsis profluit suavitas ! Dulcisonum organum humanis vocibus æmulantur. Tubarum sonitus grandiloquis clamoribus reddunt. Vocalem citharam viventium chordarum permistione componunt. Et quidquid ante instrumentis musicis videbatur agi, nunc probatur per rationales substantias explicari. Verumtamen, nequaquam nobis, ut psittacis merulisque vernandum est, qui, dum verba nostra conantur imitari, quid tamen canant, noscuntur modis omnibus ignorare. Melos siquidem blandum animos oblectat ; sed non compellit ad lacrymas fructuosas. Permulcet aures, sed non ad superna erigit audientes. Corde autem compungimur, si quod ore dicimus, animadvertere valeamus, sicut in Psalterio legitur : *Beatus populus, qui intelligit jubilationem* (*Psal.* LXXXIX, 16) ; et iterum : *Quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter* (*Psal.* XLVI, 8). Philippus quoque apostolus cum reginæ Candaces eunuchum Isaiam legere cognovisset, Scripturas ei sanctas competenter exposuit. Qui postquam quod legebat advertit, statim gratiam baptismatis exquisivit, et mox perfecte munera salutis accepit (*Act.* VIII, 27, 39). In Evangelio etiam Dominus ait : *Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus* (*Matth.* XIII, 19). Unde congrue datur intelligi hæc illis provenire non posse, qui Scripturas sanctas puro corde mercntur advertere. De qua pulchre Pater Hieronymus ait : « Margaritum quoddam est Scriptura divina, et ex multis partibus forari potest. Quocirca, Pater apostolice, qui cœlestes litteras sanctis moribus reddidisti præstante Deo, tua imitatione provocatus, abyssos divinos ingrediar, qui clemens errata corrigis, nec severus imputas, quod emendas. » Sed antequam apothecas spirituales attingam, quædam divisis capitibus, qui sunt numero decem et septem, æstimo prægustanda, ut cum earum rerum locus se intulerit, magni nectaris potus suavissimis delectationibus hauriatur.

I. De prophetiæ diversis speciebus nihilominus est dicendum ut, quæ sit ista Davidica, possimus distinctius edoceri.

II. Cur in psalmorum titulis, quasi auctorum nomina diversa reperiuntur.

III. Quid significet *in finem*, quod frequenter invenitur in titulis.

[a] Ita ms. et impressus quoque Cassiodorus ait a lampade, quasi sermo lucidus illuminans.

IV. Quid sit Psalterium, vel psalmi quare dicantur.
V. Quid sit psalmus.
VI. Quid sit canticum.
VII. Quid sit psalmocanticum.
VIII. Quid sit canticum psalmum.
IX. De quinquefaria divisione.
X. De unica inscriptione titulorum.
XI. Quid sit diapsalma.
XII. Utrum in quinque voluminibus psalmorum sit secanda contextio, an certe unus liber debeat nuncupari.
XIII. Quemadmodum in psalmis sit de Christo Domino sentiendum.
XIV. Quemadmodum sit expositio digesta psalmorum.
XV. De eloquentia totius legis divinæ.
XVI. De propria eloquentia Psalterii.
XVII. Laus Ecclesiæ.

Nunc ad præmissum ordinem, Domino præstante, veniamus.

I. *De prophetia.*

Prophetia est aspiratio divina, quæ eventus rerum aut per facta aut per dicta quorumdam immobili veritate pronuntiat, de qua bene quidam dixit : Prophetia est suavis dictio cœlestis doctrinæ favos et dulcia divini eloquii mella componens. Unde et ipse David in psalmo CXVIII dicturus est : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum, ori meo.* Multis autem modis gratiæ istius munera præstabantur; sed, ut de plurimis pauca complectar, acta est per operationes hominum; ut fuit arca Noe, et sacrificium Abrahæ, et transitus maris Rubri. Per nativitates quoque geminorum Esau et Jacob, qui futurarum rerum sacramenta gestabant. Per angelos, sicut locuti sunt Abrahæ, vel Lot, Zachariæ et Mariæ. Per visiones, sicut Isaiæ et Ezechieli, et cæteris sanctis. Per somnia, sicut Salomoni et Danieli. Per nubem et vocem de cœlo, sicut Moysi. Unde constat, secundum David, non per operationes hominum, non per nativitates geminorum, non per angelos, non per visiones, non per somnium, non per nubem et vocem de cœlo, nec per alios quoscunque modos, sed, cœlesti aspiratione fuisse completum, sicut de ipso legitur in I Regum volumine : *Et directus est Spiritus Domini in David a die illa et deinceps.* Ipse quoque Dominus in Evangelio dicit : « Si David in spiritu vocat eum Dominum, quomodo dicitis quod filius ejus est? » (*Matth.* XXII, 45.) Quo dicto recognoscimus evidenter per Spiritum sanctum fuisse psalmos prophetatos. Sciendum est sane quod omnis prophetia aut de præterito, aut de præsenti, aut de futuro tempore loquatur, aut agat aliquid.

Animadvertendum est quoque Spiritum sanctum sic fuisse prophetis sanctissimis attributum, ut tamen ad tempus, pro infirmitate carnis et contrarietate peccati, ab ipsis offensus abscederet; et iterum placatus, sub opportunitate temporis adveniret. Unde et sanctus Hieronymus exponens evangelistam A Marcum, in loco ubi ait de Joanne : « Vidit apertos cœlos et Spiritum tanquam columbam descendentem et manentem in ipso (*Matth.* III, 16). » Ita evidenti ratione tractavit, ut nemo contra sententiam ipsius venire præsumat. In psalmo quoque L Propheta post prophetam rogat : *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Nam si semper, ut ait beatus Hieronymus in prophetis, esset sermo divinus et juge in pectore eorum haberet hospitium, nunquam crebro Ezechiel poneret : *Et factus est sermo Domini ad me, dicens* (*Ezech.* VI, 1; VII, 1). In libro quin etiam Regum : Elisæus propheta dicit de muliere, cujus filius extremum clauserat diem : *Dimitte eam quia in amaritudine est; et Dominus celavit me, et non indicavit mihi* (*IV Reg.* IV, 27). Apostolus B quoque dicit : *De Virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do* (*I Cor.* VII, 25). Item ipse commemorat : « Hoc ego præcipio, non Dominus (*I Cor.* VII, 10) [*Vulg.*, præcipio non ego, sed Dominus]. Et alio loco sic meminit : « Quæ loquor [*Vulg.*, quæ non loquor] secundum Deum (*II Cor.* XI, 17). » Unde similiter etiam cæteris prophetis, aliqua quidem Dominus locutus est, et non prophetæ; et aliqua prophetæ, et non Dominus. Nec illud specialiter de Domino Jesu Christo diceret Joannes Baptista : « Qui misit me baptizare, ipse dixit mihi : Super quem videris Spiritum sanctum in specie columbæ descendentem et manentem in eo, hic est qui baptizat in Spiritu sancto (*Joan.* I, 33). » Nunquam enim proprium esset in Domino Christo, C quod additur; et manentem in eo, nisi ab aliis nonnunquam recedere probaretur. In Christo enim permansit, quia peccatum non habuit. Ab aliis jure discessit, quia pollutionis maculam perceperunt. Spiritui enim sancto non potest esse communio cum delictis; nam sic scriptum est in libro Sapientiæ Salomonis : *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu* (*Sap.* I, 5).

Est autem prophetia magnificum nimis et veriloquum dicendi genus, non humana voluntate compositum, sed divina inspiratione profusum, sicut ait Petrus apostolus : *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines* (*II Petr.* D I, 21). Nam et Paulus apostolus dicit : *Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, et exhortationem, et consolationem* (*I Cor.* XIV, 4). Et paulo post : *Qui prophetat Ecclesiam ædificat* (*I Cor.* XIV, 4). Ædificat plane, quando res incognitas, nimisque necessarias prælocutionis beneficio facit esse notissimas. Nam et quibus data est facultas bene intelligendi, vel interpretandi Scripturas divinas, a munere prophetiæ non videntur excepti, sicut Apostolus ait in epistola ad Corinthios I : « Spiritus prophetarum prophetis subjectus est. »

Sed, quoniam de prophetiæ muneribus competenter forsitan, quæ leguntur, agnovimus, nunc quæ restant sollicite perscrutemur.

II. *Cur in psalmorum titulis, quasi auctorum nomina diversa reperiuntur.*

In I libro Paralipomenon legitur : Cum propheta David devota Domino ætate senuisset, quatuor millia juvenum ex Israelitico populo delegisse, qui psalmos, quos ipse Domini aspiratione protulerat, organis, citharis, nablis, tympanis, cymbalis, tubis, propriaque voce, in magna jucunditate supernæ gratiæ personarent. Quæ suavis adunatio tribus partibus divisa constabat. Rationalis pertinebat ad humanam vocem ; irrationalis, ad instrumenta musica. Communis autem de utrisque partibus aptabatur, ut et vox hominis certis modulationibus ederetur, et instrumentorum melos consona se vicinitate conjungeret. Sic, suavis illa et jucunda musica Ecclesiam catholicam tali actu prædicebat, quæ ex diversis linguis, varioque concentu in unam fidei concordiam erat, Domino præstante, creditura.

Ex quo numero, indita nomina frequenter in titulis invenimus, ut, Idithun, Asaph, filii Chore, et his similia. Non quia ipsi, ut quidam volunt, auctores fuere psalmorum ; sed quemadmodum præpositi artificibus, administratores earum rerum probabiles exstiterunt, ut honorem de tali commemoratione sumerent, qui officio sancto devotis mentibus serviebant, maxime, quia et nomina eorum intellectus rerum congruos indicare noscuntur. Non enim supradicti viri ad psalmos faciendos electi sunt, sed eos congregatos tantum legimus ad canendum ; psalmographos autem fuisse historia nulla testatur. Et præsumptuosum est dicere quod nulla possit auctoritate firmari. Psalmos enim ad solum prophetam David pertinere, certis declaratur indiciis. Denique in Apocalypsi, volens istud opus intelligi, solius meminit dicens : *Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit* (*Apoc.* III, 7). In Evangelio quoque Pharisæis ipse Dominus dicit : *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo*, etc. (*Matth.* XXII, 43, 44). Unde probatur universos psalmos non multorum existere, sed tantum ipsius, quem a Domino constat esse nominatum. Usus quoque Ecclesiæ catholicæ, Spiritus sancti inspiratione, generaliter et immobiliter tenet, ut quicunque eorum cantandus fuerit, qui diverso nomine prænotantur, lector aliud prædicare non audeat, nisi psalmos David. Quod si essent proprii, aut Idithun, aut filiorum Chore, aut Asaph, aut Moysi, eorum nomina utique prædicarentur, sicut et in Evangeliis fit, quando aut Marci, aut Lucæ, aut Joannis vocabulo pronuntiantur. Quod etiam secutus Pater Augustinus, congruenter omnes psalmos dicit esse Davidicos.

III. *Quid significet*, in finem, *quod frequenter inveniatur in titulis.*

Finem duobus dicimus modis. Primus est iste communis atque mortalis, quando res aliqua ad extremum deducta pervenerit, nec ulterius potest prodire ; qui motus sui terminum probatur accipere. A Sic enim dicimus : finitum cibum, qui sedula comestione consumptus est ; finitam pecuniam, quæ docetur expensa, et cætera, quæ hoc modo probantur edici. Secundus dicitur finis perfectus atque perpetuus, quem modo quærimus ; qui tum nobis protendi magis ac dilatari incipit, quando ad eum mens devota pervenerit. Finis ergo legis ac plenitudo Dominus noster est Christus, sicut Apostolus dicit : *Finis enim legis est Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Ad quem dum pervenerimus, nihil ultra perquiremus, sed in ipso beatitudinis fine contenti, plenissima jucunditate perfruemur. Cujus tantum amor proficit, quantum intellectus noster, Domino præstante, clarescit. Et ideo, quoties in titulis psalmorum *finem* reperis, ad Dominum Salva- B torem aciem intende, qui est finis sine fine, et bonorum omnium completiva perfectio.

IV. *Quid sit Psalterium, vel psalmi quare dicantur.*

Psalterium est, ut Hieronymus ait, in modum litteræ Δ formati ligni sonora concavitas, obesum ventrem in superioribus habens, ubi chordarum fila religata, disciplinabiliter plectro percussa, suavissimam dicuntur reddere cantilenam. Huic citharæ positio videtur esse contraria, dum, quod ista in imo continet ; illud conversa vice gestat in capite. Hoc autem genus organi canorum atque singulare aptatur corpori Domini Salvatoris, quoniam sicut istud de altioribus sonat, sic, et illud gloriosæ institutionis superna concelebrat, sicut ipse in Evangelio dicit : *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur ; qui autem de cœlo venit, quæ vidit, et audivit,* C *testatur* (*Joan.* XXXIII, 32).

Unde quidam hoc opus Davidicum psalmos dictos esse præfiniunt, quia, de superno culmine resonare noscuntur. Cognosce vero quod isti tantum pro excellentia sui dicantur psalmi, qui hoc volumine continentur. Nam et Psalterium, genus esse musicorum [instrumentorum] Daniel propheta testatur, inquiens : Vocem tubæ, fistulæ, sambucæ, citharæ, psalterii et symphoniæ, omnisque generis musicorum. Nam et Paralipomenon V exponit, cum dicit, de lignis thyinis, quæ vulgo evelina [πεύκινα] vocantur, *gradus factos in domo Domini, et in domo regia citharas quoque, et psalteria cantoribus* (*II Par.* IX, 31). Hoc apud Hebræos dicitur nablum, quod tamen D in suprascripto libro frequenti repetitione vulgatum est.

Ipsum vero psalmum Græcum esse constat vocabulum ; quem dictum quidam volunt, ἀπὸ τοῦ ψάλλειν, hoc est, a tangendo. Nam et psalterias, citharœdas vocamus, docto pollice modulationes musicas exprimentes.

V. *Quid sit psalmus.*

Psalmus est, cum ex ipso solo instrumento musico, id est, psalterio, modulatio quædam dulcis et canora profunditur.

VI. *Quid sit canticum.*

Canticum est, quod ad honorem Dei canitur, quando qui libertate propriæ vocis utitur : nec lo-

quaci instrumento cuiquam musico consona modulatione sociatur. Hoc est, quod etiam nunc in divinitatis laudibus agitur.

VII. *Quid sit psalmocanticum.*

Psalmocanticum erat, cum instrumento musico præcinente, canens chorus sociatis vocibus acclamabat, divinis duntaxat vocibus obsecutus.

VIII. *Quid sit canticum psalmum* [*canticopsalmum*].

Canticumpsalmum erat, cum, choro antecedente, ars instrumenti musici in unam convenientiam coniter aptabatur, verbaque hymni divini suavis copula personabat.

IX. *De quinquefaria divisione.*

Hanc autem, quam diximus, quinquefariam divisionem, prout unaquæque earum Psalmorum titulis potuerit convenire, locis aptissimis admonebo, ubi significantiam quamdam subsequentibus rebus mystica interpretatione contradunt. Sed quia sunt et aliæ multifariæ superscriptiones, quas prætereundas esse non arbitror, breviter in unam conclusionem æstimo colligendas, ut, nec fastidium lector incurrat, nec in damno intelligentiæ necessaria forte prætereat.

X. *De unica inscriptione titulorum.*

Quasdam superscriptiones psalmorum per allusionem consimilem constat spiritualiter intuendas. Quia, si litteram non consideres, extraneum est, cum non ea invenias in psalmis quæ continentur in titulis. Si vero trahantur ad tropicum intellectum, nimis videntur accommodatæ, ut est illud : *Ubi res gestæ significantur*, id est, *cum fugit a facie Absalon. Ubi locus*, ut est : *cum esset in deserto Idumææ. Ubi dies*, sicut est : *in prima Sabbati. Ubi Hebræa nomina*, sicut est : *Idithun. Ubi facta est comparatio gestorum*, id est, *cum mutavit vultum suum coram Abimelech.* Vel specierum consimilium, id est, *pro torcularibus.* Quapropter in superscriptionibus titulorum : sive *psalmum*, sive *canticum*, sive *psalmocanticum*, sive *canticumpsalmum*, sive *in finem*, sive aliquid de sexta, quam diximus, complexione, reperire potueris ; aut sigillatim, aut unum, duo vel tria, sive quatnor ex eis inserta cognoveris, ad illas virtutes trahe, quia, rerum istarum commemoratio ad similitudinem occultæ intelligentiæ posita subtiliter invenitur. Ista enim ante fores psalmorum tanquam sacrata vela pendent ; per quæ, si aciem mentis intendas, rarescentibus quibusdam filis, facile eorum penetralia contueris. Quis enim causas, tot diversitates nominum putat otiosas ? cum nefas sit, credere, Scripturas divinas aliquid supervacuum continere. Legitur enim : *Amen, amen dico vobis quod iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia compleantur* (*Matth.* v, 18).

XI. *Quid sit diapsalma.*

Inter expositores psalmorum de hoc nomine quædam noscitur provenisse diversitas. Hieronymus, Hebraicæ linguæ doctissimus inquisitor, continuationem Spiritus sancti esse confirmat ; ob hoc, quia diapsalma significet semper. Beatus autem Augustinus rerum obscurarum subtilissimus indagator, inter aridua sine offensione discurrens, hanc potius partem elegisse cognoscitur, ut magis divisio esse videatur, nominis ipsius discutiens qualitatem, συνψαλμα (sympsalma), quippe dicitur Græco vocabulo, vocum adunata copulatio, διαψαλμα (diapsalma) vero sermonum rupta continuatio docens, ubicunque repertum fuerit, aut personarum aut rerum fieri permutationem. Merito ergo tale nomen illic interponitur, ubi vel sensus, vel per sona dividi comprobantur. Unde et nos divisiones congrue faciemus, ubicunque in psalmis diapsalma potuerit inveniri.

Reliquas autem, prout datum fuerit, indagabimus, ubi tamen auctoritas hujus nominis non potuerit inveniri.

XII. *Utrum in quinque voluminibus psalmorum sit secanda contextio, an certe unus liber debeat nuncupari.*

Beatus Hieronymus prophetiam psalmorum quinque libris putavit esse dividendam, quia in textu operis hujus quarto legitur : *Fiat, fiat*, dum hoc verbo intercedente, nonnulla se videatur aperire divisio. Huic favit assensa posteritas. Credo, dum sibi consultum judicavit : quod in multas partes curtabatur tædiosa longinquitas. Hilarius autem Pictaviensis episcopus, divinarum rerum acutissimus et profundissimus exquisitor, congruentius librum æstimat dici debere psalmorum ; quia in Hebræo unum volumen est, et maxime, cum in Actibus apostolorum legatur dictum, *in libro Psalmorum* (*Act.* I, 20). Quapropter merito unus liber dicitur qui tanta auctoritate firmatur.

XIII. *Quemadmodum in psalmis sit de Christo Domino sentiendum.*

Tribus modis psalmi loquuntur de persona Domini Jesu Christi, pro instructione fidelium. Primum, per id quod ad humanitatem ejus noscitur pertinere, ut est illud secundi psalmi : *Astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* Et in XX psalmo : *Desiderium ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.* Secundo, quod æqualis et coæternus ostenditur Patri, ut est illud ejusdem II psalmi : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu ; ego hodie genui te.* Et in psalmo CIX : *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Tertio, a membris Ecclesiæ, cujus ipse dux et caput est Christus, ut est illud XXI Psalmi : *Longe a salute mea verba delictorum meorum.* Et in psalmo LXVIII : *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita ;* quod dictum pro unoquoque fidelium debemus accipere. Cæterum delicta a Christo probantur funditus aliena. Unde Tichonius, in libris Regularum, latius diligenterque disseruit. Hoc, si animo condimus, nulla confusione turbamur, quia error maximus inde nascitur, quando inconvenienter redditur alibi quod dictum constat ad aliud. Nam si uno modo fuisset locutus, quis ejus potuisset ge-

minam substantiam agnoscere; cum etiam nunc in tam evidentissima distinctione naturam divinitatis et humanitatis Domini Christi, aliqui nitantur sacrilega voluntate confundere?

Multa quoque secundum litteram commonet; multa spiritaliter jubet; personas subito decenter immutat, ut nunc Christus Deus, Verbum incarnatum; et homo factus, caput Ecclesiæ; nunc ipsa Ecclesia; nunc homo justus; nunc pœnitens loqui videatur, ut omnia necessaria tangat atque concludat. Ubique plenissimum cœlestium rerum sanctum vibrat eloquium, et multiplici diversitate virtutum, propter humani generis largiendam salutem, regni sui adoranda mysteria pius Redemptor insinuat. Hæc ideo præfati sumus ut, cum ventum fuerit ad loca talia, intrepidus lector audire possit, quod se jam salubriter didicisse cognoverit. Illud tamen auctoritate Patrum, et veritatis ipsius attestatione firmissima credulitate tenendum est: Unum de Trinitate, sive unam ex Trinitate personam, Deum Verbum, miseratione mortalium ex Maria Virgine hominem factum spontanea virtute, non ministratoria necessitate, quia nec naturæ suæ ullam mutabilitatem sustinuit, nec assumptione carnis, augmentum Trinitatis effecit, sed, sicut quidam ait: Maculas nostras lavit in sanguine, rugas etiam tetendit in cruce. Hoc, cum sit spei nostræ singulare præsidium, beatitudo credentium, felicitas magna justorum, non desinunt hæretici impia voluntate corrodere, quod humano generi salutis causam cognoscitur præstitisse.

XIV. *Quemadmodum sit expositio digesta psalmorum.*

Primo nobis de titulorum inscriptione, Domino juvante, dicendum est. Unde, velut uberibus expressis, lacteus sensus divinæ prædicationis emanat. Tum, unusquisque psalmus pro sua qualitate videndus est, ne nobis intellectum permisceat aut occulta mutatio rerum, aut varietas introducta loquentium. Tertio, arcanum psalmi, partim, secundum spiritalem intelligentiam, partim, secundum historicam lectionem, partim, secundum mysticum sensum, subtilitates rerum discutiens, proprietatesque verborum, prout concessum fuerit, conabor aperire. Quarto, prout locus exegerit, virtutem ejus breviter demonstrare contendam, quatenus intentio digesti carminis, divino munere, oculis interioribus elucescat. Virtutem psalmi dico inspirationem divinam, qua nobis intentio superna reseratur, et, sermone Davidico, a vitiis nos removet, et recte nobis vivere persuadet. Quinto, de ordine numeri psalmorum, cum res exegerit, memorabimus; qui reverendissimarum rerum honore sacratus est. Hoc enim per singulos quosque psalmos facere nobis difficile fuisse profitemur, quod indeterminatum atque suspensum Patrum etiam reliquit auctoritas. Reliquos autem sibi calculos diligens perscrutator exquirat. Quoniam multa accessu temporis in Scripturis divinis fient clara, quæ nunc videntur abscondita. In conclusionibus vero, aut summam totius psalmi sub brevitate complectemur, aut contra hæreses aliquid dicemus destruendas. Ipsa est enim Domini vera dilectio: adversarios ejus odio habere perfecto.

XV. *De eloquentia totius legis divinæ.*

Eloquentia legis divinæ humanis non est formata sermonibus, neque confusis incerta fertur ambagibus, ut aut a rebus præteritis oblivione discedat, aut præsentium confusione turbetur, aut futurorum dubiis casibus eludatur; sed cordi, non corporalibus auribus loquens, magna veritate, magna prænotiæ firmitate cuncta dijudicans, Auctoris sui veritate consistit. Sic enim in Evangelio, de Domini Christi prædicatione dictum est: *Loquebatur autem sicut potestatem habens, non sicut Scribæ eorum et Pharisæi* (*Matth.* VII, 29). Ille indubitata loquitur, cui omnia præsentia sunt, et rerum exitus probatur esse subjectus. Eloquentia siquidem est ad unamquamque rem competens, et decora locutio. Hæc igitur casta, fixa, verax et æterna prædicatio, nimis purissimo nitet eloquio; cujus utilitas lucet; magnificentia virtutis apparet: operatio salutis arridet, sicut et in CXVIII psalmo, dicturus est: *quia eloquium tuum vivificabit me;* et iterum: « Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis. » Revera lumen, quia semper vitalia jubet, noxia prohibet, terrena removet, cœlestia persuadet.

Hinc et Doctor gentium in Epistola I ad Corinthios scribit: *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* Idem ad Timotheum II. meminit dicens: *Omnis Scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum, ad corrigendum in disciplina, quæ est justitiæ, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Hæc, sicut Patris Hieronymi testatur auctoritas, apud Hebræos IV, aut rhythmo, aut metrica constat lege composita, quæ, ut ipsi dicunt, fastutiis continetur. Fastutium enim est per commata procedens ad depromendum sensum naviter explicata conceptio. Cujus si virtutem lector diligens perscrutaris, audi Apostolum ad Hebræos dicentem: *Vivus est enim Dei sermo et efficax, et acrior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum et discretor cogitationum et intentionum cordis.* Scripturæ autem divinæ sancta profunditas adeo communes sermones habet ut eam universi incunctanter admittant. Sensus autem recondit veritatis arcanos, ut in ipsis studiosissime vitalis sententia debeat indagari. Nam eam revera esse divinam hinc maxime datur intelligi, quod indocti subtilissima, temporales æterna, nonnisi divino repleti Spiritu, potuisse tradere, sentiuntur.

Postremo quot miracula jugiter facta sunt, donec Scriptura ipsa, mundi ambitum divulgata compleret, sicut scriptum est: « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum! (*Psal.* XVIII, 5.) » Unde ad probationem pertinet maximam, quia lex divina per cunctas mundi partes cognoscitur

fuisse suscepta. Hæc multis modis genera suæ locutionis exercet definitionibus succincta, schematibus decora, verborumque proprietate signata, syllogismorum complexionibus expedita, disciplinis irrutilans, non tantum ab eis accipiens extraneum decorem, sed potius illis propriam conferens dignitatem. Hæc enim quando in divinis Scripturis splendent, certa atque purissima sunt. Cum vero ad opiniones hominum et quæstiones inanissimas veniunt, ambiguis altercationum fluctibus agitantur, ut quod hic est firmissime semper verum frequenter alibi reddatur incertum. Sic et in lingua nostra, dum psalmodiam canit, nobilitate veritatis ornatur. Cum ad fabulas ineptas et blasphema se verba converterit, ab honore probitatis excluditur, sicut apostolus Jacobus dicit : « Ex ipso ore benedicimus Deum et Patrem, et ex ipso ore maledicimus hominem, qui ad imaginem et similitudinem Dei factus est (*Jac.* III, 9). » Hæc mundanarum artium periti (quos tamen multo posterius ab exordio divinorum librorum exstitisse, manifestum est) ad collectiones argumentorum, quæ Græci topica dicunt, et ad artem dialecticam, et rhetoricam transtulerunt, ut cunctis evidenter appareat, prius ad exprimendam veritatem justis mentibus datum, quod postea gentiles humanæ sapientiæ aptandum esse putaverunt.

Hæc in lectionibus sacris, tanquam clarissima sidera, relucent, et significantias rerum utilissimis compendiis decenter illuminant; quæ nos breviter locis aptissimis admonebimus. Quoniam res ipsæ commodissime deducentur ad medium, per quas concepti sensus clarius elucebunt. Nam et Pater Augustinus, in libro III, de Doctrina Christiana, ita professus est : « Sciant autem litterati modis omnium locutionum, quos grammatici Græco nomine tropos vocant, auctores nostros usos fuisse. » Et paulo post sequitur, « quos tamen tropos, id est, modos locutionum qui noverunt, agnoscunt in litteris sanctis, eorumque scientia, ad eas intelligendas aliquantulum adjuvantur. » Cujus rei et in aliis codicibus suis fecit evidentissimam mentionem. In libris quippe, quos appellavit de modis Locutionum, diversa schemata sæcularium litterarum inveniri probavit in litteris sacris. Alios autem proprios modos in divinis eloquiis esse declaravit, quos grammatici, sive rhetores nullatenus attigerunt. Dixerunt hoc apud nos et alii doctissimi Patres, id est, Hieronymus, Ambrosius, Hilarius, ut nequaquam nos præsumptores hujus rei, sed pedissequi videamur.

Sed dicit aliquis : Nec partes ipsæ syllogismorum, nec nomina schematum, nec vocabula disciplinarum, nec alia hujuscemodi ullatenus inveniuntur in psalmis. Inveniuntur plane in virtute sensuum, non in effatione verborum. Sic enim vina in vitibus, messem in semine, frondes in radicibus, fructus in ramis, arbores ipsas sensu contemplamur in nucleis. Nam et de profundissima abysso deliciosus piscis attingitur, qui tamen ante captionem suam humanis oculis non videtur. Merito ergo esse dicimus, quæ inesse nihilominus virtute sentimus. Nam et Apostolus vetat nos seduci per vanam sapientiam mundi (*Ephes.* V, 6); ista vero non abnegat in litteris esse divinis.

Certe accedamus ad psalmos, et interrogemus, quæ omni disputatione major est, rerum fidem. Istud ergo principale, virgineum et salutare locutionis genus, plerumque res aliquas refert, et sæpe longe alia, quæ audiuntur exponit. Simplicitas duplex; et, sine dolo bilinguitas, sicut fecit Joseph; qui, dum fratres suos aspectu ipso et sermone patrio cognovisset, ita eis videbatur loqui, ut nullatenus posset agnosci (*Gen.* XLII, 8); quod non est ad deceptionis studium sumptum, sed ad commodum magnæ utilitatis effectum. Hebræos sermones adhibet, causas profundissimas innuentes. Unam rem in malo et in bono plerumque ponit, ut, quod nomine videtur esse commune; probetur qualitatibus discrepare. Cœlestia terrenis comparat, ut, quod incomprehensibilis magnitudo vetat intelligi, per notissimas similitudines possit adverti. In verbis autem serendis mira potentia est, ut subito operta nobis atque incomprehensibilia duobus tribusque sermonibus explicentur. Quid brevius dicam? frequenter etiam, una syllaba ineffabilem Domini naturam demonstrat, ut est illud : *Qui est, misit me* (*Exod.* III, 14). Cujus omne verbum subtiliter inquisitum copiosis sensibus scaturit. Nam, sicut fecundissimus ager odoriferas herbas saluti nostræ producit accommodas, sic lectio divina, cum per singula verba requiritur, semper illic cura mentis sanciæ reperitur. De cujus eloquentiæ modis multi Patres latius prolixiusque dixerunt; quorum nomina in libris introductoriis commemoranda perspeximus. Sed fons ille cœlestis, quantum assidue constat hauriri, tantum nescit expendi. Ac ne diutius in generalibus remoremur, specialia Psalterii, Domino juvante, tingamus. Quoniam ipsa res evidenter agnoscitur, quæ communibus rebus præmissis, postea sub aliqua proprietate describitur.

XVI. *De propria eloquentia Psalterii.*

Primum est, quod ipsi tantum psalmi singulari nomine vocitantur; quos nos adhibitis hujus linguæ peritissimis, cum eorum volumine conferentes, servato usu psallentium, suis versibus æstimavimus esse reddendos, ne se in præsumptum ordinem auctoritas permista confunderet. Deinde, quod nullum aliud opus auctoritatis divinæ 150 sectionibus continetur. Ubi enim tot tituli diversa leguntur varietate conscripti? hic illud votivum nomen, *alleluia*, in superscriptionibus inchoavit; hic, commemoratio historiæ de Regum tracta volumine, in ipso limine posita virtutes noscitur indicare psalmorum; hic etiam, diapsalmata tantum interjecta monstrantur; hic, psalmi secundum virtutes suas, numerorum ordines tenent. Liber inchoans a beatitudine Christi, Novi et Veteris Testamenti sacramenta percurrens, laudibus sacris et sancta jubilatione concluditur, ut merito se tali munere consoletur Ecclesia; quæ hic

multarum calamitatum cognoscitur afflictionibus sanciari. Novit enim beneficio Domini triumphare, de suis cladibus ingravata; persecutionibus siquidem proficit, afflictionibus semper augescit, sanguine martyrum rigatur, tristitia magis erigitur, angustia dilatatur, fletibus pascitur, jejuniis reficitur, et inde potius crescit, unde mundus deficit. Quid enim in illo libro non invenies, unde se humanum genus debeat suaviter consolari? Thesaurus in pectore mundo semper excrescens, consolatio magna lugentium, spes beata justorum, periclitantium utile suffugium; unde semper, quod expedit, tollitur, ejusque fons indefecta perennitate servatur.

Beatus quoque Athanasius, Alexandrinæ civitatis episcopus, in libro quem Marcellino suo charissimo destinavit, de Proprietate Psalterii, ut verbis ipsius utar, ita dicit: Quicunque psalmi [*Cassio*, Psalterii] verba recitat, quasi propria verba decantat, et tanquam a semetipso conscripta unus psallit, et non tanquam a semetipso conscripta unus psallit, et non, tanquam alio dicente, aut de alio significata sumit et legit, sed, tanquam ipse de semetipso loquens, sic hujusmodi verba profert. Et qualia sunt quæ dicuntur, talia velut ipse agens, ex semetipso loquens, Deo videtur offerre sermones.

Psalterii quoque proprium est quod per eum legis divinæ sanctitas introitur. Non enim tyrones inchoant a Genesi, non ab Apostolo; non inter initia auctoritas Evangelica sancta pulsatur. Sed licet Psalterium quartus codex sit divinæ auctoritatis, primum tamen tyrones, inchoantes Scripturas sanctas, inde legendi faciunt decenter initium.

XVII. *Laus Ecclesiæ.*

O vere sancta, o immaculata, o perfecta mater Ecclesia, quæ, divina gratia largiente, sola vivificas, sola sanctificas, et perditum propriis culpis, institutione sua, humanum genus instauras. Cujus piæ confessioni nihil addi, nihil minui potest. Per omnes quippe psalmos, per omnia cantica, præconia sanctæ Trinitatis interseris, ut, cujus sunt sacrata verba quæ loquimur, ei laus semper et dulcissima gloria redderetur. Quæ solum sæculi hujus, et hæreticorum sævissimas procellas in arcæ illius Noe similitudine, quæ tuam evidenter portavit imaginem; sola inoffenso fidei cursu, sine periculo diluvii constanter enavigas, nec ullis erroribus acquiescis, quamvis adhuc inter pravitates hujus sæculi gravissima necessitate verseris. Quidquid enim reperitur præter vitale gremium tuum mortiferum constat esse naufragium. Nam cum Sabellius detestabilis erret in Patre, demens Arius delinquat in Filio, Manes sacrilegus neget Spiritum sanctum, alii scelerati Veteri Testamento derogent; nonnulli Novi gratiam non sequantur, tu tantum devotione fideli, præstante Domino, inoffense cuncta complecteris; Patrem quippe doces ingenitum, Filium genitum, Spiritum sanctum de Patre et Filio procedentem. Unum Deum, sanctam prædicans Trinitatem, coæternam sibi et æqualiter omnipotentem, Domi- 28

A numque Christum, manentem in divinitate sua et carne humanitatis assumptæ, salva uniuscujusque proprietate naturæ, unam confiteris esse personam, Veteri Testamento, de novo fidem faciens, Novum a Veteri exortum esse cognoscens.

Et, ut breviter cuncta complectar, nescis loqui, nisi quæ expedit credi. Nam quamvis diversis hic afficiaris angustiis et dolosi hostis contrarietate quatiaris, tamen de totius mundi circulo congregata resplendens, in modum pulcherrimæ pyramidis ad æterna regna perduceris. Quæ huic schemati non immerito compararis quoniam de universis gentibus extollens verticem pretiosum, justorum animas quasi lumen eximium ad superna regna transmittis. Meta frumentis plena cœlestibus, de diversis gentibus sanB ctorum beata collectio, serenarum mentium lampabilis cœtus, insolubilis constructio de vivis lapidibus fabricata, beatorum omnium æterna tenuitas, sole lucidior, nive candidior, sine macula, sine ruga. De qua scriptum est in cantico Canticorum: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Et paulo post: *Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Cujus dentes, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua* (*Cant.* IV, 1-3), mater et virgo, fœta et integra, genitrix et incorrupta, cujus os virtutum omnium fragrat odoribus. De qua sponsus dicit: Odor oris tui sicut malorum (*Cant.* VII, 8).
C Et post paululum: *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua* (*Cant.* IV, 10, 11). Quæ mereris denique osculari Christum, et decus illud perenniter custodire virgineum. Tibi enim dicitur: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis* (*Cant.* I, 1, 2); et cætera quæ liber ille divinus mystica prædicatione complectitur.

Quapropter, factis auditoribus per quamdam isagogen (quæ est sequentis operis introductio, index cœlestium mysteriorum et sacræ prænuntia dictionis), ut opinor, sufficienter attentis; et desiderio superno divina largitate flammatis, nunc ad solvenda quæ promissa sunt, Christo juvante, veniamus.
D Præsta, Domine, cujus est omne quod expedit, ut intelligenter, ut libenter, ut profecue mereamur audiri. Tuis enim adjutoriis omnimodis indigemus, ut valeamus concesso sermone aliquatenus verba tuæ majestatis exponere. Amen.

Prolegomena, id est, prædicenda. Antequam cœlestis Psalterii mella degustem, et campos illos gloriosissimæ passionis, Domino præstante, contingam, quædam mihi videntur divisis capitibus, de textu ipsius carminis intimare, ut et legentes distinctius debeamus edocere, et nos ordines ipsos sine aliqua offensione curramus.

In prima itaque parte, Domini carnalis vita describitur.

In secunda, natura deitatis ipsius subtiliter indicatur.

Tertia multiplicatos dicit populos, qui eum nitebantur exstinguere.

Quarta, Propheta in eisdem monitis perseverat, ut desinant Judæi mala cogitare vel facere, quoniam se noverint divinis virtutibus destruendos.

In quinta, Dominus Christus clamat ad Patrem ut ejus audiatur oratio : et in resurrectione ipsius mundo profutura concedat.

Sexta, per totum psalmum verba sunt pœnitentis, cui junguntur ejusdem modi alii sex; qui tamen in conclusione L psalmi descripti sunt.

In septima parte Christus humiliter quidem petit ut ei subveniatur a Patre, sed habet fiduciam rectæ conversationis; quod magis ad ejus pertinet deitatem. Sed more humanitatis assumptæ sibi postulat subveniri, ne diabolus animam ejus, iniqua præsumptione diripiat, et gloria ipsius in pulverem deducta dispereat.

In octava, parabolis et tropicis allusionibus congregatis, subsequens drama decurritur, et per allegoricas similitudines omnia referuntur ad Dominum Christum. Quæ schemata nos locis aptissimis evidentissime commonemus, ut lectori studioso ambiguitas cuncta tollatur.

Nona, post multiplicia præconia, quæ modo a deitate, modo ab humanitate ipsius, mutatis personis et titulis ponitur Alleluia, quod significat : *Laudate Dominum.*

Decima : sequuntur gradales, qui animum nostrum ad Dominum Salvatorem pura et humili satisfactione perducunt.

Undecima, variatis verbis, iterum laudes Domini, hymnidica exsultatione concelebrat, modo Patris, modo Filii, modo Spiritus sancti precans majestatem, ut nulli sit dubium, sanctam Trinitatem singulariter omnipotentem quæ vult facere in cœlo et in terra.

Duodecima septem psalmi relinquuntur in fine, qui exsultationibus hymnidicis totam gloriam sanctæ Trinitatis generaliter devota mente concelebrant. Sic textus totius Psalterii XII partibus divisus, in apostolorum numero, mira laude concluditur, quatenus et iste illud agat quod Christi discipulos fecisse cognovimus. Est etiam ejusdem rei aliud evidentius sacramentum, quod 150 diebus diluvio superducto criminibus suis terra diluta est. Sic et hi psalmi, tali numero producti, genus humanum peccatis suis pollutum, convenienter reddunt absolutum.

Servite Domino in timore. Brevis et plana est ista commonitio, qua hortamur Domino Deo non servili sed amabili timore servire. Et ne servitium Dei durissimum forte putaretur, subjunxit :

Et exsultate ei, quia timor Domini non ad miseriam, sed ad gaudium ducit. Et iterum, ne hæc exsultatio negligens redderetur, addidit : *cum tremore.*

Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum. Dicendo enim : *Verba mea auribus percipe*, oris significat psalmodiam. Sequitur : *intellige clamorem meum*, ut affectum cordis aperiret. Vox enim ista, non erat labiorum crepitus, sed cordis affectus.

Exaltare, Domine, in virtute tua; cantabimus et psallemus virtutes tuas. Cantare est verba Domini ore proferre. Psallere autem, mandata divina bonis operationibus constanter implere. Hæc enim duo, omnimodis a nobis expetuntur, ut laudes Domini fideliter ore cantemus, et opere nostro ipsius mandata faciamus.

Qui timetis Dominum, laudate eum. Qui timetis Dominum, dicit, quia timor humanus non laudem parturit, sed vituperationem. Dei autem timor, quia justus et rectus est, laudem generat, amorem tribuit, ardorem charitatis inflammat, quia Deum non meretur prædicare, nisi qui cognoscitur et timere. Ideo dixit : *qui timetis, laudate.*

Apud te laus mea in Ecclesia magna; vota mea reddam in conspectu timentium eum. Apud Deum debet esse nostra laus, id est, de Deo, et hoc in Ecclesia catholica, ut vota nostra acceptabilia sint Deo, quæ exhibemus coram timentibus se.

Ut audiam vocem laudis tuæ, et enarrem universa mirabilia tua. Vocem laudationis illam desiderabat forte audire, qua angeli Domini laudant Deum, dicentes : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth* (*Isa.* VI, 3); quam hodie sancta Ecclesia in celebratione missæ decantat, quando enim istam laudationem devote canimus, angelorum procul dubio vocibus admiscemur.

Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum tabernaculi gloriæ tuæ. Decorem domus dicit, non pulchritudinem parietum, aut ministeriorum pretiosissimos apparatus, sed qualitatem bonorum actuum; quæ constat in psalmorum jubilationem, et in precum sanctitatem, et in Christiani populi humillimam devotionem.

Psallite Domino, sancti ejus, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus. Qui sancti sunt, præcipitur ut psallant Domino, quia *non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV, 9). Confitenda et laudanda est memoria sanctitatis ejus, quæ humani generis misericorditer recordans efficit quod nos salvare potuisset.

Exsultate justi in Domino. Injusti exsultent in sæculo. Finito sæculo finitur injustorum exsultatio. Exsultent autem justi in Domino, quia, permanente Domino, permanebit justorum exsultatio. Exsultate autem in Domino, ita convenit ut laudemus illum, qui solus non habet quod nobis displiceat. *Rectos decet collaudatio* (*Psal.* XXXII, 1) : illi sunt recti, qui secundum voluntatem Dei dirigunt cor, et in prosperitate et in tribulatione laudant Deum.

Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi. Cithara inferius habet lignum, cui superjacent chordæ, quæ tactæ resonant. Psalterium vero in superiore habet ipsum lignum. Per

citharam intelligitur terrena prosperitas, sive adversitas. *Confitemini ergo in cithara*, id est, sive tibi abundet aliquid terrenum, gratias age illi qui dedit; sive tibi desit, vel forte damno auferatur, similiter gratias age. Non est enim tibi ablatus qui dedit, licet sit ablatum quod dedit; potens est tibi si vult plura largiri. Per psalterium vero significantur præcepta cœlitus hominibus data; quod psalterium decem chordarum dicitur quia decem sunt verba legis, quæ, si implemus, perfecte Deo in psalterio canimus. *Confitemini Domino in cithara*, etc. Isti sunt justi, quos superius dixit qui sanctis actibus laudem Domini devota modulatione decantant. Cithara est, sicut in præfatione jam dictum est, lignei ventris immodica concavitas, quæ sursum chordarum fila transmittens, sonis dulcissimis percussa perloquitur; quæ ideo tale nomen accepit, quoniam cita iteratione percutitur. Huic merito comparantur opera quæ terrenis rebus ad supernam gratiam porriguntur, id est, dum esurientem pascimus, dum nudum vestimus, dum ægrum visitamus, etc., quæ, licet videantur carnalia, divinitatis tamen amore peraguntur.

Citharizamus quoque cum passionibus nostris, vel damnis secure ac læti dicimus : *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21). Psalterium vero decachordum esse diximus, quod ordine converso alvum citharæ in superioribus habet, unde ad inferiorem partem canora fila descendunt; cui præcepta Decalogi convenienter aptantur. Quia secundum formam instrumenti hujus, de supernis venientia Domini jussa suscipimus. Et considera quia solum est instrumentum musicum, quod pro excellentia sui decachordum dicatur : Non enim hoc de cithara, vel aliis hujuscemodi instrumentis lectum esse meminimus. Decachordum vero psalterium, sicut veteres dixerunt, et illud nobis indicat sacramentum, ut referamus tria ad Deum, qui Trinitas est, id est, primum, quod ait : *Non habebis deos alienos coram me* (*Exod.* XX, 3); secundum, *Non facies tibi sculptile* (*Ibid.*, 4) : tertium : *Non assumes tibi nomen Dei tui in vacuum* (*Ibid.*, 7). In quo jungit et de Sabbato. Septem vero quæ sequuntur ad dilectionem dixerunt proximi pertinere, id est : *Honora patrem tuum et matrem tuam. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui. Non desiderabis uxorem ejus* *Exod.* XII, 17). Sic totius decachorda psalterii virtus perfecta nobis et honorabilis indicatur. Psallimus quoque et in decem chordis quando in quinque sensibus carnalibus et in quinque spiritalibus probabili nos conversatione tractamus. Verum ista, quæ dicimus, non sunt extra nos posita, sicut in musica disciplina. In nobis est cithara; in nobis est psalterium, imo ipsa organa nos sumus, quando ad similitudinem eorum, per gratiam Domini, actuum nostrorum qualitate certamus. Hæc autem et illo exemplo datur intelligi, ubi ait : « In me sunt Deus vota, quæ reddam laudes tibi (*Psal.* LV, 12). » Hæc autem et similia, sicut sæpe diximus, tropicis allusionibus edicuntur.

Cantate ei canticum novum. bene psallite ei in jubilatione. Cantate canticum novum, exuite vetustatem. Non pertinet canticum novum ad veteres homines. Bene psallite ei in corde, et voce, ne forte illi displiceat. Non enim vult Deus offendi aures suas. In jubilatione canit, qui tantam laudem Dei cum servatore in corde amplectitur, ut eam voce explere non possit. In qua jubilatione non potest bene psallere, nisi qui bonæ studium conversationis adjunxerit.

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Non solum quando ad laudem Dei faciendam accedimus, sed omni tempore debes laudare et benedicere Deum, id est, talem te exhibere, ut, si lingua tacet, vita tua laudet Deum. Sive in prosperitate, sive in adversitate sis, semper lauda Deum. Cum tibi est terrena prosperitas lauda Deum, qui dedit. Cum vero adversitas, similiter lauda Deum, cujus justo judicio agitur ut tibi adversitas contingat. Ille laudat Deum in omni tempore, qui humilis est. Quid est esse humilem? Nolle in se laudari. Qui in se vult laudari, superbus est; qui vero superbus est, non potest laudare Dominum in omni tempore.

Bene nuntiari justitiam tuam in Ecclesia magna; ecce labia mea non prohibebo. Ille bene nuntiat justitiam Dei in Ecclesia catholica, qui bene vivit, et in laudando et prædicando Deum segnis non efficitur, sed alios ad laudem Dei suo exemplo provocat.

Psallite Deo nostro, psallite, psallite Regi nostro, psallite. Ut hoc opus salutare ostenderet, ideo quatuor vicibus repetiit, *psallite*. Psallere enim est bonis actionibus laudes Deo canere, quod, si bene exhibeatur, etiam cum angelis nobis probatur esse commune. *Psallite Regi nostro;* Christo dicit, non alieno, quem decet ista laudatio.

Quoniam Rex omnis terræ Deus : psallite sapienter. Ipse est enim veraciter Rex omnis terræ, cui sapienter psallere debemus : ut, non solum cantantes, sed intelligentes psallere debeamus. Nemo enim sapienter quidquam facit quod non intelligit.

Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Quis immolat Deo sacrificium laudis, nisi qui a terrenis vitiis fuerit segregatus [*Edit. Basil :* qui moritur mundo, ut ostium fiat Christo]. Non enim placet Domino, si laudes ejus turpis persona decantet. Turpem personam hic dico quæ per vitia et peccata turpis redditur, quia cantandum est Domino corde, voce et opere; qui enim ita canit, Deum perfecte laudat.

Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Hoc contra illos ponitur, qui indigni laudes Domini canere præsumebant. *Sacrificium laudis honorificabit me;* non quale scelerati canunt, sed quale pura mens consuevit offerre.

Ipsum enim sacrificium laudis honorat Dominum, A quod puritate fidei et actionis probitate fuerit immolatum. Sequitur quoque: *Et illic iter est*; iter appellat beatissimam psalmodiam. Sed hæc via ubi ducat, exponit, *quo ostendam illi salutare Dei.* Gloriosa semita, quæ ducit ad cœli terræque creatorem. Verum istud iter, quod dictum est, non pedibus, sed sanctis mentibus ambulatur, quia, dum dulcedine et suavitate cantus delectatur, compunctionis gratia per visitationem divinam in corde generatur. Unde alius psalmus dicit: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* De hoc sacrificio, in quo spiritus humiliatur, lacrymarum solent fluenta decurrere; quia, cum secundum Deum tribulatur, nobis absolutionem tribuit peccatorum. Et hoc sacrificium non spernit B Deus, sed approbat, et eligit, et in conspectu suo admittit.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo et psalmum dicam Domino. Paratum dicit se habere cor, ad gratias Domino referendum magis, quam ad sæculares honores et ambitiones appetendum. Cantare se dicit, vocibus gratiam referre. Psalmum dicere autem, prædicabili Dominum actione laudare.

Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem. Reddamus et nos vota nostra in isto transitorio die, ut in illa perennitate laudes Domini, eodem præstante, decantare mereamur.

Jubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini C *ejus, date gloriam laudi ejus.* Hortatur ad psalmodiam omnem hominem, ut nomini Domini tali confessione gratias referat. Dat autem gloriam laudi ejus, qui præconia Domini frequentata exsultatione concelebrat.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo, Altissime. Hoc enim veraciter debemus Domino exhibere, ut adoretur, id est, corde Deum credere, cui psallere jubemur, id est, psalmodiæ dulcedine ejus magnalia resonare. Psalmum vero dicere, id est, bonis operibus Dominum confiteri.

Cantate Deo. Psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen D *illi. Exsultate in conspectu ejus.* Cantat enim Deo, qui contemplationem ejus puro ac fideli semper animo contuetur. Psalmum dicit nomini ejus, qui operas efficit, quas ille præcepit. Sequitur: *Iter facite ei*, id est, corda vestra purificata præparate, quæ dignetur sanctus Dominus introire. Addidit etiam:

Exsultate in conspectu ejus. Non in præsentia hominum, ubi est caduca lætitia; sed in conspectu ejus, ubi jugiter se puritas mentis oblectat.

Prævenerunt principes conjuncti psallentibus. Conjunctam multitudinem significat psallentium, qui laudes Domini, et voce et bonis operibus personabant.

Narrantes laudes Domini et virtutes ejus, et mirabilia ejus, quæ fecit. Facta quippe Domini narrare, laudasse est, cujus dum opera referuntur, gloria semper augetur.

Beatus populus, qui scit jubilationem. Ille beatus populus est, qui laudes Dei non solum ore cantat, sed etiam lumine mentis intelligit. Intelligere autem est, si operam dat, ut Scripturas sanctas catholicis regulis perscrutetur.

In decachordo psalterio, cum cantico in cithara. Decachordum psalterium decem præcepta legis significat, quod, tunc vere cantamus, si ea opere complemus. Ipse enim cantat cum cithara, qui bona opera perficit sine asperitate tristitiæ.

Venite exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari B *nostro.* Velut quidam præco judicis, excitator populi gallus Ecclesiæ, orantes invitat, ut de somno hujus sæculi evigilantes, laudes Domino debeant jucunda exsultatione concinere. Et quia est istius sæculi exsultatio, quæ maxime animos hominum occupat, inde monuit, ut venientes, non sæculo, sed Domino exsultemus et jubilemus.

Præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei. Præoccupare, est ante aliquid facere, quam ille videri possit, qui creditur advenire. Ergo antequam Dominus veniat, ei confiteamur, id est, Domino laudes religiosa devotione persolvamus. In psalmis etiam jubilemus ei, id est, psalmorum modulatione, cordis offeramus lætitiam. In opere enim laudis et psalmodiæ, utrumque debet C esse sociatum, quatenus officium linguæ nostræ conjuncto gaudio compleatur.

Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Cantat enim Domino canticum novum, qui vetere homine deposito per gratiam baptismatis feliciter innovatus, Dominum laudat. Iste cantus est, qui mentem purissimam consolatur. Ista modulatio, quæ medullitus delectat, quando vere cantat anima, quæ se a peccatis per Dei gratiam æstimat liberandam.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus, bene nuntiate de die in diem salutare ejus. Cantare enim Domino, et benedicere nomen ejus non unius diei jubemur excursu, sed, de die in diem, id est, semper, secundum morem sanctæ Ecclesiæ, hoc agere de- D bemus.

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Propheta fideles admonet Christianos, ut cantici novi exsultatione lætentur, quando mirabilis est Christi Domini confessus adventus. Novus enim homo cantare debet canticum novum, non ille vetustus, qui necdum peccata [Adæ, *edit. Basil.*] deponens, in prævaricatione veteris hominis perseverat.

Jubilate Deo omnis terra, cantate, et exsultate, et psallite. Jubilare dictum est, cum magna delectatione in vocis gaudium prosilire. Cantare, est gravissimi Christiani oris officio laudes Domino personare. Exsultare, cum magna affectione, animi vota

declarare. Psallere vero, bonis operibus Domini mandata complere.

Psallite Domino in cithara, in cithara, et voce psalmi. Psallit enim Domino in cithara, qui per actum carnalem mandata divinitatis operatur. Addidit *in voce psalmi*, ut non solum opere, verum etiam voce Deo cantetur.

Jubilate Domino omnis terra, servite Domino in lætitia. Ipsa est enim justi perfecta devotio, Domino sub mentis jucunditate famulari, sicut et Apostolus monet : Semper gaudete, sine intermissione orate; in omnibus gratias agite. Hæc est voluntas Dei in Christo Jesu. Licet servitia Domini diversis videantur officiis expedire, ut sunt ordines ecclesiastici, monasteria, fidelium [cœtus], eremitæ, solitarii, laici, devoti; omnia tamen ad hoc proprie referuntur, ut Domino sub lætitia serviatur, non in murmuratione aut amaritudine mentis.

Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus. Ne quis se putaret laudando fatigari, aut continuo labore lassescere, causam reddidit; quare laudandum sit nomen ejus, id est, quoniam suavis est Dominus, et æterna sit misericordia ejus, et usque in sæculum sæculi permaneat veritas ejus.

Psallam et intelligam in via immaculata. Quando venies ad me. Domino psallit, qui bonis factis suis eum placare contendit. Ipsa est enim suavissima virtus harmoniæ, quando vox cognoscitur operibus consonare. Nam, si hæ duæ res discrepabili sibi varietate dissentiant, nequaquam possunt psalmodiæ temperatam efficere cantilenam. Nec ad aures Domini venit, quod se mutua contrarietate confundit. Nam, si disciplinabilis illa psalmodia competenter dirigatur ad Dominum, vide quid præstat? ut intelligat in via immaculata, quando ad se Dominus venire dignetur, quem magnopere sustinebat.

Benedicite Domino omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus: benedic anima mea Dominum. Nam cum totum ejus opus sit, omnia debent suum benedicere creatorem. Et, sicut nulla creatura a laudibus Domini jubetur excipi, ita nec locus quisquam relinquitur, qui a tali munere segregetur. Cum dicit [*edit. Basil.*, dicitur], *in omni loco*, Ecclesiam significat [*ed. Basil. add.* catholicam]. Ipsa enim ubique Dominum benedicit, ubique collaudat, et gratias maximas hæmnica [*ed. Basil.*, hymnidica] exsultatione concelebrat. Benedicamus ergo omnes in commune Dominum, opera ejus hymnica exsultatione celebremus. Quale enim sacrilegium est, ut, cum omnis creatura jubeatur benedicere Dominum, si homo desinat laudare Deum, qui ad imaginem et similitudinem ejus noscitur esse procreatus.

Confitemini Domino et invocate nomen ejus, annuntiate inter gentes opera ejus.] Confitemini, id est, laudate eum, et bonis factis gratiam vobis divinitatis acquirite, quia, id ipsum est laudare Dominum, et ore illi honorem deferre, et operibus ejus jussiones efficere. Quod autem dicit : *Annuntiate inter gentes opera ejus*, pastores Ecclesiæ commonet, ut indesinenter Dei magnalia annuntient.

Laudatio ejus manet in sæculum sæculi. Laudatio ejus nullo [*ed. Basil.*, non] clauditur termino. Et ideo, quicunque eum desiderat in æterna patria laudare, debet in præsenti sæculo in Dei laudibus assiduis esse.

Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum, omnes populi. Vox apostolorum imperat, ut omnes gentes in sancta Ecclesia laudent Dominum. Collaudatio est enim, cunctorum fidelium in unum redacta laudatio, quando tota Ecclesia indesinenter Dominum laudat. Semper enim hoc agendum est. Sed maxime temporibus constitutis hoc ab omni fideli faciendum, ut cum sanctis misceatur in laudibus.

Cantabiles mihi erant justificationes tuæ. Cum dicit cantabiles, significat psalmodiam cum magna delectatione peragendam, sicut dicit Apostolus : Cantantes et psallentes in cordibus vestris Deo. Cantus enim semper relevat labores, et non facit animo subrepere tædium, qui contemplationis magna suavitate mulcetur.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Id est, ad laudandum te. Merito tali tempore surgit ad laudes, quia media nocte, sicut Evangelium dicit, sponsus venit, ne, janua clausa, inter fatuas virgines inveniatur.

Septies in die laudem dixi tibi. Septem illas significat vices, quibus se *omnis Ecclesia* consolatur, id est, matutinas, tertiam, sextam, nonam, lucernariam id est, vesperam, completorios nocturnos. His enim temporibus, si tota Ecclesia laudat Deum, maxime illi debent hoc agere, qui ad hoc ordinati sunt.

Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum. Id est, qui servi estis Domini, prona eum voluntate, laudate; quia si bene laudas, gratiam acquiris; si autem negligis, pro debita servitute [neglecta] damnaberis.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei in conspectu angelorum psallam tibi. Quam valida atque plenissima sit ista confessio, totius cordis adunatione monstratur. Nam cum dicitur in toto corde meo, nulla pars occupata in sæculi hujus ambitione relinquitur sed universum et solidum Creatoris tantum, ut dignum est, laudibus applicatur.

In conspectu angelorum psallam tibi. Hic psalmodiæ virtus ostenditur, ut, qui puro corde inter homines psallit, etiam sursum cum angelis canere videatur.

Effundo in conspectu ejus orationem meam. Dictum est autem in conspectu ejus quia bonas orationes divinitas inspicit. Et cum voluntas nostra ab hominibus non possit conspici, ab illa tamen constat intendi.

Lauda anima mea Dominum: ne terrenis desideriis voluntas otiosa vacaret [*ms.* vagaretur], et in fatuis, ut assolet, curis mentis occuparetur inten-

tio ; dat sibi propheta salubre consilium, ut anima laudaret Dominum. Unde promittit :

Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu fuero. In laudibus Domini se dicit delectari, ne noxiis sæculi occuparetur illecebris.

Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus. Deo nostro jucunda sit laudatio. Laudemus ergo devotione, qua possumus, et hic illa beata dona meditemur. Quid enim felicius, quam modo exercere, quod te speras in futura beatitudine posse peragere ?

Deo nostro jucunda sit laudatio. Tunc est Deo nostro jucunda laudatio, quando in unam societatem vox et vita convenerit. Nam quale est, ut psalmus castitatem dicat, et cantator se ab obscenitate non subtrahat ? Si humilitatem prædicet et narrator ejus superbiæ flatibus intumescat ?

Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Quid de isto psalmo et de reliquis duobus qui sequuntur, dicendum est, in quibus omnis creatura provocatur ad laudem Dei ; in fine dicitur : Omnis spiritus laudet Dominum. Si omnis creatura hortatur ad laudem Dei quanto magis homo, qui intellectum habet, et omnes præcellit creaturas ; quia ad imaginem Dei factus est, debet Deum laudare, qui nos fecit, et cum essemus perditi, de diaboli servitute nos redemit et cœlestia regna, sua misericordia nobis tribuit. Ideo omnimodis Dei servitium summo studio agendum est, ut ad promissa gaudia pervenire possimus.

Cassiodorus dicit in conclusione psalmi XXIV.

Viginti quatuor seniores indefessis vocibus laudes Domino suavi modulatione concelebrant, commonentes, ut ad similitudinem eorum et nos psalmos frequentata devotione cantemus.

Item ipse in conclusione psal. XXXII.

Habent enim beati musicam suam, quæ animæ fidelis intrat auditum, cujus non deficit sonus, cujus non lassatur intentio. Relinquite ergo spectaculorum amatores, mortiferas voluptates, ad hæc magis gaudia, ad hæc mysteria convenite : ubi cithara et organum virtutes excitant, non desideria pravæ voluptatis [*ms.* voluntatis, *minus opportune*] instigant.

Item ipse in conclusione psal. XXXIII.

Peracta sunt psalmi hujus sacrosancta mysteria, ubi sic missarum ordo completus est : ut eum conscriptum putes temporibus Christianis. Hic enim et hymnorum ordo decursus est ; hic ad communionem devotus populus jubetur accedere ; huc invitantur venire, qui prima fidei rudimenta suscipiunt, ut omnes consonanter laudent Deum.

Item ipse in psal. CXVII.

Legimus in Apocalypsi Joannis alleluia in cœlo cantare sanctorum multitudinem copiosam quod etiam quatuor animalia, et viginti quatuor seniores adorantes Dominum dicunt : quod totus ille exercitus cœlestis in vocem tubæ grandissimæ, hymnica exsultatione concelebrant.

Item ipse in psal. CXXXIV.

Post gradalium pulcherrimam constructionem, quæ usque ad illam pervenit summitatem, quæ in æternum securos efficit et felices, congrue nimis ponitur alleluia, ut laudibus Domini sancta perfruatur Ecclesia : cui tali munere noscitur præparatum. Quapropter sinceris mentibus alleluia dicere festinemus, ut illis [*edit. Basil.*, illi sancto populo] per divinam gratiam misceamur.

Item ipse in conclusione psalmi CXXXIV.

Mirabilis psalmus ad devotissimos populos instruendos. Nihil enim post tanta beneficia reddere possumus, nisi, ut sicut in principiis dictum est, Dominum nostrum trina confessione prædicemus. Laudemus Patrem, laudemus Filium, laudemus Spiritum sanctum, unum atque omnipotentem Deum, ut, sicut non est in illo diversa substantia, ita non sit et in ipsa laude diversitas. Hæc est revera laus, quæ nos reficit ; hoc pabulum, quo anima devota saginatur. Ipsa est enim remuneratio nostra, quæ et operatio. In qua tantum reficimur, ut nulla delectatio similis esse videatur. Prædicemus itaque modo, ut eum in æternum cum angelis laudare mereamur.

Item ipse in psal. CXLV

Ecce iterum auribus nostris intonat cœlestis auctoritas pulsatque alleluia januas cordis, ne vacuis atque inanibus cogitationibus occupemur, quoniam otiosum tempus non debet habere militem Christi. Habet enim et lingua fructus suos. Uberrima siquidem messis inde colligitur si, in laudes Domini pura mente moveatur. Spiritale membrum est, cum famulatur auctori ; ipsam quoque animam commendat, dum veritatem loquitur, quapropter compleamus aerem dulcissimis sonis. Nam musica ista salutaris non solum mortalium permulcet auditum, sed etiam intellectum delectat angelicum.

Item ipse in psal. CXLVIII.

Pars ista orationis paucis quidem syllabis arctatur, sed cogitata semper extenditur. Novitates enim suavissimas de se ejicit, cum eam acies mentis inspexerit. Nam, dum a lectore dicitur, prædicatio laudis est ; cum a populo respondetur, hymnus est. Sic una voce peragitur tam diversum mysterium, cum in ipsa nihil appareat immutatum. Subtiliter autem psalmus iste tractandus est, quoniam propheta per paucarum commemorationem, omnes creaturas hortatur laudes Domini debere cantare. Rationabiles et intellectuales per se ; eas vero, quæ sunt intellectu, vel sensu carentes, per illas scilicet quæ opera Domini sapientissima consideratione collaudant.

Item ipse in conclusione novissima psalmorum.

Quid enim in isto cœlesti armario Scripturarum divinarum invenire non possis ? Generis quæras hic, quemadmodum fuerit mundus fabricatus, exponitur. Prophetias [*edit. Basil.*, prophetas dicas] ? Quis de incarnatione Domini tanta locutus est ? Evangelium cupias ? Passionem et resurrectionem Christi Domini innumeris locis evidenter ostendit. Apostolum velis ? Audi

doctorem, audi miserentem, qui et futura judicia propter correctiones prædicat, et pro peccatoribus frequenter exorat. Et ne longius differam. Quidquid in cœlo et in terra, in mari vel apud inferos agitur, si cautissime legas, omnia suis locis posita competenter agnoscis. Testis est Athanasii episcopi sermo magnificus, qui virtutes psalmorum indagabili veritate discutiens, omnia illic esse probat, quæcunque sacræ Scripturæ ambitu continentur. Naturam quoque Dei, si fas est, duobus verbis facit subintelligi. Ego hodie; quæ nullis libris, nullis codicibus prævalet comprehendi, sicut explicatum est, quod breviter dicitur, et ex aliqua parte sensibile, quod tacetur. In secundo quippe psalmo Pater dicit ad Filium: Ego hodie genui te. In istis siquidem duobus verbis subtiliter significat, quod humanum intellectum transcendere posse videatur.

Novum et Vetus Testamentum tanta proprietate complectitur, ut revera spiritalem bibliothecam, in hoc libro intelligas esse constructam. Nam, si paradisus desiderabilis habetur, quod eum quatuor fluminum lapsus amœnare noscuntur, quanto beatior est anima, quæ 150 psalmorum fontibus irrigatur? Nec solum intra hunc numerum divina virtus operata est, multa latius patent, sive quæ pro parte intellecta sunt, sive quæ adhuc funditus ignorantur diversa miracula.

Incipiunt dicta sancti Isidori de templis.

(Ibid., *Offic.* lib. I, cap. 2.)

Tabernaculum Moyses legislator primum Domino condidit, Salomon deinde templum prudentiam petiturus instituit. Nostrorum post hæc temporum fides in toto mundo Christi atria consecravit.

Ea quæ in officiis ecclesiasticis celebrantur partim sanctarum Scripturarum auctoritate, partim apostolica traditione, vel consuetudine universalis Ecclesiæ statuta reperiuntur, quorum quidem primordia repetentes, quibus orta fuerint, ut prædiximus, auctoribus referamus.

(*Cap. de Ecclesia et vocabulis Christianorum non comparet in ms.*)

De choris.

Choros idem Moyses post transitum Rubri maris primum instituit, et utrorumque sexuum distinctis classibus, se ac sorore præeunte, canere Deo in choris carmen triumphale perdocuit. Chorus autem ab imagine ductus est coronæ, et ex eo ita vocatus. Unde Ecclesiasticus liber scribit stantem sacerdotem ante aram, et in circuitu ejus coronam fratrum (*Eccli.* L, 15). Chorus enim proprie multitudo canentium est. Quique apud Judæos non minus a decem constat canentibus; apud nos autem incerto numero a paucioribus, plurimisve, sine ullo discrimine, constat.

De canticis.

Canticum idem tunc Moyses primus invexit, quando, percussa Ægypto decem plagis, et Pharaone submerso, Israeliticus populus per insueta maris itinera ad desertum gratulabundus egressus est, dicens: *Cantemus Domino, gloriose*, et reliqua (*Exod.* XV, 2). Deinde Debora, non ignobilis femina in libro Judicum, hoc ministerio functa reperitur. Postea multos non solum viros, sed etiam feminas Spiritu divino completas, Dei cecinisse mysteria. Canticum autem vox humana est, psalmus vero qui canitur ad psalterium.

De psalmis.

Psalmis usum esse primum post Moysen, David prophetam, in magno mysterio prodit Ecclesia. Hic enim a pueritia in hoc munus a Deo specialiter electus, et cantorum princeps, psalmorumque thesaurus esse promeruit. Cujus psalterium ideirco cum melodia cantilenarum suavium ab Ecclesia frequentatur, quo facilius animi ad compunctionem flectantur. Primitiva autem Ecclesia ita psallebat, ut modico flexu vocis faceret psallentem resonare, ita ut pronuntianti vicinior esset quam canenti. Propter carnales autem in Ecclesia, non propter spiritales, consuetudo est instituta canendi, ut qui a verbis non compunguntur, suavitate modulaminis moveantur. Sic namque et beatissimus Augustinus in lib. Confess. suarum consuetudinem canendi approbat in Ecclesia, ut per oblectamentum, inquit, aurium, infirmior animus ad affectum pietatis exsurgat. Nam in ipsis, ait, sanctis dictis, religiosius et ardentius moventur animi nostri ad affectum pietatis, cum cantatur, quam si non cantetur. Omnes enim affectus nostri, pro sonorum diversitate, vel novitate, nescio qua occulta familiaritate excitantur magis, cum suavi et artificiosa voce cantatur.

De hymnis.

Hymnos primum eumdem David prophetam condidisse ac cecinisse, manifestum est, deinde et alios prophetas. Postea quidem et tres pueri in fornace positi, convocata omni creatura, Creatori omnium hymnum canentes dixerunt. Itaque in hymnis et psalmis canendis non solum prophetarum, sed etiam ipsius Domini et apostolorum habemus exemplum, et præcepta de hac re utilia ad movendum pie animum et inflammandum divinæ dilectionis affectum. Sunt autem et divini hymni, sunt et ingenio humano compositi. Hilarius autem Gallus episcopus Pictavensis, eloquentia conspicuus, hymnorum carmine floruit primus. Post quem Ambrosius, Mediolanensis episcopus, vir magnæ gloriæ in Christo, et in Ecclesia clarissimus doctor, copiosius in hujusmodi carmine claruisse cognoscitur, atque inde hymni ex ejus nomine Ambrosiani vocantur, quia ejus tempore primum in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt. Cujus celebritatis devotio dehinc per totius Occidentis Ecclesias observatur. Carmina autem quæcunque in laudem Dei dicuntur, hymni vocantur.

De antiphonis.

Antiphonas Græci primum composuerunt, duobus choris alternatim concinentibus, quasi duo seraphim duoque Testamenta invicem sibi conclamantia. Apud

Latinos autem primus idem beatissimus Ambrosius antiphonas constituit, Græcorum exemplum imitatus. Ex hinc de cunctis occiduis regionibus earum usus increbruit.

De responsoriis.

Responsoria ab Italis longo ante tempore sunt reperta. Et vocata hoc nomine, quod, uno canente, chorus consonando respondeat. Ante autem id solus quisque agebat, nunc autem interdum unus, interdum duo vel tres communiter canunt, choro in plurimis respondente.

De laudibus [Edit. Paris., *de alleluia.*]

Laudes, hoc est alleluia canere, antiquum est, Hebræorum more. Cujus expositio duorum verborum interpretatione consistit, hoc est *laus Dei*. De cujus mysterio Joannes in Apocalypsi refert, spiritu revelante vidisse, et audisse vocem cœlestis exercitus angelorum, tanquam vocem validorum tonitruum, et tanquam vocem aquarum multarum, dicentium alleluia (*Apoc.* XIX, 6). Ex quo nullus debet ambigere, hoc laudis mysterium, si digna fide et devotione celebretur, angelis esse conjunctum.

Alleluia autem, sicut et amen, de Hebræa in aliam linguam nequaquam transferuntur, non quia interpretari minime queant, sed, sicut aiunt doctores, servatur in eis antiquitas, propter sanctiorem auctoritatem.

In Africanis autem regionibus non omni tempore, sed tantum Dominicis diebus et quinquaginta post Dominicam resurrectionem, alleluja cantatur pro significatione futuræ resurrectionis et lætitiæ. Verum, apud nos, secundum antiquam Hispaniarum traditionem, præter dies jejuniorum, vel Quadragesimæ, omni tempore canitur alleluia. Scriptum est enim : *Semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 2). Quod vero post consummatam psalmorum, sive lectionum prædicationem alleluia in fine cantatur, hoc in spe futura facit Ecclesia, significans post annuntiationem regni cœlorum, quæ in hac vita per utrumque Testamentum mundo prædicatur, actionem nostram non esse futuram, nisi in laude Dei. Sic enim scriptum est : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Hinc est quod et liber Psalmorum in laude concluditur, ut eadem post finem sæculi laus æterna monstretur.

(*Omissa capitula de offertoriis, de missa et orationibus, de symbolo Nicæno, de benedictionibus in populo, de sacrificio*, etc.)

De tertiæ, sextæ, et nonæ horæ officiis.

Horam tertiam, sextam et nonam, Daniel et tres pueri supplicationibus devoverunt, scilicet, ut ab ortu diei in tempus precationis tres horæ porrectæ Trinitatis nobis reverentiam declararent; pariter a tertia usque ad sextam, atque inde usque ad nonam, per paria lucis intervalla ratis dimensionibus terminata, Trinitas, ter die rogata, coleretur. Illud etiam occurrit ad probationem venerabilis Trinitatis, quod Spiritus sanctus hora tertia, hoc est suo loco, A numero et tempore, descendit ad terras, impleturus gratiam quam Christus promisit. Nam et sexta hora Christus passus; in nonam patibuli cruciamenta porrexit. Tali enim sacramento legitimis ad precem temporibus, per ternas horas, Trinitatis perfectio aut laudatur celebritatibus, aut precibus impetratur. Et si computetur diurna celebritas, per quaternarium usque in vespertinum officium, hoc est, quater [*edit. Paris.*, quatertinas] significatur, quia mundus quadrifarie divisus in Trinitate salvatur. Siquidem et in nocte stationes et vigiliæ militares in quatuor partes divisæ ternis horarum spatiis decernuntur, ut et in ipsis nocturnis mundialibusque officiis Trinitatis mysterium veneretur.

De vespertinis.

B Vespertinum diurni finis officium diurnæ et alternæ lucis occasus est : cujus ex Veteri Testamento solemnis est celebratio. Denique hoc tempore veterum sacrificia offerri adolerique altario aromata et thus mos erat. Cujus rei testis est ille hymnicus [*edit. Paris.*, hymnidicus] regio ac sacerdotali functus officio dicens : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : Elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum* (*Psal.* CXL, 2). In novo quoque Testamento eo tempore Dominus et Salvator noster, cœnantibus apostolis, mysterium sui corporis et sanguinis initio tradidit, ut tempus ipsum sacrificii vesperum ostenderet sæculi. Proinde in honorem ac memoriam tantorum sacramentorum, his C temporibus nos adesse decet Dei conspectibus, et personare in ejus cultibus, orationum nostrarum illi sacrificium offerentes, atque in ejus laudibus pariter exsultantes. Vesperum autem nominatur a sidere quod Vesper vocatur et decedente sole exoritur. De quo propheta dicit : *Et Vesperum super filios hominum prodire facis* (*Job* XXXVIII, 32).

De completis.

De completis autem celebrandis id etiam in Patrum invenimus exemplis, David propheta dicente : *Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem : aut requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob* (*Psal.* CXXX, 3). Quis non stupeat, tantam in Dei amore animi devotionem ut somnum sibi, sine quo utique corpora humana deficiunt, penitus interdixerit, donec locum ac templum Domino fabricandum in pectore suo, rex et propheta reperiret? Quæ res nos debet fortiter admonere, ut, si ipsi locus Domini volumus esse, et tabernaculum ejus, aut templum cupimus haberi Spiritus sancti, in quantum possumus, exempla sanctorum imitemur, ne de nobis dicatur quod intelligitur : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (*Psal.* LXXV).

De vigiliis.

Vigiliarum auctoritas antiqua est, vigiliarum devotio familiare bonum omnibus sanctis fuit. Isaias denique propheta exclamat ad Deum dicens : De

nocte vigilat spiritus meus ad te, Deus, quia lux præcepta tua sunt super terram. Item David : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justitiæ tuæ* (*Psal.* CXVIII). Hoc namque tempore vastator angelus transiens primogenita Ægyptiorum percussit. Unde et nos vigilare oportet, ne periculo Ægyptiorum admisceamur. Iisdem etiam horis venturum se esse in Evangelio Salvator adstruxit. Unde et ad vigilandum auditores suos docuit, et suscitans dicit : Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Etsi vespertina hora, inquit, invenerit, etsi media nocte, etsi galli cantu, invenerit eos vigilantes, beati sunt. Ideo et vos estote parati; quia, qua nescitis hora filius hominis venturus est. Siquidem nec verbis solum docuit vigilias, sed etiam confirmavit exemplo. Nam testatur Evangelium quia *erat* Jesus *pernoctans in oratione Dei* (*Luc.* VI). Paulus quoque et Silas in custodia publica, circa medium noctis orantes, hymnum, audientibus cunctis, vincti dixisse memorantur. Ubi repente terræmotu facto, et concussis carceris fundamentis, et januæ sponte apertæ, et omnium vincula sunt soluta. Unde oportet his horis, psallendi orandique frequentiam nos in sanctis habere officiis, finemque nostrum, vel, si advenerit, sub tali actu exspectare securius..

Est autem quoddam genus hæreticorum, superfluas existimantium sacras vigilias, et spiritali opere infructuosas, dicentes jura temerari divina, qui noctem fecit ad requiem, sicut diem ad laborem. Qui hæretici Græco sermone [a] νυκτάζοντες, hoc est *somniculosi*, vocantur.

De matutinis.

De matutinorum antiquitate et auctoritate testis est idem David propheta, dicens : *In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus* (*Psal.* LXII). Et alibi : *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua* (*Psal.* CXVIII). Cassianus autem dicit : Matutinæ solemnitatis officium, novo adhuc tempore institutum, primitus in Bethlehem monasterio, ubi Dominus noster Jesus Christus pro redemptione humanæ salutis ex Virgine nasci dignatus est : sicque ex illo per universum mundum ejusdem celebrationis invaluit consuetudo. Diluculo autem proinde oratur, ut resurrectio Christi celebretur. Matutina enim luce radiante, Dominus et Salvator ab inferis resurrexit, quando cœpit oriri fidelibus lux, quæ moriente Christo, occiderat peccatoribus. Siquidem et eodem tempore cunctis spes futuræ resurrectionis creditur, cum justi, et omnes ab hac temporali morte, quasi a sopore somni resurgentes evigilabunt.

(Item alia constitutio S. Benedicti, qualiter divina opera per diem agantur [b].

Ut ait propheta : *Septies in die laudem dixi tibi* (*Ibid.*). Qui septenarius sacratus numerus a nobis sic implebitur, si matutino, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperæ, completoriique tempore, nostræ servitutis officia persolvamus, quia his divinis horis dixit Propheta : *Septies in die laudem dixi tibi.* Nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait : *Media nocte surgebam aa confitendum tibi* (*Psal.* CXVIII). Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro, super judicia justitiæ suæ, id est, matutinis, prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorio; et nocte surgamus ad confitendum ei.

De disciplina psallendi. [c]

Ubique credimus divinam esse præsentiam, et oculos Domini in omni loco speculari bonos et malos; maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum assistimus. Ideo semper memores simus, quod ait Propheta : *Servite Domino in timore* (*Psal.* II); et iterum : *Psallite sapienter* (*Psal.* XLVI); et : *In conspectu angelorum psallam tibi* (*Psal.* CXXXVII). Ergo consideremus qualiter oporteat nos in conspectu Divinitatis et angelorum ejus esse; et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.

De reverentia orationis.

Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsuminus nisi cum humilitate et reverentia; quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate, et puritatis devotione supplicandum est. Et non in multiloquio, sed in puritate cordis et compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideo brevis debet esse et pura oratio nisi forte ex affectu inspirationis divinæ gratiæ protendatur. In conventu tamen omnino brevietur oratio, et facto signo, a priore, omnes pariter surgant.

Item alia constitutio : pro qualibus virtutibus cantatur omnis cursus in Ecclesia Dei.

Primum nocturna propter hoc canitur, pro illa virtute quam fecit Deus, quando omnia primogenita Ægypti occidit et omnia idola dextruxit, vel Paulum et Silam de carcere liberavit. Et quod dicit evangelista : *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei* (*Matth.* XXV). Gallorum cantus, pro quid cantatur, respondit, quando negavit S. Petrus ter in passione, et postea probatus fuit ad fidem.

Matutina propter hoc dicitur quia mane surrexit Christus, sicut dixit unus evangelista : *Una autem Sabbatorum venerunt ad monumentum orto jam sole.* Et alius dicit : *Una autem Sabbati, Maria Magdalene venit cum adhuc tenebræ essent.* Tertius dicit : *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati,* quia..... qui jussit, super terram tota illa hora collaudent. Et tunc omnes animas justorum, qui in inferno erant, in sua resurrectione liberavit, quia mane resurrexit Christus

Prima autem propter hoc cantatur, quia tunc fuit consilium datum contra Filium Dei, quomodo illum perderent.

[a] Nyctages Nystatæ. Isid. lib. Etym. III, c. 3.
[b] Ex Reg. S. Bened. c. 16.
[c] Ibid., cap. 19.

Tertia vero, quia tunc judicaverunt Judæi Dominum, quando dixerunt : Christus crucifigatur. Et hora tertia descendit Spiritus sanctus super apostolos, quando fuerunt in unam domum congregati. Et, dixit Dominus : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Sexta vero, sic ascendit Dominus in crucem. Et sic tenebræ factæ sunt usque in horam nonam. Et tunc vocavit Dominus Paulum, quando persecutor erat Christianorum, et dixit Dominus : *Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Et tunc venit vox ad Cornelium, quando dixit Dominus : *Corneli, exaudita est deprecatio tua.*

Nona vero sic emisit Spiritum Dominus de cruce, et hora nona descendit vas ad S. Petrum, ubi fuerunt omnia munda et immunda.

Vespere autem sic cœnavit Christus cum discipulis suis, quando jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Et sic cessavit lex vetus et incœpit nova.

Duodecima, sic ascendit Dominus in montem Oliveti, solus oravit, et guttæ sanguinis in sudore, de fronte ejus ceciderunt. Et malunt meritum, quod ad Adam dicit : *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo;* et nos propter hoc liberavit.

Dicta Bedæ, ex homilia Evangelii de Pascha.

Diluculo igitur aromata ad monumentum Domini ferimus, cum memores passionis ac mortis, quam pro nobis suscepit, et actionum bonarum, proximis foras lucem monstramus : et suavitate puræ compunctionis, intus in corde fervemus; quod et omnibus horis, et tunc maxime fieri oportet, cum ecclesiam oraturi ingredimur; cum appropiamus altari, Dominici corporis et sanguinis mysteria sumpturi. Si enim mulieres tanta cura corpus Domini mortuum quærebant, quanto magis convenit nos, qui eum resurrexisse a morte, qui ad cœlos ascendisse, qui potentia divinæ majestatis ubique præsentem esse cognovimus, cum omni reverentia ejus astare conspectibus, ejus mysteria celebrare [debemus]. Bene autem dicitur, portantes, quæ paraverunt aromata. Aromata namque, quæ ad obsequium Domini portemus, prius parasse est Domino, cor ante tempus orationis a supervacuis expurgare cogitationibus, ut in ipso tempore orandi, nil sordidum mente recipere; nil rerum labentium cogitare; nulla præterea [quam] quæ precamur et ipsum meminisse norimus : juxta exemplum ejus, qui ait : Paratum cor meum, cantabo et psalmum dicam Domino. Nam, qui ad orandum ecclesiam ingressus, inter verba obsecrationis consuetudinem superfluæ cogitationis ab animo repellere negligit quasi Dominum quærens, minus parata secum aromata detulit. Maxime tamen angelici nobis spiritus adesse credendi sunt cum divinis specialiter mandati obsequiis, id est, cum ecclesiam ingressi vel lectionibus sacris aurem accomodamus, vel psalmodiæ operam damus, vel orationi incumbimus, vel etiam missarum solemnia celebramus. Unde monet Apostolus mulieres in ecclesia velamen super caput habere, propter angelos. Et Propheta ait : In conspectu angelorum psallam tibi. Nec dubitare licet, ubi corporis et sanguinis Domini mysteria geruntur, supernorum civium adesse conventus, qui monumentum, quo corpus ipsum venerabile positum fuerat, et unde resurgendo abscesserat, tam sedulis servant excubiis. Unde studendum solerter est, fratres mei, ut, cum ecclesiam, vel ad divinæ laudis debita solvenda, vel ad agenda missarum solemnia intramus, semper angelicæ præsentiæ memores, cum timore et veneratione competenti, cœleste compleamus officium, in exemplum feminarum Deo devotarum, quæ apparentibus ad monumentum angelis, timuisse ad vultum declinasse narrantur in terram.

Dicta Bedæ ex homilia de muliere Chananæa.

Notandum interea quod hæc orandi pertinacia ita solum meretur esse fructifera, [ut] si quid ore precamur, hoc etiam mente meditemur : neque alio clamor labiorum quam cogitationum scindatur intuitus. Sunt enim qui intrantes ecclesiam, multis psalmodiam vel orationem sermonibus prolongant, sed alibi corde intendendo, nec ipsi quid dicant recolunt : ore quidem orantes, sed mentem foris vagantem omni orationis fructu privantes; putantes a Deo precem exaudiri, quam nec ipsi, qui fundunt, audiunt : quod antiqui hostis instinctu fieri, nemo est qui animadvertere nequeat. Sciens enim utilitatem orandi, et invidens hominibus gratiam impetrandi, immittit orantibus multimoda cogitationum levium, et aliquando etiam turpium nocentiumque phantasmata, quibus orationem impediat, adeo ut nonnunquam tales tantosque discurrentium cogitationum fluctus, prostrati in oratione toleremus. Unde necesse est, fratres charissimi, ut agnitam diaboli curemus superare malitiam; et ipsi videlicet animum ab hujusmodi nebulis quas hostis aspergere gaudet, in quantum possumus, serenando, et pii defensoris perpetuum flagitando præsidium, qui potens est, quamlibet indignis precatoribus, et puram orandi et perfecte impetrandi concedere gratiam. Multum autem juvat orationis puritatem, si omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis : si semper ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigemus et linguam, si in lege Domini ambulare et testimonia ejus assuescamus toto corde scrutari. Quæcunque enim sæpius agere, loqui vel audire solemus, eadem necesse est sæpius ad animum, quasi solitam propriamque recurrant ad sedem. Et sicut volutabra sues palustria, columbæ limpida solent frequentare fluenta, ita cogitationes impuram mentem immundæ perturbant, castam spiritale sanctificant. Sane, si ad exemplum Chananææ mulieris in orando perstamus fixique manemus, aderit gratia Conditoris nostri, quæ cuncta in nobis errata recorrigat immunda sanctificet, turbulenta serenet. Fidelis namque et justus est, ut remittat nobis peccata no-

stra et emundet nos ab omni iniquitate; si ad illum A sedula mentis voce clamamus; qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Augustinus de laude Psalmorum dicit :

Omnes virtutes in psalmis invenies, si a Deo merueris, ut tibi revelet secreta psalmorum. Si vis pro peccatis tuis pœnitentiam agere, et confessionem peccatorum tuorum, et veniam rogare delictis; quantum valeas, non celeritate verborum, sed mente cogitando ac scrutando, decanta septenos Davidicos pœnitentiæ psalmos, quorum initium est duo : *Domine, ne in ira;* et duo : *Domine exaudi;* et : *Beati quorum;* nec non : *Miserere mei, Deus, secundum;* atque : *De profundis;* et celerrimam invenies clementiam Dei, totam mentem spiritali : B gaudio ac lætitia illuminare, et magnam spem de indulgentia tibi promittere.

Si vis orare, permitte mentem tuam .n virtute psalmorum, quorum initium est : *Ad te, Domine, levavi;* et : *Deus, in te speravi, Domine;* nec non : *Inclina, Domine;* et : *Deus, in adjutorium meum; Deus, in nomine tuo; Deus, misereatur nostri;* et : *Exaudi, Domine, justitiam meam;* et nullatenus poteris propria lingua nec humano sensu tam perfecte miseriam tuam ac tribulationem, angustiamque diversarum tentationum explicare, et illius misericordiam implorare quam his psalmis et cæteris similibus.

Si vis omnipotentem Deum laudare, et ipsius majestati, omnium beneficiorum suorum, quibus C humano generi ab initio mundi in Veteri Testamento per patriarchas et prophetas, in Novo quoque per incarnationem sempiterni Filii sui misertus est, gratias agere, decanta illos psalmos quorum titulus *Alleluia* est.

Hæc, quorum initium est, vel, *Confitemini*, aut, *Laudate Dominum*, vel *Laudate Deum*, aut etiam, *Benedic anima mea;* et super omne mel et favum omnipotenti Deo dulce munus offeres, si his psalmis continue illum laudes ac magnifices.

Si diversis tribulationibus afflictus sis, et vel humanis vel spiritalibus tentationibus undique astrictus, et tibi videris a Deo esse derelictus, qui plerumque sanctos ad tempus derelinquit probandos, et per id tibi videtur tentationem majorem esse quam tolerari possit, intima mente decanta illos psalmos quorum caput : *Deus, Deus meus, respice in me; Exaudi, Deus, orationem meam cum tribulor; Salvum me fac, Deus*, et clemens Dominus statim te adjuvabit, et tentationem quam pateris tolerare poteris. Si tibi præsens vita fastidiosa sit et animum tuum [nil inferiorum] delectat, supernam patriam contemplare, et omnipotenti Deo ardenti desiderio, intenta mente, hos psalmos decanta : *Quemadmodum desiderat cervus;* et : *Quam dilecta tabernacula tua; Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, et clemens Deus citius mentem tuam consolabitur.

Si te in tribulationibus a Deo derelictum intelligas, compuncto corde canta hos psalmos : *Usquequo, Domine; Deus, auribus nostris audivimus; Miserere mihi, Domine; Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam; In te, Domine, speravi;* et Deus te lætificabit statim.

Post acceptam autem quietem ac prosperitatis tempus, hos psalmos decanta : *Benedicam Dominum in omni tempore; Benedic, anima mea, Domino : Exaltabo te, Deus meus Rex;* et omni tempore, sive prosperitatis, sive adversitatis, semper hymnum trium puerorum decanta, quia nullus mortalis virtutem hujus hymni explicare potest, in quo omnis creatura ad laudandum Creatorem invocatur

Si volueris in toto corde te exercere in divinis C laudibus, psalmum *Beati immaculati* decanta, in quo nullus pene versus est ubi non sit vel via Dei, vel lex, vel mandatum, sive præcepta Dei, vel verba, aut justificationes, vel judicia, aut sermones Dei descripti.

Mementote, quomodo S. Samuel propheta, etiam in Veteri Testamento docuit, dicens : *Præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et liberabit vos de manibus inimicorum vestrorum.*

Videte qualiter mandat hymnum trium puerorum decantare, et omnes creaturas per intervalla ad Deum laudandum provocare : non sicut vos canitis, confuse, nullam differentiam facientes, sed currendo, et non separando verba, quod necesse est ut emendetis.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

ANASTASIUS, ECCLESIÆ ROMANÆ PRESBYTER ET BIBLIOTHECARIUS.

(OPERUM CONTINUATIO.)

INTERPRETATIO SYNODI VIII GENERALIS.

Præfatio Anastasii. col. 9
Breve compendium monumentorum seu singularum actionum synodi. 23
Actio prima. 27
Actio secunda. 47
Actio tertia. 55
Actio quarta. 63
Actio quinta 73
Actio sexta. 81
Actio septima. 99
Actio octava. 119
Actio nona. 129
Actio decima. 147

Regulæ synodi ad diversa. 150
Terminus sanctæ synodi. 162
Basilii imp. allocutio ad synodum. 170
Subscriptiones. 175
Epistola encyclica synodi. 185
INTERPRETATIO SYNODI VII GENERALIS.
Præfatio Anastasii. 195
Constantini et Irenes divalis sacra. 199
Apologeticus ad populum a Tarasio. 201
Conscriptio de gestis concilii. 205
Actio prima. 205
Actio secunda. 233
Actio tertia. 249
Actio quarta 271
Actio quinta. 331
Actio sexta. 373
Actio septima. 431
Termius sanctæ synodi. 457
Actio octava. 477
Canones ecclesiastici. 479
Sermo laudatorius synodi. 488
CHRONOLOGIA S. NICEPHORI.
Pars prima. 511
Pars secunda. 537
Ad Anastasii Bibliothecarii Collectanea admonitio prævia. 553
ANASTASII BIBLIOTHECARII COLLECTANEA. 557
Joannis papæ ad Constantinum imperatorem apologia pro Honorio papa. 561
Difforatio ex epistola sancti Maximi ad Marinum presbyterum. 567
Item ad Petrum illustrem. 573
Synodica sanctissimi Theodori papæ ad Paulum patriarcham CP. 577
Commemoratio quid legati Romani Constantinopoli gesserint. 585
Commemoratio quid gestum sit in sanctum Martinum papam. 591
Relatio monitionis Maximi principibus. 603
Item Anastasio. 621
Item Monachis. 623
Tomus relationum de dogmatibus. 625
Anastasii presbyteri epistola. 639
Prologus testimoniorum. 666
Anastasii syllogismi. 675
Posteriora S. Hippolyti testimonia. 679
Scholion breviter varia declarans. 681
Incipiunt Acta. 691
Mail monitum ad prologum subseq. 705
Anastasii Bibliothecarii prologus. 704
HISTORIA ACEPHALA SS. MM. CYRI ET JOANNIS. 705
VITA JOANNIS ELEEMOSYNARII. 715
INCIPIT PASSIO S. DEMETRII MART 715
ACTA SANCTÆ CRISPINÆ VIRG. ET MART. 727
TRANSLATIO SERMONIS S. THEODORI STUDITÆ DE S. BARTHOLOMÆO APOSTOLO. 729
EPISTOLÆ.
Epistola I. 737
Epistola II. 739
Epistola III. 741
Incipit prologus Anastasii in Passionem 1480 martyrum. 745
ERCHEMBERTUS CASSINENSIS MONACHUS.
Notitia historica in Erchembertum. 744
ERCHEMBERTI HISTORIA LANGOBARDORUM. 745
ANGILBERTUS CORBEIENSIS ABBAS.
Notitia historica. 785
Angilberti versus ad Ludovicum regem Francorum. 784
BERENGAUDUS.
Expositio super visiones Apocalypsis. 785
STEPHANUS PAPA V.
Vita Stephani papæ V. 785
EPISTOLÆ, DIPLOMATA ET PRIVILEGIA. 786
Epistola ad Basilium imperatorem. *ibid.*
Epistola ad Stephanum papam. 789
Epistola ad Guidonem comitem. 793
Diploma pro monasterio Corbiensi. 794
Epistola ad episcopos Orientales. 795
— ad Sulconem. 796
— ad Leutbertum. 797
— ad Paulum. 798
Epistola ad Romanum 798
— ad Dominicum. *ibid.*
— ad Clerum. 799
— ad episcopos Coloniensea. 800
Variæ epistolæ ad cæteros diversos. 801
Querimonia Egilmari ad Stephanum papam. 808
Responsio Stephani. 811
Privilegium pro ecclesia Placentina. 812
Privil. Huoggi concessum. 813
Privil. pro monasterio S. Lindgeri. 814
Privil. pro monasterio Hertiensi. 815
Privil pro monasterio Alexandri. 816
Epist. ad Herimannum episcop. 817
FORMOSUS PAPA.
Notitia historica. 822
Invectiva in Romam pro Formoso. 825
EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.
Epist. I. — Ad monach. S. Theuderii. 837
Epist. II. — Ad Stylianum. 839
Epist. III. — Ad Herimannum. 840
Epist. IV. — Ad Eccles. Gerundensem. 841
Epist. V. — Ad Adalgarium. 842
Epist. VI. Ad Gerimannum. 843
Epist. VII — Ad Berronem. 845
Epist. VIII — Ad episcopos Angliæ. 846
Nota Davidis Wilkins. 848
Observatio Antonii Pagii. 850
STEPHANUS PAPA VI.
Notitia historica. 853
EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA. 855
Epist. I. — Ad Arnustum. 856
Epist. II. — Ad Aribertum. 857
Privilegium pro monasterio Vizeliacensi. 858
ROMANUS PAPA.
Epistola — Ad Riculfum. 859
SANCTUS TUTILO SANGALLENSIS MONACHUS. 863
Notitia historica. *ibid.*
Carmina. *ibid.*
GRIMLAICUS PRESBYTER.
Notitia historica. *ibid.*
Regula solitariorum. *ibid.*
WOLFHARDUS PRESBYTER HASENRIETANUS.
VITA S. WALPURGIS. 865
Liber primus. 867
Lib. II. 878
Lib. III. 882
Lib. IV. 887
Appendix in S. Walpurgem. 891
PRÆFATIONES WOLFHARDI IN LIBROS SUOS XII DE ACTIS SS. 894
ANAMODUS ECCLESIÆ RATISPONENSIS SUBDIACONUS.
Monitum. 897
TRADITIONES EMMERAMMENSES. 899
Liber primus. 901
Cap. I. — De commutatione Hludovici regis quorumdam clericorum. 901
Cap. II. — Traditio Ekkiperti comitis. 901
Cap. III. — De Maria ad Chamba. 902
Cap. IV. — Commutatio inter Ambrichonem episcopum, et Egilolfum. 904
Cap. V. — Complacitatio inter Ambrichonem episcopum et Arndeonem. 904
Cap. VI. — Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Otkarium episcopum. 905
Cap. VII. — Donatio Hludovici regis de Maninsea. *ibid.*
Cap. VIII. — Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Amalpertum. 906
Cap. IX. — Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Engilpertum comitem. 906
Cap. X. — Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Alawihum presbyterum. 907
Cap. XI. — Complacitatio inter Ambrichonem episcopum et Baldricum diaconum. 907
Cap. XII. — Commutatio inter Baturicum episcopum et Sigimodum abbatem. 909
Cap. XIII. — Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Gundpertum. 908
Cap. XIV. — Complacitatio inter Erchanfridum episcopum atque David. 909

Cap. XV. Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Adalbertum.
Cap. XVI.—Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Chrestingum. 910
Cap. XVII.—Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Ogonem. 911
Cap. XVIII. — Commutatio inter Berehtgundam et Grimbarium. 911
Cap. XIX.— Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Winichonem. 912
Cap. XX.— Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Ellimpoldum. 913
Cap. XXI. — Commutatio inter Ambrichonem et Regimpertum. 913
Cap. XXII. — Commutatio inter Ambrichonem et Ekkihardum. 913
Cap. XXIII. — Complacitatio inter Ambrichonem episcopum et Gundbatonem diaconum. 914
Cap. XXIV. Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Ernustum.
Cap. XXV. — Commutatio inter Ambrichonem et Richelmum. 915
Cap. XXVI. — Traditio Avalunæ. 915
Cap. XXVII. — Traditio Rotharii cujusdam Romani. 915
Cap. XXVIII. — Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Richowonem. 916
Cap. XXIX. — Commutatio inter Ambrichonem et Engilmaram et fratres ejus. 917
Cap. XXX.—Commutatio inter Ambrichonem et Salamanum. 917
Cap. XXXI —Commutatio inter Ambrichonem et Ratharduum et fratrem ejus. 917
Cap. XXXII. — Commutatio inter Ambrichonem et Altodum diaconum. 917
Cap. XXXIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Lantpertum. 918
Cap. XXXIV. — Commutatio inter Ambrichonem et Adolfum. 918
Cap. XXXV.—Commutatio inter Ambrichonem et Polonem. 919
Cap. XXXVI. — Commutatio inter Ambrichonem et Posonem. 919
Cap. XXXVII. — Commutatio inter Ambrichonem et Hahardum. 919
Cap. XXXVIII. — Traditio Hiltigardæ ad Mencinpah. 920
Cap. XXXIX. — Traditio Engilberti atque Gundperti diaconi. 920
Cap. XL. — Commutatio inter Ambrichonem et Morenzonem. 921
Cap. XLI. — Commutatio inter Ambrichonem et Ekkiricum. 921
Cap. XLII. — Traditio Engilmari presbyteri. 921
Cap XLIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Otmarum. 922
Cap. XLIV. — Traditio Otberti Castaldi. 922
Cap. XLV. — Traditio Einhardi presbyteri et Erhardi. 922
Cap. XLVI. — Commutatio inter Ambrichonem et Arnmodum. 923
Cap. XLVII. — Complacitatio quam Thevit et Erhelt uxor ejus fecerunt. 923
Cap. XLVIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Gerpertum. 924
Cap. XLIX. — Commutatio inter Ambrichonem et Witoldum. 924
Cap. L. — Traditio Chorilonis comitis. 924
Cap. LI. — Commutatio inter Ambrichonem et Alawicum. 925
Cap. LII. — Commutatio inter Ambrichonem et Rodoldum. 925
Cap. LIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Truthardum. 925
Cap. LIV. — Commutatio inter eosdem. 926
Cap. LV. — Commutatio inter Ambrichonem et Altodum. 926
Cap. LVI. — Commutatio inter Ambrichonem et Altodum. 926
Cap. LVII. — Commutatio inter Ambrichonem et Folricum. 926
Cap. LVIII. — Commutatio inter Engilscalchum et Engilbertum. 926
Cap. LIX. — Traditio ejusdem feminæ quæ vocatur Sieca. 927
Cap. LX. — Commutatio inter Erchanfridum et Perehthardum. 927
Cap. LXI. — Commutatio inter Ambrichonem et Richonem. 927
Cap. LXII. — Commutatio inter Ambrichonem et Gisalam. 928
Cap. LXIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Tatonem. 928
Cap. LXIV. — Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Altodum diaconum. 928
Cap. LXV. — Commutatio inter Ambrichonem et Ellimpurgam. 929
Cap. LVI. — Commutatio inter Ambrichonem et Paldricum. 929
Cap. LXVII. — Traditio Ribpaldi abbatis. 929
Cap. LXVIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Rodoldum comitem 930
Cap. LXIX. — De Maria ad Bramam fluvium. 931
Cap. LXX. — Traditio Ribpaldi abbatis ad Sezpah. 931
Cap LXXI. — Traditio Willihelmi comitis. 932
Cap. LXXII. — Traditio Willihelmi comitis. 933
Cap. LXXIII. — Traditio Ratpodi comitis. 933
Cap. LXXIV. — Commutatio inter Erchanfridum et Eparhorum. 934
Cap. LXXV. — Complacitatio inter Ambrichonem et Adalfridum. 934
Cap. LXXVI. — Commutatio inter Erchanfridum et Hartwigum episcopos. 934
Cap LXXVII. — Commutatio inter Baturicum episcopum et Erchampertum. 935
Cap. LXXVIII. — ommutatio inter Appolonium abbatem et Erchanfridum diaconum. 936
Cap. LXXIX. — Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Eckilindam. 937
Cap. LXXX. — Commutatio inter Baturicum episcopum et Urcisndum. 938
Cap. LXXXI.— Traditio Andarbodi archipresbyteri. 939
Cap LXXXII. — Traditio Hawardi. 940
Cap. LXXXIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Swidkarium. 940
Cap LXXXIV. — Commutatio inter Ambrichonem et Altonem. 940
Cap. LXXXV. — Commutatio inter Ambrichonem et Engilpertum comitem. 941
Cap. LXXXVI. — Commutatio inter Ambrichonem et Ruipatonem. 941
Cap. LXXXVII. — Commutatio inter Ambrichonem et Gundpattonem diaconum. 941
Cap. LXXXVIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Baldricum. 942
Cap. LXXXIX. — Commutatio inter Ambrichonem et Altmannum. 942
Cap. XC. — Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Pernuvinum. 942
Cap. XCI. — Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Witagovonem. 943
Cap. XCII. — Commutatio inter Ambrichonem et Swidgarium. 943
Cap. XCIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Repinhohum. 943
Cap. XCIV. — Commutatio inter Ambrichonem et Hattonem. 943
Cap. XCV. — Commutatio inter Ambrichonem et Waldgarium. 944
Cap. XCVI. — Commutatio inter Ambrichonem et Altoldum diaconum. 944
Cap. XCVII. — Commutatio inter Ambrichonem et Ehamarum et Helmpertum. 945
Cap. XCVIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Engildeonem comitem. 945
Cap. XCIX. — Traditio Polouis. 945
Cap. C. — Commutatio inter Ambrichonem et Hartwigum. 945
Cap. CI. — Commutatio inter Ambrichonem et Engilhardum. 945
Cap. CII. — Commutatio inter Ambrichonem et Helfricum. 946
Cap. CIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Ogonem. 946
Cap. CIV. — Commutatio inter Ambrichonem et Engilscalchum. 946
Cap. CV. — Commutatio inter Ambrichonem et Chunipertum comitem. 947
Cap. CVI. — Commutatio inter Ambrichonem et Wicpertum. 947
Cap. CVII. — Commutatio inter Ambrichonem et Ogisum presbyterum. 947
Cap. CVIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Helmpertum. 948
Cap. CIX — Commutatio inter Ambrichonem et Adalricum. 948

LIBER SECUNDUS. 948
Cap. I. — Commutatio inter Ambrichonem et Unlazum. 948
Cap. II. — Commutatio inter Ambrichonem et Ouvardum presbyterum. 948
Cap. III. Commutatio inter Ambrichonem et Rafoldum atque Trubmannum. 949
Cap. IV. — Commutatio inter Ambrichonem et Liutpertum. 949
Cap. V. — Commutatio inter Ambrichonem et Fried. 949
Cap. VI. — Commutatio inter Ambrichonem et Wolfpertum. 950
Cap. VII. — Complacitatio inter Ambrichonem et Hiltonem abbatem. 950
Cap. VIII. — Commutatio inter Ambrichonem et regem. 950
Cap. IX. — Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Engilpertum comitem. 950
Cap. X. — Commutatio inter Ambrichonem et Reginharium. 951
Cap. XI. — Commutatio inter Ambrichonem et Pataricum. 951
Cap. XII — Traditio Rodharii, et quasi cujusdam complacitatio Stomachi inter Ambrichonem et Rodharium. 952
Cap. XIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Pernuinum. 952
Cap. XIV. — Commutatio inter Ambrichonem et Oconem. 952
Cap. XV. Commutatio inter Ambrichonem et Hadpertum. 952
Cap. XVI. — Commutatio inter Hiltigardam et Richolfum presbyterum. 953
Cap. XVII. — Commutatio inter Ambrichonem et Atonem. 953
Cap. XVIII. — Communatio inter Ambrichonem et Hitliperonem. 953
Cap. XIX. — Commutatio inter Ambrichonem et Lantfridum. 953
Cap. XX. — Commutatio inter Ambrichonem et Atonem. 954
Cap. XXI. — Commutatio inter Ambrichonem et Eigil. 954
Cap. XXII. — Commutatio inter Ambrichonem et Sigipertum. 954
Cap. XXIII. — Complacitatio Sandrati archipresbyteri. 954
Cap. XXIV. — Complacitatio inter Ambrichonem et Aspertum cancellarium. 955
Cap. XXV. — Commutatio inter Helfricum et Pactonem. 956
Cap. XXVI. — Commutatio inter Ambrichonem et Liutgarium. 956
Cap. XXVII. — Commutatio inter Ambrichonem et Wattungum. 956
Cap. XXVIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Perathgerum. 956
Cap. XXIX. — Commutatio inter Ambrichonem et Anamodum. 957
Cap. XXX. — Commutatio inter Ambrichonem et Epam. 957
Cap. XXXI. — Commutatio inter Cundrammum et Avonem. 957
Cap. XXXII. — Commutatio inter Adalbium majorem et Meginhardum. 957
Cap. XXXIII. — Commutatio inter Ambrichonem et Ermpertum presbyterum. 957
Cap. XXXIV. — Commutatio inter Ermpertum presbyterum et Sigifridum. 958
Cap. XXXV. — Commutatio inter Ambrichonem et Altimarum atque Cundramnum. 958
Cap. XXXVI. — Traditio Adalungi archipresbyteri. 958
Cap. XXXVII.— Commutatio inter Gerbetum advocatum et Olnam. 958
Cap. XXXVIII. — Complacitatio inter Aspertum et Matharium. 959
Cap. XXXIX. Commutatio inter Aspertum et Wikkerum diaconum. 959
Cap. XL. — Commutatio inter Aspertum episcopum et Amalpertum, et Pernhardum atque Richonem 959
Cap. XLI. Commutatio inter Ambrichonem episcopum et Herrandum. 960
Cap. XLII. — Complacitatio inter Aspertum episcopum et Adamarum atque Sahlindam. 960
Cap. XLIII. — Commutatio inter Aspertum episcopum et Reginbohum. 960
Cap. XLIV. Commutatio inter Aspertum episcopum et Sigifridam viduam. 960
Cap. XLV. — Commutatio inter Aspertum episcopum et Ratfridum. 961
EUTROPIUS LONGOBARDUS PRESBYTER.
De Juribus ac privilegiis imperatorum in imperio Romano. 962
APPENDIX AD SÆCULUM IX.
SUPPLEMENTUM AD EPISTOLAS ET DIPLOMATA PONTIFICUM ROMANORUM QUI CURRENTE SÆCULO NONO FLORUERE.
LEO III.
I. — Privilegium pro monasterio San-Dionysiano. 968
II. — Epistola ad Fortunatum Gradensem patriarcham. 969
III. — Epistola ad Alim Sabionensem episcopum et ad alios provinciæ Bajoariorum episcopos. 970
IV. — Epistola ad omnes fideles. 971
V. — Epistola ad Wolperium Viennensem archiepiscopum. 971
VI. — Diploma pro ecclesia S. Martini Turonensi 971
STEPHANUS IV.
Bulla pro monasterio Farfensi. 975
PASCHALIS I.
I. — Bulla pro monasterio Farfensi. 977
II. — Epistola ad Bernadum Ambroniacensem abbatem. 979
III. — Bulla pro monasterio S. Vincentii ad Vulturnum. 980
IV. — Epistola ad omnes Christianos ad partis Aquilonis. 982
V. — Epistola ad Stephanum Cadurcensem episcopum. 984
EUGENIUS II.
I. — Fragmentum privilegii Eugenii II, pro ecclesia S. Petri Rothomagensi. 985
II. — Ritus probationis per aquam frigidam ab Eugenio papa II institutæ. 985
III. — Litteræ Eugenii II in gratiam cœnobii Agaunensis. 987
IV. — Privilegium Eugenii II pro monasterio Lauriacensi 989
GREGORIUS PAPA IV.
I. — Privilegium Gregorii IV Rabano abbati datum. 991
II. — Bulla pro monasterio Patavino sanctæ Justinæ. 993
III. Epistola ad episcopos et alios Dei fideles per Galliam constitutos de dignitate et privilegiis monasterii Floriacensis. 995
IV. — Gregorii IV epistola ad Otgarium archiepiscopum Moguntinum. 998
SERGIUS II.
Epistola ad Anscharium Hamburgensem episcopum. 998
LEO IV.
I. — Epistola ad Anscharium Hamburgensem archiepiscopum. 1000
II. — Privilegium pro monasterio Salvatoris Fuldensi. 1000
III. — Epistola Lotharii et Ludovico Augustis. 1001
IV. — Epistola Ritæ comitissæ. 1001
BENEDICTUS III.
I. — Confirmatio privilegiorum Corbeiæ. 1002
II. — Privilegium pro monasterio Salvatoris Fuldensi. 1010
III. — Privilegium pro civitate Interamnensi. 1011
NICOLAUS II.
I. — Privilegium pro monasterio Salvatoris Fuldensi. 1011
II. — Bulla qua confirmat diploma Caroli Magni pro monasterio S. Dyonysii. 1013
III. — Bulla pro monasterio Sublacensi. 1015
IV. — Epistola ad Adonem archiepiscopum Viennensem 1015
ADRIANUS II.
I. — Bulla Joanni episcopo Arietino concessa pro fundatione monasterii S. Mariæ in Balneo Æmilia. 1015
II. — Adriani II. Bulla pro monasterio Corbeiensi. 1018
III. — Epistola ad Salomonem regem Britannorum. 1020

STEPHANUS V.
Epistola ad Adalgarium archiepiscopum. 1021
SUPPLEMENTUM AD SCRIPTORES ECCLESIASTICOS SÆCULI IX QUORUM ANNUS EXPRIMITUR.
SMARAGDUS MONACHUS S. MAXIMINI.
Præfatio in Expositionem psalmorum. Exponit quam utilis sit psalmorum meditatio. 1022
AUTHERTUS ABBAS CASSINENSIS.
SERMO DE SANCTO MATHIA. 1023
Cap. I. — S. Matthiæ electio in discipulum et dein apostolum Christi. 1023
Cap. II. — Electio S. Matthiæ sorte facta. Donum linguarum in Pentecoste collatum. Privilegium cum Christo judicandi mundum. 1027
HALDUINUS ABBAS
Versus ad tumulum sancti Remigii. 1033
HEBERNUS ARCHIEPISCOPUS TURONENSIS.
Miracula B. Martini. 1033
LUIDBERTUS ARCHIEPISCOPUS MOGUNTINENSIS.
Notitia historica. 1031
Epistola ad Ludovicum regem. 1032
SÆCULI IX AUCTORES ANNI INCERTI.
AUXILIUS FRANCUS PRESBYTER.
Notitia historica. 1033
DE ORDINATIONIBUS A FORMOSO PAPA FACTIS. 1034
Præfatio Joannis Morini, congregationis Oratorii presbyteri. 1034
Præfatiuncula auctoris. 1039
Cap. I. — Ablatio ex decretali epistola Anteri papæ. 1061
Cap. II. — De sancto Gregorio. 1061
Cap. III. — Nomina episcoporum qui transmigraverunt ad aliam sedem. 1062
Cap. IV.—De his autem et apud chronica Græca ita legitur. 1062
Cap. V. — Quod BB. Gregorius atque Basilicus, non ignari fuerunt Nicæni concilii. 1062
Cap. VI. — De vitanda episcoporum transmutatione de sede ad sedem, ex concilio Nicæno. 1063
Cap. VII. — Qualiter Chalcedonensis synodus idem Nicænum intelligat. 1063
Cap. VIII. — Quod auctoritate sancti Leonis papæ Chalcedonense concilium sit institutum. 1063
Cap. IX. — Sancti Leonis papæ. 1063
Cap. X. — Gelasii papæ. 1063
Cap. XI. — Omi capitulum. 1064
Cap. XII — Quod idem Osius non catholice dixerit. 1064
Cap. XIII. — Sancti Augustini de hoc ipso. 1064
Cap. XIV.— Interrogatio super Osii definitione. 1065
Cap. XV. — Quo fine suum sapere Osius concluserit. 1065
Cap. XVI. — Testimonia de ordinationibus Formosæ et sancti Leonis. 1066
Cap. XVII. — Sancti Gregorii papæ quia sicut denuo baptizari quisquam non potest, ita denuo in id ipsum consecrari ad Joannem episcopum Ravennatis ecclesiæ. 1066
Cap. XVIII. — Unde supra in canonibus apostolorum. 1066
Cap. XIX. — Anastasii papæ, quod eos quos post damnationem suam, vel baptizavit, vel ordinavit Acacius, nulla lædionis portio attingat ad Anastasium imperatorem. 1066
Cap. XX. — Ejusdem quod multi bona ministrando, sibi tantummodo noceant, nec Ecclesiæ sacramento commaculent. 1067
Cap. XXI. — Unde supra S. Augustini contra Parmenianum Donatistam. 1067
Cap. XXII. — Quod Bonosiaci clerici cum suis honoribus sint recepti, Innocentii papæ. 1067
Cap. XXIII. — Nicæna synodus clericos qui Cathari dicuntur, ita recipi jubet. 1068
Cap. XXIV. — De Anatolio licet male ordinato, tamen non expulso. 1068
Cap. XXV.— De Liberio. 1068
Cap. XXVI. — Quod Vigilii ordinationes nemo removere ausus fuit. 1069
Cap. XXVII. — Quia excepto Liberii sacrilegio, quod pessimum est, Vigilius pejora commisisse dignoscitur, quam Formosus. 1069
Cap. XXVIII. — Quod qui papæ Formosi sacram ordinationem nihil esse, vel fuisse causantur, Christianæ religionis, sit inimicus. 1070
Cap. XXIX. — Quod si æmulatoribus illis papa Formosus displicet non externis et longinquis sed Romano populo imputare debent. 1071
Cap. XXX.—Utrum vere sit sacerdos, vel levita, vel subdiaconus, qui ad subvertendam eamdem ordinationem se cuiquam juramento constrinxit. 1071
Cap. XXXI. — Ex concilio Chalcedonensi de conjuratione vel conspiratione. 1071
Cap. XXXII. — Quod ad faciendam iniquitatem nulli unquam sit obtemperandum. 1071
Cap. XXXIII.—Quod illud Evangelii: *Omnia quæ dixerint vobis servate et facite*, solummodo in bonam partem accipiendum sit. 1072
Cap. XXXIV.—Quod ad scelera committenda nullius excommunicatio sit observanda. 1072
Cap. XXXV.— De observanda excommunicatione, et quod aliud sint pontificales sedes et aliud præsidentes. 1073
Cap. XXXVI. — De injusta pastoris obligatione. 1073
Cap. XXXVII. — Unde supra in Salomone. 1074
Cap. XXXVIII. — Item ibidem. 1074
Cap. XXXIX. — Unde supra sancti Gregorii papæ. 1074
Cap. XL. — De universali concilio exspectando. 1074
TRACTATUS QUI *Infensor* ET *Defensor* DICITUR. 1074
Præfatiuncula ad modum interrogationis et responsionis. 1074
Epistola prævia ad Leonem Nolanum episcopum. 1077
Incipit textus. 1077
Cap. I. — Quod ordinatio quam papa Formosus fecit, rata et legitima esse probabiliter ostendatur, etiam si ipsa Formosus, ut aiunt, non rite fuerit ordinatus. 1077
Cap. II. — Testimonia quæ papa Anastasius contulit in defensionem ordinationum quas hæreticus fecit Acacius. 1079
Cap. III. — Quomodo Spiritus sanctus disciplinæ effugiat fictum. 1079
Cap. IV. — Quod Constantini Neophyti ordinatio contra statuta SS. Patrum deposita sit. 1080
Cap. V. — Quod ejusdem prævaricationis sit iterata consecratio cujus prævaricationis est iteratum baptisma. 1082
Cap. VI. — Quod ejusdem prævaricationis sit iterata consecratio, cujus prævaricationis sunt hæretici qui catholicos rebaptizare audent. 1082
Cap. VII. — Quod minor culpa quam iterata consecratio infra hæreseon denotationes inveniatur admista. 1082
Cap. VIII. — Adversus eos qui se excusant dicentes: Inviti denuo in idipsum consecrati sumus. 1083
Cap. IX. — Adversus eos qui dicunt, non perdet Deus multitudinem peccatorum. 1083
Cap. X. — Ut qui semel et iterum in eodem gradu consecratus est a sacro ministerio sit excludendus. 1084
Cap. XI. — Ut juramentum quod ad scelus committendum pertinet, non sit observandum. 1085
Cap. XII. — Ut ad synodum quæ manifeste contra catholicam rectitudinem agit non sit occurrendum. 1086
Cap. XIII. — Quod præpositorum culpa nec omnes legendæ sint nec omnes denudandæ. 1086
Cap. XIV. — Ut excommunicatio quæ ad facinus committendum pertinet non sit observanda. 1087
Cap. XV. — De eo quod scriptum est: sive juste sive injuste obliget pastor, gregi timendum est. 1087
Cap. XVI. — De eo quod scriptum est: *omnia quæ dixerint vobis, servate, et facite.* 1088
Cap. XVII. — Quod ad peccandum nullius potestati sit obtemperandum. 1088
Cap. XVIII. — Quod aliud sint pontificales sedes et aliud præsidentes, et quia residentes, per devia sequendi non sint. 1089
Cap. XIX. — De eo quod scriptum est: Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo. 1089
Cap. XX. — Qualiter Formosus post depositionem apostolica auctoritate reconciliatus sit. 1089
Cap. XXI. — Quia plurimi sacerdotum depositi fuerunt et post modum reconciliati. 1091
Cap. XXII. — Ut id quod incertum est solius Dei judicio sit relinquendum et de episcopis qui de sede ad aliam sedem translati sunt. 1092
Cap. XXIII. Quod Osius non catholice dixerit *Nec laicam in fine communionem accipiat.*
Cap. XXIV. — De eo qui semel in qualibet ecclesia lector exstiterit. 1093
Cap. XXV. — Ut aliquæ necessitate, vel certis existentibus causis, episcopus de sede ad sedem transire non debeat. 1094
Cap XXVI. — Quod quando Formosus intronizatus est, non id quod episcopus erat iterum acceperit, sed augmentum apostolicæ dignitatis, quod non habebat, susceperit. 1096

Cap. XXVII. — Ut qui simultates et lites inter se habent, alter eorum adversus alterum non possit testimonium proferre. 1097
Cap. XXVIII. Quod humanum judicium quatuor personis justissime comprobatur. 1097
Cap. XXIX. — De concilio quod in Ravennati urbe pro Formoso ejusque ordinatione factum est. 1098
Cap. XXX. — De scelere quod in cadaver papæ Formosi perpetratum est. 1098
Cap. XXXI. — Quod ad testimendum quæ recta sunt nullius gentis homo prohibendus sit. 1098
Cap. XXXII. — Quod juramentum etiam per vim datum, si ad peccandum non pertinet, irrefragabiliter sit observandum. 1101
INCIPIT LIBER CUJUSDAM REQUIRENTIS ET RESPONDENTIS, SEU AUXILII LIBELLUS SUPER CAUSA ET NEGOTIO FORMOSI PAPÆ. 1102
Monitum ad lectorem. 1102
Præfatio. 1149
I. — S. Petrus apostolus. 1151
II. — S. Linus. 1152
III. — S. Cletus. 1152
IV. — S. Clemens. 1152
V. — S. Anacletus. 1157
VI. — S. Evaristus. 1160
VII. — S. Alexander. 1161
VIII. — S. Sixtus. 1162
IX. — S. Telesphorus. 1162
X. — S. Hyginus. 1163
XI. — S. Pius. 1163
XII. — S. Anicetus. 1164
XIII. — S. Sother. 1164
XIV. — S. Eleuterius. 1164
XV. — S. Victor. 1165
XVI. — S. Zephyrinus. 1165
XVII. — S. Calixtus. 1166
XVIII. — S. Urbanus. 1166
XIX. — S. Pontianus. 1167
XX. — S. Antherus. 1167
XXI. — S. Fabianus. 1168
XXII. — S. Cornelius. 1170
XXIII. — S. Lucius. 1170
XXIV. — S. Stephanus. 1171
XXV. — S. Sixtus II. 1173
XXVI. — S. Dionysius. 1174
XXVII. — S. Felix. 1175
XXVIII. — S. Eutychianus. 1176
XXIX. — S. Caius. 1177
XXX. — S. Marcellinus. 1178
XXXI. — S. Marcellus. 1179
XXXII. — S. Eusebius. 1179
XXXIII. — S. Melchiades. 1180
XXXIV. — S. Silvester. 1181
XXXV. — S. Marcus. 1182
XXXVI. — S. Julius. 1183
XXXVII. — S. Liberius 1183
XXXVIII. — S. Felix II. 1185
XXXIX. — S. Damasus. 1188
XL. — S. Siricius. 1189
XLI. — S. Anastasius. 1192
XLII. — S. Innocentius. 1192
XLIII. — S. Zosimus. 1198
XLIV. — S. Bonifacius. 1199
XLV. — S. Cœlestinus. 1199
XLVI. — S. Sixtus III. 1200
XLVII. — S. Leo I. 1201
XLVIII. — S. Hilarius. 1208
XLIX. — S. Simplicius. 1209
L. — S. Felix III. 1209
LI. — Gelasius. 1210
LII. — S. Anastasius II. 1216
LIII. — S. Symmachus. 1217
LIV. — S. Hormisda. 1220
LV. — S. Johannes. 1222
LVI. — S. Felix IV. 1223
LVII. — Bonifacius II. 1225
LVIII. — Joannes II. 1224
LIX. — S. Agapetus. 1224
LX. — S. Silverius. 1224
LXI. — Vigilius. 1225
LXII. — Pelagius. 1227
LXIII. — Joannes III. 1247
LXIV. — Benedictus. 1228
LXV. — Pelagius II. 1228
LXVI. — S. Gregorius. 1229
LXVII. — Sabinianus. 1231
LXVIII. — Bonifacius III. 1231
LXIX. — Bonifacius IV. 1231
LXX. — S. Deusdedit. 1231
LXXI. — Bonifacius V. 1232
LXXII. — Honorius. 1232
LXXIII. — Severinus. 1234
LXXIV. — Joannes IV. 1234
LXXV. — Theodorus. 1234
Incipit liber. 1102
CHRONICON SEBASTIANI Salmanticensis episcopi, sub nomine Alphonsi tertii vulgatum. 1111
Monitum. 1111
Incipit Chronicon. 1112
CHRONICON ALBELDENSE, auctore forte Dulcidio Salmaticensi episcopo, continuatore autem Vigila monacho Albeldensi. 1124
Monitum. 1124
Præludia Chronici. 1125
Incipit Chronicon. 1127
SIGLOAREUS CANONICUS RHEMENSIS
Rhythmus de morte Fulconis episcopi Rhemensis. 1145
GOSBERTUS.
Carmen acrostichum ad Guillelmum Blesensium comitem. 1148
PSEUDO LUITPRANDUS.
LIBER DE PONTIFICUM ROMANORUM VITIS. 1150
LXXVI. — S. Martinus. 1238
LXXVII. — S. Eugenius. 1235
LXXVIII. — S. Vitalianus. 1235
LXXIX. — Adeodatus. 1235
LXXX. — Donus. 1235
LXXXI. — S. Agatho. 1236
LXXXII. — S. Leo II. 1236
LXXXIII. — Benedictus II 1236
LXXXIV. — Joannes V. 1236
LXXXV. — Conon. 1237
LXXXVI. — Sergius 1237
LXXXVII. — Joannes VI. 1237
LXXXVIII. — Joannes VII. 1237
LXXXIX. — Sisinnius. 1238
XC. — Constantinus. 1238
XCI. — S. Gregorius II. 1238
XCII. — S. Gregorius III. 1238
XCIII. S. Zacharias. 1239
XCIV. — Stephanus III. 1240
XCV. — S. Paulus. 1240
XCVI. — Stephanus IV. 1241
XCVII. — S. Adrianus. 1241
XCVIII. — Leo III. 1242
XCIX. — Stephanus V. 1242
C. — Paschalis. 1243
CI. — Eugenius II. 1244
CII. — Valentinus. 1244
CIII. — Gregorius IV. 1244
CIV. — Sergius II. 1245
CV. — Leo IV. 1245
CVI. — Benedictus III. 1250
CVII. — Nicolaus I. 1251
CVIII. — Adrianus II. 1254
CIX. — Joannes VIII. 1255
CX. — Marinus. 1255
CXI. — Adrianus III 1255
CXII — Stephanus VI. 1255
CXIII. — Formosus. 1256

SÆCULI IX AUCTORES ANONYMI. 1257

EPISTOLA peregrinorum monachorum in monte Oliveti habitantium, ad Leonem III pontificem Romanum. 1257
HOMILIA de Decimis et de Jejunio. 1261
NARRATIO de monacho Cenomanensi ad canonicam vitam et habitum converso. 1265
Epistola cleri Ravennatis ad Carolum Juniorem. 1267
Fragmentum ex historia de conversione Baiorum et Carentanorum ad fidem Christianam quæ circa annum 858 scripta est. 1269
Excerptum e Libello de conversione Carentanorum. 1271
LIBER DE COMPUTO 1273
Monitum. 1273
Incipit prologus sancti Cyrilli Alexandrini episcopi de ratione Paschæ. 1275
Incipiunt capitula de Computo. 1278
Explicient capitula libri de Computo. 1279
Ad feriam inveniendam Feb. in Kal. XXIII usque ad finem. 1280
De quota luna in Kal. Jan. 1280
De luna in Kal. Jan. 1280
Incipit computatio Græcorum vel Latinorum qualiter calculare debemus omnibus annis. 1281
Hic invenies dies anni. 1281
Ad Kal. inveniendas. 1282
Incipit regula ad Kal. mensium inveniendas. 1282
Incipit epacta solis. 1282
Incipit reg. ad lectiones lunæ. 1282
Incipit epact. idem ad lectiones lunares. 1283
Incipit epacta secundum Latinos. 1283
Incipit terminus quadragesimalis. 1282
Incipit terminus paschalis. 1282
Incipit iterum de termino paschali. 1283
Incipit terminus ad flog. 1283
Incipit terminus Pentecostis. 1283
De annis communibus et embolimæis. 1283
De Epistolis Græcorum. 1283
Ratio qualiter secundum Latinos vel Græcos argumenta paschalia recto tramite invenire debeas. 1284
Item quod verius est. 1284
Item de die mensis et luna paschalis ultimo qualiter ea ebretur. 1284
Item apud Græcos. 1284
Item apud Latinos. 1284
Item de nativitate lunæ. 1284
Item alia. 1284
De communi anno et embolismo. 1285
Item de annis communibus et embolimæis. 1285
De quatuor differentiis lunæ. 1287
De celebratione sancti Paschatis. 1287
De embolismo majori. 1287
De augmento lunæ. 1288
De Kalendis mensium. 1288
De feria monstranda in Kal. 12 mensium. 1288
De epactis in Kal. 12 mensium. 1289
Ad feriam in unoquoque mense. 1289
Item de feria seu ad terminum paschalem. 1289
De Epactis in XI Kalendas April. 1290

De tempore mensium. 1290
Item de tempore mensium. 1290
De solstitiis et æquinoctiis. 1291
Item de temporibus mensium. 1292
De momento. 1292
Item de momentis. 1293
Item ad Bissextum. 1293
Ad Bissextum inveniendum per 12 signa. 1294
Ad quinque dies intercalares inveniendos per 12 signa. 1294
De Punctis. 1295
De diebus anni. 1296
De ratione bissexti. 1296
Item de bissexto. 1296
Item de solstitio et æquinoctio. 1297
De saltu lunæ. 1297
De lunæ cursu. 1298
De interrogatione 19 annorum cycli. 1298
De mensibus. 1298
De luna paschali. 1299
Argumentum ad initium Quadragesimæ inveniendum 1299
Item ad Rogationes inveniendas. 1299
Item ad Pentecosten inveniendam. 1299
De suppotationibus. 1299
De termino paschali. 1300
De hebdomada. 1300
Item de mensibus. 1301
Item de mensibus et lunæ longitudine. 1303
De mense et interrogatione lunæ. 1304
Item de Punctis lunæ. 1304
Item de Numeris. 1306
De incendio lunæ. 1306
De die solis orientis. 1306
De die. 1307
De nocte. 1307
De 14 luna paschali. 1308
Item de 14 luna paschali. 1308
De die septimanæ quotus sit. 1310
De luna in Kal. Jan. et Kal. Apr. 1311
De annis a principio mundi. 1312
De numero annorum ab origine mundi usque ad adventum Domini. 1313
De annis ab origine mundi vel incarnatione. 1313
De prima luna primi mensis monstranda. 1314
De bissexto monstrando per cylum solarem. 1314
Argumenta de concurrentibus monstrandis. 1315
Ad annum præparationem bissexti ab origine mundi. 1315
De concurrentibus monstrandis per annos ab origine mundi. 1315
De divisionibus temporum. 1315
Item de signis in primo momento. 1316
De horis in anno quot sunt. 1316
De horis et momentis quot sunt in primo anno. 1317
De Punctis in anno. 1317
De minutis in anno. 1318
De quadrante. 1319
De septimanis in toto anni circulo. 1319
De concurrentibus solis per totum annum. 1319
De lunaribus partibus in XI Kal. Apr. 1320
De concurrentibus monstrandis. 1321
Ad feriam monstrandam in Kal. Januar 1321
De cyclo solari et lunari per digitos demonstrando. 1322
De principiis quatuor temporum. 1322
De duodecim signis coeli, quæ currunt in zodiaco circulo, qui circulus signifer dicitur, hoc est sideralis cursus. 1323
De causis quibus nomina acceperunt 12 signa. 1324
De cursu solis et lunæ, id est quo in signo currit sol et in quo signo luna. 1327
Argumenta de cursu solis per 12 signa. 1327
De septem sideribus errantibus. 1327
De velocitate cursus lunæ. 1328
De ascensu solis et descensu per totum annum quomodo crescit in unaquaque die, vel quomodo decrescit. 1328
De eclipsi lunari et solari Plinius et Hieronymus. 1329
De variis nominibus solis per varias linguas. 1329
Argumenta de initio Quadragesimæ et de clausula Paschæ, et de Rogationibus et Pentecoste. 1329
Argumenta de cyclo magno decemnovellani et lunari, et de cyclo magno demonstrandis per annos ab origine mundi. 1330
De numero cyclorum, et quot dies bissextiles et quot saltus ab origine mundi. 1331
Incipit præfatio sancti Felicis abbatis Chyllitani. 1331
Incipit cyclus decemnovennalis, quem Græci Ennecaide cæterida vocant. 1331
Incipit prologus sancti Chyllitani. Iterum sermo Felicis. 1331
Incipit de Dionysio et de semetipso in Christi nomine. 1331
Expliciunt Chyllitani 5 cycli decemnovellanes prætermissi, eo quod omnes præterierint. 1332
De concordia mensium. 1333
De cyclo Romanorum incipit, qui inventus est apud Romanos 30 anno ante nativitatem Christi. 1333
De ætate lunæ si quis computare non potest. 1334
Incipit epistola de ratione lunæ. 1335
De cursu solis per duodecim signa. 1343
De luna per XII signa 1348
De saltu lunæ per 19 annos, quomodo decrescit nox. 1349
De flexibus digitorum. 1349
In Dei nomine incipit ratio Paschalis et cæterorum 318 episcoporum qui consideratione festi Paschalis et cæterorum sapientium virorum, qui dixerunt auctoritatem. 1350
Explicit epistola Cyrilli Alexandrinæ urbis episcopi. 1354
De nominibus stellarum quibus ex causis nomina acceperunt. 1354
Incipit epistola Dionysii Exigui 1357
Incipit epistola S. Cyrilli V Kal. Decembr. 1357
Incipit epistola S. Proterii Alexandrini episcopi ad beatissimum papam Leonem Romanæ urbis episcopum de ratione Paschali. 1357
Incipit epistola Moriani episcopi Alexandrini de ortu Paschali, eo quod senserunt alii diverse. 1357
De mundi principio. 1359
Incipit epistola papæ Leonis ad Marcianum imperatorem per Darianum. 1361
De Pascha autem. 1361
De nominibus mensium. 1363
De mensibus Hebræorum. 1363
De mensibus Macedonum. 1363
De mensibus Ægyptiorum. 1363
Incipiunt argumenta Græcorum de cyclis Paschalibus Ægyptiorum. 1364
De indictione. 1364
De annis ab incarnatione D. N. J. C. 1364
Item alia de annis Domini. 1364
De circulo decemnovennali. 1365
De Epactis lunæ. 1365
De Cyclo lunæ. 1365
De Concurrentibus. 1365
De Bissexto. 1366
Sequuntur cycli decemnovennales Cyrilli, et Dionysii ab anno 798 incipientes et in 987 desinunt. 1366
Incipit tractatus sancti Athanasii episcopi Alexandrini de ratione Paschæ. 1368
Incipit cyclus annorum octoginta. 1368
Iterum ad caput revertitur. Explicit. 1369
Incipit versus Isidori. 1370
Historia Translationis corporis S. Cornelii Papæ. 1372
Epistolæ formatæ. 1381
Præfatio Jac. Sirmondi. S. J. 1381
Formulæ antiquæ de episcopatu. 1384
Formulæ diversæ. 1384
Epistola formata. 1384
Formularum veterum Epistolarum canonicarum Exempla XI. 1387
I. — Ebroini Bituricensis archiepiscopi ad Magnonem Senonensem. 1389
II. — Wolfeonis episcopi Constantiensis ad Bernaltum Argentariensem. 1389
III. — Teutgaudi Trevirensis episcopi ad Carolum regem episcopos. 1390
IV. — Joannis Cameracensis episcopi ad omnes episcopos. 1391
V. — Liutadi episcopus Vinciensis ad Wanilonem Rothomagensem archiepiscopum. 1392
VI. — Ænææ episcopi Parisiensis ad Hincmarum Rhemensem archiepiscopum. 1393
VII. — Hedilonis episcopi Noviomensis ad Didonem Laudunensem episcopum. 1394
VIII. — Ejusdem Hedilonis ad Radulphum Laudunensem episcopum. 1395
IX. — Rathodi Trevirensis archiepiscopi ad Robertum Metensem episcopum. 1396
X. — Dadonis episcopi Virdunensis ad Rothrodum Trevirensem archiepiscopum. 1396
XI. — Durandi episcopi Arnensis ad Radulphum Turonensem archiepiscopum. 1397

Benedictio Dei.

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK GRAZ
Ausgeschieden

FINIS TOMI CENTESIMI VICESIMI NONI.